This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

Digitized by Google

BIBLIOTECA
39 COMPLUTENSE. 2
E. 60 C. 3 N. 6

Digitized by Google

Digitized by Google

ORIENS CHRISTIANUS,

IN QUATUOR PATRIARCHATUS DIGESTUS;

QUO EXHIBENTUR

ECCLESIÆ, PATRIARCHÆ,

CÆTERIQUE PRÆSULES TOTIUS ORIENTIS.

Studio & opera R. P. F. Michaelis Le Quien, Morino-Bolonienſis, Ordinis Fratrum Prædicatorum.

OPUS POSTHUMUM.

TOMUS TERTIUS,

Eccleſiam Maronitarum, Patriarchatum Hieroſolymitanum, & quotquot fuerunt Ritûs Latini tam Patriarchæ quàm inferiores Præſules in quatuor Patriarchatibus & in Oriente univerſo, complectens.



PARISIIS,
EX TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DCCXL.

Digitized by Google

Digitized by Google

* INDEX
PATRIARCHATUUM,
SEDIUMQUE METROPOLITANARUM
In hocce tertio volumine recenſitorum.

ECCLESIA Maronitarum de Monte Libano. . . . . coll. 1. 2
Patriarchæ Maronitarum 49. 50
Sedes metropolitanæ Maronitarum. 77. 78
Eccleſia Tyrienſis Maronitarum. . . . . ibidem.
Damaſci Maronitarum. . . . . ibid.
Tripolis Maronitarum. 79. 80
Aleppenſis Maronitarum. 81. 82
Inſulæ Cypri Maronitarum. 83. 84
De Patriarchatu Hieroſolymitano. Ad Patriarchatum Hieroſolymitanum præludia. 101. 102
Eccleſia Hieroſolymitana. 137. 138
I. *Provincia Palæſtinæ primæ. Eccleſia Cæſareæ metropolis.* 529. 530
II. *Provincia Paleſtinæ ſecundæ. Eccleſia Scythopolis metropolis.* . . 681. 682
III. *Provincia Palæſtinæ tertiæ. Eccleſia Petræ metropolis.* 721. 722
Quædam aliæ Eccleſiæ minus notæ, vel recentiùs additæ. 773. 774
Appendix. 777. 778
Patriarchatuum Orientis Præſules Ritûs Latini. Diſſertatio præliminaris. 785. 786
Patriarchæ Conſtantinopolitani Latini Ritûs. 793. 794
Provincia Athenienſis. 837. 838
Cæſareenſis in Cappadocia. 877. 878
Corcyrenſis. . . . . ibid.
Corinthienſis. 883. 884
Cretenſis. 907. 908
Cyzici. 941. 942
Dyrrachienſis. 949. 950
Epheſi. . . . . 957. 958.
Hadrianopolitana. 961. 962
Heracleenſis. 965. 966
Hierapolitana. 977. 978
Lariſſenſis. 979. 980
Macrenſis. 989. 990
Mitylenenſis. 991. 992
Naupactenſis. 993. 994
Naxienſis. 1001. 1002

* Sedes epiſcopales hîc recenſendas non duximus; ſingulas ſuis metropolibus ſubjectas reperiet, qui harum cognoſcendarum deſiderio tenebitur.

Digitized by Google


Provincia Neopacenſis. 1011. 1012
Neopatriæ. 1013. 1014
Nicomedienſis. 1017. 1018
Patrarum Veterum. 1023. 1024
Philipporum. 1045. 1046
Rhodi. 1049. 1050
Sardium. 1065. 1066
Sebaſtes. 1869. 1070
Serrarum. 1073. 1074
Smyrnenſis. 1075. 1076
Thebana. 1081. 1082
Theſſalonicenſis. 1089. 1090
Trajanopolis. 1095. 1096
Trapezuntina. 1097. 1098
Veriſienſis. 1101. 1102
Zichiæ ſive *Zechiæ in Scythia.* 1103. 1104
Sedes quædam Patriarchatûs Conſtantinopolitani, hactenùs non recenſitæ. . . . . ab 1113. 1114. ad 1139. 1140
Patriarchatus Alexandrinus Ritûs Latini. 1141. 1142
Patriarchæ Alexandrini Ritûs Latini. 1143. 1144
Patriarchatus Antiochenus Ritûs Latini. 1153. 1154
Patriarchæ Antiocheni Ritûs Latini. . . . . ibid.
Provincia Antiochena ſive *Syriæ primæ.* 1165. 1166
Ciliciæ primæ. Tarſis metropolis. . . . 1181. 1182. & 1197. 1198
Oſrhoënes. 1185. 1186
Syriæ ſecundæ. 1187. 1188
Euphratenſis. 1193. 1194
Ciliciæ ſecundæ. Mamiſtra metropolis. 1197. 1198
Cypri. Nicoſia metropolis. 1201. 1202
Aliæ quædam Eccleſiæ Patriarchatûs Antiocheni. . . 1237. 1238. 1239. 1240
Patriarchatus Hieroſolymitanus Ritûs Latini. 1241. 1242
Patriarchæ Hieroſolymorum Ritûs Latini. 1243. 1243
Provincia Hieroſolymitana. 1269. 1270
Palæſtinæ primæ ſub Latinis. Cæſarea metropolis. . . . 1285. 1286
Palæſtinæ ſecundæ. Nazareth metropolis. 1293. 1294
Palæſtinæ tertiæ. Petra metropolis. 1305. 1306
Arabiæ. Boſtra metropolis. 1307. 1308
Phœnices. Tyrus metropolis. 1309. 1310
Appendix ad Orientem Chriſtianum. Eccleſiæ Orientalis tractûs, à Latinis conditæ vel adminiſtratæ. 1341. 1342
Appendix ad Eccleſiam recentiorem Sinarum. 1351. 1352

ECCLESIA

Digitized by Google

BIBLIOTECA
DERECHO

Digitized by Google



Digitized by Google

ECCLESIA MARONITARUM DE MONTE-LIBANO.

MARONITÆ Syriam mari A Mediterraneo conterminam incolunt, teſte Fauſto Nairono Banenſi Maronita, initio diſſertationis ſuæ *de origine, nomine ac religione Maronitarum.*

I. Varios varii illis errores attribuunt, diverſaque eorum converſionis memorant tempora: nam Bernardus Lutzemburgius, Gabriël Prateolus, & Buterus in ſuis operibus, Jacobus Gualterius *in tabul. chronogr.* Thomas à Jeſu Biatienſis *in tract. de procur. ſalut. omnium gentium, cap. 22.* Petav. *lib. 5.* B *Theolog. Dogmat. de Incarnat. cap. 4. num. 4.* & alii, Maronitas aiunt fuiſſe *Monophyſitas.* Eutychius Alexandrinus Patriarcha qui Arabicè ſcripſit ſæculo decimo, eos *lib. 2. annal. p. 191.* monotheliſmi accuſat. *Fuit tempore Mauritii Imp. Romanorum,* inquit, apud Aſſemanum *to. 1. Bibl. Or. p. 498. in nota, col. 2.* & Fauſtum Naironum *diſſert. de origine, &c. Maronitarum pag. 26.* (qui poſterior teſtatur textum illum duobus correſpondere codicibus extantibus, primo quidem in Monte-Libano apud Nader Abu-Nauſel Principem C Agialtonis Maronitam, ſecundo autem Romæ in Bibliotheca S. Petri de monte aureo ordinis S. Franciſci) *Monachus quidam nomine Maron, qui aiebat duas eſſe Chriſti Domini noſtri naturas & unam voluntatem, unam operationem, unamque Perſonam, fidem hominum corrupit. Maxima autem eorum pars qui doctrinam ipſius amplexi, & ſe diſcipulos illi præbentes eamdem profeſſi ſunt, erant incolæ urbis Hamah,* (Apameæ) *& Kennaſerin, & Awaſim, cum Romanorum* (id eſt, Græcorum qui ſub Romano erant Imperio) D *nonnullis: appellatique ſunt ejus aſſeclæ, qui idem cum ipſo aſſererent, Maronitæ, nomine ab ipſo Marone deducto. Quumque mortuus eſſet Maron, incolæ urbis Hamah monaſterium in Hamah excitarunt, quod* Dair-Marun, *id eſt cœnobium Maronis appellarunt, fidemque Maronis profeſſi ſunt.* Willelmus Tyrius *lib. 22. belli ſacri, cap. 8.* hæc pariter de Maronitis habet, apud Baron. ad ann. 1182. n. 4. *Interea dum regnum pace à Saladini bello, ut prædiximus, gauderet temporali, natio quædam Syrorum in Phœnice provincia circa juga Libani juxta urbem Biblienſium habitans, plurimam circa ſui ſtatum paſſa eſt mutationem. Nam quum per annos pene quingentos cujuſdam Maronis hereſiarchæ errorem fuiſſent ſequuti, ita ut ab eo dicerentur Maronitæ, & ab eccleſia fidelium ſequeſtrati, ſeorſum ſacramenta conficerent ſua: divina inſpiratione ad cor redeuntes, languore depoſito, ad Patriarcham Antiochenum Haimericum, qui tertius Latinorum nunc eidem præeſt eccleſiæ, acceſſerunt, & abjurato errore, quo diu periculoſe nimis detenti fuerant, ad unitatem eccleſiæ Catholicæ reverſi ſunt, fidem orthodoxam ſuſcipientes, parati Romanæ eccleſiæ traditiones cum omni veneratione amplecti & obſervare. Erat autem hujus populi turba non modica, ſed quadraginta millium dicebatur excedere quantitatem, qui per Byblienſem, Botryenſem, & Tripolitanum epiſcopatus juga Libani & montis devexa, ut prædiximus, inhabitabant: erantque viri fortes, & in armis ſtrenui, noſtris in majoribus negotiis, quæ cum hoſtibus habebant frequentiſſima, valde utiles. Unde, & de eorum converſione ad fidei ſinceritatem maxima noſtris acceſſit lætitia. Maronis autem error, & ſequacium ejus eſt, & fuit (ſicut ex ſexta ſynodo legitur, quæ contra eos lata eſſe dignoſcitur, & in qua damnationis ſententiam pertulerunt) quod in Domino noſtro Jeſu-Chriſto una tantum ſit, & fuerit ab initio, & voluntas, & operatio. Cui articulo ab orthodoxorum eccleſia reprobato multa alia pernicioſa nimis, poſtquam à cœtu fidelium ſegregati ſunt, adjecerunt. Super quibus omnibus ducti pœnitudine, ut prædiximus, ad eccleſiam redierunt Catholicam, una cum Patriarcha ſuo, & epiſcopis nonnullis, qui eos, ſicut prius, in impietate*

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DERECHO
Digitized by Google

præceſſerant, ita ut ad veritatem redeuntibus pium ducatum præſtiterint.

II. His ſubſcribit Clariſſ. Renaudot. *in hiſt. Patr. Alex. p. 149.* iis verbis: *Ad eadem quoque tempora referunt Eutychius, Ebnaſſalus, Elmacinus, Makriſius, & omnes tandem quoſcunque vidimus auctores Orientales, initia hæreſis Monothelitarum, in quo longe abeunt à communi Græcorum & Latinorum hiſtoria. Illi Sergium Conſtantinopolitanum epiſcopum, & Cyrum Alexandrinum veluti primos illius architectos agnoſcunt: Orientales Maronem quemdam Syrum monachum, qui ſub Mauritio Imp. vixit, & urbium Hamæ, Kennaſerin, Awaſim, & aliorum vicinorum in Syria locorum incolas ad ſuam ſententiam perduxit: cui ſectatores ejus, eo mortuo, monaſterium extruxerunt, quod vocatur Maronis, & ab eo dicti ſunt Maronitæ. Ita Eutychius, Elmacinus, Ebnaſſalus in collectione, auctoreſque de hæreſibus varii, cujuſcunque ſectæ ſint. Adeo vero invaluit apud omnes hæc opinio, ut ſi recentiores Maronitas exceperis, concordia de hujus hæreſeos origine mira ſit inter auctores; unde nec aliud nomen habent quo Monothelitas deſignent, præterquam Maronitarum. Ea ratione dum Cyrum, Pyrrhum, Macarium, & alios Monothelitas nominant, Maronitas fuiſſe dicunt. Imo ne quidquam dubii ſuperſit, aut id ex eorum ignorantia factum eſſe videatur, obſtat luculentum Ebnaſſali teſtimonium, qui de Maronitis agens, eoſque à Melchitis qui ſunt Græci orthodoxi, & à Francis qui ſunt Latini, diſtinguens, obſervat eos nuper ad Francorum religionem tranſiviſſe. Quum vero hæc ſcriberet, habebat in animo eorum ad Catholicam fidem converſionem per Aimericum Antiochenum Patriarcham, de qua Willelmus Tyrius teſtis omni exceptione major verba faciens, eos à Monothelitica hæreſi reſipuiſſe confirmat. Attamen adverſus tot certa teſtimonia exclamatur à recentioribus Maronitis, quorum primus, aut ſaltem inter primos qui ſuos populares Libaniticos ab omni hæreſeos ſuſpicione purgari voluit, Georgius Amira Edenenſis fuit.... quem ſequuti ſunt Joannes Hezronita, & Gabriël Sionita in libello de moribus Orientalium, Abraham Ecchellenſis paſſim, tandemque.... Fauſtus Naironus* in diſſertatione de origine, nomine, ac religione Maronitarum, *Romæ edita anno 1679. & in alio* (libro) *cui titulus,* Evoplia fidei Catholicæ Romanæ, *ibidem edito anno 1694. In utroque illo opere argumenta omnia collegit, quæ alii ante ipſum leviter admodum attigerant: quumque eum premeret Willelmi Tyrii auctoritas, curam omnem adhibuit, ut eum non tam proprio quam Eutychii judicio quem legerat, ea ſcripſiſſe quæ Maronitas ſuſpectos Monotheliticæ hæreſeos redderent, demonſtraret. Adducit in hanc ſententiam Auctores aliquot, ex quibus probare conatur Maronitas ſemper Catholicæ fidei fuiſſe defenſores acerrimos, pugnaſſe contra Jacobitas & Neſtorianos ſub auſpiciis ſancti Maronis abbatis, cujus nomine celebre extabat circa Apameam monaſterium, quod archimandritas habuit zelo fidei orthodoxæ conſpicuos. Nomen iſtud Maronitarum ad omnes deinde orthodoxos Syros perveniſſe &c.... Verum de his plura alibi: ſufficiat hoc loco traditionem Orientalium de Maronitarum initiis, ex eorum ſententia ſignificaſſe.* Hactenus Renaudotius. Idem de Maronitis ſcripſerunt, Jacobus de Vitriaco, Breindenbergius, Volaterranus, Joan. Bona Cardinalis, multique alii inter recentiores.

III. At in chronicis ordinis S. Franciſci, auctore Marco epiſcopo Portuenſi, *lib. 3. p. 3.* apud Fauſtum Naironum *in diſſert. de origine &c. Maronitar. p. 2.* legitur illos fuiſſe partim hæreticos, & partim idololatras, eorumque converſionem accidiſſe anno 1450. opera cujuſdam religioſi Belgæ hujus ordinis nomine Griphonis, qui poſt patratum in ſole miraculum, ex occaſu, ejus precibus, retrogrado viſo, Montis-Libani Gubernatorem cum tota natione baptizavit.

Franciſcus Ballarinus, & P. Mathias de Corona Leodienſis Carmelita, eoſdem aſſerunt perſeveraſſe in hæreſi uſque ad annum 1215. Franciſcus Berdinus ordinis Minorum illorum converſionem differt ad Leonis X. tempora initio ſæculi decimi-ſexti. Flavius Cherubinus ſerius adhuc hanc contigiſſe narrat, anno ſcilicet 1582. Ita Naironus modo citatus, *pag. 3.*

IV. Is vero tradit *ibid. pp. 4. & 5.* nomen *Maronitis* inditum aliunde non proficiſci quam ex *S. Marone abbate*, coævo S. Joanni Chryſoſtomo, cujus extat epiſtola ad ipſum ex ſuo exilio ſcripta ut ejus ſe precibus commendaret. De eo S. Marone loquitur Theodoretus *in Relig. hiſt. capp. 16. 21. 24. & 30.* Hunc ſcilicet ait divino afflatum Spiritu collem qui ab ethnicis ſuperſtitioſe colebatur occupaſſe, fanumque ibi exiſtens conſecraſſe Deo. *Nec ſolum ægritudinibus corporis medebatur,* inquit Theodoretus, *ſed congruentem etiam animis adhibebat curationem.* Et paulo inferius: *Sic autem agriculturæ divinæ curam gerens, & animas ſimul curans & corpora, parvam paſſus ægritudinem, ut & naturæ imbecillitatem, animi dicamus fortitudinem, exceſſit è vita.* Quibus verbis intelligi datur, ab eo plurimos Syriæ incolas in orthodoxa fide, quam tunc in Oriente varia hæreſum monſtra vaſtabant, fuiſſe confirmatos, plurimos quoque ejus ſanctitatis exemplo commotos ad monaſticam diſciplinam amplectendam convolaſſe. *Optarat* quidem S. Maro, pergit Theodoretus

Digitized by Google

ab Aſſemano relatus *to. 1. Bibl. Or. p. 497. in nota 5. col. 2. ut in eodem ſepulcro cum Zebina conderetur, quem admiratus fuerat, patremque & magiſtrum appellare ſolebat. Sed quum poſt ejus mortem acre inter vicinos certamen de ejus corpore ortum eſſet, finitimi cujuſdam vici incolæ, cæteris vi pulſis, ſacrum theſaurum rapuerunt, maxima æde exſtructa, ac celebri feſto illum honorantes*. In Menolog. Græcor. colitur die 14. Februar. Templum illud, de quo hic ſermo, cœnobium eſt *S. Maronis* dictum, Apameam inter & Emeſam ad Orontem fluvium ſitum, quod fuit tanquam princeps monaſteriorum Syriæ ſecundæ, ſicut Acta ſynodi Conſtantinopolitanæ ſub Menna Patriarcha anno Chr. 536. coactæ declarant; ubi Paulus diaconus, & Joannes preſbyter, in epiſtolis monachorum ejuſdem provinciæ ad Juſtinianum Imp. & ad eundem Mennam Patriarcham Conſtantinopolitanum, *monachi & legati* dicuntur *monaſterii beati Maronis primatis monaſteriorum Syriæ ſecundæ*, & pro omnibus monaſteriis ejuſdem Syriæ ſubſcribunt. Et in epiſt. archimandritarum Syriæ ſecundæ ad Hormiſdam Papam anno 517. data, primo loco ſubſcribit *Alexander archimandrita S. Maronis*. Extant *to. 5.* concil. Labbei, *coll. 15. 115. 162. & 250.* Diſcipulos virtutis ſuæ imitatores reliquit beatus Maro, inter quos excelluerunt Jacobus & Thalaſſius ſanctitate & miraculis illuſtres, quorum vitas ſeorſim ſcripſit Theodoretus, Domnina etiam quæ in maternæ domus hortulo Maronis diſciplinam æmulari ſtuduit. Adeo autem exarſit in hujus cœnobii S. Maronis monachos, Acephalorum, Severianorum, aliorumque Monophyſitarum furor, ut præter innumera quæ illis inflixerunt mala in odium fidei Catholicæ, trecentos & quinquaginta eorum morte affecerint, quorum memoria colitur in Martyrol. Romano, die 31. Julii.

V. Porro, quod Maronitarum nomen, non ſit hæreſis alicujus proteſtativum, infert, poſt Pagium ad ann. 635. n. 13. doctiſſ. Aſſem. *to. 1. Bibl. Orient. pag. 524. in nota, col. 1.* ex modo quo de Maronitis loquitur Eugenius IV. Poſtquam enim retulit hæc verba ejus bullæ quæ incipit *Benedictus Deus*, datæ VII. Nonas Auguſt. 1445. (Legendum, IV. aut III. Nonas Auguſti: vel ſi VII. verus ſit numerus, legendum VII. Kal. aut Idus Auguſt. quia in nullo menſe dicitur VII. Nonas: in menſe autem Auguſt. IV. duntaxat numerantur Nonæ) *in concil. Flor. part. 3. n. 20.* & apud Raynaldum ad annum 1445. *nn. 21. & 22. In primis quod nemo prædictos Chaldæorum* (id eſt Neſtorianorum ad fidem orthodoxam reverſorum) *metropolitam, & Maronitarum epiſcopum, eorumdemque clericos & populos, neque ex populo & clero quempiam de cætero audeat hæreticos appellare, aut Chaldæos de cætero Neſtorianos nominare præſumat. Quod ſi quiſpiam &c.* diſcrimen obſervat ab eo Papa inter *Maronitarum* & *Neſtorianorum* nomen poſitum. Illos ſiquidem (ſcilicet Maronitas) ut-pote qui à nullo hæreſiarcha nomen duxerunt, *hæreticos* duntaxat nominari vetat, poſtquam fidei catholicæ profeſſionem emiſerunt. Neſtorianos vero, quibus à Neſtorio nomen inditum, & *hæreticos* & *Neſtorianos* appellari prohibet. Uſus enim viget tam in Oriente, quam in Occidente, hæreticos fidei Catholicæ reconciliatos, ſi Occidentales ſint, uti Lutherani & Calviniſtæ, vocari *Catholicos*: ſin vero Orientales; ſi Jacobitæ fuerint, *Syros*; ſi vero Neſtoriani, *Chaldæos* ſeu *Aſſyrios* nuncupari. Et quamvis omnes eſſe *Catholici* ſubintelligantur, hanc tamen *Syrorum*, & *Chaldæorum* ſeu *Aſſyriorum* denominationem ſortiuntur, tum propter eorum rituum diverſitatem, tum quia ſub diverſis ſint conſtituti Patriarchis: *Maronitæ* itaque, quum modo hoc nomen gerant, & à ſummis Pontificibus à tempore Innocentii III. eorum Patriarcha in bullis apoſtolicis appelletur *Patriarcha Antiochenus Maronitarum,* neceſſario ſequitur hoc nomen *Maronita* ſemper virum *Catholicum* indicaſſe. Ita ex Pagio Aſſemanus citatus.

VI. Floruit ſeptimo ſæculo, & initio ſequentis, Joannes quidam, monachus hujus cœnobii S. Maronis, hinc dictus *Joannes Maro,* cujus Acta ex pervetuſto codice Arabico an. 1495. deſcripſit Gabriël Barclaius epiſcopus Nicoſienſis in libro ad Georgium preſbyterum Beſciaræ filium adverſus Jacobitas *cap. 10.* eademque anno 1639. latinè edidit Pater Franciſcus Quareſmius in elucidat. Terræ ſanctæ *lib. 1. cap. 37. p. 96.* teſte Aſſem. *to. 1. Bibl. Orient. p. 496. col. 1.* qui tamen obſervat mendoſum fuiſſe codicem illum quo uterque uſus eſt, nam pro *Agathone* Papa, ſub quo Macarius Antiochenus in ſexta ſynodo damnatus fuit, *Evagrium* poſuit qui in Romanorum pontificum ſerie nullus eſt, & pro *Sergio* Papa, ſub quo Joannes Maro ſuæ gentis Patriarcha extitit, poſt Theophanis obitum; *Honorium* ſubſtituit, qui à quinquaginta fere annis obierat. Ad doctiſſimas remittit idem Aſſem. in utramque hanc Joannis Maronis vitam obſervationes Stephani Edenenſis Patriarchæ Maronitarum, in Vindiciis *lib. 1. cap. 7. & ſeqq.* ex quo hæc Joannis Acta ſummatim exſcripſit *to. 1. cit. Bibl. Orient.* à *pag. 496.* ad *p. 506.* ſimulque notis illuſtravit.

VII. Ait igitur Aſſemanus ex illis Actis, Joannem hunc ex Caſtello *Sirimi* (quod juxta Evagr. *lib. 4. c. 38.* vicus eſt Cynegicæ regionis in territorio Antiochenſi) in monte

Suaidia, qui mons Maurus ſeu Niger dicitur, & Antiochiæ urbi imminet, oriundum, à teneris annis divinas humanaſque litteras, Antiochiæ primum, deinde in S. Maronis cœnobio hauſiſſe, poſtremo græcæ eruditionis adipiſcendæ gratia petiiſſe Conſtantinopolim, ubi abdita quæque Græcorum ſapientiæ myſteria didicit, & ſanctorum Patrum tractatus ac in divinas litteras commentarios diligenter evolvit. Longiorem ejus in ea urbe moram interrupit mors parentum. In patriam itaque revocatus, diſpoſitione rerum domeſticarum facta, Cyrum ex ſorore nepotem ſuum ad S. Maronis cœnobium juxta Orontis ripas ſitum ſecum abduxit. Eo in loco monaſtico habitu indutus, moxque initiatus ſacerdotio, Dei obſequio, populique Chriſtiani ſaluti ſe ipſum devovit. Quantum vero in eo ſtatu ſapientia & gratia apud Deum & homines profecerit, variæ ejuſdem elucubrationes adverſus ſuorum temporum hæreticos teſtantur, &c. Quum igitur Joannes plurimos ad fidem adduxiſſet, fieretque ad eum undique hominum ejus congreſſum colloquiumque expetentium concurſus, ea re commoti Latini (Francos ſic appellare ſolent Syri Arabeſque ſcriptores ſæculo duodecimo poſteriores, qualis videtur fuiſſe illorum Actorum Auctor: Latinos autem in Syria ac Palæſtina domicilium fixiſſe ab ævo S. Hieronymi compertum eſt) Latini, inquam ex his Actis, Antiochiæ commorantes, per Eugenium Principem, Cardinali Romanæ ſedis Legato Joannem præſentarunt, eorumque ſuffragio Botrenſis epiſcopus Joannes creatur (Botrus, ſeu, ut Straboni placet, Botrys, Phœniciæ urbs eſt maritima inter Tripolim & Byblum) ut videlicet ille Libaniotas in Romana fide retineret. Dictis luculentam fidem facit Jacobitarum teſtimonium, ipſorum *catecheſi* inſertum (de ea quidem catecheſi clariſſimus Renaud. *to. 2. Liturg. Or. p. 23. n. 36.* hæc ait, apud Aſſeman. *to. 2. Bibl. Or. pag. 69. col. 1. quem librum nulla præterquam Maronitarum Bibliotheca repræſentat, & cujus fides valde ſuſpecta eſt.* Verum ejus meminit Thomas à Jeſu Biatienſis *lib. 7. de converſ. gent. cap. 15.* his verbis: *Breviter referam errores omnes quos ex catechiſmo Jacobitarum, qui Romæ in Bibliotheca Cardinalis ſanctæ Severinæ tam in Arabica quam in Latina lingua conſcriptus habetur colligere potui.* Colligit autem errores 36. qui in collegii Maronitarum cod. extant. Verum hujus catecheſis auctorem fuiſſe Noe Libaniotam in Jacobitarum Patriarcham aſſumptum anno ſalutis 1494. deduxit idem Aſſem. *tom. 2. Biblioth. Orient. pag. 468. col. 2.* ex cod. 30. Arab. quem citat *ibidem pag. 504. col. 1.*) *Tum vero emerſit Maro* (verba ſunt

A catecheſis) *qui cum Francorum ſeu Latinorum Antiochiæ commorantium Principe Eugenio conſpiravit* contra Melchitas, *his illum verbis adortus. O temporis iſtius rerum Domine, vereor nè montis Libani incolæ per Melchitarum factionem ad eorum ſectam pertrahantur. Rem itaque cum Cardinali qui apud te verſatur, eſſe tranſigendam dico, dandamque operam ut ipſe me metropolitam inſtituat: futurum enim confido ut hac via in Latinorum fide aliquos contineam; Jacobiticæ vero ſectæ nulla mihi mentio fiet. Annuit Legatus, & Joannem Botrenſem epi-*
B *ſcopum creavit.* Hæc promotio Joannis anno Chriſti 686. contigit, Conſtantini Pogonati octavo. (Mendum in ea epocha irrepſiſſe neceſſe eſt: quum enim Conſtantinus Pogonatus imperium auſpicatus ſit poſt patris necem, anno Chriſti 668. ut referunt auctores, annus ejus imperii octavus incidit in annum Chriſti 676. non 686. fortaſſis 8. pro 7. poſitum eſt amanuenſis incuria.) Inde vero epiſcopali dignitate auctus Joannes, illico in Phœniciæ oras profectus eſt, eo ſucceſſu ut ad obſequium eccleſiæ Romanæ perduxerit plures
C Monophyſitas atque Monothelitas, tum longe diſſitos, tum finitimos, tum convenas ſervos, tum indigenas, ex quibus mirum in modum crevit fidelium numerus, adeo ut non modo Libani juga compleverint, verum etiam, velut coloniis inde deductis, Hieroſolymam uſque, atque in Armeniæ provincias ſeſe longe lateque diffuderint. Nec ſuis interea deerat Joannes, quin pro temporum conditione ſacerdotes & epiſcopos ad procurandam ipſorum ſalutem identidem deſtinaret. Auctor prætereа etiam fuit, ut præfecti militiæ atque Tri-
D buni crearentur, qui populum ſuæ factionis ab hoſtium infeſtatione tuerentur. Ejuſmodi porro ducum tanta virtus extitit, tantaque in bellicis expeditionibus felicitas, ut non modo Perſis, ſed etiam Saracenis terrori fuerint, &c. (Cedrenus certe narrat in Annalibus *tom. 1. pag. 437.* Mardaitas, id eſt Maronitas, ſub Conſtantino Pogonato, non Libanum modo occupaſſe, ſed & totum terrarum tractum, qui ab urbe Hieroſolyma ad fines Antiochiæ porrigitur. *Annis,* inquit, *octavo & nono Conſtantini Mardaitæ Libanum ingreſſi, occupave-*
E *runt quicquid à Mauro monte uſque ad ſacram urbem, & ſpeculas etiam Libani obtinuere.* Eadem apud Theophanem legere eſt *p. 295.* Ducum Mardaitarum ſeriem exhibet anonymus Syrus in codice ſcripto anno Græcorum 1616. Chriſti 1305. cujus verba Arabica Latinè reddidit Stephanus Edenenſis *cap. 7.* Maronitis autem hoc *Mardaitarum,* id eſt, *Rebellium* nomen impoſitum fuit, quod eis per anteceſſum tribuit Cedrenus ad annos Conſtantini Pogonati octavum & nonum, quia

Digitized by Google

ſub Juſtiniano II. ejus ſucceſſore, eò inconſulto, in Saracenos irruerunt.) Ut infra fuſius dicemus *col. 13.*

VIII. Anno ſecundo Juſtiniani (II.) Imperatoris, mortuo Theophane quem ſextæ ſynodi Patres Antiochenæ eccleſiæ, Macario ob hæreſim Monotheliticam quam pertinaciter tuebatur depoſito, præfecerant, de ſucceſſoris electione ſynodus habita eſt. (Hic rurſus mendum occurrit: nam Theophanes non obiit ſerius quam anno 685. Vide doctiſſimi Bollandi continuatores *tom. 4. Julii pag. 110. col. 2.* ubi de ſedis Antiochenæ Patriarchis.) Qua occaſione divino conſilio Antiochiam Joannes profectus, concordi omnium ſuffragio Antiochenus Patriarcha creatur, &c. Ad iſtius facti elucidationem hæc prudenter monet Aſſemanus *to. 1. Bibl. Orient. p. 503.* in nota 1. *coll. 1. & 2.* Joannis (Maronis) Patriarchatum colligit Stephanus (Edenenſis) tum ex communi traditione Maronitarum, tum ex auctore Syriacæ vitæ Jacobi Baradæi Jacobitarum anteſignani, qui eum dicit *Joannem Sirimenſem Patriarcham* (ſupra *pag. 496. in nota 1. col. 2.*) denique ex prologo profeſſionis fidei à Joanne Marone ad Libani incolas tranſmiſſæ, ubi hæc leguntur: *quumque pro certo exiſtimaret Maro ſibi conſentaneum magis eſſe ſedem ſuam mutare, quam orthodoxam fidem à Patribus Nicææ, atque in reliquis ſynodis huic conſentientibus probatam deſerere, ab urbe Antiochia ad quoddam cœnobium profugit quod in ditione urbis Apameæ ad ripam Orontis ſitum eſt. In eo quippe loco octingenti cœnobitæ probati & pii commorabantur : apud quos hunc libellum* (profeſſionis fidei) *elucubravit, deſcriptumque ad ſacrum Libani montem mittendum curavit.* Idem prologus paucis mutatis legitur Syriacè & Arabicè in cod. Ecchell. 14. ſcripto anno Græcor. 1703. Chriſti 1392. apud eundem Aſſemanum *to. 1. pag. 576. col. 1.* Renaudot. tamen, qui hunc libellum non viderat nec citat, inficiatur *to. 2. Liturg. pp. 7. 15. & 16.* Joannem Maronem fuiſſe Patriarcham. At quod addit Edenenſis, Joannem *in ſynodo* electum fuiſſe, id à nemine, inquit Aſſemanus, *ibidem tom. 1. pag. 503. col. 2.* præter ipſum, affirmatur. Et certe ſi Joannes concordi epiſcoporum ſuffragio Patriarcha Antiochiæ creatus fuiſſet, illius utique nomen in ſerie Patriarcharum Antiochenorum Græci aut Latini ejuſdem ævi ſcriptores notaſſent, ſive is Catholicus fuiſſet, ſive hæreticus, uti notata leguntur nomina hæreticorum Catholicorumque antiſtitum qui eundem anteceſſerunt. Itaque probabilius puto, pergit Aſſemanus, illum, non ab epiſcopis Antiochenæ ſedis, qui Græcorum Imperatori A Juſtiniano (II.) parebant; ſed ab iis qui Mardaitis ſeu Maronitis præerant, in Patriarcham electum fuiſſe. Id enim ſuadere videtur quod Maronitæ ad præſentem uſque diem Patriarchas ſuos à Græcis, Jacobitis, & Neſtorianis diverſos habere conſueverint. Nec veroſimile eſt tantam hominum multitudinem, qui à monte-Mauro ad ſacram urbem, Syriam, Phœnicen, & Palæſtinam occupaverant, capite & paſtore caruiſſe; aut in unam gentem à reliquis ritu moribuſque differentem ſine aliquo auctore coaluiſſe. Atque hac de cauſa B videntur Græci Latinique geſta Joannis Maronis præteriiſſe, quum hæc in jugis Libani contigerint, & Patriarchatus Joannis Maronis à Græcis non fuerit agnitus, ut-pote qui ad ritum Syriacum, & ſuper ſubditos Syros duntaxat extenderetur; quemadmodum nec ſubſequutos, neque præſentes Maronitas Patriarchas in Antiochenorum numero reponunt. Demum, quod in Actis Joannis Maronis apud Quareſmium refertur, *eum Romam profectum fuiſſe, & à ſummo pontifice Patriarcham Antiochiæ ordinatum &c.* commentum puto, C inquit idem Aſſem. *ibid.* inde fortaſſe ortum, quod Joannes una cum Maronitis ſuis, præter reliquos Syros, apoſtolicæ ſedis communioni adhæſerit: Nam, ut bene notat Edenenſis, Mardaitæ, ſeu Maronitæ, quibus Joannes præerat, ab omnibus quidem Orientalis hiſtoriæ ſcriptoribus maximam inde commendationem conſequuti ſunt, quod Romanum Imperium à Saracenorum incurſionibus liberaverint, à nemine tamen proditæ fidei, & deſertæ religionis arguuntur. Hucuſque Aſſem. *to. 1. Bibl. Or. p. 503. in nota.*

D IX. Joannes interim Abrahamum ex ſorore nepotem (qui in ſæculo remanſerat) ſuæ factionis copiis præfecit, acceptiſque à regulo Simeone quæ per epiſtolam poſtularat auxiliis, ingenti cum exercitu profectus eſt ex cœnobio S. Maronis ad caſtrum Semar-Gebail (id eſt Bybli propugnaculum) quod Botro imminet. Hæc etiam Jacobitarum teſtimonio probantur in ſua catecheſi, illis verbis: *Quum Melchitæ Caſtellum Amiunum occupaſſent, Maroninus, & ejus ex ſorore nepos Abrahaminus ad Semar-Gebailum procul à* E *Melchitis receſſerunt, ibique ab exactionibus ſegreges ſuos immunes præſtitere, quibus à Melchitis incolæ ipſorum ſectam recuſantes vexabantur; conſpirantibus cum Marone Syris univerſis, ac Libani incolis, qui etiam in ejus verba jurarunt &c.*

X. Poſtquam vero Joannes Patriarcha has perſecutionum tempeſtates ea qua diximus felicitate ſedaſſet, continuo Libani juga, atque finitimas regiones luſtrare, & Catholicos quidem, qui intra eccleſiæ ſepta verſa-

bantur, confirmare, transfugas ad ovile ſalutis reducere; eccleſias & monaſteria conſtruere; ſacerdotes & miniſtros ad earum cuſtodiam cultumque deſignare; archiepiſcopos & epiſcopos conſecrare, eiſque ſedes & reditus neceſſarios conſtituere minime neglexit. Cæterum quum per eos dies intellexiſſet à Mauricio & Marciano ducibus Romæorum cœnobium ſancti Maronis ſolo fuiſſe æquatum, atque monachos interfectos, bonaque diſſipata omnia, Romæis videlicet Maronis nomen ab hominum memoria revellere contendentibus; alterum ſibi excitavit cœnobium ad Orientem Caſtelli Caphar-Hai agri Botrenſis. Fama eſt in eam ædem S. Maronis caput ex cœnobio Apameenſi à Joanne fuiſſe tranſlatum, ejuſdemque ſancti Abbatis memoriam Nonis Januarii ab illo affixam fuiſſe, quando eccleſia ejus nomini conſecrata eſt &c. Exacto his moribus vitæ curſu Joannes, quum erga populum ſuum optimi paſtoris partes expleviſſet, ex vitæ præſentis ærumnis ad ſempiternæ domus requiem migravit, præmium laborum laturus ab eo qui laborantibus in ſpirituali ipſius vinea mercedem deperire non patitur. Moritur Joannes v. Idus Februarii (anno Chriſti 707. ut Edenenſis notat in ſerie Patriarcharum Maronitarum) in cœnobio S. Maronis in Caſtello Caphar-Hai. Ad funeris pompam convenere undique Maronitæ epiſcopi & monachi cum infinita propemodum hominum multitudine, benedictionem ex ſacri corporis contactu accepturi. Mortuus eſt cum publica ſanctitatis fama, & conditus in Caphar-Hai. Ejus memoriam eccleſia Maronitica quotannis inſtaurare conſuevit v. Idus Februar. Inſuper ad calcem poſtremæ orationis diei dominicæ & feſtorum, *Joannis Maronis* interceſſionem poſtulat: atque in officio ſabbati, & in commemoratione Patrum in ſacra Liturgia à diaconis recitanda, Joannem Maronem enumerat cum reliquis glorioſiſſimis Patribus qui hæreticorum errores ab eccleſia repulerunt, ipſamque in ſacra ſcientia divinorum dogmatum confirmarunt. Hæc Syriacè & Latinè ex Edenenſi refert Aſſemanus *to. 1.* à *pag. 496.* ad *506.* notaſque inſeruit, inter quas non prætereundum videtur quod explicat de origine nominis *Melchitæ, pag. 507. & ſeqq. num. IV.*

XI. Obſervat ſcilicet doctiſſimus vir varias fuiſſe de *Melchitæ* nomine auctorum ſententias. Edenenſis enim, & Naironus tradunt, occaſione belli de quo ſupra, audiri cœpiſſe *Melchitarum* & *Mardaitarum* nomina: atque hos quidem, ut-pote Joannem Maronem ſequutos, *Maronitas* fuiſſe appellatos, priores vero qui Imperatori ejuſque ducibus copiarum Mauricio & Marciano Monothelitis parebant, *Melchitas,* hoc eſt à parte Imperatoris ſive Regis ſtantes, dictos fuiſſe: *Melchi* enim & *Melchita* à *Malech* vocabulo hebræo derivatur. Alii Melchitarum originem altius petunt, à Marciani ſcilicet Imperatoris, & ſynodi Chalcedonenſis temporibus. Ita è Syris primus, quod ſciam, inquit Aſſemanus, ſcripſit Dionyſius Bar-ſalibæus circa annum Chriſti 1160. *in expoſit. Liturg. cap. 1.* ubi ait de Græcis, *Melchitæ dicuntur quia relicta patrum fide* (quam putabat fuiſſe Jacobiticam) *in ſententiam Marciani Imperatoris iverunt.* Eadem de Græcis habet Nicephorus Calliſtus qui anno Chriſti 1330. floruit, *hiſtor. eccl. lib. 18. cap. 52. Enimvero Jacobo Monophyſitarum opinionem apud Syros prædicante magnum exortum eſt diſſidium; nam qui rectæ opinioni adhæſerunt, Melchitæ appellati ſunt, quod ſanctam quartam ſynodum, & Imperatorem ipſum (Melchi enim Syris rex eſt) conſectarentur.* Mitto Græcos, Arabas, Latinoſque ſcriptores Nicephoro & Bar-ſalibæo recentiores, ut Severum epiſcopum Aſmonæorum, Ebnarrahebum chronici Orientalis auctorem, Elmacinum Homaidum, &c. quos Baronius ſequitur: nec Eutychium Alexandrinum, decimi licet ſæculi ſcriptorem, moror, qui Melchitarum ſæpius mentionem faciens in annalibus *to. 2. pp. 16. 23. &c.* nuſquam originem hujus nominis prodit, imo ante Marciani ævum jam in uſu fuiſſe ſupponit pro *orthodoxo* deſignando; ait enim *p. 100. Erat autem Marcianus orthodoxus Imperator, quique fidem Melchitarum teneret, ac propugnaret.* Denique Thomas Haranita, epiſcopus Caphartabenſis, ſecta Monothelita, qui anno Chriſti 1089. cum Joanne Melchitarum Patriarcha diſputationem de unica Chriſti voluntate habuit, *Melchitas* affirmat nuncupatos fuiſſe, qui S. Maximo confeſſore prædicante, Marcianum fratremque ejus, nec-non Mauricium Imperatores Heraclii deceſſores, ſequuti ſunt. *Maximus,* inquit Thomas cod. Ecchell. 14. *Marcianum, ejuſque fratrem, Imperatores, nec-non Mauricium qui utrique ſucceſſit, in urbe regia adiit, & ut duas Chriſti voluntates in Syria prædicari juberent, obtinuit:* quorum juſſiones qui executi ſunt, *Melchitas* appellatos fuiſſe contendit. At nemo ignorat Marcianum Imperatorem centum & amplius annis ante Mauricium regnaſſe, nec habuiſſe fratrem Imperii conſortem: inſuper hæreſim Monothelitarum non innotuiſſe ejus temporibus, nec etiam ſub Mauricii dominatu, ſed ſolum ſub Heraclio Mauricii & Phocæ ſucceſſore, circa ann. Chr. 528. Itaque haud improbabili conjectura exiſtimo (verba ſunt Aſſemani *ibid. pag. 508. col. 1.*)

Digitized by Google

Melchitarum & *Mardaitarum* nomina coæva & oppoſita fuiſſe, eaque olim, non *religionis* aut *ritus*, ſed *civilis* dumtaxat *factionis* differentiam indicaſſe, licet procedente tempore aliud ſignificare potuerint; poſtquam ſcilicet unaquæque factio in gentem ritu, paſtoribus, & religione etiam diverſam coaluit. Nam qui olim in Syria adverſus Imperatorem rebellaverant, *Mardaitæ*, id eſt, *rebelles* dicti fuere; qui vero Imperatori obtemperare non deſtiterunt, *Melchitæ*, id eſt, *Imperiales:* quod in Syria & ſub Conſtantino Pogonato accidiſſe aiunt Theophanes ac Cedrenus, quando Mardaitæ, totum illum terrarum tractum à Mauro monte ad ſacram uſque Hieroſolymorum urbem occuparunt. Quod ut clarius percipiatur, verba integra ſubjicio Cedreni, *to. 1. Annal. p. 437. Annis*, inquit, *octavo & nono* (Conſtantini Pogonati) *Mardaitæ Libanum ingreſſi, occupaverunt quidquid à Mauro monte uſque ad ſacram urbem, & ſpeculas etiam Libani obtinuere. Multi ad eos ſe contulerunt, ſervi, captivi, atque indigenæ: adeo ut exiguo tempore ad multa excreverint millia. Hæc Maviam &* (illos) *qui cum eo erant, terruerunt, ita quidem, ut cogitantes Romanum imperium divino præſidio defendi, Legatos ad Conſtantinum pacis petendæ cauſa miſerint. Is Pitzicaudam ad Saracenos mittit, perque eum pacem cum eis componit, ac tabulis conſignat, ea conditione ut per annos triginta quotannis Saraceni Romanis penderent auri millia decem, ſervos centum, equos generoſos quinquaginta.* Eadem quoque Theophanes narrat *p. 295.* Ducum Mardaitarum ſeriem exhibet anonymus Syrus in codice ſcripto anno Græc. 1616. Chriſti 1305. cujus verba Arabicè ſic reddit Edenenſis, *cap. 7.* apud Aſſem. *to. 1. Bibl. Or. pag. 501. in nota 1. coll. 1. & 2. Sub exordio Saracenici Imperii, Byblo* (Gebail Arabes dicunt) *dominabatur Joſeph, & Coſroës mediterraneæ regioni quæ Coſroëna vel Cheſruan ab eodem deinceps appellari cœpit. In Califatu autem Omari Ben-Abi-Taleb, Jobus Cæſarea Philippi & Hieroſolymis potiebatur: eoque defuncto, Elias rerum potitus eſt, qui Heraclio Imperatori in Syria pugnanti ſuppetias tulit. His demum extinctis, Bybli & Libani principatum tenuit Joſephus, eique Joannes regulus ſucceſſit, qui univerſam terram benedictam* (Palæſtinam) *ſubegit. Quumque è Libano in Carmelum veniſſet, Hieroſolymam cogitans, inopinata irruptione latronum provinciæ Righzæorum pene oppreſſus eſt ſupra Turrim peregrinorum, amiſſis ſuorum tribus millibus. Quumque ſe rurſus ex ea clade collegiſſet, contra Righzæos contendit, eorumque terras populatus, cæſis armatorum novem millibus, imbellem turbam, & pecorum greges ſecum trahens, in Libanum revertitur, mox in caſtro Baſconta ſedem fixit, ibique grandævus extinctus eſt.* His itaque cladibus attritæ Arabum vires, & aucta victoriis Mardaitarum potentia, perpulerunt Moaviam, ut pacem vel iniquis conditionibus à Conſtantino Pogonato Imperatore redimeret. Atque ita à Saracenorum incurſionibus pacatum fuit Romanum Imperium, quandiu Conſtantinus vixit. Quo defuncto, quum Juſtinianus ejuſdem filius anno Chriſti 685. gubernacula Imperii ſuſcepiſſet, Abdalmalechus Meruani filius, qui quartus à Moavia Arabibus præfuit, pacis inſtaurationem poſtulavit, pollicitus ſe eidem perſoluturum nummos mille, & unum in ſingulos dies ſervum & equum: Cypri autem, Armeniæ, Iberiæque vectigalia inter ſe æqua portione diviſum iri, dummodo Imperator Mardaitas Libani incolas alio transferret. Quæ omnia breviter tradit Cedrenus *tom. 1. pag. 440.* his verbis: *Primo ejus anno* (Juſtiniani II.) *Abimelechus* (Abdalmalechus) *ad eum nuncios mittit confirmandæ pacis cauſa, convenitque ut Imperator agmen Mardaitarum in Libano, ejuſque impreſſiones compeſceret, eoque nomine Arabes Romanis penderent in ſingulos dies nummos mille, equum, & ſervum. Imperator Paulum Magiſtrianum ad Abimelechum mittit, pacti confirmandi gratia, idque ſcripto, & teſtibus eſt comprehenſum. Proinde Imperator miſſo legato duodecim millia Mardaitarum revocat. Quo quidem facto Romanam potentiam accidit* (id eſt comminuit.) *Quidquid enim hodie Arabes tenent à Mopſueſtia uſque ad quartam Armeniam, id omne infirmum erat; cultoribuſque vacuum, ob incurſiones Mardaitarum. Quibus repreſſis, ingentia damna Arabes Romano Imperio in hunc uſque diem intulerunt. Enimvero Juſtinianus annos non totos ſexdecim natus, inconſulte rem gerebat. Anno ſecundo profectus in Armeniam, recepit Mardaitas in Libano degentes, aheneum murum deſtruens.* Cedreno conſonat Theophanes *pp. 300. 302. & 303.* Hinc porro Maronitis *Mardaitarum*, id eſt *Rebellium* nomen impoſitum fuit ab Imperialibus, eo quod nimirum privata auctoritate, & Imperatore inconſulto, in Saracenos irruiſſent, iiſque debellatis totum terrarum tractum à Mauro monte qui Antiochiæ imminet, uſque ad ſacram Hieroſolymorum urbem occupaſſent. Qua autem arte Juſtinianus agmen Mardaitarum è Libano in Armeniam abduxerit, narrat Edenenſis *cap. 7.* citato: *Simulat*, inquit, *Juſtinianus contra Arabas expeditionem, & miſſo in Syriam exercitu, Archiſtratego dona & perhonorificam epiſtolam dedit, ad Libani Ducem perferenda, præcepitque ut hominem ſecreto conveniret, dataque occaſione perimeret. Dux Græcus græco aſtu, exiguo cum comitatu*

ut fraudi fucum faceret, ad Joannem (Mardaitarum Ducem) *profectus eſt in oppidum Cabbelias, ipſique litteras & Imperatoris dona obtulit: nec difficile fidem invenire fuit, quin perhonorifice à Joanne exceptus, militum quoque animos cepit. Ergo dum de bello Arabibus indicendo conſulitur, dato ſigno concurrere ex inſidiis Græci aſſidentem menſæ Ducem Libani trucidant. Ut proditum Ducem milites comperere, ſublato clamore in interfectores irrumpunt. Summa hic utrinque contentione pugnatum eſt. Sed facile erat imparatos à paratis repelli. Tum denique Imperatoris Archiſtrategus animos incolarum Libani ea cæde exulceratos demulcere cœpit, & factum excuſare. Addebatque Conſtantinopolim, ob Arabum Perſarumque incurſiones, in magno diſcrimine conſtitutam, ipſorum ope indigere: publicam proinde rem privatæ utilitati anteferendam eſſe. Quumque præterea ampliſſima præmia ipſis polliceretur, ſi Imperatori parerent, ægre tandem obtinuit, ut Simeonem defuncti ex ſorore nepotem Ducem ſibi renuntiarent, qui armatorum duodecim millia in Armeniam, poſtea in Thraciam deduceret. Hujuſmodi ſimultates, quas Libani incolas inter & Græcum Imperatorem interceſſiſſe diximus,* Mardaitarum, *hoc eſt,* Rebellium *nomen eiſdem crearunt, quum Juſtiniani* (II. Rinotmeti dicti) *imperium aſpernati, deſcriptis ſupra motibus cauſam dedere.* Hucuſque Stephanus Edenenſis, apud Aſſemanum, *to. 1. Bibl. Orient. pag. 502. in nota, coll. 1. & 2.* Ex illa autem militum collectione, quos Maronitarum primates ex univerſa Phœnice ſibi comparaverant ut tutiora loca occuparent illius partis Libani, quæ *Giobbe* nuncupatur, in qua ſita eſt urbs *Hhadet*, & in Saracenos irruerent, deduxerunt Joannes Morinus, quidamque alii, *Mardaitas* fuiſſe Monti-Libano advenas, non proprios ejus habitatores: verum ſi ſic res ſe haberet, tacerent ne quotquot de Mardaitis agunt ſcriptores, undenam profecta eſſet tam bellicoſa gens, & quo inde pulſa receſſerit? Nullus tamen illorum extat, fatente ipſomet Morino, qui aperiat quænam fuerit Mardaitarum natio, quam-ve orbis partem inhabitaſſet ante ſuum in Montem-Libanum acceſſum, quam etiam modo inhabitet: quandoquidem nihil penitus de ea invenitur, ſub illo nomine, poſt Juſtiniani II. imperium, nihil ſimiliter ante Conſtantinum Pogonatum: ſed tandiu ſolum celebrantur in hiſtoriis *Mardaitæ* Libani incolæ, quandiu Maronitæ habiti ſunt veluti Imperio Romano *rebelles*, ceſſavitque *Mardaitarum* denominatio, ſtatim atque Imperatori ſubditi fuerunt iidem Maronitæ. Ita Fauſtus Naironus *in diſſert. de origine &c. Maronitarum pp. 65. & 66.* His itaque temporibus incepit *Mardaitarum* & *Melchitarum* appellatio in Syria, tanquam voces proteſtativæ, vel rebellionis, vel obedientiæ erga Imperatorem Romanum. Atque id ut affirmem, præter hactenus aſſerta, ſuadet altiſſimum Patrum omnium, & hiſtoricorum antiquorum, de *Melchitis*, pro orthodoxis deſignandis, ante ſæculum decimum ſilentium. Evolvantur opera Patrum quarti, quinti, ſexti, ſeptimi, octavi & noni ſæculi: legantur hiſtoriæ Procopii, Evagrii, Theophanis, Cedreni, Zonaræ, Theophylacti; nullum in iis *Melchitarum* veſtigium apparet. Sed neque apud hæreticos auctores, ut Petrum Cnapheum, Philoxenum Hierapolitanum, Severum, Petrum juniorem, Joannem Philoponum, Darenſem, alioſque, à quibus catholici, *Chalcedonenſes* quidem, & *Synoditæ* paſſim appellantur, nunquam tamen *Melchitæ*. Contra Theophanes ac Cedrenus *Mardaitarum* diſertam mentionem faciunt, nec tamen illos hæreſeos ullius inſimulant: quod argumento eſt, eorum nomen factionis civilis, non proditæ religionis notam fuiſſe; atque adeo Mardaitarum hoſtes patria ipſorum lingua (Syriaca ſcilicet) *Melchitas* nuncupatos fuiſſe veroſimile eſt: alioquin, vel *Mardaitarum*, vel *Melchitarum*, tanquam hæreticorum, meminiſſent eorum temporum ſcriptores, qui res in Syria geſtas, exortaſque ibidem hæreſes accurate deſcripſere. Syriacum vero id nomen eſſe, & in Syria natum, ipſæ voces *Melchita* & *Mardaita* convincenut; convincunt & Melchitæ atque Maronitæ, gens olim & in præſentem uſque diem in Syria frequentiſſima, alibi rara, aut nulla. Certe, ut dictum eſt, apud nullum auctorem Eutychio antiquiorem, nomen Melchitarum ad Marciani Imperat. tempora refertur: At ſi in Ægypto ortum fuiſſet, ob Dioſcori Alexandrini aſſeclas, ut cenſuit Pagius ad annum 622. num. 9. non utique *Melchitæ* Syriaco aut Arabico ſermone (ex utraque enim lingua, ſicut & ex hebræa, commode derivari poteſt) dicti fuiſſent qui orthodoxam Imperatoris religionem profitebantur, ſed græcè Βασιλικοὶ, aut aliter juxta Ægyptiacam linguam, ut perſpicuum eſt, quum in Ægypto Syrus ſermo nunquam, Arabicus vero uſurpari non cœperit, niſi duobus fere ſæculis poſt Marcianum Imp. & quartam ſynodum, quando nimirum Saraceni ſub Omaro Califa Ægyptum occuparunt. Quod autem *Melchitarum* nomen apud recentiores pro Græcis Ægyptiis uſurpatum inveniatur, mirum non eſt, ſiquidem *Jacobitarum* nomen, quod certe in Syria, & ex homine Syro (Jacobo Baradæo) prodiit, ad Ægyptios Monophyſitas tranſlatum legitur: plures enim mutationes nominibus hujuſmodi accidere

Digitized by Google

accidere ſolent, ut manifeſtum fit ex ipſomet A *Melchitarum* vocabulo, quod olim orthodoxos, nunc ſchiſmaticos Syros & Ægyptios Græci ritus ſignificat. Sic etiam Libaniotæ, abjecto *Mardaitarum* titulo, *Maronitæ* dicti fuere, ex *S. Marone* ſcilicet, cui inſigne cœnobium juxta Apameam excitatum fuerat: unde & Joannes eorum Patriarcha, de quo modo dictum eſt, cognomentum *Maronis* traxit.

XII. Hujus Joannis Maronis quædam ſuperſunt ſcripta, præter alia quæ eidem ſupponuntur. Poſterioris generis videntur, tum *Septem tomi* quos Stephanus Edenenſis cen- B ſuit illi attribui ab Hebedjeſu epiſcopo Sobenſi ſcriptore Neſtoriano, in catalogo ſcriptorum Syrorum *pag. 88.* Eos enim aſſignat Hebedjeſu cuidam Joanni *Bar-Frangoje,* aut *Bar-Fincoje,* ut legitur in cod. Ecch. 17. cujus ipſe ſententiam de Chriſti nomine in ſenſum Neſtorianorum detorto producit in lib. Margaritarum *part. 3. cap. 5.* apud Aſſem. *to. 1. p. 510. col. 2.* tum *Libri 4. de Sacerdotio,* qui fœtus ſunt Joannis Darenſis, apud eundem Aſſemanum *to. 2. Bibl. Orient. pp. 122. 123.* tum *Expoſitio vocum ſcripturæ,* cujus meminit C Gregorius Bar-hebræus in Horreo myſteriorum ſub nomine operis *Joannis Maronis;* hic ſiquidem Edeſſenus erat, & vivebat ſæculo decimo, ut narrat idem Bar-hebræus, *part. 2.* chronici Syriaci *fol. 286.* apud eundem Aſſemanum, *to. 2. pp. 283. & ſeq.* tum denique *Expoſitio Miſſæ,* quæ Dionyſii Bar-ſalibæi opus eſt, apud eundem Aſſem. *to. 2. pp. 176. & ſeqq.* ubi ejus analyſim tradit. At in Vaticana Bibliotheca, ſequentia Joannis Maronitarum Patriarchæ ſcripta genuina occurrunt, teſte eodem Aſſem. *tom. 1. pp. 512. & ſeqq.* D Item *pag. 576. col. 1.* ubi cod. 14. Ecchell. mentionem facit. Sunt autem

XIII. Primo, *Anaphora* ſeu Liturgia, cujus initium, *Coram te, Rex Regum, & Domine Dominantium.* Extat codice Ecchell. 5. ſcripto Gamblini in Cypro anno Græc. 1846. Chriſti 1535. *p. 100.* Hanc una cum reliquis Joannis Maronis operibus ut ſpuriam rejicit Renaudot. *to. 2. Liturg. Orient. in diſſert. proœmiali pag. 15.* & cauſam hanc producit inferius *p. 344.* quia *nulla Bibliotheca, quantumcunque Orientalium librorum dives, ipſam repræ-* E *ſentat:* perinde ac ſi omnes ipſe Bibliothecas adierit, inquit Aſſem. *to. 1. p. 513. col. 1.* aut omnes Bibliothecarum omnium libros evolverit; aut demum nullum in Oriente ſcriptorum monumentum ſuperſit, quod in Bibliothecas Europæ illatum non ſit.

XIV. Secundo, *Libellus fidei,* quem Joannes è monaſterio ſuo S. Maronis ad Libaniotas tranſmiſit. Extat Syriacè cum Arabica verſione, in Biblioth. Vatic. cod. Ecchell. 14. qui ad calcem ſcriptus eſſe notatur anno Chriſti 1392. his verbis, *Abſolutus eſt ſacer iſte libelli fidei ſanctæ eccleſiæ codex anno* (Græcorum) *1703.* (Chriſti 1392.) *die 20. Februar. per vilem & peccatorem hoſpitem Joſephum diaconum ex oppido Hachel* (quæ fuit patria Abrahami Ecchellenſis) *ex regione Byblienſi, qui nunc habitat in oppido Ban Gubtæ Beſciarenſis:* quæ eſt provincia Libani ſupra Tripolim Syriæ, ejuſque olim caput fuit *Beſciara* ubi Duces Libani reſidebant: *Ban* vero ejuſdem provinciæ oppidum eſt. Libello hic titulus præfigitur: *In nomine Dei ſcribere aggredimur Libellum ſanctæ fidei quam in monaſterio ſancti ac Theophori beati Mar-Maronis edidit* Maro, *qui dicitur Joannes, fuitque Patriarcha urbis Antiochiæ, ac totius Syriæ.* Quæ verba interpres Arabicus paraphraſticè ſic reddit: *In nomine Dei incipimus ſcribere declarationem ſanctæ fidei, quam apoſtolica tenet eccleſia, ſcriptam quidem à ſancto Joanne Patriarcha Antiocheno in monaſterio Maronis ad Orontem fluvium in regione Apameæ & Emeſæ; tranſmiſſam vero ab eodem ad Montem-Libanum. Quamobrem præfati montis incolæ de monaſterii Maronis nomine Maronitæ appellantur: ſed & Joannes ipſe de ejuſdem monaſterii nomine Maro nuncupatur.* Hunc interpretem Arabicum, ſimul & interpolatorem Libelli Joannis Maroris, Thomam eſſe Haranitam epiſcopum Caphartabenſem Monothelitam, de quo jam ſupra dictum eſt, *n. XI. col. 2.* teſtatur Steph. Edenenſ. *lib. 2.* Vind. idque ſtylus ipſe confirmat; eadem enim eſt phraſis, eadem ſenſa in hoc Libello Arabice verſo & interpolato repeퟁriuntur, ac in opere quod idem Thomas in decem capita, ſeu propoſitiones diſtributum, ad Joannem Melchitarum Patriarcham circa annum Chriſti 1089. tranſmiſit, ubi inanibus argumentis Monotheliſmum ſtabilire conatur; (extat vero hoc Thomæ opus ad calcem præfati Libelli Joannis Maronis,) Maro è contra in ſuo Libello Syriaco totus eſt in demonſtrandis adverſus Neſtorianos & Monophyſitas duabus in una Chriſti Perſona naturis: nam *p. 2.* nominat quatuor ſynodos generales quarum definitionibus ſe conſentire profitetur; deinde brevem & accuratam SS. Trinitatis, atque Incarnationis fidem exponit à *pag. 4.* mox teſtimonia Patrum producit à *p. 18.* Mirum eſt quidem Severum *ſancti* titulo decorari: verum id ex amanuenſis fraude oriri exiſtimat Aſſem. *p. 516. col. 2.* neque enim Joannes Maro *ſanctum* appellaverit Severum Monophyſitarum primipilum, quem ipſe in hoc Libello, velut Chalcedonenſis fidei deſertorem execratur. Poſtremo iis verbis librum concludit. *Nunc igitur, fratres fideles, ſanctæ Catholicæ eccleſiæ filii, eſtote juſti examinatores,*

& conferte invicem, & videte, quæ ſancta ſynodus, & religioſiſſimus Papa credidit, & definivit, & quæ ſancti Patres noſtri ſupra commemorati tradiderunt; quomodo ſibi ad amuſſim cohæreant, & iis conſentiant, quæ nos ex Chalcedonenſi concilio profitemur: ſicut & veritas ipſa teſtatur ex S. Leone Romano pontifice, & ex ſanctis ſexcentis ac triginta ſex Patribus, quorum preces nobiſcum ſint. In eo Libello, nec quintæ, nec ſextæ ſynodi meminit. Fortaſſis quod quinta ſynodus nihil Chalcedonenſi definitioni addiderit reſpectu materiæ quam ſibi tractandam propoſuerat: At quid cauſæ fuerit cur nihil dixerit de Monothelitis, nihil de ſexta ſynodo in qua eorum hæreſis de una Chriſti voluntate damnata eſt, & Macarius Patriarcha Antiochenus depoſitus, facile non eſt decernere. Exiſtimat Aſſem. *to. 1. Bibl. Or. pp. 511. 512. & 517.* id fortaſſis contigiſſe, vel quia Joannes Maro hanc ſynodum præceſſerit, vel veroſimilius quia hunc Libellum fidei ante ejuſdem ſynodi celebrationem ſcripſerit. Quod enim in titulo legitur, Joannem *Patriarcham* hunc librum dictaſſe, ex privata amanuenſis opinione poſitum videtur, non ab ipſo auctore, qui in toto opere nihil de ſua patriarchali aut epiſcopali dignitate indicat. Et certe, præterquam quod omnes quos laudat Patres in eo Libello Monotheliſmi ætatem anteceſſerunt, ſi ipſe poſt exortam hanc hæreſim illum edidiſſet, quæcunque ejus fuerit de Monothelitarum hæreſi ſententia, ſextam ſynodum memorare non prætermiſiſſet, vel ut ei aſſentiretur catholicus, vel ut eam reſpueret ac confutaret hæreticus: niſi quis ſuſpicetur cum eodem Aſſem. *p. 511. col. 1.* apud Libaniotas ad quos ſcribebat Joannes Maro, & quibuſcum verſatus fuerat, de duabus quidem naturis & unica Perſona in Chriſto, propter Neſtorianos & Monophyſitas iis in locis celebres, acriter fuiſſe diſputatum, nullam vero hactenus de duabus Chriſti voluntatibus ventilatam fuiſſe quæſtionem: Quamvis enim in terris Romano imperio ſubjectis multum agitaretur Monothelitarum error, ob Imperatores & Patriarchas qui illum propugnabant; in Libano tamen, quem Mardaitæ ſuis legibus utentes occupaverant, vix innotuerat tunc temporis hæc hæreſis; vel eam à Monophyſitarum hæreſi non diſtinguebant, cujus reipſa germen erat ad eamdem latius propagandam exortum. Et certe nullus Syrorum Jacobitarum agnoſcitur, qui ante ſæculum decimum Monothelitas impugnaverit, illorum-ve fecerit mentionem: *ibi namque unam ponendam naturam, ubi una operatio aſſeritur,* probe norant, inquit Theophanes ad annum 20. Heraclii, Chriſti 629. de Athanaſio loquens Jacobitarum Patriarcha, (qui hujus nominis primus fuit, cognomento Camelarius, electus anno Græcorum 906. vel 908. Chriſti 595 vel 597. mortuus vero anno Græcorum 942. Chriſti 631.) quum enim ei, *ſi modo ſynodum Chalcedonenſem vellet admittere, Patriarcham Antiochiæ* (orthodoxum ſcilicet) *ſe eum conſtituturum Heraclius* promiſiſſet: *is enunciatis in Chriſto naturis duabus, hæreſim ad tempus diſſimulans, propoſitam ſynodum probavit & recepit. Tum vero de operatione & voluntatibus Imperatorem interrogavit, quales aſſerere debeat, geminas, an unicam! Imperator inuſitata ſibi vocum novitate implicatus, Sergio Conſtantinopolitano epiſcopo ſcribit &c.* Hæc omnia Theophanes; quibus palam eſt primipilos Monothelitas à Jacobitarum hæreſi de unica in Chriſto natura ex animo non receſſiſſe, nec ſynodum Chalcedonenſem recepiſſe niſi *fraudulenter* & *ad tempus*, ut nempe Catholici, admiſſa ſemel incautè unitate voluntatis & operationis in Chriſto, unitatem quoque naturæ admittere cogerentur. Notandum tamen obiter, ex Pagio in critica Baronii ad annum 629. n. 5. Theophanem hic confundere congreſſionem Heraclii cum Paulo Severiano, quæ contigerat anno Chriſti 622. unde ſumitur exordium Monotheliſmi, cum ea quam ipſe ſcribit ad annum 629. ejuſdem Imperat. cum illo Athanaſio, quæ fictitia eſt. In litteris enim Sergii ad Honorium I. Papam anno Chriſti 634. & Cyri ad Sergium anno 626. ſcriptis, & recitatis in VI. ſynodo, *Pauli* mentio fit, non *Athanaſii*. Qua etiam de cauſa ea ſynodus, ſicut & Lateran. ſub Martino I. hunc Paulum inter primos Monotheliſmi progenitores recenſent, non Athanaſium, quem profecto intactum non reliquiſſent. In iis itaque circumſtantiis credibile eſt Joannem Maronem ad Syros ſuos ſcribentem, ſatius duxiſſe ſi ſacri Chalcedonenſis concilii propugnaret authoritatem, duaſque in Chriſto ineſſe naturas evinceret; quibus ſemel ſtabilitis, hæreſim Monothelitarum, æque ac Jacobiticam corruere neceſſe erat: quam ſi Monothelitiſmum ſpecialiter confutaret qui re ipſa ex Monophyſitica hæreſi naturaliter conſequitur.

XV. Tertio, *Liber adverſus Monophyſitas.* Extat in laudato codice Ecchellenſ. 14. poſt *Libellum fidei pag. 103.* (apud Aſſem. *tom. 1. p. 517. col. 2.*) Ejus titulus eſt: *Item Quæſtiones excerptæ adverſus Monophyſitas, id eſt, eos qui ſimplicem Dei Verbi naturam cum ejuſdem carne confundunt, & componunt, unam eſſe naturam dicentes.* Initium eſt: *Dicite nobis, ſancti fratres noſtri; hæc unica natura, quam in Domino noſtro poſt unionem confitemini, conſubſtantialis Patri eſt, necne!*

XVI. Quarto, *Liber adverſus Neſtorianos.*

In eodem cod. *p. 114.* (apud Aſſem. *ibid.*) Titulus eſt: *Item Quæſtiones excerptæ adverſus Neſtorianos.* Initium eſt: *Ait Paulus Apoſtolus; reconciliatus eſt nobis Deus per mortem Filii ſui &c.*

XVII. Quinto, *Epiſtola* de Triſagio: *quæ Reſponſio eſt ad eos qui dicunt nos totam ſanctam Trinitatem crucifigere, quum Triſagio addimus, Qui crucifixus es pro nobis.* Joanni Maroni tribuitur in eodem cod. Ecchell. 14. *pag. 125.* licet non eadem, qua totus codex, manu ſit exarata: Quod mihi non levem ſuſpicionem ingerit, inquit Aſſem. *ibid. p. 518. col. 1.* eam vel ex altero, quod ad manus noſtras nondum pervenerit, exemplari à recentiori amanuenſi deſcriptam & laudatis Joannis operibus hic inſertam fuiſſe, vel eidem Joanni ſuppoſitam. Et ſuppoſitionis quidem vitium duo arguere videntur. Primum, quod hanc epiſtolam immediate ſequitur *Dialogus Syrum inter & Græcum de Triſagio,* qui licet in codice noſtro mutilus ſit & anonymus, ex Barhebræo tamen in Lib. Ethic. colligitur Davidis Pauli filii, epiſcopi Jacobitæ, eſſe fœtus: (extat Dialogus ille in cod. Arabico 43. apud eumdem Aſſem. *to. 2. p. 510. col. 2.* ſub hoc titulo; *Davidis filii Pauli Dialogus inter Melchitam & Jacobitam de Hymno Triſagio*) eædem autem in hac epiſtola ac in Dialogo rationes pro additamento Triſagii, eadem fere verba, ut utrumque opus conferenti patebit. Alterum, quia eadem epiſtola tres poſtremas quinternionis decimi-tertii chartas ita implet, ut nullum folium inter hunc & ſequentem quinternionem deſideretur: quum tamen *Dialogus* Davidis de Triſagio, qui *Epiſtolæ* ſubnectitur, acephalus ſit, eique tot chartæ deeſſe videantur, quot epiſtolam componunt. Quare probabile admodum eſt recentiorem amanuenſem, avulſis tribus prioribus Dialogi chartis, locum huic epiſtolæ feciſſe, quam fortaſſis ex ipſiſmet dialogi verbis concinnavit. Utut ſit; Summa ejus hæc eſt: objicit Anonymus Syris orthodoxis, *ſanctam Trinitatem ab iis prædicari crucifixam, quoties Triſagio ſubjiciunt, Qui crucifixus fuiſti pro nobis.* Reſpondet Joannes Maro, aut quiſquis eſt auctor epiſtolæ: *Unum de Trinitate duntaxat carnem induiſſe, & crucifixum fuiſſe, qui eſt Dominus noſter Jeſus-Chriſtus; non totam Trinitatem; quandoquidem nec tota Trinitas incarnata eſt; & ad illum unum, non ad totam Trinitatem, Syrorum mentem referri, dum Triſagium hymnum canunt.* Reponit anonymus: *Cur ergo ſancti Patres Petro* (Cnapheo ſive Fulloni) *anathema dixerunt!* Reſpondet auctor: *Quia ille quaternitatem Perſonarum inducere moliebatur, Judæum Neſtorium æmulatus, & paſſionem divinitati tribuit: Quapropter ejus*

A *gregales Theopaſchitæ dicti ſunt; Syros vero ab utraque inſania diſtare.* Rurſus inſtat anonymus: *At verba ab hæreticis male uſurpata omnino vitanda ſunt.* Reſpondet auctor: *Si huic regulæ inſiſtendum foret, omnes ſacras ſcripturas oblitterari proſcribique oporteret. Quamobrem, ut monet Cyrillus in commonit. ad Eulogium, non omnia, quæ ab hæreticis uſurpantur, ſunt rejicienda: in pleriſque enim hæretici nobiſcum loquuntur; ſed ipſorum mens errorem intendit, quem nos minime intendimus.* Eadem fere de Triſagio Ephræm Antiochenus Patriarcha,
B qui teſte Photio in Bibliotheca codice 228. paulo-poſt initium, in epiſtola ad Zenobium quemdam Scholaſticum Emiſenum Acephalorum labe infectum.... explicat nonnihil circa uſum ſacri Triſagii hymni. Etenim Zenobius ſuæ ſejunctionis à communi eccleſia colorem hunc quæſiverat, quod recens diviſa eſſet ob ter ſancti hymni ſententiam. Aſſerit contra Ephræmius eumdem hymnum Orientales Chriſto Jeſu attribuere, & propterea nihil peccare, tametſi adjiciant *crucifixus pro nobis.* Conſtantinopolitanos vero atque Occiden-
C tales in ſupremum ſacratiſſimumque bonorum omnium fontem, conſubſtantialem Trinitatem ſententiam referre: idcirco non ſuſtinere illud addi *crucifixus pro nobis,* ne qua paſſio Trinitati attribuatur &c. Recte vero facere utroſque hic affirmat, neque ullam reperiri rationem cur alterutra reprehendatur, vel in diſquiſitionem revocetur. Ordinatus fuit Patriarcha Antiochenus hic Ephræm anno Chriſti 527. obiit vero anno 545. Hinc apparet, ſubdit Aſſem. *ibid. p. 518. col. 2.* Syros orthodoxos, licet Triſagio hymno particulam
D illam, *Qui crucifixus es pro nobis,* addiderint, (propter quod procul dubio additamentum à Maronitis jam admiſſum S. Joannes Damaſcenus eoſdem, non quidem pro hæreticis habebat, ut infra patebit *n. XXIV. col. 31.* ſed tamen ſibi non eſſe conjunctos indicavit, tum in libello *de recta ſententia* in fide tenenda, ubi ait *to. 1. edit. Pariſ. anni 1712. p. 395.* C. καὶ μὴ κοινωνεῖν ἑτεροπίστῳ οὕτως μὴ ὁμολογοῦντι, ἐξαιρέτως τοῖς Μαρωνίταις· *Nec me communicaturum cum altero qui fidem hanc non confitetur, ac præſertim cum Maronitis.* Tum adhuc clarius in epiſtola
E ad Jordanem archimandritam, *De hymno Triſagio,* ibidem, *p. 485.* E. καὶ ἡμεῖς μαρωνίσωμεν, προσθέμενοι τῷ Τρισαγίῳ τὴν σταύρωσιν. Abſit quod *cum Maronitis ſentiamus adjecta Triſagio crucifixione*) apparet, inquam, licet hoc Petri Fullonis additamentum receperint Syri orthodoxi, & inter eos Maronitæ, illos nihilominus à Jacobitarum & Theopaſchitarum hæreſi abhorruiſſe. Quin immo ipſos Monophyſitas tam antiquiores quam recentiores eadem circa Triſagium cum Catholicis ſenſiſſe, &

Digitized by Google

modo ſentire liquet ex homil. 125. Severi A Antiocheni, quæ extat in codicibus Nitrienſ. 33. & 34. quorum meminit idem Aſſem. *to. 1. pag. 572. col. 2.* & ſcripti ſunt, primus quidem anno Græcorum 874. Chriſti 563. alter vero anno Græc. 1243. Chriſti 932. Liquet pariter ex Dionyſio Bar-ſalibæo, commentar. in liturg. S. Jacobi, quæ extat codice Ecchell. 36. apud eundem Aſſem. *to. 1. Bibl. Orient. pag. 578. col. 2.* & *to. 2. pag. 180. col. 2.* ubi obſervat Fullonem ejuſque aſſeclas hic à Bar-ſalibæo de Theopaſchitarum errore purgari, quod Triſagium hymnum aſſererent ab Orien- B talibus ad ſolum Filium Incarnatum, non ad totam Trinitatem referri: eadem quoque de Petro Fullone cenſuiſſe Card. Noriſium lib. de uno ex Trinitate carne paſſo, eadem etiam Valeſ. in Diſſ. de Pet. Full. poſt annotat. ad Evagr. *c. 5. p. 178.* Liquet denique ex Dialogo præfati Davidis epiſcopi Jacobitæ, quem pro gente ſua ſcripſit, apud eundem Aſſem. *to. 1. p. 519. col. 2.* ubi Græcus ait: *Satis prolixe es hactenus loquutus, ô Syre, commendans illud,* Qui crucifixus fuiſti pro nobis, *nec animadvertis, quando ter repetis,* Sanctus Deus, *ter* C *ſanctam à te dici Trinitatem: quando vero ſubdis,* Qui pro nobis crucifixus fuiſti, *Trinitatem crucifixam prædicari; cedo, oſtende ubi ſcriptum vos Syri inveniſtis Trinitatem fuiſſe crucifixam, & à quonam ex Patribus hoc didiciſtis?* Syrus: *Unum de Trinitate ain' incarnatum & hominem factum; an totam Trinitatem?* Græcus: *Unum de Trinitate dico, non totam Trinitatem fuiſſe incarnatam.* Syrus: *Ergo ſi unus ex Trinitate incarnatus & homo factus eſt, & non tota Trinitas, unum de Trinitate crucifixum, & non totam Trinitatem prædicamus: quoniam qui* D *carnem non ſuſcepit, nec in crucem agitur. Et nos, ô Græce, non, ut mox aiebas, totam Trinitatem crucifigimus; ſed unum de Trinitate pro nobis crucifixum profitemur: neque totam Trinitatem cogitamus, quando dicimus* Sanctus Deus, *&,* Qui pro nobis crucifixus fuiſti; *ſed unum de Trinitate qui eſt unus Dominus Jeſus-Chriſtus unigenitus Dei filius, ex Patre natus ante omnia ſæcula, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto, & ex Maria Virgine,* E *& homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato ſecundum doctrinam trecentorum decem & octo Patrum. Et quando oramus, dicimus,* Sanctus Deus, *qui Deus quum ſis, propter charitatem tuam factus es homo:* Sanctus Fortis, *qui quum omnia virtute tua portes, in aſſumpto corpore infirmus apparuiſti:* Sanctus Immortalis, *qui quum natura immortalis ſis, voluntariam mortem in carne pro ſalute noſtra ſubiiſti. Te pro nobis fuiſſe crucifixum fatemur, & non inficiamur. Ob tuam in cruce mortem miſerere nobis.* Hæc vir Jacobita pro ſuis Jacobitis ſcripſit. In eodem ſenſu intelligendum, tum Triſagium, tum ei additamentum factum à Petro Fullone, *Qui crucifixus es &c.* (dempta ſcilicet privata ejuſdem Fullonis in eo additamento mente, ſi quid aliud cenſuit) luculenter exponit Xenaïas Philoxenus, qui epiſcopus Hierapolis initiatus eſt circa annum Chriſti 485. ab ipſomet Petro Fullone ſedis Antiochenæ invaſore. Ait enim in epiſtola prima ad monachos Gaugalenſes, quæ extat in cod. Syr. 11. cujus meminit Aſſem. *to. 1. p. 612. col. 2.* loquens de iis dictionibus, *unus de Trinitate,* & *Deus paſſus,* apud eundem Aſſem. *to. 2. p. 35. col. 2. Nequaquam mortuus eſt ſpiritualis, ut ſpiritualis, neque paſſus eſt Deus, ut Deus. Paſſus eſt autem, quia corpus aſſumpſit: mortuus eſt, quia mortalium ſocius factus eſt.* Et adhuc expreſſius in epiſtola 2. ad monachos Teledenſes, quæ legitur in cod. Nitr. 27. *to. 1. Bibl. Or. p. 569. col. 2.* verba refert idem Aſſem. *to. 2. pp. 35. col. 2. & 36. col. 1.* de ipſo Triſagio: *Quemadmodum & univerſa Dei eccleſia in hymno canit,* Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, qui crucifixus es pro nobis miſerere nobis; *ſic & vera credit eccleſia, ſic & linguæ quas veritas movet exclamant, eumdem ſcilicet Deum Verbum, qui natura immortalis eſt, corpore pro omnibus crucifixum; non autem corpus, aut hominem extra ipſum in crucem ſublatum.* Ex quibus palam fit non eodem ſenſu appendicem illam Triſagii, *Qui crucifixus es &c.* à Monophyſitis receptam eſſe, quo ei à Petro Fullone primitus inſerta fuerat: ut nimirum tribus perſonis divinis, ſive divinitati ipſi quæ una eſt in tribus perſonis paſſio & in cruce ſuſpenſio tribueretur. Unde, ut obſervat Petav. *lib. 5. de Incarnat. c. 4.* apud eumdem Aſſem. *tom. 2. p. 36. col. 2.* reprobata eſt ab eccleſia ſtatim ab initio præfata Appendix, *magis ad corruptoris mentem ..... quam ad ipſam verborum conceptionem, quæ vindicari per ſe facile poſſet ab multiplici hac invidia diſſidentium invicem hæreſeon* (Neſtorianorum & Monophyſitarum) *quas ſimul complecti dicitur.* Maronitas porro, quos certe nemo Theopaſchitas aut Monophyſitas nunc temporis eſſe ſuſpicatur, Triſagium, in libris ſuis eccleſiaſticis Romæ recognitis & impreſſis, cum controverſo illo additamento etiamnum habere teſtantur idem Aſſeman. *to. 1. pag. 520. col. 2.* & Fauſtus Naironus in opuſculo De origine, nomine, ac religione Maronitarum, *p. 132.* Sed tunc non referri aiunt Triſagium ad SS. Trinit. ſed ad Chriſtum unum, qui ter ſanctus, id eſt infinite ſanctus proclamatur. Nam apud Maronitas, inquit Naironus, Triſagium dupliciter accipitur: aliquando tribus

Digitized by Google

applicatur Perſonis divinis, & tunc crucifixionem addere impium, blaſphemumque eſſe arbitrantur. Propterea nuſquam in hoc ſenſu penes eos legitur hic hymnus cum additione crucis, ut videre eſt in ipſorum Miſſali, ubi ſic eum canunt, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miſerere nobis*. Aliquando vero ſoli tribuitur Filio, & tunc additur crucifixio. Id in multis locis Breviarii Maronitarum manifeſte declaratur, & præſertim ad matutinum officii Nativitatis Domini eo modo. Sanctus Deus, *qui Nativitate tua ſancta liberaſti nos à ſeductionibus*. Sanctus Fortis, *qui fortificaſti gregem tuum ut canat tibi gloriam*. Sanctus Immortalis, *quoniam mortales filii Adam vixerunt nativitate tua vivificante omnes*. Qui crucifixus es *Domine noſter pro eccleſia tua, & liberaſti eam die Nativitatis tuæ ex ſeditione & peccato*. In ſynodo quam Maronitæ celebrarunt anno 1596. menſe Septembri, ut à quibuſdam erroribus ſibi impoſitis ſe purgarent coram R. P. Hieronymo Dandino Societ. Jeſu Cæſenate ad id à Clemente VIII. ſpecialiter miſſo, requiſiti iidem cur *in Triſagio crucifixionem totius Trinitatis interponerent?* Reſponderunt omnes, *Triſagium duobus modis in eorum libris uſurpari. Quum ad Trinitatem totam refertur, nihil addi; quum ad ſecundam perſonam; propter aſſumptam carnem, nativitatem, crucifixionem, & mortem, interponi*. Hæc leguntur in Actis ejuſdem ſynodi quæ tranſcripſit præfatus P. Hieronymus Dandinus in hiſtoria itineris ſui ad montem-Libanum, cap. 34. *Quæ omnia,* ſubdit ipſemet ibidem, *legitimi & proprii eorum libri teſtantur, nec uſpiam ſecus ſe in illis reperiſſe Hieronymus Dandinus affirmavit.*

XVIII. Hæc porro omnia accuratius recenſenda viſa ſunt, ut quid de antiquioribus Maronitis, eorumque fide ſentiendum ſit, in tanta Auctorum præſertim recentiorum diverſitate, clarius Lectori pateat.

XIX. Equidem Timotheus quidam preſbyter Conſtantinopolitanus, qui vixiſſe dicitur poſt ſextam ſynodum generalem, ſic loquitur de Maronitis, in opuſculo *de iis qui accedunt ad eccleſiam*, apud Combefiſ. *to. 2.* Auctarii Biblioth. Patr. Græcor. *pag. 459. Maronitæ, qui quartam, quintam, ac ſextam ſynodum rejiciunt, adduntque hymno Triſagio crucifixionem, ac unam voluntatem unamque operationem in Chriſto dicunt, appellati ſunt Maronitæ à monaſterio ſuo quod Maro nuncupatur in Syria.*

Verum obſervat Aſſem. *to. 1. Bibl. Or. p. 509. col. 2.* hæc omnia verba Græculi cujuſpiam recentioris fœtum eſſe; idque fieri manifeſtum ex genuino Timothei textu quem edidit Cotelerius *to. 3. Monument. eccl. Græc. pag. 377.* (poſt Combefiſianam editionem, cujus me-

A minit *ibid. pag. 626.*) & ex Gretſeri codice quem Combefiſius laudat. Ibi enim nullà Maronitarum mentio: quinimo idem Cotelerius in Notis ad illud opuſculum, paginà citata 626. de Timothei hujus ætate hæc ſcribit: *Quem ego arbitror ante Monotheliticam hæreſim vixiſſe, quia illius mentionem non facit.*

XX. Vidimus ſuprà *coll. 1. 2. 3. & 4. n. 1. & 11.* quid Eutychius Alexandrinus Patriarcha, (qui ſedem hanc conſcendit ex doctiſſimo Renaudotio, *in hiſt. Patr. Alexandr. p. 346.* anno Chriſti 932.) Willelmus Tyrius,

B idem Renaudot. multique recentiores de Maronitis tradant; quibus ſi fides habetur, nullus abſolvendi Maronitas ab hæreſi, ſaltem Monothelitarum, ante finem duodecimi ſæculi, remanebit locus.

XXI. At advertendum eſt diligenter, non ſolum Edwardum Pocokium qui Annales Eutychii ex Arabica lingua vertit, fateri in præfatione ſua hunc Scriptorem multa fabuloſa obtrudere, teſte Nairono *in Evopl. p. 64.* ſed & ipſummet clariſſimum Renaudot. eum paſſim reprehendere *in hiſtoria Patriarc.*

C *Alexandr.* de gravioribus erratis. Sic à *p. 7. uſque ad 12.* eum falſi convincit in narratione *de facta à S. Marco duodecim preſbyterorum inſtitutione, ut ad dignitatem Patriarchalem unum ex ipſis reliquorum manuum impoſitione ordinarent:* licet hic de *electione* non de *ordinatione* ſermonem eſſe contendat. Sciunt autem omnes quid ex ea Eutychii relatione intulerit Seldenus pro ſuis preſbyterianis: inſulſe tamen omnino. *Mirum* enim *eſt,* inquit Renaud. *p. 7. litterato homini,* ut erat Seldenus, *veniſſe unquam in mentem, poſſe ſe unius auctoris barbari*

D *qui decimo ſæculo ſcribebat, teſtimonio evertere antiquiſſimam, & eccleſiæ coævam de epiſcopis per tres alios epiſcopos ordinandis traditionem, aut inauditum alibi, quam apud hæreticos veteres, & quidem pauciſſimos, dogma de paritate epiſcoporum & preſbyterorum ſtabilire.* Sic rurſus ibid. pag. 76. *Ea colligere quæ Muhamedani de Nicæno concilio chartis illeverunt ſuis, nemo ſuſtinebit, niſi qui peregrinas ejuſmodi merces, ut extrudat facilius, laudandas arbitrabitur, &c. Reliqui aut Eutychium, aut Severum exſcribunt..... Verum etſi Arabicè*

E *ſcribentibus nugari impunè hucuſque licuit, quum illorum in antiqua hiſtoria ſupinitas & ignorantia doctis omnibus dudum exploſæ ſint, quod Eutychius de ſuo ad iſtius bis mille & amplius epiſcoporum concurſum adjecit, ferri non poteſt, præſertim quum non aliunde quam ex Muhamedanorum lacunis illud haurire potuerit. Ait enim epiſcopos illos bis mille quadraginta octo, ſententias circa religionem habuiſſe diverſiſſimas; quarum nonnullas enumerat,* to. 1. annal. p. 440. *& inter eas hæreticorum qui vix Chriſtiano*

Digitized by Google

nomine cenſebantur. Commotum Conſtantinum A *eos in varias claſſes diſtribuiſſe, ut inter ſe diſceptarent: trecentoſque decem & octo Divinitatem Chriſti aſſeruiſſe, ad quorum ipſe ſententiam acceſſerit: unde ſequeretur negaſſe reliquos Divinitatem & Conſubſtantialitatem Filii, quod arripuit Arianorum ultimi ſæculi impudentiſſimus Sandius, ut inde argumenta contra SS. Trinitatis perpetuam fidem eliceret. Ita Seldenus &c. Verebatur quippe ne, ſi Eutychium qualis fuit veris coloribus depingeret, caderet tam gravis teſtis auctoritas qua epiſcopatum ſubvertere nitebatur.* B Sic etiam *ibid. p. 80.* ex Eutychio *tom. 1. annal. pag. 435.* refert S. Alexandrum S. Athanaſii prædeceſſorem, quum vellet abolere cultum Saturno ſub nomine Michaëlis exhibitum in antiquiſſimo Alexandriæ templo, dixiſſe ethnicis obſiſtentibus: *Idolum iſtud nulli omnino rei utile eſt; quod ſi feſtum illud Michaëli Angelo celebraveritis, eique victimas iſtas conſtitueritis, ipſe pro vobis apud Deum intercedet; majoriſque vobis boni cauſa, quam idolum iſtud, futurus eſt. Annuentibus ergo illis ex idolo confracto crucem fecit: templum vero Michaëlis eccleſiam appellavit; eſtque illa* C *eccleſia quæ Cæſarea vocata eſt.... conſecrataque ſunt feſtum & ſacrificia Michaëli Angelo. Unde & adhuc Coptitæ in Ægypto & Alexandria, eo die feſtum Michaëli Angelo celebrant, & victimas quam plurimas cædunt. Hæc Eutychius,* inquit Renaudot. *Auctorem neminem alicujus dignitatis ſequutus, qui tam abſurda memoriæ prodiderit.* Multa alia hujuſmodi doctiſſimus vir in narrationibus Eutychii explodit, *ibid. pp. 95. 101. 261. &c.* Sed illud prætereundum non videtur, quod ille auctor ſcribit de quinta ſynodo generali *to. 2. annal.* D *p. 171.* apud eundem Renaudot. *ibid. p. 147. Fuit,* inquit, *tempore Juſtiniani Imp. Origenes epiſcopus Manbagenſis ſeu Menbigenſis, hoc eſt Hieropolitanus, qui metempſychoſin aſſeruit, reſurrectionem negans. Fuerat etiam Ibas epiſcopus Rohenſis, ſeu Edeſſenus, Thaddæus epiſcopus Meſſiſſæ* (legendum *Theodorus* epiſcopus ſcilicet Mopſueſtiæ quam Arabes Meſſiſſam appellant) *Theodoretuſque epiſcopus Ancyrenſis* (potius Cyri) *qui aſſeruerunt corpus Chriſti Domini phantaſticum fuiſſe, ſeu imaginarium, nihil in ſe veri habens. Quorum* E *ſententia audita mittens Imperator, ipſos Conſtantinopolim acceſſivit, ipſis cum Eutychio Patriarcha convenire juſſis: Et poſt pauca ſubjungit, illos ab ipſo excommunicatos fuiſſe. Juſſit etiam Imperator indici concilium in quo anathemate ferirentur &c.* Ad quæ Renaud. *p. 148.* quam vero falſa ſit hæc Eutychii narratio omnes ſatis agnoſcunt. Origenes enim de cujus doctrina quæſitum eſt, & in quem anathema pronunciatum à ſynodo, non alius fuit à famoſo illo Adamantio, qui aliquando Hierapoli vixiſſe potuit, ſed nunquam illius urbis fuit epiſcopus &c. Illud æque ridiculum, quod Origenes, Theodorus Mopſueſtenus, Theodoretus, & Ibas (imo & Domnus Antiochenus) tanquam viventes ad concilium vocati dicuntur eſſe, quum ante multos annos (hi omnes) eſſe deſiiſſent: neque de metempſychoſi, aut veritate reſurrectionis ullatenus agebatur, ſed de Origenis aut Origeni attributis erroribus; quæ omnia Orientales non ſatis intellexerunt: reliqua ſpectabant famoſam de tribus capitulis quæſtionem. Ita inquam Renaudot. qui his ſtatim ſubjungit, ſcilicet *pag. ſeq. 149.* quæ idem auctor eſſutiit de Marone & Maronitis. Ad eadem quoque tempora, inquit, referunt Eutychius *tom. 2. annal. pag. 191.* Ebnaſſalus, Elmacinus, Makriſius, & omnes tandem (Eutychio certe poſteriores, ejuſque exſcriptores) quoſcunque vidimus auctores Orientales, initia hæreſis Monothelitarum, *in quo longe abeunt à communi Græcorum & Latinorum hiſtoria.* Illi Sergium Conſtantinopolitanum epiſcopum, & Cyrum Alexandrinum veluti primos illius architectos agnoſcunt: *Orientales Maronem quemdam Syrum monachum qui ſub Mauricio Imperatore vixit, & urbium Hamæ, Kennaſerin, Awaſim, & aliorum vicinorum in Syria locorum incolas ad ſuam ſententiam perduxit: cui ſectatores ejus eo mortuo monaſterium exſtruxerunt, quod vocatur Maronis, & ab eo dicti ſunt Maronitæ. Ita Eutychius, Elmacinus, Ebnaſſalus in collectione, Auctoreſque de hæreſibus varii cujuſcunque ſectæ ſint.* Cætera quæ ſubdit Renaudot. habes ſupra *col. 3. num. 11.* Ex Eutychio autem palam eſt prompſiſſe Willelmum Tyrium, quidquid de Marone aſſeruit; ejus verba *ibid. n. 1. col. 2.* retulimus, unde impræſentiarum hæc pauca ſufficient: *Quum per annos pene quingentos cujuſdam Maronis hæreſiarchæ errorem fuiſſent ſequuti, ita ut ab eo dicerentur Maronitæ &c. Maronis autem errorem & ſequacium ejus eſſe, & fuiſſe (ſicut ex ſexta ſynodo legitur, quæ contra eos lata eſſe dignoſcitur, & in qua damnationis ſententiam pertulerunt) quod in Domino noſtro Jeſu Chriſto una tantum ſit, & fuerit ab initio, & voluntas, & operatio &c.*

XXII. Conſtare porro videtur S. Maronem cujus Theodoretus vitam breviter exaravit, 1.° non fuiſſe Monotheliticæ hæreſis parentem, ut-pote qui eam ducentis & fortaſſe amplius annis præceſſerit, licet ei congruant quæcunque Eutychius & Willelmus Tyrius de *Marone* juxta ipſos Monothelitarum anteſignano ſcribunt, eo nimirum defuncto, ejus ſectatores, ab ejus nomine *Maronitas* dictos, cœnobium extruxiſſe in ejus hono-

rem, 2.° Nec fuiſſe ulla quacumque hæreſi infectum, ſiquidem hæretici tunc temporis Maronitas ejus fidem profitentes immaniter perſequebantur. In Libello enim viginti quatuor archimandritarum ad Hormiſdam Romanum Pontificem hæc habentur, apud Pagium *tom. 2. crit. annal. Baron.* ad annum 517. *n. 3. p. 497. Severus ille & Petrus..... per ſingulos dies ſanctam Chalcedonenſem ſynodum, & ſanctiſſimum & beatiſſimum Patrem noſtrum Leonem publico anathemate impetentes.... & nos cogentes illudere prædictam ſanctam ſynodum ſuppliciis inæſtimabilibus affligentes, euntibus nobis ad mandram Domini Simeonis pro cauſa eccleſiæ, inſidiati ſunt nobis in itinere.... & ſupervenientes occiderunt ex nobis CCCL.* (quorum meminit Martyr. Rom. ad diem 31. Julii, his verbis; *In Syria ſanctorum trecentorum quinquaginta monachorum Martyrum, qui ob defenſionem ſynodi Chalcedonenſis ab hæreticis occiſi ſunt*) *quoſdam autem vulneraverunt, alios vero qui potuerant ad colenda altaria fugere ibidem peremerunt, & monaſteria incenderunt.* De hæreticorum ſimiliter infeſtationibus conqueruntur monachi Syriæ &c. in ſupplicatione ad Joannem Patriarcham Conſtantinopolitanum, & ſynodum ab eo congregatam contra Severum, cui ſupplicationi ſubſcripſit inter alios *Joannes monachus monaſterii beati Maronis, to. 5. conc. Labb. edit. Pariſ. 1671. coll. 158. 159. & 162.* Et rurſus in altera ad Mennam Patriarcham, quæ extat *ibid. act. V.* ſynodi ab eo celebratæ Conſtantinopoli anno 536. cui ſupplicationi inter alios ſubſcripſit Theodorus *col. 131.* in hunc modum, *Theodorus Dei miſericordia preſbyter & prior monaſterii Maronii.* Legitur quoque ibid. *col. 115.* ſubſcriptio Pauli, in hæc verba. *Paulus Dei miſericordia diaconus & legatus monaſterii beati Maronis principalis venerabilium monaſteriorum ſecundæ Syriæ, faciens ſermonem pro omnibus archimandritis & monachis ſecundæ Syriæ, ſupplicavi & porrexi.* Et iterum *col. 250.* ſubſcriptio Alexandri primo loco, *Alexander preſbyter & archimandrita monaſterii beati Maronis.* Quum igitur, inquit Pagius *tom. 2. citato* ad annum 117. *num. 4.* admiranda pro Catholica religione horum monachorum Maronitarum facinora in dies magis ac magis elucerent, & quæ aſpera in fide, ac difficilia videbantur, eximii illi viri doctrina ſua plana facerent; ea fuit illorum fama, ut Syri Chriſtiani, qui nunquam à recto tramite deſciverant, & fidem illam quam ab Apoſtolis ad illa uſque tempora retinuerant, illibatam volebant ſervare, ad eos monachos tanquam ad præceptores confluerent, & ex eorum S. Maronis cœnobio, etiam ipſi dicerentur *Maronitæ.*

XXIII. Quod ſpectat ad narrationem Eutychii, Willelmi Tyrii, & cujuſvis alterius recentioris, qui Maroni & Maronitis Monotheliſmi exortum attribuerunt, obſervat Aſſem. *to. 1. Bibl. Or. pp. 506. col. 2. & 507. col. 1.* in primis falſum eſſe hanc hæreſim ſub Mauritio Imperatore emerſiſſe, ut ſcribit Eutychius; non enim ſub eo, neque ſub Phoca ſucceſſore ejus erupit, ſed ſub Heraclio circa annum Chriſti 628. auctoribus Sergio Conſtantinopolitano, Cyro Alexandrino, ac Theodoro Pharanita: id docent Acta ſextæ ſynodi generalis, concilium Lateranenſe ſub S. Martino Papa, S. Sophronius Hieroſolymitanus, S. Maximus abbas, S. Joannes Damaſcenus, Theophanes, Cedrenus, Zonaras &c. apud quos ne veſtigium quidem *Maronis* occurrit. Deinde ejuſdem falſitatis eſſe ſextam ſynodum propter errores *Maronis* reprobandos fuiſſe coactam, aut ipſum in illa fuiſſe damnatum. Nullus enim in ea ſynodo *Maroni*, aut *Maronitis* locus, nulla eorum mentio in catalogo hæreticorum ibi confecto, quantumvis ejuſdem ſynodi Patres in perquirendis Monotheliſmi magiſtris & fautoribus omnem navarint operam. *Nec Eutychius* profecto, *aut quivis alius Eutychio recentior,* verba ſunt Aſſem. ibidem *p. 507. col. 1. oculatiſſimus licet, & in hiſtoria eccleſiaſtica apprimè verſatus, tribus & amplius poſt exortum Monotheliſmum ſæculis, id videre potuit, quod æquales Monothelitarum primipilis Patres non viderant, quod hiſtorici eorum temporum ſcriptores non annotarant, quod denique à ſeptimo uſque ad decimum ſæculum, in nullis, ſive ſacris, ſive prophanis monumentis legitur.*

XXIV. Non leviter prætereundum, ſi illi ipſi Eutychio quo ad factum ſequens fidem habeamus, ex eo conſtare *Maronitarum* nomen Monothelitica hæreſi eſſe antiquius, communiterque antea datum, non ſolum monachis cœnobii S. Maronis, ſed iis etiam populis qui ejuſdem cum illis fidei Catholicæ profeſſione jungebantur. Id profecto pluſquam probabile eſt ab Eutychio minime fuiſſe intentum, ut-pote quo ſua de *Marone* & *Maronitis* fabula penitus explodatur. Narrat itaque de Heraclio, apud Fauſt. Nairon. *in diſſert. de origine &c. Maronitar. pag. 36. Anno nono Imperii ejuſdem* (proindeque anno Chr. vel 618. à die 7. menſis Octob. incipiente, qua anno 610. Heraclius inauguratus eſt Imperator, vel ſequenti 619. uſque ad eundem menſem, tribus vero annis conſtantiſſime ante ejuſdem Imp. anno 622. cum Paulo Severiano de una Chriſti voluntate colloquium, à quo repetitur exordium Monotheliſmi) *qui & Hegiræ nonus* (fallitur, nam Hegira incepit menſe Julio anni Chriſti 622.) *Conſtantinopoli egreſſus eſt He-*

Digitized by Google

raclius; Hieroſolymam tendebat, quo videret quid in ipſa devaſtaſſent Perſæ (capta fuerat à Perſis, anno ejus 4. Chriſti 614.) *Ut autem Hemſum* (Emeſam) *perveniſſet,* (erant autem ea ætate Emeſæ cives, Acephalorum & Monophyſitarum infecti erroribus, quos ubique ſparſerat Severus Antiochiæ Patriarcha cum ſuis ſectatoribus) *noluerunt ejus incolæ ipſum recipere, dicentes ipſi, Maronita tu es, ac religionis noſtræ adverſarius: illis ergo relictis ad monaſterium Maronis abiit, in quo qui erant monachi egreſſi obviam ipſi profecti ſunt: fuit autem Heraclius Maronita, multaſque illis opes contulit, agro etiam donato monaſterio, adeo ut proſpere ſe haberent res eorum.* Si verum eſt factum iſtud, ex eo manifeſtum fit, ante exortam Monothelitarum hæreſim, *Maronitæ* nomen publicam fuiſſe orthodoxæ profeſſionis teſſeram, qua in Syria ab hæreticis diſcriminabantur quotquot monachis cœnobii S. Maronis communione Catholica conjuncti erant. Nondum enim tunc temporis Heraclius qui Perſis bellum inferebat, Monotheliticam hæreſim in Monophyſiticæ ſinu adhuc latentem ſuſceperat propugnandam: Catholicus erat apprime, & Scriptores eum communiter tradunt fuiſſe ideo divinitus protectum ut Perſas tantis cladibus afficeret, lignumque ſanctæ Crucis recuperaret. At non diſſimulandum ab Eutychio citari epiſtolam Joannis IV. Romani Pontificis ad Heraclium & Conſtantinum Imperatores, ex qua hæc refert Naironus *in Evopl. pag. 64. quod per annos circiter octodecim dicatur Cyrus Patriarcha Alexandrinus Maronis ſententiam amplexus, videlicet Domino noſtro Jeſu-Chriſto eſſe naturas duas, voluntatem unam, atque operationem unam.* Et inferius: *Qui autem aſſerunt duas eſſe naturas, & voluntatem unam divinitatis Chriſti, & humanitatis ipſius, necnon operationem unam, errant illi inſtar Maronis maledicti.* Sed contendit idem Naironus, in ea ipſa Joannis Papæ epiſtola, quæ legitur tam in codicibus conciliorum Arabicis, quam in collectaneis Anaſtaſii Bibliothecarii, apud Baronium quoque, & Bellarminum, nullam fieri *Maronis* mentionem. Subdit etiam in Later. concilio ſub Martino I. ſecret. 3. expreſſe nominari Theodorum Pharanitam, ut qui Monotheliticæ fuerit hæreſis parens, alto pariter de *Marone* aut *Maronitis* ſervato ſilentio. Mirum profecto ſubit, ſi *Maro* Monothelitarum primus extitit auctor, ſi ex eo hujus hæreſis ſequaces vocati ſunt *Maronitæ,* quaſi id nomen eſſet *Monotheliſmi* ſingulariter proteſtativum, cur Patres, cur Concilia, cur hiſtorici, tanti hæreſiarchæ non meminerint: cur Maronitas non computent inter præcipuos Monotheliticæ hæreſis aſſertores.

A Cur S. Joannes Damaſcenus, qui in hæreticorum catalogo, non tantum Monothelitarum hæreſim, ſed eos etiam memorat & accurate deſcribit qui illam propugnaverunt, *Maronem* hujus hæreſis architectum, ejuſque aſſeclas *Maronitas* prætermiſerit: cur eoſdem *Maronitas,* licet ſe ab eis ſejungi, ob appendicem Petri Fullonis quam in Triſagio admiſerant, quibuſdam in locis teſtetur, Monophyſitis tamen, aliis-ve hæreticis, minime accenſuerit, ut ſupra inſinuatum eſt *n. XVII. col. 22.*

B XXV. Aſſemanus *tom. 2. Bibl. Orient. pp. 291. & ſeqq.* analyſim faciens operum Gregorii Bar-hebræi Maphriani Jacobitarum, inter illorum ſcriptores celeberrimi, qui obiit anno Chriſti 1286. hæc ſcribit ab eo tradi in libro theologiæ ubi catalogum hæreticorum texuit: *Sciendum eſt has omnes ſectas quas ſupra recenſuimus* (ad triginta) *abſurdiſſimas hæreſes eſſe, quum naturam corrumpant, & Chriſtiano dogmati ethnicas opiniones miſceant: ac propterea Deus, cujus gratiæ laus eſto, eas radicitus extirpavit. Reliquæ vero, quæ hodie* C *in mundo obtinent ſectæ* (de orthodoxa loquitur, & Jacobitica, & Neſtoriana, & Monothelitica, quaſi circa meras theologorum opiniones dividerentur) *quum omnes de Trinitate & incolumitate naturarum ex quibus eſt Chriſtus, abſque converſione & commiſtione, æque bene ſentiant, in nominibus unionis ſolum ſecum pugnant.* Et rurſus de Græcis & Maronitis *ibid. p. 292. col. 2. Quidam igitur naturalem ac hypoſtaticam unionem fatentur, ut Jacobitæ Syri, Ægyptii, Æthiopes & Nubæ* (qui ſunt populi Libyæ ad ſiniſtrum Nili flexum) *Armeni vero,* D *etſi Juliani* (Halicarnaſſæi de incorruptibilitate corporis Chriſti per vitam mortalem) *ſententiam in quibuſdam amplectuntur, non tamen omnino ei conſentiunt. Alii autem unionem dicunt non naturalem, neque hypoſtaticam, ſed perſonalem duntaxat, ut Neſtoriani potiſſimum.* (Neſtoriani ſcilicet Syri, inquit Aſſem. *ibid. in nota 2.* diſcrimen ponunt inter has duas voces *Knuma* & *Parſupa:* & Chriſto quidem duas naturas, duaſque *Knumas* tribuunt, non tamen duas *Parſupas.* Parſupa autem ex Græco Πρόσωπον derivatur, *Knuma* E autem hypoſtaſim ſignificat) *Alii vero mediam viam eligentes, hypoſtaticam quidem, non naturalem unionem affirmant, ut Græci, Romani, Melchitæ Syri, Maronitæ Syri, Iberi, Ruſſi, & Alani. Et Romani quidem, hoc eſt Franci, in hoc ab aliis diſſentiunt quod Spiritum ſanctum ex Patre & ex Filio procedere dicunt. Maronitæ vero in eo ab omnibus diſcrepant, quod unam voluntatem, unamque operationem duabus naturis tribuunt, non duas voluntates, nec duas operationes. Sed & Græci omnes uſque ad Maximi*

Digitized by Google

Maximi monachi, & Theodorici Haranitæ (Theodorum Abucaram intelligit Cariæ archiepiſcopum, qui multa adverſus Neſtorianos, Jacobitas, Monothelitas, & Saracenos ſcripſit) *& Joannis Damaſceni ætatem, unam voluntatem, unamque operationem dixere. Neſtoriani vero duas voluntates libere affirmant & negant, utroque enim pede claudicant, quum in antiquis eorum libris nil horum legatur, noſque plures ex eorum ſapientibus audivimus unam duabus naturis, hypoſtaſibuſque voluntatem aſſerentes.* Hucuſque Bar-hebræus, qui in eo quod aſſerit de hæreſi Monothelitarum à Maronitis propugnata ſuo tempore, falſi convincitur ſolo Willelmi Tyrii, de quo inferius dicendum, teſtimonio. Si enim anno Chriſti 1182. Maronitæ ad eccleſiam reverſi ſunt, quomodo ſæculo ſequenti quo vivebat Bar-hebræus, Monotheliſmum adhuc publicè profitebantur? Id igitur, non ex propria ſcientia ſcripſit, ſed ſumpſit ex Eutychio, vel ex aliquo alio ſimili auctore. Nec veriora videntur quæ de Græcis idem affirmat, niſi forte Græcos intelligat Patriarchatus Antiocheni, ubi jacta à Machario Monotheliſmi ſemina aliquandiu potuerunt pullulare. Quamvis autem Bar-hebræus ſic inſulſe Maronitis Monotheliticam impoſuerit hæreſim, iis tamen ſuam Jacobiticam nunquam attribuere auſus eſt: de iiſdem enim loquens in libro Radiorum, quod eſt Theologiæ compendium, *part. 3.* de Incarn. Dei Verbi, apud Aſſemanum, *tom. 2. Biblioth. Orient. pag. 297. & ſeq.* poſtquam ſectæ ſuæ de una Chriſti natura expoſuit ſententiam, Maronitarum objectionem qua impetebatur, conatur diluere. Verba ſubjicio quibus identidem perſpiciet lector in quo à Catholicis differant Jacobitæ. Objectio: *Si ſalvæ ſunt ſignificationes diſcriminis naturalis in Domino noſtro, quomodo duas non habebit naturas? Si vero eæ haud ſalvæ ſunt: en permiſtionem & confuſionem naturarum, quod eſt abſurdum.* Reſponſio: *Etiam in anima & corpore ſalvæ ſunt, & tamen una eſt natura hominis vivi rationalis, non duæ.* Inſtantia: *Si in ſubſtantiæ æqualitate unam ſubſtantiam dicitis; conſubſtantialis igitur erit caro Verbo, quod eſt abſurdum: ſi inæqualis in ſubſtantia; duæ igitur ſunt naturæ.* Reſponſio: *Non unam ſimpliciter naturam dicimus, ſed unam naturam ex duabus naturis ſubſtantialiter diverſis.* Objectio: *Si conſubſtantialis eſt Patri, idemque conſubſtantialis Mariæ, quomodo duas non habebit naturas, quibus utrique inæquali æqualis ſit?* Reſponſio: *Duplex eſt illa una natura, non ſimplex: ſecundum diverſas igitur ejus ſignificationes inæqualibus illis ipſe æqualis eſt.* (Mireris obiter datam ab eo ſcriptore Jacobiticæ de una Chriſti natura A doctrinæ expoſitionem profeſſioni orthodoxæ ſic ſimilem, ut de ſolo fere nomine lis tota eſſe videatur. *Naturam quippe duplicem* dicit in Verbo Incarnato, quam nos *duas naturas* in una hypoſtaſi appellamus. Verum quum duplicem eam naturam *unam* eſſe contendit, manifeſtam obtrudit contradictionem; ſiquidem naturam utramque perfectam & completam aſſerit, ſimulque affirmat eaſ eſſe ad invicem inſtar animæ & corporis in nobis, quæ ſunt videlicet ſubſtantiæ incompletæ rationem partis habentes, B ex quibus divina ordinatione una coaleſcit & componitur natura humana.) Paucis autem interjectis hanc Maronitarum objectionem adducit idem Bar-hebræus, ex qua luculenter oſtenditur eos Jacobitis minimè aſſentiri. *Dum tibi objicit Maronita: Deitati neceſſe eſt naturam ineſſe. Hæc igitur una natura, quam in Chriſto fateris, ſi Deitatis eſt, ubinam erit natura humanitatis? &c.* Porro obſervat Aſſeman. *ibid. p. 298. in not. 1.* in codice ſuo Syriaco pro *Maronita* ſcriptum fuiſſe *Chalcedonenſis:* At ejuſdem codicis C ſcriptorem, loco *Chalcedonenſis,* repoſuiſſe *Maronitam,* & in margine hanc adjeciſſe notam; *hoc propria manu illius clariſſimi viri* (id eſt, Bar-hebræi) quaſi diceret: *ita legi in autographo.*

XXVI. Gravius faceſſere videntur negotium adverſus veterum Maronitarum fidem orthodoxam, quæ ſupra *num. 1.* retulimus ex Willelmo Tyrio *lib. 22. Belli ſacr. cap. 8.* ſcilicet anno Chriſti 1182. Maronitarum gentem ad quadraginta & amplius hominum millia, hæreſim Monotheliticam aliosque D errores ejuraſſe, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ communionem eſſe amplexam. *Interea,* inquit, *dum regnum pace, ut diximus, gauderet temporali, natio quædam Syrorum in Phœnice provincia circa juga Libani juxta urbem Byblienſium habitans ..... quum per annos fere quingentos cujuſdam Maronis hæreſiarchæ errorem fuiſſent ſequuti, ita ut ab eo dicerentur Maronitæ, & ab eccleſia fidelium ſequeſtrati ſeorſim ſacramenta conficerent ſua, divina inſpiratione ad cor redeuntes, languore depoſito, ad Patriarcham Antiochenum Aymericum, qui tertius La-* E *tinorum nunc eidem præeſt eccleſiæ, acceſſerunt, & abjurato errore quo diu periculoſe nimis detenti fuerant, ad unitatem eccleſiæ Catholicæ reverſi ſunt, fidem orthodoxam ſuſcipientes .... erat autem hujus populi turba non modica, ſed quadraginta millium dicebatur excedere quantitatem, &c. Maronis autem error, & ſequacium eſt, & fuit, ſicut ex ſexta ſynodo legitur, quæ contra eos lata eſſe dignoſcitur, & in qua damnationis ſententiam pertulerunt, quod in Domino noſtro Jeſu-Chriſto, una tantum ſit, &*

fuerit ab initio voluntas & operatio. Cui articulo.... multa alia pernicioſa nimis, poſtquam à cœtu fidelium ſegregati ſunt, adjecerunt &c. Licet enim palam ſit eum, quæ de Marone ceu Monotheliſmi auctore ſcribit, ab Eutychio hauſiſſe, nec proinde majorem fidem mereri ac mereatur ille auctor; quod præterea aſſerit ſynodum ſextam generalem contra hunc Maronem & ejus aſſeclas fuiſſe congregatam, & in eorum actis legi eorum condemnationem, conſtet eſſe perfalſum, quum in iis de Marone aut Maronitis ne verbulum quidem occurrat: pari tamen jure rejici non poteſt ejus teſtimonium de reverſione Maronitarum ad eccleſiam ſuo tempore, & fere ſub ejus oculis, Tripoli nimirum, quum ipſe Tyri moraretur. Hinc etiam tanta fuit hujus ſcriptoris ea in re apud recentiores plurimos magni nominis auctoritas, ut contra eam quidquam reponendum alicujus momenti inficientur.

XXVII. Verum Fauſtus Naironus Maronita, *in diſſertatione de origine, nomine, ac religione Maronitarum, num. 16. pag. 21. & ſeqq. num. 47. pag. 67. & ſeqq. & num. 62. pag. 87. & ſeqq.* & *in Evopl. fidei Catholicæ cap. 4. à num. 7. pag. 63. ad num. 23. p. 80.* fatetur quidem id quod narrat Willelmus Tyrius eſſe verum de quadam Maronitarum parte, quæ ab aliquot duntaxat annis ſeducta in errorem Monotheliticum inciderat; ſed non de natione tota. Sic igitur ex gravioribus ſuæ eccleſiæ monumentis, ſcribit hanc perverſionem contigiſſe. Hîc inſurgent, inquit *in diſſertatione præfata, pag. 107.* fortaſſe ſcriptores ex recentioribus, & aſſerent Maronitarum hiſtorias pro præſenti inſtituto ſuſpicioni eſſe obnoxias, ac nullius ad probandum momenti, quum ſuorum in gratiam & laudem loquantur. At, amabo, res Maronitarum quis noſſe verius poteſt ipſis Maronitis? An Romanorum hiſtoriæ nulla habenda eſt fides, quia eſt à Romanis conſcripta? An præclare geſta per Francos repudianda ſunt, quia ſunt à Francis annalium commendata memoriæ? Adde quod hæc non ſint à Maronitis unis conſcripta, ſed habeantur etiam ex aliorum libris, ipſorum etiam hæreticorum qui acerbiſſimis Maronitas odiis, non hodie tantum, ſed olim propter orthodoxam fidem vexarunt. Hucuſque Fauſtus Naironus, qui rurſus in eadem *diſſert. n. 49. pag. 69. & ſeqq.* Willelmi Tyrii allatum teſtimonium expendens præmittit: juvat ad totius (hujus facti) dilucidationem audire quæ in Maronitarum chronicis, ac præſertim in Gabriële Qlai inter Maronitas doctrina ac ſanctitate illuſtri de præſenti inſtituto exarata inveniuntur, quorum exemplaria extant inter libros Abrahami Ecchellenſis, & concordant

A cum aliis quæ egomet in Libano præ manibus habui. Hic Gabriël nonnulla opera de ſacramentis ſoluta oratione, aliaque de Orientalium hiſtoriis carmine exaravit. In Poëmate autem in quo recenſet hæreticos qui aliquem errorem inter Maronitarum gentem diſſeminare curarunt, nominat Thomam quemdam Hharanitam Syrum archiepiſcopum Kfartab, *Quos,* inquit, *ſequutus eſt Thomas ex Hharan, qui in provincia Aleppenſi erat metropolita.* Hic quamvis natus & educatus fuiſſet in civitate Maredin in Meſopotamia ad

B Tigrim fluvium, quæ urbs Jacobitarum eſt Patriarchalis ſedes, etſi in ea nonnulli Neſtoriani verſantur; nihilominus Jacobitica religione relicta, Monotheliticam (quæ, ut ſupra dictum eſt, Jacobiticæ germen fuit, & ad eam in eccleſiam introducendum adinventa) tanto ardore amplexus eſt, ut Joannes Patriarcha Antiochenus Græcorum, ne is error, qui tunc extinctus in Syria videbatur, iterum reviviſceret, imminenti malo citius conſulturus, variis ſcriptis, ac præſertim epiſtola, eum confutaverit per SS. Patrum &

C conciliorum auctoritatem, illumque inſuper anathemate ferierit. Hæc controverſia cœpit anno Græcorum 1400. prout legitur in præfat. libelli decem propoſitionum, quas Thomas ille adverſus eumdem Joannem compilavit, hoc modo: *Anno Alexandri filii Philippi Græcorum 1400. epiſtolæ ac ſcripta mutuo proceſſerunt Antiochiæ inter Joannem Patriarcham Græcorum, & Thomam archiepiſcopum Kfartab diœceſis Aleppenſis: eratque quæſtio circa profeſſionem duarum voluntatum in duabus naturis in Incarnatione Domini noſtri;*

D *quumque inter eos multiplicatæ fuiſſent epiſtolæ, Joannes Patriarcha Antiochiæ ſcripſit epiſtolam prolixam, eamque miſit cum nuntio ad Thomam, in qua defendendo ſe, demonſtrat eum, qui non profitetur in Domino noſtro Jeſu-Chriſto duas voluntates, deficere à fide, & execrabatur profeſſionem Thomæ unius voluntatis in Domino noſtro Jeſu-Chriſto.* At in ea epocha 1400. quæ anno Chriſti 1088. à Kal. Octob. & ſeq. anno 1089. correſponderet, mendum irrepſiſſe obſervat doctiſſimus Pagius in crit. annal. Baron. ad annum 1109. *p. 307. col. 1.*

E legendum vero 1420. qui incipiens Kalend. Octobris anni Chriſti 1108. anno ſequenti 1109. decurrebat, quo reipſa Thomas, ut modo dicetur, ad montem-Libani profectus eſt.

XXVIII. Thomas igitur huic epiſtolæ aliam oppoſuit in decem propoſitiones diviſam, quæ extat inter libros Abrahami Ecchelenſis, cod. 14. apud Aſſem. *to. 1. Bibl. Or. p. 576. col. 1.* in qua, variis adductis ex ſcriptura & SS. Patribus teſtimoniis, unicam in Chriſto

Digitized by Google

Domino eſſe voluntatem & operationem probare conabatur, eamque per nuntium ad præfatum Joannem miſit, qui *juſſit eam comburi..... ne fides populi* ex ejus lectione *corrumperetur, &c. Quum autem nunciatum fuiſſet Thomæ Joannem ejus epiſtolam dediſſe igni, eam in meliorem formam reſcripſit,* & poſtquam *ad valvas ſuæ eccleſiæ affixiſſet, ad montem-Libanum ſe contulit, &c. ratus ſe ibi per medium annum duntaxat permanſurum: ſed evenit ſtatim ut Franci tunc aggrederentur Tripolim Syriæ, ut eam expugnarent, prout eam expugnaverunt* (quod contigit anno Chriſti 1109. ut narrat Fulcherius lib. 2. hiſtor. Hieroſol.) *Permanſit* itaque *Thomas per quatuor annos in Giobbet Januhh, & poſtea rediit in Giobbet Bſciarrai, ubi manſit per biennium.* Interim nactus occaſionem Maronitas ad ſuam Monotheliticam hæreſim alliciendi, dixit illis ſe quoque eſſe Maronitam, & Maronem idem cum ipſo ſenſiſſe, quod Eutychii Alexandrini hiſtoria probabat, quemadmodum legitur in ejus tertia & quarta propoſitione, in quarum poſtrema ſubdebat S. Maximum primum fuiſſe auctorem dogmatis duarum voluntatum in Chriſto ſub imperio Marciani. *Stetit Maximus,* inquit, *coram Imperatore Marciano, ac ejus fratre, eiſque conſilium dedit, dicens: neceſſe eſt, ut addamus aliam voluntatem, ut ſint duæ voluntates in duabus naturis.* Nemo neſcit ſanctum Maximum qui Monothelitas ſcriptis exagitavit, centum & quinquaginta annis poſt Marcianum Imperatorem natum eſſe, anno ſcilicet 605. juxta Baronium, quum Marcianus vixerit tempore concilii Chalcedonenſis anno Chriſti 451. celebrati. Porro id ex cerebro fingebat Thomas, ſicut & quod addidit, Heraclium à Leone Papa compulſum, in Maximum ſæviiſſe. *Scripſit Heraclius,* inquit ibidem, *ad Patriarcham Leonem Papam Romanum, & accuſavit Maximum de nova ejus aſſertione abſque ulla vera auctoritate. Quum igitur hæc epiſtola ad Patriarcham perveniſſet, reſponſum dedit Heraclio: Benedicat Dominus noſter imperium Heraclii, ejuſque augeat fidem. Quicunque hanc aſſertionem emiſit, & ſparſit, corrupitque fidem rectam & ſciſſionem ac ſchiſma invexit inter fratres fideles, dignus eſt cui lingua ac manus abſcindantur. His Patriarchæ reſcriptis quæ Heraclius ſummo receperat cum honore, Maximum ad ſe coram adduci juſſit, eique amputari linguam ac manum, eumque in inſulam, quæ vocatur Rachie, ablegavit. Quæ enarratio ſcripta eſt apud nos, & vos, in libro Eutychii filii Patricii.* Nihil ſimile ſcripſerat Eutychius, quantumvis innumeras obtrudat fabulas. Nam tom. 2. annal. in Califatu Moaviæ ſub Imperio Conſtantini Heraclii nepotis qui Conſtans communius nuncupatur, de Maximo

A loquens, ait: *Erat tunc temporis monachus quidam ſanctus nomine Maximus.* Nec ullibi memorat ab Heraclio, pro Monothelitarum cauſa, vel Maximum, vel quemquam alium male habitum fuiſſe; nullum etiam conſtat eo imperante Leonem ſediſſe Papam. Eutychius, quantum ad hoc, cum aliis convenit ſcriptoribus, gravem hanc perſecutionem motam ſub Conſtante præfato qui anno Chriſti 641. regnare cœpit. Non aſſerit quoque Maximum opinionis duarum voluntatum parentem eſſe.

B XXIX. Hoc nihilominus libello Thomas, aditum ad plebem primum imperitam, deinde ad aliquot etiam de clero Maronitarum quos minus eruditos repererat, ſibi aperuit. Ac quidem declamavere, inquit idem Naironus in Evopl. *pag. 69.* tum Joſeph Maronitarum Patriarcha, qui ſcriptis ad eumdem litteris in nova ejus dogmata invectus eſt, tum etiam Arſenius metropolita Accurenſis, miſſa ad eumdem epiſtola. Verum quum ebibiſſet venenum hæreſis quidam Farſciaia archipreſbyter diœceſis Bſciarrai, is ipſum inſtantiſſime C rogavit, ut ſuum tractatum decem propoſitionum, multiplicatis exemplaribus, in vulgus late ſpargeret. Qui ergo Maronitarum hanc Thomæ doctrinam incaute tunc amplexi ſunt, epiſtolam ejus diſſeminari curarunt per totam gentem, multoſque eorum libros eccleſiaſticos data opera, varia in illis addendo atque delendo depravarunt: unde præfatus Gabriël Qlai in eodem Poëmate, apud Naironum *in diſſertatione de origine, &c. Maronitarum pag. 82.* ait: *Poſt illum* (Thomam) *in lucem emerſit Ebn-Sciehban, & cœpit* D *ſcribere, & docere pueros, ſeminavit inter Maronitas errores, eorumque libros zizaniis implevit.* Et rurſus: *Filius Hhoſen erat ex Hhatſcit* (eſt quoddam Libani oppidum in Giobbe) *qui decepit populum Kfariaſcit* (eſt aliud Libani oppidum) *ſcripſit, & mutavit preces:* & brevi temporis intervallo in aliis oppidis idem virus diffuſum eſt, quo demum Patriarcha, alius profecto à Joſepho præfato eoque longe poſterior, ſeſe infici permiſit, ut legitur in chronico Maronitarum, apud eumdem Naironum *ibidem, pag. 83.* his verbis: E *Quoniam Patriarcha venenum hauſerat, miſſis, ad labefactandum ipſum, muneribus, quantum ore capere voluit.* Quapropter inito inter Maronitarum primates tam eccleſiaſticos, quam ſæculares conſilio, decreverunt una ſententia ab ejus ſe communione ſejungere: ſic enim proſequitur idem chronicon, *cujus ſubditi, ac regiones, Patriarcham à ſuo ſegregarunt conſortio, nec poſtea præſtiterunt ei obedientiam, nec illum in regionibus acceptarunt.* Immo eo pervenit illorum zelus erga religionem orthodoxam, ut ipſum depoſuerint, aliumque in

Digitized by Google

ejus locum ſuffecerint. At depoſiti Patriarchæ ſectatores novum Patriarcham interfecerunt, & combuſſerunt corpus ejus: *Præfatus Patriarcha mortuus eſt depoſitus, & elegerunt Patriarcham in Hhgiula: qui mortuus eſt Martyr interfectus, eumque combuſſerunt. Teſtificati ſunt contra eum quadraginta Chriſtiani* (ii nempe qui lue Monotheliticæ hæreſis imbuti erant) *fidem ejus* (ſuo errori contrariam) *non fuiſſe rectam, aliaque falſa protulerunt.* Ita præfatum chronicon. Poſt necem hujus Patriarchæ Catholici, diviſi ſunt inter ſe Maronitæ pro eligendo novo Patriarcha: iis autem præſto fuit Haymericus Latinorum Patriarcha Antiochenus, quumque omnia pacaſſet, eos qui ſchiſma invexerant, vel ſequuti fuerant illud, ad obſequium fidei reduxit, & auctoritate Romani Pontificis, à vinculo excommunicationis quam ob patratum in Patriarcham immane delictum incurrerant, abſolvit. His peractis Maronitæ ad electionem novi Patriarchæ integerrimæ fidei unanimiter concurrerunt: ſic enim legitur in eodem chronico, apud præfatum Naironum *in diſſertatione de origine, &c. Maronitarum, pag. 85. Extinxit illud venenum Haymericus bonæ memoriæ. Objurgavit eos palam apertis verbis: obedierunt ei, & à Romana Sede benedictionem eis mittendam curavit; & elegerunt ſibi Patriarcham, qui habitavit in eccleſia beatæ Virginis in Habil* (quod eſt Libani oppidum) & *obſervabat quidquid erat in Evangelio: erat pariter in exponendo peritus, ac varia de fide carmina compoſuerat. Et firmi ſteterunt in fide Maronis* (quæ proinde Catholica erat) *& ſuperbi humiliati ſunt, & adverſarii pacem inierunt.* Multo certe facilius intelligitur homines nondum maximo numero ſeductos, & paucis adhuc à ſeductione illa annis, avitam fidei veritatem reſumpſiſſe, quam totam gentem ad 40000. & amplius homines à quingentis fere annis hæreſim Monotheliticam profitentes ſola inſpiratione interna, nullo inſtigante, nullo inſtruente, ad fidem Catholicam convolaſſe. Vide infra ubi de Patriarc. XXIX. & ſeqq. Hæc tamen partis Maronitarum reverſio anſam Willelmo præbuit ſcribendi totam gentem Maronitarum ab errore Monothelitico ad fidem orthodoxam reductam eſſe anno 1182. opera Haymerici Patriarchæ Latinorum Antiocheni. Quum enim accepiſſet Tyri, ubi morabatur, Maronitas ſchiſmatis Thomæ ſectatores errores abjuraſſe apud Haymericum, & pace facta, Maronitas omnes Romanam fidem profeſſos fuiſſe; opinatus eſt totam Maronitarum gentem antea Monothelitico errore fuiſſe infectam, ita ut univerſæ attribuerit, quod parti ſolum acciderat: niſi etiam fortaſſis ab aliquo ex Maronitis ſchiſmaticis, qui ad eum veniſſet, fuerit deceptus. At vix excuſari poteſt ille Auctor quum tradit contra Maronitas collectam fuiſſe ſextam ſynodum generalem, & ab ea damnatos cum ſuo duce Marone, de quo in ea ſynodo, ut ſupra dictum eſt num. 26. ne verbulum quidem extat. Porro non eſt æquum, verba ſunt Naironi *in diſſert. præfata p. 119.* ut propter aliquorum defectionem dicatur natio defeciſſe: nam, quæſo, ſi parva conferre cum magnis licet, nullus prudenter ſcriberet Chriſtianiſſimum Franciæ Regnum, eccleſiæ Catholicæ decus & propugnaculum, ab ea aliquando defeciſſe, quia ſæculo XVI. Calvini hæreſim, non principes modo multi ſæculares, ſed etiam eccleſiaſtici aliquot, repugnantibus regibus & maxima principum aliorum parte, amplexi ſunt, & debitam Romanæ eccleſiæ obedientiam negarunt.

XXX. Maronitarum autem, ante hoc tempus, de duabus in Chriſto voluntatibus fidem fuiſſe omnino orthodoxam colligit idem Naironus *in præfata diſſertatione p. 89.* ex David archiepiſcopo hujus gentis qui florebat anno Græcorum 1370. id eſt Chriſti 1059. ad quem eo anno ſcripſit epiſtolam Joſeph Abbas, illum rogans ut ex Syriaco Arabici juris faceret eccleſiaſticas Orientalium Syrorum conſtitutiones, quæ epiſtola extat, tum initio earumdem conſtitutionum ſervatarum Romæ in Bibliotheca collegii Maronitarum, tum cod. 76. Arab. apud Aſſem. *to. 1. Bibl. Orient. p. 629. col. 2.* Is enim capite primo ejuſdem textus ſic loquitur: *Græci concordant cum Maronitis in prolatione duarum voluntatum, & Maronitæ aſſerunt duas voluntates conſequentes duas ſubſtantias divinam & humanam.* Obſervat nihilominus in eodem capite, eos qui in Chriſto duas voluntates agnoſcunt, unam etiam aliquando in ipſo adſtruere voluntatem; ſed tunc nomine voluntatis intelligere concurſum utriuſque voluntatis in idem objectum per conformitatem & conſenſum; non vero unitatem potentiæ ſeu facultatis & operationis quam duplicem fatentur, divinam videlicet & humanam: *Nam fieri nequit quod iſtæ duæ voluntates quæ ſunt in Chriſto, non ſint, vel contrariæ, vel concordes: ſi enim ſint concordes in omni earum ſtatu, redit res quod ſint una conſenſu, eo quod earum volitio una ſit: ſi vero ſint contrariæ, conſequetur quod ſubſtantia divina velit quod non vult ſubſtantia humana: ſimiliter ſubſtantia humana, quod non velit divina; ſi autem hoc conſequetur, accidet ſeparatio, & contradictio, & erunt duo* (Chriſti) *& ceſſabit judicium unionis.* Eodem modo ſeſe explicat auctor collectaneorum Maronitarum, interrogatione 12. apud eumdem Naironum *in diſſert. citata pag. 94.* Addit Aſſemanus *to. 2. Bibl. Orient. p. 293.* in vetuſtiſſimis Maronitarum Kalendariis recoli memoriam ſextæ ſynodi, & omnium fere ſanctorum qui

Digitized by Google

Monothelisinum impugnarunt acrius, ut A
Sophronii *Hieroſolymitani* 13. Mart. Andreæ Canonographi 4. Jul. Maximi Conf. 13. Aug. Martini 3. April. contra vero nullum ex Monothelisini patronis in eo Kalendario locum habere. Ex quo inferendum putat Maronitarum gentem nunquam adhæsiſſe totam hæreſi Monothelitarum.

XXXI. Non refragatur tamen Naironus *in diſſert. præfata pag. 96.* quin, juxta quod ſcripſerunt Philippus Mazerius in vita ſancti Petri Thomæ, & Raynaldus ad annum 1445. num. 21. quidam ex Maronitis ſchiſmaticis B
qui hæreſim Monothelitarum amplexi fuerant, eam in Cyprum inſulam adſportaverint, ibique multorum corruperint fidem; perſeveraveritque virus inter aliquos uſque ad Eugenii IV. pontificatum, ſub quo Elias epiſcopus ſchiſma & hæreſim apud Andream epiſcopum Coloſſenſem & nuntium apoſtolicum ejuravit. Vide ſupra quod de bulla *Benedictus Deus*, ea occaſione ab Eugenio IV. data dictum eſt num. v. col. 5.

XXXII. Schiſmate ſedato, quod Thomas Hharanita inter Maronitas excitarat, aliud C
ſuſcitare molitus eſt quidam Ebn-Sciehban, de quo hæc leguntur in chronico jam pluries citato apud Nairon. *in diſſert. præfata p. 99. Ebn-Sciehban erat ex Hardin... Græcus,* qui *poſtea factus eſt Maronita. Venit ad illum ſocius infamis.... Eſau, archiepiſcopus: & docuerunt ſignum crucis uno digito faciendum, & condemnandum eſſe concilium quartum, Papam Leonem, & Imperatorem Marcianum.* Præterea ex eodem chronico, apud præfatum Naironum *in cit. diſſert. pag. 100. Dæmon omnis deceptionis parens quum perſpexiſſet Maronitarum popu-* D
lum exultantem, eique invidens, illum mæſtitia affecit duorum monachorum opera. Primus erat ex oppido Januhh, alter vero ex Barnebuhh: amboque diabolico aſſerebant ſpiritu, Chriſtum non habuiſſe animam, neque pati, neque ſentire potuiſſe. Horum rebellio quum ad Papam perveniſſet, miſit nuntios ut eos reconciliaret, quos Patriarcha, cujus nomen erat Lucas ex oppido Bnehran, noluit admittere. Eos pontifex excommunicavit.... ideoque ſchiſma propter duos illos emerſit: Quod manſit uſque ad electionem Hieremiæ ejus ſucceſſoris. Is enim, conſtituto E
Theodoro epiſcopo ex Kfarſu, ſuo in Patriarchatu vicario, Romam ſe contulit ſub Innocentio III. diviſamque in partes nationem Maronitarum ad concordiam & pacem revocavit, adjuvante Willelmo Cardinali S. Marcelli, quem ſummus pontifex in Syriam miſerat, ut colligitur ex bulla ejuſdem Papæ ad hunc Hieremiam Patriarcham, in qua aſſerit ipſum adfuiſſe concilio Lateranenſi: & confirmantur hæc ex eodem chronico Maronitarum, ubi poſt exortarum contentionum deſcriptionem inter hujus nationis magnates ob præfatum ſchiſma, ſubditur principem quemdam ſeu regulum (ut vocant) in provincia Byblienſi, inſtanter petiiſſe ab Hieremia Patriarcha, ut Romam ſe conferret, & obtineret à ſummo pontifice excommunicationis abſolutionem pro his qui eam incurrerant. Venit itaque Romam Hieremias, ut dictum eſt, ac perhumaniter ab Innocentio III. exceptus fuit, qui ei conceſſit cuncta ad votum. Quum vero quinque annos & ſex menſes Romæ moratus eſſet, licentiam redeundi obtinuit. Miſit cum eo ſummus Pontifex Cardinalem Willelmum cum omni poteſtate, ſuoque ſigillo, ut ſcriberet fidem populi Montis-Libani. *Anno* itaque *Incarn. Dominicæ,* (ex præfato chronico apud eumdem Naironum *in diſſert. pag. 106.*) *1215.* (Fuit noſtro computo *1216.* ſi Hieremias interfuit concilio Lateranenſi) *die 3. menſis Januar. egreſſus eſt Roma exultans* (Hieremias Patriarcha) *pervenit Tripolim menſe Martio, & ſuper muros civitatis tympana ſonuere, & ſtatim emanavit fama de adventu Patriarchæ Montis-Libani. Theodorus ex Kfarſu epiſcopus, quem ſuum vicarium Patriarcha conſtituerat, magnam populi multitudinem ibi collegit, & nequaquam exultavit niſi poſt ſuſceptam ab eo benedictionem, & abſolutionem ab excommunicatione: & propria ſubſcriptione juramento firmarunt ſe non retenturos niſi fidem Petri. Quo peracto nullus hæreticus viſus eſt zizania inter ipſos ſeminare, neque habitare in Monte-Libano. Ducenti ac ſeptuaginta fuere qui præfatam firmarunt ſcripturam, neque aliqua extat corruptela in nominibus, quæ uſque adhuc inveniuntur.*

XXXIII. Monet in eadem diſſertatione Naironus *pp. 109. & ſeqq.* ſi quando à ſummis Pontificibus (ut præſertim in quibuſdam bullis Innocentii III. Alexandri IV. Eugenii IV. & Leonis X. cernere eſt) Maronitis aliqui attribuuntur errores, illos, vel non toti eorum nationi, ſed iis tantum qui ex eadem natione à recta ſemita deflexerant, vel ex falſa relatione imputari. Id profecto teſtatur Petrus Hieronymus Dandinus Societ. Jeſu Viſitator Apoſtolicus à Clemente VIII. ad Montem-Libanum miſſus *cap. 18.* (28.) hiſtoriæ ſui itineris, apud eumdem Naironum *ibid. p. 110.* Poſtquam enim dixit Maronitas aſſerere *diplomata ſummorum pontificum fuiſſe eo modo exarata ex falſa relatione iis miſſa:* pergit; *Quod ita eſſe inveni, dum perſpexi eorum proprios codices Catholicæ haudquaquam adverſari veritati; quæ diſtinctio, ac librorum ſelectio, quum non eſſet habita ab aliis, ea qua perquirebatur diligentia, mirum non eſt in bullis ſummorum Pontificum varios errores Maronitis*

Digitized by Google

attribui: utque veritas magis eluceſcat, obſervandum eſt omnes bullas fuiſſe extractas ad verbum ab illa Innocentii III. quod diploma non loquitur de ſolis Maronitis, ſed etiam de Græcis qui tunc in Tripolitana urbe una ſimul Romanæ eccleſiæ præſtitere obedientiam coram Cardinali ſancti Marcelli Legato Apoſtolico in partibus Orientalibus, ex quo factum eſt ut errores unius nationis impoſiti fuerint alteri. Idem quoque affirmat Thomas Biatienſis in lib. de procuranda ſalute omnium gentium cap. 22. *(ibid. p. 111.)* ubi de Maronitis loquens, ait: *Cæterum apud Patriarcham diligenter aſſervantur diplomata Pontificia Romanæ ſedis jam inde uſque ab Innocentio III. & deinceps à reliquis Pontificibus qui ad eos vel Legatum, aliquando Cardinalem ſancti Marcelli, vel ad alios miſerunt. Quum in litteris Pontificiis olim admoniti fuiſſent Maronitæ, una cum Græcis, ne aliquos errores tenerent, ſed abjicerent, factum eſt ut à quibuſdam qui eo ex urbe commigraverant exiſtimaretur iiſdem Maronitas erroribus teneri, quibus plerique Græci implicarentur; nimirum proceſſionis Spiritus ſancti à Patre duntaxat, negationis Purgatorii, & aliorum hujuſmodi dogmatum: at Maronitæ ingenuè teſtati ſunt ab iis erroribus ſe eſſe alieniſſimos; verum etiam plura in ſuis libris ac liturgiis demonſtrarunt, quibus & catholica dogmata conſtanter tuentur, & reipſa in anniverſariis, cæteriſque defunctorum officiis crebri ſunt.* Refert inſuper ſupra recitatus P. Hieronymus Dandinus Societ. Jeſu in præfata hiſt. itineris ſui ad Montem-Libanum, *cap. 16.* Sergium Riſium Maronitarum Patriarcham anno 1596. apud ſe graviter conqueſtum eſſe, quod à paucis abhinc annis, quidam qui Roma ad eos venerant, celebrata ſynodo quam à ſe, fratre-ve prædeceſſore ſuo, convocatam aut approbatam fuiſſe negavit, chartam albam, cui, ad illorum requiſitionem, tum ipſe, tum epiſcopi alii, imprudenter nomen ſuum appoſuerunt, eorum proteſtatione confiſi quod in illa duntaxat ſcriberentur, quæ honori & bono totius nationis Maroniticæ conducerent: hanc, inquam, illi nihilominus variis erroribus quaſi ex ſynodo prædicta approbatis Tripoli ipſis inſciis repleviſſent, ſummoque Pontifici, ac Dominis Cardinalibus porrexiſſent. Id autem in cauſa fuerat cur eumdem Hieronymum Dandinum Clemens VIII. eo anno 1596. miſerit ad Maronitas, ut convocata altera ſynodo, quid reipſa ſentirent fieret manifeſtum.

XXXIV. Quod autem in Maronitarum libris nonnullæ reperiantur hæreſes, præſertimque de una in Chriſto natura & voluntate, id ortum obſervat idem Naironus *in præfata diſſert. p. 112.* Jacobitarum fraude, qui quum eadem qua Maronitæ lingua utantur Syriaca, horum codices corruperunt, iis inſerentes ſuos errores. De hoc conqueſtus eſt Petrus Patriarcha Maronitarum in epiſtola ad Cardinalem Antonium Caraffam anno 1578. die 25. Auguſti exarata, his verbis: *Et quia, frater mi, erit aliquis qui vobis ſcribet in noſtris libris inveniſſe aliqua verba ſanctam eccleſiam oppugnantia; nos non recipimus niſi quod recepit ſancta eccleſia, & quod invenitur in exemplaribus, potuerunt ingredi & immiſceri in illis* (ſcilicet libris noſtris) *nonnulla ex codicibus nationum quæ ſunt circa nos per multum tempus: Frater mi, omnem deponas ſuſpicionem de rectitudine noſtra: ab antiquo fundati ſumus in fide ſanctæ eccleſiæ Apoſtolicæ Romanæ, quam ſemper ſumus amplexi; & nequaquam vobiſcum tantum ore loquimur, ſed ore ſimul ac corde, & Deus de hoc ſit teſtis.* In cujus rei confirmationem ſubdit Thomas Biatienſis ſupra citatus *in eodem cap. 22. Quin etiam quum aſtu Jacobitarum, apud quos non paucæ ſunt hæreſes, varii libri diſſeminati fuiſſent inter Maronitas, accidit, ut qui eos reperit dum ex urbe miſſus eſt, putaret Maronitarum eſſe errores, qui revera ſunt Jacobitarum, quamobrem conqueſti ſeſe purgarunt.* Antiqui nihilominus reperiuntur apud Maronitas codices prorſus illibati, qui cæterorum depravationem demonſtrant, ut teſtatur Stephanus Edenenſis Patriarcha Maronitarum, in epiſtola ad Naironum ſcripta die 1. Januar. anni 1674. cujus hæc verba refert ipſe Naironus *in diſſert. præfata p. 115. At Deus, cui laus, uti ſuæ eccleſiæ gubernator, noſtræque cupidus ſalutis, ne omnia corrumperentur exemplaria providit, quia aliqui codices ſunt variati ac mutilati, iidemque prorſus illæſi ac perfecti ullo abſque dolo inveniuntur.* Hinc ad contundendam illam hæreticorum proterviam, Patriarcha Maronitarum cæterique ejuſdem nationis proceres à ſummis Pontificibus ac ſacra congregatione de propaganda fide libellis ſupplicibus petierunt, ut libri ſui eccleſiaſtici typis Romanis mandarentur: quod ipſis conceſſum eſt.

XXXV. Hæc diligentius exaranda viſa ſunt, ut, libratis æqua lance rationibus, cæteriſque momentis quibus, vel impetitur, vel defenditur, fides antiqua gentis Maronitarum, de qua apud Auctores, maxime recentiores, vix quicquam certi erui poteſt, maturius ferre valeat circa illam prudens lector judicium.

XXXVI. Incolunt Maronitæ, teſte eodem Nairono in Evopl. fidei Cath. *cap. 4. n. 24. pag. 81.* Phœniciam Syriæ regionem, quæ ab Aquilone à Valania flumine, ubi ſitum eſt caſtrum *Marghat* ſeu *Marqab*, ſumit initium, & in longitudinem extenditur verſus Auſtrum ultra Carmelum montem uſque ad Caſtrum

Peregrinorum quod modo *Tartura* nuncu- A patur: in latitudine vero à Mari Mediterraneo verſus Orientem ultra Libanum montem, & Damaſcum, uſque ad Arabiam deſertam porrigitur. Dividitur autem in *Maritimam* & *Libanicam*. In prima, quam alluit Mare Mediterraneum, continentur urbes Tyrus, Ptolemaïs ſeu Accon, Sidon, Berytus, Botrys, Tripolis, & Antaradus ſeu Tortoſa. Tyrus hujus regionis caput eſt. In ſecunda, recenſentur urbes Damaſcus, Heliopolis quæ nunc Baalbech dicitur, Archis vulgo Arqua, & Paneas ſeu Cæſarea Philippi. Caput eſt Damaſ- B cus, ex Willelmo Tyrio.

XXXVII. Aſſurgit *Libanus* ad Orientem urbis Tripolis tanta ſublimitate, ut ſemper nivibus coopertus ſit, de quo Schœffer in tractatu de Palæſtina, & ſanctus Hieronymus in Zachariam. Hoc idem *Libani* nomen, ut referunt Brocardus, & alii, retinent omnes montes à Libano uſque ad Galaad & Hermon in Palæſtina: montes vero qui inter Tyrum & Sidonem à flumine Eleutherio verſus Tripolim ad Occidentem Libani protenduntur, *Antilibanus* nuncupantur. Cæterum Libanus C oleo, pecore, volatilibus, ac frugibus ita abundat, ut Genebrardus lib. 1. chronic. ad annum mundi 235. primam totius orbis civitatem in Libano extructam fuiſſe aſſerat: Idem quoque cenſuit Adricomius Delphus in theatro terræ ſanctæ *p. 4. Enoch,* inquit, *civitas in toto orbe prima* (eſt) *quam Cain in Libano monte ædificavit, muriſque communivit, atque ex nomine Enoch primogeniti ſui Enoch vocavit.* Hanc communis traditio fert ſitam eſſe ubi hodie viſitur oppidum *Ban*, cujus rudera *Medinat-Elras* appellantur, hoc eſt, *civitas* D *capitalis*.

XXXVIII. In montanis ad Orientem Tripolis eſt regio Libanica *Giobbet Bſciarrai* nuncupata, in qua Libanus mons aſſurgit, ad cujus radices in monaſterio Canobinenſi reſidet Maronitarum Patriarcha. Eſt regio ſatis ampla quam *Fons Hortorum*, vulgo *Qadiſcia*, id eſt, *flumen ſanctum* interſecat. Eminet in ea *Eden* quam *Paradiſum* interpretantur, à qua parum diſtat monaſterium ſub invocatione SS. Sergii & Bacchi, quod dicitur *Dair Ras Elhahr*, ubi reſidet epiſcopus qui *Edenenſis* E titulo nuncupatur. Hanc regionem ſequuntur duo loca principaliora, *Bſciarrai* nimirum, & *Hhadet*, quæ tanquam urbes antiquitus reputabantur. Bſciarrai huic ditioni nomen imponit, quæ ab ea *Giobbet Bſciarrai* vocatur, ut diſtinguatur ab alia, quæ *Giobbet Elmneitra* dicitur. Bſciarrai arce munita erat, nunc pene diruta, in qua ad noſtra uſque tempora princeps Maronita reſidebat; qui *Mqaddem* titulo præfulgens toti huic regioni hæreditario jure præerat. Ea familia extincta eſt, unde hujus præſidis nominatio, ad libitum, & ad nutum Baſciæ Tripolitani devenit. *Hhadet* modo pene deſerta, valde celebratur in Maronitarum chronicis ob bellum fortiter geſtum adverſus Saracenos per annos ſeptem. Ad Libani meridiem adjacet *Giobbet Elmneitra* à diruto oppido *Mneitra* ſic dicta. In ea eſt *Aqura* ubi reſidet epiſcopus Aqurenſis vocatus. Ad ejuſdem montis Septentrionem tres aliæ connumerantur ditiones, *Dannie* videlicet, *Accar*, & *Draib*.

XXXIX. Omnes has Phœniciæ partes ſparſim incolunt Maronitæ, aliis nationibus Orientalibus, ac præſertim Melchitis permixti, quum de aliis nationibus pauci homines in Phœnicia inveniantur, præter Turcas, ob quorum nimiam vexationem, Maronitæ montani, innumeris fere locis derelictis, per varias Syriæ urbes extra Phœniciam ſe contulerunt, Aleppum ſcilicet, Apameam vulgo Hhama ſuper Orontem, Laodiceam, Hieroſolymam, & alio, ubi in ſericis pannis conficiendis maximam navant operam. Nonnulli autem in Druſorum regionem, & in Keſruan ſub Emiri patrocinio ſe receperunt. In regno quoque Cypri aliqua viſuntur oppida à Maronitis habitata, eo profugis, ex quo Saladinus Hieroſolymam Francis eripuit. Hi linguam Græcam loquuntur hujus inſulæ vernaculam, præterquam in officiis eccleſiaſticis, in quibus lingua Syriaca utuntur.

XL. Proprium habent Patriarcham Maronitæ qui in monaſterio Canobinenſi ad radices Montis-Libani, ut ſupra dictum eſt, reſidere ſolet. Ab epiſcoporum ipſi ſubditorum collegio eligitur, adſtantque aliquot magnates ejus electioni, ad ſedandas, ſi quæ oriantur, diſcordias. Electus, à ſede apoſtolica Romana confirmatur, & eccleſiæ *Antiochenæ* titulo inſignitur, additque proprio nomini *Petri* nomen in honorem principis Apoſtolorum qui primum Antiochiæ ſedit. Quinque ſub ſe habet metropolitas Patriarcha Maronitarum, *Tyrienſem* ſcilicet, *Damaſcenum*, *Tripolitanum*, *Aleppenſem*, & *Nicoſienſem* in Cypro. Plures etiam habet epiſcopos, ut *Sidonienſem*, *Berytenſem*, *Byblienſem*, *Botryenſem*, *Edenenſem*, *Accurenſem*, & alios, qui licet ſint metropolitarum ſuffraganei, nullum tamen ſuperiorem præter Patriarcham agnoſcunt: quod idem obſervatur à cæteris Chriſtianis Orientis nationibus. Horum opera & conſilio Patriarcha, in religionis & fidei cauſis utitur; eoſque, ſi ratio poſtulat, ad ſuæ curæ commiſſas oves, per Syriæ urbes & oppida ablegare ſolet: & quamvis ad proprias reſidentias non ſint adſtricti, attamen prout eccleſiæ neceſſitas exigit, diſcurrunt, multitudini

provident, & Patriarchæ mandata exequuntur. A

XLI. Plura numerantur apud Maronitas cœnobia Virorum & Monialium, quorum omnium antiquiſſimum eſt *Quzhhaia* in Giobbet Bſciarrai in Libano: monachi ſunt ſancti Antonii abbatis, caputio ſeu cucullo & nigra tunica induti. Quædam extant monaſteria Monialium ejuſdem ordinis abſque clauſura, præſertim in regione Keſruanenſi, in qua celebre eſt illud S. Joannis *de Hhraſc* funditus erectum à Joſepho Accurenſi Patriarcha Maronitarum.

XLII. Recitationi divinorum officiorum, B ac etiam horis nocturnis, tam clerici, quam ſæculares, ut plurimum interſunt, quin immo & ipſæ mulieres. Præter officium de tempore, & de ſanctis, extat apud Maronitas officium proprium valde prolixum totius Quadrageſimæ. At in tribus hebdomadibus ante Quadrageſimam memoria agitur defunctorum, eo ordine. In prima videlicet hebdomada fit commemoratio ſacerdotum & aliorum de clero. In ſecunda, monachorum: in tertia reliquorum defunctorum, ut videre eſt in pervetuſtis codicibus Syriacis Novi Teſtamenti, qui ſervantur in Bibliotheca Medicæa C ſancti Laurentii Florentiæ, & collegii Maronitarum Romæ, & alibi, in quibus indicantur lectiones & Evangelia pro his commemorationibus defunctorum.

XLIII. Inchoatur apud Maronitas jejunium Quadrageſimale à Dominica Quinquageſimæ, per ſeptem integras hebdomadas, exceptis tamen diebus Sabbati, & diebus feſtis, eo tempore occurrentibus, ut ſancti Maronis die 9. Februar. SS. 40. Martyrum, & Annunciationis B. M. V. in quibus non D jejunant. In decurſu anni fit abſtinentia à carne & lacticiniis per 14. dies ante feſtum ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli; totidemque ante Aſſumptionem B. M. V. & per 20. dies ante Nativitatem Domini. Idem fere ritus viget apud cæteras nationes Chriſtianas Orientis. Nonnulli ex monachis ſtrictioris obſervantiæ ſe à lacticiniis abſtinent per decem dies ante Pentecoſten, quod antiquitus erat omnibus commune tam eccleſiaſticis, quam ſæcularibus.

XLIV. Diſtributio officii divini fit eo modo apud Maronitas: in tribus primis hebdomadibus jejunii Quadrageſimalis, totum fit officium de jejunio, deque ejus utilitate, cum Evangeliis ac lectionibus ad id accommodatis. In quarta & quinta hebdomade de miraculis Domini noſtri Jeſu-Chriſti. In ſexta de feſto Palmarum, & in ſeptima de Paſſione Domini, in qua nulli in eccleſia tribuitur pax, nec ſe mutuo toto eo tempore ſalutant, nec manus deoſculantur ſacerdotum. In Dominicis ante Nativitatem Domini celebrant ea myſteria quæ Chriſti natalem præceſſerunt: Apparitionem nimirum Angeli ad Zachariam, Annunciationem B. M. V. Viſitationem ejuſdem ad S. Elizabeth, Nativitatem S. Joannis-Baptiſtæ, & Apparitionem Angeli ad S. Joſeph, de quibus eſt proprium officium, licet modo præfatorum myſteriorum recitentur tantum commemorationes. Hæc omnia eruimus ex præfato Fauſto Nairono in Evoplia fidei Catholicæ à *pag. 81.* ad *96.*

XLV. Pro coronide, elucidationis cauſa in poſterum cur ſimplices Maronitarum epiſcopi, non raro *archiepiſcopi* titulo inſigniantur, addendam ducimus notam ſive obſervationem, quam ea de re appoſuit Græcus, ut putatur, urbis Tripolitanæ præſul in epiſtola Arabicè ſcripta ex eadem urbe an. 1732. vel 1733. ad Dominum Jacobum Lamerium nationis Gallicanæ in eadem civitate conſulem, quamque in Latinum ſermonem fideliter tranſtulit Pariſiis an. 1733. Joſephus Georgius Aſcari ſacerdos Maronita ex civitate Aleppi in Syria, ut ipſemet teſtatur ad calcem hujus epiſtolæ. Obſervatio autem illa his verbis exprimitur: *Nota, in toto Oriente his temporibus nullatenus inveniri meros epiſcopos; ſed omnes eſſe archiepiſcopos: idque eveniſſe ob Agarenæ nationis, ſeu Mahometanorum illic dominantium tyrannidem & ſævitiem: ſed non ita res ſe habet in Græcia; quum uſque ad hodiernam diem quilibet archiepiſcopus habeat duos, vel tres, vel quatuor epiſcopos ſuffraganeos; uti eſt archiepiſcopus Cretenſis, qui duodecim epiſcopos ſuffraganeos habet: & ſic eſt, proportione habita, de cæteris.*

PATRIARCHÆ

Digitized by Google

PATRIARCHÆ MARONITARUM.

I. Joannes Maro.

PRimus qui in notitiam noſtram venerit Patriarchæ Maronitarum nomine inſignitus, eſt *Joannes Maro*, cujus vitam ſupra deſcripſimus *n. VI. & ſeqq. col. 6.* ex Aſſemano *tom. 1. Bibl. Orient.* à *pag. 496.* ad *pag. 506.* Joannes Maro, inquit, primus Syrorum Maronitarum poſt Theophanem Macarii Antiocheni (in ſynodo ſexta ob pertinacem Monotheliſmi profeſſionem depoſiti anno Chriſti 680.) ſucceſſorem Patriarcha claruit circa annum Chriſti 700. Ejus acta ex pervetuſto codice Arabico, anno Chriſti 1495. deſcripſit Gabriël Barclaïus epiſcopus Nicoſienſis in libro ad Georgium preſbyterum Beſciaræ filium adverſus Jacobitas, *cap. 10.* Eademque anno 1639. Latinè publicavit Pater Franciſcus Quareſmius in elucidatione terræ ſanctæ *lib. 1. cap. 37. pag. 96.* Uterque tamen mendoſum codicem nactus, pro *Agathone* Papa, ſub quo Macarius Antiochenus in ſexta ſynodo damnatus fuit, *Evagrium* qui in Romanorum pontificum ſerie nullus eſt, poſuit: & pro *Sergio* Papa, ſub quo Joannes noſter genti ſuæ Patriarcha præerat, *Honorium* ſubſtituit, immani anachroniſmo, quum Honorius Papa (qui deceſſit anno Chriſti 638.) quinquaginta (ſaltem quadraginta) circiter annis Macarium Antiochenum Theophanis prædeceſſorem anteceſſerit. Honorii nomen ſubrepſit & in manuſcripta hiſtoria, qua uſus eſt clariſſimus Fauſtus Naironus *in diſſertatione de origine, nomine, ac religione Maronitarum num. 14.* & refertur à Pagio in crit. annal. Baron. ad annum 635. n. 8. Vide doctiſſimas in utramque Joannis Maronis vitam obſervationes Stephani Edenenſis Patriarchæ Antiocheni in vindiciis Maronitarum *lib. 1. c. 7. & ſeqq.* ex quo hæc Joannis acta ſummatim excerpſi. Hucuſque Aſſeman. citatus, qui in eadem *pag. 496. in not. 1.* monet auctorem Syriacæ vitæ Jacobi Baradæi Zanzali (ex quo Monophyſitæ dicti ſunt *Jacobitæ*) de Joanne Marone ſic loqui, apud eumdem Edenenſem, *cap. 6. Tum vero claruit Jacobus* (Baradæus) *qui apoſtolicam fidem à Jacobo primo Hieroſolymorum epiſcopo traditam, integram illibatamque conſervans, eccleſiam univerſam rebus præclare geſtis complevit. Quumque ſibi partes occurrerent, hæretici nimirum & orthodoxi;* (per *hæreticos* intelligit Catholicos, & per

A *orthodoxos* Monophyſitas) *hæretici ſciſcitabantur: Vos quinam eſtis? Orthodoxi reſpondebant: Nos fidem tenemus Jacobi apoſtolorum primatis* (id eſt, qui illius eccleſiæ primus antiſtes fuit ubi incepit religio Chriſtiana prædicari & ſuſcipi; nam Jacobitæ, inquit Aſſemanus *ibidem*, ſoli Petro primatum Apoſtolorum tribuunt, & in officiis divinis paſſim prædicant: Hieroſolymitanam vero Jacobi ſedem ne Patriarchali quidem honore dignantur, ut bene notat Renaudot. *tom. 2. Liturg. pag. 95.*) *qui frater Domini noſtri ſe-*
B *cundum carnem appellatus eſt; quam nobis prædicat divinus iſte Jacobus* (Baradæus.) *Illi autem qui erant ex adverſa parte: Ephræmi Amidenſis ſumus, aiebant, aut Joannis Sirimenſis* (id eſt Maronis) *Patriarchæ Deo adverſarii.* Joannem vocat *Sirimenſem* hic ſcriptor Jacobita, quia Joannes Maro *Sirimo* Cynegicæ regionis vico in territorio Antiochenſi oriundus erat. Non enim de Joanne altero Sirimenſi loquitur, inquit Aſſem. *ibid.* qui ſub Juſtiniano Imperatore in locum Eutychii Conſtantinopolitani ſuffectus fuit, teſte
C Evagrio *lib. 4. cap. 38.* ut-pote cui nulla cum Móntis-Libani, aut aliis Syriæ incolis diſceptatio fuerit, & fortaſſe idem illis nec de nomine notus extiterit. Ex quo Jacobitæ auctoris teſtimonio manifeſtum fit Maronem & ejus aſſeclas Jacobitis fuiſſe inviſos. Ad ſedem Botrenſem evectus dicitur Joannes Maro in ejuſdem actis anno Conſtantini Pogonati octavo, id eſt Chriſti 676. (non 686.) Deinde Maronitarum Patriarcha electus; quod non intelligendum quaſi à clero Antiocheno poſt mortem Theophanis
D fuerit renuntiatus, ut hanc ſedem impleret; ſed quod ab iis duntaxat qui Maronitis tunc præerant aſſumptus fuerit, ſubinde non computandus inter proprios ſedis Antiochenæ præſules, quia nimirum nomen *Patriarchæ Antiocheni* Patriarchis Maronitarum à pluribus ſæculis inditum, titulus eſt ſolummodo honoris cauſa. Ita monet Aſſem. *ibid. p. 503. in not. 1.* qui etiam pro commento habet, quod in iiſdem actis refertur apud Quareſmium, Maronem *Romam profectum fuiſſe, & à ſummo pontifice Patriarcham Antiochiæ or-*
E *dinatum:* idque ex eo probabiliter ortum eſſe exiſtimat, quod Joannes una cum Maronitis ſuis, præter reliquos Syros, Apoſtolicæ ſedis communioni adhæſerit. Joannes Severius de Vera, qui multa de rebus Orientalium

Digitized by Google

perſcrutatus eſt, ait quoque in itinerario Hie- A roſolymitano *cap. 27.* apud Naironum *in cit. diſſert. de Maronitis p. 31. Maronitas propter diverſitatem religionum quæ in Syria vigebant, petiiſſe à Romano pontifice, ut eis proprium præficeret Patriarcham, quorum petitionibus annuens ſummus pontifex, Patriarchali dignitate Maronem inſignivit ..... qui ſanctiſſime vixit. Ex quo tempore Maronitæ proprium ſemper ſibi elegerunt Patriarcham.* Migravit ex hac vita Joannes Maro, ut idem Edenenſis narrat in ſerie Patriarcharum Maronitarum, apud præfatum Aſſeman. *ibid. pag. 505. in nota 1.* B anno Chriſti 707. in Caphar-Hai. Eccleſia Maronitica ejus feſtum ſolemniter celebrat quotannis quinto idus Februarii, id eſt, die 9. hujus menſis, ut habet idem Aſſeman. *ibid. pag. 506.*

II. CYRUS.

Stephanus Aldoenſis de Heden Maronitarum Patriarcha, in breviculo de Antiochenorum Maronitarum Patriarcharum genealogia, quod de Arabico Joſeph Aſcari ſacerdos Maronita ex urbe Aleppo in Syria, C Latinè tranſtulit Pariſiis anno ſalutis 1733. Joanni Maroni circa annum Chriſti 707. defuncto ſucceſſiſſe ait *Cyrum* ejus ſororis filium, qui electus miſit ad Romanum Pontificem pro obtinendis confirmatione & pallio, uti in vita, inquit, avunculi ejus refertur, gentemque ſuam uſque ad obitum optime gubernavit.

III. GABRIEL I.

Poſt Cyrum in Patriarcham promotus eſt, ex eodem Stephano, *Gabriël* de Monte-Libano, prout in antiquis exemplaribus, inquit, D regiſtratum invenimus.

Melchitæ vero, poſt Juſtiniani II. mortem, ad confeſſionem duarum naturarum & voluntatum in Chriſto redierunt, & imperante Conſtantino Copronymo ſibi Patriarcham pro ſede Antiochena elegerunt, qui ſuam reſidentiam Damaſci fixit. Hæc idem Stephanus.

IV. JOANNES II.

Gabriëli ſubſtitutus eſt alius *Joannes,* cognomento etiam *Maro,* qui fuerat monachus E in cœnobio S. Maronis ad Orontem fluvium. Scripſit de eo Gabriël Barclaius in cantu quem de conciliis compoſuit, his verbis: *Surrexit deinde Maro alter, ex monaſterio Dominico, ſapiens & doctus, appellatus quoque Joannes, fuitque Patriarcha. Venit hic juſtus ad pagum Januhh ſecum ducens nonnullos epiſcopos qui Montis-Libani monaſteria incoluerunt: & fides Maronis non eſt mutata.* Ita idem Stephanus.

V. JOANNES III.

Joannes ex hac vita migrans alteri *Joanni* ſedem ſuam reliquit, qui ex pago Dmalſa in Botridis diſtrictu oriundus erat. Quum enim Joannes ſe vidit morti proximum, ut legitur in relatione mortis ejus, omnes Montis-Libani ſacerdotes congregavit, illiſque Patriarcham hunc Joannem aſſignavit.

VI. THEOPHILUS.
VII. GREGORIUS I.
VIII. STEPHANUS.
IX. MARCUS.
X. EUSEBIUS.
XI. JOANNES IV.
XII. DAVID I.
XIII. GREGORIUS II.
XIV. THEOPHYLACTUS.
XV. JESUS *ſive* ISA.
XVI. DOMITIUS.
XVII. ISAAC.
XVIII. JOANNES V.
XIX. SIMON I.
XX. HIEREMIAS I.
XXI. JOANNES VI.
XXII. SIMON II.
XXIII. SIMON III.

Præfatus Stephanus, ſubjungit: de his quinque Patriarchis non eſt dubium eos in Monte-Libano moratos fuiſſe, ſibique invicem ſucceſſiſſe poſt Theophanem (id eſt ab anno Chriſti circiter 683. aut 684.) Id enim clare patet ex epiſtola quam anno ſalutis 1495. ſcripſit Gabriël Barclaius ad Dominum Georgium de Angelis preſbyterum *cap. 11.* Invenimus præterea eorum nomina regiſtrata in quodam folio Syriacè ſcripto, reperto apud prædeceſſorem noſtrum Georgium de Beſbeéli. Scripſerat autem prænominatum exemplar quidam qui vocabatur David filius Abrahami, anno æræ Græcæ 1626. (Chr. 1315.) ex quo illud eſſe antiquius Barclaii regiſtro 180. annis patet. Plura etiam exemplaria ſunt quæ propoſuit nobis venerabilis frater noſter Georgius Abacuc Accurenſis epiſcopus: & ſicut reperimus, regiſtravimus hic, abſque ulla annorum quibus electi ſunt annotatione. Sed de aliis qui ſedem Antiochenam (Maronitarum) obtinuerunt in Monte-Libano, uſque ad Francorum in Syriam adventum, nullo penitus modo in eorum cognitionem venire potuimus: idque contigiſſe credimus ex non modica noſtræ nationis librorum jactura tempore quo ſub Infidelium dominatione ingemuit: quum enim tunc ſæpeſæpius ſolum mutare cogeretur, vel igne conſumpti ſunt codices noſtri, vel in bellis diſſipati, vel in fluvios injecti, vel ab hoſtibus

Digitized by Google

ſublati & diſperſi fuere. Verumtamen poſt aliquod intervallum incidit in manus noſtras quoddam volumen majuſculum ævi antiquioris, continens ſanctiſſimi miſſæ ſacrificii ritum, in quo libro prope finem extat officium quod à miniſtro quotidie recitatur. In hoc autem officio, ubi ſit commemoratio Patriarcharum qui Chriſti ovile in ſede Antiochena gubernarunt, dicitur Syriacè id quod Latinè ita ſonat: *Mentionem quoque facimus de omnibus veris Paſtoribus, & ſanctis patribus, à Petro Apoſtolorum principe, omniumque Paſtorum primario, atque ab Ignatio ejus diſcipulo, uſque ad Theophilum, Jeſum, Davidem, Gregorium, Domitium, Iſaac, & Joannem, qui pontificatus dignitatem miniſtrarunt in ſancta catholica & apoſtolica eccleſia, ſanctæque &glorioſæ ſedis Antiochenæ Theopolis, ut ipſorum oratione noſtrum miſerearis Deus.* Item in alia commemoratione quæ prolixior eſt præcedenti: *memoriam facimus Theophili, Gregorii, Stephani, Marci, Euſebii, Joannis, Gregorii, Theophylacti, Jeſu, Domitii, Iſaac, Joannis, Simonis; & Simon hic quem Deus amat, eſt qui converſatur modo: horum omnium Deus Domine precibus miſerere noſtri.*

Poſt hos quatuordecim (ſi *David,* qui in priori catalogo recitatur, tredecim in poſteriori nominatis addatur) prænominatos Patriarchas, numerantur etiam alii quatuor, nempe *Hieremias, Joannes,* & *duo Simones,* qui quatuor abſque ullo dubio fuerunt Maronitæ, ſederuntque poſt Francorum in Syriam adventum, quia eorum hiſtoriæ apud nos notæ ſunt, & ſummorum Pontificum bullæ ad ipſos tranſmiſſæ cum omni diligentia in noſtræ ſedis bibliotheca adhuc conſervantur; occurrunt itaque hi 18. Patriarchæ, de quibus nihil aliud nobis compertum eſt.

Verum quod ſpectat ad quartuor-decim priores ex prædictis Patriarchas, ingens duabus de cauſis nobis ingeritur ſcrupulus: Prima eſt, quia ritus noſter ad Jacobitarum ritum plurimum accedit. Secunda, quia Maronitæ rariſſime, vel nunquam *Jeſus* nomen ſibi arrogarunt, & hoc pro veneratione nominis illius qui ſolus pretioſo ſuo ſanguine nos redemit: ſed ad eos avellendos ſcrupulos multum contulit, tum duplex exemplar ſeriei Jacobitarum Patriarcharum, quod ab eorum duabus eccleſiis Damaſcena ſcilicet & Aleppina habere curavimus, in quibus nulla prædictorum Patriarcharum mentio occurrit; unde conſtare videtur illos non Jacobitarum, ſed nationis noſtræ fuiſſe Patriarchas: tum quod nomen *Jeſus* uni ex his Patriarchis attributum nihil aliud ſignificet quam *Iſam,* quo nomine multi ex noſtris donantur uſque ad hodiernum diem. De his omnibus Maronitarum Patriar-
A chis nihil aliud hactenus ad noſtram notitiam venit, ut jam dictum eſt. Ita Steph. *ibid.*

XXIV. JOSEPH.

Poſtquam Francorum copiæ in has noſtras plagas advenerunt, Antiochiamque ac ſanctam civitatem Hieroſolymam Saracenis eripuere, tunc Latinos ſibi Patriarchas, ſicut & regem Hieroſolymitanum conſtituerunt: legatos vero ad ſummum Pontificem miſerunt, quibus adhæſit etiam legatus Maronitarum Patriarchæ, qui tunc temporis *Joſeph*
B Giargeſæus appellabatur, habitabatque in pago Januhh de Byblidis territorio, uti narrat Gabriël Barclaius (quem *Gabriëlem Qlai* vocat Naironus) Seraphici Ordinis alumnus, & in noſtra natione epiſcopus, in epiſtola quam ſcripſit ad Patriarcham Simonem de Hadeth anno ſalutis 1494. Quum enim Latini, Godefrido Bullionio duce, urbem Hieroſolymitanam à Saracenorum jugo liberaſſent, Joſeph ille Maronitarum Patriarcha ad Romanum Pontificem (Paſchalem II.) obedientiæ litteras direxit, apud Fauſtum Nairo-
C num, Evopliæ fidei Catholicæ *pp. 67. & ſeq.* quibus cum ſumma lætitia acceptis ſummus Pontifex per eoſdem nuntios mitram, baculumque paſtoralem, ac litteras communicatorias tranſmiſit: *cum legatis Godefridi regis,* inquit Gabriël Qlai, *pervenere Romam legati Patriarchæ Joſephi Giargeſæi, recepitque mitram & baculum anno ſalutis 1100.* Accidit autem circa annum 1111. quemdam Thomam Haranitam Syrum, metropolitam Kfartab in diœceſi Aleppenſi, qui, ex Jacobita, Monothelita evaſerat, ad Montem-Libanum veniſſe,
D ut Maronitarum orthodoxam fidem Monotheliſmo ſuo inficeret, eis ſuggerendo Leonem Romanum Pontificem, & Joannem Maronem primum eorum Patriarcham eidem adhæſiſſe ſententiæ, quam univerſalis quoque eccleſiæ fuiſſe fidem effutiebat antequam Maximus abbas dogma duarum in Chriſto voluntatum atque operationum invexiſſet, ut refert præfatus Naironus, *ibid. pp. 69. & 70.* & adhuc fuſius *in diſſert. de nomine, origine, & religione Maronitarum pp. 69. & ſeqq.* ex eodem Gabriële Qlai in Poëmate de hære-
E ticis. Joſephus enim Patriarcha, & Arſenius metropolita Accurenſis, adverſus hunc Thomam fortiter inſurrexerunt, ſicque eum ſcriptis epiſtolis confutarunt, ut tunc ab omnibus fere, votis conjunctis, rejectus, unum tantum vici Farſciaiæ archipreſbyterum diœceſis Bſciarai, nonnulloſque populi ſeduxerit; qui tamen, multiplicatis ac diſſeminatis tractatus hæretici Thomæ Haranitæ inter Maronitas exemplaribus, poſtea, non totam quidem nationem, ſed aliquam ejus partem,

Digitized by Google

unumque etiam ex ejus Patriarchis, Monotheliſtico errore imbuerunt, ut infra dicemus. Porro elucubratio hujus Thomæ Hharanitæ extat in codice 14. Ecchellenſi, apud Aſſem. *tom. 1. Bibl. Orient. pag. 576.* ſub eo titulo: *Thomæ Hharanitæ epiſcopi Caphartabenſis liber de unica Chriſti voluntate in X. propoſitiones diviſus, & ad Joannem Antiochenum Melchitarum Patriarcham anno Græcorum 1400.* (Chriſti 1089.) *tranſmiſſus, Arabicè, charactere Syriaco.* Vivebat adhuc Joſeph anno ſalutis 1119. ſi ipſe eſt, non vero ſucceſſor ejus Petrus, qui, ut aſſerit jam ſæpius citatus Gabriël Qlai, *in lib. confirmationis veritatis* apud Naironum in Evopl. *pag. 68.* litteras gratulatorias Gelaſio II. ſummo Pontifici pro ejus electione conſcripſerit, quo pontifice brevi defuncto, ab ejus ſucceſſore Calixto II. reſponſum receperit eo anno 1119.

XXV. Petrus I.

Hic *Petrus* erat Maronitarum Patriarcha anno ſalutis 1121. nam in nota appoſita ad calcem cujuſdam codicis Syriaci, *fol. 262.* quam recenſet Aſſem. *to. 1. Bibl. Or. p. 307.* legitur: *Ego humilis Simeon, monachus nomine, has lineas in iſto codice exaravi ad beatiſſimum Patrem noſtrum Mar-Petrum Patriarcham Maronitarum, qui habitat in ſacro monaſterio Maiphuch in valle Ailig territorii Botrenſis; donec dedit mihi poteſtatem ut præeſſem monaſterio S. Joannis in territorio Cuzapanta in inſula Cypro, diebus monachorum qui in præfato S. Joannis monaſterio habitant, &c. anno Græcorum 1432.* (id eſt, Chriſti 1121.) *die 12.* nimirum Octobris quo annus Syrorum incipit. Ejuſdem Petri ad calcem cod. Syr. 7. apud eumdem Aſſeman. *ibid. pp. 611. & 612.* fit mentio his verbis: *In fol. membran. 319. exaratus à Simeone abbate monaſterii S. Joannis in Cuzapanta in Cypro, ſub Petro Maronitarum Patriarcha anno Græc. 1432.* (Chriſti 1121.)

XXVI. Gregorius III.

Gabriël Qlai in citata ſuperius epiſtola ad Simeonem Hadethenſem, apud Naironum in Evopl. fidei Catholicæ *pag. 68.* narrat *Gregorium* Alathenſem Maronitarum Patriarcham legatos miſiſſe anno ſalutis 1130. ad Innocentium II. Romanum Pontificem ut gratularetur ei de exaltatione ad regimen eccleſiæ, qui ad eum viſitationis cauſa Guillelmum Cardinalem miſit.

XXVII. Jacobus I.

Ex annotatione quæ legitur ad calcem cujuſdam codicis Syriaci *fol. 252.* apud Aſſemanum *to. 1. Bibl. Orient. p. 308.* diſcimus *Jacobum Petrum* Maronitarum Patriarcham A ſediſſe anno ſalutis 1141. ſic enim habet: *Anno Græcorum 1452. menſe benedicto Tamuz* (Julio) *die 10. convenit me Petrum Patriarcham Maronitarum in Antiocheno throno ſedentem, Jacobum nomine, ex oppido Ramath diœceſeos Botrenſis, filius Daniël monachus ex monaſterio Caphtuni: ipſique poteſtatem dedi, ex Deo, & ex mea abjectione, ut præeſſet monaſterio S. Joannis in Cuzapanta in cuſtodita à Deo inſula Cypro: prout conſenſum ſuum propriis ſubſcriptionibus firmatum huc miſerunt filii monachi, Eſau ſcilicet monachus, & Elias, &* B *Joannes monachus, & Jacobus ejus frater: laus Domino noſtro, Amen.* De *Petro Jacobo,* inquit Aſſemanus *ibid.* conſule eruditiſſimum Stephanum Edenenſem in chronico ad annos prædictos.

XXVIII. Joannes VII.

Joannes Lephedienſis Patriarcha Maronitarum in Lephed territorii Byblienſis oppido natus eſt. Poſt Jacobum Ramatenſem Maroniticæ toti eccleſiæ præfuit ab anno Chriſti 1151. ad annum 1173. Is primum in cœno- C bio S. Eliæ agri Lephedienſis habitavit: inde ad cœnobium S. Mariæ in Abel ejuſdem territorii ſe contulit, ibique novum monaſterium conſtruxit, ut ex monumentis illius eccleſiæ tradit Stephanus Edenenſis in chronico. Scripſit Liturgiam, de qua idem Edenenſis, in expoſitione miſſæ *cap. 2.* de Catholicis Anaphorarum ſcriptoribus *n. 25.* ait: *Joannes Lephedienſis, qui poſt annum Chriſti 1100. Antiochenæ* (Maronitarum) *eccleſiæ præfuit, auctor eſt Anaphoræ, cujus initium, Deus ſanctiſſime, &c.* Extat in manuſcriptis D codicibus miſſalibus cœnobii Patriarchalis S. Mariæ in Canobin. Ita Aſſem. *to. 1. Bibl. Orient. p. 522.*

De eo Joanne refert Stephanus Aldoenſis de Heden in ſupra citato breviculo, ipſum, dum in monaſterio S. Eliæ degeret, quatuor epiſcopos conſecraſſe, ut ipſi in ſuæ nationis regimine adjumento eſſent, quorum unus cœnobium ſancti Dominici incolebat, alter S. Simeonis, tertius S. Elizæi, quartus demum S. Mariæ Lephedienſis: quum vero adveniſſet ſolemnitas Pentecoſtes, multique E ex ſæcularibus, clericis, ſacerdotibus, monachis, ac epiſcopis ad ipſum confluxiſſent, illos omnes ab eo ad lautum convivium fuiſſe invitatos: ex illis vero ſæculares nonnullos qui plus juſto vinum biberant ingreſſos eſſe S. Theclæ monaſterium; quod ægre ferens Sarai abbatiſſa, plurimum de Patriarcha conqueſta eſt quaſi huic ſcandalo occaſionem dediſſet, unde & eum in judicium vocavit. Joannes itaque Romam petiit ut ſeſe coram ſummo Pontifice purgaret, qui reſpondit

Digitized by Google

rem in concilio ad id in Byblidi urbe cogendo A eſſe dirimendam. Huic ſynodo adfuerunt duo ſummi Pontificis, & Romæorum Imperatoris legati cum pluribus epiſcopis. Cauſa cecidit Patriarcha, & pœnitentiam accepit ne ſeptem annorum ſpatio de aquis Lephed guſtaret: ideo in cœnobium ſeceſſit S. Mariæ in Abel Byblidis diſtrictus, ubi ſanæ aquæ ingens ſubeſt penuria, permanſitque in illo loco, de aquis in foſſis collectis bibens uſquequo puteum fodiſſet: ibique magnificum monaſterium erexit. Subjungit etiam Gabriël Qlai, in epiſtola quam ſcripſit ad Dominum B Georgium de Angelis presbyterum *cap. 11.* eodem Stephano teſte *ibidem*, monaſterium illud ſanctæ Mariæ in Abel, ſedem fuiſſe Patriarcharum nationis Maroniticæ uſque ad Hieremiam, ſed fatetur Stephanus illorum Patriarcharum nomina nundum ſe fuiſſe aſſequutum.

XXIX. *** XXX. *** XXXI. ***

Fauſtus Naironus in diſſertatione *de nomine, origine, & religione Maronitarum,* C *pag. 80. & ſeqq.* ſcribit ex Gabriële Qlai in Poëmate de hæreticis, Thomæ Haranitæ metropolitæ Kfartab (qui jam dudum obierat) aſſeclas, multos Maronitarum viru hæreſis Monotheliticæ contaminaſſe, ipſumque Patriarcham, cujus ſiletur nomen, errori manus dediſſe. *Poſt illum* (Thomam) *inquit Gabriël Qlai, in lucem emerſit Ebn-Sciehban, & cœpit ſcribere, & docere pueros, ſeminavit inter Maronitas errores, eorumque libros zizaniis implevit.* Et iterum: *Filius Hhoſen erat ex Hhartſcit* (eſt quoddam Libani oppidum in D Giobbe) *decepit populum Kſariaſcit* (eſt aliud Libani oppidum) *ſcripſit, & mutavit preces.* Et brevi temporis intervallo (decem ſcilicet annorum, ab anno utique 1173. quo mortuus eſt Joannes Lephedienſis Patriarcha, uſque ad annum 1182. quo Haymerici Antiocheni Patriarchæ Latini cura qui Monotheliſmo infecti fuerant fidem avitam reſumſerunt) in aliis Maronitarum oppidis idem venenum diffuſum eſt, ipſumque tunc extantem Patriarcham corripuit, ut legitur in chronico Maronitarum, inquit Naironus *ibidem,* E *pp. 82. & 83. Quoniam Patriarcha venenum hauſerat, miſſis, ad labefactandum ipſum, muneribus, quantum ore capere voluit.* Qua propter inito inter Maronitarum primates tam eccleſiaſticos, quam ſæculares conſilio, decreverunt una ſententia omnes ab ejus ſe communione ſejungere, id exprimitur in eodem chronico: *Cujus ſubditi, ac regiones, Patriarcham à ſuo ſegregarunt conſortio, nec poſtea præſtiterunt ei obedientiam, nec illum in regionibus acceptarunt.* Quin imo eo pervenit illorum zelus, ut illum depoſuerint, aliumque in ejus locum ſuffecerint. Verum irati Patriarchæ depoſiti aſſeclæ, novum Patriarcham, qui etiam non nominatur in chronico, occiderunt, combuſſeruntque corpus ejus: *Præfatus Patriarcha,* pergit idem chronicon, *mortuus eſt depoſitus, & elegerunt Patriarcham ex Hhgiula: mortuus eſt martyr interfectus, eumque combuſſerunt: teſtificati ſunt contra eum quadraginta Chriſtiani* (ex iis qui Monotheliſmo infecti fuerant) *fidem ejus non fuiſſe rectam* (quia ab hæreſi Monothelitarum diſcrepabat, ut-pote orthodoxam) *aliaque falſa protulerunt.* Poſt cujus obitum, quum variæ inter Maronitas inſurrexiſſent diviſiones pro eligendo Patriarcha, occurrit Haymericus Patriarcha Antiochenus, illaſque ſedavit, ac ſeductos, tam à ſchiſmate, quam ab hæreſi revocavit: poſtmodum Maronitæ omnes ad eligendum novum Patriarcham integerrimæ fidei proceſſerunt. Hoc totum traditur in præfato chronico: *Extinxit illud venenum Haymericus bonæ memoriæ. Objurgavit eos palam apertis verbis: obedierunt ei, & à Romana ſede benedictionem eis mittendam curavit; & elegerunt ſibi Patriarcham qui habitavit in eccleſia B. Virginis in Habil.* (quod eſt Libani oppidum) *Obſervabat quicquid erat in Evangelio, erat in exponendo peritus, ac varia de fide carmina componebat.* Hujus tertii Patriarchæ nomen, haud ſecus ac duorum præcedentium, reticetur. Atque hæc ſunt proculdubio, quæ Willelmo Tyrio anſam dederunt ſcribendi, anno ſalutis 1182. Haymerici Patriarchæ Antiocheni opera univerſam Maronitarum nationem ab hæreſi Monothelitica ad fidem Catholicam tranſiiſſe. Sed non omittendum, quod ſubdit auctor chronici, *ibidem, pag. 86.* quum tunc Maronitæ profeſſionem fidei coram Haymerico emiſiſſent, quam à Marone ſuſceperant, eam fuiſſe approbatam, ut omnino orthodoxam. *Et firmi,* inquit, *ſteterunt in fide Maronis, & ſuperbi* (qui Monotheliticam nempe hæreſim à paucis annis amplexi tantas ſtrages ediderant) *humiliati ſunt, & adverſarii pacem inierunt.* Vide ſupra, n. XXIX. coll. 38. & 39.

XXXII. LUCAS I.

Pacatis, ut modo explicatum eſt, quæ ex hæreſi Thomæ Kfartabenſis metropolitæ inter Maronitas emerſerant diviſionibus, paulopoſt eos alia exagitavit procella. Quidam enim Ebn-Scieban nomine, vir græcus, ſimul cum Eſau archiepiſcopo, novos errores per aliquot Libani loca diſſeminavit. Porro *Lucas,* qui tunc temporis erat Maronitarum Patriarcha, in fine videlicet ejuſdem ſæculi duode-

cimi, vel initio ſequentis, eis ſe quoque adjunxit. Id ex præfato chronico refert Fauſtus Naironus in eadem diſſertatione *de nomine, &c. Maronitarum, pp. 98. & ſeqq. Ebn-Sciehban erat ex Hardin, ex eo ortus eſt error, genere græcus erat, & poſtea factus eſt Maronita. Venit ad illum ſocius infamis, qui vocabatur Eſau archiepiſcopus: docuerunt ſignum crucis uno digito faciendum, & condemnandum eſſe concilium quartum, Papam Leonem, & Imperatorem Marcianum.* Duobus inſuper monachis auxilium præbuit idem Patriarcha ut fidem Catholicam impugnarent. *Dæmon omnis deceptionis parens,* inquit auctor chronici ſæpius recitati, *quum perſpexiſſet Maronitarum populum exultantem, eique invidens, illum mœſtitia affecit duorum monachorum opera: primus erat ex oppido Januhh, alter vero ex Darnebuhh; amboque ex diabolico aſſerebant ſpiritu Chriſtum non habuiſſe animam, neque pati, neque ſentire potuiſſe. Horum rebellio quum ad Papam perveniſſet, miſit nuntios, ut eos reduceret, quos Patriarcha, cujus nomen erat Lucas ex oppido Buehran, noluit admittere: eos Pontifex excommunicavit, & inter illos ignis accenſus eſt: idéoque ſchiſma propter illos duos emerſit:* quod utique duravit uſque ad electionem Hieremiæ ſucceſſoris ejus. Vide ſupra, n. XXXII. col. 41.

XXXIII. HIEREMIAS II.

Stephanus Aldoenſis de Heden in breviculo de Patriarcharum Antiochenæ ſedis Maronitarum ſerie, aſſerit *Hieremiam* ad Patriarchalem dignitatem promotum fuiſſe anno Chriſti 1209. Hunc oriundum dicit de Hamſcis in Byblidis diſtrictu, virumque fuiſſe juſtum, timoratum, ac zelo ardenti præditum, & in pago Januhh ſediſſe. Fauſtus Naironus in diſſertatione *de nomine, &c. Maronitarum pp. 101. & ſeqq.* refert ex chronico toties citato eum, ſtatim atque Patriarcha electus eſt, Domini Byblidis ſuaſione, conſtituto Theodoro epiſcopo ex Kfarſu ſuo in Patriarchatu vicario, Romam ſe contuliſſe, ut malis, quæ prædeceſſor ſuus in Maronitarum gentem invexerat, mederetur: aitque id etiam colligi ex bulla Innocentii III. ad eumdem Hieremiam, ubi eum ſcribit concilio Lateranenſi interfuiſſe. *Dominus Bybli,* verba ſunt auctoris chronici latine verſa, *rogavit Patriarcham Hieremiam, & dixit ei; Modo vivimus, Romam ingredere celeriter; aufer à nobis excommunicationis vinculum, & affer nobis benedictionem. Profectus eſt noctu Patriarcha cum clerico ex oppido Habil qui Evangelium, parvumque officium, poſt ſarcinam ſinu geſtabat.* Quum autem Romam perveniſſent, ſummi Pontificis pedibus provolutus ſic loquutus eſt: *Veni miſſus ut ſanctitatem tuam viſerem, & vitam ducam ſub pulvere pedum equi tui. Vicarium Chriſti te voco, largire mihi gratiam tuam. Flevit Pontifex, & qui cum ipſo erant, audientes has voces, operibuſque humilitatem ejus perſpexerunt, petieruntque à Pontifice ut illum ſolaretur: ideoque quidquid petiit, ei conceſſit, & moratus eſt ibi magna cum lætitia. Poſt quinque annos & ſex menſes licentiam redeundi obtinuit: egreſſus eſt* igitur *Roma exultans, quia Pontifex ei impertitus erat omnem poteſtatem,* & *miſit cum illo Cardinalem Wilhelmum, cum poteſtate, ac ejus ſigillo, ut ejus calamo ſcriberet fidem populi Montis-Libani.* Pergit idem auctor chronici: *Anno Incarnat. Dom. 1215.* (noſtro computo 1216. ſi quidem fuit poſt concilium Later.) *die 3. menſis Januar. egreſſus eſt* (Hieremias) *Roma exultans, pervenitque Tripolim menſe Martio, & ſuper muros civitatis tympana ſonuere: & ſtatim emanavit fama de adventu Patriarchæ Montis-Libani. Theodorus* autem *ex Kfarſu epiſcopus, quem ſuum vicarium Patriarcha conſtituerat, magnam populi multitudinem ibi collegit, & nequaquam exultavit niſi poſt ſuſceptam ab eo benedictionem, & abſolutionem ab excommunicatione: & propria ſubſcriptione juramento firmarunt ſe non retenturos niſi fidem Petri. Quo peracto, nullus hæreticus viſus eſt zizania inter ipſos ſeminare, neque habitare in Monte-Libano. Ducenti ac ſeptuaginta fuere qui præfatam firmarunt ſcripturam; neque aliqua extat corruptela in nominibus, quæ uſque adhuc inveniuntur.* Stephanus, in breviculo ſupra citato, narrat eum obiiſſe anno ſalutis 1230. in cœnobio S. Mariæ de Maiſuch. Vide ſupra, num. XXXII. coll. 41. & 42.

XXXIV. DANIEL I.

Idem Stephanus Hieremiæ ſucceſſiſſe memorat *ibid. Daniëlem* de Sciamat in Byblidis diſtrictu, qui primum degerat in S. Cypriani monaſterio; deinde in cœnobium S. Maronis in Capharhai ſe tranſtulerat. Electus eſt autem anno æræ Grecæ 1541. id eſt Chriſti 1230. uti regiſtravit Jacobus filius Joannis Botrenſis in officio feſtivo ſanctorum, quod in ſancti Sabæ eccleſia de Biſrai vidimus, inquit Stephanus, ubi etiam legitur prædictum Patriarcham anno Græcorum 1547. Chriſti 1236. habitaſſe in ſancti Georgii monaſterio de Caſra.

XXXV. JOANNES VIII.

Aſſerit idem Stephanus, juxta ſeriem Patriarcharum quam primo texuerat, Daniëli ſucceſſiſſe hunc *Joannem:* id eſt, inter Jeremiam & Simonem interfuiſſe Joannem: ſubdit nihilominus ſe in ejus qui poſt Joannem

Digitized by Google

electus eſt Maronitarum Patriarcha, cognitionem pervenire non potuiſſe.

XXXVI. Simon IV.

Si Joannis ſucceſſor fuit *Simon* ille, quem modo indicavit Stephanus, de eo refert Blaſius Terzi, in libro de Syria ſacra, Romæ impreſſo anno ſalutis 1695. *pag. 52.* quando Antiochia Latinis erepta fuit ab Ægypti Soldano, multos ex Catholicis hujus territorii incolis, ad Montem-Libanum apud Maronitas ſeſe recepiſſe: Simonem vero qui tunc huic eccleſiæ præerat, infortunatam hanc plebem quaſi proprias oves benigne admodum ſuſcepiſſe, ac per litteras certiorem feciſſe Alexandrum IV. ſummum Pontificem de toto hoc diſcrimine, perfectoque horum Chriſtianorum in Apoſtolicam ſedem obſequio, in cujus reſponſo *Patriarchæ Antiocheni* titulo donabatur, quo exinde ipſius quoque ſucceſſores potiti ſunt.

XXXVII. Daniel II.

Ex eodem Blaſio Terzi *ibidem,* Simoni ſubſtitutus eſt in ſede Maronitarum Patriarchali *Daniël* circa annum ſalutis 1281. Addit Stephanus de Heden in præfato breviculo hunc Daniëlem fuiſſe de Hadſcis ex Biſrienſi provincia, uti regiſtravit Joannes ſacerdos & monachus de Hogula in fine libri de Chriſmatis conſecratione, his verbis: *abſoluta fuit hujus libri ſcriptura anno æræ Græcæ 1592.* (Chriſti proinde 1281.) *diebus Patris electi Daniëlis de Hadſcis Patriarchæ.* Hujus etiam imago videtur uſque ad præſentem diem in eccleſia ſancti Romani ejuſdem loci.

XXXVIII. Lucas II.

Stephanus de Heden, & Blaſius Terzi ſupra citati, poſt hunc Daniëlem, *Lucæ* ex oppido Bnehran ad radicem Montis-Libani mentionem faciunt: & prior quidem de eo narrat quod eccleſiæ Maronitarum præfuerit anno ſalutis 1283. quo Saladinus cum armata manu venit ad expugnandam Biſrai provinciam in Monte-Libano, ejuſque incolas omni modo afflixit. Poſterior vero ait eum vix ad dignitatem Patriarchalem promotum hæreſim Monotheliticam hauſiſſe, propter quam in conventu epiſcoporum opera populi zelo fidei ſuccenſi coacto, cui præſidebat Aymericus viſitator Apoſtolicus, depoſitus fuit, & Gabriël in ejus locum ſuffectus. Sed neſcio an Terzi hunc Lucam, cum alio qui Hieremiam præceſſit, & octoginta fere annis antiquior eſt, de quo ſupra, non confundat.

XXXIX. Gabriel II.

Iidem rurſus Stephanus & Terzi Lucæ ſubrogatum circa annum Chriſti 1290. tradunt *Gabriëlem* de Hagula in Byblidis territorio, qui fuit vir ſumme ſpiritualis, obtinuitque à ſummo Pontifice confirmationem ſuæ dignitatis & pallium; prima autem (die) Aprilis anni 1296. igne conſumptus extra urbem Tripolim Syriæ martyrio coronatus eſt. Sepulcrum ejus ait Stephanus Edenenſis eſſe ſub Mahometanorum cuſtodia uſque ad præſentem diem, juxta collem arenarum prope eamdem urbem, & vocari ab illis Sciek Mashud. Maronitæ eum ſuorum Martyrum catalogo inſeruerunt.

Verum hunc Gabriëlem octoginta & amplius annis eo ævo eſſe recentiorem liquet ex codice 18. Ecchellenſi, cujus meminit Aſſemanus *to. 1. Bibl. Orient. pag. 577.* ubi inter carmina quæ compoſuit Gabriël Barclaius epiſcopus Nicoſienſis in Cypro, unum recenſetur *de Gabriële Hagiulenſi Patriarcha Maronitarum, qui ob Catholicam fidem à Mahometanis Tripoli extinctus eſt anno Chr. 1367.* niſi in ea epocha mendum irrepſerit, de quo judicent Maronitæ.

XL. Simon V.

Juxta eumdem Stephanum de Heden Gabriëli ſucceſſit *Simon,* cujus mentionem facit Sciamas Saba filius Salomonis filii Georgii archipreſbyteri de Chamat in regiſtro libri Evangeliorum quem ſcripſit charactere Chaldaïco antiquo in papyro pergameno anno ſalutis 1322. qui liber adhuc conſervatur in monaſterio S. Michaëlis de Sciaria in pago Hanturin. Huic vero ad calcem inſcribitur: *Abſoluta fuit hujus libri ſcriptura diebus Patris noſtri Patriarchæ Simonis ſupra ſedem Antiochenam ſedentis; nec-non diebus Petri archiepiſcopi Biſrai anno æræ Græcæ 1633.* (Chriſti 1322.)

XLI. Joannes IX.

Simoni ſucceſſit *Joannes,* inquit præfatus Stephanus Edenenſis in breviculo citato, prout regiſtratum in quodam libro antiquo in eccleſia ſancti Sergii de Hadſcit invenimus, his verbis: *Abſoluta fuit hujus libri ſcriptura anno æræ Chriſtianæ 1357. diebus Domini noſtri electi Mar-Joannis Antiochiæ, Montis-Libani, & locorum maritimorum Patriarchæ, nec-non diebus pariter Joannis Cypri archiepiſcopi.*

XLII. David II.

Poſt Joannem ad Patriarchatum evectus eſt *David,* qui vocabatur etiam *Joannes,* morabaturque in cœnobio S. Sergii de Cornu, uti regiſtravit Daniël archipreſbyter Banenſis in libro quem ſcripſit anno æræ Chriſtianæ 1397. his verbis: *Abſoluta fuit hujus libri*

Digitized by Google

ſcriptura anno Græcorum 1708. per manum Danielis archipreſbyteri Banenſis filii Haggi Simonis, diebus Patriarchæ David cognomento Joannis, qui inpræſentiarum moratur in ſancti Sergii monaſterio in territorio Haradino. Ex alio regiſtro cui ſubſcripſerunt Cyrillus archiepiſcopus Algiſæus, Elizæus ſolitarius archipreſbyter, necnon Sciamas Muſa Meridinenſis, pervenit iſte David Joannes uſque ad ann. ſalutis 1404. quo Petrus eccleſiæ præerat Edenenſi. Ita Stephanus Edenenſis in breviculo ſæpius citato.

XLIII. JOANNES X.

Ex eodem Stephano Edenenſi *ibidem*, Davidi ſucceſſit (neſcio an immediate, niſi ſedes vacaverit pluribus annis) *Joannes* Algigæus, qui ſtatim atque electus fuit, Romam miſit ad Eugenium IV. ſummum Pontificem, Joannem Ordinis Minorum, ſuorum fratrum Beryti ſuperiorem; is Pontificem concilio Florentino præſidentem adiit, & ab eo epiſtolam cum pallio retulit. Ubi vero Tripolim appulit, in carcerem conjectus eſt juſſu gubernatoris Mahometani, eo quod ad ejus adventum magna lætitiæ ſigna prodidiſſent hujus urbis Maronitæ; ſed quum nationis hujus magnates pro ejus liberatione interceſſiſſent, ira graviori accenſus aliquos ex illis morti adjudicavit, eorumque poſſeſſiones tradidit igni, prætexens legatum Patriarchæ Roma revertentem, clam ab iis fuiſſe ſuſceptum. Miſſis deinde ſatellitibus ad cœnobium Maiphuch in quo tunc morabatur Patriarcha, omnes monachos catenis vinctos ad urbem traduxit, nationemque totam ingenti mulctavit pecuniarum ſumma. Quapropter Patriarcha fugit ad monaſterium S. Mariæ de Kanubin, ut tutius ſub Comitis Jacobi & filiorum ejus protectione degeret. Tandem anno ſalutis 1445. cum inſignis ſanctimoniæ fama deceſſit in eodem cœnobio. Porro monaſterium illud à Theodoſio magno Imperatore erectum fuit, ſucceſſu vero temporis, Alzaher Barcuch Orientis & Ægypti Soldanus, inciſis in lamina ænea characteribus, hoc monaſterium ab omni vectigalis gravamine vindicavit. Atque hinc evaſit ſedes epiſcopalis, primuſque epiſcopus qui in eo verſatus eſt vocabatur Petrus. Adventante autem Patriarcha Joanne Algigæo, ſede Maronitarum Patriarchali decoratum fuit. Hæc omnia prædictus Stephanus Edenenſis loco citato.

XLIV. JACOBUS II.

Nona die poſt Joannis Algigæi obitum, inquit idem Stephanus *ibidem*, convenerunt populus & epiſcopi, ac elegerunt in Maronitarum A Patriarcham *Jacobum* filium Hid de Hadeth, qui à pueritia enutritus fuerat in S. Sergii eremitorio S. Joannis nuncupato. Hic autem Joannes ſancti *Patris* nomen ſortitus fuerat, quia quum hujus cœnobii archimandrita eſſet, omnibus monachis eremitiſque Montis-Libani præerat. Is igitur per legatum ab Eugenio Papa IV. electionis confirmationem & dignitatis pallium petiit: quibus à Nicolao V. & Callixto III. donatus eſt, & bulla adhuc viſitur in eo monaſterio S. Mariæ de Kanubin. Obiit tandem die Mercurii B octava Februar. anni ſalutis 1468.

XLV. PETRUS II.

Jacobo poſt novem dies ſubſtitutus eſt, ex eodem Stephano Edenenſi in præfato breviculo, *Petrus* filius Joſephi filii Jacobi, cognomento Aſſanus de Hadeth, qui legatum Romam miſit P. Griffonem Ordinis Minorum ad Paulum Papam II. ut confirmationem & pallium obtineret. Extant in elucidatione terræ ſanctæ Quareſmii in fine Volum. II. litteræ apoſtolicæ hujus ſummi Pontificis: C *Paulus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Petro Patriarchæ Maronitarum, Antiocheno nuncupato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Virtutum Deus omnipotens, &c.* Iis in litteris Griffonem dicit eſſe Ordinis Fratrum Minorum de obſervantia. Poſt expoſitionem fidei duarum in Chriſto voluntatum & operationum, pergit Pontifex: *Et quoniam ad hæc, & alia mandata Apoſtolica cum omni manſuetudine ſuſcipienda te promptum fore non ambigimus; ea propter ſanctæ recordat. Innocentii & Eugenii IV. Romanorum Pontificum* D *prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, electionem & nominationem ſeu proviſionem & provectionem de perſona tua eccleſiæ Antiochenæ Maronitarum, alias provide factas, omnia quoque jura, & laudabiles conſuetudines ad tuam & prædeceſſorum tuorum ejuſdem Maronitanæ eccleſiæ utilitatem edita, & hactenus obſervata, de venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalium conſilio, auctoritate apoſtolica tenore præſentium approbantes & confirmantes, pro potiori cautela, ſuffragio noſtro te eidem Maronitanæ eccleſiæ denuo in Patriarcham* E *præficimus & Paſtorem, curam & adminiſtrationem illius in ſpiritualibus & temporalibus committens, firma ſpe fiduciaque, &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnat. Dominicæ 1469. nonis Auguſti, Pontificatus noſtri anno quinto.* Obiit ille Petrus die 12. Februar. anno 1492.

XLVI. SIMON VI. *ſive* SIMEON.

Die nona à Petri obitu, inquit idem Stephanus Edenenſis *ibidem*, quum conveniſſet

clerus

clerus ad recitandum officium pro ejus animæ refrigerio, electus eſt in Patriarcham *Simon* vel *Simeon* Hadethenſis, filius Davidis, frater hujus Jacobi prædeceſſoris ſui, qui Romam legatum bis miſit: primum poſt promotionem ſuam, & rurſus anno ſalutis 1515. ubi in concilio Lateranenſi V. exhibitæ ſunt & lectæ, tum litteræ epiſcoporum Maronitarum, tum etiam Petri (id eſt Simonis iſtius, qui, ut cæteri Maronitarum Patriarchæ, *Petri* nomen deferebat.) In prioribus quidem fides, multæque conſuetudines Maronitarum à ſede apoſtolica approbandæ deſcribuntur, inter quas præſertim obſervatu dignus videtur Patriarcham tunc eligendi modus, ſcilicet: *Sede Patriarchali vacante, duodecim ſacerdotes boni, pudici, Catholici, quos jam ad id munus deſtinatos eſſe cognoſcimus, quum primum vita functus eſt Patriarcha, in quodam monaſterio, quod ad eum uſum habetur, appellaturque domus ſanctæ Mariæ, in ſua quiſque cella includuntur ea cuſtodia, ut nullus alium vel videat, vel alloquatur. Accipit unuſquiſque horum duodecim folia chartarum, redditque ſingulis diebus ſingula folia ſcripta nomine ejus quem eo die in Patriarcham elegit: & quando omnes in unum conveniunt Dei gratia, & non eorum voluntate, confeſtim congregantur prælati, diacones, & ſubdiacones, & univerſi ſacerdotes, totaque noſtra Reſpublica, & electum conſtituunt in ſede felici, in qua ſedet hodie ſervus Chriſti Petrus Patriarcha ſedis Prophetarum, &c. Scripta eſt epiſtola in ædibus noſtris, anno Incarnat. 1514. octava die menſis Martii.* In poſterioribus vero Petri nimirum Patriarchæ litteris, hæc inſcriptio legitur: *Diſcipulus minimus Petrus Patriarcha Maronitarum ex monaſterio Canubin, ſervus ſervorum Dei.* Et ad calcem: *Scripta ſunt hæc anno Incarnat. Domini noſtri Jeſu-Chriſti 1515. menſe Februario, die 14.* Extant iſtæ litteræ to. 14. concil. P. Labbæi, coll. 349. 350. 353. & 355. Reverſus eſt legatus eodem anno 1515. ſecum deferens bullam confirmationis & pallium, quæ à Leone X. obtinuerat. Obiit Simon Petrus Patriarcha, die 27. Novembris, anno ſalutis 1524. ætatis ſuæ anno fere 120.

XLVII. Moyses.

Diebus novem à Simonis obitu de more tranſactis, die 11. Decemb. ei ſuffectus eſt *Moyſes* Saadæ filius ex Barda provinciæ Accarenſis oppido oriundus. Monaſticam vitam in cœnobio ſanctæ Mariæ in Hauca juxta Montem-Libanum profeſſus eſt. Miſit eum Simon Hadetenſis Maronitarum Patriarcha Romam anno ſalutis 1522. ad Adrianum VI. ſummum pontificem. Hæc de eo habet Stephanus Edenenſis in chronico, apud Aſſem.
A *to. 1. Bibl. Orient. pp. 522. & ſeqq. Vir erat pietate & divinæ gloriæ ſtudio maxime inſignis. Urbem Romam adiit, & confirmationis pallium Simeoni Patriarchæ inde attulit. Syriacum carmen de ſua in Urbem profectione conſcripſit, & alterum de Joſeph filio Jacob Patriarchæ. Agros & prædia bene multa monaſterio ſanctæ Mariæ in Canobin contulit: quumque in Domino obdormiſſet, opes non modicas eidem reliquit. Ejus morti indoluit univerſus* Maronitarum *populus, ejuſque ſanctum corpus cum luctu & lacrymis in ſpeluncam S. Marinæ illatum eſt.*
B *Ejuſdem poſt obitum, cubiculum ipſius ad valvas eccleſiæ Dominæ noſtræ, in ædem ſacram ſucceſſores converterunt: duoque altaria duobus Apoſtolis Petro & Paulo in ea erexere, ne quis poſt ejus deceſſum eo in loco habitaret.*

Extant ad eumdem, in laudato cœnobio Patriarchali Canubin, quatuor ſummorum Pontificum epiſtolæ, quas ex autographo deſcriptas penes me habeo, inquit Aſſeman. *ibid. p. 523.* Prima Clementis VII. ſub die 25. Januar. 1531. Secunda Pauli III. XI. cal. Decemb. 1542. Tertia Pauli IV. ſub die 12.
C Novembr. 1556. Quarta Pii IV. calendis Septemb. 1562. Ad hunc quidem Pontificem Moyſes Georgium archiepiſcopum Damaſcenum delegaverat, ut ſuo, totiuſque Maronitarum nationis nomine, ſacræ ſynodo Tridentinæ intereſſet; verum id ſatius non duxit Pius Papa, ut ex illa eadem ejus reſponſione colligitur: *Venerabilem,* inquit, *fratrem noſtrum Georgium archiepiſcopum Damaſcenum, qui tuas ad nos attulit litteras libenter vidimus, &c. Quod autem contentum te eſſe ſignificaſti, ut ipſum archiepiſcopum ad Triden-*
D *tinum concilium mitteremus, id nobis minime neceſſarium viſum eſt: præſertim quum is, neque Latinam linguam noverit, ac ne Italicam quidem ſatis calleat: eamque ob cauſam futurum fuerit, ut, nec quid ipſe ſentiret, exprimere, nec quid ibi ageretur, ſatis intelligere poſſet. Satis autem hoc futurum eſſe exiſtimavimus, ſi litteras ipſe, quum primum oblata fuerit facultas, miſeris; ſicut venerabilis quoque frater Abdiſu Aſſyriæ Patriarcha, qui Romæ nuper fuit, ante diſceſſum ſuum fecit, per quas teſtificeris & profitearis, te ipſius Tridentinæ ſynodi decreta, una cum*
E *ſuffraganeis, & clero tuo, ſuſcipere, & approbare quidquid ipſa probaverit, & quidquid damnaverit, improbare, &c.* Obiit Moyſes iſte Patriarcha, die 19. Martii, anno 1567. ætatis anno quinto ſupra octogeſimum.

XLVIII. Michael Risius.

Die 31. Martii ejuſdem anni 1567. ſedem Maronitarum Patriarchalem conſcendit *Michaël* Riſius de Bocuſa, cognomento Petrus, ut ſui prædeceſſores. Eremita prius fuerat:

Digitized by Google

confirmationem autem & pallium ei detulit Pater Joannes-Baptiſta Elianus Societ. Jeſu ad id miſſus à Gregorio decimo-tertio Papa anno 1579. In quodam codice manuſcripto Syriaco & Arabico Evangeliorum Bibliothecæ collegii Romani Maronitarum legitur *fol. 3.* ſequens nota quam ipſemet appoſuit, teſte Aſſem. *tom. 2. Bibl. Orient. pag. 9. In nomine Dei vivi in æternum, Petrus Patriarcha Maronitarum. Anno Alexandri Græcorum regis 1882.* (id eſt Chriſti 1571.) *direpto oppido Beſciara, ablatus fuit etiam codex Evangeliorum Mar-Barſumæ: quumque per annum integrum deſideratus fuiſſet, repertus tandem à Sergio preſbytero filio Aaron archipreſbyteri de dicto oppido Beſciara, redemptuſque fuit quadringentis nummis, & legatus ab eodem fuit prædicto ſancto. Quiſquis igitur ipſum diſtraxerit, ſanctum Mar-Barſumam experiatur ultorem.* Scilicet, ut obſervat Aſſem. *ibidem,* ſanctum vocabat Michaël Riſius Patriarcha hunc Barſumam, ſub cujus nomine ante annum ſalutis 1469. templum erectum eſt in oppido Beſciara, quia eum probabiliter exiſtimavit fuiſſe ſanctum Barſumam Martyrem: ſed alius non fuit ab illo impio archimandrita Barſuma, qui in latrocinio Epheſino, pro ſtabilienda Eutychetis hæreſi, tot excitaverat turbas. Extat apud Fauſtum Naironum, *in diſſert. de nomine, &c. Maronitarum pag. 113.* fragmentum epiſtolæ quam anno 1578. die 25. Auguſti ad Cardinalem Antonium Caraffam ſcripſit idem Patriarcha, ut rationem redderet cur in ipſorum libris errores invenirentur. Id autem factum aſſerit fraude hæreticorum qui circa eos ſunt, eademque lingua Syriaca utuntur: *Et quia, frater mi,* inquit, *erit aliquis qui vobis ſcribet in noſtris libris inveniſſe aliqua verba ſanctam eccleſiam oppugnantia; nos non recipimus niſi quod recipit ſancta eccleſia: & quod invenitur in exemplaribus, potuerunt ingredi & immiſceri in illis* (libris noſtris) *nonnulla ex codicibus nationum quæ ſunt circa nos per multum tempus. Frater mi, omnem deponas ſuſpicionem de rectitudine noſtra, ab antiquo fundati ſumus in fide ſanctæ eccleſiæ Apoſtolicæ Romanæ, quam ſemper ſumus amplexi: & nequaquam vobiſcum tantum ore loquimur, ſed ore ſimul ac corde, & Deus de hoc ſit teſtis.* Conſtitutiones aliquas ſanxit, in ſynodo provinciali confirmandas, quarum ſeptima ſic exprimebatur: *Septimo, cæterum ut fides pura, & obedientia ſincera inter noſtras nationes erga noſtram ſanctam Catholicam eccleſiam Romanam conſervetur; quoties inter nos novus Patriarcha eligetur, ſtatim oratores ad ſanctitatem ſuam pro confirmatione ejuſdem delegentur, qualiter fecere anteceſſores noſtri à tempore reverendiſſimi Patriarchæ Hieremiæ bonæ memoriæ, quod ipſum à me ultimo obſervatum eſt, &c.* Reſponſa quoque nonnulla ſummi Pontificis ad totidem à ſe quæſita ſuper fide & ritibus Catholicis collegerat, ut ea nota faceret in ſynodo cogenda circa feſtum Paſchæ anni ſalutis 1578. Obiit, ex Stephano Edenenſi in breviculo ſæpeſæpius citato, die 21. Septembris anno 1581.

XLIX. Sergius Risius.

Michaëli Riſio ſucceſſit *Sergius Riſius* ejus frater. Hunc cum fratre prioribus annis in eodem loco eremiticam vitam duxiſſe ſcribit præfatus Stephanus Edenenſis. Electus vero Patriarcha Patrem Joannem Bromun Societ. Jeſu Romam delegavit, ut confirmationem & pallium à Gregorio XIII. Papa obtineret: quod pro voto ceſſit. Hieronymus Dandinus Cæſenas ejuſdem Societatis Jeſu à Clemente VIII. Papa ad Maronitas miſſus ſynodum ab eo Patriarcha anno 1596. haberi curavit, ut affictos huic nationi errores depelleret. Hujus ſynodi acta ipſe Latine ſuo itinerario inſeruit ſub eo titulo: *Acta ſynodi provincialis illuſtriſſimi & reverendiſſimi Domini Sergii Petri Patriarchæ Antiocheni Maronitarum in Monte-Libano anno 1596..... Dimiſſa ſynodus eſt, die ejuſdem Septemb. menſis 20.* (ſtilo vet. nov. 30.) *anno M. D. XCVI.* Obiit paulo-poſt Sergius die ſcilicet 5. Octobris ejuſdem anni 1596.

L. Joseph II. *dictus* Risius.

Die 13. Octob. ejuſdem anni 1596. ad ſedem Patriarchalem Maronitarum, ex eodem Stephano Edenenſi in præfato breviculo, evectus eſt *Joſeph Riſius,* duorum præcedentium Patriarcharum frater, quem tamen Aſſemanus *to. 1. Bibl. Or. p. 552.* & Hieronymus Dandinus dicunt Sergii nepotem. Is ſtatim ab ordinatione ſua, in epiſcoporum ſynodo confirmavit quæ in præcedenti decreta fuerant. Quod geſtum eſt die 3. (vet. ſtilo, novo 13.) Novemb. ejuſdem anni 1596. Primus extitit in Oriente qui Calendarii correctionem à Gregorio XIII. factam ſuſceperit anno ſalutis 1606. ſuiſque Maronitis ſervandam tradiderit. Ita Aſſeman. *ibid. pp. 553. & 554.* qui etiam Stephanum Edenenſem citat in chronico. Obiit anno 1608. & vacavit ſedes novem menſibus, propter tyrannidem Turcarum exercitus qui tunc eam regionem devaſtabat.

LI. Joannes XI.

Menſe itaque Maio anni ſalutis 1609. epiſcopi & populus unanimi conſenſu elegerunt in Patriarcham ſuæ nationis *Joannem Macluphium* epiſcopum, qui Romam miſit

Digitized by Google

Georgium preſbyterum ad præſtandam Paulo V. ſummo Pontifici obedientiam, & confirmationem ab eo cum pallio petendam. Reverſus eſt legatus voti compos die 10. Martii anni 1610. Blaſius Terzi *lib. 1. della Syria ſacra pag. 53.* hunc ſequenti elogio proſequitur: Joannes ſplendebat virtutibus in gradu heroïco: cognominabatur *ſanctus, eximius, & reſtaurator eccleſiæ Orientalis afflictæ.* Summis Pontificibus charus erat, quem nonniſi infra merita, quantiſlibet honoribus beneficiis-ve cumulatum, remunerari teſtabantur. Hujus precibus Cardinalis Dandinus annuit ut libri Maronitarum eccleſiaſtici Romæ typis ederentur, quod idem Cardinalis huic per epiſtolam ſignificavit. Anno tandem ſui regiminis vigeſimo-quinto in cœleſtem patriam quam ſemper mente intenderat, migravit die 15. Decemb. anno ſalutis 1633. De eo etiam agunt Stephanus Edenenſis in breviculo, & Aſſem. *to. 1. Bibl. Or. pp. 552. & 553.* ex quo diſcimus pag. ultimò citat. Iſaacum Sciadrenſem epiſcopum Tripolitanum bina carmina dodecaſyllaba compoſuiſſe, ordine alphabetico, unum in laudem Urbani VIII. ſummi Pontificis, alterum in Joannis Macluphii Maronitarum Patriarchæ, quæ extant in manuſcripto codice collegii Urbani de propaganda fide.

LII. GEORGIUS I. ELIAS.

Georgius Amira, Michaëlis Edenenſis filius, Romam ſtudiorum cauſa, anno ſalutis 1583. in collegium Maronitarum à Gregorio XIII. recens erectum profectus, emenſo philoſophiæ ac theologiæ curriculo in patriam anno 1595. regreſſus eſt. Anno ſequenti 1596. in Canubenſi epiſcoporum conventu quem Sergius Riſius Maronitarum Patriarcha, juſſu Clementis VIII. indixerat, magnam doctrinæ ac prudentiæ famam ſibi comparavit. Quocirca à Joſepho Riſio Sergii ſucceſſore, exeunte eodem anno, epiſcopus Edenenſis conſecratus eſt. Poſt obitum autem Joannis Macluphii, qui Joſepho Riſio ſuffectus fuerat, ad Patriarchatum Antiochenum Maronitarum promotus die 27. Decembris anni 1633. communibus epiſcoporum ſuffragiis, ab Urbano VIII. anno 1635. die 3. Martii confirmationem & pallium recepit. Edidit latino ſermone *Grammaticam linguæ Syriacæ,* Romæ typis Jacobi Lunæ, anno 1596. cujus abbreviatores fuerunt Petrus Metoſcita, & Gabriël Avodius Heſronita, quorum Grammaticæ extant in Bibliotheca collegii Romani Maronitarum, & in collegio Urbano de propaganda fide. Eidem eruditiſſima prolegomena præmiſit Georgius de linguæ Syriacæ *nominibus ac diſcrimine, antiquitate, dignitate, præſtantia, ac utilitate,* ubi & contendit eam omnium linguarum eſſe primam, ipſiuſque Hebraïcæ fuiſſe matrem, cujus tamen argumentis reſpondet Waltonus in Prolegomenis tomo 1. Bibliorum Polyglottorum Anglicanorum præfixis. Scripſit etiam Georgius Amira Arabico ſermone *librum de ſtructura ædificiorum,* rogante Facreddino Druſorum in Antilibano Duce, cujus operis meminit Stephanus Edenenſis in chronico ad annum 1644. quo, die 29. Julii, ſimul cum Urbano VIII. fato functus eſt. Ita Aſſem. *to. 1. Bibl. Orient. pag. 552.*

Obſervare pretium eſt, juxta auctorem vitæ D. Galaup de Chaſteuil, quam abbreviatam Clariſſimus D. de la Roque, de republica litteraria optime meritus, typis edidit ad calcem hiſtoriæ ſui itineris ad Montem-Libanum, dicendum fore, Georgium Amiram citius deceſſiſſe, quam anno 1644. ipſique immediate ſuffectum eſſe *Eliam* epiſcopum Edenenſem, ſapientiſſimum D. de Chaſteuil à pluribus annis conſcientiæ moderatorem. Refert enim auctor ille, idque ex ſchedis fidelibus ad ſe miſſis à duobus RR. PP. Carmelitis Thereſianis in Monte-Libano degentibus, doctis, quos nominat, teſtibuſque, ut ſic loquar, oculatis; Maronitarum proceres, Georgio Amira digniſſimo ipſorum Patriarcha vita functo, veniſſe ad D. de Chaſteuil, qui ex nobili proſapia in Gallo-provincia ortus Montem-Libanum petierat, ibique in cella Eremitica clauſus aſperrimam vitam ducebat, ac Patriarchalem ei obtuliſſe dignitatem, ad quam eum promoverent, ſi aſſenſurum ſe polliceretur: ipſo tamen modeſtiſſime & pertinaciter reluctante, *Eliam* epiſcopum Edenenſem modo memoratum, intuitu præſertim ſummæ venerationis qua eum D. de Chaſteuil à decem circiter annis proſequebatur, in Patriarcham fuiſſe aſſumptum; hunc vero eorum voluntati non obtemperaſſe, niſi conſulto prius eodem D. de Chaſteuil, acceptoque reſponſo hanc ipſius electionem divinitus eſſe factam, cui ſine mora acquieſcere deberet: non multo autem poſtea, ad inſtantes RR. PP. Carmelitarum Thereſianorum preces, in eorum cœnobium prope ſitum ſe tranſtuliſſe piiſſimum hunc anachoretam, ſextoque exinde menſe obiiſſe cum publica eximiæ ſanctitatis fama die 15. Maii anni 1644. ut conſtat ex epitaphio ibidem appoſito ad ejus tumulum, & relato in prædicta ejus vita. Porro videat prudens lector quomodo hæc cohærere poſſint cum eo quod narrant de Georgio Amira, deque immediato ejus ſucceſſore Joſepho Accurenſi, tum Stephanus Edenenſis Maronitarum Patriarcha ad hanc ſedem evectus

Digitized by Google

anno 1671. in breviculo, ubi ait, Georgius Amira, *die 29. Julii anno ſalutis 1644. obiit: Georgio ſucceſſit Joſeph filius Petri archiepiſcopi, cognomento Eben-Holaib Accurrenſis, die 15. Aug. ejuſdem anni quo obiit prædeceſſor ejus:* tum etiam Aſſeman. *tom. 1. cit. Bibl. Orient. pag. 552. col. 2.* ubi pariter aſſerit; *obiit* (Georgius Amira) *die 29. Jul. 1644. eodem die & anno, quo Urbanus VIII.* & *pag. ſeq. col. 1. Joſeph Petri Accurenſis filius.... Anno 1644. die 15. Aug. Georgio Amiræ ſubſtituitur.* Judicium, inquam, eſto penes lectorem, quibuſnam ex his ſcriptoribus ea de re inter ſe non convenientibus, fides potiſſimum adhibenda eſſe videatur.

LIII. JOSEPH III.

Joſeph Accurenſis, Petri Accurenſis epiſcopi filius de domo Alipia, à Joanne Macluphio Patriarcha, anno 1626. epiſcopus Sidonienſis conſtitutus eſt. Inſigne monaſterium ſanctimonialium S. Joannis de Hhraſc in regione Keſruanenſi erexit, cujus meminit Naironus in Evopl. *pp. 93. & ſeq.* Anno ſalutis 1644. die 15. Auguſti ad dignitatem Patriarchalem electus, Romam miſit Chriſtodulum preſbyterum Hadetenſem pro confirmatione petenda cum pallio, quæ conceſſit ipſi anno ejus tertio Innocentius X. Scripſit Joſeph Syriacè *Grammaticam,* Romæ typis ſacræ Congreg. de Propag. fide excuſam anno 1645. Item Arabicè *Carmina diverſa,* quorum præcipuum locum occupat quod *de Maronitis & Melchitis,* deque *Calendarii reformatione* adverſus Orientalium calumnias edidit. Eidem attribuit Blaſius Terzi, *della Syria ſacra, lib. 1. p. 53.* tractatum *de Primatu ſummi Pontificis,* in verſu heroïco. Obiit die 3. Novembris, anno 1647. ætatis ſeptuageſimo-quarto. Aſſem. *to. 1. Bibl. Or. p. 553.*

LIV. JOANNES XII.

Die nona poſt Joſephi Accurenſis mortem, in Patriarcham Maronitarum aſſumptus eſt *Joannes Saffrenſis,* de Byblidis diſtrictu. Multum contulit ad perficiendam Andreæ Abdelgalis ab hæreſi Jacobitarum converſionem, quam ſic deſcribit Naironus *in diſſert. de nomine, &c. Maronitarum, p. 48.* Andreas Abdelgal, vir immortali memoria dignus, abjurata Jacobitarum hæreſi in qua natus ac educatus fuerat, in Montem-Libanum ad Joſephum Accurenſem Maronitarum Patriarcham ſe contulit. Quo defuncto, Joannes Saffrenſis ejus in Patriarchatu ſucceſſor, ac vitæ ſanctimonia præſtantiſſimus, illum ſacerdotem ordinavit: ac deinde ob ſingularium virtutum ornamenta quibus ille enitebat, archiepiſcopali ab eodem conſecratus charactere in ſuæ gentis (auxilium) Aleppum petiit; ibique quum magnam Jacobitarum multitudinem ad Catholicum reduxiſſet cultum, eò ejus fama pervenit, ut mortuo illarum gentium hæretico Patriarcha, omnium proborum votis in ejus locum præfatus Andreas fuerit ſubrogatus. Litteræ apoſtolicæ expeditæ ad hunc Andream ab Alexandro VII. pro ejus confirmatione, illum diſerte nominant *Patriarcham Syrorum,* & nequaquam *Jacobitarum.* Ex quo infert idem Naironus *ibid. pag. 49.* quum Maronitæ hoc Maronitarum nomen nunquam depoſuerint, licet ſint Catholici, imo ſummi Pontifices, ab Innocentio III. hucuſque eorum Patriarcham in bullis Apoſtolicis nuncupent *Patriarcham Antiochenum Maronitarum,* ſequi omnino hoc Maronitarum nomen non fuiſſe inditum illis ullo tempore ut indicativum alicujus erroris quem profeſſi quondam fuerint. Piè obdormivit in Domino Joannes die 23. Decembris anni ſalutis 1656.

LV. GEORGIUS II.

Die prima Januarii anni 1657. inquit Stephanus Edenenſis in breviculo toties citato, uno conſenſu electus fuit Patriarcha Maronitarum *Georgius* Haggi Domari filius de Beſbhel ex Tripolis Syriæ diſtrictu. Poſtque triennium obtinuit ab Alexandro VII. Papa confirmationem & pallium. De eo hæc habet Naironus *in diſſert. de nomine, &c. Maronitarum, pag. 125. Georgius Beſbeelenus, & ipſe Patriarcha, linguarum multarum peritus* (fuit) *& juris eccleſiaſtici ſui.* Obiit Keſruani die 12. Aprilis anno ſalutis 1670. ibique ſepultus eſt. Sed quum tunc temporis in homines ſæva peſtis debaccharetur, non potuerunt epiſcopi ante diem 20. Maii anni ſequentis ad electionem ejus ſucceſſoris procedere.

LVI. STEPHANUS II.

Die igitur 20. Maii anni ſalutis 1671. ad ſedem Patriarchalem Maronitarum promotus eſt *Stephanus* Michaëlis filii Moyſis Edenenſis filius, de familia Aldoenſi, breviculi, quo in hac Patriarcharum Maronitarum ſerie plurimum uſi ſumus, auctor. Blaſius Terzi in opere cujus titulus *della Syria ſacra, lib. 1. pag. 53.* eum ait fuiſſe virum doctum, variaſque linguas in ſummo gradu calluiſſe. Vixerat Romæ multis annis in collegio Maronitarum. Confirmationem & pallium ei conceſſit de more Clemens X. Papa, die octava Auguſti anni 1672. Fauſtus Naironus, *in diſſertatione de nomine, &c. Maronitarum,* eum mirificè commendat: ſic *pag. 114.* Teſtis eſt omni exceptione major, inquit, vir ſummæ virtutis, & reconditiſſimæ eruditionis, ac in

Digitized by Google

theologicis facultatibus, & eccleſiaſticis hiſtoriis, Occidentaliſque ac Orientalis eccleſiæ ritibus præclare, ſi quis unquam alius, verſatus illuſtriſſimus ac reverendiſſimus Dominus Stephanus Petrus Edenenſis Antiochenæ ſedis Patriarcha Maronitarum. Hic enim in epiſtola quadam, prima Januar. 1674. ad me (Naironum) data ſic à me conſultus mihi reſpondit: *At Deus, cui laus, uti ſuæ eccleſiæ gubernator, noſtræque cupidus ſalutis, ne omnia corrumperentur* (Maronitarum) *exemplaria providit, quia aliqui codices ſunt variati ac mutilati; iidemque* (in aliis exemplaribus) *prorſus illæſi ac perfecti ullo abſque dolo inveniuntur.* Sic rurſus *ibid. pag. 121.* Maronitas quidem, inquit, Latinorum collegiorum alumnos fatentur doctos (ipſi etiam qui in Maronitas non ſunt multum propenſi) poſſum addere & ex iis doctiſſimos fuiſſe, in quibus eminet illuſtriſſimus ac reverendiſſimus Dominus Stephanus Edenenſis Antiochenæ ſedis (Maronitarum) Patriarcha, cujus ſcripta, & maxime volumina illa magna, quæ de liturgiis Orientalibus, eorumque cum Latina liturgia conciliatione elucubravit, prope modum in lucem edenda, quantæ ſit doctrinæ ſatis oſtendent, ut non opus ſit illum à me commendari pluribus. Præter hoc liturgiarum ſcriptum, ejuſdem *Vindicias Maronitarum* laudat Aſſemanus *tom. 1. Bibl. Or. pag. 496.* & *chronicon, ibidem, pag. 552.* Hoc chronicon habetur in codice Arabico 82. cujus mentionem facit idem Aſſemanus infra *pag. 631.* his verbis: *Stephani Edenenſis Patriarchæ Antiocheni Maronitarum chronicon ab anno Chriſti 1095. ad annum 1699. de rebus in Syria geſtis. In fol. Bombic. 140.* Inter teſtimonia de fide Orientalis eccleſiæ circa præſentiam realem Chriſti in Euchariſtia, quæ recenſentur ad calcem 3. tomi de perpetua hujus myſterii aſſertione in univerſa eccleſia, *pag. 721.* edit. Pariſ. 1674. unum extat cui in hunc modum ſubſcripſit ille Patriarcha, *Stephanus Petrus humilis & abjectus Patriarcha Antiochenus. Datum in monaſterio Canobin die 12. Jun. anno Alexandri Græci 1984. id eſt, ab Incarnat. 1673.* D. de la Roque, de Republ. litteraria optime meritus, qui eum inviſit plurieſque alloquutus eſt dum in Monte-Libano verſaretur, confirmat in itinerario ſuo *pag. 236.* hunc doctrina ac pietate inſigni claruiſſe. Migravit ex hac vita anno ſalutis 1704. die 3. Maii, & in ſanctæ Marinæ crypta ſepultus eſt.

LVII. Gabriel II. *dictus* de Blausa.

Gabriël de Blauſa, quod eſt oppidum in Monte-Libano, jam juvenis monaſticam vitam amplexus eſt: deinde in provinciam Keſrouanenſem ſe contulit, ubi conſtructo monaſterio per aliquod tempus cum aliis paucis monachis vixit; poſtea inauguratus eſt archiepiſcopus Aleppi, in qua urbe ipſe fuit primus archiepiſcopus Maronitarum qui ante unum ſæculum in ea urbe pauciſſimi erant. Rexit autem illam eccleſiam quadraginta circiter annis: demum mortuo Stephano Edenenſi fel. mem. Patriarcha, in ejus locum unanimi epiſcoporum conſenſu ſuffectus eſt die 11. Maii anni ſalutis 1704. ſemperque vitam monachalem egit. Tunc vero cœnobium quod monachus utcumque ædificaverat, ampliavit, & valde ditavit, ita ut bonorum copia cætera ſuperaverit. At, proh dolor! non diu Patriarcha vixit; nam anno ſeq. 1705. menſe Octobri, recepto à Romano Pontifice Clemente XI. pallio per manum R. P. Hyacinthi Carmelitæ Galli, quem ob id Romam delegaverat, die ultima ejuſdem menſis obiit, & ante oratorium S. Marinæ extra monaſterium Canobin ſepultus eſt.

LVIII. Jacobus II. *dictus* Avodius.
Joseph *electus*.

Jacobus Avodius de Heſron, quod pariter eſt oppidum in Monte-Libano, adoleſcens Romam miſſus, ut ibi in collegio Maronitarum litteris operam navaret; licet optimæ indolis ac ingenii ſagacis eſſet, modicam tamen doctrinam ſibi comparavit. Deinde in patriam reverſus, ſua in negotiis tractandis induſtria, & in ſcribendis epiſtolis eloquentia, cum mira politica conjunctis, amanuenſis Stephani Edenenſis fel. mem. Patriarchæ evaſit: & functus hoc officio per aliquot annos, ab eodem deſignatus eſt archiepiſcopus Tripolis Syriæ; ſed in his omnibus vanitati mundanæ multum inſerviebat. Tandem defuncto Gabriële de Blauſa Maronitarum Patriarcha, ope cujuſdam principis, ut conſtans fama eſt, ſedem Patriarchalem conſcendit, die 5. Novemb. anni 1705. Denegatum ob id Romæ diu pallium; quod tamen accepit per R. P. Ferdinandum Carmelitam ad id miſſum. Liberiorem nihilominus ac antea degebat vitam, & quum peſſime ea de cauſa audiret, concilium epiſcoporum nationis adverſus eum coactum eſt in quodam monaſterio provinciæ Keſrouanenſis, & ad illud accerſitus, publicè in eccleſia ab epiſcoporum decano Patriarchalis inſignibus dignitatis ſpoliatus eſt, & in carcerem detruſus in monaſterio S. Mariæ de Lowaiſa provinciæ pariter Keſrouanenſis, & tunc alter Patriarcha nomine *Joſeph Benedictus* eidem ſubrogatus fuit, cui tamen pallium ſemper denegavit ſummus Pontifex. Clauſus itaque remanſit Jacobus, donec Clemens XI. fel. mem. R. P.

Laurentium à ſancto Laurentio eo tempore A terræ ſanctæ Cuſtodem, Ordinis Minorum, ad inquirendum de hoc facto delegavit, qui venit in Keſrouan in qua tota ſcena hæc peracta eſt: & rurſum aliud concilium habitum eſt ibidem coram illuſtriſſimo Domino Joſepho Benedicto in locum depoſiti ſuffecto: ſed nihil in eo conventu deciſum, niſi quod Jacobus in manus reverendiſſimi Cuſtodis traditus ſit, qui illum Saydam, id eſt, Sidonem ſecum duxit, & in monaſterio Patrum Franciſcanorum poſuit, ubi permanſit diu; quo tempore ſedes apoſto- B lica nil decrevit. Interea autem contigit mors Domini Joſephi Benedicti: & tunc aliqui Maronitæ Romæ commorantes, privatiſque affectibus ſatius ducentes, quam nationi ſuæ proſpicere, ita egerunt commentitiis ſuis narrationibus apud Curiam Romanam, ut Jacobus Avodius abſolutus fuerit & ſuæ dignitati reſtitutus. Natio quidem aliquantulum recipere eum diſtulit: paruit tamen ob reverentiam ſedis apoſtolicæ. At ille, per reliquam vitam perpetuo ſimultates fovere ſtuduit, & tantum abeſt ut morum ſuavitate ſibi ſubjec- C torum benevolentiam captaret, quin è contra cum omnibus rixandi anſam ſemper quæſierit. Hæc de eo nos docuit clariſſimus Maronita. Quum autem ſe morti proximum, urgente gravi morbo, arbitraretur, Eliam epiſcopum ſibi voluit nominare ſucceſſorem, ejuſque in gratiam Patriarchatum dimittere; verum octo epiſcopi nationis acriter obſtitere dicentes, nonniſi poſt Patriarchæ mortem, ad electionem alterius deveniendum. Id diſcimus ex epiſtola gallicè ſcripta ab urbe Tripoli die 25. Martii, anno ſalutis 1733. ad cujus calcem D narratur præfatum Jacobum obiiſſe die 12. Februarii ejuſdem anni. Fatendum nullum ante ipſum Patriarcham ſagaciori fuiſſe ingenio præditum: ſed quod pejus eſt, eo ad malum uſum eſſe potius quam ad bonum. Doctiſſimus Aſſemanus *in 1. præf. to. 1. Bibl. Orient. num. XI. pag. 5. hujus num.* aſſerit, dum Peluſium ex Tripoli urbe adnavigaret, ante annum utique 1717. quo Romam reverſus eſt, maximas ſe egiſſe Patriarchæ Maronitarum reverendiſſimo Domno Jacobo Avodio gratias, ut-pote qui totam codicum E (Orientalium quos Romam adſportabat) negociationem, non in Libano duntaxat, & apud ſuos Maronitas, ſed etiam Damaſci, Aleppi, Cairi, ubique (demum) apud exteras nationes, opera, conſilio, & auctoritate mirifice juverit.

LIX. Joseph IV.

Auctor epiſtolæ modo citatæ addit, Jacobo mortuo, archiepiſcopos & epiſcopos nationis, quindecim numero, conveniſſe Rayſon, quod cœnobium eſt regionis Keſrouanenſis, ut ibi ad electionem novi Patriarchæ procederent: ab eorum autem antiquiore ſermonem factum, in quo ille epiſcopum Abdellah multis extollens laudibus Patriarchali ſede digniſſimum pronuntiavit; huic acceſſiſſe quinque alios: ſex alios in Eliam vota tuliſſe, duos in Stephanum epiſcopum regionis Canubin, unum denique in Gabrielem epiſcopum Edlun. Interim magnates diſtrictus Keſrouanenſis, ea diviſione audita, confeſtim equis, armiſque aſſumptis, cucurriſſe ad ſynodum, ac denuntiaſſe epiſcopis, niſi in unum quantocius conſentirent, à ſeipſis Patriarcham eligendum, eumque fore epiſcopum *Joſephum;* ſynodum itaque, licet antea Joſephum iſtum neglexiſſet, quem tanto oneri ſuſtinendo minus aptum reputaverat, in hunc nihilominus unanimi voce conſpiraſſe, ne grave aliquod damnum immineret ex duplici illa epiſcoporum factione inter Abdellah & Eliam, ſi eorum unum promoveri contigiſſet. Addit ejuſdem epiſtolæ gallicæ auctor ſcriptas ad ſe humillimis verbis ab eo Patriarcha Joſepho die 22. Mart. ejuſdem anni 1733. litteras fuiſſe quibus ille, tum electionem ſuam ipſi notam faciebat, tum potentiſſimi Francorum Regis ſibi, ſuæque nationi protectionem, ejus interventu, conſervari enixè deprecabatur: cæterum electioni ſuæ ea tantum lege ſe præbuiſſe aſſenſum obteſtabatur, quod tres epiſcopi jam à ſe ad id deſignati ſibi ſemper aſſiſterent ſuiſque ipſum adjuvarent conſiliis. Hic porro Joſephus cognominatus *Khaſen,* ex principum Keſrouanenſium familia, quæ à ducentis circiter annis principatu hujus regionis potitur, natus eſt in Agoſta oppido Keſrouani, juvenis duxit uxorem ex qua liberos ſuſcepit; ea mortua monachus primum, deinde epiſcopus; demum mortuo Jacobo Avodio Maronitarum factus eſt Patriarcha: primus ad hanc dignitatem ex ſua familia aſſumptus. In regimine ſæculari præſtantiſſimus erat, at in eccleſiaſtico, uſque ad eum diem quo Patriarchalem ſedem conſcendit, rudis admodum fuerat & imperitus, propter quod etiam epiſcoporum maxima pars eum obeundis tantæ dignitatis muniis imparem judicaverant. Ipſe eſt, niſi exinde obierit, qui nunc toti præeſt Maronitarum eccleſiæ.

Digitized by Google

ECCLESIÆ MARONITARUM.

FAUSTUS Naironus *in Evoplia fidei pp. 92. & ſeq.* teſtatur Patriarcham Maronitarum ſub ſe habere quinque metropolitas *Tyrienſem* nimirum, *Damaſcenum*, *Tripolitanum*, *Aleppenſem*, & *Nicoſienſem* in Cypro. Item nonnullos epiſcopos, ut *Sidonienſem*, *Berytenſem*, *Byblienſem*, *Botryenſem*, *Edenenſem*, *Accurenſem*, & quoſdam alios, qui licet ſint metropolitarum ſuffraganei, nullum tamen ſuperiorem præter Patriarcham agnoſcunt: aitque idem obſervari inter cæteras Orientis nationes Chriſtianas. De illis ſigillatim ſedibus agemus, incipiendo à metropolitanis.

SEDES METROPOLITANÆ
MARONITARUM.

I. ECCLESIA TYRIENSIS.

TYRUS Phœnices ſive Phœniciæ urbs eſt clariſſima, à Sidoniis condita, ut Juſtinus *lib. 18. c. 3.* tradit. Nullam de Tyro habemus ante Davidis tempora mentionem. Maxima eſt, opulenta, & navigationibus famoſa. Olim in inſula ſita erat, ſed antea, ſicut & poſt Alexandri ævum, fuit in continente, ex ea, *Palætyro* vocato. Plinius *lib. 5. cap. 19.* hæc de ea urbe ſcribit. *Tyrus quondam inſula, præalto mari ſeptingentis paſſibus diviſa: nunc vero Alexandri oppugnantis operibus continens: olim partu clara,* (id eſt, multarum coloniarum parens) *urbibus genitis, Lepti, Utica, & illa Romani Imperii æmula, terrarum orbis avida, Carthagine; etiam Gadibus extra orbem conditis. Nunc omnis ejus nobilitas conchylio atque purpura conſtat. Circuitus XIX. millibus paſſuum eſt intra Palætyro incluſa: oppidum ipſum XXII. ſtadia obtinet.* Ita Cellarius *to. 2. geogr. antiq. pp. 452. & ſeq.* Prima eſt ex ſedibus metropolitanis Patriarchæ Maronitarum ſubjectis, qui de paſtore Catholicis hujus nationis per terras, pagos, & caſtella adjacentia diſperſis providet, teſte Blaſio Terzi, *della Syria ſacra, lib. 1. pag. 68.* ubi tamen nullum nominat epiſcoporum quos Maronitarum Patriarcha huic eccleſiæ Tyrienſi hactenus præfecerit.

II. ECCLESIA DAMASCI MARONITARUM.

DAMASCUS urbs eſt Syriæ, tam ſacris quam profanis ſcriptoribus notiſſima, olim Syrorum regia, ab hebræis *Dammæſæk* vocatur, quod LXX. interpretes, & omnes Græci reddiderunt Δαμασκός. De ea Strabo *lib. 16. pag. 520.* apud Cellar. *tom. 2. geogr. antiq. pag. 442.* ait: *Damaſcena regio inprimis laudata eſt. Eſt vero etiam Damaſcus urbs inſignis, ac prope omnium clariſſima ejus regionis, quæ contra Perſicum Imperium ſita eſt.* Inter metropolitanas Maronitarum ſedes computatur, cui procul dubio multi præfuerunt archiepiſcopi, ſed duo duntaxat hucuſque ad notitiam noſtram devenere, qui nimirum ſequuntur.

ARCHIEPISCOPI DAMASCENI MARONITARUM.

I. GEORGIUS.

GEORGIUS archiepiſcopus erat Damaſcenus pro Maronitis anno Chriſti 1562. quo eum Moyſes Accarenſis, qui fuerat electus ejuſdem nationis Patriarcha anno 1524. die 11. Decemb. eum delegavit ad ſummum Pontificem Pium IV. ut ſuo & Maronitarum nomine concilio Tridentino intereſſet. Eum tamen Papa ad ſynodum mittendum non duxit, ut ſupra fuſius relatum eſt, *col. 66.*

II. SERGIUS RISIUS.

De eo *Sergio* hæc habet Fauſtus Naironus A *in diſſert. de nomine, &c. Maronitarum p. 122.* Quid Sergium Riſium Damaſci archiepiſcopum (commemorem) quem Romam ſummus Pontifex Paulus V. evocavit, ut vacaret conciliandis Arabicis Bibliis cum vulgata editione! Turrianus quoque aſſerit Rodericum Jeſuitam Hiſpanum qui à Pio Papa IV. ad Maronitas miſſus erat, canones Arabicos quos latine verterat, contuliſſe cum hoc Sergio archiepiſcopo Damaſceno Maronita. Quod quanta fuerit ejus eruditionis fama indicat non parum.

Digitized by Google

III. ECCLESIA TRIPOLIS MARONITARUM.

TRIPOLIS Phœniciæ maritimæ urbs notiſſima eſt, de qua late diſſeruerunt Abulfeda *in tab. geogr. num. 124.* & Cellarius *tom. 2. geogr. antiq. pag. 446.* apud Aſſemanum, *tom. 2. Bibl. Orient. in diſſert. de Monoph. num. 9.* ubi de Tripoli. De origine ejus, ſitu, & nomine præclare Diodorus Siculus *lib. 16. cap. 41.* inquit præfatus Cellarius, *in Phœnice urbs eſt Tripolis, conſentaneam naturæ ſuæ appellationem habens: tres enim in ipſa urbes continentur ſtadii intervallo à ſe diremptæ, una Aradiorum, altera Sidoniorum, tertia Tyriorum cognomentum habet.* Strabo *lib. 16. pag. 519. Eſt enim condita à tribus urbibus, Tyro, Sidone, Arado.* Plinius *lib. 5. cap. 20. Tripolis, quam Tyrii, & Sidonii, & Aradii obtinent.* Pomponius Mela *lib. 1. cap. 12. Tria fuerunt ſingulis inter ſe ſtadiis diſtantia* (oppida) *locus ex numero Tripolis dicitur.* His omnibus antiquior Scylax, auctor Peripli *pag. 99. In peninſula alia urbs Tripolis; quæ eſt ex Arado, Tyro, & Sidone deducta: in uno loco tres urbes, & ſingulæ proprium murum habent.* Et Byzantius Chorographus; *Tripolis urbs Phœnices eſt, ita dicta, quod ex tribus urbibus colonias habeat, Arado, Tyro, Sidone.* Magno authorum igitur conſenſu hujus urbis cùm origo, tum appellatio patet: an vero partes ſemper ita diſtinctæ manſerint, nec in unam civitatem proceſſu temporis coaluerint non conſtat; probabile videtur coaluiſſe tandem, intervallo quo diſtabant ædificiis ſupervenientibus occupato. Nummi plurimi extant Antonii cum Cleopatra, Auguſti, Neronis, Trajani, Severi, Elagabali, inſcripti ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ: & Juliæ Soæmiæ ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ. Blaſius Terzi, *lib. 1. della Syria ſacra pag. 82. in fine cap. 58.* teſtatur Chriſtianos in ea civitate ad exiguum numerum redactos, eſſe maxima ex parte Maronitas, quibus præficitur ejuſdem nationis epiſcopus.

ARCHIEPISCOPI TRIPOLIS MARONITARUM.

I. ISAAC.

FAUSTUS Naironus *in diſſertat. de nomine, &c. Maronitarum, pp. 122. & ſeq. Iſaacum* prædicat ceu virum inter cæteros nationis ſuæ doctrina inſignem. Quid Iſaacum, inquit, Sciadrenſem archiepiſcopum Tripolitanum (appellem) à Federico Cardinali Borromæo Mediolanum accitum, ut locupletiſſimam illam ſuam Bibliothecam inſtrueret, prolixamque typis dedit Romæ Grammaticam Syriacam! De eodem quoque hæc habet Aſſem. *tom. 1. Bibl. Orient. pag. 552.* Iſaac Sciadrenſis, in collegio Maronitarum de Urbe ab anno 1603. ad annum 1618. Latinis, Syriacis, & Arabicis litteris inſtructus, à Georgio Amira tunc Edenenſi epiſcopo, qui poſtea ad ſedem Maronitarum Patriarchalem evectus eſt, minoribus Ordinibus anno 1619. initiatus, ſequenti anno ſacerdos & Berytenſis eccleſiæ archipreſbyter conſtitutus eſt, poſtquam uxorem ex Orientalium more duxiſſet: qua defuncta, à Joanne Macluphio Patriarcha anno 1629. die 25. Martii, Tripolis in Phœnicia epiſcopus ordinatus fuit, ut idem de ſeipſo narrat in præfatione ad tractatum theologicum qui extat in codice manuſcripto collegii Urbani de propaganda fide. Præter Grammaticam Syriacam Romæ anno 1636. editam, bina compoſuit carmina dodecaſyllaba ordine alphabetico: unum, in Urbanum VIII. ſummum Pontificem; alterum, in Joannem Macluphium Maronitarum A Patriarcham: & varias quæſtiones theologicas, per modum interrogationis & reſponſionis, de Opere ſex dierum, de Paradiſo terreſtri, de peccato originali, de morte, de Limbo Patrum, de Paradiſo & Inferno, de Purgatorio, de reſurrectione mortuorum, & de judicio extremo; quæ leguntur in eodem codice Urbano.

II. MICHAEL.

Poſt hunc, *Michaëlem* recitat idem Fauſtus Naironus *ibid. pag. 123.* Quid Michaëlem B Heſronitam Tripolis etiam archiepiſcopum (prædicem) à quo prodiit Arabice deſcripta & typis excuſa Calendarii emendatio!

III. JOANNES.

Si *Joannes* iſte Michaëlem non præceſſit, ſaltem ipſum proxime debuit ſubſequi: nam Abrahamus Ecchellenſis in præfatione operis cui titulus eſt, *Eutychius Alexandrinus Patriarcha vindicatus,* hujus ſcriptoris annales latinè verſos olim monet à viro immortalitate digno Joanne Heſronita Tripolis Syriæ quon- C dam archiepiſcopo, & Urbano Papæ VIII. (qui obiit anno 1644.) nuncupatos, etſi nondum editos.

IV. GABRIEL.

V. JOSEPH.

Ad calcem codicis 5. Beroenſis, apud Aſſem. *to. 1. Bibl. Orient. p. 586.* fit mentio cujuſdam *Joſephi* archiepiſcopi Tripolitani, anno

Digitized by Google

anno Chriſti 1676. his verbis: *In fol. bomb. 103. codex Arabicus, ſed litteris Syriacis exaratus à Joanne Zendo preſbytero Maronita ſub Stephano Patriarcha Antiochiæ.... & Joſepho Heſronita archiepiſcopo Tripolis Syriæ anno Chriſti 1676.* Fauſtus Naironus *in diſſertat. citata de nomine, &c. Maronitarum pag. 123.* eumdem his paucis extollit: *Quid.... Joſephum Gratiam* Heſronitam (commemorem) nunc (id eſt, anno 1679.) Tripolitanum archiepiſcopum, & alios qui præfuerunt Maronitarum eccleſiis bene eruditos! Blaſius Terzi, A *della Syria ſacra pag. 82.* teſtatur, dum ſcribebat, anno ſcilicet 1694. actu ſedere *Joſephum Simonium* Tripolitanum archiepiſcopum *Gabriëlis* ſucceſſorem. Probabile eſt eum eſſe hunc Joſephum, niſi fortaſſis alius fuerit illo poſterior. De *Gabriële* hujus Joſephi prædeceſſore nihil aliud ſcimus.

ECCLESIA TRIPOLIS MARONITARUM.

VI. Basilius.

His poſtremis temporibus ſedebat, & fortaſſis adhuc ſedet, Tripolitanus archiepiſcopus Maronita, *Baſilius,* qui antea monachus fuerat.

IV. ECCLESIA ALEPPENSIS MARONITARUM.

Inter Hierapolim & Antiochiam jacet Berœa, Græce Βέῤῥοια, eo intervallo ab utroque diſtans, quod biduo percurrat expeditus viator, verba ſunt Procopii *lib. 2.* Belli Perſici *cap. 7.* apud Cellarium *to. 2. geogr. antiq. p. 430.* qui addit, ſi id ita eſt, Ptolemæi diſpoſitionem immutandam fore, quum longitudinis differentiam Antiochiæ & Berœæ duos integros gradus faciat: Berœæ autem & Hierapolis quadrantem unius gradus. Aliquot ſæculorum eſt traditio Berœam eſſe antiquorum emporium illud nobile, quod nunc vocatur *Aleppus.* Nicetas enim Choniata, in Joanne Comneno *cap. 7. Acceſſit ad Chalep quod eſt olim dicta Berœa.* Et Nicephorus Callixtus *lib. 14. cap. 39. Euſtathius à Berrœa, quæ ipſa Chalep hodiernum.* Zonaras his antiquior in Romano Lacapeno, principem urbem Chamadæ, quem dixerat *Chalepi* Dominum, vocat poſtea *Berœam.* Aſſentitur Holſtenius in Steph. & Ortelium, & ex nomine Χάλεπ fluxiſſe appellationem *Aleppo* quæ hodie communis eſt, indubitanter affirmat. Aiunt vero fide digniores Aleppum à mari ſeu Alexandretta abeſſe bidui itinere, id eſt leucis 28. In ea urbe Maronitis præeſt archiepiſcopus, quorum templum Deo dicatum eſt in honorem S. Eliæ Prophetæ, teſte Blaſio Terzi *della Syria ſacra lib. 1. cap. 89. pag. 104.*

ARCHIEPISCOPI ALEPPENSES MARONITARUM.

I. Gabriel.

Gabriel de Blauſa, quem ſupra memoravimus inter Maronitarum Patriarchas *col. 73.* primus fuit ejuſdem nationis Aleppenſis archiepiſcopus, hancque eccleſiam quadraginta annos rexit. Hujus meminit anno 1666. codex tertius Berœenſium apud Aſſemanum *to. 1. Bibl. Orient. pag. 585. Synaxarium, ſeu Martyrologium Maronitarum, ſermone Arabico & litteris Syriacis exaratum ſub Georgio Beſbeelenſi Patriarcha Maronitarum, & Gabriële de Blauſa archiepiſcopo Aleppi anno Chriſti 1666. In fol. bomb. 266.* Meminit pariter anno Chriſti 1676. codex quintus Berœenſis *ibid. in fol. bomb. 103. codex Arabicus, ſed litteris Syriacis exaratus à Joanne Zendo, ſub Stephano Patriarcha Antiochiæ, Gabriële archiepiſcopo Aleppi, & Joſepho archiepiſcopo Tripolis Syriæ, anno Chriſti 1676.* Meminit demum anno 1690. codex quartus *ibidem, pag. 596.* in quo ad calcem hæc habentur. *Codex Arabicus, ſed litteris Syriacis exaratus à Joanne Zendo preſbytero Maronita ſub Stephano Patriarcha Antiochiæ, & Gabriële archiepiſcopo Aleppi, die 3. Maii anno Chriſti 1690.* B Defuncto Stephano Edenenſi Patriarchæ digniſſimo ſucceſſit anno 1704. & anno ſequenti migravit ex hac vita.

II. Michael.

Michaël de Blauſa, præcedentis ex fratre nepos, ab eodem poſtquam Patriarcha factus fuit, Aleppi archiepiſcopus conſecratus eſt, menſe Julio anno 1704. Vitam monaſticam agebat in cœnobio patrui ſui vir mira ſimplicitate præditus. Variis afflictatus morbis epiſcopatum dimiſit menſe Auguſto anni 1725. C & paulo-poſt defunctus eſt.

III. Germanus I.

Germanus ille ex urbe Aleppo oriundus de primaria Maronitarum familia, atque optime educatus, humanioribus litteris juvenis operam dedit, idque tali ſucceſſu, ut brevi periſſimus omnium ſuorum condiſcipulorum evaſerit, eaſque ſumma cum laude poſtmodum docuerit. Annum circiter 27. agens monaſticam vitam in rigidioris obſervantiæ cœnobio Montis-Libani profeſſus eſt; quo tempore plura opera elegantiſſime, tam ligata quam ſoluta oratione ſcripſit, ſcilicet

Digitized by Google

egregium carmen morale ac ſpirituale, duplicem Grammaticam, Lexicon ampliſſimum, de recta concionandi arte, aliaque tum ſacra, tum profana, idiomate Arabico, in quibus omnibus ſe non minus pium quam doctum exhibet. Interim variis ſui Ordinis muniis adimplendis ſtrenuè vacabat, eodem enim anno quo profeſſionem emiſit, Rector creatus eſt, in eaque dignitate jugiter perſeveravit, uſquequo Generalis renuntiatus fuit. Interim nihilominus concionatoris, miſſionarii, & confeſſarii muneribus fungebatur per diverſa loca, tanto fructu, ut non Catholicorum ſolum, ſed & hæreticorum, ipſorumque Mahometanorum ſibi conciliaret animos, admirationemque concitaret. Demum anno 1725. menſe Auguſto, reluctans è monaſterio archiepiſcopus Aleppenſis conſecratus eſt. In eo ſtatu, à primævo inſtituto nullatenus receſſit, eodemque tenuiſſimo victu contentus, omnia in pauperes liberaliſſime effundebat: nullum prædicandi finem fecit, niſi invicto impedimento diſtractus. Verum quinto circiter à ſuſcepto præſulatu anno, laboribus fractus, & auditu primum, deinde viſu privatus, à conſuetis exercitiis ſuperſedere coactus eſt uſque ad mortem quam piiſſime obivit menſe

A Octobri anni 1732. Mirum profecto quod licet ne primis quidem theologiæ elementis fuerit imbutus, ſic tamen apte de rebus theologicis diſſereret, ut eruditiſſimus theologus haberetur. Antea vocabatur Gabriël Pharhaat, ſed factus epiſcopus, retenta littera initiali G. nomen *Gabriëlis* in *Germani*, juxta morem quaſi omnium Orientalium, mutavit.

IV. Germanus II.

Gabriël Hauſcheb, poſtea *Germanus* nuncupatus, Aleppi primam lucem aſpexit, ex B primaria familia ortus. Is quanquam ad ſtatum religioſum non convolaverit, religioſiſſime tamen ſemper vixit. Ad ſacerdotium evectus, nullum ſibi aſſignari ſtipendium paſſus eſt, ſed ſolis bonis quæ, tum patrimonium, tum induſtria propria ſibi ſuppeditabant, victitabat. Defuncto Germano gens tota illum in epiſcopum poſtulavit, conſecravitque Jacobus Avodius Patriarcha anno 1732. Adhuc vivit vir egregius, ſacris ac prophanis litteris probe inſtructus, &, quod maxime laudandum, ab omni adulatione alienus. Hæc nobis de his quatuor archiepiſcopis Aleppenſibus Maronitis, vir optimus ejuſdem nationis amantiſſime tradidit.

V. ECCLESIA INSULÆ CYPRI MARONITARUM.

Cyprus inſula eſt maris mediterranei celeberrima. In ea extat Nicoſia, quæ vetus *Ledrum* ſeu *Leuteon* fuit, cujus meminit Sozomenus *lib. 2. hiſt. cap. 2.* poſt Hieron. ubi de Triphyllo in catal. ſcript. eccl. Quum poſt tertiam & quartam ſynodos Oriens in diverſas factiones diviſus eſſet, tres Cypri partes Syriacum ritum amplexi ſunt, nimirum Maronitæ, Neſtoriani, & Jacobitæ, qui ſuos ibidem epiſcopos habebant. Et ut hic de Maronitis ſolum loquamur, obſervat Fauſtus Naironus *in Evoplia fidei cathol. cap. 4. n. 36. p. 92.* in inſula Cypro nonnulla oppida ac pagos à Maronitis habitari, qui capta à Saladino Hieroſolyma, è Palæſtina & Phœnicia huc fugerunt: linguamque Græcam regionis vernaculam loquuntur, exceptis tamen officiis eccleſiaſticis, quæ ſemper in lingua Syriaca celebrant. Legendus quoque Aſſem. *to. 1. Bibl. Orient. p. 171.* & *to. 2. in diſſert. de Monoph. n. 9.* ubi de Cypro.

ARCHIEPISCOPI CYPRI MARONITARUM.

I. Joannes.

Stephanus Edenenſis in breviculo de C Patriarcharum Maronitarum genealogia, ſive ſerie, ſæpe citato, ubi de Joanne Patriarcha qui ſedebat an. Chr. 1357. hæc habet: Prout regiſtratum in quodam libro antiquo in eccleſia S. Sergii de Hadſcit invenimus. In illo enim libro ita ſcribitur. Abſoluta fuit hujus libri ſcriptura anno æræ Chriſtianæ 1357. diebus Domini noſtri electi Mar-Joannis Antiochiæ Montis-Libani, & locorum maritimorum Patriarchæ, necnon diebus pariter *Joannis Cypri archiepiſcopi.* Hic itaque Joannes erat archiepiſcopus Cypri anno ſalutis 1357.

II. Elias.

Anno ſalutis 1445. *Elias* Maronita, qui erat archiepiſcopus in inſula Cypro, hæreſim Monothelitarum ejuravit, coram Andrea epiſcopo Coloſſenſi Nuntio Apoſtolico, quum Timotheus identidem Neſtorianorum metropolita Neſtorianos quoque errores abjiceret. Id conſtat ex Eugenii IV. bulla *Benedictus Deus, &c.* data 7. non. Auguſti (legendum *cal.* vel *idus*: in menſe enim Auguſto non amplius quam *quarto nonas* dicitur) anno 1445. Quæ bulla extat in actis concilii Florentini, *part. 3. n. 20.* & in annal. Raynaldi ad ann. 1445. *nn. 21. & 22.* ubi ſummus Pontifex, relata ejuſdem Timothei profeſſione

Digitized by Google

fidei, necnon Iſaaci nuntii Eliæ, de utroque decernit, apud Aſſemanum *to. 1. Bibl. Or. pp. 523. & 524.* in nota 1. *Inprimis quod nemo prædictos, Chaldæorum metropolitam, & Maronitarum epiſcopum, eorumdemque clericos & populos, neque ex populo & clero quempiam, de cætero audeat hæreticos appellare; aut Chaldæos* (id eſt Neſtorianos recens converſos) *de cætero Neſtorianos nominare præſumat. Quod ſi quiſpiam mandati hujus contemptor extiterit, jubemus ab ejus Ordinario excommunicari tandiu, quandiu diſtulerit condignè ſatisfacere, aut Ordinarii arbitrio aliqua alia temporali pœna mulctari, &c.* Obſervat autem obiter idem Aſſem. *ibidem*, ſi *Maronitarum* nomen, non ſecus ac *Neſtorianorum* aut *Jacobitarum*, alicujus hæreſis proteſtativum eſſet, futurum fuiſſe ut illud Maronitis ad eccleſiam reverſis attribui non minus vetaretur, quam Neſtorianorum aut Jacobitarum nomen iis qui hujuſmodi ſectarum errores repudiarunt: Maronitas tamen hoc nomen ſemper geſtaſſe, & ab ipſis ſummis Pontificibus eorum Patriarcham vocari ſolitum *Patriarcham Antiochenum Maronitarum.* Quod vero hic Elias fuerit Monothelita, ortum conjicit Fauſtus Naironus *in diſſert. de nomine, &c. Maronitarum p. 98.* ex nonnullorum Maronitarum Montis-Libani adventu in inſulam Cyprum qui viru hæreſis Monotheliticæ hauſto à Thomæ Hharanitæ aſſeclis, ut ſupra expoſitum eſt, *coll. 35. & ſeqq.* eo multos imbuerint, ſuiſque tradiderint poſteris: quamvis credibile non ſit Cyprios Maronitas magnam ad partem hac hæreſi laboraſſe. Quum enim teſtetur Willelmus Tyrius, ſi fides ei credatur, totam nationem Maronitarum anno Chriſti 1182. Catholicam fidem amplexam eſſe, id eſt ante ducentos & ſexaginta annos, quam Elias in inſula Cypro hæreſim Monotheliticam ejuraret, quis ſibi perſuadeat, Cyprios omnes Maronitas, ad hoc uſque tempus, totius nationis Patriarcharum fidem non fuiſſe ſequutos, eoſdemque Patriarchas de hoc minime curaſſe! Cæterum attentione dignum ducit idem Naironus in *Evopl. fid. Cath. pag. 76.* hunc Eliam dici ab Eugen. Papa, hauſiſſe hæreſim Monotheliticam à *Machario* Patriarcha Antiocheno, non à *Marone*, qui fuerit hujus erroris auctor.

III. GABRIEL.

Gabriël Barclaius, quem Stephanus Edenenſis in breviculo de Patriarcharum Maronitarum genealogia, ſive ſerie, dicit fuiſſe religioſum Seraphici ordinis, epiſcopus erat Nicoſienſis in Cypro ſæculo decimo-quinto & initio ſequentis. Fauſtus Naironus eum appellat *Gabriëlem Qlai*, multiſque laudibus extollit, tum in ſua *diſſertatione de origine, nomine & religione Maronitarum*, ubi *pag. 69.* illum doctrina & ſanctitate illuſtrem teſtatur, & *pag. 126.* egregium de ſacramentis tractatum conſcripſiſſe, tum in *Evoplia fidei Catholicæ*, ubi in indice auctorum ei præfixo hæc habet: Gabriël Qlai epiſcopus Maronita, ſæculo XV. congeſſit epiſtolas ab Innocentio III. uſque ad Leonem X. Maronitarum Patriarchis conſcriptas, multa etiam concinnavit, tam ſoluta quam ligata oratione, de nationibus Orientalibus, ac illarum hæreſibus, quæ extant in monaſterio ſanctæ Mariæ de Canubin in Libano, præter alia opera moralia, quæ ſunt in Biblioth. Maronitarum de Urbe, necnon tractatum de ſacerdotio, qui extat in monaſterio S. Antonii abbatis de Kuzhaia in Libano. Plura ex ejus ſcriptis recenſentur in variis codicibus Ecchellenſibus, apud Aſſem. *to. 1. Bibl. Or. p. 577.* ſcilicet in codice 18. *Gabriëlis Barclai epiſcopi Nicoſienſis de Deo uno & Trino tractatus imperfectus. Ejuſdem carmina de Chriſto Domino, ejuſque matre. De eccleſia & fide orthodoxa. De Monte-Libano & Maronitis. De morte. De S. Simeone Stylita. De S. Lucio martyre. De meteoris & conſtellationibus. Planctus Virginis ſub cruce. De S. Alexio Romano. De S. Antonio abbate. De aſtrologia, & ſtellis errantibus, fixiſque, & de elementis. De veritate & mendacio adverſus Jacobitas & Neſtorianos, deque erroribus quos Jacobitæ in Monte-Libano diſſeminarunt. De Gabriële Hagiulenſi Patriarcha Maronitarum, qui ob Catholicam fidem à Mahometanis Tripoli extinctus eſt anno Chriſti 1367. De Moyſe Æthiope, qui ex latrone monachus factus fuit. De pœnitentia 11. Paræneſes 24. In 4. char. 126. Codex Arabicus Syriacis litteris exaratus.* Et in cod. 19. *carmina de S. Jacobo interciſo. De Tripolis urbis expugnatione. De monaſtica vita. De S. Maria Magdalena. De Hoſannis, &c. In 8. char. 41. Codex Arabicus, litteris tamen Syriacis exaratus à Joanne Edenenſi, Michaëlis filio, in monaſterio Cuzaiæ anno Chriſti 1609.* Et in codice 20. *De Joſeph Patriarcha.... exaratus anno Græcor. 1867.* (Chriſti 1556.) Et in codice 21. *Carmen Arabicum de hæreſibus & conciliis. Canticum Syriacum in quo præcipuæ hæreſes anathematizantur,* inſcriptum *demonſtratio fidei Maronitarum adverſus hæreticos. Annotatio Arabica de expugnatione Montis-Libani, tranſcripta ex vetuſtiſſimo officio Syriaco, quod in ipſo Monte-Libano in monaſterio Mar-Abun extabat. In 8. char. 64.... exaratus ab Elia Gazirenſi monacho ſancti Artemii anno Chriſti 1669.*

IV. GEORGIUS I.

Stephanus Edenenſis in breviculo ſupra citato, ubi de Moyſe Accarenſi, qui electus

Digitized by Google

ECCLESIA INSULÆ CYPRI MARONITARUM.

fuit Maronitarum Patriarcha anno ſalutis A 1524. die 11. Decembris, ait huic Pium IV. confirmationis bullam & pallium miſiſſe anno 1562. cum *Georgio* Cypri epiſcopo: niſi hic mendum occurrat, & loco *Cypri* legendum fuerit *Damaſci;* nam illo ipſo anno 1562. Moyſes Patriarcha delegavit Georgium archiepiſcopum Damaſcenum ad hunc Papam, ut totius nationis Maronitarum nomine concilio Tridentino intereſſet. Quod conſtat ex ejuſdem Papæ epiſtola ad Moyſen Patriarcham illo anno data, ubi ait: *Venerabilem fratrem noſtrum Georgium archiepiſcopum Damaſcenum,* B *qui tuas ad nos attulit litteras, libenter vidimus, &c. Quod autem contentum te eſſe ſignificaſti ut ipſum archiepiſcopum ad concilium Tridentinum mitteremus, id nobis minime neceſſarium viſum eſt, præſertim quum is neque Latinam linguam noverit, ac ne Italicam quidem ſatis calleat, eamque ob cauſam futurum fuerit, ut nec quid ipſe ſentiret exprimere, nec quid ibi ageretur ſatis intelligere poſſet.* Improbabile itaque non eſt Georgium tunc temporis archiepiſcopum Cypri alium non eſſe à Georgio qui eodem tempore, & certius, erat archi- C epiſcopus Damaſci: ſi tamen diverſus eſt, hîc de illo mentionem facimus. Vide Aſſeman. *to. 1. Bibl. Orient. pag. 523.*

V. Moyses.

Fauſtus Naironus in Indice Virorum illuſtrium, &c. ſuæ *diſſertationi de nomine, &c. Maronitarum* præfixo, meminit hujus Moyſis, *Moyſes Anayſius,* inquit, *archiepiſcopus Nicoſiæ in Cypro inſula,* & pag. 121. *Quid etiam hic appellem Moyſem Anayſium Cypri archiepiſcopum, qui Græcos ſchiſmaticos variis diſputationibus redarguens, ab iiſdem in odium fidei veneno vita interfectus* (id eſt, privatus) *eſt!* Hunc Dandinus ſui itinerarii ad Montem Liban. *c. 32.* Romæ preſbyterum ordinatum refert, & poſtea à Joſepho Riſio, qui in Patriarcham Maronitarum electus eſt an. 1596. & obiit anno 1608. archiepiſcopum conſecratum, ut vices ipſius gereret in tota regione. Nicoſienſis tandem eccleſiæ Maronitarum in inſula Cypro adminiſtrationem habuit, ut ſupra dictum eſt ex Nairono.

VI. Georgius II.

Gabriël Sionita inter Maronitas celeberrimus, qui Ludovici XIII. Galliarum regis linguarum Orientalium fuit interpres, & geographiam Nubienſ. latinè reddidit, unaque cum aliis opuſculis typis mandavit Pariſiis, in præfatione editionis ſuæ Pſalterii Syriaci anno 1625. librum hunc Pſalmorum ſibi nuper fuiſſe miſſum teſtatur ab illuſtriſſimo, reverendiſſimoque D. *Georgio Maronio Nicoſianæ urbis archiepiſcopo,* mihi, inquit, tum ratione conſanguinitatis, tum præſtantiſſimarum ejus virtutum meritis commendatiſſimo, &c. Sedebat igitur hic Georgius Nicoſiæ Cypri Maronitarum antiſtes an. ſalutis 1625.

VII. Lucas.
VIII. Petrus.

De his duobus archiepiſcopis Cypri nihil aliud novimus, niſi quod illos inter ſuæ nationis illuſtres viros his paucis commendet Fauſtus Naironus *in diſſert. de nomine, &c. Maronitarum pag. 123.* Quid *Lucam Carpaſitam* & *Petrum Domitium* (commemorem) *in Cypro inſula archiepiſcopos,* & Joſephum Gratiam Eſronitam nunc (anno ſcilicet 1676.) Tripolitanum archiepiſcopum, & alios qui præfuerunt Maronitarum eccleſiis bene eruditos!

VI. ECCLESIA SIDONIENSIS MARONITARUM.

SIDON urbs antiquiſſima eſt Phœnices ſive Phœniciæ: in ipſis Moyſis & Joſue ſcriptis celebratur Gen. 49. verſ. 13. Joſue 11. verſ. 13. Condita fertur à Sidonio Chanaani primogenito & Noachi pronepote, ex quo etiam probabiliter hoc ſuum nomen ſortitur. Alii tamen à Piſcatu Syriacè *Sidon* nomen iſtud ducunt, quod Piſcium copia in illo loco ſit. Sic Juſtinus *lib. 17. cap. 3.* ex Trogo, *Phœnices,* inquit, *terræ motu vexati, relicto patrio ſolo, Aſſyrium ſtagnum primo, mox mari proximum littus incoluerunt, condita ibi urbe, quam à piſcium ubertate Sidona appellaverunt; nam piſces Phœnices Sidon vocant.* Strabo Sidoniis inventionem tribuit Arithmeticæ, Aſtronomiæ, aliarumque nobiliorum artium, quibus navalem mercaturam ad perfectionem adduxerunt. Diſtat Sidon à Tyro ſtadiis ducentis, ex eodem Strabone *lib. 16. pag. 521.* Hæc Cellarius *tom. 2. pp. 450. & ſeqq.* In ea urbe multi Maronitæ commorantur, quorum curam gerit ejuſdem nationis epiſcopus.

EPISCOPI SIDONIENSES MARONITARUM.

I. Joseph.

JOSEPH Petri Accurenſis epiſcopi filius de domo Alipia à Joanne Macluphio Patriarcha Maronitarum epiſcopus Sidonienſis conſecratus eſt anno ſalutis 1626. Inſigne monialium cœnobium conſtruxit in loco Coſroënes, quem Haras vocant. Poſt mortem Georgii

Amiræ Patriarchæ ſedem ejus conſcendit electione canonica ad eam evectus an. 1644. die 15. Auguſti. Obiit die 3. Novemb. 1647. anno ætatis quarto ſupra ſeptuageſimum. Aſſem. *to. 1. Bibl. Orient. pag. 553*. De eo ſupra fuſius inter Maronitarum Patriarchas *col. 71*.

II. JOANNES.

Stephani Edenenſis Maronitarum Patriarchæ teſtimonio de fide eccleſiæ ipſorum Calvinianis erroribus adverſa ſubſcripſit in monaſterio Canubin die 12. Junii anni 1676. *Joannes* humilis & abjectus metropolita Sidonienſis. *Tom. 3.* libri Gallici de perpetua in eccleſia univerſali præſentiæ realis Chriſti in Euchariſtia fide, *p. 721.* edit. Pariſ. 1674.

ECCLESIA SIDONIENSIS MARONITARUM.

III. GABRIEL.

Nunc ſedere dicitur, niſi à paucis annis obierit, Maronitarum Sidonienſium epiſcopus *Gabriël* de monaſterio Mar-Raiſun.

VII. ECCLESIA SAREPTÆ MARONITARUM.

SAREPTA Stephano Byzantino urbs eſt Phœniciæ. Celebratur 3. Reg. cap. 17. v. 9. manſione Eliæ Prophetæ quem paupercula vidua hoſpitio recepit, & cujus ille filium à morte ad vitam revocavit. Hebraïcè dicitur *Tſarphathah* ſive *Zarpath*, unde factum eſt *Sarapta* & *Sarepta* Græcis Σαρεφθὰ τῆς Σιδωνίας, id eſt, *Sarephtha Sidoniæ* regionis ſive Sidoniorum, quia in eo territorio ſita eſt inter Tyrum & Sidonem juxta illud Joſephi de Elia, *lib. 8. antiq. cap. 7.* εἰς Σαρεφθὰ πόλιν οὐκ ἄπωθεν τῆς Σιδῶνος καὶ Τύρου μεταξὺ γὰρ κεῖται, παραγίνεται: *Sarephtam* (Elias) *proficiſcitur, non procul Sidone ac Tyro ſitam: media enim interjacet.* Plinius *lib. 5. cap. 19.* Sareptæ mentionem facit. Sedes epiſcopalis eſt, cujus unus nobis Maroniticæ nationis occurrit præſul.

EPISCOPI SAREPTÆ MARONITARUM.

GABRIEL

D. de la Roque, in itinerario ſuo ad Montem-Libanum *pag. 239.* refert epiſtolam Stephani Edenenſis, datam die 5. Octob. 1699. cui ſubſcripſit *Gabriël Aldoenſis epiſcopus Sareptæ in ſancto Sergio Edenenſi.* Eo itaque anno ſedebat Gabriël ille Sareptæ epiſcopus Maronita, qui etiam fortaſſis adhuc vivit.

VIII. ECCLESIA BERYTENSIS MARONITARUM.

BERYTUS, græcè Βηρυτὸς, urbs eſt Phœnices adeo antiqua ut Stephanus obſervet à Saturno conditam nonnullos credidiſſe. Scylax de ea ait *Berytus inſtructa portu.* Strabo lib. 16. pag. 520. *Berytus, quæ à Tryphone everſa fuit, à Romanis nunc reſtituta, duabus legionibus ab Agrippa in eam deductis.* Plinius lib. 5. cap. 20. *Berytus colonia, quæ Felix Julia appellatur.* Extat nummus Auguſti COL. JUL. AUG. FEL. BER. & alius Trajani eodem modo inſcriptus. Lege 7. Dig. de Cenſibus: *Juris Italici ſunt Troas, Berytus, Dyrrachium.* Scholam egregiam habuit tam juris ſcientiæ, quam cæterarum diſciplinarum. Euſebius de Apphiano martyre, in martyribus Palæſtinæ *cap. 4.* ait, *quod Græcorum litteraturæ ſæcularis cauſa plurimum temporis Beryti commoratus ſit.* Et Socrat. hiſt. eccl. lib. 4. cap. 27. de Gregorio Neocæſarienſi; *hic quum ſcholis Athenienſibus diſceſſiſſet, Beryti jus civile didicit.* Eam Nonnus *lib. 41.* vocat, *vitæ tranquillæ nutricem:* & Periegeta verſ. 911. *terram amœnam.* Ita refert Cellar. *to. 2. geogr. antiq. pag. 449.* Blaſius Terzi *della Syria ſacra lib. 1. c. 171. p. 151.* in hac civitate teſtatur nunc non amplius adeſſe quam bis mille homines, inter quos Catholici ab epiſcopo gubernantur nationis Maroniticæ, ſchiſmatici autem ab epiſcopo Græco. Verum nullus nobis hactenus horum epiſcoporum Maronitarum innotuit.

IX. ECCLESIA BYBLI MARONITARUM.

BYBLUS, urbs eſt Phœnices, cujus meminere Plinius *lib. 5. cap. 20.* tabula Peutingeri, & Ptolemæus qui eam inter Berytum & Botryn collocat. Strabo de eadem ait: *Byblum & poſt eam Berytum* eſſe, *quæ inter Sidonem & Dei Faciem ſunt ambæ ſitæ: Byblus autem fuit Cinyræ regia, & ſacra Adonidi (Dei Facies* nomen eſt cujuſdam promontorii Tripolin inter & Botryn: ſic illud vocat Ptolemæus, Θεοῦ πρόσωπον ἄκρον, *Dei Facies, promontorium.* Strabo lib. 16. p. 519. *Tripoli continua eſt Dei Facies, quæ ita dicitur, in quam deſinit Mons-Libanus, interjacet oppidulum Trieres,* ſive Triremis, *dictum.* Polybius lib. 5. cap. 68. *Deinde*

Digitized by Google

ECCLESIA BYBLI MARONITARUM.

Antiochus *navigans exſcendit juxta Theu proſopon,* id eſt Dei Faciem. Huic promontorio impoſitum caſtellum aſſerit Strabo *ibid. p. 520.* At montem tantum ibi ſitum commemorat Scylax ὄρος Θεοῦ πρόσωπον, *mons Theu proſopon.)* Pompeius urbem Byblum liberavit à tyranno, quem occidi juſſit. Prope mare Strabo, non proxime, in excelſo loco conditam illam ſcribit. Extat nummus Auguſti ΒΥΒΛΙΩΝ *Bybliorum* nomine percuſſus. Hæc Cellar. *tom. 2. geogr. antiq. lib. 3. cap. 12. pag. 447.* Blaſius Terzi *della Syria ſacra, lib. 1. cap. 56. pag. 79.* refert ex Stephano eam urbem pro fundatore habuiſſe Saturnum, nomen vero accepiſſe à *Byble* filia Mileti: *Byblos urbs Phœnicia, omnium antiquiſſima, Saturni opus, à Byble Mileti filia.* Addit *pag. ſeq.* primum ejus epiſcopum fuiſſe Joannem Marcum Apoſtoli diſcipulum. Sedes eſt epiſcopalis pro Maronitis qui in ea urbe degunt.

EPISCOPI BYBLI MARONITARUM.

I. JOSEPH I.

ANno Chriſti 1673. die 12. Junii, ſubſcripſit teſtimonio Stephani Edenenſis Patriarchæ Maronitarum, adverſus errores Calvinianos, apud auctorem *tom. 3.* Gallici de perpetua eccleſiæ univerſalis fide circa realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam, *pag. 721. Joſeph humilis & abjectus metropolita Gebaël* (id eſt, Bybli) nam ſeptuaginta interpretes, ut obſervat Blaſius Terzi *della Syria ſacra, lib. 1. c. 46. p. 79.* Illud Ezech. cap. 27. v. 9. *ſenes Giblii,* verterunt *ſeniores Bybliorum.* Et S. Hier. de locis Hebr. ait: *Byblis Phœnicia, cujus meminit Ezechiël, pro qua in Hebræo continetur Gibel.*

II. JOANNES.

Blaſius Terzi modo citatus, ait *ibid. p. 80.* A tempore quo ſcribebat ſuum hoc opus, editum Romæ an. Chriſti 1694. actu epiſcopum eſſe Bybli *Joannem* Abacuch Maronitam.

III. JOSEPH II.

Clariſſimus D. de la Roque refert ad calcem itinerarii ſui ad Montem-Libanum edit. anni 1723. *pag. 236.* epiſtolam quandam Stephani Edenenſis Patriarchæ Maronitarum, datam in cœnobio Canubin 5. Octob. anno Chriſti 1699. cui cum eo ſubſcripſit *p. 239.* B *Joſeph Haſratenſis epiſcopus Byblienſis in Hauca.* Quamvis enim hic Joſeph ſit fortaſſis quem primo loco laudavimus, conjectu tamen datur ex diſtantia 26. & amplius annorum à 12. Jun. 1673. ad 5. Octob. 1699. fortaſſis quoque fuiſſe alium ejuſdem nominis priore recentiorem.

X. ECCLESIA BOTRYS MARONITARUM.

BOTRYS urbs eſt maritima Phœnices prope Tripolim ſita, Plinius *lib. 5. cap. 20.* eam, inter alia hujus oræ oppida, recenſet: Byblos, *Botrys,* Gigarta, Trieris, Calamos. Blaſius Terzi, *della Syria ſacra, lib. 1. cap. 57. pag. 80.* refert eam extare juxta Byblum ad Auſtrum, Romaque & Carthagine eſſe antiquiorem, ſi credatur Phœnicum annalibus: utpote quam conditam dicunt à quodam Itabalo ſacerdote Deæ Aſtartes qui regnavit in Tyro anno mundi 3072. Porro Græci & Maronitæ, teſte eodem Blaſio Terzi, ſuum in illa urbe templum habent, & Catholici quidem gubernantur ab epiſcopo nationis Maroniticæ.

EPISCOPI BOTRENSES MARONITARUM.

JOANNES.

D. de la Roque in citata modo epiſtola Stephani Edenenſis Patriarchæ Maronitarum, exhibet *pag. 239.* hanc ſubſcriptionem, *Joannes Abacuc epiſcopus Botrenſis in Caſaya,* qui proinde ſedebat anno Chriſti 1699.

XI. ECCLESIA EDENENSIS MARONITARUM.

FAUSTUS Naironus in *Evoplia fid. Cath. cap. 4. n. 33. pp. 88. & ſeq.* ait, in montanis ad Orientem Tripolis eſſe regionem Libaniticam *Giobbet Bſciarrai,* in qua Libanus mons aſſurgit; eminet autem *Eden,* quæ *Paradiſus* redditur, à quo parum diſtat monaſterium ſub invocatione SS. Sergii & Bacchi *Dair Ras Elnahr* ubi reſidet epiſcopus, qui *Edenenſis* titulo nuncupatur. Cellarius *to. 2. geogr. antiq. lib. 3. cap. 12. p. 444.* eam urbem non Eden ſed *Paradiſum* vocat. Stephanus Byzantinus, libro de urbibus & populis, *pag. 527.* ait Παράδεισος πόλις Συρίας, *Paradiſus oppidum Syriæ.* Addit Thomas de Pinedo, *ibidem,* in nota 40. Memoratur inter Laodicenæ regionis Syriæ urbes à Ptolemæo, *lib. 5. cap. 15.* De ea quoque fecit mentionem Plinius, *lib. 5. cap. 23.*

Digitized by Google

EPISCOPI EDENENSES MARONITARUM.

I. PETRUS.

STEPHANUS Edenenſis Patriarcha Maronitarum, in breviculo ſupra ſæpius citato de eorumdem Patriarcharum ſerie, ubi de Davide Patriarcha, qui ſedebat anno Chriſti 1397. ait, ex regeſto cui ſubſcripſerunt Cyrillus archiepiſcopus Algigæus.... perveniſſe iſtum Davidem uſque ad ann. ſalutis 1404. *& hoc eodem anno*, inquit, *Petrus epiſcopus eccleſiam Edenenſem regebat.*

II. GEORGIUS.

Georgius Amira, (de quo ſupra fuſius *col. 69.* inter Maronitarum Patriarchas,) à Joſepho Riſio Patriarcha, anno ſalutis 1596. epiſcopus Edenenſis conſecratus eſt. Joanni Macluphio in Patriarchatu ſucceſſit, die 27. Decemb. anno 1633. Obiit die 29. Julii A 1644. Aſſem. *to. 1. Bibl. Orient. pag. 552.*

III. ELIAS.

Clariſſimus D. de la Roque, refert in vita D. Galaup de Chaſteuil, quam ſcripſit in fine hiſtoriæ itineris ſui ad Montem-Libanum, piiſſimum hunc anachoretam, qui ex Gallo-provincia in Orientem profectus ad Montem-Libanum ſe recepit, ſanis Eliæ Maronitæ Edenenſis epiſcopi conſiliis valde adjutum fuiſſe, ut ad perfectionis culmen aſcenderet. In vita citata *pag. 222.* legitur Eliam hunc Edenen-B ſem, poſt mortem Georgii Amiræ Maronitarum Patriarchæ, cui ſucceſſerat anno 1633. aut ſequenti 1634. in epiſcopatu Edenenſi, ad ejus quoque Patriarchalem ſedem fuiſſe evectum: in quo tamen graviſſima occurrit difficultas. Vide ſupra ubi de Georgio Amira, inter Patriarchas, *col. 70.*

XII. ECCLESIA ACCURENSIS MARONITARUM.

FAUSTUS Naironus *in Evopl. fid. Cath. n. 34. p. 90.* ait ad Libani meridiem adjacere *Giobbet Elmneitra,* à diruto oppido *Mneitra* ſic dictam, in qua eſt *Accura,* ibique reſidere epiſcopum, qui *Accurenſis* titulo nuncupatur.

EPISCOPI ACCURENSES MARONITARUM.

I. ARSENIUS.

PRæfatus Naironus in eadem *Evoplia fidei Cathol. pag. 69.* narrat Thomæ Hharanitæ metropolitæ Kfartab in diœceſi Aleppenſi hæreſim Monotheliticam circa annum ſalutis 1111. inter Maronitas diſſeminare conanti fortiter obſtitiſſe cum Joſepho hujus nationis Patriarcha *Arſenium* metropolitam Accurenſem, qui in cœnobio S. Adnæ prope Januhh in diœceſi Byblienſi commorabatur: ſcripſit enim abverſus eum epiſtolam, qua errores ejus eruditè confutabat, eo fructu, ut tunc D Thomas, nonniſi archipreſbyterum unum vici Farſciaiæ, paucoſque de populo ſeducere valuerit, ut notat, inquit, Stephanus Edenenſis Patriarcha Antiochiæ (Maronitarum) in his quæ pro Maronitis exaravit.

II. PETRUS.

Aſſemanus *tom. 1. Bibl. Orient. pag. 553.* agens de Joſepho Accurenſi Maronitarum Patriarcha, qui Georgio Amiræ ſucceſſit anno ſalutis 1644. ait eum *Petri* Accurenſis epiſcopi fuiſſe filium; ille itaque Petrus Accurenſem adminiſtravit eccleſiam exeunte ſæculo decimo-ſexto, vel ineunte ſequenti. Fuit fortaſſis ordinatus epiſcopus hujus loci à Joſepho Riſio Patriarcha Maronitarum, C anno 1596. quo, ea eccleſia vacante, Hieronymus Dandinus Societ. Jeſu, à Clemente VIII. ad Maronitas Viſitator Apoſtolicus miſſus, eumdem Patriarcham monuit, ut ei ſedi epiſcopum præficeret, ipſomet teſte in itinerario ſuo ad Montem-Libanum, *cap. 35.*

III. GEORGIUS I.

Stephanus Edenenſis in breviculo Patriarcharum Maronitarum, ubi de quinque prioribus Patriarchis hujus nationis egit, addit: plura etiam exemplaria ſunt quæ propoſuit nobis venerabilis frater noſter *Georgius* Habacuc Accurenſis epiſcopus. Is etiam eſſe videtur qui anno Alexandri 1984. id eſt Chriſti 1673. teſtimonio eccleſiæ Maronitarum de fide ſua erroribus Calvinianis oppoſita ſubſcripſit in hunc modum, poſt eumdem Stephanum Edenenſem Patriarcham, *Georgius humilis & abjectus metropolita Accurenſis, filius Habcoux.* Extat *to. 3.* gallice ſcripto de perpetua eccleſiæ univerſalis fide circa realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam, *pag. 721.*

IV. GEORGIUS II.

Eccleſiæ Accurenſi nunc præeſſe dicitur *Georgius* cœnobii S. Antonii alumnus, niſi à paucis annis obierit.

Digitized by Google

XIII. ECCLESIA HESRONIS MARONITARUM.

FAUSTUS Naironus *in Evopl. fid. Cath. cap. 4. num. 34.* ait in oppido *Heſron*, quod ab oppido Bſciarrai non longè diſtat, & in tribus aliis vicis ſeu pagis adjacentibus, idioma vetus Syriacum ſeu Chaldaïcum ab incolis hactenus conſervari, eoque uti communiter populum, quamvis in Phœnicia, imò in tota fere Syria, à Saracenorum in eam ingreſſu, deperditum fuerit, Arabica ipſi lingua ſubſtituta, & ſolum in officiis eccleſiaſticis uſurpetur. Hi ejus epiſcopi nationis Maronitarum ad notitiam noſtram devenerunt.

EPISCOPI HESRONIS MARONITARUM.

I. JOANNES I.

ABRAHAMUS Ecchellenſis in Indice auctorum quos in opere de origine nominis Papæ laudavit *lib. 1.* hæc habet: *Joannes Leopardus* archiepiſcopus Heſronita, vir doctiſſimus, confecit tractatum, *De contradictionibus Alcorani*, in quo ſtrenue male compactum deſtruit ædificium. Hujus bina extant exemplaria: unum, in Bibliotheca collegii Urbani de Propaganda fide; alterum eſt illuſtriſſimi viri Michaëlis Heſronitæ Patriarchæ Maronitarum ſuffraganei. Hunc etiam commendat Fauſtus Naironus *in diſſert. de nomine, &c. Maronitarum pag. 122.* ubi ait: *Quid Joannem Leopardum Heſronitam ex ordine Prædicat. Archiepiſcopum & Patriarchæ ſuffraganeum*, (commemorem) *qui erudite conſcripſit Arabice tractatum, cujus titulus eſt, Vindemia ſacramentorum!*

II. JOANNES II.

Idem Naironus ſtatim ſubdit *ibid. Quid Joannem alium Heſronitam archiepiſcopum, qui varia de fide ac religione orthodoxa exaravit!* Quum hos duos præſules Naironus immediate præmittat Iſaaco Sciadrenſi archiepiſcopo Tripolitano, quem Aſſemanus *to. 1. Biblioth. Orient. pag. 552.* conſecratum fuiſſe aſſerit à Joanne Macluphio Patriarcha anno ſalutis 1629. eos conjectu pronum eſt exeunte ſæculo decimo-ſexto, vel ineunte ſequenti, ſediſſe. Neſcio tamen an à patria, an à ſede, hi duo epiſcopi nominentur *Heſronitæ*.

XIV. ECCLESIA ARCÆ MARONITARUM.

ARCA ſive *Arce*, quam etiam *Actipum* vocat Joſephus *lib. 5. antiq. cap. 1.* urbs Phœniciæ eſt. Hujus meminit Ptolemæus *lib. 5. cap. 15.* eamque inter mediterraneas Phœniciæ urbes locat. *Arca Cæſarea* & *Arcena* appellatur ab Ælio Lampridio ubi de Alexandro Severo, in eaque aſſerit natum hunc Imperatorem. Aurelius quoque Victor aſſerit *Cæſareæ* & *Arcæ* nomen huic oppido tribui, ſed *Cæſarea* procul dubio dicta eſt ex eo Imperatore Alexandro qui ipſius alumnus erat. Ibi ſedet epiſcopus Maronita, cujus eccleſia Deo in honorem ſancti Arſenii dedicata eſt.

EPISCOPI ARCÆ MARONITARUM.

ELIAS.

ARCENSI eccleſiæ Maronitarum præeſſe dicitur impræſentiarum, *Elias* cœnobii Mar-Sulitæ, niſi à paucis annis obierit.

XV. ECCLESIA BSCIARRAI MARONITARUM.

FAUSTUS Naironus *in Evopl. fid. Cath. cap. 4. n. 33. pag. 89.* hæc habet de Bſciarrai. In regione Libanica quæ Giobbet Bſciarrai vocatur, *Bſciarrai*, & Hhadet, tanquam urbes antiquitus reputabantur. Bſciarrai huic ditioni nomen imponit, quæ diſtinguitur ab alia Giobbet Elmneitra dicta. Erat olim Bſciarrai arce munita, ſed nunc pene diruta; in ea ad noſtra uſque tempora princeps Maronita reſidebat qui *Mquaddem* titulo præfulgens, toti huic regioni hæreditario jure præerat. Verum ea familia extincta, hujus præſidis nominatio ad nutum Baſciæ Tripolitani devenit. Epiſcopus Maronita fidelium ejuſdem nationis hujus loci & terrarum adjacentium curam gerit.

EPISCOPI

Digitized by Google

EPISCOPI BSCIARRAI MARONITARUM.

I. * * *

D. de la Roque ſcribit in Itinerario ſuo ad Montem-Libanum, editionis 1723. pag. 65. *Epiſcopi cujuſdam Bſciarrai* epiſtolam ad Leonem X. Romanum Pontificem, lectam fuiſſe in ſynodo quinta Lateranenſi.

II. Moyses.

Synodo, quam haberi curavit à Sergio Riſio Maronitarum Patriarcha, die 18. Septembris ſtylo veteri, novo 28. anno ſalutis 1596. Hieronymus Dandinus Societ. Jeſu,
A à Clemente VIII. miſſus ad Montem-Libanum, ut de erroribus Maronitarum nationi impoſitis diligentius inquireret, adfuit *Moyſes Bſciarrai epiſcopus:* ſic enim initio actorum hujus ſynodi, quæ refert idem Dandinus in Itinerario ſuo *cap. 34.* legitur: Convenerunt die 18. Septembris menſis coram illuſtriſſimo Patriarcha, reverendiſſimi archiepiſcopi, cæteris legitime impeditis, Joſephus abbas Chſaya, Joſephus ſancti Antonii, & *Moyſes Bſciarrai.* Eo igitur anno 1596. eccleſiæ Bſciarrai præerat iſte Moyſes.

XVI.

ECCLESIA HHADETENSIS MARONITARUM.

DIſcimus à Fauſto Nairono *in Evopl. fid. Cath. cap. 4. num. 34. pag. 90. Hhadet* modo pene orbatam populo, ſed valde in Maronitarum chronicis celebrari, ob validiſſimam per ſeptem annos oppugnationem ab ejus incolis adverſus Saracenos obitam. Quod fuſius explicat *in diſſert. de nomine, &c. Maronitarum pp. 52. & 53.* « Maronitarum principes, inquit, duos conſtituerunt eximios duces.... ut militibus præeſſent, qui egreſſi ex civitate Hadetenſi, quæ eſt in Libano, in provincia Giobbe nuncupata, tanto animi ardore in Saracenos irruerunt, ut eorum exercitum pene internecione profligarint. Hujus rei fama quum Damaſcum perveniſſet, Saracenorum duces militum cohortibus in unum collectis ſtricta Hadetum obſidione vallarunt. Maronitarum ſtudium ac valor in urbe tuenda uſque adhuc commendatur. Nam etſi Imperator (Græcorum) nullum eis præbuerit auxilium, per 7. tamen annos frequentes hoſtium aggreſſiones valide retuderunt, ac majora egiſſent, niſi urbs per traditionem fuiſſet capta, ac funditus everſa, in qua 1700. domus numerabantur.» Huic igitur urbi, maxime dum ſtetit in florenti ſtatu, non eſt credibile defuiſſe epiſcopos nationis Maronitarum, eorum tamen nullus hucuſque ad notitiam noſtram devenit.

XVII.

ECCLESIA SCIADRENSIS MARONITARUM.

SCIADRA oppidulum eſt Maroniticæ gentis verſus Montem-Libanum, eique præfuerunt epiſcopi, inter quos unus nobis occurrit, ille ſcilicet qui ſequitur.

EPISCOPI SCIADRENSES MARONITARUM.

Joannes.

ISAAC Sciadra oriundus, qui Tripolis in Phœnicia à Joanne Macluphio Maronitarum Patriarcha archiepiſcopus ordinatus fuit anno ſalutis 1629. meminit *Joannis* epiſcopi Sciadrenſis, in præfatione Grammaticæ linguæ
B Syriacæ quam Romæ edidit anno 1636. *Fuit demum,* inquit, *felicis memor. Joannes archiepiſcopus Sciadrenſis patruëlis meus, qui datis ad me ſæpe litteris ad hoc opus ſtrenue capeſſendum, ſuppoſitis me quaſi facibus inflammavit.* De Iſaac Sciadrenſi agit Aſſeman. *to. 1. Bibl. Orient. p. 552. col. 2. & ſeq.*

XVIII.

ECCLESIA BISRAI MARONITARUM.

STEPHANUS Edenenſis Patriarcha Maronitarum, in breviculo prædeceſſorum ſuorum quorum genealogiam ſive ſeriem ſubminiſtrat, ubi de Danièle Patriarcha anno 1230. ſalutis florente, citat regiſtrum cujuſdam Jacobi filii Joannis Beſrenſis, in Proprio ſanctorum, quod, inquit, in ſancti Sabæ eccleſia *de Biſrai* vidimus. Et infra: Anno ſalutis 1283. aſcendit Saladinus cum armata manu ad expugnandam *Biſrai* provinciam in Monte-Libano: erantque omnes illius montis habitatores bello & tyrannide afflicti. In eo loco fuerunt epiſcopi Maronitæ.

Digitized by Google

ECCLESIA BISRAI MARONITARUM.

EPISCOPI BISRAI MARONITARUM.

Petrus.

IDem Stephanus Edenenſis in præfato breviculo paulo inferius, meminit libri Evangeliorum quem ſcripſit Sciamas Saba filius Salomonis filii Georgii archipreſbyteri de Chamas charactere Chaldaïco antiquo in papyro pergamena anno ſalutis 1322. & adhuc conſervatur, inquit, in monaſterio S. Michaëlis de Sciaria in pago Hanturin. In eo autem libro ita ſcribitur: abſoluta fuit hujus libri ſcriptura diebus patris noſtri Patriarchæ Simonis ſupra ſedem Antiochenam ſedentis; necnon diebus *Petri archiepiſcopi Biſrai*, anno æræ Græcæ 1633. (id eſt, Chriſti 1322.)

Superſunt aliquot Maronitarum epiſcopi, quorum nos fugit, vel nomen, vel ſedes, vel quænam fuerit ſedes illis aſſignata, vel quo tempore ſederint: exhibebo breviter quæ de iis mihi occurrerunt.

Joannes Lephedienſis Maronitarum Patriarcha, qui ab anno Chriſti 1151. uſque ad annum 1173. ſedit, ut refert Aſſemanus, *to. 1. Bibl. Orient. pag. 522.* quum in monaſterio S. Eliæ territorii Lephedienſis commoraretur, quatuor epiſcopos conſecravit, teſte Stephano Edenenſi in breviculo ſæpius citato, ut ipſi in ſuæ nationis regimine adjumento eſſent, quorum unus *S. Dominici* monaſterium incoluit, alter *S. Simonis*, tertius *ſancti Elizæi*, quartus *S. Mariæ de Lephed.*

Fauſtus Naironus *in diſſert. de origine, nomine, &c. Maronitarum*, citat *p. 89.* epiſtolam abbatis Joſeph ad *Davidem* archiepiſcopum anno Græcorum 1370. id eſt Chriſti 1059. qua illum rogat ut ex Syriaco Arabici juris faceret eccleſiaſticas Orientalium Syrorum conſtitutiones. Extat autem hæc epiſtola in cod. Arab. 76. apud Aſſemanum *to. 1. Bibl. Orient. pag. 629.* hoc modo: *Joſephi abbatis epiſtola ad Davidem archiepiſcopum Maronitarum, data anno Græcorum 1370. qua rogat eum, ut eccleſiaſticos ſibi canones tranſmittat.* Item: *Davidis archiepiſcopi reſponſio ad Joſephum abbatem, cui ſequentes canonicos tractatus tranſmittit.* Scribit rurſus idem Naironus *ibid. pag. 101.* ex chronico, Hieremiam Patriarcham, quum Romam pergeret anno Chriſti circiter 1210. pro ſuo vicario nominaſſe *Theodorum epiſcopum ex Kfarſu*, cujus ſedis nulla aliunde ſuppetit notitia.

A Stephanus Edenenſis in præfato breviculo mentionem facit de quibuſdam epiſcopis: ſcilicet.

1.° Sub Davide Patriarcha qui ſedebat anno ſalutis 1397. *de Cyrillo archiepiſcopo Algigei* eodem tempore vivente; ex regiſtro quod ille Cyrillus cum quibuſdam aliis conſcripſit anno 1404.

2.° De *Petro epiſcopo cœnobii Cannobin.* Dicit autem monaſterium illud à Theodoſio Magno Imperatore fuiſſe erectum, & ſucceſſu temporis ab Alzaer Barcuk Orientis & Ægypti B Sultano, inciſis in lamina ænea characteribus, ab omni vectigalis gravamine factum eſſe immune: qua de cauſa incœpiſſe illud fieri ſedem epiſcopalem, & primum qui in ea dignitate conſtitutus eſt, Petrum hunc fuiſſe.

Hieronymus Dandini Societ. Jeſu, miſſus à Clemente VIII. Viſitator Apoſtolicus ad Maronitas anno ſalutis 1596. refert in Itinerario ſuo ad Montem-Libanum, *cap. 34.* Acta ſynodi provincialis eodem anno habitæ in cœnobio Cannubin, cui præter Sergium Riſium Patriarcham, interfuerunt archiepiſ- C copi *Joſephus abbas Chſaya, Joſephus ſancti Antonii,* & *Moyſes Bſciarrai,* cæteris epiſcopis legitime impeditis. In eo monaſterio nonnulli cum Patriarcha degunt epiſcopi, quorum conſiliis adjuvatur in regimine eccleſiæ Maronitarum.

Epiſtola quædam gallicè ſcripta ex urbe Tripoli Syriæ die 25. Mart. 1733. nonnullos epiſcopos nationis Maronitarum appellat, inter quindecim qui adfuerunt eodem anno electioni Joſephi in Patriarcham, nimirum *Abdallam, Eliam epiſcopum; Stephanum epi-* D *ſcopum* monaſterii Cannobinenſis: *Gabriëlem epiſcopum* Edlun, & *Joſephum epiſcopum,* qui ad Patriarchalem dignitatem evectus eſt, & nunc ſedet, niſi ab anno prædicto 1733. obierit. Porro *Abdallam* primo loco memoratum, P. Petitqueux Miſſionarius Societ. Jeſu, in Itinerario ſuo ad Montem-Libanum anno 1721. *tom. 4. Relat. Miſſ. PP. Societ. edit. Pariſ. 1724.* appellat *Abdallam* & *Abdulam,* & dicit fundatorem fuiſſe monachorum *Aleppinorum,* eorumdemque primum abbatem in cœnobio ſancti Elizei, ex quo aſſumptus eſt ut fieret *epiſcopus monaſterii ſancti Antonii* ejuſdem Aleppinorum congregat. *Ibidem pp. 264. 265. & 273.*

Digitized by Google

DE PATRIARCHATU HIEROSOLYMITANO.

Ad Patriarchatum Hieroſolymitanum præludia.

Eccleſia Hieroſolymitana cæterarum parens.

I. ISRAELITICÆ ſeu Judaïcæ eccleſiæ caput olim ac metropolis, urbs ſanctà *Hieruſalem* fuit: in ea quoque Chriſtus Dominus ſuam novi fœderis inſtituit eccleſiam; hanc enim perennis ſacrificii ſanctione ac prima oblatione ſacravit: hanc rurſus illapſo in diſcipulos ſuos Spiritu ſancto primam fidelium conſtituit magiſtram, juxta illud Iſaiæ, cap. 2. verſ. 3. vaticinium, *de Sion exibit lex, & Verbum Domini de Hieruſalem.* Hinc ſanè tot encomiis in ſcriptura paſſim celebratus mons *Sion* qui in ea urbe eminebat, & pro ea tota deſignanda ſæpius uſurpabatur. *Fundamenta ejus in montibus ſanctis,* canebat olim Pſalm. 86. Regius Propheta, *diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob. Glorioſa dicta ſunt de te civitas Dei, &c.* Hieruſalem itaque prima ſedes fuit dominationis Chriſti ſuper omnem terram. In ea collegit primitias eccleſiæ ſuæ, voluit ut apoſtoli ab ipſa opus prædicationis ordirentur, & prius ejus inſtructioni vacarent, quam diſpergerentur in orbem. Huic unum ex ipſis apoſtolis Jacobum qui frater Domini dicebatur, Petrus Apoſtolorum princeps, Antiochiam inque alias regiones profecturus, conſtituit epiſcopum, quem ab illo, necnon à Jacobo & Joanne filiis Zebedæi, conſtitutum ſcribit Euſeb. *lib. 2. hiſt. eccl. cap. 1.* ex Clemente (Alexandrino) in ſexto inſtitutionum (id eſt Hypotypoſeon, ut in textu græco exprimitur.)

Ad excidium uſque Hieroſolymorum perſtitit.

II. Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, quandiu urbs ipſa ſtetit, cæteræ in Palæſtina ultro ſubjiciebantur, licet Chriſtiani vulgò appellarentur apud Judæos *Nazaræi,* à patria Chriſti *Nazareth;* ſed poſtquam à Romanis, ducibus Veſpaſiano & Tito urbs funditus cum templo everſa fuit, ipſa pariter A ejus eccleſia periit, ſeu potius aliò migravit.

III. Scilicet, occiſo, pro Chriſti nomine à Judæis, Anani ſummi Pontificis ſententia, Jacobo minore primo Hieroſolymorum epiſcopo, quum tota natio adverſus Romanos arma ſumeret, conjicientes Chriſtiani inſtare ſanctæ civitatis obſidionem quam Chriſtus Dominus prædixerat, ut legitur Luc. 21. verſ. 20. *Cum videritis ab exercitu circumdari Hieruſalem, ſcitote quia appropinquat deſolatio ejus, tunc qui in Judæa ſunt,* B *fugiant ad montes, &c.* juxta ejus monitum, in montana trans Jordanem cum Simeone ſuo præſule, qui Jacobo ſucceſſerat, ſe contulerunt. Capta demum Hieroſolyma, temploque ac cæteris ejus ædificiis ſolo æquatis, ita ut ſuper illorum rudera ductum fuerit aratrum, quo nulla ejus in poſterum inſtaurandæ atque iterum habitandæ Judæis ſpes ſupereſſet, ſervatiſque duntaxat tribus turribus, dictis Phazaëlo, Hippico ſive Equorum, & Mariamne, muro etiam partis Occidentalis, ut eſſent ſi- C gnum victoriæ Romanorum, præſidiorumque ibi relictorum tutamen, teſte Joſepho *lib. 7. de bello Judaïco c. 1.* Hieroſolymitana Chriſtianorum eccleſia, quæ ad montana trans Jordanem ſeceſſerat, in Peræa regione ac Pellæ præſertim conſtitit, quemadmodum tradunt Euſeb. *lib. 3. hiſt. eccl. cap. 5.* & Epiph. *lib. de pond. & menſ. n. 15. necnon hær. 9. ſive 29. n. 7.*

Hieroſolymitana eccleſia trans Jordanem conſtituta.

IV. Quoniam vero ex Hebræis ſolis ad Chriſtum converſis eccleſia illa eò uſque coaleſcebat, hinc quindecim primos ſuos epi- D ſcopos ex ſua tantum natione habuit, donec ſub Ælio Hadriano Imperatore Judæis adverſus Romanos rurſus ad arma convolantibus, ſuoque graviſſimo detrimento acerrimè repreſſis, alia urbs ſub nomine *Æliæ,* ad Hieroſolymorum ruinas, erecta eſt, quæ nihilomi-

Quindecim primi Hieroſolymorum epiſcopi, Judæi fuerunt.

BIBLIOTECA DERECHO
Digitized by Google

nus *Hieroſolyma* quoque dicta fuit, ſicut & A nunc ſolum vocatur. Tredecim poſt Simeonem Hieroſolymorum præſulum catalogum exhibent Euſebius, *lib. 4. hiſt. eccl. cap. 5.* & Epiphan. *hær. 66. num. 20.* illoſque aiunt ex circumciſione fuiſſe, ἐκ περιτομῆς, id eſt, non tantum genere, ſed & vivendi ratione, quippe qui Legum Moſaïcarum quarumdam, & inprimis circumciſionis, tenaces ſe præberent obſervatores, juxta quod olim majoribus eorum permiſerant apoſtoli, quamvis in ſynodo Hieroſolymitana ab iiſdem fere omnibus, præſertimque circumciſione, Gentiles qui in B Chriſtum credebant declaraſſent immunes. Id colligere eſt ex his Jacobi ad Paulum verbis, Act. cap. 21. verſ. 20. *Vides, frater, quot millia ſunt in Judæis qui crediderunt, & omnes æmulatores ſunt legis: audierunt autem de te quia diſceſſionem doceas à Moyſe eorum qui per gentes ſunt Judæorum, dicens non debere eos circumcidere filios ſuos, neque ſecundum conſuetudinem ingredi.... Quid ergo eſt? utique oportet convenire multitudinem; audient enim te ſuperveniſſe. Hoc ergo fac quod tibi dicimus: ſunt nobis viri quatuor votum habentes ſuper ſe, his* C *aſſumptis, ſanctifica te cum illis.* Horum itaque nepotes, etiam poſt everſam Hieroſolymam à patriis ritibus ex toto non deſciverunt, quos tamen neceſſarios, Ebionitarum inſtar, ad ſalutem æternam comparandam non aſſerebant: ut olim in Damaſcenica diſſertatione ſeptima, ubi de Nazaræorum ſecta, fuſius expoſui.

Difficultates circa quindecim primos Hieroſolymitanos epiſcopos.

V. Verum non leve faceſſit negotium, in illa quindecim primorum Hieroſolymitanæ eccleſiæ epiſcoporum ſucceſſione, tum martyrium Simeonis anno decimo Trajani affi- D xum, id eſt Chriſti 107. tum breve admodum 28. annorum ſpatium toti tredecim ſequentium epiſcoporum regimini aſſignandum, ſcilicet à præfato Trajani anno 10. Chr. 107. uſque ad 19. Hadriani annum, Chriſti 135. quo Marcus primus Æliæ antiſtes conſecratus fuit. Hæc nos tamen morari non debent: nam quod ſpectat ad primam difficultatem, Euſebius in chronico edit. Scalig. Amſtelod. anno 1658. *p. 205.* narrat Simeonem Cleophæ filium thronum Hieroſolymitanæ eccleſiæ poſt mortem Jacobi Apoſtoli conſcendiſſe E *Cæſonio & Petronio Conſulibus*, ſeptimo utique Neronis anno, qui Chriſti 60. fuit: martyrium vero ſubiiſſe *Soſio &* (Licinio) *Sura 3. Coſſ.* (ibid. p. 209.) id eſt anno Trajani 10. Chriſti 107. & ſui præſulatus 47. quum tamen jam provectæ admodum ætatis eſſet quando Jacobo ſucceſſit. At ſpeciali Dei providentia fieri recte potuit, ut, pro hujus primæ eccleſiæ commodo, diuturniori vita Simeon iſte apoſtolis coævus donaretur, ac ad ſexies vigeſimum, vel etiam ulteriorem ætatis annum, ſano capite, & vegeto corpore pervenerit; ſiquidem Patriarchæ antediluviani fere omnes naturaliter annum nongenteſimum exceſſerunt. Altera autem difficultas forte ex eo oritur quod nobis non innoteſcat præciſe quantum temporis unuſquiſque ex tredecim illis epiſcopis Simeonis ſucceſſoribus eccleſiæ Hieroſolymitanæ clavum tenuerit, quos tamen omnes brevi ſediſſe vulgò perhiberi monet Euſeb. *lib. 4. hiſt. eccl. cap. 5.* Adde non eſſe improbabile, dum Marcus, primus ex gentilibus in Chriſtum credentibus aſſumptus ad gubernandos ejuſdem gentilitatis fideles in Ælia urbe commorantes, eorum inſtructioni & curæ vacaret, poſtremos quoque epiſcoporum 13. Hebræorum adminiſtraſſe ſuam ex Hebræis conſtantem eccleſiam, quæ necdum in Ælia nacta fuerat ſibi domicilium: hanc enim eatenus Judaizantem, à cæteris Judæis ab ea urbe excluſis, Duces Romani minime ſecernebant. Id porro non obſcure tradit S. Epiphanius lib. de hæreſ. *hær. 66. n. 20.* ubi ait de *Juda* epiſcoporum illorum tredecim ultimo, eum Hieroſolymitanæ eccleſiæ præfuiſſe *ad undecimum Antonini Pii annum:* id eſt Chriſti 148. & ſubdit immediate. *Hi ex circumciſione fuere, ex gentilibus vero qui ſequuntur. XVI. Marcus. XVII. Caſſianus. XVIII. Publius. XIX. Maximus. XX. Julianus. Hi omnes ad 10. annum Antonini Pii perveniunt.* Subindeque mortui ſunt hi quinque gentiles epiſcopi uno circiter anno ante Judam tredecim epiſcoporum Hebræorum poſtremum. Ex ea autem narratione, ſi vera eſt, palam fit, non ad 28. dumtaxat, ſed ad 41. annos extendendum fore illorum epiſcoporum tredecim Hebræorum regimen; quod fidem non ſuperat, præſertim ſi attendatur, Judæos ad Chriſtum converſos, ab infideli ſynagoga, ſub Trajano, Hadriano, & Antonino Pio, omni mortis genere fuiſſe interemptos: ſic enim ſanctus Juſtinus Martyr Samaria oriundus, & tunc vivens, teſtatur in apolog. 1. pro Chriſtianis: *ſunt libri illi,* inquit, (loquitur de libris ſcripturæ) *apud omnes ubique Judæos, qui eos legentes non intelligunt, ſed pro inimicis nos habentes itidem, quum poſſunt, occidunt, & excruciant, quemadmodum vel ex eo perſuaderi poteſtis. Proximo namque bello Judaïco, Barchochebas defectionis eorum Dux & princeps, ſolos Chriſtianos ad gravia ſupplicia, niſi Chriſtum abnegarent, & maledictis inceſſerent, protrahi juſſit.* Turbulentis itaque illis temporibus diuturnior eſſe non potuit uniuſcujuſque illorum epiſcoporum Hebræorum præfectura.

Plures Judæi fideles in ruinis

VI. Scribit idem Epiphanius libro de Ponderibus & menſuris, n. 15. quod ex Origene

Hieruſalem commorantur.

deſumptum cenſent quidam eruditi, Judæos qui fidem Chriſti amplexi fuerant, reverſos eſſe ad Hieroſolymorum rudera, poſt hujus urbis excidium totalemque ſub Veſpaſiano & Tito everſionem, ibique vitæ ſanctimonia ita claruiſſe, ut inde motus Aquilas Ponticus Chriſtianæ religioni nomen dederit: in qua tamen non perſeveravit, factus poſtea Judæus. Paulo ſupra n. 14. dixerat idem Epiphanius *parvam quandam eccleſiam à Chriſtianis in eo loco conſtitutam fuiſſe in quem diſcipuli, poſtea quam Salvator in cœlum ex Oliveti monte ſubvectus eſt, ſeſe recipientes, cœnaculum conſcenderunt. Erat illa quadam in Sionis parte conſtructa, quæ civitati ſuperfuerat cum Sioni propinquis aliquot ædificiis, ac ſeptem ſynagogis quæ in eodem monte ſolæ velut tuguria perſtiterant.* Non me fugit hanc Epiphanii narrationem moroſis quibuſdam criticis non arridere, non tamen explodendam puto, utpote quam, non ſolum Joſephi hiſtoria non deſtruit; ſed inſuper Euſebius videtur confirmare. Ait ſiquidem *lib. 4. hiſt. eccl. cap. 22.* ex Hegeſippo eccleſiam Hieroſolymitanam, *hactenus virginem vocatam* (temporibus Simeonis Jacobi ſucceſſoris) *propterea quod vanis ſermonibus nondum corrupta fuerat. Et Thebutim primum fuiſſe qui indigne ferens, quod minime creatus eſſet epiſcopus, eam occulte vitiare ſit aggreſſus.* Supra dixerat ibid. cap. 5. *ſe ex veterum ſcriptorum monumentis didiciſſe, ad illam uſque obſidionem Judæorum quæ Imperatore Hadriano contigit, quindecim epiſcopos continua ſucceſſione illi eccleſiæ præfuiſſe, quos omnes origine Hebræos extitiſſe memorant, & Chriſti fidem ſincere & ex animo ſuſcepiſſe, adeo ut ab illis qui judicium ferre de ejuſmodi rebus poterant, epiſcopali munere digniſſimi cenſerentur.* Nihil certe creditu magis pronum eſt, quam quod homines tanto fidei ardore ſuccenſi, frequentiori ſeſe locorum Chriſti Myſteriis venerandorum viſitatione proximoque incolatu ſolarentur.

Judæi reædificant Hieroſolymam quæ ſub Hadriano obſidetur, capitur, & evertitur.

VII. Adde in dubium minime revocandum videri, quidquid ſecus adſtruant Scaliger & Valeſius, quin civitas aliqua, ſive magna, ſive parva, à Judæis conſtructa fuerit ſuper vel prope ruinas veteris Hieruſalem, pluribus ab ejus everſione annis, quam, ut priorem, Hieroſolymam appellatam inhabitaverint, non contradicentibus Romanis. Verum, quum Judæi arma ſumpſiſſent adverſus Romanos ſub Trajano, & rurſus ſub Hadriano Imperatoribus, urbemque ſuam Hieroſolymam, ejectis, aut etiam exterminatis Romanis, quinquaginta item caſtella, ac plurima oppida in Palæſtina occupaſſent, ut jugum excuterent dominationis eorum; bellum exarſit ſæviſſimum poſtremis Hadriani annis, in quo innumeri perierunt Judæi, urbs eorum Hieroſolyma, obſeſſa, capta, & ſolo æquata eſt, cætera caſtella & oppida diruta: denique ſuper Hieroſolymorum macerias nova urbs ædificata, quæ nomine Ælii Hadriani *Ælia*, & ex templo in medio ejus Jovi Capitolino erecto *Ælia Capitolina* nuncupata eſt, in quam Hadrianus copioſam gentilium coloniam tranſtulit, vetituſque omnibus Judæis ejus ingreſſus ſub graviſſimis pœnis. Porro licet Hadrianus coloniam gentilium in urbem Æliam miſerit confecto bello, ut aſſerit Euſebius, nihil prohibet quin ante bellum & ſtante adhuc Hieroſolyma eò aliam deduxerit, cui & templum in honorem Jovis Capitolini conſtruendum conceſſerit; quibus exaſperati Judæi occaſionem rebellionis ſuæ arripuerint, ut tradit Dio Caſſius. Quod vero aiunt Scaliger & Valeſius, Hieroſolymam non potuiſſe obſideri, capi, & deſtrui ſub Hadriano, ut-pote quæ à temporibus Veſpaſiani & Titi non ſubſiſteret; verum eſt de priori Hieroſolyma, ſed non inde ſequitur aliam non fuiſſe ædificatam urbem hujus nominis à Judæis, obſeſſionis ſuſtinendæ capacem; ſiquidem, non ſolum Euſebius, Chryſoſtomus, & Hieronymus, qui profecto Hieroſolymorum everſionem per Veſpaſianum & Titum factam non ignorabant; ſed etiam Appianus qui ſub Trajano & Hadriano ipſo vivebat, Dio Caſſius, & chronicon Alexandrinum, expreſſis verbis aſſerunt Hieroſolymam ſub Hadriano obſeſſam fuiſſe, captam, funditus ſubverſam, Æliamque civitatem in ejus locum conſtructam. Hæc Tillemontius, *tom. 2. hiſt. Imperat. pp. 308. 309. 604. & 605.*

Marcus Chriſtianorum Æliæ primus epiſcopus.

VIII. Urbem Æliam Judæi & Chriſtiani *Hieroſolymam,* ex priſtino civitatis nomine cui ſubſtituta fuerat, vocare perſeveraverunt, & à pluribus ſæculis aliud nomen non habet. Utroque ſimul nomine donatur in exordio actorum ſynodi Hieroſolymitanæ, quæ anno 536. ſub Petro Patriarcha pro condemnatione Anthimi coacta eſt: *Poſt Conſulatum Flavii Beliſarii 13. Kal. Octob. Indict. XV. in colonia Ælia metropoli, ſive Hieroſolymis, &c.* Tom. 5. Concil. Labb. col. 275. edit. Pariſ. anni 1671. Quum vero urbs illa, ſtatim atque condita eſt, à gentilibus ſolis habitaretur, Judæis, ut dictum eſt, penitus excluſis, Chriſtiani in ea degentes à gentilitate converſi, epiſcopum ſibi elegerunt ex gentilitate pariter aſſumptum, Marcum nomine, qui primus ſubinde fuit Æliæ Præſul, novæque ſocietatis curam ſuſcepit, à Judaïca in Chriſtum credente prorſus diverſæ, quæ alio commigraverat, & à ſuo interim fortaſſis adhuc proprio epiſcopo Juda, quindecim Hebræorum ultimo, regebatur, poſt quem

Digitized by Google

hæc ſucceſſio ceſſaverit, Judæis qui eccleſiam ſpecialem Hieroſolymorum antea compoſuerant, eorum deinceps epiſcoporum gubernationi ſeſe ſubjicientibus, in quorum diœceſes ſe receperant.

Cæſarea totius Palæſtinæ metropolis.

IX. Interim Cæſarea ad mediterranei maris oram ſita, quæ prius *Turris Stratonis* vocabatur, ſed poſtea, ut refert Joſeph. *lib. 15. antiq. c. 9.* ab Herode Aſcalonita fere à fundamentis erecta, magnificiſque ornata ædificiis, *Cæſarea* dicta eſt, quum Romani præſidis jamdudum ſedes eſſet, Judææ quoque & Palæſtinæ metropolis evaſit, ex quo ſcilicet urbem Hieroſolymam Veſpaſianus & Titus ſubverterunt. In ea utique civitate, ubi olim Petrus Apoſtolorum princeps Cornelium Centurionem ſacris baptiſmi undis luſtraverat, Chriſtianorum tam ex Judæis quam ex gentilibus converſis numeroſa exſtabat eccleſia: ejus vero antiſtes, quia Hieroſolymis procul aberat, ex Hieroſol. Pontificis conſenſu univerſæ curam gerebat ſibi adjacentis Palæſtinæ. Hinc ergo contigit, quod nova Æliæ eccleſia, ex gentilibus Cæſareæ & Palæſtinæ qui in Chriſtum crediderant magna ex parte conflata, non deſtiterit per quatuor fere ſæcula epiſcopo Cæſarienſi parere, ut metropolitano ſuo. Nonnullis nihilominus, ob veteris Hieruſalem cujus ſolo inſidebat, locorumque ſacrorum quæ Deo ſic providente in ea urbe continebantur reverentiam, honorum gaudebat prærogativis Ælienſis præſul, quas illi ultro confirmavit ſynodus Nicæna can. 7. to. 1. Concil. Labbei col. 47. *Quia conſuetudo obtinuit, & antiqua traditio, ut qui in Ælia eſt epiſcopus honoretur, habeat conſequentiam hujus honoris, ſalva metropoli* (id eſt Cæſareæ) *propria dignitate.* Cæſarea quippe tunc temporis totius Palæſtinæ, nondum in tres provincias diviſæ, primaria civitas erat, ejuſque ditioni cæteræ Palæſtinæ eccleſiæ ſubjiciebantur. Quamobrem Joannes Chryſoſtomus ſcripſit ad Eulog. epiſcopum Cæſareæ in epiſtola 87. anno Chriſti 404. ſe minime dubitare, quin ejus veſtigiis religioſiſſimi Palæſtinæ epiſcopi inſiſterent, ad defendendam ſuæ cauſæ æquitatem.

Cæſarienſis ſedis in Ælienſem juriſdictionis ſpecimina.

X. Et certe Cæſarienſis in Ælienſem ſedis juriſdictio quibuſdam nobis manifeſtatur indiciis: Sæculo enim ſecundo, anno Chriſti 196. Theophilus Cæſarienſis antiſtes, ut Victoris Papæ votis obſecundaret, traditumque ab Apoſtolis ſolemnitatis Paſchalis celebrandæ morem expenderet, ſynodum totius Palæſtinæ convocavit, eique præfuit, aſſiſtente Narciſſo Ælienſi epiſcopo, apud Euſeb. *lib. 5. hiſt. cap. 22.* Quarto ſæculo adulto, Acacius Cæſarienſis Arianus, iterum atque iterum, jure eccleſiæ ſuæ, in S. Cyrillum Hieroſolymitanum depoſitionis ſententiam tulit. S.

A Hieron. quoque in epiſtolâ 61. ad Pammachium, de Joanne Hieroſolymitano conquerens quod contra Epiphanium ad Theophilum Alexandrinum provocaſſet, ceu ad illum *qui omnium eccleſiarum, maxime Hieroſolymitanæ curam ſuſtineret,* non vero ad Cæſareæ metropolitam: *Tu qui regulas,* inquit longe poſt medium, *quæris eccleſiaſticas, & Nicæni concilii canonibus uteris, & alienos clericos, & eum ſuis epiſcopis commorantes tibi niteris uſurpare: Reſponde mihi, ad Alexandrinum epiſcopum Palæſtina quid pertinet! Ni* B *fallor, hoc ibi* (in Nicæni concilii canonibus) *decernitur, ut Palæſtinæ metropolis Cæſarea ſit, & totius Orientis Antiochia. Aut igitur ad Cæſarienſem epiſcopum referre debueras, cui, ſpreta communione tua, communicare nos noveras; aut, ſi procul expetendum judicium erat, Antiochiam potius litteræ dirigendæ. Sed novi, cur Cæſaream, cur Antiochiam nolueris mittere; ſciebas quid fugeres, quid vitares, maluiſti occupatis auribus moleſtiam facere, quam debitum metropolitano tuo honorem reddere.* Denique Dioſpolitana ſynodus anno 415. coacta eſt, C præſidente Eulogio Cæſareæ metropolita, & ſecundum locum obtinente præfato Joanne Hieroſolymitano.

Antiochenæ ſedis in Palæſtinam juriſdictio obſcura.

XI. Quod autem S. Hieronymus, loco quem modo attuli, aſſerere videtur Palæſtinam Antiocheno Patriarchæ fuiſſe ſubjectam ex diſpoſitione concilii Nicæni, hoc argumentando potius, quam ad receptam ſua ætate conſuetudinem aut diſciplinam attendendo, dixiſſe pene affirmaverim. Ratio eſt quia nullo eccleſiaſticæ antiquitatis monumento certo comperimus, Cæſareæ metro- D politam Antiocheni præſulis ordinationi, perinde ac alios Phœnices, utriuſque Syriæ, Ciliciæ, ac reliquarum Orientis metropolium antiſtites, fuiſſe obnoxium. Hoc ſolummodo, quod ſciam, illi juriſdictioni Antiocheni Patriarchæ favere aliquatenus poſſet, in epiſtola nimirum Zoſimi Papæ ad Aurelium cæteroſque Africæ epiſcopos legi, Pelagium hæreſiarcham *in poſteriore ſynodo* (quam Hieroſolymis habitam cenſent plures eruditi) *cui ſanctæ memoriæ Theodotus Antiochiæ præſedit epiſcopus, detectum, à ſanctis quoque ac vene-* E *rabilibus Hieroſolymorum locis eſſe deturbatum.*

Cæſarienſis metropolita ab Æliano antiſtite ut à digniore Palæſtinæ ordinari ſolitus.

Cæterum Cæſarienſis præſul, ab epiſcopo Hieroſolymitano, tanquam à ſuæ ditionis digniore epiſcopo conſecrari ſolebat. Sic Theodoretus memorat epiſtola 110. ad Domnum Antiochenum, Domninum digamum Cæſareæ Palæſtinæ antiſtitem à Praylio Hieroſolymitano epiſcopo ordinatum. Sic ſanctus Cyrillus Hieroſolymitanus, poſt obitum Acacii Ariani Cæſareæ præſulis, Philumenum conſecravit; & rurſus

Digitized by Google

Gelaſium, ut S. Epiphanius tradit hær. 73. *num.* 37.

Qui honos à Patribus Nicænis ſedi Hieroſolymitanæ attributus.

XII. Synodus itaque Nicæna priſtinum præciſe honorem, quo jam dudum potiebatur Æliæ ſive locorum ſacrorum epiſcopus, eidem confirmavit, nec quidquam addidit amplius. Sedes quippe Hieroſolymitana inter orbis præcipuas cenſebatur, licet in nullam tunc aliam eccleſiam juriſdictionem exerceret. Ea ſane de cauſa accuratam ejus pontificum, ſicut Romanorum, Alexandrinorum, & Antiochenorum, Euſebius Cæſarienſis, quanquam non item ſuorum prædeceſſorum Cæſarienſium, ſeriem contexuit in hiſtoria eccleſiaſtica, & in chronico. Refert quoque idem Euſebius *lib.* 5. *cap.* 23. in ſynodo totius Palæſtinæ de feſtivitatis Paſchalis die ſancienda coacta, Theophilum Cæſarienſem & Narciſſum Hieroſolymitanum præfuiſſe, (hunc tamen ſecundo loco.) Hinc etiam poſt concilium Nicænum, Conſtantinus Imp. in litteris ad Macarium, de eccleſia ædificanda in Mambre diœceſis Eleutheropolitanæ, eum vocat *Hieroſolymitanum & de Palæſtina epiſcopum.* Mitto inſcriptionem ſynodi Antiochenæ anno 272. contra Paulum Samoſatenum, in qua poſt Helenum Tarſi, Hymenæus Hieroſolymitanus, ante Theotecnum Cæſarienſem nominatur; primis enim illis ſæculis, potior fortaſſis in inſcriptionibus & ſubſcriptionibus ratio habebatur antiquitatis ordinationis epiſcoporum, quam dignitatis illorum ſedis.

Sedes Hieroſolymorum ut apoſtolica habita ſæculo quarto.

XIII. Hæc in eccleſiam Ælienſem veneratio non aliunde profecto oriebatur, quam quod prioris Hieroſolymitanæ ab apoſtolis fundatæ locum replens, ipſa quoque apoſtolica haberetur. Euſeb. *lib.* 7. *hiſt. eccl. cap.* 32. Hermonem ait Hieroſolymorum *apoſtolicam cathedram, quæ illic etiamnum ſervatur, obtinuiſſe.* Sozomenus *lib.* 4. *hiſt. cap.* 254. narrat Cyrillum Hieroſolymitanum, in ſynodo Antiochena anno Chriſti 360. ab Acacio Cæſarienſi Ariano deſtitutum, cum variis de cauſis, tum præſertim, quod *poſtquam Hieroſolymorum conſtitutus epiſcopus fuerat, cum Acacio, tanquam apoſtolicæ ſedis antiſtes, de jure metropolitico contenderet.* Ælienſes ſcilicet præſules ſe Jacobi apoſtoli ſedem occupare jactabant: & ipſe Euſebius ſcribit *lib.* 7. *hiſt. eccl. c.* 19. Jacobi, qui primus à Chriſto, & rurſus ab apoſtolis epiſcopus eſt factus Hieroſolymorum, quem fratrem Domini cognominatum divinæ paginæ ferunt, cathedram Pontificalem multo honore ſervatam à fidelibus ad ſua uſque tempora.

Hieroſolymitani Patriarchatus primordia.

XIV. Hinc igitur Ælienſes epiſcopi occaſionem ſumpſerunt ſæculo quarto de primatu cum Cæſarienſi metropolita diſceptandi. So-

A zomenus enim narrat *lib.* 2. *hiſt. cap.* 2. non tantum à Macario Hieroſolymitano antiſtite, Euſebium Cæſarienſem, Patrophilum Scythopolitanum, & alios quoſdam Palæſtinæ epiſcopos Arianæ hæreſis fautores, ipſius communione fuiſſe ejectos; ſed & Lyddæ, ſive Dioſpoli creatum fuiſſe ab eodem epiſcopum veræ fidei alumnum. Theodoretus *lib.* 2. *hiſt. eccl. c.* 26. jurgium exortum refert inter S. Cyrillum Hieroſolymitanum & Acacium Cæſarienſem de juribus metropoliticis: *Iſti duo,* inquit, *inter ſe de primatu digladiantes,*
B populum ſuarum eccleſiarum graviſſimis affecerunt incommodis: *nam Acacius levi arrepta occaſione, abdicavit Cyrillum, Hieroſolymiſque expulit.* S. Cyrillus nimirum, ut Acacii Cæſarienſis qui fidem conſubſtantialitatis labefactare conabatur juriſdictionem excuteret, dignitatem ei ſuæ ſedis tanquam apoſtolicæ opponebat. Hinc vero ſucceſſores ejus anſam arripuerunt ſedi Hieroſolymitanæ jura Patriarchatus vindicandi. Joannes tamen, qui Cyrillum proxime excepit, nihil aliud tentaſſe dicitur ab Hieronymo ſupra laudato, adverſus
C metropoliticæ eccleſiæ Cæſarienſis jura, niſi quod alienos clericos ſibi niteretur uſurpare, & quod ad Alexandriæ Patriarcham, non vero ad Cæſarienſem præſulem, aut Antiochenum antiſtitem, aliquando provocaſſet. Legimus in vita S. Porphyrii Gazenſis epiſcopi, apud Bollandum die 26. Februar. pag. 647. hunc, qui ſanctæ civitatis preſbyter erat, à Joanne Cæſarienſi ad ſe vocatum, inconſulto Praylio Joannis Hieroſolymitani ſucceſſore, epiſcopum fuiſſe conſecratum an. 398. quod plane contra canones factum fuiſſet, niſi tunc ſedes
D Cæſarienſis in Hieroſolymitanam metropolitico ſuo jure adhuc polleret.

Juvenalis Patriarchatus Hieroſolymitani conditor.

XV. Verum quum Juvenalis, poſt obitum Praylii, thronum Hieroſolymitanum conſcendiſſet, omnem navavit operam, ut poſthabita Cæſarienſi, quæ Nicæno canone ſeptimo ſarta tecta manſerat, juriſdictione, ſedis ſuæ auctoritatem amplificaret, brevique univerſam Palæſtinam ſibi arrogavit. Qua vero ratione votorum tandem evaſerit compos non facile detegitur, quia id ſcriptores eorum temporum non explicant. Certe in Epheſina
E ſynodo, adverſus quam Joannes Antiochenus cum triginta ſuis epiſcopis conciliabulum Epheſi agebat, eodem modo ſe geſſit Juvenalis, ac ſi ipſam ſedem Antiochenam jam dudum ſuæ Hieroſolymitanæ ſubditam eſſe neminem latuiſſet. *Oportebat,* inquit, Act. 4. to. 3. concil. Labb. col. 641. *Joannem reverendiſſimum Antiochiæ epiſcopum, hac ſancta & œcumenica ſynodo conſiderata, confeſtim,* (ut) *de his quæ ſibi objiciuntur ſe purgaret, occurrere, & ad apoſtolicam ſedem magnæ Romæ nobiſcum*

Digitized by Google

confidentem, & apoſtolico throno Dei eccleſiæ Hieroſolymorum obedire, honoremque deferre, præſertim quum apud huncce thronum, Antiochenam ſedem, ex apoſtolico ordine, & traditione, mos ſit dirigi, & apud ipſum judicari. Quinam fuerit apoſtolicus ille mos, aut illa traditio nos omnino fugit. Certe Nicænus canon ſeptimus ſedem Hieroſolymitanam Antiochena poſteriorem, adeoque inferiorem declaravit, juraque Cæſarienſis in eam, ſicut & in reliquam Palæſtinam, intacta prorſus reliquit. Attendebat fortaſſis ad ſynodum quam Hieroſolymis celebravere apoſtoli ad dirimendam litem Antiochiæ motam de obſervatione legalium: ſed in ea deciſione nihil præſtitit locus; id ſua auctoritate ſanxerunt apoſtoli, quod in quocunque loco ſimiliter decreviſſent, abſque ulla ideo ejuſdem loci præeminentia ſtatuta ſuper quemlibet alium. In altera ſynodo Epheſina, cui latrocinii nomen non immerito inditum fuit, Juvenalis Dioſcori Patriarchæ Alexandrini partes complexus, ante Domnum præſulem Antiochenum, ordine inverſo, qui nullus ibi ſervabatur, tum hæreſi Eutychis, tum condemnationi Flaviani Conſtantinopolitani, Euſebii Dorylæi, &c. ſubſcripſit.

Sedes Hieroſolymitana ut apoſtolica habita.

XVI. Cæterum, tunc temporis inſita plerorumque Orientalium mentibus opinio, ut jam ſupra dictum eſt, Æliam ſedem vere apoſtolicam eſſe, quia urbi Hieroſolymitanæ ſucceſſerat, Juvenali multum profuit: rationi enim conſentaneum videbatur, jura antiquioris eccleſiæ Hieruſalem à Chriſto & apoſtolis conditæ, transfundi in Æliam, quam ſpectabant, non ut civitatem de novo erectam, ſed ut veterem reſtitutam. Hinc Juſtinus I. Imper. in epiſtola ad Hormiſdam Romanum Pontificem, ait concil. Labb. to. 4. pag. 1542. *Hanc itaque chartulam ſecundum noſtra promiſſa per Joannem virum reverendiſſimum epiſcopum dirigendam vobis in præſenti merito credidimus, ut à veſtra ſede etiam tenor ejus admiſſus ad colligendas proficiat, & adunandas ubique venerabiles eccleſias, & Hieroſolymitanam præcipue, cui tamen omnes favorem impendunt, quaſi matri Chriſtiani nominis, ut nemo audeat ab ea ſeſe diſcernere.* Nimirum quum ſub Anaſtaſio Imperatore ſedes primariæ Orientis Monophyſitarum hæreſim admiſiſſent, ſola Hieroſolymitana in fide perſeveraverat. Nonnulli tamen ex ejus epiſcopis hæretico Principi obtemperandum aliquatenus duxerunt, ut Elias v. g. qui, licet Zenonis henoticon pro bono pacis non repudiaſſet, nec Acacii nomen voluiſſet è ſacris diptychis expungi, ob concilium nihilominus Chalcedonenſe in exilium pulſus eſt, ubi & deceſſit.

XVII. Juvenalis itaque eximia fretus populorum ex omnibus terræ partibus Hieroſolymam confluentium reverentia in loca ſacra, ſuæ ſedi quæcunque ad Cæſarienſem hactenus pertinuerant jura conciliavit. Quod ut facilius conſequeretur, multos ſecum Palæſtinæ præſules duxit ad Epheſinam utramque ſynodum, tanquam ſuæ eccleſiæ clientes, in quibus revera nullus ut Cæſarienſi ſubditus occurrit. Inter cæteros autem adfuit *Petrus* epiſcopus ab ipſo conſecratus *Parembolarum* Παρεμβολῶν, id eſt, Caſtrorum Saracenicorum, Nomadum nempe, ſive Scenitarum, qui poſtquam hinc inde in tentoriis per Arabiæ Petrææ ſolitudines habitaſſent, tandem in Palæſtinæ fines ſeſe receperant. Id ex Cyrillo S. Euthymii abbatis vitæ ſcriptore diſcimus, apud Cotel. *to. 2. pp. 230. 231. Saracenis,* inquit, (qui Chriſti fidem ſuſceperant) *admodum multiplicatis, & in diverſa Caſtra dilatatis, mittit divinus Euthymius ad Juvenalem Hieroſolymorum Patriarcham, poſtulans ut eis ordinaretur epiſcopus; ille vero ad eum mittit Petrum patrem Terebonis* (quem hujus Saracenorum cœtus ducem Euthymius baptizaverat) *ut-pote idoneum qui præeſſet animabus, eaſque deduceret ad ſalutem. Sic itaque Petrus epiſcopus Caſtrorum in Palæſtina primus ordinatur.* Refert etiam idem auctor *p. 247.* Stephanum Jamnienſem à Juvenale fuiſſe conſecratum. Hæ porro epiſcoporum ordinationes, quæ antehac Cæſarienſi metropolitæ reſervatæ fuerant, oſtendunt jam tunc Juvenalem Patriarchæ ſibi arrogaſſe jura.

Juvenalis auſus non probantur.

XVIII. Id profecto minime probavere in ſynodo Epheſina I. cæteri Patriarchalium ſedium antiſtites: nam Cyrillus Alexandrinus in epiſt. 48. ad Gennadium archimandritam ingenue fatetur ſe, ut & Proclum CP. *Juvenalem Æliæ epiſcopum communionis quidem conſortem admiſiſſe, quem tamen eccleſiæ leges Palæſtinæ moderatorem neſcirent,* ſic vero ſe, Proclumque geſſiſſe ait, diſpenſationis cujuſdam gratia. Leo Magnus ſimiliter epiſtola 92. alias 62. ad Maximum Antiochenum, qui Juvenalis auſus ad ipſum retulerat, teſtatur illius ambitum Cyrillo jam pridem diſplicuiſſe: *Quod ſanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus epiſcopus,* inquit, *merito perhorreſcens, ſcriptis ſuis mihi quid prædicti cupiditas auſa eſſet, indicavit, & ſollicita prece multum popoſcit, ut nulla illicitis conatibus præberetur aſſenſio. Nam cujus epiſtolæ ad nos exemplaria direxiſti ſanctæ memoriæ Cyrilli, eam in noſtro ſcrinio requiſitam, nos authenticam noveris reperiſſe.* Maximus ſcilicet Antiochenus Patriarcha Leoni per litteras ſignificaverat, quid Juvenalis in ſynodo Chalcedonenſi obtinuiſſet pro ſua ſede Hieroſolymitana, quidve ipſe de ſuo jure cenſuiſſet cedendum, ea tamen conditione ſi à Leone probaretur: *Si tamen id venerabili fratri*

Digitized by Google

fratri noſtro archiepiſcopo majoris Romæ Leoni placuerit, qui cupit ut ſanctorum Patrum canones infringibiles maneant. Canone quippe ſeptimo Nicæno ſancitum fuerat, ut ſupra dictum eſt, ſuum honorem Æliæ epiſcopo ſervandum, nulla mutatione facta circa ejus dependentiam à Cæſarienſi metropolitano. Commentitiis quibuſdam ſcriptis viam ſibi ſtruxiſſe Juvenalem ad Patriarchatum indicat Leo in reſponſione jam laudata ad Maximum Antiochenum: *Subripiendi*, inquit, *occaſiones non prætermittit ambitio, & quoties ob occurrentes cauſas generalis congregatio facta fuerit ſacerdotum, difficile eſt ut cupiditas improborum non aliquid ſupra menſuram moliatur adpetere: ſicut etiam in Epheſina ſynodo, quæ impium Neſtorium cum dogmate ſuo perculit, Juvenalis epiſcopus ad obtinendum Palæſtinæ principatum credidit ſe poſſe ſufficere, & inſolentes auſus per commentitia ſcripta firmare.* Juvenalis nimirum in Epheſina ſynodo priori, opportunam omnino nactus fuerat occaſionem negotium promovendi, quandoquidem Joannes Antiochenus ſeorſim adverſus illam ſynodum conventus ſuos agebat; Cyrillo autem cavendum erat, ne Juvenalis, ſi exaſperaretur, in propugnanda fide molliorem ſe præberet.

Juvenalis votis favet Theodoſius Imperator.

XIX. Cæterum Juvenalem à Theodoſio Juniore litteras ſacras obtinuiſſe oportet, ſine quibus omnem Palæſtinam tam facile non potuiſſet ſuæ ſedi facere obnoxiam: reſcriptum pariter impetraſſe, quo ſibi liceret in Phœnicen, & Arabiam, quæ ditionis Antiochenæ erant, Patriarchalem exercere authoritatem. De his enim auſibus adverſus Juvenalem conqueſti ſunt nonnulli epiſcopi Orientales, in conventu quem ſeorſim cum Joanne Antiocheno celebrabant, conc. Labb. to. 3. p. 728. *Ex nobis quidam, à pientiſſimo Juvenali Hieroſolymorum epiſcopo olim ordinati, ſiluimus*, inquiunt in ſua prima expoſtulatione ad Imperatorem, *quamvis pro canonibus certandum eſſet, ne videremur gloriæ noſtræ cauſa dolere. Et nunc quoque illius ſtudia & præſtigias tales per ſecundam Phœnicen & Arabiam non ignoramus. Sane de illis nobis non vacat curam habere, qui civitatibus ipſis, quarum nobis miniſterium contraditum eſt, atque adeo vita noſtra deſtitui maluimus, quàm iſta pro fide promptitudine.* Juvenalis ergo dudum ante primam ſynodum Epheſinam, & ab ipſo ſui epiſcopatus exordio, non in tribus duntaxat Palæſtinis, ſed in ſecunda etiam Phœnice, & in Arabia ordinationes fecit. Atque hinc gravis illa diſceptatio ipſum inter & Patriarchas Antiochenos, Joannem, Domnum, & Maximum, diu ventilata, quæ tandem in ſynodo Chalcedonenſi Act. VII. concil. Labb. *to. 4. p. 613.* finita eſt lato decreto quod ſedes Antiochena haberet ambas Phœnices,

A & Arabiam, ſedes vero Hieroſolymorum tres Palæſtinas. Huic quippe ſententiæ utraque parte acquievit: & Maximus quidem dixit: *Placuit mihi, & reverendiſſimo epiſcopo Juvenali, poſt multam contentionem per conſenſum, ut ſedes quidem Antiochenſium magnæ civitatis B. Petri habeat ambas Phœnices, & Arabiam; ſedes autem Hieroſolymorum habeat tres Palæſtinas: & rogamus ex decreto veſtræ magnificentiæ, & ſancti concilii, hæc ex ſcripto firmari.* Viciſſimque Juvenalis Hieroſolymorum antiſtes regeſſit: *Hæc ſimiliter com-*

Inita pax inter Maximum Antiochenum & Juvenalem in ſynodo Chalcedonenſi.

B *placuerunt, ut ſancta quidem Chriſti reſurrectio* (ſeu reſurrectionis eccleſia) *tres Palæſtinas habeat, ſedes autem Antiochenſium duas Phœnices, & Arabiam.* Quibus ſic mutuo tranſactis legati Leonis Papæ ultro aſſenſi ſunt in hunc modum: *Hæc concordantibus fratribus noſtris Maximo reverendiſſimo Antiochenſium civitatis epiſcopo, & Juvenale reverendiſſimo & ſanctiſſimo Hieroſolymorum epiſcopo, pro bono pacis dicta noſcuntur; hoc eſt, ut Antiochenſium eccleſia utramque Phœnicen & Arabiam habeat; Hieroſolymorum vero tres Palæſtinas poſſideat.*

C *Ad hoc autem & noſtræ humilitatis interlocutione firmentur, ut nulla in poſterum de hac cauſa contentio prædictis eccleſiis relinquatur.* Quæ quum à toto ſubinde concilio rata facta eſſent, proceres decretum pronuntiarunt, *pag. 617.* in hunc modum: *Per placitum igitur Maximi ſanctiſſimi Antiochenſium civitatis epiſcopi, & Juvenalis ſanctiſſimi Hieroſolymorum epiſcopi facta conſenſio, ſicut utriuſque atteſtatio declaravit, firma etiam per noſtrum decretum & ſententiam ſancti concilii in omni tempore permanebit, hoc eſt, ut Maximus quidem ſanctiſſi-*

D *mus epiſcopus, ſeu Antiochenſium ſanctiſſima eccleſia, duas Phœnices & Arabiam ſub propria habeat poteſtate; Juvenalis autem ſanctiſſimus Hieroſolymorum epiſcopus, ſeu ſanctiſſima eccleſia quæ ſub eo eſt, tres Palæſtinas itidem ſub propria habeat poteſtate: vacantibus ſcilicet ſecundum juſſionem diviniſſimi & religioſiſſimi principis omnibus rebus, & quocunque modo ſacris ab utraque parte litteris impetratis, inſuper & mulctatione quæ in eis hujus rei cauſa noſcitur contineri.* Hæ porro poſtremæ voces palam faciunt à Juvenale non ſine ſacris

E Theodoſii litteris aut reſcriptis tot fuiſſe attentata.

XX. Maximo Antiocheno non admodum arriſit ſynodi hæc ſententia, quam politice ſolum admiſiſſe videtur: cur vero ipſi diſplicuerit non liquet, niſi fortaſſis ægrè tulerit tres Palæſtinas Hieroſolymitanæ ſedi ſic in perpetuum addictas fore, ut nulla Antiochenis præſulibus ſpes relinqueretur eas diœceſi Orientis vindicandi, cui toti præſidebat ſua Patriarchalis eccleſia, prout

Novæ querelæ Maximi adverſus Juvenalem.

Digitized by Google

declaraverant canone ſeptimo Nicæni patres. A Cæterum ex reſponſiva Leonis Papæ ad ipſum epiſtola ſcilicet 92. eruitur illum poſt ſolutam ſynodum Chalcedonenſem adverſus hoc ejus decretum reclamaſſe, deque violatis ſuæ ſedis Antiochenæ juribus à Juvenale Hieroſolymitano apud Romanam ſedem expoſtulaſſe, perinde ac ſi Leonis legati eo in negotio Chalcedone prævaricati fuiſſent. Quamobrem ſanctiſſimus Pontifex, quum ſibi certo tunc nondum conſtaret, quid in hac cauſa geſtum fuiſſet in ſynodo, iis quæ ſupra attuli ſubjungit: *Hoc tamen proprium definitionis meæ eſt, ut quan-* B *tumlibet numerus ſacerdotum amplior, aliquid per quorumdam ſubreptionem decernat, quod illis trecentorum decem & octo Patrum conſtitutionibus inveniatur adverſum, id juſtitiæ conſideratione caſſetur: quoniam univerſæ pacis tranquillitas non aliter poterit cuſtodiri, niſi ſua canonibus reverentia intemerata ſervetur.* Violaverat quidem Juvenalis ſancitam Nicææ regulam, excuſſa Cæſarienſis metropolitæ ſui juriſdictione: at id ad Maximum nihil aut parum ſpectare videbatur. Pergit Pontifex; *Si quid ſane ab his fratribus quod* C *ad ſanctam ſynodum vice mea miſi, præter id quod ad cauſam fidei pertinebat, geſtum eſſe perhibetur, nullius erit penitus firmitatis: quia ad hoc tantum ab apoſtolica ſede ſunt directi, ut exciſis hæreſibus catholicæ eſſent fidei defenſores. Quidquid enim præter ſpeciales cauſas ſynodalium conciliorum ad examen epiſcopale defertur, poteſt aliquam dijudicandi habere rationem, ſi nihil de eo eſt à ſanctis Patribus apud Nicæam definitum. Nam quod ab eorum regulis conſtitutioneque diſcordat, apoſtolicæ ſedis nunquam poterit obtinere conſenſum.* Id ſcribebat D Leo, legatis ſuis nondum è ſynodo reverſis: verum quum ab iis accepiſſet quæcunque geſta fuerant, patribus Chalcedonenſibus reſcripſit, à ſede apoſtolica rata fieri quæ circa fidem ab ipſis definita erant: ſe vero nulla ratione, imo ex toto reprobare ea quæ quorumdam ambitus à ſynodo obtinuiſſet, contra Nicænorum canonum diſpoſitionem, quorum ſe profitetur obſervantiſſimum, haud ſecus ac fidei dogmatum, epiſt. 87. alias 61. ad epiſcopos ſynodi Chalcedonenſis. *De cuſtodiendis quoque,* inquit, *ſanctorum Patrum* E *ſtatutis, quæ in ſynodo Nicæna inviolabilibus ſunt fixa decretis, obſervantiam veſtræ ſanctitatis admoneo, ut jura eccleſiarum, ſicut ab illis trecentis decem & octo Patribus divinitus inſpiratis ſunt ordinata, permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiſcat, nec per alterius imminutionem ſuum aliquis quærat augmentum. Quantumlibet enim extortis aſſentationibus ſeſe inſtruat vanitatis elatio, & appetitus ſuos conciliorum æſtimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit quicquid à prædictorum Patrum canonibus diſcreparit.* Hæc non minus Juvenalis Hieroſolymitani, de quo Maximus Antiochenus conqueſtus fuerat, ambitum perſtringunt, quam ipſiuſmet Anatolii Conſtantinopolitani, adverſus quem ſubdit Leo; *quorum regulis apoſtolica ſedes quam reverenter utatur, ſcriptorum meorum, quibus Conſtantinopolitani antiſtitis conatus repuli, poterit ſanctitas veſtra lectione cognoſcere, & me, auxiliante Domino, Catholicæ fidei, & paternarum conſtitutionum eſſe cuſtodem.* Data eſt 21. Martii anno 453.

Sedem Hieroſolymitanam invadit Theodoſius monachus.

XXI. Interim, & ante Juvenalis reditum è ſynodo Chalcedonenſi, Theodoſius monachus Dioſcori Alexandrini factionis hæreſiſque Eutychianæ inſignis promotor, Hieroſolymitanam ſedem, Eudoxiæ Auguſtæ quæ tunc ibi morabatur gratia & auxilio invaſit, ſimulque totius Palæſtinæ regimen ſibi arrogans, in locum epiſcoporum qui cum Juvenale ad ſynodum perrexerant, alios conſecravit. Sic rem explicat Zacharias Meletinenſis epiſcopus, *hiſt. eccl.* à Conſtantini Magni Imperio uſque ad annum Juſtiniani XX. *part. 3. cap. 3.* apud Aſſeman. *to. 2. Bibl. Or. p. 55. col. 2.* & *pag. ſeq. coll. 1. & 2.* Tertium caput eſt *de Theodoſio monacho, qui Juvenalis ſedem invaſit, fol. 80. cod. Syr. Vatic. 24.* Hunc, ait, ſimul atque Juvenalis Chalcedonenſi concilio ſubſcripſit, una cum nonnullis Pſeudomonachis in Palæſtinam (è ſynodo) reverſum, de cunctis quæ ibi geſta fuerant tumultuanti populo falſa retuliſſe; fidemque proditam clamantem, univerſos monachos concitaſſe ut Juvenali à ſynodo revertenti occurrentes, eum ſententiam ſuam retractare atque anathemate damnare compellerent. Qui quum nihil horum admittere voluiſſet, ad urbem regiam (Conſtantinopolim) contendit. At monachi & clerici cum nonnullis epiſcopis in unum coëuntes, de ſubſtituendo in Juvenalis locum epiſcopo cogitabant, & alii quidem Romanum & Marcianum monachos (impios nimirum concilii Chalcedonenſis detrectatores, de quibus fit mentio in vita ſancti Euthymii apud Coteler. *to. 2. p. 273.*) proponebant; alii alios: tandem huc omnium, inquit Zacharias, devoluta eſt ſententia, ut epiſcopum ordinarent Theodoſium (ipſum) qui in Chalcedonenſi concilio maximos tumultus excitaverat, primuſque ipſis de eodem concilio nunciaverat. Ille vero ſtatim poſt ordinationem ſuam *plures in urbibus trium Palæſtinarum intrudit epiſcopos:* inter quos fuit Petrus quidam Iberus cui Gazæ epiſcopatus commiſſus eſt. Hæc iiſdem fere verbis Evagrius *lib. 2. cap. 5.* qui tamen Petrum Iberum, non Gazæ, ſed Majumæ epiſcopum

Digitized by Google

conſecratum affirmat, ſed *lib. 3. cap. 33.* de eodem ait, *qui ejuſdem Gazæ epiſcopus fuit.* Pergit Zacharias ejectionem Theodoſii referre. Juvenalis, inquit, ab Imperatore (Marciano) cum Dorotheo Comite & ingenti exercitu in Palæſtinam remittitur, ut is Theodoſium quidem vinctum in urbem regiam perduceret, epiſcopos vero ab eo ordinatos ſedibus ſuis dejiceret, præter Petrum Iberum pro quo Imperatrix interceſſerat. Committitur acre bellum cum Theodoſianis: cæduntur ex his plurimi, Samaritanis maxime in ipſos debacchantibus. Theodoſius cum ſuis epiſcopis pellitur, Petro Ibero excepto, quem Zacharias comminiſcitur Angeli monitu exules ſponte ſequutum fuiſſe. Ubi vero Juvenalis ſedem recepit, Salomon monachus ad ipſum accedens, quaſi benedictionem petiturus, ſportam pulvere & cinere plenam, ut narrat idem Zachar. ſuper caput ejus effudit, coarguens quod ſynodo Chalcedonenſi ſubſcripſit. Hujus Theodoſii flagitia legere eſt in vita ſancti Euthymii apud Cotel. *to. 2. pag. 261.* & in hiſt. Evagr. *lib. 2. cap. 5.* Concil. Labb. *tom. 4. pag. 851.* & in concil. apud Baluz. *pag. 878.* Porro Theodoſius iſte eo jure devolutas ſibi exiſtimaſſe videtur epiſcoporum trium Palæſtinarum ordinationes, poſtquam ſedem Hieroſolymitanam arripuit, quo eidem ſedi eas competere prætenderat Juvenalis.

Tres Palæſtinæ regiones.

XXII. Totum territorium Patriarchatui Hieroſolymitano ſubditum, olim *Palæſtina* in ſingulari nuncupabatur, nomine ſumpto ex *Philiſtæis*, qui eam prius poſſederant. Habebat autem, juxta Carolum à S. Paulo, *geogr. ſac. p. 307.* pro terminis, ab Oriente & Septemtrione Libanum & Antilibanum; ab Occidente partem Phœnices & mare Syriacum, & à meridie Arabiam Petræam. Ante imperium Theodoſii in duas jam diviſa erat, ſiquidem leg. 24. cod. Theodoſ. Judæorum Synedria *in utraque Palæſtina* commemorantur, teſte eodem Carolo à S. Paulo *ibid.* In tres poſtea diſtributa eſt, & unicuique ſua aſſignata metropolis: ſcilicet Cæſarea primæ, Scythopolis ſecundæ, ac Petra tertiæ. Palæſtinam qua late patebat Auguſtus Cæſar, Archelao Herodis magni filio in Gallias relegato, provinciam Romanam fecit, ejuſque commiſit regimen, partim præſidi illuc miſſo, & partim Herodi Antipæ fratri Archelai. At Caius Caligula illius integræ regem conſtituit Herodem Agrippam Herodis magni nepotem. Eo tamen defuncto rurſus in provinciam Romanam redacta eſt. Hanc totam veteres in tres partiuntur regiones præcipuas, *Judæam* nempe, *Samaritidem*, & *Galilæam*; de quibus non nihil dicendum eſt.

Judæa prima pars Palæſtinæ.

XXIII. A Judæa incipimus, ut-pote in qua ſita erat Hieruſalem univerſæ Palæſtinæ ſupremum caput, donec ſtetit illa civitas. Judææ quidem nomine, ſæpe tota terra quam Iſraëlitæ habitabant, quæque ipſis promiſſa fuerat, intelligitur, & ſic vulgo eam accipiunt ſcriptores. Hic tamen nunc de ea loquimur, prout unam duntaxat deſignat Palæſtinæ partem, eamque Auſtralem, cis Jordanem, ac à limite Samaritano ad Arabiam Petræam, inter mediterraneum mare, & lacum Aſphaltitem ſive mare mortuum, cum Jordanis parte contentam. Ita eam deſcribit Cellarius, *geogr. antiq. lib. 1. cap. 13. to. 2. p. 538.* qui obſervat inſuper eam olim Tribuum Juda, Benjamin, Dan, & Simeonis domicilium fuiſſe, Philiſtæa quoque ac Idumæa Davidis victoriis fuiſſe aliquandiu auctam. Porro urbs *Jeruſalem*, quæ & *Hieroſolyma*, adeo antiqua erat, ut plurimi cenſeant hanc fuiſſe *Salem* regis Melchiſedech ſedem, & inter eos Joſephus *lib. 1. antiq. cap. 11.* ac Onkelos Chaldæus *Geneſ. 14.* nec parum favet *Pſalm. 75.* (in Hebr. 76.) *verſ. 2.* ubi pro eo quod legitur in Vulgata: *Et factus eſt in pace locus ejus* (textus hebræus habet; *eſt in Salem tabernaculum ejus*) *& habitatio ejus in Sion.* Sanctus Hieronymus aſſentitur epiſtola 17. ubi loquens de Hieroſolymis ait: recurre ad Geneſim *& Melchiſedech regem Salem hujus principem invenies civitatis, qui jam tunc in typo Chriſti panem & vinum obtulit, & myſterium Chriſtianum in Salvatoris ſanguine & corpore dedicavit.* Contrarium tamen aſſerit idem Hieronymus epiſt. 126. ad Evagr. apud præfatum Cellar. *ibid. p. 520.* *Salem*, inquit, *non, ut Joſephus, & noſtri omnes arbitrantur, eſt Hieruſalem, nomen ex Græco Hebraïcoque compoſitum, quod abſurdum eſſe peregrinæ linguæ mixtura demonſtrat: ſed oppidum juxta Scythopolim, quod uſque hodie appellatur Salem, & oſtenditur ibi palatium Melchiſedech, ex magnitudine ruinarum veteris operis oſtendens magnificentiam.... Conſiderandum quoque eſt, quod Abrahæ à cæde hoſtium revertenti, quos perſecutus eſt uſque Dan, quæ hodie Paneas appellatur, non de via Hieruſalem, ſed de oppido metropoleos Sichem in itinere fuerit:* de quo in Evangelio quoque legimus (Joann. 3. 23.) *erat autem Joannes baptizans in Ennon, juxta Salim, quia aquæ erant multæ ibi.* Quidquid ſit de ea opinione, certe dicta fuit *Jebus*, teſte ſcriptura, Judic. *cap. 19. 11.* & 1. Paral. *cap. 12. 4. & 5.* & ditionis erat Jebuſæorum, nec niſi poſt mortem Joſue Iſraëlitæ eam ſibi ſubjecerunt, arce tamen excepta, quam David expugnavit. Vocabatur *Hieruſalem* ipſo Joſue ævo, ut patet Joſ. *cap. 10. 1.* & *cap. 15. 8. & 63.*

Eam in ſingulari & in plurali exprimunt antiqui ſcriptores. Cicero pro Flacco, *cap. 28.* *Quum Judæorum nomine,* inquit, *quotannis ex Italia, & ex omnibus veſtris provinciis Hieroſolymam exportari* (aurum) *ſoleret, Flaccus ſanxit edicto ne ex Aſia exportari liceret.* Et paulo inferius; *Cn. Pompeius captis Hieroſolymis victor ex illo fano nihil attigit. Solymam* quoque & *Solymos* eamdem nuncupant nonnulli: Joſephus *lib. 1. antiq. cap. 11. Urbem Solymam,* inquit, *poſtea vocarunt Hieroſolymam.* Juvencus in Matt. *c. 2.* de Herode ait:

Territus Herodes Solymorum culmina vatum
Imperio accitos jubet omnia quærere legis.

Arator vero in Act. Apoſt. *cap. 20.*

Jamque peragratis Paulus ſtationibus orbis
Ad Solymam venturus erat.

Conjiciunt eruditi plures *Cadytim,* quam memorat Herodotus, *lib. 2. c. 159.* ubi ait: *Necos victis Syris* Κάδυτιν πόλιν τῆς Συρίης ἐοῦσαν μεγάλην εἷλε, id eſt, *Cadytim, magnam Syriæ urbem, cepit:* eſſe, per immutationem quarumdam litterarum hebraïcarum, dialecto Orientalibus conſueta, urbem *Sanctam* ſive *Hieroſolymam.* Ipſe enim explicans *lib. 3. c. 5.* cujuſnam Syriæ urbs eſſet, ait, ἀπὸ Φοινίκης μέχρι οὔρων τῶν Καδύτιος πόλιος, ἥ ἐστι Συρίων τῶν Παλαιστινῶν καλεομένων, hoc eſt, *à Phœnice uſque ad montes Cadytis urbis, quæ Syrorum eſt qui Palæſtini vocantur.* Hæc omnia Cellarius, *to. 2. geogr. antiq. lib. 3. cap. 13. p. 540. & ſeq.* Qui etiam poſtea, in qua tribu fuerit diſquirens, quoniam Joſue *cap. 15. 63.* & Judic. *cap. 1. 8.* tribuitur filiis Juda, & in eodem Judic. *cap. 1. v. 21.* filiis Benjamin, utrumque conciliat ex ſupra dicto Joſ. *cap. 15. 8.* ubi linea diviſionis harum tribuum in Hieruſalem exponitur incidere. Et Talmudiſtæ per atrium templi iſtam diviſionis lineam tranſiiſſe referunt, teſte Lightfooto Chorograph. in Matt. *cap. 21.* Ornamenta ſua à Davide habuit urbs Hieroſolyma, majora à Salomone: fata & excidium à Babyloniis. Poſt inſtaurationem vero afflicta fuit à Macedonum & Syriæ regibus, defenſa ab Aſmonæis, quorum diſſidio factum ut in poteſtatem Pompeii devenerit, deinde Parthorum qui Ariſtobulo opem ferebant, rurſus Romanis ſubjecta eſt temporibus Herodis magni & ſucceſſorum ejus, tandem poſt rebellionem in Romanos ab iis expugnata fuit & penitus deleta. Ælius Hadrianus ſuper ejus ruinas, ut jam obſervatum eſt, *n. 4.* aliam ædificandam curavit, nomine ſuo *Æliam* nuncupandam, & à ſolis gentilibus habitandam, excluſis Judæis. Ptolemæus qui, ſecundum Suidam ſub Marco Aurelio florebat, ejus mentionem facit *lib. 5. cap. 16.* in Judæa: *Hieroſolyma,* inquit,

A *quæ nunc vocatur Ælia Capitolina,* & lib. 8. tabul. Aſiæ 4. *Ælia Capitolias Hieroſolyma.* Dio Caſſius in Xiphilini excerptis, ubi de Hadriano; *in urbem Hieroſolymam coloniam deduxit, quam & Æliam Capitolinam nominavit.* Euſeb. lib. 4. hiſt. eccl. c. 6. *In hunc modum,* inquit, *quum civitas Judæorum gente nudata eſſet, & veteribus incolis penitus vacuefacta, poſthæc alienigenis eo confluentibus, urbs & colonia civium Romanorum effecta, in honorem Ælii Hadriani Imperatoris Ælia nuncupata eſt.* Idem etiam adſtruunt nummi Hadriani, Antonini B Pii, & Marci Aurelii, inſcripti omnes COL. AEL. CAP. hoc eſt, *Colonia Ælia Capitolina.* Item nummi quidam Diadumeniani hanc pariter inſcriptionem habent COL. AEL. CAP. COMM. id eſt, *Colonia Ælia Capitolina Commodiana:* poſtrema voce addita, ſive ex Lucio Vero Ælio Ceionio Commodo, Marci Aurelii in regimine Imperii collega, ſive ex Commodo Auguſto ejuſdem Marci filio, quorum alteruter coloniam Æliam auxiſſet. Jovis Capitolini templum in ea fuiſſe nomen Æliæ *Capito-* C *linæ* arguit. Locus non plane idem, qui Hieroſolymorum, ſed mutatis quodammodo pomœriis, quæ extra urbem fuerant in ipſam inciderunt, adeo ut Abulpharagius in Dynaſt. VII. *pag. 121.* ſcripſerit *Æliam Hadriani* fuiſſe *prope illam* Hieroſolymam everſam. Ita Cellar. ſupra cit. qui in ea regione reponit, à *pag. 548. uſque ad 593.* præter Hieroſolymam & loca illi contigua, *Bethphage* juxta Montem-Olivarum, vicum ſex circiter ſtadiis ab ea urbe diſtantem: *Bethaniam* ad 7. circiter ſtadia. *Scopum* ad 7. pari- D ter ſtadia, celebrem apud Joſephum *lib. 2. de bello Jud. cap. 13.* & *lib. 5. c. 8.* quem Judæi *Zophim* vocant. *Coream* cujus meminit idem Joſephus, *lib. 14. antiq. cap. 6.* & *lib. 1. de bello Jud. cap. 5.* *Alexandreum* Caſtellum, apud eumdem Joſeph. *lib. 14. antiq. capp. 6. & 10.* & *lib. 1. de bello capp. 6. & 12.* *Bethaven* prope Bethel. *Phazaëlem* circa Hiericho, quam memorat idem Joſeph. *lib. 16. antiq. cap. 9. lib. 1. de bello cap. 16.* & *lib. 2. cap. 9.* *Cypron, Archelaim, Hircanium* ſive *Hircaniam, Hierichontem, Galgalam, Ephrem, Hai,* E *Gophnam, Modin, Nobe, Gabaonem, Rama, Emmaus, Anathot, Bethleem,* ſex millibus paſſuum diſtantem à Hieroſolymis, *Thecuam, Herodium, Bethſur* ſive *Bethſoron, Hebronem, Berſabee, Engaddi* ſive *Engaddam, Maſadam, Maonem, Ziph, Zoar* ſive *Segor, Lacum Aſphaltitem* ſive *mare mortuum, Cariathiarim, Bethſemes, Thamnam, Sallim, Beſek, Eleutheropolim, Aſecam, Macedam, Socho, Libnam, Lachis,* & alia multa oppida quæ longius eſſet enumerare.

Digitized by Google

Secunda pars Palæſtinæ, Samaritis ſive Samaria.

XXIV. Inter tres majores cis Jordanenſis Palæſtinæ partes ſecunda eſt *Samaria* ſive *Samaritis*. Joſephus enim eam regionem utroque illo nomine appellat. Lib. quidem 1. de bello Judaïc. cap. 12. *Judæam*, inquit, *& Galilæam, & Samariam:* & lib. 2. cap. 9. *Archelai Ethnarchiæ Idumæa, & omnis Judæa & Samaritis erat*, & lib. 4. cap. 26. *per Samaritidem*. Latitudinem hujus idem lib. 3. de bello Jud. cap. 4. ſic definit: *Samaritis regio media eſt inter Judæam & Galilæam; incipit enim à vico Campi magni Ginæa dicto, & deſinit in Acrabatenam toparchiam.* Addit natura ſoli nihil differre à Judæa: utramque montoſam eſſe & campeſtrem: utramque præditam molli agro & fertili tam frugum, quam omnis generis arborum. Caput regionis eſt urbs *Samaria*, indigenis priſcis *Schomrom*, quæ Iſraëliticorum regum ſedes fuit, ab Amri ejus conditore, uſque ad deportationem decem Tribuum in Aſſyriam ſub Salmanaſare. Ante regis Amri tempora fuerit oppidum necne dubitari ſolet: equidem 3. Reg. c. 13. 32. *Samaria* jam memoratur; at per anticipationem videtur hic deſignata nomine quod juxta hiſtoriæ ordinem nonniſi poſtea accepit. Fieri tamen potuit, ut in monte illo quem rex Amri à Semer emit, villa quædam fuerit, aut ſi quid plus, tenue aliquod oppidulum, in cujus fundo urbem ædificandam curaverit ex prioris poſſeſſoris loci nomine *Schomron* ſive *Samariam* appellatam. Magna parte decem Tribuum in Aſſyriam, ut modo dictum eſt, adſportata, totam regionem, & in primis urbem Samariam, coloni ex Aſſyria miſſi, *Cuthæi* nuncupati, inhabitarunt, qui ex ea deinde vocati ſunt *Samaritani*. Hanc urbem Machabæorum ætate *munitiſſimam*, à Joanne Hircano Aſmonæorum quarto, poſt obſidionem per annum integrum captam, everſam fuiſſe narrat Joſephus, *lib. 13. antiq. c. 18.* Subdit vero *lib. 14. cap. 10.* eamdem cum aliis quibuſdam civitatibus priſtino ſplendori redditam à Gabinio Syriæ præfecto, qui *dirutas urbes*, inquit, *ædificari juſſit, quo pacto inſtauratæ ſunt Samaria, Azotus, & Scythopolis.* Idem aſſerit *lib. 1. de bello Jud. c. 6.* ab Herode Aſcalonita multa illi ornamenta adjecta, & in honorem Auguſti Cæſaris *Sebaſten* appellatam, ut obſervat Hieron. in epitaphio Paulæ, cap. 6. *Vidit* (Paula) *Sebaſten*, id eſt, *Samariam, quæ in honorem Auguſti ab Herode græco ſermone Auguſta eſt appellata.* De iis ornamentis & nominis mutatione hæc habet præfatus Joſephus lib. 1. de bello Jud. cap. 16. *In Samaritica regione* (rex Herodes) *urbem muro pulcherrimo per viginti ſtadia circumdedit, & deductis eo ſex millibus colonorum, terraque fecundiſſima his attributa, in medio ejus templum Cæſari condidit maximum, & circa illud aream trium & ſemi-ſtadiorum, urbemque Sebaſten nominavit.* Superſunt aliqui nummi Commodi inſcripti CEBACTHNΩN CTP. *Sebaſtenorum Syriæ:* & Juliæ Domnæ COL. SEBASTE *Colonia Sebaſtena.* Severus quippe coloniam in hanc civitatem deduxit, ut diſcimus ex Ulpiano lege 1. de cenſibus. *In Palæſtina duæ fuerunt coloniæ, Cæſarienſis & Ælia Capitolina, ſed neutra jus Italicum habet: Divus quoque Severus in Sevaſtenam civitatem coloniam deduxit.* Harduinus de Palæſtinæ Sebaſte hæc verba interpretatur, cui connexio favet, & verbum *fuerunt*, id eſt olim deductæ: quibus novam Severi videtur Ulpianus annumerare. Ita Cellarius, *tom. 2. geog. antiq. lib. 3. cap. 13. pp. 511. & ſeqq.* ubi à *pag. 514.* uſque ad *pag. 533.* agit de *Therſa, Sichem* ſive *Neapoli, Jezraël, Bethſan* ſive *Scythopoli, Zartan, Arnon, Salim, Dora, Thenath, Cæſarea, Apollonia, Joppe, Lydda, Gezer, Antipatri, de duplici Bethoron, Jarmuth* ſive *Jaramoth, Bethel* ſive *Lus, Acrabata, Silo, Aruna* ſive *Ruma*, & *Druſiade*, in ea regione Palæſtinæ ſitis.

Pars tertia Palæſtinæ in Galilæam ſuperiorem & inferiorem diviſa.

XXV. Tertia pars Palæſtinæ *Galilæa* eſt, quod nomen, ſecundum Kimhi, hebraïcè dat *notionem circuitionis*, aut tractus rotundi; rara ejus in veteri teſtamento appellatio, quæ frequentiſſima eſt apud Evangeliſtas. Fuit autem Septemtrionalis pars terræ Chanaan, ab extremo Syrorum limite inter Jordanem & mare Mediterraneum ultra lacum Geneſareth: & dividitur à Joſepho *lib. 3. de bello Jud. c. 4.* in *ſuperiorem* & *inferiorem*. Terminum utriuſque communem ponit *Berſaben* quandam, ſed quænam illa fuerit, vel quæ ejus certa ſedes, nobis non liquet. Unde ex ſola conjectura limes inter utramque figendus videtur ſupra Carmelum montem, in Aquilonem verſus, atque inde ducendus ad Jordanem. Hæc ex præfato Cellar. *ibid. p. 475.*

Galilæa ſuperior.

Galilæa ſuperior incipit à finibus Tyriorum Sidoniorumque, & in ortum ad fontes Jordanis ſe extendit, poſt quos in ipſo Jordane terminum habet. Maritima, quæ Tribui Aſer adjudicata erant, nec omnia, nec ſemper fuerunt ab Iſraëlitis poſſeſſa: nam de Monte-Carmelo Joſeph. *lib. 3. de bello Jud. cap. 4.* ait; *Carmelus quondam Galilæorum, jam vero Tyriorum mons:* & Ptolemaïdem *ibidem* cum territorio ſuo extra Galilæam ponit; quum tamen Ace, ſive Accho, quæ juxta Strabonem & Hieronymum ipſa Ptolemaïs eſt, in Tribu Aſer quæ maritimam Galilææ partem ſortita fuerat, Jud. *cap. 1. 31.* cenſeatur. S. Hieronymus duas quoque conſtituit Galilæas, ſed aliter denominat: quæ enim *ſuperior* Joſepho eſt, ipſe vocat *Galilæam gentium*, deſumpta ex

Iſaiæ *c. 9. 1.* & Matt. *c. 4. 15.* appellatione, *via maris trans Jordanem Galilæa gentium. Duæ ſunt Galilææ,* inquit, *ex quibus una Galilæa gentium vocatur, vicina Tyriorum finibus, ubi & Salomo viginti quinque* (20.) *civitates donavit Hiram regi Tyri, in ſorte Tribus Nephtalim. Altera Galilæa dicitur circa Tiberiadem & ſtagnum Geneſareth in Tribu Zabulon.* Hunc plerique ſequuntur eamdem *gentium Galilæam* & *ſuperiorem* exiſtimantes: alii tamen in diverſas partes abeunt, vel de *inferiore Galilæa* Prophetam & Evangeliſtam interpretantes, vel de regione quadam trans Jordanem fluvium ſita. Pendet omnis controverſia ex Eſaiæ vaticinio, quod retulit Matthæus, recte intellecto. Agit de terra Zabulon & Nephtali, quæ cis Jordanem erant; & his primum Evangelii lumen exoriturum dicit, quia prius quàm cæteri in captivitatem fuerant adducti. *Hi primum,* inquit Hieron. in Matt. cap. 4. 15. *audiere Dominum prædicantem: ut ubi Iſraëlis fuerat ab Aſſyriis prima captivitas, ibi Redemptoris præconium naſceretur.* Deinde dicit Propheta etiam *viam maris* Geneſareth *trans Jordanem,* ubi Bethſaïda erat & finitima, illa luce illuſtratum iri: nam ibi reipſa multum Chriſtus Dominus verſatus eſt. Denique illius novæ lucis ait participem fore ſuperiorem regionem quæ *Galilæa gentium* vocata eſt; hæc autem cis Jordanem in locis ſuperioribus extat, & à variis & mixtis gentibus cognomen illud antiquitus adepta fuerat, unde Strabo *lib. 16. p. 523.* poſtquam dixit Palæſtinæ multa loca *à mixtis gentibus habitari, Ægyptiis, Arabibus, & Phœnicibus;* illico ſubjicit: *Tales enim ſunt qui Galilæam tenent.* Difficultas igitur maxime conſiſtit in expendendo utrum hæc verba *via maris trans Jordanem* de eadem regione ſint accipienda; an vero ſejungenda, ut ſignificent diverſas partes. Hoc ſecundum veriſimilius apparet, tum quia accentu *Sakeph* in hebræo ſunt disjuncta, tum etiam quia, hac diſtinctione adhibita, omnia conſpirant, & melius conveniunt, ac modo relatæ Hieronymi interpretationi cohærent: eaque ratione, vel tota ſuperior Galilæa, vel pars illius, eſt *Galilæa gentium,* in qua etiam ſita erat terra *Chabul* in Tyriorum finibus, quam LXX. interpretes 3. Reg. 9. 11. & 13. græcè vertunt ἐν τῇ γῇ τῇ Γαλιλαίᾳ *in terra Galilææ,* cujus viginti oppida Hiramo regi Tyriorum data à Salomone illi non placuerunt, propter quod terra illa dicta eſt *Chabalon* ſive *Chabul,* id eſt, Phœnicum lingua, *id quod diſplicet,* inquit Joſephus, *lib. 8. antiq. cap. 11.* Hæc de ea Galilææ parte Cellar. *to. 2. lib. 3. c. 13. pp. 475. & ſeqq.*

Galilæa Inferior.

Galilæa inferior ſuperiori ab auſtro ſubjacet; Samaritanæ vero regioni à ſeptemtrione: ab ortu lacum Geneſareth habet; ab occaſu montem Carmelum, & mare. Continebat totam Tribum Zabulon, in Nephtali quoque & Iſſachar ex parte ſuos proferebat fines: in illam ab Aquilone, in hanc à meridie. Communis terminus utriuſque Galilææ non facile determinatur, ut-pote à nullo ſcriptore deſignatus ſaltem clare. Joſephus quidem, *lib. 3. de bello Jud. cap. 4.* ut jam ſupra dictum eſt, in *Berſabe* quadam hunc conſtituit limitem; ſed æque ignoramus, inquit Cellar. *ibid. p. 475.* ubinam ſitum erat oppidum illud, quod aliud profecto fuit à celebri eo *Berſabe* cujus ſæpe meminit ſcriptura; *à Dan uſque Berſabe:* Judic. *cap. 20. 1. Reg. 1. c. 3. 20. &c.* Iſtud enim oppidum, non ſolum Tribus Simeonis aut Judææ, ſed omnis terræ Iſraëliticæ Auſtralis terminus fuiſſe cognoſcitur: & de eo agit Cellar. *ibid. pag. 586.* Illuſtrior eſt apud auctores *Galilæa* hæc *inferior* quam ſuperior, & eam plerumque *Galilæam* ſimpliciter vocant, alteram vero cum additione vel *ſuperioris,* vel *gentium:* ſic Joſephus in vita ſua, poſtquam enarravit quos vicos ipſe muniverit κατὰ τὴν ἄνω Γαλιλαίαν *in ſuperiore Galilæa,* ſubdit: munivi vero etiam *in Galilæa* ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ urbes, vicos, &c. *Lacus Geneſareth* hujus eſt ex majori parte, ad eam quoque pertinent *Cana* primo Chriſti miraculo illuſtratum, *Capernaum* ſeu *Capharnaum, Tarichæa, Tiberias, Ammaus* ſive *Emmaus,* de qua Joſephus, *lib. 4. de bello Jud. cap. 2.* ait: *Profectus* (Veſpaſianus) *ex Ammaunte, ubi pro Tiberiade caſtra poſuerat: Ammaus autem* Ἀμμαοῦς, *ſi nomen interpreteris, aquæ calidæ vocantur: ibi enim fons eſt ſanandis corporum vitiis idoneus, Gamalam pervenit. Sepphoris,* quæ *urbs* eſt *Galilææ maxima, & in tutiſſimo loco condita, totius gentis præſidium,* inquit idem Joſephus *ibid. lib. 3. cap. 3.* Poſteriori ævo dicta eſt *Diocæſarea,* teſte Hieronymo Procem. in Jonam, quo nomine & Socrates appellavit, *lib. 2. hiſt. cap. 33. Arbela; Itabyrium* quod multi *cenſent eſſe Montem-Tabor Chriſti transfiguratione celebrem. Nazareth* ab eo non longe diſtans, ad ejus occaſum: *Naim* ad ejuſdem auſtrum: *Endor* prope Naim; *Sunem* ſive *Sunam* aut *Sonnam,* ut appellat Joſephus *libro 7. capite 16. Jotapat* quam defendit aliquandiu idem Joſephus contra Veſpaſianum, *Japha* prope Jotapat: *Cabara* in limite auſtrali Galilææ: *Giſchala,* oppidum de quo multa Joſephus in vita ſua: *Legio* ad quam, velut notiſſimum oppidum, Hieron. ſitum aliorum ſæpe deſcribit *lib. de locis Hebrais. Thaanach* ubi Siſara victus eſt à Barach. Judic. *c. 5. 19. Mageddo: Hepher,* Jonæ Prophetæ patria: *Zabulon* cujus ſitum

Joſephus delineavit *lib. 2. de bello Jud. c. 37.* *Sycaminus* de quo, & quibuſdam aliis oppidis ait Strabo *lib. 16. pag. 522.* apud Cellar. *to. 2. geogr. antiq. lib. 3. cap. 13. pag. 507.* ad mare in auſtrum verſus, eſſe *nomina. Inter Acon & Stratonis turrim* (id eſt inter Ptolemaïdem & Cæſaream) *eſt Carmelus mons, & oppidulorum nomina, de ipſis* (enim) *nihil integrum ſupereſt: Sycaminorum oppidum, Bubulcorum & Crocodilorum oppidum, & hujuſmodi alia.* Et Plinius *lib. 5. cap. 19. Fuit oppidum Crocodilon, eſt flumen: memoria urbium Doron, Sycaminon.* In Galilæa utique ſitus eſt *mons Carmelus,* quem à Ptolemaïde ſtadiis 120. diſtare aſſerit Joſephus *lib. 2. de bello Jud. cap. 16.* Hieron. in Eſaiæ *cap. 10. 18.* ait *Carmelus eſt mons in Galilæa nemoribus conſitus.* Non vero unus ac ſimplex mons videtur Carmeli nomine ſignificari, ſed plures ſibi cohærentes, quibus tota fere tribus Iſſachar, & magna pars Zabulonis terminabantur: vertex etiam in præcipuo horum montium excelſior verſus mare, eo nomine maxime donatus eſt, ob quem *Promontorium Carmelum* illum dixerit Plinius *lib. 5. cap. 19.* quique fuerit ſedes cujuſdam numinis cujus meminit Tacitus *lib. 2. hiſt. cap. 78.* his verbis: *Eſt Judæam inter Suriamque Carmelus; ita vocant montem Deumque, nec ſimulacrum Deo aut templum, (ſic tradidere majores) ara tantum & reverentia. Illic ſacrificanti Veſpaſiano Baſilides ſacerdos, inſpectis identidem extis, quidquid eſt,* inquit, *Veſpaſiane, quod paras, datur tibi.* Addit Plinius loco mox citato, *in eo monte oppidum* extare *eodem nomine, quondam Ecbatana dictum.* Hoc oppidum Stephanus Byzantinus *de urbibus,* dicit fuiſſe Syriæ, & Heſychius ait de ipſo monte in quo oppidum fuit, *Carmelus mons in Phœnice:* quia nimirum Syria Phœnicen & Palæſtinæ partem complectebatur. In hoc oppido Cambyſes rex Perſarum obiit, cui oraculum Ecbatanam fore fatalem locum prædixerat: intellexit quidem Cambyſes de Ecbatana Mediæ, *at oraculum de Ecbatanis Syriæ loquebatur,* inquit Herodotus *lib. 3. cap. 64.* Joſephus aliquoties *magni Campi* mentionem facit: *lib. 4. de bello Jud. cap. 6. Mons Itabyrius,* inquit, *qui eſt medius inter magnum Campum* ὃ ἐστὶ τοῦ μεγάλου πεδίου· & *lib. 12. antiq. cap. 12. Venerunt trajecto Jordane* (ex Galaaditide & Peræa) *in magnum Campum, ubi contra illum Bethſan ſita eſt, quæ Græcis dicta Scythopolis.* Hic *magnus Campus* videtur fuiſſe quædam regio circa Montem-Thabor, non tota inter Galilææ fines contenta, ſed in Samaritidem etiam ſe extendens, quoad aliquam ſui partem: nam idem Joſephus terminum quo finit Galilæa, & Samaritis incipit, conſtituit in *magno Campo:*

A *Samaritis regio,* inquit, *lib. 3. de bello Judaïco cap. 4. media eſt inter Judæam & Galilæam; incipit à vico Ginæa ſito in magno Campo,* & deſinit in Acrabatenam: hinc partem ejus vocans totius nomine ait *lib. 2. de bello Jud. c. 21. magnus Campus Samaritidis. Azochis* autem, de qua hæc habet in vita ſua idem Joſephus; *omnes in magnum Campum venerunt, ubi tum agebam, Azochis nomen ipſi eſt:* & infra; *deſcendentes in Azochin,* veriſimiliter erat ipſemet magnus Campus, vel aliqua pars ejus. Ita Cellarius *tom. 2. geogr. antiq. lib. 3.* B *cap. 13. p. 510.* qui etiam ſuperius obſervarat *pag. 482. Ptolemaïdem* ſive *Acconem, Dan, Kedes* ſeu *Cadeſam, Berotham, Azorum, Aroſeth gentium, Jamniam, &c.* ad *Galilæam ſuperiorem* pertinuiſſe.

De terra Philiſtinorum.

XXVI. Latius patebat terra *Chanaan* Iſraëlitis promiſſa, quam quæ ab ipſis revera poſſeſſa eſt: nam totum *Philiſtæorum* tractum, & nominatim quinque illorum principatus præcipuos *Gazæorum* ſcilicet, *Azotiorum, Aſcalonitarum, Gethæorum, & Accaronitarum* complectebatur. Verum Iſraëlitæ propter ſua peccata, C juſto Dei judicio, vix aliquam *Philiſtiim* partem poſſederunt, modo victores, modo victi. Hæc regio maritima erat, in ora maris mediterranei à Joppe ad Ægypti fines, multa nihilominus oppida intus occupabant ejus incolæ à maritimis non longè remota, ut præter Azotum, Gazam, Aſcalonem, Geth, & Accaronem, fuerunt *Gerara, Jabne* ſive *Jamnia, Gibethon, &c.* urbes quarum mentio fit in codicibus ſacris. De tota ea regione, locisque alicujus nominis in ea ſitis, legendus Cellarius, *to. 2. lib. 3. cap. 13. pp. 593. & ſeqq.*

Eccleſiæ trium Palæſtinarum prædictum ordinem non ſervant.

D XXVII. Porro tres Palæſtinæ, prout ſedi Patriarchali Hieruſalem ſubſunt, diverſum prorſus civitatum & regionum ordinem, ab eo ſervant, quem modo deſcripſimus: nam in prima Palæſtina reponuntur *Cæſarea* quæ metropolis eſt, *Dora, Antipatris, Dioſpolis, Jamnia, Nicopolis, Sozuſa* in Phœnice Palæſtinæ vicina, *Majuma, Joppe, Aſcalon, Gaza, Rhaphia, Anthedon, Eleutheropolis, Sichem, Elia, Sebaſte, Petra, Hiericho, Libias, Azotus, Zabulon, Heraclea* in Phœnices limitibus, *Baſchat* & *Archelaïs:* juxta notitiam E quæ extat apud Carolum à ſancto Paulo, *geogr. ſacræ pp. 315. & ſeqq.* In ſecunda vero Palæſtina, *Scythopolis* olim *Bethſan* quæ ejus metropolis eſt, *Pella, Caparcotia, Gadara, Capitolias, Maximianopolis, Tiberias, Mennith, Hippus,* & *Amathus.* In tertia denique Palæſtina, *Petra* ejus metropolis, quæ eſt in Arabia, *Auguſtopolis, Arindela, Arad, Ariopolis, Eluſa, Zoara, Sodoma, Phenon, Pharan,* & *Aila.* Monet idem Carolus à S. Paulo *ibid. pag. 310.* tres Palæſtinas quibus præeſt

ſedes Patriarchalis Hieroſolymorum, non eoſdem in eccleſiaſticis, ac in politicis limites habuiſſe, idque palam fieri ex notitia antiqua codicis mſ. Vaticani, & ex alia alterius codicis mſ. Biblioth. regiæ, quæ partem Arabiæ Petrææ, proprio præſidi in civilibus ſubjectæ, ad tertiam Palæſtinam in eccleſiaſticis ſpectaſſe teſtantur: variant autem notitiæ illæ, tum in numero ſedium quas tribus illis Palæſtinis aſſignant, tum in nomine ſub quo aliquas earum recenſent.

Hieroſolymitanæ eccleſiæ quoad religionem ſtatus.

XXVIII. Quod ſpectat ad religionem, epiſcopos ſuos, nullis vel paucis exceptis, eccleſia Hieroſolymitana fidei Catholicæ alumnos & tenaces habuit, uſque ad ſchiſma illud quo Orientales à ſede Romana diviſi ſunt. Unde Auctor quæſtionum ad Antiochum, inter opera ſancti Athanaſii, Auctor ſimiliter quæſtionum quæ Anaſtaſio Sinaïtæ attribuuntur, explicando qua tandem ratione conſtare poſſit de ſola & vera eccleſiæ doctrina, uterque ſed alterum iſte exſcribens, reſpondet loca omnia quæ Chriſtus perpeſſionibus ſuis conſecravit eccleſiæ cuſtodi fidei Catholicæ eſſe commiſſa, ut quemadmodum quiſpiam pretioſa ſui palatii conclavia, theſauroſque ſuos, nonniſi fideliſſimis ſuis ſervis commendaverit; ita Chriſtus ab initio veneranda illa loca ſua Catholicæ eccleſiæ tradiderit. Nam quamvis Barbari multoties Palæſtinam occupaverint, inquiunt, *non permiſit Chriſtus ſua loca hæreticis tradi; ſed quantumlibet ea ad tempus quandoque obtinuerint, hos eccleſia Catholica porcorum inſtar abegit.*

Regiminis modus Patriarcharum Hieroſolymitanorum.

XXIX. Quanam ratione ſe gerere ſoliti eſſent Patriarchæ Hieroſolymitani in regimine eccleſiarum ſuæ ſedi ſubditarum nulli, quod ſciam, diſerte narrant auctores. Et primo quidem Carolus à ſancto Paulo *geogr. ſac. pag. 312.* fatetur valde ſibi dubium eſſe an Hieroſolymorum Patriarcha habuerit epiſcopos ſuæ ſedi ſuffraganeos, quorum reſpectu fuerit metropolita: quis enim, inquit, (hujuſmodi) provinciam ullo in antiquo codice reperiit? In notitia Græca vetuſta, quam manuſcriptam Vaticana Bibliotheca ſervat, nonniſi tres eccleſiæ metropolitanæ leguntur intra diœceſim Patriarchatus Hieroſolymitani, *Cæſarea* nimirum, *Scythopolis*, & *Petra*, quæ cum eccleſiis unicuique earum ſubjectis tres conſtituunt Palæſtinas quibus præeſt ſedes Patriarchalis. Scio, addit idem, poſterioribus ſæculis huic ſedi *Bethleemitanam* eccleſiam, *Ebronenſem*, & *Lyddenſem*, ſubjectas extitiſſe: ſed aliter ſex prioribus ſæculis rem ſe habuiſſe ex hoc ſatis colligitur, quod apud Bethleem nullus tunc ſederet epiſcopus, nullaque ejus in antiquis notitiis memoria ſit. Commune ſane fuit tribus primis veriſque Patriarchis propriam regere provinciam; & ratio eſt, quod ab initio totius regionis in qua ſedebant ipſi eſſent metropolitæ. Sed longe diverſa fuit duorum recentiorum conditio, Conſtantinopolitani ſcilicet & Hieroſolymitani, (ſive potius Æliani,) qui, quum ex prima inſtitutione metropolitæ non eſſent, nonniſi poſt multa ſæcula ſortiti ſunt, (ut haberent) dignitatem illam ſeu auctoritatem eminentem qua cæteris ſedibus præcellerent, univerſamque diœceſim Patriarchalem ſuperiori jure adminiſtrarent. De Hieroſolymitano præſule res eo certior videtur, quod vicinæ omnes Hieroſolymis epiſcopales ſedes alicui ex tribus ſupradictis metropolitis in antiquis notitiis Græcis ſubjectæ reperiantur. Præterea, ex ordinationibus à Juvenale Patriarcha, & Theodoſio monacho ejus ſedis invaſore, collatis in eccleſiis Palæſtinarum, inconſultis illarum metropolitanis, inferendum etiam datur, Patriarcham Hieroſolymitanum hanc jam habuiſſe, aut ſibi attribuiſſe authoritatem ſæculo quinto. Diſcimus tandem ex Cyrillo Scythopolitano diſcipulo S. Sabæ, in ejus vita, apud Joannem-Baptiſtam Coteler. *to. 3. n. 30.* Theodoſium & Sabam magni nominis viros, à Salluſtio Hieroſolymitano antiſtite præfectos fuiſſe omnibus monachis qui ſanctæ civitatis ſedi per Palæſtinam ſuberant, *ut ipſorum eſſent archimandritæ & exarchi:* ac Theodoſio quidem traditos eſſe illos qui eremiticam vitam colebant; Sabæ vero qui anachoreticam in Laurarum cellis. Quin etiam in vita ſancti Euthymii fertur, apud eumdem Cotelerium *to. 2. p. 233.* Juvenalem archiepiſcopum, ad Lauram hujus ſancti acceſſiſſe cum S. Paſſarione tunc chorepiſcopo & monachorum archimandrita, Lauræque eccleſiam dedicaſſe. Ex quibus omnibus manifeſtum apparet Patriarcham Hieroſolymitanum, non ſolum in epiſcopos Palæſtinarum, ſed & in ipſos quoque monachos cœnobiorum, quibus hæc regio abundat, immediatam juriſdictionem exercuiſſe.

Intermiſſa ſub Saracenis Patriarcharum Hieroſolymitanorum ſeries.

XXX. Quod Patriarcharum Hieroſolymitanorum ſucceſſionem attinet, recolendum eſt, ex dictis *num. 8.* quindecim primis antiſtitibus qui huic eccleſiæ præfuerunt, erantque *ex circumciſione*, ſive Judæi omnes, ac Judæorum curam gerebant ad fidem Chriſti converſorum & adhuc multas legis Moſaïcæ obſervantias cum evangelio conjungentium; aliam poſtea acceſſiſſe epiſcoporum progeniem ex gentibus aſſumptorum, qui Æliæ de novo ad veteris Hieroſolymæ ruinas ædificatæ eccleſiam gentilibus religionem Chriſtianam amplexis conſtantem adminiſtrarunt: horum vero priores poſtremo ex Judæis fuiſſe coævos, ſi, ut ſupra *num. 5.* ex Epiphanio deduximus,

Digitized by Google

deduximus, ab Æliæ urbis primordiis ſub Hadriano, uſque ad annum Antonini Pii ejus ſucceſſoris decimum, ſimul & eodem tempore, cum Juda Hebræo, Marcus & quatuor ejus ſucceſſores ſederint: quod ultimum tamen non conſtat. Poſterior rurſus illa Ælienſium ſive Hieroſolymitanorum præſulum ſeries interrupta eſt, quum Saraceni Palæſtinam occuparunt; tunc enim apoſtolica ſedes Romana ejus regimini ſpecialiter invigilavit, commiſitque epiſcopos quoſdam qui ordinationes, ejus nomine, in eccleſiis trium Palæſtinarum peragerent. Certe *to. 6.* conc. Labb. *col. 20.* in epiſt. 5. Martini Papæ, legimus ab eo Papa injunctum eſſe Joanni Philadelphiæ epiſcopo ut catholicæ rei negotia adminiſtraret in utraque diœceſi Antiochena & Hieroſolymitana, damnata utique temeritate qua Sergius Joppenſis antiſtes Monothelita ordinandi poteſtatem in Palæſtinis ſedi Hieroſolymitanæ ſubjectis, poſt Sophronii obitum, ſibi arrogaverat, ſolius Imperatoris, ut videtur, auctoritate munitus. Sophronius nimirum Hieroſolymitanus Patriarcha, ille qui egregiam adverſus naſcentem Monothelitarum hæreſim operam navavit, adjuraverat paulo ante quam moreretur, Stephanum Dorenſem ut Romam quantocius pergens periculoſum fidei catholicæ per Orientem ſtatum coram apoſtolica ſede exponeret: quod quidem iter ipſemet aggrederetur, niſi Saracenorum incurſiones obſtarent. Stephanus his obteſtationibus excitatus Romam petiit, eique à Theodoro Papa primum creditum munus fuit, poſt Sophronii obitum, epiſcopos in Palæſtina ordinandi, tanquam qui eſſet primus Patriarchæ juriſdictionis Hieroſolymitanæ præſul: quod arguit Cæſaream primæ Palæſtinæ metropolim, fuiſſe tunc temporis, ſive à Perſis, ſive à Mohammedanis dirutam, ſaltem vacare paſtore. Hanc ſibi demandatam commiſſionem aperuit Stephanus libello quem Lateranenſis concilii patribus exhibuit ſecretario 2. *De quibus,* inquit, *to. 6.* conc. Labb. col. 109. *& antea apoſtolicæ ſedi innotui,* (notum feci) *id eſt B. mem. deceſſori veſtro Theodoro: juſſitque mihi indigno per ſacram ſuam præceptionem, ordinans me loci ſervatorem* (id eſt vicarium Hieroſolymitanæ ſedis) *per apoſtolica ejus ſcripta, quatenus tam ea quæque fuiſſent eccleſiaſtica capitula peragere debuiſſem, & canonicè, ſi nullatenus emendarentur, qui ſub denominato prætextu ordinati ſunt epiſcopi, deponerem eos. Quod & feciſſe me certum eſt: & præcipue quoniam in errorem à veritate recedentes ſponte delapſi ſunt; tantumque illos recepi, ſecundum juſſionem ejus, qui libellum pœnitentiæ obtulerunt, & profeſſi ſunt in ſcripto conſervare indeſinenter, & amplecti, atque prædicare ſanctorum Patrum & ſynodorum doctrinas, quorum libellos nuper deferens obtuli ſacratiſſimæ præſidenti ſanctitati veſtræ, Martino ter beatiſſimo Papæ, ab eo quod aliqui eorum merito recepti & confirmati ſunt, aliqui vero pro tuitione catholicæ eccleſiæ condemnati.* Stephanus itaque Dorenſis Hieroſolym. ſedis aliquando vices egit ſub Theodoro Papa. Verum adverſarios nactus à quibus neſcio cujus criminis accuſabatur apud Romanam ſedem, prorogatus non fuit ſub Martino. Unus ejus delatorum fuiſſe videtur Pantaleon quidam, cui Martinus Papa Lateranenſis concilii nomine ſcripſit epiſtolam qua Stephanum injuſte taxatum, & ſynodi ſententia abſolutum teſtatus eſt: cæterum dolet catholicam eccleſiam Romanam ab illis ſibi clauſam, quantum in ipſis fuit, qui vel fecerunt, vel conſenſerunt, ne memorato epiſcopo redderentur miſſa ad eum ab apoſtolica ſede præcepta, quibus ejus vicarius conſtitutus fuerat, ac juſſus *propter temporis anguſtias, id eſt, preſſuram irruentium gentium, canonice inſtituere ad ſupplementum eccleſiaſtici ordinis epiſcopos, & preſbyteros, & diaconos, quoad poteſtas deeſſet ad promovendum Patriarcham Hieroſolymorum.* Ex quibus manifeſtum fit, duplici nomine, Stephanum Hieroſolymitani Patriarchatus vices geſſiſſe in Palæſtina, tum prærogativa ſuæ ſedis Dorenſis, tum etiam Romani Pontificis delegatione.

XXXI. Cæterum eadem ſynodus Lateranenſis, auditis Stephani & Aſcetarum cœnobii ſancti Theodoſii querimoniis adverſus Monothelitarum hæreſim, quæ Pauli Conſtantinopolitani opera in Oriente progreſſus faciebat, Joannem illum, quem num. præcedenti nominavi, Philadelphiæ epiſcopum, deſignavit qui Antiochenæ ſimul & Hieroſolymitanæ diœceſibus proſpiceret. Sic autem apoſtolico ad hunc Joannem Martini Papæ mandato fertur: *Charitatem tuam exhortamur, religioſiſſime frater, noſtram iſthic vicem implere, id eſt, in Orientis partibus.... ut ſic proſperans in Domino ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per omnem civitatem eorum quæ ſedi, tum Hieroſolymitanæ, tum Antiochenæ ſubſunt, epiſcopos, & preſbyteros, & diaconos. Hoc tibi omni modo facere, præcipientibus nobis ex apoſtolica auctoritate quæ data eſt nobis à Domino per Petrum ſanctiſſimum & principem Apoſtolorum, propter anguſtias temporis & preſſuram gentium, ne uſque in finem in illis partibus deficiat ſacerdotalis decoris eximius ordo; nec inde de cætero noſtræ religionis magnum & venerandum myſterium ignoretur.* In mandati ſeu epiſtolæ decurſu in primis monet obſervandum canonem. *In iis,* inquit, *qui ante* (Sophr.) *Patriarchiam vel poſt ejus deceſſum in Domino, à quibuſdam non convenienter electi ſunt, propter anguſtiam temporis,*

Joanni Philadelphiæ epiſcopo data commiſſio pro diœceſibus Antiochiæ & Hieroſolymæ.

Digitized by Google

vel quod ejus copia non eſſet qui judicio adhibito, ſeu juxta canones eligere deberet, vel permittere: tales, datis ſcriptis libellis, confirmari volumus, nullatenus inde canoni præjudicio facto. Poſtquam autem cavendum monuit à Macedonio qui pro Patriarcha Antiocheno ſe gerebat, & à Petro qui ſe pariter pro Alexandrino, ad ipſum ſe miſiſſe ait ſynodi Lateranenſis acta cum encyclicis & ſynodalibus litteris. Inſuper ſe adhortatum eſſe Deo amabiles epiſcopos Theodorum Eſbuntiorum, & Antonium Baccatorum, ut ei in omnibus adſint & ſuppetias ferant; itemque Georgium preſbyterum & archimandritam monaſterii S. Theodoſii, & Petrum Chriſti amantem, Adraenſem nempe & illuſtrem ad quem S. Maximus tunc temporis de fide ſcribebat, eoſque omnino qui fidei negotium illis in partibus fovent. Extant ad hos quatuor totidem epiſtolæ quæ eadem renunciant. Delegationem Joannis Philadelphiæ epiſcopi in utramque diœceſim Martinus cum ſua ſynodo Lateranenſi, epiſtola altera ad Antiochenam & Hieroſolymitanam eccleſias ſignificavit, cujus ſimiles voces, ac ſunt quas retulimus, hîc nihil juvat retexere. Plura de iis quæ, ſede Hieroſolymitana per 60. & amplius annos à Sophronii obitu vacante, ad ejus adminiſtrationem geſta ſunt, monumentorum illius ætatis penuria, hîc nobis recitare non conceditur.

Inſtaurata Patriarcharum Græcorum Hieroſolymorum ſucceſſio.

XXXII. Poſt diuturnam ſedis Hieroſolymitanæ viduitatem, electo tandem anno circiter Chriſti 705. Patriarcha, ſucceſſio perſeveravit, non obſtante Saracenorum tyrannide, uſque ad finem undecimi ſæculi, quo Latini cum Francis noſtris induti Crucis ſigno, bellum ſacrum iis infidelibus intulerunt. Tunc enim captis Hieroſolymis anno 1099. quum Simeon Patriarcha in Cypro inſula, quo ante copiarum Latinarum in Palæſtinam adventum ſeſe receperat, eodem anno obiiſſet; Patriarchæ Latini ritus inſtitui cœperunt. Interim Græci quoque ſui ritus Patriarchas Hieroſolymitanos Conſtantinopoli crearunt, qui in ea urbe ſedebant quandiu Hieruſalem in poteſtate Latinorum fuit. Quo factum eſt, ut quia Byzantini, dudum ante belli ſacri initia, Romanæ eccleſiæ communionem abnegarant, horum ſciſſionem Hieroſolymitani Græci præſules amplexi fuerint, dum Conſtantinopoli morabantur, eamdemque, ejectis poſt modum è Palæſtina per Saracenos Latinis Hieroſolymam reverſi, cum Melchitis Alexandrinis & Antiochenis, ad hoc uſque tempus prorogaverint.

Primus Hieroſolymitanæ eccleſiæ ſtatus ſub Francis principibus.

XXXIII. Latini exercitus duces poſt ereptam ab infidelibus Hieroſolymam, accepta Simeonis Patriarchæ Græci morte, de ſucceſſore ei ſubrogando inter ſe delibera-

A verunt: habito autem ea de re conſilio, *ſæpiuſque diſcuſſo,* inquit Albertus Aquenſis, *non eſt repertus aliquis tanto honore, & tam divino regimine dignus; ideoque dilatio facta eſt. Tantum Arnulphum* (ſive *Ernulphum*) *de Rohes Cancellarium ſanctæ Hieroſolymitanæ eccleſiæ, procuratorem ſanctarum reliquiarum, & cuſtodem eleemoſinarum conſtituunt.* Anonymus qui geſta Francorum in expugnatione Hieroſolymitana deſcripſit, Ernulphum fuiſſe quaſi Patriarcham ait, & inſtitutis à Godefrido rege canonicis præpoſitum, donec à Romano Pontifice

B quid agendum eſſet requirerent. Guillelmo Tyrio *lib. 10. belli ſacri c. 2.* Ernulphus archidiaconus tantum erat. Summo principi & duci Godefrido necnon cæteris omnibus, eodem Aquenſi teſte, placuerat, ut in templo Dominici ſepulcri viginti fratres in Chriſto divini cultores officii conſtituerentur, qui aſſiduis Domino Deo viventi in laudibus & hymnis pſallerent: hoſtiam corporis & ſanguinis Jeſu-Chriſti devote immolarent: deinde quotidianam ſuſtentationem de oblatione fidelium conſtitutam ſuſciperent; ſic

C divino decenter obſequio reſtaurato à duce catholico, chriſtianiſque principibus, campanas ex ære, cæteriſque metallis fieri juſſerunt, quibus ſignum fratres dum caperent mox ad eccleſiam laudes pſalmorum, miſſarumque vota celebraturi feſtinarent; & populus ad hæc auditurus una properaret. Non enim ejuſmodi ſoni, aut ſigna viſa, vel audita ſunt ante hos dies in Hieruſalem. Præfatus Guillelmus Tyrius *lib. 9. de bello ſacro cap. 9.* ait, ante cætera, & protinus, Godefridum in eccleſia ſancti ſepulcri templi Domini ca-

D nonicos inſtituiſſe, iiſque ampla beneficia, quæ *præbendas* vocant, ſimulque & honeſtas eccleſias aſſignaſſe, ordine & inſtitutione ſervata, quam magnæ & ampliſſimæ à piis principibus fundatæ ultra montes ſervant eccleſiæ: quibus videtur hic ſcriptor innuere canonicos illos ordine & inſtitutione regulares fuiſſe: quod Guido apud Albericum in chronico ad annum 1100. aſſeruerat his verbis: *Dux Godefridus regnum Hieroſolymorum adeptus pia & pura liberalitate erga eccleſias quæ ſunt Hieroſolymis abundavit, & humilitatis intimo,*

E *& reverentia ejus qui ſpineam coronam ibi pro mundi ſalute portaverat, regio diademate noluit inſigniri. Primus enim ſecundum morem Gallicanæ eccleſiæ, in eccleſia ſepulcri Domini canonicos inſtituit regulares, & monachos in Valle-Joſaphat in eccleſia Dei Genitricis Virginis Mariæ.* Adſtruit tamen Guillelmus pro canonicis ſæcularibus regulares fuiſſe conſtitutos ab Arnulpho illo, qui ſub Balduino rege ad Patriarchatum Hieroſolymitanum evectus eſt.

Digitized by Google

Daimbertus primus Latinornm Patriarcha Hieroſolymitanus.

XXXIV. Primus Latinorum ad eam dignitatem aſſumptus Daimbertus fuit, de quo agemus ſuo loco inter præſules ritus Latini eccleſiis Orientalibus præfectos: illi autem ſtatim aſſignati ſunt proventus, teſte eodem Guillelmo Tyrio, nec ii ſolum quibus jam tempore gentilium principum, Mohammedanorum-ve, Græcus Patriarcha potitus fuerat; ſed alii inſuper de novo conceſſi, ita ut vitam honeſtiſſime ſuſtentaret. At exinde contigit, ſubdit Tyrius, quod Patriarcha ſuam eſſe contenderet civitatis totius poſſeſſionem & præſidium, *urbemque Joppen cum ſuis pertinentiis. Qua de re quum malevolorum quorumdam opera agitata eſſet quæſtio, Godefridus rex, qui Dux potius volebat appellari, quoniam humilis erat & manſuetus, & timens ſermones Domini, in die Purificationis beatæ Mariæ, præſente clero & populo univerſo eccleſiæ ſanctæ Reſurrectionis, quartam partem Joppes reſignavit. Rurſum die ſancto Paſchæ in præſentia cleri & populi qui ad diem feſtum convenerant, urbem Hieroſolymam cum Turri David & univerſis ejus pertinentiis in manu Domini Patriarchæ reſignavit, ea tamen conditione, ut prædictis urbibus cum territoriis ſuis ipſe interim frueretur & uteretur, quouſque captis aliis urbibus una vel duabus regnum Dominus permitteret ampliari. Quod ſi interea dux abſque legitimo herede fato fungeretur, prædicta omnia, difficultate omni ſemota, in D. Patriarchæ ditionem caderent.* Cæterum obſervat ille, jam à tempore dominationis Saracenorum, Conſtantinopolitani Imperatoris Conſtantini Monomachi opera, chriſtianos Hieroſolymorum obtinuiſſe, ut quartam civitatis partem ipſi ſoli tenerent & poſſiderent.

Patriarchatus Hieroſolymitani ſtatus ſub Francis mutatus.

XXXV. Dum Palæſtinam occuparunt Latini, non eadem fuit, ac antehac, diœceſis Hieroſolymitanæ ratio: nam præter Palæſtinam veterem, cujus quidem multæ civitates non amplius ſubſiſtebant, ſanctæ civitatis Patriarcha, favente ejuſdem urbis rege, Tyrum cum aliis ſex ſeptem-ve oppidis quæ Antiocheno præſuli ſemper paruerant, ſuæ juriſdictioni addixit. Scilicet Paſchalis II. Romanus Pontifex Hieroſolymorum regibus conceſſerat, ut quas armis ſubjugarent civitates, illæ ad Patriarchatum Hieroſolymitanum pertinerent: quod & Innocentius II. confirmavit. Hinc quibus locis rex Hieroſolymitanus dominabatur ditione temporali, iiſdem prorſus ſpirituali Patriarcha præerat. Regnum autem Hieroſolymitanum, ex eodem Guillelmo Tyrio *lib. 16. cap. 29.* in quatuor principatus ſeu provincias tunc diſtributum erat, à fluvio incipiens qui Byblum inter & Berytum fluit, & deſinens in ſolitudine regionis dictæ *Daroma,* ut eam Euſebius & Hierony-

A mus ſæpe appellant, apud Cellar. *to. 2. geogr. antiq. lib. 3. cap. 13. pag. 591.* Quin imò ne metropolitæ Tyrii juriſdictio vetus diſtraheretur, ſex ſeptem-ve ſedes ejus ſuffraganeorum, quæ non erant ditionis regis Hieroſolymitani, eidem Pontifici nihilominus, quaſi illi morem gererent, affixæ ſunt ab Innocentio II. datis hanc in rem apoſtolicis litteris epiſcopis Tripolitano, Tortoſano ſive Antaradenſi, & Byblitano, velut & aliis Berytenſi, Ptolemaïdenſi ſeu Acconenſi, & Sidonienſi; quamvis Tripolis, & Tortoſa ſive Antaradus,
B Boëmundo Antiochiæ principi ſubjicerentur. De tranſlata Tyro metropoli in diœceſim Hieroſolymitanam plura dixi tomo ſuperiori ubi de Patriarchatu Antiocheno, quæ non vacat hîc regerere: explicavi inſuper ibidem quodnam Patriarchalis regiminis genus tunc eſſet, & quanta Romano Pontifici obedientia, à quo pallium accipere debebant.

Quædam eccleſiæ Antiocheni Patriarchatus ſedi Hieroſolymitanæ ſubjectæ manſerunt.

XXXVI. Ex quo Latini è Syria Palæſtinaque à Saracenis ejecti ſunt, Tyrus, aliæque urbes ab Antiochena eccleſia diſtractæ in Patriarchæ Græci ditionem rurſus venerunt:
C Acon tamen, Cæſarea Philippi, cum nonnullis urbibus quas Hieroſolymitani reges in Syriæ necnon Arabiæ partibus Palæſtinæ vicinioribus acquiſierant, ſanctæ civitatis Patriarchæ Græco, uti prius Latino, ſubjectæ manſerunt: unde in litteris quibus ejus electio confirmatur dicitur Patriarcha *civitatis ſanctæ Hieruſalem, & ſanctæ Sion, Syriæ, & Arabiæ, totiuſque Palæſtinæ, & regionis trans Jordanem.* Ejuſmodi litteras reperi in cod. Regio 3289. quas integras legere eſt apud Patriarcham Doſitheum. Hinc autem liquet quam Hiero-
D ſolymitana diœceſis hodie imminuta ſit & deſolata à Turcis, incultaque tota illa regio, ſicut & cæteræ quæ illorum imperio ſubſunt.

Patriarchæ Græci eccleſiæ Hieroſolymitanæ.

XXXVII. Expugnatis à Latinorum exercitu Hieroſolymis, conſtitutoque ejuſdem ritus Patriarcha, nullus è Græcis hujus dignitatis titulo inſignitus legitur ante Manuëlis Comneni imperium qui anno 1142. aut ſequenti thronum conſcendit, unamque fœderis inter ſe & regem Hieroſolymorum initi conditionem eſſe voluit ut Conſtantinopoli Patriarcha Antiochenus crearetur,
E eoque mitteretur: quod perinde cenſendum de Hieroſolymitano colligitur ex cura à rege Balduino adhibita ne ea lex ſtaret. Tunc vero utriuſque ſedis Patriarchas Græcos deſignare cœperunt Byzantini; & conſuetudo perſeveravit, etiam recuperata à Mohammedanis Hieroſolyma, ut, vel Conſtantinopoli Patriarcha Hieroſolymitanus renuntiaretur, vel qui electus Hieroſolymis foret, non ante conſecraretur, quam ab Imperatore Græco electio ejus confirmata eſſet. Leontio Patriarchæ

Digitized by Google

Hieroſolymitano Græco qui Conſtantinopoli obierat, (jam pulſis anno Chriſti 1186. à ſancta civitate Latinis,) ſubſtitutus eſt ab Iſaacio Angelo Imper. Doſitheus: quumque ille ad eccleſiam Conſtantinopolitanam tranſlatus eſſet, in ejus locum ſuffectus fuit per eumdem Imperatorem Marcus Florus. Andronicus II. Imperator Michaëlis Palæologi filius, qui imperium auſpicatus eſt an. Chriſti 1283. gravioribus auditis rumoribus adverſus Athanaſii Patriarchæ Hieroſolymitani Græci famam, miſit Hieroſolymam ut de iis inquireretur: exauctoratus eſt autem Imperatoris nomine Athanaſius, illique ſubrogatus Gabriël Brulus. Sub Andronico III. Lazarus à coëpiſcopis in ſancta civitate electus Byzantium Imperatoris aſſenſum petiturus venit, Cantacuſeno teſte *lib. 4. hiſt. cap. 14.* Dorotheus non multo poſt Patriarcha Hieroſolymorum inſtitutus eſt Joannis Palæologi mandato, cujus confirmatorium decretum his verbis Latinè redditis exprimitur: textum reperi in codice 3289. Bibliothecæ regiæ: *Sancta Trinitas, per regiam poteſtatem qua nos donavit, promovet ſanctiſſimum Pontificem Dominum Dorotheum in Patriarcham Hieroſolymorum ſanctæ Sion, Syriæ, Arabiæ, totius Palæſtinæ trans Jordanem, & Cana Galilææ; cujus cauſa datur eidem ſanctiſſimo Patriarchæ Hieroſolymorum, ſanctæ Sion, Syriæ, Arabiæ, totius Palæſtinæ trans Jordanem, & Cana Galilææ præſens in ſcripto libellus & decretum imperii mei.* Non ita pridem Nectarius Conſtantinopoli electus eſt Patriarcha Hieroſolymitanus, renuntiatuſque, non à Patriarcha ſolum Byzantino aliiſque ſynodi ejus epiſcopis; ſed & à Baſilio Vaivoda Moldaviæ, cum Panagiota magno Turcicæ Aulæ interprete, aliiſque Græci nominis Proceribus, velut olim fiebat ſub Imperatore Græco. Miſſus eſt deinde in urbem ſanctam Gabriël Lindius Philippopolis metropolita qui eum ibi ordinaret.

XXXVIII. Quod ad eccleſias Hieroſolymorum Patriarchali juriſdictioni impræſentiarum ſubditas attinet, quindecim ſunt tantummodo intra muros ſanctæ civitatis, cum Gethſemani ubi ſepulcrum viſitur Dei Genitricis. Longe plures Mohammedani occupant, inter quas extat ſancta Sion: aliquas etiam earum Latini, aliarumque gentium Chriſtiani poſſident. His prælibatis, ſeriem Patriarcharum Hieroſolymorum, cæterorumque præſulum huic ſedi ſubjectorum, qui ad notitiam noſtram venerunt, teximus, incipiendo à Patriarchis.

Templa Hieroſolymorum Patriarchæ Græco ſubdita.

Digitized by Google

PATRIARCHÆ HIEROSOLYMITANI.

DE Hieroſolymis & Ælia quæ ſuper ejus ruinas constructa eſt jam nonnulla diximus *n.23. col. 118.* Quædam addenda videntur ad clariorem utriuſque intelligentiam.

Et primo quidem prioris Hieroſolymæ ſitum ſic deſcribit Joſephus, *lib. 5. de bello Jud. c. 13. Civitas ſuper duos colles ... ſe mutuo inſpicientes condita eſt, interveniente valle diſcretos, in quam utrimque ædificia deſinebant.* Horum alter dictus mons *Sion* in ſeptemtrionali parte civitatis extabat, eratque excelſior, ædificia autem ei ſuperpoſita vocabantur *ſuperior civitas.* Alter collis nuncupabatur *Acra,* & *inferiorem civitatem* ſuſtinebat, ex eodem Joſepho *ibid.* Hac ſola conſtabat Hieruſalem ante quam David regnaret, ſed ejus impenſis & cura aucta eſt ædificiis in monte Sion conſtructis. Hinc Sion & Hieruſalem nonnunquam in ſacris ſcripturis diſtinguuntur. Montis etiam Moriah in quem Abraham cum filio immolando aſcendit, meminit idem Joſephus *lib. 1. antiq. cap. 14.* & dicit in eo templum fuiſſe erectum. Aſſentitur Hieron. in Jerem. *cap. 26. verſ. 4. extructo templo,* inquit, *in area Ornæ, & in monte Moriah, hoc eſt, viſionis, in quo Abraham filium ſuum Iſaac obtuliſſe narratur.* Porro non arcis modo, ſed & totius urbis munitiones validiſſimæ erant, nam ut rurſus Joſephus *lib. 5. de bello Jud. cap. 13.* obſervat; *triplici muro circumdabatur, niſi qua vallibus cingebatur inacceſſis.* Tertius murus ab urbe remotior nonaginta turribus fulciebatur ducentis cubitis ab invicem diſſitis, medius turribus quatuordecim, intimus demum ſexaginta. De his Hieroſolymorum munimentis Tacitus, *lib. 5. hiſt. capp. 11. & 12.* ait: *Urbem arduam ſitu, opera moleſque firmaverant, quîs vel plana ſatis munirentur; nam duos colles immenſum editos claudebant muri per artem obliqui, aut introrſus ſinuati, ut latera oppugnantium ad ictus pateſcerent. Extrema rupis abrupta; & turres, ubi mons juviſſet, in ſexaginta pedes; inter devexa, in centenos viceноſque attollebantur: mira ſpecie, ac procul intuentibus pares. Alia intus mœnia regiæ circumducta: conſpicuoque faſtigio turris Antonia, in honorem M. Antonii ab Herode appellata. Templum in modum arcis, propriique muri, labore & opere ante alios: ipſæ porticus, quîs templum ambiebatur egregium propugnaculum.* A *Fons perennis aquæ; cavati ſub terra montes, & piſcinæ ciſternæque ſervandis imbribus. Providerant conditores ex diverſitate morum crebra bella: inde cuncta, quamvis adverſus longum obſidium; & à Pompeio expugnatis, metus atque uſus pleraque monſtravere. Atque per avaritiam Claudianorum temporum, empto jure muniendi, ſtruxere muros in pace tanquam ad bellum.* Hæc tradit Cellarius *to. 2. geogr. antiq. lib. 3. cap. 13. pag. 541. & ſeqq.*

2.° Quod ſpectat ad Æliam quæ & Hieroſolymorum nomen gerit, Dio *lib. 69. hiſt.* B narrat Æliam Capitolinam, ex nomine quidem *Ælii* Hadriani Imperatoris qui eam ædificari juſſit, *Æliam* nuncupatam, à templo autem Jovis Capitolini quod in ea conſtructum fuit ut huic falſo numini conſecraretur, *Capitolinam* dictam: *quum enim,* inquit, *in Hieroſolyma* (Hieroſolymam) *urbem everſam duxiſſet coloniam.... & in loco ubi templum Dei fuerat, templum Jovi aliud ædificaſſet, bellum haud parvum & diuturnum motum eſt, Judæis graviter ferentibus quod exteræ nationes in urbem ſuam habitatum venirent, quodque aliena* C *templa in ea ædificarentur.* Vide ſupra *n. 7. col. 105.* Eorum porro dux fuit *Cochebas* celeberrimus audacia, qui ſibi titulum Meſſiæ tribuit, & ſe ipſum vocavit *Barcochebah,* id eſt, filium ſtellæ, alludens ad illud Balaam vaticinium de Meſſia *Num. cap. 24. verſ. 17. Orietur ſtella ex Jacob:* ſed poſtea Judæi, detecta ejus impoſtura, eundem *Bencoziba* appellarunt, id eſt, *filium mendacii.* Magnam enim cladem ſub eo duce acceperunt. Ita Thomas de Pinedo Luſitanus in obſervationibus ſuper Stephanum Byzantium *de urbi-* D *bus & populis pag. 42. num. 76.* Rebellionis vexillum erexerunt in Romanos Judæi hac ſecunda vice, anno Hadriani 16. Chriſti 132. & anno ejuſdem Imperatoris 18. Chriſti 134. fuerunt completiſſime devicti. Tillemontius, tamen *to. 2. hiſt. Imperat. pp. 589. & 604.* inceptum hoc bellum cenſet an. 18. Hadriani, Chriſti 134. & finitum circiter anno 20. ejuſdem Imperat. Chriſti 136. *Ex quo tempore,* inquit S. Hieron. in chronico, *etiam introeundi eis Hieroſolyma* (id eſt Æliam) *poteſtas ablata eſt, primum Dei nutu, tum mandato Romanorum, ſuntque in omnes regiones diſperſi.* Hæc apud Bollandi continuatores *tom. 3.*

Digitized by Google

Actorum SS. Maii, in tractatu prælimin. ubi A de epiſcopis & Patriarchis Hieroſol. *pag. 9. col. 2. num. 33.*

I. S. Jacobus *Frater Domini, Apoſtolus.*

Quamvis S. Petrus, cum cæteris Apoſtolis, ut eorum princeps à Chriſto inſtitutus, ſpecialem curam naſcentis Hieroſolymis eccleſiæ geſſerit, non tamen dicitur primus Hieroſolymorum epiſcopus, ſicut nec aliorum locorum ubi fidem diſſeminavit, quia in illis ſedem ſuam figere non intenderat. Primus itaque Hieroſolymorum præſul S. Jacobus minor B fuit, frater Domini dictus, id eſt cognatus ſecundum carnem, unus ex duodecim Apoſtolis, & epiſtolæ catholicæ ſcriptor, qui *lib. 8. Conſtit. Apoſtol. cap. 35.* dicitur *ordinatus ab ipſo Domino, & Apoſtolis,* & *lib. 1. Recognitionum,* ſub nomine S. Clementis Romani Pontificis, *ordinatus à Domino in epiſcopum.* Sanctus Epiphanius aſſerit ſimiliter hær. 78. Jacobo primo Hieroſolymorum epiſcopo (quem tamen alium exiſtimavit à Jacobo Apoſtolo) *Dominum credidiſſe ſuum met thronum.* Huc aliquatenus ſpectant ea Euſebii C *lib. 7. hiſt. cap. 19.* verba de Hieroſolymitana ſede, *Jacobi illius cathedram qui primus Hieroſolymorum epiſcopus ab ipſo Servatore & ab Apoſtolis eſt conſtitutus, & quem fratrem Domini fuiſſe cognominatum divina teſtantur volumina, ad noſtra uſque tempora conſervatam fratres illius eccleſiæ jam inde à majoribus magna proſequuntur reverentia.* Superius ſcripſerat idem Euſebius, *lib. 2. cap. 1. ex lib. 6. inſtitutionum,* ſive *Hypotypoſeon,* ut fert textus ejus græcus, Clementis (utique Alexandrini) *poſt Servatoris aſcenſum, Petrum, Jacobum, & Joan-* D *nem, quamvis à Domino reliquis prælati eſſent* (Apoſtolis) *non idcirco de primo honoris gradu inter ſe contendiſſe, ſed Jacobum cognomento Juſtum Hieroſolymorum epiſcopum deſignaſſe.* Hunc triginta annis eam rexiſſe eccleſiam uſque ad ſeptimum Neronis annum teſtatur Hieron. *lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis,* qui annus, quum ſit æræ vulgaris ſexageſimus, arguit Jacobum epiſcopatum Hieroſolymitanum ſuſcepiſſe, vel ſub finem anni 29. quo Chriſtus Dominus crucifixus eſt, ſi reipſa die 27. Decembris huic præfectus eſt eccleſiæ, E cujus ſit memoria in quibuſdam martyrologiis, vel anno ſequenti 30. In genere mortis nonnihil variant antiqui: nam Hegeſippus narrat Jacobum è pinnaculo templi præcipitatum à Judæis, & fullonio fuſte in caput impacto occiſum: Joſephus autem *lib. 20. antiq. c. 8.* damnatum ab Anano Pontifice, & à populo lapidatum tradit. *Ananus,* inquit, *opportunum ſibi tempus adeſſe ratus, eo quod Feſtus quidem vita ceſſiſſet, Albinus vero adhuc in itinere eſſet, concilium judicum cogit; inductoque in judicium fratre* (illius) *Jeſu qui dicebatur Chriſtus, Jacobus ei nomen, & cum eo quibuſdam aliis, in eos ut legis violatæ reos quum accuſationem inſtituiſſet* (ſtatim) *lapidandos tradidit. Sed quicunque inter cives modeſtiſſimi, legiſque obſervandæ ſtudioſiſſimi habebantur, graviter hoc tulerunt: atque clam* (legatos) *ad regem* (Agrippam) *mittunt, hortantes ut Ananum per litteras monere vellet, ne quid deinceps ſimile moliretur; neque enim prius illud recte* (atque ex jure) *ab eo factum fuiſſe. Quin etiam nonnulli eorum Albino, ab urbe Alexandria iter facienti, occurrerunt; eumque monuerunt, non licuiſſe Anano abſque ipſius conſenſu concilium judicum convocare. Horum oratione Albinus perſuaſus, litteras plenas furoris & iracundiæ Anano ſcribit, minatus ſe de illo pœnas ſumturum. Proinde rex Agrippa, adempto ei Pontificatu quem per tres menſes geſſerat, Jeſum Damnæi filium* (Pontificem) *conſtituit.* Joſepho ſuffragatur de hoc genere martyrii Jacobi Euſebius in chronico.

II. S. Simeon *vel* Simon *Martyr.*

Euſebius, *lib. 3. hiſt. cap. 11.* hæc de Simeone habet: *Poſt martyrium Jacobi, & continuo ſubſecutam Hieroſolymorum expugnationem, fertur apoſtolos, cæteroſque Domini diſcipulos qui adhuc ſuperſtites agebant, ex variis locis in unum conveniſſe, & una cum iis qui Dominum ſecundum carnem propinquitate generis contingebant (quorum plerique adhuc ſupererant) in commune conſuluiſſe quis in Jacobi locum ſuccedere dignus eſſet: quocirca uno omnes conſenſu Simeonem filium Cleophæ, illius cujus in evangeliis mentio fit, hujus eccleſiæ epiſcopali ſede dignum judicaverunt. Creditur autem Simeon patruelis fuiſſe Servatoris: nam Cleopham fratrem fuiſſe Joſephi prodit Hegeſippus.* Communis quoque ſententia eſt hunc *Simeonem* eſſe *Simonem* illum Jacobi, Joſeph ſive Joſe, & Judæ fratrem, Domini noſtri ſecundum carnem conſobrinum, qui legitur Marci 6. verſ. 3. his verbis: *Nonne hic eſt Faber, filius Mariæ, frater Jacobi, & Joſeph* καὶ Ἰωσῆ, *& Judæ, & Simonis!* Idem Euſebius, in chronici ſui textu græco edit. Scalig. Amſtelod. anno 1658. *pag. 205.* aſſignat exordium ejus epiſcopatus *Cæſonio & Petronio Coſſ.* id eſt, ſeptimo Neronis anno, æræ vulgaris 60. aut 61. martyrium vero *ibidem, p. 209. Soſio & Sura Coſſ.* anno Trajani 10. Chriſti 107. ejuſdem epiſcopatus 46. aut 47. *Trajano,* inquit, *adverſus Chriſtianos perſecutionem movente, Simon filius Cleophæ, qui Hieroſolymis epiſcopatum tenebat, crucifigitur, cui ſuccedit Juſtus.* Et *lib. 3. hiſt. cap. 32.* ex Hegeſippo ſcribit *Simeonem centum & viginti*

annos natum, martyrium ſubiiſſe, Trajani Auguſti principatu, Attico conſulari legato Syriam adminiſtrante, &c. Et poſtea ſubdit *Simeonem ſupra dictum accuſatum ab hæreticis* (& ob eam cauſam quod agnatus eſſet Chriſti) *vocatum in jus coram Attico Conſulari, & per dies multos acerbiſſimis tormentis excruciatum, fidem Chriſti conſtantiſſime profeſſum eſſe: adeo ut Conſularis ipſe, & cuncti qui aderant magnopere mirarentur, qua ratione vir centum & viginti annos natus tot ferre tormenta potuiſſet: tandem vero ſententia judicis cruci ſuffixum eſſe.* Pagius *to. 1. crit. annal. Baron.* ad annum Chriſti 107. affert rationes, quibus Guillelmus Loydius epiſcopus Aſaphenſis è ſecta Proteſtantium, & Dodwellus, ſanctos Ignatium & Simeonem volunt paſſos, non anno Chriſti 107. ſed 116. iiſque ipſe aſſentiri videtur. Euſebius loco ultimum citato ſubjungit ex eodem Hegeſippo: *Poſthæc idem ſcriptor res illa ætate geſtas commemorans addit eccleſiam ad hæc uſque tempora inſtar cujuſdam virginis integram atque incorruptam permanſiſſe: adhuc in obſcuro receſſu deliteſcentibus, quicumque rectam prædicationis Evangelicæ regulam depravare niterentur. Sed poſtquam ſacer Apoſtolorum cœtus vario mortis genere extinctus eſt, effluxeratque jam ætas hominum illorum qui divinam ipſam ſapientiam ſuis auribus auſcultare meruerant; tunc demum exorta eſt impii erroris conſpiratio, fraude & malitia falſorum doctorum: qui ut-pote nullo amplius ex Apoſtolis ſuperſtite, poſthæc nudo, quod aiunt, capite adverſus prædicationem veritatis adulterinam doctrinam obtrudere aggreſſi ſunt.* Colitur in Martyrologio Romano ſancti Simeonis memoria die 18. Februar.

III. Justus *ſive* Judas.

Epiphanius hæreſi 66. n. 20. hunc *Juſtum* Judam appellat, ſuffragaturque Georgius Syncellus; teſtantur etiam doctiſſimi Godefr. Henſchenius & Daniël Papebrochius Actor. SS. *to. 3.* Maii, in Tract. prælim. *pag. 4. n. 15. col. 2.* veterem membranam, ante annos circiter 800. ſcriptam, ſibi Harlemio communicatam à clariſſ. viro Evaldo Rulæo J. C. eum vocare *Judam Juſtum* quaſi *Juſtus* cognomen tantum fuiſſet, ut & Jacobi: Ἰούδας ὁ Δίκαιος. Anno præfato Trajani 10. Chriſti 107. *Soſio Senecione 4. & L. Licinio Sura 3. Coſſ.* epiſcopatum Hieroſolymitanum iniit. Ita Euſebius refert in chronico: item *lib. 3. hiſt. eccl. cap. 35. Simeone,* inquit, *ad hunc quem diximus modum vita defuncto, Hieroſolymitani præſulatus ſedem Judæus quidam Juſtus nomine capeſſit, quippe ea tempeſtate innumerabiles ex circumciſione ad Chriſti fidem tranſierant.* Tribus annis hanc eccleſiam ab eo fuiſſe adminiſtra-

A tam tradit idem Euſebius, ſcilicet uſque ad ann. 14. Trajani, Chriſti 111. In his autem potior fides habenda Euſebio videtur in vicinia ſcribenti, annoſque per Conſules digerenti, quam aliis ab eo diſcrepantibus, ſpatiumque indicantibus per litterales numeros, in quibus facile irrepit error. Nam in membrana modo citata, Jacobi regimini 26. anni tribuuntur, totidemque Simeonis, Judæ vero Juſti 17. Apud Georgium autem & Nicephorum, Simeoni ſolum an. 23. aſſignantur epiſcopatus, & Judæ ſeptem. Theodoricus Pauli in chro-

B nico univerſali, apud eoſdem doctiſſimos Bollandi continuatores *ibid. n. 16.* hoc elogium de illo Juſto conficit: *Re & nomine Juſtus, Judæus natione, audiens ſalutiferam prædicationem ſanctiſſimi apoſtoli Jacobi, & S. Simeonis, licet princeps Judæorum, converſus fuit, & baptizatus à S. Simeone. Præfuit autem tertio loco eccleſiæ Hieroſolymitanæ valde egregiè & laudabiliter; ita quod non ſolum Judæos, ſed etiam multos Gentiles ſua prædicatione, & miraculorum coruſcatione converterit & baptizaverit.... Tandem anno Domini 113. feliciter quievit in*

C *Domino.* Et in libro *Bellorum Dei* eum ait *in pace eccleſiæ migraviſſe 5. die Maii.* Ad quem diem ejus etiam meminit Florarium ſanctorum manuſcriptum, addito titulo *Martyris.* Hæc iidem Bollandi continuatores *ibid.* & *p. ſeq. 5. col. 1.* Qui addunt inferius *pag. 10. nn. 37. & 38. col. 2.* Theodoricum quidem Pauli ſcripſiſſe poſt annum 1452. & inſignire ſe ipſum *Vicedominum eccleſiæ collegiatæ SS. Martini & Vincentii in Gorinchen* (vulgo Gorcum) *partium Hollandiæ Trajectenſis diœceſis.* Auctorem vero Florarii ſanc-

D torum fuiſſe canonicum regularem in Brabantia, nuncupatum *Henricum de Eych, Canonicum eccleſiæ beatæ Catharinæ Eyndovienſis,* Præpoſitum *parochiali eccleſiæ de Weeld,* illudque opus ab eo concinnatum eſſe anno 1486. datumque Gerardo abbati monaſterii Averbodienſis Ordinis Præmonſtratenſis in Brabantia, ab ipſo auctore conſanguineo ejus, poſt ann. 1501. quo ille conſtitutus eſt abbas, & ante annum 1532. quo idem abbas obiit.

IV. Zacchæus *vel* Zacharias.

E

V. Tobias.

VI. Benjamin.

VII. Joannes.

VIII. Mathias *vel* Matthæus.

IX. Philippus.

Anno imperii Trajani 14. Chriſti 111. *L. Calpurnio Piſone & Vettio Ruſtico Dolano Coſſ. ordinatus eſt Hieroſolymorum epiſcopus,* ex chronico Euſebii, *poſt Juſtum, quartus Zacchæus* (quem *Zachariam* Epiphanius &

Nicephorus appellant) *poſt quem quintus fuit Tobias, ſextus Benjamin, ſeptimus Joannes.* (Euſebius in chronico horum quatuor regimen terminat ad annum Chriſti 116. quod ſubinde totum ſimul per 5. dumtaxat aut 6. annos duraverit) *octavus Matthias* (Georgio & Nicephoro *Matthæus*) *nonus Philippus*, cujus mortem anno 8. Imperatoris Hadriani, Chriſti 125. ſubnectit, ita ut ab ordinatione Zacchæi uſque ad obitum Philippi, nonniſi quatuordecim anni fluxerint, inter illos ſex epiſcopos dividendi. Theodoricus Pauli horum ſingulis elogia apponit, & diem mortis aſſignat, ſcilicet Zacchæo 27. Aug. Tobiæ 17. Septemb. Benjamin.... Joanni.... Matthiæ 30. Jan. Philippo 4. Aug. ſimiliter Florarium mſ. ex eodem, ut verba ſatis indicant, fonte, diem ſingulorum mortis vel cultus, præterquam Philippi, exhibet, diſcrepat tamen in pleriſque à Theodorico Pauli: Tobiæ enim diem tribuit 17. Decemb. Benjamin 11. Decemb. & Joanni 23. Aug. pro quo in indice notatur 10. Maii. Verum id unde habuerint non liquet, quum neque in Græcorum, neque in Latinorum, Matthia excepto, faſtis ullis occurrant. Solius enim Matthiæ memoria recolitur in Uſuardi Martyrologio, & ex eo in Romano ad diem 30. Januarii his verbis: *Hieroſolymis natalis S. Matthiæ epiſcopi, de quo mira, & plena fide geſta narrantur, qui ſub Hadriano multa pro Chriſto perpeſſus demum in pace quievit.* Ubi hæc Uſuardus de S. Matthia legerit cuperemus detegere. Theodoricus Pauli, qui ſupra memoratus eſt, ait, feſtum ejus celebrari *III. Kal. Febr.* id eſt 30. Jan. ſive *23. die Februar.* quæ quum vigilia ſit S. Mathiæ Apoſtoli, ſuſpicandi anſam præbet doctiſſimo Danieli Papebrochio to. 3. Maii, in Tract. prælim. p. 6. n. 23. *iſta quæ Uſuardus vidit tam mira ſub nomine Matthiæ epiſcopi, ſumta eſſe ex Actis S. Matthiæ Apoſtoli, ſed apocryphis, omiſſa ea parte quæ apoſtolum proprie ſpectabant.* Habemus, ſubdit *ibid.* breviarium vetuſtum, ante annos trecentos, & amplius, manuſcriptum, ex uſu eccleſiæ ſancti Sepulcri in Hieruſalem, quod fuit domus S. Joannis-Baptiſtæ in Harlem Hollandiæ oppido, neſcio utrum an ad Equites, an ad Regulares Hieroſolymis propagatos pertinuerit, ubi ad III. Kal. Febr. notatur *ſanctus Matthias epiſcopus Hieruſalem,* ſicuti & in impreſſis dictorum Equitum ſancti Joannis-Baptiſtæ breviariis.

X. Seneca. XI. Justus II. XII. Levi. XIII. Ephræm. XIV. Joseph. XV. Judas.

Euſebius in chronico, quod S. Hieronymus in ſimili opere Latinum fecit, hæc ſcribit de omnibus illis epiſcopis, apud doctiſſimos Bollandi continuatores *to. 3.* Maii, *in Tract. prælim. pag. 9. n. 33. col. 2. Hadriani Imperatoris anno 8.* (Chriſti 124. vel 125.) *Manio Acilio Glabrione & C. Bellicio Torquato Coſſ. Hieroſolymitanæ eccleſiæ epiſcopus decimus* poſt Philippum conſtituitur *Seneca* (Georgio Syncello *Henecas:* & in membrana mſ. ſupra citata ubi de Juſto tertio Hieroſolymorum epiſcopo, *Senthyas* nuncupatus) *undecimus Juſtus alius: duodecimus Levis,* ſive *Levi: decimus-tertius Ephres* ſive *Ephræm: decimus-quartus Joſes* ſive *Joſeph: decimus-quintus Judas: quorum omnium ex circumciſione exiſtentium numerus ad quindecim pertingit, uſque ad Judæorum defectionem ab Hadriano:* vel ut Hieronymus poſuit, *uſque ad everſionem quam ab Hadriano perpeſſa eſt Hieruſalem.* Rebellaverunt autem Judæi adverſus Romanos anno Hadriani 16. Chriſti 32. qui eos totam Judæam devaſtantes vicit & ſubjecit per Tinnium Rufum, anno imperii ſui 18. (vel 20.) Chriſti 134. (vel 136.) *Ex quo tempore,* inquit Hieron. *etiam introeundi eis Hieroſolyma* (Hieroſolymam) *poteſtas ablata eſt, primum Dei nutu, tum mandato Romanorum, ſuntque in omnes regiones diſperſi.* Anno autem inter duos illos poſtremos medio, ſcilicet Hadriani 17. Chriſti 133. *C. Julio Servilio Urſo Severiano II. & C. Vilio Juventi Vero Coſſ. Cochebas, Dux Judaïcæ rebellionis, chriſtianos nolentes ſecum pugnare contra Romanos variis modis excruciavit;* ſive juxta Hieronymi interpretationem, *omnibus cruciatibus necavit.* Ita apud citatos Bollandi continuatores *ibid.* Circa quindecim autem illos epiſcopos hæc habet Euſebius *lib. 4. cap. 5. hiſt. eccl. Eorum epiſcoporum tempora qui Hieroſolymis præfuerunt, nuſquam reperire potui: omnes quippe brevi admodum tempore ſediſſe perhibentur. Illud tantum ex veterum ſcriptorum monumentis didici, ad illam uſque obſeſſionem, quæ imperante Hadriano contigit, quindecim epiſcopos continua ſucceſſione illi eccleſiæ præfuiſſe, quos omnes origine Hebræos fuiſſe memorant, & fidem Chriſti ſincere atque ex animo ſuſcepiſſe: adeo ut ab illis qui de hujuſmodi rebus judicium ferre poterant, epiſcopali officio digniſſimi cenſerentur. Quippe tunc temporis univerſa Hieroſolymorum eccleſia conflata erat ex Hebræis fidelibus, qui jam inde ab apoſtolorum ætate ad illam uſque obſidionem permanſerant, qua Judæi iterum à Romanis deficientes, maximis præliis domiti atque expugnati ſunt. Proinde quum epiſcopi qui ex circumciſione erant, per id temporis defecerint, omnes à primo uſque ad ultimum ordine ſuo recenſere neceſſarium puto. Primus igitur fuit Jacobus, is qui Domini frater vocabatur: ſecundus Simeon: tertius*

tertius Juſtus: quartus Zacchæus: quintus Tobias: ſextus Benjamin: ſeptimus Joannes: octavus Matthias: nonus Philippus: decimus ſubrogatus eſt Seneca, cui ſucceſſit undecimus Juſtus. Poſt quem Levi duodecimus ordine fuit: Ephres deinde ſequutus eſt: poſthæc Joſeph: omnium poſtremus fuit Judas ordine quintus decimus. Atque hi omnino ſunt Hieroſolymorum epiſcopi, qui jam inde ab Apoſtolis, uſque ad Judam, & ad illa quæ deſignavimus tempora, omnes ex circumciſione fuerunt. Hucuſque Euſebius. Ex his itaque colligendum videtur quindecim illos Hieroſolymorum epiſcopos non exceſſiſſe tempus Hadriani Imperatoris. Si tamen Epiphanio credimus *hær. 66. n. 20.* quem ſupra adduximus *n. 5. col. 104.* Judas epiſcoporum illorum ultimus vixit uſque *ad undecimum Antonini Pii annum,* id eſt Chriſti 148. Quin & ſubdit; *Hi ex circumciſione fuere: ex gentibus vero qui ſequuntur: XVI. Marcus. XVII. Caſſianus. XVIII. Publius. XIX. Maximus. XX. Julianus. Hi omnes ad decimum annum Antonini Pii perveniunt.* Ea autem admiſſa epocha, quam ibidem propoſuimus ut fortaſſis non prorſus improbabilem, poſtremos Hieroſolymorum ex circumciſione epiſcopos ſuam rexiſſe Chriſtianorum Hebræorum eccleſiam conſequeretur, dum interim Ælianam ex gentibus Chriſti fidem amplexis conflatam Marcus & quatuor ejus ſucceſſores adminiſtrarent, proindeque intervallum, quo vixerunt tredecim epiſcopi Hieroſolymorum Simeonis ſucceſſores, fuiſſe, non viginti octo duntaxat annorum, ſed unius ſupra quadra-

A ginta; à decimo videlicet anno Trajani Imperatoris, Chriſti 107. ad annum undecimum Antonini Pii, Chr. 148. Theodoricus Pauli, apud præfatos Bollandi continuatores *to. 3. Maii in tract. prælim. pag. 9. n. 34. col. 2.* his ſex poſtremis Hieroſolymorum præſulibus Judæis, diem mortis ſive cultus cum elogio aſſignat, nimirum *Senecæ* 10. diem Januar. *Juſto II.* 24. Novemb. *Levi 1.* Mart. *Ephræm* 4. April. *Joſeph* 6. Aug. demum *Judæ* 10. April. eaſdem quoque dies recitari in Florario mſ. ſanctorum teſtantur iidem, excepto
B Juda qui omittitur. Hunc porro illum eſſe *Judam* opinantur *ibid. pag. 10. n. 35. col. 1.* quem ipſimet ad diem 4. Maii recenſuerunt, quique ejuſdem menſis Kalendas obtinet in omnibus Hieronymiani martyrologii ecgraphis, aliiſque vetuſtioribus Uſuardo, his verbis: *In Hieroſolymis natalis S. Judæ ſive Quiriaci epiſcopi.* Alibi: *S. Quiriaci qui & Juda.* Et rurſus: *S. Judas qui cognominatus eſt Quiriacus.* Et quia, inquiunt, certo demonſtramus, eum qui ab Uſuardo 4. Maii notatur cum duplici iſto nomine, tanquam Dominicæ crucis index
C ſub Conſtantino, & martyr ſub Juliano, nullum fuiſſe in rerum natura, ſed cum tota ſuæ Paſſionis hiſtoria purum putum eſſe figmentum; ideo exiſtimavimus veroſimillimum eſſe, eum quem 1. Maii Hieronymus martyrologio ſuo adſcripſit (id eſt qui legitur in martyrologio quod ſub nomine Hieronymi circumfertur) eſſe hunc ex circumciſione ultimum, quem & martyrem obiiſſe (creditu difficile non eſt.)

EPISCOPI ÆLIÆ DICTI QUOQUE HIEROSOLYMITANI.

XVI. MARCUS.

Euſebius in chronico de *Marco* iſto ſic loquitur apud præfatos Bollandi continuatores, *ibid. pag. 11. num. 41. col. 2. Hadriani Imperatoris anno 19.* (potius 18.) Chr. 135. *Pompeiano Luperco & L. Junio Attico* (Rufo Attiliano) *Coſſ. Hieroſolymæ primus ex gentibus conſtituitur Marcus, ceſſantibus poſt, qui ex circumciſione fuerant:* ejus ordinationem peractam ante Hadriani obitum, qui contigit anno ejus 21. Chriſti 138. aſſerit Tillem. *to. 2. hiſt. Imper. p. 313.* ſedit autem uſque ad conſulatum *Silvani & Augurini;* id eſt uſque ad annum Antonini Pii 19. Chriſti 156. Idem Euſebius *lib. 4. hiſt. eccl. cap. 6.* hæc de circonſtantia temporis notat quo in epiſcopum, pro fidelibus ex gentilitate converſis, promotus eſt Marcus. *Anno demum decimo-octavo imperii Hadriani, quum totius belli vis circa Betthera urbem munitiſſimam, nec procul Hieroſolymis diſſitam exarſiſſet, & protracta diu-*

D *tius à Romanis obſidione, rebelles fame ac ſiti oppreſſi eſſent, ipſeque adeo ſeditionis auctor* (Barchochebas) *debitas pœnas dediſſet: ex eo deinceps tempore univerſa Judæorum gens in regionem circum Hieroſolyma ſitam pedem inferre prohibita eſt, lege & conſtitutione Imperatoris Hadriani: adeo ut ne proſpicere quidem è longinquo patrium ſolum ipſis liceret, ut ſcribit Ariſto Pellæus. In hunc igitur modum quum civitas Judæorum gente nudata eſſet, & veteribus incolis penitus vacuefacta, poſthæc alienigenis eo confluentibus, urbs & colonia civium*
E *Romanorum effecta, in honorem Ælii Hadriani Imperatoris Ælia nuncupata eſt. Et quum eccleſia ejuſdem loci ex gentibus coaluiſſet, primus poſt epiſcopos ex circumciſione ſacerdotium illius civitatis ſuſcepit Marcus.* Ita, inquam, Euſebius, qui addit *lib. ſeq. c. 12.* ipſi ſucceſſiſſe Caſſianum. Memoria ejus colitur cum eo elogio in Martyr. Roman. die 22. Octobris: *Hieroſolymis beati Marci epiſcopi clariſſimi & doctiſſimi viri, qui primus ex gentibus Hieroſo-*

Digitized by Google

lymorum eccleſiam ſuſcepit regendam, ac non multo poſt ſub Antonino Imperatore martyrii meruit palmam.

XVII. Cassianus.
XVIII. Publius.
XIX. Maximus.
XX. Julianus.
XXI. Caius *ſeu* Gaius.
XXII. Symmachus.
XXIII. Caius *ſeu* Gaius *alter.*
XXIV. Julianus *alter.*
XXV. Capito.

Hos novem Æliæ epiſcopos recenſet Euſebius in chronico, *M. Seionio Silvano & C. Serio Augurino Coſſ.* id eſt, ad annum 19. Antonini Pii, Chriſti 156. Idem *lib. 5. hiſt. eccl. cap. 12.* de iis rurſus ſic ſcribit: *Ex quo quidem tempore* (ſub Hadriano Imper.) *eccleſiam illius loci* (Æliæ) *primum ex gentibus coaluiſſe poſt eos qui ex circumciſione fuerunt, primumque ex gentibus Marcum illis præfuiſſe retulimus* (lib. 4. cap. 6.) *Poſt quem epiſcopatu functum eſſe Caſſianum, deinde Publium, poſtea Maximum, ac deinceps Julianum, epiſcoporum ſeries quæ in archivis illius eccleſiæ ſervantur oſtendunt. Juliano ſucceſſit Caius* (ſive Gaius) *Caio Symmachus: Symmacho vero alter Caius. Poſt quem rurſus alter Julianus, quem excepit Capito.* Uſque ad Conſulatum ſcilicet *Materni & Braduæ* qui magiſtratum inierunt anno Chriſti 185. Baronio 187. ita ut novem illi annos duntaxat regiminis triginta aut 32. inter ſe ſimul partiantur. Epiphanius *hær. 66. n. 20.* nominatis Gaiano ſeu Caio Symmacho & Gaio, addit *uſque ad tempora Veri, anno ejus octavo,* qui annus Marci Aurelii Veri octavus cadit in annum Chriſti 168. quo perinde Julianus II. ſucceſſerit Gaio: ipſe autem cum Capitone ſexdecim aut decem & octo annos qui ſuperſunt uſque ad annum Chriſti 185. vel 187. occupaverint.

XXVI. Maximus II.
XXVII. Antoninus.
XXVIII. Valens.
XXIX. Dolichianus.
XXX. Narcissus.
XXXI. Dius.
XXXII. Germanion.
XXXIII. Gordius.
Iterum Narcissus.

Anno Commodi Imperatoris ſexto, Chriſti 185. juxta Euſebium in chronico, *Triario Materno & M. Atilio Bradua Coſſ. Hieroſolymorum epiſcopus vigeſimus-ſextus conſtituitur Maximus,* cui cæteri prænominati octo ex ordine ſucceſſerunt per annos circiter octoginta: *& tantis,* inquit Hieronymus in
A chronico quod ex Euſebio deſumſit, apud Hieroſolymam *conſtitutis epiſcopis, non potuimus diſcernere tempora ſingulorum, eo quod in præſentem diem epiſcopatus eorum anni minime ſervarentur.* Epiphanius tamen obitum Juliani I. aſſignat ad annum decimum Antonini Pii, Chriſti 148. ut ſupra obſervatum eſt col. 104. n. 5. *Hi omnes,* inquit de illo Juliano & quatuor ejus prædeceſſoribus hær. 66. n. 20. *Hi omnes ad decimum annum Antonini Pii perveniunt.* Caii ſimiliter finem regiminis adſcribit *ad annum octavum Veri;* Chriſti 168.
B Maximi II. *ad annum decimum-ſextum Veri,* Chriſti 176. Dolichiani *ad Commodum uſque,* Chriſti 180. Dii *uſque ad Severum,* Chriſti 193. Gordii *uſque ad Antoninum* Caracallam, videlicet Chriſti 211. Narciſſi.... *iterum uſque ad Alexandrum Mammææ filium,* qui regnare cœpit anno Chriſti 222. At de his varii varia referunt. Euſebius enim ſecundum Narciſſi epiſcopatum terminat in anno ſecundo Antonini Caracallæ, Chriſti 212. Rulæi catalogus, omiſſo ſecundo Narciſſi epiſcopatu, Gordio ſubjungit immediate Alexandrum.
C Georgius Syncellus priorem Narciſſi epiſcopatum præponit Dolichiano, & pro Gordio nominat *Sardianum.* Rulæi manuſcriptum tacet de reditu Narciſſi, & ſic in recenſendis deinceps epiſcopis uno numero deſtituitur; quum è contra Georgius Syncellus & Nicephorus, propter *Eliam* quem loco 25. inſeruerunt, uno numero abundent. Hæc de catalogorum iſtorum ordine eruditiſſimi actorum ſanctorum elucidatores *to. 3.* Maii *in tract. prælim. p. 13. n. 49. col. 1.* In Martyr. Rom. recolitur die 5. Maii memoria *ſancti Maximi confeſſoris.*
D Dubitant iidem *n. 50.* an de Maximo II. Hieroſolymorum epiſcopo hîc agatur. At Narciſſus à Græcis commemoratur die 7. Auguſti, à Latinis autem, poſt Uſuardum & Adonem, die 29. Octobris. Et vero dignus erat, ſubdunt iidem *n. 59. col. 2.* licet dies ejus natalis ignoraretur, cujus memoriam quotannis faceret eccleſia. Certe Euſebius de Narciſſo præclara refert: nam *lib. 5. hiſt. eccleſ. cap. 12.* ait: *Eadem tempeſtate Narciſſus Hieroſolymorum epiſcopus floruit, vir multorum ſermonibus noſtra quoque ætate celebratus. Hic*
E *quintum decimum ſucceſſionis locum obtinuit poſt obſeſſionem illam Judæorum, quæ Hadriano regnante facta eſt. Ex quo quidem tempore eccleſiam illius loci primum ex gentibus coaluiſſe, poſt eos qui ex circumciſione fuerunt, primumque ex gentibus Marcum illis præfuiſſe retulimus* (lib. 4. c. 6.) *Poſt quem epiſcopatu functum eſſe Caſſianum, &c. Ac deinde Valens & Dolichianus: poſtremo Narciſſus, qui continuo ſucceſſionis ordine triceſimus ab apoſtolis fuit.* Et rurſus de eodem Narciſſo lib. 6. cap. 9. *Mali*

Digitized by Google

quidam homunciones, qui rigorem & conſtantiam vitæ illius ferre non poterant, veriti ne tandem deprehenſi pœnas darent, utpote ſexcentorum ſibi ſcelerum conſcii, prævenire eum decreverunt; ſtructiſque inſidiis graviſſimam ei calumniam aſperſerunt. Atque ut audientibus perſuaderent, ſacramenti religione accuſationem firmabant. Unus inter jurandum imprecabatur ſibi ut incendio periret, ſi ſciens falleret. Alter ut ſævo ac peſtilenti morbo corpus abſumeretur. Tertius ut luminibus orbaretur. Sed quantumvis jurantibus nemo ex fidelium numero fidem adhibebat; quippe quum Narciſſi continentia & ſanctitas vitæ omnibus virtutum numeris abſolutæ, cunctis ſemper ſpectata compertaque eſſet. At ille, quum dictorum infamiam ſuſtinere non poſſet, & alioqui philoſophicæ vitæ jam dudum amore teneretur, relicta eccleſiæ plebe, in ſolitudine, ac deviis agris plurimos annos delituit. Verum magnus ille juſtitiæ oculus, his peractis minime quieſcendum putavit. Sed confeſtim impios illos iis ipſis ultus eſt diris, quibus in ſemetipſos pejerantes, ſeſe devoverant. Primus igitur, quum modica quædam ſcintilla in domo in qua manebat, citra ullam cauſam ſubito exiliiſſet, noctu incenſis ædibus cum univerſa familia conflagravit. Alteri corpus ab imis pedibus ad ſummum uſque capitis verticem, eo morbi genere quo ſe ipſe mulctaverat, correptum eſt. Tertius priorum caſum contuitus.... concinnatæ ab ipſis ex compacto calumniæ ordinem eſt confeſſus.... & in tantum lacrymas effundere perſeveravit, ut ex eo oculorum lumen amitteret. Et cap. 10. *Cæterum, poſt Narciſſi fugam, ignaris omnibus ubinam gentium ageret, viſum eſt finitimarum eccleſiarum epiſcopis alium ejus loco epiſcopum ordinare Dium nomine. Qui quum modico tempore præfuiſſet, ſucceſſor ei datus eſt Germanio: quem deinde Gordius excepit. Hujus temporibus Narciſſus quum ſubito quaſi redivivus emerſiſſet, à fratribus ut eccleſiæ adminiſtrationem denuo ſuſciperet, rogatus eſt. Quippe univerſi multo magis tunc eum mirabantur: tum ob ſeceſſum, tum ob philoſophicam vivendi rationem, maxime vero ob præſentem vindictam qua Deus calumniatores illius afficere dignatus fuerat.* Adfuit Narciſſus ſynodo quam Theophilus Cæſarienſis metropolita anno Chriſti 198. congregavit pro celebratione Paſchatis, de qua ſynodo hæc habet idem Euſeb. lib. 5. hiſt. cap. 23. *Omnes per Aſiam* (Minorem) *eccleſiæ vetuſta quadam traditione nixæ, quarta decima luna ſalutaris Paſchæ feſtum diem celebrandum eſſe cenſebant, quo die præſcriptum erat Judæis ut agnum immolarent: eaque omnino luna in quemcunque demum diem ſeptimanæ incidiſſet, finem jejuniis imponendum eſſe ſtatuebant: quum tamen reliquæ totius orbis eccleſiæ alio more uterentur.... ut ſcilicet non alio quam*

A *reſurrectionis Dominicæ die jejunia ſolvi liceat. Synodi ob id, cœtuſque epiſcoporum convenere: atque omnes uno conſenſu eccleſiaſticam regulam univerſis fidelibus per epiſtolas tradiderunt, ne videlicet ullo alio quam Dominico die myſterium reſurrectionis Domini unquam celebretur, utque eo duntaxat die Paſchalium jejuniorum terminum obſervemus. Extat etiamnum epiſtola ſacerdotum, qui tunc* (id eſt, anno Chriſti 198.) *in Palæſtina congregati ſunt; quibus præſidebant Theophilus Cæſareæ Palæſtinæ, & Narciſſus Hieroſolymorum epiſcopus.* Valde quidem B probabile eſt Hieroſolymis Judaïcum Paſchatis luna decima-quarta primi menſis, quacunque die illud obtingeret, cum cæteris Judæis celebrandi perſeveraſſe morem ſub quindecim primis Hieroſolymorum epiſcopis, quorum eccleſia Judæis ad Chriſtum converſis legemque Moſaïcam cum evangelio magna ex parte ſervantibus, potiſſimum conſtabat: verum mos ille mutatus fuiſſe videtur, quando ſubeuntibus in eorum locum aliis epiſcopis ex gentilibus aſſumptis legiſque Moſaïcæ obſervationi non aſſuetis, eccleſia C Æliæ cui præerant ſolis ritibus Chriſtianorum regebatur; quinimo hæc multum ſibi caveret, ne, ſi cum Judaïca confunderetur ſynagoga ab ethnicis, ipſa quoque hujus urbis prohiberetur ingreſſu. Obiit Narciſſus ſexdecim ſupra centum annos natus, cui onera præſulatus ſuſtinere non valenti opitulabatur Alexander, poſtea ejus ſucceſſor.

XXXIV. ALEXANDER *Martyr.*

Antonini Caracallæ anno 2. (Chriſti 212.) *M. Pompeio Aſpro & Publio Aſpro Coſſ.* Hie-
D roſolymorum epiſcopus conſtitutus eſt *Alexander* Narciſſo adhuc viventi adjunctus, ut modo dictum eſt. Hæc de eo ſcribit Euſeb. lib. 6. hiſt. eccl. cap. 8. *Interea quum Severus decem & octo annis imperium tenuiſſet, Antoninus* (Caracalla) *filius* (ejus) *in ejus locum ſucceſſit. Qua tempeſtate Alexander unus ex eorum numero qui in perſecutione fortiter certaverant, & qui poſt glorioſa confeſſionis certamina divina providentia fuerant reſervati, quem nos Hieroſolymorum epiſcopum fuiſſe paulo ante retulimus* (in eodem capite, ubi à Cæſarienſi
E & Hieroſolymitano epiſcopis, quos non nominavit, Origenem ad ſacerdotium narravit fuiſſe evectum) *ob inſignem Chriſtianæ fidei confeſſionem ad ſupra dictum epiſcopatum promotus eſt, Narciſſo qui prius ibi fuerat epiſcopus, adhuc ſuperſtite.* Et c. 11. *Verum quum propter extremam ſenectutem miniſterium ſuum obire* (Narciſſus) *amplius non poſſet, ſupra dictum Alexandrum alterius eccleſiæ epiſcopum divina diſpenſatio per revelationem quandam quæ illi in ſomnis apparuerat, ad participandum cum*

Digitized by Google

Narciſſo ſacerdotis officium evocavit. Hac igitur viſione tanquam divino admonitus oraculo Alexander, quum ex Cappadocia, in qua primum epiſcopus fuerat ordinatus, Hieroſolymam profectus fuiſſet, tum orandi, tum locorum viſendorum gratia: fratres illius eccleſiæ humaniſſime eum excipientes, reverti poſthac in patriam non ſiverunt, &c. Sane idem Alexander in ſuis ad Antinoitas epiſtolis quæ etiamnum extant, epiſcopatus quem cum Narciſſo collega geſſit, meminit his verbis quæ ad calcem epiſtolæ leguntur. Salutat vos Narciſſus, qui ante me epiſcopalem hujus eccleſiæ ſedem tenuit, & qui nunc mihi conjunctus eſt in orationibus, annos natus ſexdecim ſupra centum: hortaturque vos mecum ut idem omnes ſentiatis. Et cap. 20. *Eadem tempeſtate multi eccleſiaſtici viri doctrina excellentes florebant; quorum epiſtolas quas ad ſe viciſſim ſcripſerunt, hactenus aſſervatas facile eſt reperire: extant enim noſtra quoque ætate in Bibliotheca Æliæ urbis ab Alexandro eccleſiæ illius epiſcopo conſtructa, ex qua nos uberrimam materiam ad argumenti hujus quod præ manibus habemus tractationem in unum collegimus.* Et cap. 39. *In Palæſtina autem Alexander Hieroſolymorum epiſcopus, rurſus propter Chriſtum ad præſidis tribunal adductus, quum ex ſecunda hac confeſſione* (ſub Decio) *magnam gloriam retuliſſet, Cæſareæ in carcerem conjectus eſt, vir decora ſenectute & veneranda canitie conſpicuus. Qui quum poſt præclaram atque illuſtrem chriſtianæ fidei confeſſionem in præſidiali judicio editam tandem in cuſtodia animam exhalaſſet, Mazabanes in ejus locum epiſcopus Hieroſolymorum renuntiatus eſt.* Demum *cap. 46.* hæc verba recitat cujuſdam epiſtolæ Dionyſii Alexandrini ad Cornelium Papam, de Martyrio Alexandri: *Quod enim ad Alexandrum ſpectat, is in carcerem conjectus beato exitu defunctus eſt.* Hieronymus quoque in chronico, ad annum 1. Decii, Chriſti 149. vel 150. ait; *Alexandro Hieroſolymorum epiſcopo apud Cæſaream Palæſtinæ ob martyrium interfecto, & Antiochiæ Babyla, Mazabanes & Fabius epiſcopi ordinantur.* Hieroſolymitanam eccleſiam adminiſtravit Alexander annis circiter 38. Eum colunt, Græci quidem die 16. Maii & die 22. Decemb. Latini vero die 18. Mart. cum eo elogio in Martyrologio Romano: *Cæſareæ in Palæſtina natalis beati Alexandri epiſcopi, qui de Cappadocia, ex propria civitate ubi erat epiſcopus, ſanctorum locorum deſiderio Hieroſolymam veniens, quum Narciſſus ejuſdem urbis epiſcopus jam ſenex eccleſiam regeret, divina revelatione ejus gubernacula ſuſcepit: poſtmodum vero in perſecutione Decii, quum jam longævæ ætatis veneranda canitie præfulgeret, ductus Cæſaream, & clauſus in carcere, ob confeſſionem Chriſti martyrium complevit.*

XXXV. MAZABANES.

Jam diximus ex Euſebio, *lib. 6. hiſt. eccl. cap. 39.* & ex Hieronymo in chronico, poſt Alexandrum, *Mazabanem* ad ſedem Hieroſolymitanam fuiſſe promotum. Id aiunt doctiſſimi actorum ſanctorum elucidatores *to. 1.* Maii, *in tract. prælim. pag. 14. num. 61. col. 1.* contigiſſe *Decio* Imperatore *& Annio Grato Coſſ.* Chriſti anno 250. Epiphanius *hær. 66. n. 20.* eum ſediſſe indicat uſque ad Gallum & Voluſianum, qui Decio ſucceſſerunt anno Chriſti 251. Euſebius tamen *lib. 7. hiſt. eccl. cap. 5.* tranſumptum refert ex epiſtola Dionyſii Alexandrini ad Stephanum Papam anno 255. electum, in quo *Mazabanem Æliæ poſt mortem Alexandri* epiſcopum, cum aliis quibuſdam epiſcopis tunc viventibus memorat. Hieronymus quoque in chronico, quod ex Euſebii ſimili opere concinnavit, regimen ejus prorogat uſque ad annum 13. Gallieni, Chriſti 266. ita ut curam Hieroſolymitanæ eccleſiæ per ſexdecim annos, aut etiam amplius, geſſerit.

XXXVI. HYMENÆUS.

Anno 13. Gallieni, Chriſti 266. ipſo *Gallieno VII. & Sabinillo Coſſ. Hieroſolymorum epiſcopatum tenet Hymenæus,* ex Hieronymo in chronico (nam hic, ut in prioribus, inquiunt eruditi actorum ſanctorum elucidatores *to. 3.* Maii, *in tract. prælim. p. 14.* Euſebiani chronici textus græcus nos deſtituit.) Hunc *ad ſua uſque tempora claruiſſe* ſcribit Euſebius *lib. 7. hiſt. eccl. c. 14. Hieroſolymis,* inquit, *poſt Mazabanis obitum epiſcopalem ſedem obtinuit Hymenæus, qui noſtra etiam ætate plurimis laudum titulis inclaruit.* Epiphanius *hær. 66. num. 20.* tempus Hymenæi definit *ad Aurelianum,* qui renuntiatus eſt Imperator an. Chriſti 271. in eoque definit illius epiſcoporum Hieroſolymorum catalogus, perductus uſque ad Aurelianum & Probum Imperatores, id eſt ad annum 276. Subdit tamen quatuor aut quinque poſtea lineis: *A quo tempore ad hodiernam diem hi epiſcopi numerantur, Bazas, Hermon, Macarius, Maximus, Cyrillus, Herennius, Cyrillus alter, Hilarionus qui nunc eccleſiæ præſidet, qui cum Arianis habuiſſe communionem accuſatus eſt.* Hæc ſcribebat Epiphanius circa annum Chriſti 377. De iſtis poſterioribus epiſcopis Hieroſolymitanis infra dicemus ſuo loco. Porro Hymenæus, de quo nunc facimus mentionem, duplici interfuit ſynodo Antiochenæ adverſus Paulum Samoſatenſem, quarum prior habita eſt anno Chriſti 265. & poſterior anno circiter 272. Ex Euſeb. *lib. 7. hiſt. capp. 28. & 30.* Poſt Helenum autem Tarſi epiſcopum

nominatur in fronte epiſtolæ ſynodicæ ad A Dionyſium Romanum, Maximum Alexandrinum, & cæteros orbis epiſcopos, de Pauli Samoſateni erroribus & depoſitione, quam legere eſt, *ibid. c. 30.* Sediſſe videtur circiter triginta duos annos, ſcilicet ab anno Chriſti 266. uſque ad 14. Diocletiani, Chr. 298. cui ejus ſucceſſorem aſſignat Hieron. in chron. Zabdam, quem Epiphanius *Bazam* nominat.

XXXVII. Zabdas.

Anno Diocletiani 14. Chriſti 298. *eccleſiæ Hieroſolymorum trigeſimus-ſeptimus epiſcopus* B *ordinatur Zabdas,* inquit Hieronymus in chronico, qui recte eum dicit trigeſimum-ſeptimum: ut enim obſervant doctiſſimi actorum ſanctorum elucidatores *to. 3.* Maii, *in tract. prælim. pag. 14. num. 63. col. 2.* non, propter reſumptam à Narciſſo ſedem ſuam Hieroſolymitanam, multiplicandus eſt numerus epiſcoporum, adeo ut idem Narciſſus nominetur *trigeſimus,* & *trigeſimus-quartus;* quod occaſionem Nicephoro præbuit *duos Narciſſos* Hieroſolymorum epiſcopos paucis annis ab invicem diſtantes ſæculo tertio obtrudendi, C Νάρκισσος ὁ δεύτερος *Narciſſus ſecundus,* quum ſcribere debuiſſet τὸ δεύτερον *ſecundo,* vel *ſecunda vice.* Idem Nicephorus Zabdæ tribuit annos decem adminiſtrationis, cujus tamen ſucceſſor reponitur ab Hieronymo in eodem chronico ad annum præfati Diocletiani 18. Chriſti 302. unde quatuor duntaxat annos ſediſſe perhibendus Zabdas. Euſebius *lib. 7. hiſt. cap. 32.* ait, *Hieroſolymis, poſt obitum Hymenæi, Zabdam* (ſive Zambdam) *adminiſtrationem illius eccleſiæ ſuſcepiſſe, quo non multo poſt defuncto, Hermon, &c.* Zambdæ colitur D memoria in Martyrol. Rom. die 19. Februar. *Hieroſolymis ſancti Zambdæ epiſcopi.* Theodoricus Pauli, & Auctor Florarii ſanctorum, in ejus elogio ad diem 6. Maii, aſſerunt ab illo ad fidem Chriſti adductum S. Mauritium legionis Thebæorum ducem. Verum ea laus prædeceſſori ejus Hymenæo videtur adſcribenda. Quum enim Thebæos ex Aſia in Europam accerſitos à Maximiano Diocletiani collega ad conficiendum bellum Bagaudicum conſtet, de quibus triumphum egit Maximianus anno 286. die 1. Aprilis, martyrium anno E præcedenti 285. ſubiiſſe neceſſe eſt S. Mauritium, qui proinde religionem Chriſtianam longe antea amplexus fuerat, quam Zabdas anno Chriſti 298. ut dictum eſt, thronum Hieroſolymitanum conſcenderet. Eucherius epiſcopus Lugdunenſis, non nominat, in actis Martyrii S. Mauritii, epiſcopum Hieroſolymitanum, à quo *Chriſtianæ religionis ritum* Mauritius ejuſque ſocii *exceperint:* & veroſimile eſt, inquiunt elucidatores citati *ibidem,* *n. 64.* nec nominatum in iiſdem actis fuiſſe *Romanæ urbis Pontificem, apud quem confirmaverunt eamdem Chriſtianitatis fidem quam acceperant:* ſed poſtquam neſcio quis *Marcellini Papæ* nomen iſthic inſeruit, conſequens viſum eſt duobus illis ſcriptoribus, ut Hieroſolymitanus epiſcopus fuerit Zabdas, qui reipſa tempore Marcellini Papæ, juxta Euſebianum Hieronymi chronicon, ſedebat.

XXXVIII. Hermon.

Euſebius *lib. 7. hiſt. eccl. c. 32.* hæc habet de eo Hieroſolymorum epiſcopo: *Zabda non multo poſt defuncto, Hermon poſtremus eorum qui ante illam noſtri temporis perſecutionem fuerunt, apoſtolicam cathedram, quæ illic etiamnum ſervatur, obtinuit.* Cathedram intelligit ſancti Jacobi apoſtoli quam Hieroſolymis ſua adhuc ætate ſervatam dixerat *ibid. c. 19.* Hieronymus in chronico Euſebiano ait: *anno Diocletiani 18.* Chriſti 302. *eccleſiæ Hieroſolymitanæ trigeſimus-octavus præfuit Hermon.* Nicephorus, Theophanes, & Eutychius, ejus epiſcopatui novem annos aſſignant, teſte Tillemont. *hiſt. eccl. to. 7. pag. 646. col. 2.* qui ſic mortuum aſſerit anno 311. quamvis chronicon Euſebianum hic valde perturbatum ſucceſſorem ejus promotum memoret anno Conſtantini magni octavo, Chriſti 313. Colitur in Menæis Græcor. die 7. Martii, ubi etiam legitur plures ab eo miſſos epiſcopos in varias gentes, & in Tauroſcythicam regionem fuiſſe, qui Chriſtum ibi annuntiarent.

XXXIX. Macarius. *Quiriacus.*

Voluſiano & Anniano Coſſ. Conſtantini magni anno 8. Chriſti 313. *Hieroſolymorum epiſcopus trigeſimus-nonus conſtituitur Macarius,* apud Euſebium in chronico editionis Scaligerianæ quod deſinit cum Vicennalibus ejuſdem Imperatoris Nicomediæ celebratis anno Chriſti 325. aut 326. Ad hunc Alexander Alexandrinus Patriarcha de Ario, quem ſecundo proſcripſerat, epiſtolam anno 320. dedit: Arius ipſe in epiſtola ad Euſebium Nicomedienſem, eumdem inter ſuos adverſarios nominat: hanc refert Theodoretus, *lib. 1. hiſt. eccl. cap. 5.* In concilio generali Nicæno anno 325. ſedit ex eodem, *c. 15.* & ex Sozom. *lib. 1. hiſt. cap. 17.* Dum eccleſiam Hieroſolymitanam adminiſtrabat, in Palæſtinam venit Helena Conſtantini mater, cujus diligentia anno 326. aut 327. inventa ſunt ſacra Paſſionis Domini inſtrumenta; nec parum ad id contulit ipſe pius antiſtes, cui etiam Conſtantinus litteras ſcripſit, tum de eccleſia quam Hieroſolymis ad Domini ſepulcrum, tum de alia quam ad Ilicem Mambre conſtruere meditabatur, apud Euſebium in vita

Digitized by Google

Conſtantini *lib.3. capp.29.30. & 52.* Hanc A ſecundam epiſtolam ſcriptam fuiſſe anno 330. aut 331. colligi ait Tillemont. ex ſerie textus Euſebiani modo citati, proindeque Macarium uſque ad illud tempus vixiſſe oportere. Certe de ejus morte loquitur Sozomenus inter ſancti Euſtathii depoſitionem an. 331. ab Arianis in concilio Antiocheno factam, & concilium Tyri anno 335. habitum, cui Maximus ejus ſucceſſor interfuit. Quod tamen vix conciliari poſſe videtur cum 20. annis plenis, à Nicephoro, Theophane, & Daniële Papebrochio; aut etiam 19. ab Eu- B tychio, Maximi ejus ſucceſſoris mortui anno 349. aut 350. epiſcopatui aſſignatis. Nonnullas Macarii elucubrationes laudat Athanaſius diſput. 1. adverſus Arianos. Geſta ejus legere eſt apud Daniël. Papebroch. ad diem 10. Martii, ſub qua eſt Romano Martyrologio inſcriptus his verbis: *Hieroſolymis S. Macarii epiſcopi & confeſſoris, cujus hortatu loca ſancta à Conſtantino expurgata, & ſacris baſilicis illuſtrata ſunt.* Mirum quod Græci in ſuis Menæis tanti viri memoriam prætermiſerint.

Inter Macarium & Maximum II. quidam C ſcriptores, à duodecimo ſæculo, reponunt *ſanctum Quiriacum* ſive *Cyriacum*, cujus occaſione hæc habent jam ſæpius citati doctiſſimi actorum ſanctorum editores Bollandi continuatores *tract. prælim. ad to.3.* Maii, *pag. 18. n. 80. col. 1.* Ad ordinem ſucceſſionis quod attinet, neque Hieronymus, neque Nicephorus, neque alius quiſquam dubitat quin *Macario* immediate ſucceſſerit *Maximus:* Latini tamen recentiores, poſt receptam ſub duce Godefrido Hieruſalem, volentes texere Patriarcharum ſeriem, inter utrumque poſuere D *S. Quiriacum* ſive *Cyriacum*, utique nihil dubitantes de fide adhibenda ejus legendæ, antiquiſſimæ ſimul & fabuloſiſſimæ, nec niſi in noſtro Occidente notæ. Hic licet Macario mortuo, propter meritum revelatæ crucis, dicatur epiſcopus conſecratus ab Euſebio Pontifice Romano (Emiſſenus ſi nominaretur, nominaretur ſaltem aliquis tunc temporis vivens, quum Romanus diu ante obierit) licet, inquam, ab Euſebio Romano conſecratus dicatur in ſua illa legenda Quiriacus; quia tamen idem fingitur martyr obiiſſe ſub E Juliano Apoſtata, maluit Theodoricus (Pauli) poſt *Maximum* atque *Cyrillum....* collocare *Cyriacum*, de eoque concludendo ſcribere, quod *obiit anno Domini 366. quarta die Maii*, non advertens ſe procurrere ultra Imperium Juliani ad triennium, quum Julianus extinctus fuerit anno 363. Hucuſque illi editores, qui etiam ſuperius, *pag. 10. num. 35. col. 1.* monent *S. Quiriacum* die 4. Maii honoratum in aliquibus eccleſiis, eum eſſe ſibi videri qui ejuſdem menſis Kalendas obtinet in omnibus Hieronymiani martyrologii ecgraphis aliiſque Uſuardino vetuſtioribus, his verbis; *In Hieroſolymis natalis S. Judæ ſive Quiriaci epiſcopi.* Alibi: *S. Quiriaci, qui & Juda.* Et, *S. Judas, qui cognominatus eſt Quiriacus:* nec alium eſſe à *S. Juda* qui poſtremus fuit epiſcoporum Hieroſolymorum ex circumciſione, ſive decimus-quintus, de quo nos ſupra egimus *col. 146.* ſeque demonſtraſſe aiunt ad diem 4. Maii, S. Quiriacum qui ab Uſuardo notatur illa die cum duplici iſto nomine tanquam Dominicæ crucis inventor ſub Conſtantino, & martyr ſub Juliano Apoſtata, nullum fuiſſe in rerum natura, ſed cum tota ſuæ paſſionis hiſtoria purum putum eſſe figmentum.

XL. Maximus II.

Quadrageſimus Maximus poſt Macarium Hieroſolymorum epiſcopus, qui *moritur anno XI. Conſtantii;* verba ſunt Hieronymi in chronico. Quomodo ejus electio facta fuerit ſic narrat Sozomenus lib. 2. hiſt. cap. 20. *Eccleſiam Hieroſolymitanam poſt Macarium Maximus ſuſcepit. Hunc Dioſpolitanum epiſcopum à Macario conſtitutum fuiſſe memorant, ſed cives Hieroſolymorum eum apud ſe detinuiſſe: nam quum confeſſione clarus, & omni ex parte egregius eſſet, plebis judicio tacite deſignabatur, ut poſt obitum Macarii epiſcopatum illic capeſſeret. Proinde quum plebs moleſte ferret eripi ſibi hominem cujus virtutem experta eſſet, & ſeditio intentaretur; commodius viſum eſt ut Dioſpolitanis quidem alius eligeretur epiſcopus, Maximus vero maneret Hieroſolymis, & una cum Macario epiſcopali munere fungeretur, & poſt ejus obitum eccleſiam gubernaret. Cæterum qui res iſtas accurate examinarunt, affirmant ex ſententia Macarii hæc acta eſſe, & à plebe ſummo ſtudio poſtulata. Aiunt enim pœnituiſſe Macarium quod Maximum Dioſpoleos epiſcopum ordinaſſet: quippe qui ordinatione celebrata cogitare cœpit, illum qui & recte de Deo ſentiret, & ob confeſſionem populo acceptus eſſet, neceſſario ſervandum fuiſſe ut ipſi ſuccederet. Etenim verebatur ne, ſe mortuo, Euſebius & Patrophilus, Ariani dogmatis fautores, occaſionem nacti, aliquem ejuſdem dogmatis labe infectum in Hieroſolymitana ſede collocarent; ſiquidem Macario adhuc ſuperſtite res novas moliti fuerant, ſed quum ab illo communione privati eſſent, conquieſcebant.* Confeſſionem Maximi enarrat paulo fuſius idem Auctor infra *cap. 25.* agens de conciliabulo Tyri in quo S. Athanaſius anno 335. damnatus eſt: ait enim communiter dici quod *Paphnutius confeſſor, qui concilio interfuit, apprehenſa manu Maximi Hieroſolymorum epiſcopi, juſſit ut*

Digitized by Google

ſurgeret; quaſi non deceret ipſos qui confeſſores eſſent, & qui pietatis cauſa oculos effoſſos & poplites ſucciſos haberent, malorum hominum concilio ſociari. De eodem hæc habet Theodoretus lib. 2. hiſt. eccl. cap. 26. *Hieroſolymorum ſacerdotium poſt Macarium.... Maximus ſuſcepit: vir qui pro pietatis defenſione in perſecutionum certaminibus inclaruerat. Nam & oculo dextro orbatus, & dextro poplite debilitatus fuerat.* Fraude nihilominus & artibus Arianorum illaqueatus Maximus Athanaſii cum illis damnationi ſubſcripſit, ſive in eo conciliabulo Tyri, ſive in alio ſimili Hieroſolymis eodem anno 335. ab Arianis celebrato, ut ex Socrate diſcimus, qui *lib. 2. hiſt. cap. 8.* cauſam cur Maximus poſtea Antiochenæ ſynodo adeſſe noluerit hanc reddit, quod *animo reputabat deceptum ſe prius fuiſſe & per fraudem inductum ut depoſitioni Athanaſii ſubſcriberet.* Eundem Athanaſium anno 347. à Sardicenſi concilio per Aſiam revertentem collecta ſexdecim epiſcoporum Palæſtinæ ſynodo feſtiva communione excepit: ſynodi hujus ad Africæ epiſcopos epiſtolam, cui Maximus omnium primus nomen ſuum appoſuit, Athanaſius ipſe recitat apologia ſua ſecunda. Sozomenus *lib. 4. c. 20. p. 570.* Maximum refert à ſede ſua ejectum fuiſſe ab Acacio Cæſarienſi & Patrophilo Scythopolitano epiſcopis Arianis, anno utique 349. aut 350. & Cyrillum ab iiſdem ut hominem ſibi devinctum in ejus locum fuiſſe ſubſtitutum: verum oportet ſtatim ab hac ejectione & ante Cyrilli ordinationem mortuum eſſe Maximum, ſi vera eſt illa Sozomeni narratio: quandoquidem Hieronymus in chronico, nulla hujus ejectionis mentione facta, dicit mortuo Maximo, Arianos eccleſiam invaſiſſe, & in ejus ſedem Cyrillum fuiſſe promotum.

XLI. CYRILLUS.
HERACLIUS.
EUTYCHIUS *intruſus*.
IRENÆUS *intruſus*.
HILARIUS *intruſus*.

Cur hic *Heraclium* inter Hieroſolymorum epiſcopos nominem, anſam præbet Hieronymus in chronico, initia epiſcopatus Cyrilli ſic deſcribens: *Quadrageſimus Maximus poſt Macarium Hieroſolymorum epiſcopus moritur: poſt quem eccleſiam Ariani invadunt, id eſt Cyrillus, Eutychius, rurſum Cyrillus, Irenæus, tertio Cyrillus, Hilarius, quarto Cyrillus, quorum Cyrillus, quum à Maximo fuiſſet preſbyter ordinatus, & poſt mortem ejus ita ei ab Acacio epiſcopo Cæſarienſi, & cæteris Arianis epiſcopatus promitteretur, ſi ordinationem Maximi repudiaſſet, diaconus in eccleſia miniſtravit: ob* A *quam impietatem ſacerdotii mercede penſatus, Heraclium (quem moriens Maximus in ſuum locum ſubſtituerat) varia fraude ſollicitans, de epiſcopo in preſbyterum regradavit.* Theodoretus tamen *lib. 2. hiſt. cap. 26.* Cyrilli promotionem commendat, ut *apoſtolicæ doctrinæ acerrimi propugnatoris.* Ab Acacio quidem Cæſarienſi, Ariano, qui licet in concilio Sardicenſi anno 347. ob hæreſim depoſitus fuiſſet, nihilo ſecius pro metropolita Palæſtinæ totius ſe gerebat, epiſcopus conſecratus eſt. At ab alio fortaſſis facile non potuerit B his turbulentiſſimis temporibus epiſcopo ordinari: verum exinde pluribus primi nominis Catholicis Cyrillus Arianus fuit, vel ſaltem Arianis communione junctus. Quidquid ſit de ejus præſulatus initiis, hanc profecto labem perfectiſſime lavit deinceps Cyrillus generoſa fidei orthodoxæ defenſione, propter quam ab ipſiſmet Arianis ter in exilium pulſus eſt. Sedem Hieroſolymitanam conſcendit anno 350. aut 351. ſiquidem in epiſtola data ad Conſtantium Imperatorem menſe Maio anni 351. teſtatur hanc primam eſſe quam ipſi C à ſuſcepto epiſcopatu ſcripſerit. Ea autem eſt qua refert ſplendidam crucem Hieroſolymis in cœlo clara die apparuiſſe, nec à Chriſtianis tantum viſam, ſed à Gentilibus quoque, & à Judæis quorum multi eo prodigio perculſi in Chriſtum crediderunt. De celebri illa crucis apparitione die 7. Maii anni præfati 351. loquuntur, præter Cyrillum, Sozomenus *lib. 4. cap. 5.* Philoſtorgius *lib. 3. cap. 26.* chronicon Alexandr. *pag. 292.* chronicon Idacii, & Menæa Græcor. ad diem 7. Maii. Legendus Tillemont. *tom. 8. hiſt. eccl.* D *pp. 429. 430. 781. & 782.* Sub finem anni 357. Acacius Cæſarienſis moleſte ferens quod Cyrillus, velut ſedis apoſtolicæ antiſtes, cum ipſo de jure metropolitano contenderet, ut narrat Sozomenus *lib. 4. hiſt. cap. 25.* eum deponi curavit in concilio quodam, & auctoritate Conſtantii, apud quem multum valebat, in exilium mitti; reipſa quod rigidior eſſet conſubſtantialitatis aſſertor, ſed ſumpto prætextu quod tempore famis nonnulla ornamenta ac ſupellectiles pretioſas à Conſtantino, & aliis, eccleſiæ Hieroſolymitanæ olim datas vendi- E diſſet. Sic rem explicat Sozom. lib. 4. hiſt. eccl. cap. 25. p. 583. *Cum his Cyrillum quoque exauctorarunt epiſcopum Hieroſolymorum, propterea quod cum Euſtathio & Elpidio communicaſſet, qui decreta Melitinenſis ſynodi, cui ipſe quoque interfuerat, abrogare ſtuduerant. Et quod poſt depoſitionem in Palæſtina factam, communionem iniiſſet cum Baſilio, & Georgio epiſcopo Laodiceno. Etenim poſt ſuſceptum Hieroſolymorum epiſcopatum, de jure metropolitano adverſus Acacium epiſcopum Cæſareæ*

Digitized by Google

controverſiam moverat, tanquam apoſtolicam ſedem obtinens. Ex quo factum fuerat, ut inimicitias inter ſe ſuſciperent, quod non recte ſentirent de divinitate. Nam & antea uterque eorum in ſuſpicionem venerat: Acacius quidem quod cum Ario idem ſentiret, Cyrillus vero quod eos ſectaretur qui filium Patri ſimilem ſecundum ſubſtantiam aſſerebant. Quum igitur ita ſentiret Acacius, una cum epiſcopis provinciæ Palæſtinæ qui idem cum ipſo ſentiebant, Cyrillum præveniens depoſuit hujuſmodi ob cauſam. Quum Hieroſolymorum regionem fames occupaſſet, egentium multitudo neceſſariis alimentis deſtituta, in Cyrillum, utpote epiſcopum, oculos conjecit: Quum autem pecuniæ deeſſent, quibus ſubveniri poſſet egentibus, Cyrillus theſauros eccleſiæ, & ſacra vela divendidit. Aiunt igitur quemdam poſtea donarium ſuum agnoviſſe in muliere ſcenica, quæ illo amicta erat; inquirentemque curioſius unde illud haberet, deprehendiſſe mercatorem qui illud mulieri vendiderat, mercatori vero epiſcopum venumdediſſe. Hanc ergo cauſam prætexens Acacius, Cyrillum depoſuit: Et hæc quidem ita geſta eſſe auditione accepi. Apud Silvanum epiſcopum Tarſenſem ſe recepit Cyrillus, ipſique ſubrogatus eſt *Eutychius*. Non diſſimulandum quidem, plurimis Catholicis fidem ejus effectam fuiſſe ſuſpectam, quod ipſum, cum præfato Silvano Tarſenſi, Euſtathio Sebaſteno, Baſilio Ancyrano, ſimilibuſque non probatæ fidei præſulibus, amicitia junctum viderent: hinc enim non ſocietate tantum, ſed & erroris amplexu illis eſſe devinctum opinabantur. Quia tamen catecheſes, quas dum erat preſbyter anno circiter 347. compoſuit, illum oſtendunt jam tunc fuiſſe Catholicum; quia inſuper nullatenus probabile eſt ad preſbyteratum fuiſſe promotum à Maximo Hieroſolymorum epiſcopo viro apprime Catholico, & nominis Chriſti in perſecutione Imperatorum infidelium confeſſore, ſi Arianæ parti adſtrictus fuiſſet: quia tandem in dubium nunc revocatur à nemine quin poſtremis ſaltem ſuæ vitæ annis fidem Nicænam tenuerit: idcirco, neque hæc illius cum Semiarianis epiſcopis inita familiaritas, quæ communionis exterioris ſeu civilis limites non exceſſiſſe habenda eſt; neque etiam adoptio fortaſſis formulæ Ariminenſis, quæ ipſi communis fuerit cum Gregorio Nazianzeno ſene, Meletio, Euſebio Samoſatenſi, Servatio Tongrenſi, Phæbadio Aginnenſi, aliiſque multis dogmatum orthodoxorum ſtrenuis defenſoribus, quos Ariani verbis captioſis deluſerunt, illibatæ ejus fidei quicquam nocent. Ad concilium Seleucienſe coactum anno 359. menſe Septembri venit Cyrillus ſupplici libello petens ut Acacius ſententiæ quam contra ipſum injuſte tulerat rationem A redderet: pluries ad id vocatus Acacius & comparere recuſans ipſemet depoſitionis ſententiam ſuſtulit: teſte Socr. *lib. 2. hiſt. eccl. cap. 40. p. 152. Alterius autem partis epiſcopi Acacium ad concilium vocarunt ut cauſa Cyrilli Hieroſolymorum epiſcopi judicaretur, &c. Depoſitus* (ſiquidem).... *appellationis libello ad eos qui ipſum depoſuerant miſſo, ad majus judicium provocavit. Cui quidem appellationi etiam Imperator Conſtantius adſtipulatus eſt. Solus igitur ac primus omnium Cyrillus, contra eccleſiaſtici canonis conſuetudinem, appellationem,* B *ſicut in publicis judiciis fieri ſolet, interpoſuit. Ac tum quidem Seleuciæ aderat, paratus judicium ſubire. Et ob hanc cauſam epiſcopi Acacianos ad conſeſſum vocabant.... ut rebus examinatis, communi conſilio ſententiam proferrent. Nam & alios perinde accuſatos citaverant qui ad partes confugerant Acacii. Sed quoniam ſæpius accerſiti venire detrectabant, epiſcopi qui in concilio erant, & Acacium ipſum depoſuerunt, & cum illo Georgium Alexandriæ epiſcopum, Uranium Tyri, &c.* Cyrillus ex tunc ſuæ ſedi probabiliter reſtitutus eſt, utpote qui ſtatim C regimen Hieroſolymitanæ eccleſiæ reſumpſerit: ſed breviſſimo tempore quiete illa potitus eſt, nam initio anni ſequentis 360. Acacius opera Imperatoris ſynodum Conſtantinopoli convocari obtinuit, in qua, cum pluribus epiſcopis Semiarianis, & ipſe Cyrillus iterum depoſitus eſt, ac in exilium pulſus, ut tradunt Socrat. *lib. 2. cap. 42. pag. 155.* & Sozom. *lib. 4. cap. 30. pag. 589.* ipſi ſubrogavit Acacius *Irenæum* ſive *Erennium*, tunc mortuo fortaſſis Eutychio primo ſedis Cyrilli invaſore. At poſt Conſtantii obitum, quum D Julianus edicto epiſcopos ſedibus ſuis dejectos ad eas reverti permiſiſſet, Cyrillus Hieroſolymam rediit ſub finem anni 362. quo jam illic fuiſſe videtur, quando eodem anno Judæi, inſtigante Juliano, templum Hieroſolymitanum reædificare incaſſum tentarunt. Hunc eventum annis circiter 25. antea prædixerat quodammodo Cyrillus Catecheſ. 15. *p. 365.* tunc vero rurſus prænuntiavit, definitè aiens, quidquid agerent Judæi, nunquam eo perventuros ut lapidem lapidi imponerent. Ex Ruff. *lib. 1. hiſt. eccl. c. 37.* Acacio mortuo E anno circiter 365. Cyrillus ei ſuffecit Philumenum, deinde Gelaſium ſuum ex ſorore nepotem. Verum Ariani Valentis Imp. authoritate ſuffulti Gelaſium deturbarunt, eique Euzoïum Arianum ſubſtituerunt. His non contenti, ipſum quoque Cyrillum ſede Hieroſolymitana ejecere anno 367. vi edicti, ut creditur, quo præfatus Imperator eodem anno mandaverat ut epiſcopi, quotquot ſub Conſtantio depoſiti, poſtea ſub Juliano ad eccleſias ſuas redierant, ab illarum regimine removerentur.

Digitized by Google

removerentur. In ejus locum *Hilarium* ſive *Hilarionem* epiſcopum conſtituerunt, qui, ut ait Epiphan. *hær. 66. n. 20. tom. 1. pag. 637. cum Arianis habuiſſe communionem accuſatus eſt, & nunc* (id eſt, circa ann. 376. aut 377. quo hæc ſcribebat) *eccleſiæ præſidet*. Suam ſedem non recuperavit Cyrillus niſi poſt mortem Valentis ſub finem anni 378. vel initio ſequentis, quo Theodoſius magnus ad Imperium pervenit, ut ſcribit Socrat. *lib. 5. hiſt. cap. 3. pag. 260*. Interfuit concilio generali Conſtantinopolitano anno 381. ex Theodoreto *lib. 5. hiſt. cap. 8.* qui & aſſerit *cap. 9.* epiſcopos Orientis in eadem rurſus urbe anno ſeq. 382. congregatos, eximium de ejus fide, ſuſceptiſque pro ea contra Arianos à quibus multa perpeſſus fuerat laboribus, teſtimonium protuliſſe. Epiſtolam hanc ſynodicam refert, in qua leguntur iſta de Cyrillo: *Hieroſolymitanæ autem eccleſiæ, quæ mater eſt omnium eccleſiarum, reverendiſſimum ac religioſiſſimum Cyrillum epiſcopum eſſe indicamus, qui & canonicè ab epiſcopis provinciæ olim fuit ordinatus, & plurima variis in locis contra Arianos certamina ſubiit.* Hieron. *de ſcript. eccl. cap. 112.* eum refert *ſæpe pulſum eccleſia* (Hieroſolymitana) *& receptum, ad extremum ſub Theodoſio principe inconcuſſum annis octo tenuiſſe epiſcopatum.* Obiit proinde Cyrillus anno 386. aut 387. præſulatus vero 35. aut 36. Ejus memoriam, pari conſenſu, celebrant die 18. Mart. quo probabiliter ex hac vita migravit, Menæa Græcor. Calendarium quoddam Syriacum, & Martyrol. Roman. cujus poſtremi verba hæc ſunt: *Hieroſolymis Cyrilli epiſcopi qui ab Arianis multas fidei cauſa perpeſſus injurias, & ab eccleſia ſua ſæpe pulſus, tandem ſanctitatis gloria clarus in pace quievit, cujus intemeratæ fidei ſynodus œcumenica Damaſo ſcribens præclarum teſtimonium dedit.* Ex tanto viro habemus catecheſes 23. quibus plurima nobis traditionis antiquæ documenta rara innoteſcunt; epiſtolam quoque illam quam ſcripſit ad Conſtantium Imper. de miraculoſa crucis apparitione. At concio in feſtum Purificationis, quæ extat ſub ejus nomine *to. 13. Bibl. Patr. edit. Pariſ. p. 850.* multis videtur Cyrillo poſterior: epiſtola autem de morte Hieronymi, qui Cyrillo ſupervixit triginta annos & amplius, eo ipſo evincitur huic Cyrillo ſuppoſita.

XLII. Joannes II.

Joannem iſtum, qui vulgo hujus nominis primus dicitur, *ſecundum* appello, eo quod Hieroſolymorum epiſcoporum ſeptimus ex circumciſione, *Joannes* nuncupatus fuerit. Is autem primum monachus & eccleſiæ Hieroſolymitanæ preſbyter fuit: deinde Cyrillo A ſucceſſit anno Chriſti 386. aut 387. quum vix ipſe trigeſimum annum perageret. Eum ait *virum admiratione dignum* Theodoretus *lib. 5. hiſtor. eccl. cap. 35.* Amicitiam coluit Theophili Alexandrini eo tempore quo ille nondum adverſus Origenem vexillum erexerat: Origenianis enim eum erroribus addictum fuiſſe cenſuerunt Epiphanius & Hieronymus, ipſique palam exprobrarunt: hinc magna inter illos concertatio exarſit ab anno 394. ad annum 397. quo ſaltem cum Hieronymo reconciliatus eſt. Cauſam fovit Joannis B Chryſoſtomi cujus ad eum extat epiſtola 88. anno utique 404. quo etiam exequiis ſanctæ Paulæ Romanæ interfuit. Anno 415. in concilio Dioſpolitano à Pelagio deluſus fuit, ſicut & cæteri præſules, ſic tamen ut hæreticum abſolventes hæreſim confixerint. Auguſtinus ad ipſum miſit librum quem *de Natura & Gratia* ſcripſerat, ſimulque de Pelagiana hæreſi epiſtolam dedit, quæ eſt 252. *tom. 2. edit. 1586. p. 347.* inter Auguſtinianas. Eodem anno 415. ab eo facta eſt reliquiarum S. Stephani Protom. in ſacram ædem Sion tranſlatio C VII. kal. Januar. Variis nominibus nuncupatus reperitur apud ſcriptores: Auctor enim vitæ S. Porphyrii Gazenſis epiſcopi, apud Bolland. 16. Febr. *pag. 647.* eum ordinatum narrat preſbyterum à *Praylio* ſacrorum locorum antiſtite, anno ſcilicet 393. qui vigeſimus-quartus erat antequam Praylius Joanni ſucceſſerit. Georgius Alexandrinus in vita S. Joannis Chryſoſt. *Silvanum* vocat epiſcopum Hieroſolymitanum, apud quem anno 401. ſeſe receperunt Longi fratres à Theophilo Patriarcha Alexandrino ex ſuis cœnobiis pulſi. D Onuphrius nonnullique alii Latini eum appellant *Nepotem*. Obiit anno 417. trigeſimo, vel trigeſimo-primo ſui epiſcopatus. Sanctus Auguſtinus, S. Paulinus Nolan. Anaſtaſius & Zoſimus Romani Pontifices, Chryſoſtomus, Theodoretus, Idacius, de eo honorificè loquuntur. Vid. Tillem. *to. 12. hiſt. eccl. pp. 342. & 343.* Nullum Joanni huic aliud ſcriptum tribuunt Hieronymus, Gennadius, cæterique veteres, imò & Trithemius, præter apologiam adverſus Epiphan. & Hieron. Idem Tillem. *ibid. p. 343.*

E

XLIII. Praylius.

Hieroſolymis, poſt admirandum Joannem, Praylius eccleſiæ curam ſuſcepit, vir nomini ſuo (Græco, ob manſuetudinem) *egregie reſpondens;* verba ſunt Theodoreti *lib. 5. hiſt. eccl. c. 38.* Doctiſſimi actorum ſanctorum editores in tract. prælim. *tom. 3.* Maii, *pp. 21. & 22.* Praylium exiſtimant fuiſſe chorepiſcopum charactere epiſcopali inſignitum ſub Joanne prædeceſſore ejus, ut-pote quum à Praylio

Digitized by Google

S. Porphyrium, qui poſtea Gazenſis epiſcopus fuit, ordinatum preſbyterum anno 393. referat Marcus ejuſdem Porphyrii diſcipulus, in ejus vita, quam ipſi illuſtrarunt die 26. Febr. textus enim græcus originalis deeſt, in verſione autem latina vocatur *Praylius ſacrorum locorum ſacerdos,* & in Menæis Græcorum *Patriarcha.* Verum, ut ſupra obſervatum eſt, Tillemont. *Praylium,* de quo hic ſermo, ipſum fuiſſe Joannem Hieroſolymitanum, ſub aliis quoque nominibus ab aliis ſcriptotoribus deſignatum, cenſet *tom. 12. hiſt. eccl. pp. 639. col. 2. & 640. col. 1.* Initio quidem præſulatus deceptus fuit à Pelagio captioſis verbis, ut & præfatus Joannes, unde ei & Cœleſtio teſtimonium dedit ſanæ doctrinæ in epiſtola ad Zoſimum Papam, qui ſcripſit ad Aurelium Carthaginenſem cæteroſque Africæ epiſcopos XI. kal. Octobr. (ſive die 21. Septemb.) anni 417. apud Baron. ad hunc annum, nn. 25. & 30. *Ecce epiſtolam Hieroſolymitani epiſcopi Praylii, qui in locum quondam S. Joannis epiſcopus eſt ordinatus, accepimus, qui cauſæ Pelagii enixius adſtipulator advenit.* Addit vero: *poſtmodum eſt evidenter deprehenſus* (idem Pelagius) *inſiſtentibus accuſatoribus à poſteriore ſynodo, cui S. mem. Theodotus Antiochiæ præſedit epiſcopus, atque detectus, à ſanctis quoque ac venerabilibus Hieroſolymorum locis eſt deturbatus. Quod,* inquit Marius Mercator in commonit. c. 3. *ejuſdem ſancti Theodoti ad reverendiſſimum urbis Romæ epiſcopum, & S. recordat. Praylii Hieroſolymitani epiſcopi miſſa ſcripta teſtantur, quorum exemplaria ad documentum habemus in manibus.* Hinc colligitur Praylium mentem in cauſa Pelagii non multo poſt mutaſſe. Theodoretus *epiſt. 110. p. 980.* refert ab eo ad ſedem Cæſarienſem, poſt Eulogium, evectum fuiſſe Domninum quemdam bigamum. Faſti Idaciani ad annum 419. narrant ſigna & prodigia magna contigiſſe eo anno, de quibus epiſtolam ad univerſas orbis eccleſias ſcripſit epiſcopus Hieroſolymitanus, quem ipſi *Joannem* appellant, ſed quum Joannes ſerius non obierit quam initio anni 417. fuit ille, vel Praylius, vel ſucceſſor ejus Juvenalis. Certe Theodoretus *lib. 5. hiſt. cap. 38.* loquitur de Praylio ut qui adhuc viveret: & *cap. 40.* ubi terminat hiſtoriam ſuam ad ann. 428. ipſi Juvenalem ſucceſſiſſe narrat, *in indiculo* ſcilicet *epiſcoporum qui magnis urbibus præfuerunt... Hieroſolymorum epiſcopi,* inquit, *Macarius, Maximus, Cyrillus, Joannes, Praylius, Juvenalis.* Tillem. *tom. 14. hiſt. eccl. pag. 291.* eum obiiſſe exiſtimat poſt annum 421. ſed ante annum 428. & *p. 816. col. 2.* annum morti ejus aſſignat circiter 425. Tomo tamen ſequenti 15. *pp. 196. & 867.* ait probabile eſſe Praylium, quem Idacius

A brevi præfuiſſe eccleſiæ Hieroſolymitanæ aſſerit, fato functum eſſe anno 418. aut 420. quo & incœperit Juvenalis epiſcopatus.

XLIV. JUVENALIS.
THEODOSIUS *intruſus.*

De *Juvenali* ſuperius multa diximus à *n. 15.* uſque ad *n. 22.* excluſ. *coll. 110. 111. & ſeqq.* quæ hic repetere neceſſarium non erit. Ante annum 428. & fortaſſis jam ab anno 418. poſt Praylii obitum, ad ſedem Hieroſolymitanam promotus eſt: anno autem B 428. aut 429. die 7. Maii lauram S. Euthymii abbatis ſolemniter dedicavit, qui quinquageſimus-ſecundus erat vitæ ejuſdem abbatis, nati anno 377. *quarto Conſulatu Gratiani,* teſte Cyrillo ejus geſtorum ſcriptore, *to. 2. monum. eccl. Græc. num. 3. pag. 202.* Non multo poſt quaſi jam Palæſtinæ Patriarchatu potiretur, Petrum Parembolarum, ſeu Caſtrorum tribûs cujuſdam Saracenicæ quæ in meridianos Palæſtinæ fines migraverat, epiſcopum creavit. Anno 431. Epheſum venit ad ſynodum generalem quæ pro Neſtorii cauſa C in illa urbe cogebatur, multoſque adduxit ſecum epiſcopos ſibi adhærentes. Cyrillo ſe adjunxit cæteriſque præſulibus ducentis qui, tum hæreſim Neſtorianam confixere, tum ipſum quoque depoſuere Neſtorium. Scribit Leo Papa epiſt. 92. olim 62. ad Maximum Antiochenum epiſcopum, *in ea Epheſina ſynodo.... Juvenalem epiſcopum, ad obtinendum Palæſtinæ provinciæ principatum credidiſſe ſe poſſe ſufficere, & inſolentes auſus per commentitia ſcripta firmare: quod Cyrillus Alexandrinus epiſcopus meritò perhorreſcens, ſcriptis ſuis,* D *quid prædicti cupiditas auſa eſſet* (ipſi Leoni) *indicavit, & ſollicita prece multum popoſcit, ut nulla illicitis conatibus præbeatur aſſenſio.* Quibus verbis palam fit Juvenalem omni tentaſſe modo in ſynodo Epheſina ſibi arrogare jura Patriarchica in univerſam Palæſtinam, at ejus conſilium nec Cyrillo placuiſſe, nec cæteris epiſcopis, qui tamen noluerunt animum ejus exaſperare, acriter ejus ambitum comprimendo, ne ille cauſam fidei desereret. Nihil tunc igitur obtinuit Juvenalis, ſed quin conſequeretur in poſterum, quod meditaba- E tur, non etiam deſperavit. Unus fuit ex octo epiſcopis qui ab ea ſynodo ad Theodoſium II. Imp. delegati ſunt ut fautorum Neſtorii machinamenta diſſolverent, quique illo tandem procul amandato, Maximianum regiæ urbis epiſcopum ordinarunt. In ſanctam urbem regreſſus Stephanum S. Euthymii diſcipulum epiſcopum Jamniæ conſecravit. Anno 449. ad ſecundam ſynodum Epheſinam profectus, Dioſcori Patriarchæ Alexandrini partem amplexus eſt: exinde, tam Eutychianæ hæreſi,

Digitized by Google

quam Flaviani Conſtantinopolitani epiſcopi, Euſebii Dorylæi, & aliorum epiſcoporum orthodoxorum depoſitioni ſubſcripſit, idque honoris cauſa ante Domnum Antiochenum præſulem: quis enim ſervatum ordinem requireret in latrocinio à quo omnis ordo exulabat! Hoc in prædatorio conventu Alypius Bactrorum ſeu Bachatorum tertiæ Palæſtinæ epiſcopus, ſe pro juſto decreto Juvenalis *ſanctiſſimi archiepiſcopi ſui* ſtare dixit Eutychem uti catholicum recipientis. Poſt biennium anno 451. in ſynodo Chalcedonenſi malè geſtorum veniam obtinuit: quum enim conclamatum eſſet, omnes qui injuſtam ſententiam tulerant *eſſe damnandos, nominatim vero qui principem locum in ſynodo cum Dioſcoro tenuerant, Juvenalem epiſcopum Hieroſolymorum, Thalaſſium Cæſareæ Cappadociæ, Euſebium Berœæ, Euſtathium Beryti, & Baſilium Seleuciæ*, ipſe fidem orthodoxam profeſſus eſt cum aliis; qua recepta & probata à Patribus, *juſſi ſunt ſynodum ingredi, à qua ante repulſi erant, ut-pote rei cum Dioſcoro in ſynodo* (ſecunda Epheſina) *ſcelerum patratorum, conjunctique ſunt eccleſiæ, à qua communicatione Dioſcori facti erant extorres*. Epiſtolæ igitur Leonis ad Flavianum, decretiſque concilii ſubſcripſit; imò unus fuit illorum, quos ſynodus ad condendam fidei definitionem deſignavit. Poſtmodum actione ſeptima *tom. 4. concil. P. Labb. pag. 614*. tranſactioni factæ ipſum inter & Maximum Antiochenum præſulem, ut tribus quidem Palæſtinis epiſcopus Hieroſolymitanus præeſſet, in duas vero Phœnices & Arabiam juriſdictionem Antiochenus exerceret Patriarcha, conſenſit tota ſynodus, annuerunt & Papæ legati *pp. 615. & 618.* Interim *Theodoſius*, qui in Chalcedonenſi concilio maximos tumultus excitaverat, nonnullique monachi hæreſi Eutychiana infecti, in Palæſtinam venerunt, antequam Juvenalis ejuſque epiſcopi eo reverſi fuiſſent: ſtatim vero fidem proditam conqueſti, populum & monachos fere omnes adverſus ſynodum Chalcedonenſem concitaverunt. Sic rem deſcribit auctor vitæ S. Euthymii, apud Cotel. *to. 2. monument. eccl. Græc. n. 73. p. 261. Theodoſius quidam, habitu quidem monachus, moribus vero præſtigiator exitioſiſſimus, & mente corruptus, veniens in Palæſtinam præter expectationem.... improbe de dicta ſynodo commentus* (eſt) *quod everteret rectæ fidei dogma, introduceret autem potius atque revocaret Neſtorii ſententiam*, (quibus verbis ſibi devinxit) *Eudociam Auguſtam quæ tunc in Palæſtina verſabatur, & per eam omnem* (ad ſe traxit) *monaſticum ordinem. Is poſtea etiam ſedem Hieroſolymitanam temerariè & impudenter invadit, atque quum ex poteſtate accepiſſet facultatem,*

A *bellum geſſit adverſus divinos canones & leges. Inde homines probi atque moderati à ſedibus & ſacris expellebantur: fuerunt & qui ab eo occiſi ſunt, necnon manus ſceleratus* (ille) *Pontificum ſanguine polluit: malefici autem, & præſtigiatores, & peſtes, potiuſque digni carceribus quam ſedibus, ſacrorum interpretes & ſacerdotes creabantur, atque apud hunc ſceleſtum impiumque magnam aſſequebantur fiduciam. Quum autem ſecundus poſt hæc annus interceſſiſſet, abiit quidem clam hominibus Theodoſius, &c.* Scilicet quum à Juvenali in ſuo reditu
B extorquere non potuiſſent Theodoſius ejuſque aſſeclæ, ut ſynodum Chalcedonenſem damnaret, miſit ille nefarios homines qui ipſum perimerent, ſed occultè Hieroſolyma egreſſus Juvenalis Conſtantinopolim venit ad Marcianum Imper. Theodoſius autem cum ſuis Hieroſolymam ingreſſus, hanc quaſi urbem armis ſubactam devaſtarunt, fores ejus occluſerunt, nebulones mœnibus appoſuerunt, plurimas domos incenderunt; Juvenali tandem Theodoſium ipſum in eccleſia ſanctæ reſurrectionis ſubſtituerunt, qui Eu-
C dociæ Auguſtæ Theodoſii junioris, viduæ fultus auxilio, non intra urbem Hieroſolymam tantum, ſed & in univerſa Palæſtina tyrannorum ſeu prædonum more quotquot non ſe præberent ſynodi Chalcedonenſis adverſarios, cædibus, ſuppliciis, & exiliis, per viginti menſes inſectatus eſt. *Ad hunc igitur*, inquit Evagrius *lib. 2. hiſt. eccl. cap. 5. multi ex urbibus trium Palæſtinarum accedentes, epiſcopos ab illo ſibi ordinari curarunt. Hæc* (vero) *ubi comperit Marcianus, primo quidem Theodoſium ad ſe perduci jubet* (qui aufugit
D clam in montem Sina.) *Deinde Juvenalem mittit ut ea quæ geſta fuerant corrigeret, mandans ut cunctos qui à Theodoſio ordinati fuerant, expelleret. Poſt adventum igitur Juvenalis* (anno nimirum 453.) *multa triſtia atque acerba contigerunt, quum ex utraque parte fierent quæcunque furor ipſis ſuggerebat.* Ita Evagrius: Marcianus quippe Imperator mandaverat Dorotheo Palæſtinæ præfecto, ut Theodoſium ad ſe mitteret, ſed *hoc ille facere non potuit, propterea quod peſtis illa in Synæum montem profugerat. Poſt Theodoſii*
E *vero fugam Juvenalis in thronum ſuum reſtitutus, omnibus quos ille ordinaverat dignitatem ſtatim ademit*. Hæc ex Nicephoro referunt doctiſſ. actor. ſanct. editores *in tract. prælim.* ad *to. 3.* Maii, *pag. 23. col. 1. num. 100.* qui & addunt *n. 101.* Juvenalem, ſtatim atque ſedi ſuæ, pulſo Theodoſio, reſtitutus fuit, pacandæ provinciæ omnem operam dediſſe, ſynodo celebrata anno 454. cujus extat epiſtolare reſcriptum *ad reverendos preſbyteros & archimandritas, & reliquos monachos,*

Digitized by Google

Palæſtinæ provinciæ, in qua ipſe primus ante Irenæum Cæſarienſem metropolitam ſubſcribit. Ibi commendatur fides in Nicæno concilio ſancita, & nuper in Chalcedonenſi confirmata, ejuſque *calumniatores rejiciendos eſſe* declaratur, ut *qui falſum teſtimonium dicere præſumunt adverſus tantos ſanctiſſimos Patres, magis autem adverſus cunctum terrarum orbem.* Id quum S. Leoni Papæ nuntiaſſet Juvenalis, reſcripſit Leo *pridie non. Sept. Actio & Studio viris clariſſ. Coſſ.* (id eſt 4. Sept. 454.) gratulatorias paternæ admonitioni conjunctas, in hunc modum exordiens: *Acceptis dilectionis B tuæ litteris.... gaviſus quidem ſum quod tibi ad epiſcopatus tui ſedem redire licuiſſet: ſed confluentibus in recordationem omnibus cauſis, quæ te per quoſdam exceſſus laborare fecerunt, dolui adverſitatum tuarum temetipſum tibi fuiſſe materiam, & reſiſtendi hæreticis conſtantiam perdidiſſe: quia æſtimant, non eſſe tibi liberum ut eos audeas redarguere, quos tibi profeſſus ſis in ſuo errore placuiſſe. Beatæ enim memoriæ Flaviani condemnatio, & impiiſſimi Eutychis receptio, quid niſi D. N. J. C. ſecundum carnem negatio fuit! quam ipſe grandi miſericordia ſua C fecit reſolvi, quum deteſtandum illud Epheſinæ ſynodi judicium, ita ſancti concilii Chalcedonenſis auctoritate deſtruxit, ut nullum depravatorum à remedio correctionis arceret. Unde quia in tempore indulgentiæ reſipiſcentiam magis quam pertinaciam delegiſti, ita gaudeo te cæleſtem expetiiſſe medicinam, ut fidei ab hæreticis oppugnatæ tandem poſſis eſſe defenſor, &c.* In ea epiſtola, quæ Leonis 110. eſt, alias 72. nihil legitur contra jus Patriarchale ſedi Hieroſolymitanæ in ſynodo Chalcedonenſi conceſſum, quod argumento eſt illud tandem D pro bono pacis ratum habuiſſe Leonem. Tillemont. ſcribit *to. 15. hiſt. eccl. pag. 742.* Juvenalem, dum eſſet Conſtantinopoli, & Theodoſius ſedem ejus occuparet, anno 452. interceſſiſſe apud Marcianum Imperatorem pro monachis Palæſtinæ qui Theodoſio adhærebant, ut lenitate illos ad veram fidem & eccleſiæ unitatem revocare conaretur; quod præſtitit Imperator epiſtolam ad eos mittens, qua veniam eis pollicetur, ſi reſipiſcere velint, fideique ſuæ & ſynodi Chalcedonenſis reddit rationem. Idem Tillemont. *ibid. pag. 780.* E & Bollandi continuat. ſupra citati, aſſerunt Eudociam Auguſtam, quæ S. Simeonem Stylitam conſuluerat de ſynodo Chalcedonenſi, & ab eo ad S. Euthymium remiſſa fuerat, hujus mandato ſchiſma depoſuiſſe, Juvenaliſque communionem eſſe amplexam: *oportet.... à Dioſcori communione ſejungentem te* (verba ſunt Euthymii in ejus vita apud Cotel. *to. 2. num. 85. pp. 272. & 273.*) *Juvenali archiepiſcopo Hieroſolymitano penitus communicare, & A in omnibus conſentire.* Hoc autem contigit anno 456. die 23. Aug. Leo epiſtolas ſcripſit ad Baſilium Antiochenum, & ad Euxitheum Theſſalonicenſem ac Juvenalem Hieroſolymitanum præſules, (quæ ſunt 118. & 119.) adverſus Timothei Æluri in ſedem Alexandrinam intruſionem. Obiit Juvenalis anno 458. quum per 35. circiter aut 40. annos ſedem Hieroſolymitanam repleſſet.

XLV. ANASTASIUS. *Geruntius.*

Poſt Juvenalem *Anaſtaſius* S. Paſſarionis monachi primum alumnus, deinde eccleſiæ S. Reſurrectionis clericus ſceuophylax ſeu ſacrorum vaſorum cuſtos, quin etiam chorepiſcopus, Hieroſolymorum tandem univerſi populi ſuffragio antiſtes conſtitutus eſt. Hanc ei dignitatem prænuntiaverat Euthymius, ut in ejus vita refertur: apud Boll. *tom. 2. Jan. cap. 10. n. 60. p. 311.* & apud Cotel. *tom. 2. n. 60. pag. 249. Anaſtaſius quidam,* inquit iſte Auctor, n. 60. *ſanctæ Reſurrectionis clericus, idemque ſceuophylax* (id eſt, cujus fidei credita erat cuſtodia ſacrorum vaſorum eccleſiæ Reſurrectionis) *& chorepiſcopus, qui fuerat alumnus & imitator S. Paſſarionis, cupiebat S. Euthymium videre, & hoc ſuum deſiderium communicans cum Fido epiſcopo Jamniæ & Coſma ſtaurophylace* (id eſt, crucis cuſtodi) *cum ipſis, alioque juniore Fido epiſcopi Fidi nepote ſanctæ Reſurrectionis lectore, ibat ad illum. Ipſis autem in via poſitis, atque ad lauram propinquantibus, eorum adventus revelatus eſt ſancto, qui Chryſippum lauræ œconomum accerſens ait illi: Paratus eſto; ecce enim cum fratre venit Patriarcha. Quum autem adveniſſent, ſublatis mentis oculis magnus Euthymius Anaſtaſium excepit ut Patriarcham: quod qui præſentes aderant mirabantur: accedenſque Chryſippus in aurem ei dixit: Reverende Pater, non eſt hic Patriarcha, ſed ſceuophylax Anaſtaſius; viden' quod coloratis utatur veſtibus, quibus nefas eſt Patriarcham indui! Ad quæ in ſe revertens ſanctus; Crede, inquit, fili, uſquequo loquutus es, vidi ipſum albis indutum. Cunctiſque audientibus dixit; non erravi, ſed quod præſcivit Deus atque prædixit omnino fiet, ſine pœnitentia enim ſunt dona illius....* Et poſtea, *num. 96.* addit: *ſequenti autem anno* (id eſt, Chriſti 358.) *Juvenalis.... vitæ finem accepit; Anaſtaſius vero præmemoratus, conſenſu totius populi in divi Jacobi thronum promovetur. Qui eum aſcendens, & recordatus prophetiæ magni Euthymii, Fidum lectorem, qui cum ipſo olim ad lauram acceſſerat, prædictionemque audierat, ſanctæ Reſurrectionis diaconum ordinavit, & cum ſtaurophylace miſit ſignificaturum impletionem prophetiæ, rogaturumque ut ſibi liceret ad eum venire, ipſumque ſalutare.* Anno autem

Digitized by Google

Anaſtaſii decimo-quinto obiiſſe Euthymium legimus in vita S. Sabæ abbatis ab eodem auctore ſcripta, idque ut ipſa fert Euthymii vita, *n. 109. 20. Januar. die Sabbati anno 16. Imperii Leonis;* quæ ſingula incidunt in ann. Chriſti 473. Ad cujus corpus intuendum quum acceſſiſſet Anaſtaſius, & congrua ſepulturæ ejus mandata dediſſet, *reverſus in ſanctam civitatem, miſit opifices ad opus & materiam, ut beatæ illæ reliquiæ convenienter ponerentur.... Poſtquam autem perfecta jam fuiſſent omnia* (trimeſtri labore) *venit in lauram archiepiſcopus, & venerandum depoſitum ſuis ipſe* B *manibus in præparatum locum tranſtulit..... ſeptimo die Maii: conventumque abſolvens, Martyrium & Eliam,* quos ejus ſucceſſores futuros in Patriarchatu Euthymius prædixerat, *ſecum ſumpſit in ſanctam civitatem, eoſque preſbyteros ſanctæ Reſurrectionis ordinavit.* Hæc actorum ſanctorum editores *in tract. prælim.* ſæpius citato ad *to. 3.* Maii, *pag. 24. n. 104. col. 1.* Evagrius quidem *lib. 3. hiſt. cap. 5.* ſcribit ex Zacharia, cognomento *Malela*, ſeu *Rhetore, Anaſtaſium etiam Hieroſolymorum epiſcopum, qui Juvenali ſucceſſerat, iiſdem encyclicis* (Baſiliſci) *Imperatoris* (adverſus ſynodum Chalcedonenſem) *ſubſcripſiſſe, alioſque item complures* (epiſcopos) *adeo ut circiter quingenti numero fuerint qui Leonis epiſtolam & Chalcedonenſe concilium damnaverunt.* Verum de eo Zacharia idem Evagrius infra *cap. 18.* ſic loquitur: *Hæc ſcripta ſunt à Zacharia in hunc modum. Porro Zacharias nihil eorum quæ tunc geſta ſunt explorate cognitum habuiſſe mihi videtur, ſed ea duntaxat quæ auditione acceperat mutila atque imperfecta nobis retuliſſe.* Vivebat autem Zacharias ſub Juſtiniano Imperatore ſæculo ſexto medio. Non conſtat proinde Anaſtaſium Hieroſolymitanum encyclicis Baſiliſci litteris revera ſubſcripſiſſe; imò id falſum colligunt, tum Baronius ad ann. 476. *n. 5.* tum Tillem. *to. 16. hiſt. eccl. pag. 302.* ex eo maxime quod Auctor vitæ S. Euthymii, non ſolum hunc Anaſtaſium ubique exhibeat ceu virum ſua dignitate non indignum, ſed etiam, ut ipſi arbitrantur, referat ſchiſmaticos qui erant in ſancta civitate *Geruntium* quemdam abbatem in ſedem ejus Patriarchalem intruſiſſe, qui minora iis non patravit, quæ prius auſus fuerat Theodoſius ſub Juvenali. Baronius citat vitam Euthymii apud Surium die 20. Jan. & Tillem. eamdem vitam apud Bollandum, eadem die, *p. 320. n. 113.* Bollandi tamen continuatores aiunt *in tract. prælim.* ad *to. 3.* Maii, *pag. 24. n. 105. col. 2.* in vita illa duntaxat legi, quod ſchiſmatici Geruntium hunc *in archimandritam* ſibi conſtituerint, non vero quod in epiſcopum Hieroſolymitanum; eoque duce haud leviora auſi

A fuerint contra eccleſiam, quam antea fecerit Theodoſius. Profecto vita Euthymii, prout extat *tom. 1.* Sur. *pag. 332. n. 76.* item apud Bolland. *to. 2. Jan. p. 320. c. 20. n. 113.* & *tom. 2. monum. eccl. Græc.* Cotelerii, *n. 113. pag. 297.* hæc ſolum habet. *Quum vero Baſiliſcus occupaſſet imperium* (pulſo Zenone anno 475.) *facit encyclicum adverſus divinam ſynodum Chalcedonenſem, quo quidem nitens quæ reliqua erat in ſancta civitate Apoſchiſtarum pars, quum Geruntium quemdam ſibi præfeciſſent archimandritam* (εἰς ἀρχιμανδρίτην) *multa innovat adverſus eccleſiam, nec minora iis quæ prius auſus fuerat Theodoſius.* Doſitheus Hieroſolymitanus Patriarcha, qui obiit initio hujus ſæculi, ſcribit *lib. 4. de Patriarch. Hieroſolym. capite 9.* §. *4.* Zachariam rhetorem poſuiſſe veroſimiliter *Anaſtaſium* pro *Geruntio*, qui, dum eſſet intruſus, encyclicis Baſiliſci litteris ſubſcripſerit, citatque pro ea Geruntii intruſione Cyrillum, Euthymii utique vitæ auctorem, ex cujus tamen textu, clarum non eſt Geruntium iſtum à ſchiſmaticis in Pontificem Hieroſolymitanum aſſumptum C fuiſſe; ut Baronius, Bollandus, Tillemontius, & alii cenſuerunt: ſed tantum in archimandritam electum eum colligitur, ut verba ipſa ſupra relata ſignificant, & aiunt Bollandi continuat. *in tract. prælim.* ad *to. 3.* Maii, *pag. 24. n. 105. col. 2.* Nam licet Geruntius ille, qui S. Melaniæ (junioris) monaſteriis quadraginta quinque annis præfuit, eodem Cyrillo Scythopol. teſte in vita S. Euthymii, *n. 124.* apud Cotel. *to. 2. pag. 307.* tunc jam à pluribus annis archimandrita fuerit, nihil tamen prohibet quin de novo à ſchiſmaticis D totius Palæſtinæ monachis in archimandritam evectus ſit veluti generalem illorum omnium, ut ipſo duce eadem attentarent adverſus fidei Chalcedonenſis ſectatores, quæ olim ſub Theodoſio in ſedem Hieroſolymitanam intruſo patrata fuerant. Hinc autem palam omnino fit Anaſtaſium Patriarcham encyclicis Baſiliſci litteris non ſubſcripſiſſe; alioquin iiſdem encyclicis innixi litteris, ſe ab ejus communione non ſeparaſſent, nec opus habuiſſent Geruntium ſibi præficere, ſiquidem iis conſenſiſſet ipſemet Anaſtaſius in publica E concilii Chalcedonenſis repudiatione. Illius ergo, ſicut & cæterorum ſuorum epiſcoporum, non alia de cauſa excuſſerunt à ſe regimen, quam quia eidem ſynodo illos adhærere probè noverant. Duravit vero hoc ſchiſma uſquequo Martyrii Anaſtaſii ſucceſſoris communionem amplexos eos modo videbimus. Nonnulla hic difficultas ſeſe offert in verbis Cyrilli ſupra relata ſequentibus, *num. 113. p. 297. Cæterum quinto poſthac anno moritur quidem Anaſtaſius Patriarcha, jam incipiente*

Digitized by Google

menſe Januario. Zeno vero reverſus à fuga, vincit Baſiliſcum, qui adhuc imperium tenebat, rurſuſque recuperat principatum quem amiſerat. Et ſedi (Hieroſolymitanæ) *ſuccedit Martyrius, &c.* Difficultas, inquam, conſiſtit ad quid revocetur illud *Quinto anno, &c.* verum genuinus ſenſus eſt Anaſtaſium obiiſſe quinto anno poſt ſancti Euthymii mortem, quæ contigerat die 20. Januar. anni 473. ſubindeque anno 478. quo Martyrius illi ſucceſſit, jam à Zenone imperio recuperato. Ita cenſent eruditi. Pagius autem obſervat *to. 2. in annal. Baron. ad annum 477. num. 17.* doctiſſimos actorum ſanctorum editores in mendoſum exemplar vitæ ſancti Euthymii impegiſſe, ex quo tranſcripſerunt loco mox citato *n. 106. col. 2. Sexto autem poſt mortem magni Euthymii anno archiepiſcopus Anaſtaſius obiit initio menſis Julii;* allatiſque Pougeti, necnon Metaphraſtæ vitæ Euthymii editionibus, confirmat legendum *quinto anno*, & *menſe Januar.* Quamobrem novemdecim annos integros ſedit Anaſtaſius, ab anno nimirum 458. ad annum 478. Quod etiam Cyrillus luculenter adſtruit in vita S. Sabæ, ubi poſtquam dixit *n. 11.* apud Cotel. *to. 3. pp. 233. & 234. magnus Pater noſter Euthymius in pace in idipſum dormivit & requievit.... anno 15. pontificatus Anaſtaſii Hieroſolymis:* ſubdit *n. 15. p. 238.* S. Sabam è colle deſcendiſſe, & in ſpeluncam ſe recepiſſe, *principio quadrageſimi ætatis ſuæ anni, quo tempore Anaſtaſius quidem Hieroſolymorum archiepiſcopus, poſt impletos novemdecim in patriarchatu annos, vivendi finem fecit, Martyrio in ſucceſſorem relicto, Zeno autem Romanorum Imperator, occiſo Baſiliſco tyranno, imperium ſuum recuperavit.* Ex quibus emendandi veniunt Theophanes & Nicephorus, quorum unus *octodecim* Anaſtaſio Patriarchæ annos, alter vero *viginti* aſſignat, ſi tamen de 20. plenis ſermo ſit.

XLVI. Martyrius.

Anaſtaſio ſucceſſit anno 478. *Martyrius;* de quo hæc tradit Cyrillus Scythopolit. in vita S. Euthymii, *n. 94. to. 2.* Cotel. *pag. 278.* & apud eruditos Bollandi continuatores *in tract. prælim.* ad *to. 3.* Maii, *pag. 25. n. 107. col. 1. Quum Leo pius & Chriſti amans Marciani ſucceſſiſſet imperio* (initio ſcilicet anni 457.) *Timotheus quidam cognomento Ælurus totam concutiebat & conturbabat Alexandriam.* Hac ergo occaſione, *duo quidam anachoretæ, quorum nomen erat Martyrius & Elias; unus quidem Cappadox, alter vero Arabs, profecti ex monte Nitriæ, ad magnum illum veniunt Euthymium, & unuſquiſque eorum in cella ſeparata apud ipſum longo tempore ſunt verſati....* Et n. 95. *Prævidit autem magnus, perſpicaci puroque animæ oculo, quæ eventura erant Martyrio & Eliæ, quodque ſedem Jacobi qui in choro diſcipulorum claruit, unuſquiſque eorum ſuo tempore eſſet excepturus. Poſthæc vero Elias quidem in Hiericho deſcendens ſibi ante civitatem ædificat cellam.... Martyrius autem ſpeluncam quandam ad Occidentem, quæ quindecim ſtadiis diſtat à laura, ingreditur, quumque ſatis temporis in ea permanſiſſet, magnum & inſigne is illic quoque conſtruit monaſterium.* Et n. 110. *to. 2.* Cotel. *p. 295. Sane quidem cunctis dolor de amiſſione* (morte) *Euthymii, multarum erat cauſa lacrymarum, ſed Martyrium & Eliam longè tangebat vehementius, atque valde plorabant. Verum illos quidem conſolatus Patriarcha* (Anaſtaſius) *per Chryſippum crucis cuſtodem, & congruis uſus admonitionibus, hortatus eſt ut frequentius ad eum accederent.* Et num. 112. p. 297. *Ubi ſic ſplendide feciſſet* (Anaſtaſius) *reliquiarum* (id eſt corporis ſancti Euthymii) *tranſlationem, ſeptimo Maii* (ejuſdem anni 473.) *Martyrium & Eliam ſecum aſſumens, rurſus in ſanctam civitatem revertitur, atque eos ordinat preſbyteros, & refert in catalogum cleri ſanctæ reſurrectionis....* Anaſtaſio autem defuncto menſe Jan. anni 478. *n. 113. p. 298.* in ejus locum aſſumptus eſt Martyrius, qui ſtatim ad Zenonem Imperatorem & Acacium Conſtantinopolitanum epiſcopum ſcripſit *de Apoſchiſtis, eorumque blaſphemia & vitanda hæreſi*, atque Fido diacono litteras tradidit. Poſtea S. Euthymii laura converſa in cœnobium *n. 122. p. 305.* deſcendit illuc Martyrius *cum multa rerum affluentia, præclaramque ibi egit ſynaxim & vigiliam cum lampadibus & ſuffitibus copioſis; ſed & ſplendidam* (hujus cœnobii) *dedicationem fecit, deponens ſub altari quaſdam partes reliquiarum Martyrum Tarachi, Probi, & Andronici; ſeptimo menſis Maii, anno jam duodecimo poſt Euthymii mortem* (id eſt 484.) Interim ſchiſmatici Apoſchiſtæ, Marciani monachi qui Eudocia ad eccleſiam redeunte tempore Juvenalis, in ſchiſmate cum Geruntio & Romano archimandritis perſeveraverat, *n. 86. to. 2.* Cotel. *p. 273.* Marciani, inquam, opera & induſtria ad epiſcoporum à quibus defecerant communionem, juxta Euthymii prophetiam, (quam narrat auctor vitæ ejus *n. 114. p. 299.*) adducti ſunt: ut enim ſcribit idem auctor *n. 123. pag. 306.* dixit illis Marcianus: *ſi placet.... jaciamus ſortes ſub perſona epiſcoporum & monachorum: & ſi ſors quidem venerit ad monachos, oportet omnino perſeverare in iis in quibus hucuſque manemus & acquieſcimus; ſin autem ad epiſcopos, cum ipſis communicare. Hanc ubi ſententiam intuliſſet Marcianus, nullus erat ex adſtantibus qui non laudaret: jactam itaque ſortem habuerunt epiſcopi. Iis vero ſtatim omnes communicarunt, rem tamquam à Deo decretam arbitrati,*

Digitized by Google

præter Geruntium ſolum & Romanum. Atque A *omnes adducunt ſe ac præbent eccleſiæ unioni, & germanam ſinceramque de cætero faciunt cum ea communionem.* (n. 124. p. 307.) *Patriarcha vero* (Martyrius) *pulchrè illos, &, ut dixeris, non ſolum ſupinis manibus, ſed & cordis ſinibus excipiens, ſplendidum agit & publicum feſtum: præclarè enim admodum civitati exortum eſt bonum pacis, & lætatæ ſunt plateæ Hieruſalem, Deoque per omnia gloria offerebatur. At Geruntius & Romanus; ille quidem poſtquam quadraginta quinque annos præfuiſſet beatæ Melaniæ monaſteriis, hic vero in Thecoorum* (id eſt B Thecuæ) *vico monaſterium conſtruxiſſet: deinde ex ipſis etiam turpiter propter dogmatum impietatem expulſi, mali male huc & illuc oberrantes obierunt.* En iterum, inquiunt actorum ſanctorum editores loco citato *n. 108.* prænominatum, in Anaſtaſio, *Geruntium,* abſque ullo invaſæ ab eo cathedræ (Hieroſolymitanæ) indicio. Evagrius *lib. 3. hiſt. eccl. cap. 16.* hæc tradit de Martyrio, deſumpta, ut opinari licet, ex Zacharia rhetore: cum eodem Petro (Mongo) Alexandriæ epiſcopo Acacius quoque Conſtantinopolitanus epiſcopus com- C munionem iniit: *Sed & Martyrius epiſcopus Hieroſolymorum ad eumdem Petrum ſynodicas ſuas miſit.* Ex quo intelligendum datur ipſum etiam encyclicas ejus litteras recepiſſe: at, ſi id verum eſt, obſervandum Petrum Mongum hæreſim ſuam interdum diſſimulaſſe, ut putaretur orthodoxus, eoque fuco nonnullis epiſcopis catholicis impoſuiſſe, qui poſtea cognita fraude & vafritie ejus, ab eo receſſerunt: quod cenſendum imprimis videtur de Martyrio: ſubdit enim immediatè Evagrius poſt verba modo recitata: *Poſtea tamen quidam* D *à communione Petri ſeſe abjunxerunt, atque exinde Petrus Chalcedonenſem ſynodum publicè anathematizavit.* Quando igitur Petrus Mongus litteras ſuas miſit ad Martyrium, aliosque epiſcopos orthodoxos, tunc non ſe prodebat concilii Chalcedonenſis adverſarium, unde fefellit eos: *Hic enim Petrus,* inquit idem Evagrius *capite ſequenti 17. veluti cothurnus quidam ac veterator, & qui temporibus ſeſe accommodaret, in eadem ſententia minime perſeveravit: ſed nunc Chalcedonenſem ſynodum ſub anathemate damnabat, nunc palinodiam* E *canens eamdem omnibus ſuffragiis amplectebatur.* Crimini proinde minime vertendum Martyrio, (quem aliunde nulla ſuſpicio hæreſis Monophyſitarum labefactat) ſi deceptus à Petro Mongo ſe ad veram fidem revocatum fingente, litteras ejus encyclicas admiſerit, ſuaſque ad eum communionis indices ſcripſerit. De Martyrii morte idem Cyrillus Scythopolitanus in vita ſancti Sabæ, *n. 19.* apud Coteler. *to. 3. monum. eccl. Græc. pag. 245.* ait eum, *poſt octavum annum in patriarchatu peractum, ad Deum profectum eſſe, quadrageſimo octavo anno S. Sabæ,* id eſt anno ſalutis 486. Primam enim lucem adſpexerat ſanctus Sabas (ex ejus vita *n. 3. to. 3.* Cotel. *p. 222.*) *Theodoſii II. decimo-ſeptimo Conſulatu,* qui correſpondet anno 439. & quidem in menſe Januario, ut aiunt actorum SS. editores, *in tract. prælim.* ad *to. 3.* Maii, *pag. 25. n. 109. col. 1.* qui etiam aſſerunt, ex comment. prævio ad vitam S. Euthymii die 20. Januar. *p. 301. n. 14.* Martyrium obiiſſe die 13. Apr. Ind. IX.

XLVII. Saluſtius.

Martyrio ſucceſſit *Saluſtius* anno S. Sabæ 48. Chr. 486. teſte Cyrillo Scythopolit. vitæ hujus abbatis, ut & Euthymii, diligentiſſimo ſcriptore, apud Coteler. *tom. 3. monum. eccl. Græc. n. 19. pag. 245.* Quinque autem poſtea annis, à multis rogatus ſancti Sabæ abbatis diſcipulis, ut in ejus locum ſibi præficeret alium archimandritam, tum quod præ nimia ſimplicitate ineptus eſſet ad regimen, tum etiam quod ordinibus ſacris non initiatus nullum ex ipſis clericum fieri permitteret; Saluſtius Sabam arceſſivit, eumque coram illis ordinatum presbyterum, conſtituit abbatem, & ait ipſis, apud Cotel. *ibid. pag. 246. Ecce habetis Patrem veſtrum lauræ veſtræ hegumenum* ſeu præfectum, *quem Deus deſuper, & non homo elegit. Ego quippe me ipſum duntaxat beneficio afficiens* (id eſt, Deo me pro hoc miniſterio commodans) *divinum confirmavi ſuffragium. Quibus dictis, ſumpſit beatum Sabam, & illos ipſos, ad lauram devenit, ſecum ducens crucis cuſtodem Cerycum* ſive Quiricum virum inſignem, *& eccleſia Theoctiſta dedicata, ſanctificatum altare in concha à Deo condita defixit, ſub quo plurimas ſanctorum ac de victoriis clarorum martyrum reliquias depoſuit menſis Decembris die 12. Ind. XIV. anno autem ætatis beati Sabæ 53. quo tempore quum Zeno Imper. vivere deſiiſſet, Anaſtaſius imperium ſuſcepit,* quod in ann. Chriſti 491. coincidit. Liberati diaconi breviarium cauſæ Eutychianæ edit. Pariſ. ann. 1675. *c. 18. p. 127.* apud Tillem. *to. 16. hiſt. eccl. pag. 377.* & *to. 5. conc. Labb. col. 761.* (771.) B. eum aſſerit henotico Zenonis ſubſcripſiſſe, cumque Athanaſio Petri Mongi ſedis & impietatis ſucceſſore communionem iniiſſe; imò Eutychius Alexandrinus *to. 2. annal. p. 108.* eumdem Jacobitam fuiſſe expreſſe tradit. In Nicephori etiam Conſtantinopolitani chronico, nominato Saluſtio, additur; *à quo ſeparatus eſt Romanus epiſcopus, propter unionis edictum à Zenone promulgatum.* Inficiari quidem non auſim Saluſtium, ut & plurimos alios epiſcopos apprimè orthodoxos, pacis fovendæ aut reſtituendæ cauſa in eccleſia,

Digitized by Google

cujus ſe ſolius intuitu profeſſus fuerat Zeno Imperator henoticon edidiſſe, edictum illud in ſenſu catholico expoſitum, admiſiſſe, eoque modo cum Acacio Conſtantinopolitano, & Petro Mongo, & fortaſſis cum ejus ſucceſſore Athanaſio Alexandrino, quos rectæ fidei aſſeclas, & concilii Chalcedonenſis ſaltem tacitos approbatores arbitrabatur, communicaſſe; à Romanis etiam Pontificibus, eo ipſo quod henoticon illud ut fidei catholicæ, ſub unionis prætextu, perniciosiſſimum proſcripſiſſent, ſedis apoſtolicæ communione factum fuiſſe extorrem: quin tamen eum reipſa vel leviſſima hæreſis Monophyſiticæ fuligine tinctum ſuſpicer nonnulla prohibent. Obſtat etenim primum, quod Tillem. *tom. 16. hiſt. eccl. jam citato, p. 633.* referat Euphemium Patriarcham Conſtantinopolitanum Saluſtii communionem amplexum eſſe. Is quippe, licet exoptatam, petitamque Romanæ eccleſiæ communionem à Felice ſummo Pontifice non potuerit obtinere, quia nomina Acacii & Fravitæ prædeceſſorum ſuorum expungenda non duxerat è ſacris diptychis, ne inde Anaſtaſius Imperator occaſionem nanciſceretur in orthodoxos atrocius ſæviendi; licet etiam henotico Zenonis in ſenſu catholico intellecto ſubſcripſerit, ut plures alii epiſcopi orthodoxi: nihiloſecius tamen eo fidei catholicæ exarſit zelo, ut, Petri Mongi epiſcopi Alexandrini accepta epiſtola ſynodo Chalcedonenſi injurioſiſſima, nondum ipſe ſuæ ſedis Conſtantinopolitanæ poſſeſſionem adeptus, nomen ejus ſtatim propriis manibus è diptychis deleverit, non reformidata Zenonis Imp. ira; ab Anaſtaſio etiam quibuſdam poſtea annis depoſitus eſt ob rectam fidem, atque in exilium pulſus; deinde Mongo mortuo cum Athanaſio ejus ſucceſſore communicare recuſavit. Ex quibus manifeſtum fit Euphemio conſtitiſſe Saluſtium erga ſynodum Chalcedonenſem fuiſſe optimè affectum. Obſtat rurſus quod Cyrillus Scythopol. auctor accuratus & Saluſtio ſuppar, eum ubique exhibeat ceu fidei orthodoxæ ſtudioſiſſimum, quem idcirco Sabas & Theodoſius ſanctiſſimi archimandritæ impenſe colebant, ab eo viciſſim omni beneficio exornati. *Quando Anaſtaſius Zenoni in imperio ſucceſſerat, & Apoſchiſtis fiduciam dederat,* inquit præfatus Cyrillus, in vita S. Sabæ, *n. 30.* apud Cotel. *eccl. Græc. monum. to. 3. pp. 261. & 262. tunc excitatus Patriarcha Saluſtius abbatem Marcianum monachorum archimandritam effecit. Pauco vero tempore procedente, ubi Marcianus in Chriſto obdormivit, cunctis eremi monachis in epiſcopio apud Patriarcham ægrotantem congregatis, provecti ſunt communi calculo Theodoſius & Sabas, ut eſſent archimandritæ ac*

A *exarchi cunctorum ſub ſancta civitate poſitorum monaſteriorum.... Ex eo igitur tempore, abbas quidem Theodoſius princeps, dux atque archimandrita totius cœnobiacæ profeſſionis exſtitit, qui ſecum habebat ſecundas partes in cœnobiacorum inſtitutionis curis & providentia gerentem ſanctum abbatem Paulum, monaſterii abbatis Martyrii præpoſitum: noſter autem Pater Sabas princeps ac legiſlator univerſæ anachoreticæ vitæ, cunctorumque qui in cellis degere ſibi proponerent, conſtitutus fuit.* Et n. 31. *poſtquam autem archiepiſcopus Saluſtius, obtenta ſede Hieroſolymo-*
B *rum per octo annos, menſeſque tres, in Chriſto dormiiſſet, menſe Julio, 23. die, Indictione ſecunda, Elias, de quo plurimam feci mentionem libro de ſancto Euthymio, in Patriarchatu ſucceſſit, quinquageſimo-ſexto beati Sabæ ætatis anno* (id eſt, Chr. 493. juxta Bolland. in proleg. ad vitam S. Euthym. 20. Januar. *pag. 300.* & Tillem. *tom. 16. hiſt. eccl. pag. 644.*) revera tamen anno 494. cui ſupra dicta conveniunt. Vide Pagium *to. 2. crit. annal. Baron. ad ann. 492. num. 4.*

XLVIII. Elias I.

C Poſt mortem Saluſtii Patriarchæ Hieroſolymitani, aſſumptus eſt in ejus ſucceſſorem, juxta Euthymii vaticinium, *Elias.* Erat is natione Arabs, & in Ægypto cum Martyrio Cappadoce diſciplinæ monaſticæ per aliquod tempus incubuit. Verum Timotheo Æluro ſedis Alexandrinæ invaſore totam conturbante Ægyptum, ipſi *profecti ex monte Nitriæ, ad magnum veniunt Euthymium,* inquit Cyrillus Scythopolitanus in Euthymii vita *n. 94.* apud Cotelerium, *tom. 2. monum. eccl. Græc.*
D *pag. 279. & unuſquiſque eorum in cella ſeparata apud ipſum longo tempore ſunt verſati: quos & vir hic divinus amplectebatur lege amicitiæ, & aſſiduè ad colloquium invitabat: ſimiliter ad Cutilam & Ruban ſeceſſus indeque regreſſus ſocios faciebat; cum quibus, unaque Geraſimo, & aliis deinceps anachoretis, ſanctæ illæ manus unaquaque Dominicâ ſumebant intemerata & immortalia Chriſti ſacramenta.* Pergit Cyrillus num. 95. *Prævidebat autem magnus perſpicaci puroque animæ oculo, quæ eventura erant Martyrio & Eliæ, quodque ſe-*
E *dem Jacobi, qui in choro diſcipulorum claruit, unuſquiſque eorum ſuo tempore eſſet excepturus. Poſthæc vero Elias quidem in Hiericho deſcendens ſibi ante civitatem ædificat cellam, quæ acceſſionibus ab eo factis paulatim dilatata, tranſmutata eſt in ea quæ nunc cernuntur monaſteria.* Interfuit anno 473. cum eodem Martyrio morti ſancti Euthymii: licet autem omnes valde lugerent, graviori tamen dolore Martyrius & Elias præ cæteris affecti videbantur; unde & illos conſolatus Anaſtaſius Patriarcha

Digitized by Google

Patriarcha per Chryſippum crucis cuſtodem, hortatus eſt ut frequentius ad eum accederent, *n. 110. pag. 295.* Quum vero corporis Euthymii *ſplendide feciſſet tranſlationem ſeptimo Maii* ejuſdem anni, *Martyrium & Eliam ſecum aſſumens, in ſanctam civitatem revertitur, atque eos ordinat preſbyteros, & refert in catalogum cleri ſanctæ Reſurrectionis.* Hæc omnia præfatus Cyrillus, *ibid. n. 112. pag. 297.* De eodem Elia refert Joannes Moſchus *in Prato ſpiritual. c. 25.* apud Cotel. *to. 2. cit. p. 358. dixiſſe abbatem Polychronium, quod vinum non biberit, monachus quum eſſet, nec poſtquam factus eſt Patriarcha, ſed eamdem ſervaverit regulam.* Factus igitur Patriarcha Hieroſolymitanus anno 494. *prope epiſcopium monaſterium ædificavit,* inquit Cyrillus Scythopolitanus in vita S. Sabæ, *n. 31.* apud Coteler. *to. 3. monum. eccl. Græc. p. 262. ibique ſanctæ Reſurrectionis probos viros aggregavit per loca circa Turrim Davidis diſperſos, cellas ſingulis diſtribuens, cunctis ad corporis refectionem neceſſariis inſtructas. Quibus ſic congregatis, Sabas diverſas ab iis emit cellas, eaſque Xenodochium Lauræ fecit.* Eccleſia Orientalis ejus tempore luctuoſis vexabatur diſſidiis, quæ ſic explicat Cyrillus Scythopolit. *n. 50.* apud Cotel. *p. 295. Quum Patriarcha Elias Hieroſolymorum Pontificatum obtinuiſſet, tertio* (vel potius 4.) *imperii Anaſtaſii anno* (id eſt anno 494. ſiquidem Zenoni mortuo menſe Aprili an. 491. ſucceſſit Anaſtaſius, Saluſtius vero Eliæ prædeceſſor ex hac vita migravit die 23. Julii anno 494.) *conturbata eſt eccleſia Dei, in tres partes diviſa, Pontificibus quidem Romanis diſſidentibus à Byzantinis, eo quod ſacris diptychis inſertum eſſet nomen Acacii epiſcopi quondam Conſtantinopolitani, qui illorum non ſequutus fuerat accuratam diligentiam, rigidioremque diſciplinam: Byzantinis vero diſſentientibus ab Alexandrinis, qui ſynodum Chalcedonenſem anathematizabant, & Dioſcori ab ea depoſiti communionem admittebant. Elias igitur ſolum cum quo communicaret habuit Euphemium Byzantii antiſtitem, quum Occidentales, ut dictum eſt, ſejunxiſſent ſe, & Antiochenus Palladius in gratiam Imperatoris decreta Chalcedonenſia anathemate feriret, atque Alexandrinorum communionem amplecteretur. Tunc igitur Euphemium Conſtantinopoleos epiſcopum qui Chalcedone ſancita confirmaverat ſynodice, epiſcopatu* Imperator *dejecit* (anno Chriſti 495.) *calumnia irretiens: quumque Alexandrinis & Antiochenus Euphemii ejectioni conſentirent, Elias nondum completo ſecundo epiſcopatus ſui anno, aſſentiri detrectabat; Macedonium tamen qui ordinatus fuerat, ubi ex ſynodicis ejus deprehendit eſſe orthodoxum, ad communionem admiſit. Atque id ab exordio non parum Impera-*

A *torem turbavit. Erat ergo inter Macedonium & Eliam concordia. Poſt mortem vero Palladii Flavianus Antiochiam obtinuit, & cum Macedonio ac Elia adunatus eſt: quorum conſenſum non tulit qui adverſus ſolam pietatem audax erat Imperator, ſed ad furorem ut eos in exilium mitteret concitatus eſt. Et primo quidem Macedonium diverſis calumniis implicat, & ab epiſcopatu expellit,* (anno 511.) *ad quem provehit Timotheum; à Flaviano autem & Elia poſtulabat ut adſtipularentur: qui quidem ſynodicis Timothei aſſenſum præbuerunt, non tamen* B *actis depoſitionis Macedonii. Tunc vehementer commoto in utrumque Imperatore, magna ingruebat in utramque eccleſiam tempeſtas.* Ita præfatus Cyrillus, ex quo nonnulla alia exſcribenda ſunt, quæ Eliæ ante contigere; ſcilicet narrat *n. 32.* ejuſdem vitæ ſancti Sabæ, *tom. 3.* Cotel. *pag. 264. Quum Sabas novam Lauram conſtruxiſſet, veniſſe Eliam, eccleſiam dedicaſſe, & in eadem ſanctificatum defixiſſe altare menſe Julio primo die, nona Indictione, agente magno Saba annum ætatis 63.* (id eſt anno 501.) Et poſtea *num. 34. pp. 269. &* C *270.* Sabam, ob indocilitatem monachorum, Nicopolim perrexiſſe; diuturnioris autem ejus abſentiæ occaſione arrepta monachos illos in ſanctam civitatem profectos ad archiepiſcopum Eliam, ei dixiſſe: *Abbas noſter, ubi in ſolitudinem quæ eſt circa mare mortuum ſeceſſiſſet, leonum eſca exſtitit, ſed jube ac velis nobis dare præpoſitum: at Elias vere Dei pontifex, ut qui à temporibus ſancti Euthymii agnoſceret divini Sabæ ab adoleſcentia converſationem & vitam, reſpondit: Ego certe vobis non credo .... ut* (Deus) *ſervum ſuum deſpectum* D *permittat à feris comprehendi: verum abite, abbatem veſtrum quærite, aut quieti manete donec Deus illum manifeſtaverit. Itaque encæniorum die adveniente, juxta hegumenorum* ſeu præpoſitorum *morem, Sabas ad ſanctam civitatem cum quibuſdam fratribus monaſterii circa Nicopolim poſiti proficiſcitur; nam illic monaſterium conſtituerat, congregatis in eo fratribus .... & cum aliquibus monaſteriorum præpoſitis ad archiepiſcopum ingreditur* (& n. 35.) *Quem ſenem intuitus Patriarcha, & lætatus valde, ſeorſim ſumptum hortabatur ut ad pro-* E *priam Lauram rediret: illo autem veniam petente, neque admittente ullatenus, commotus archiepiſcopus dixit; crede, niſi hortamini meo & conſilio obtemperaveris, non amplius videbis faciem meam: neque enim videre ſuſtineo labores tuos ab aliis adminiſtrari. Hæc poſtquam dixit archiepiſcopus, Sabas ſe ipſius juſſioni obediturum pollicitus eſt; cogitur tamen ſexaginta illorum conſortium & conſpirantium edicere ſeditionem, animumque turbarum cupidum. Tunc exurgens Patriarcha ad Lauræ monachos epi-*

Digitized by Google

ſtolam ſcribit hiſce verbis: *Scire vos volo, dilecti fratres, Patrem veſtrum vivere, nec fuiſſe à leonibus devoratum. Venit quippe ad me die feſto, & detinens eum, conſideravi ne ipſe relinqueret Lauram ſuam quam ſuo labore poſt Dei providentiam inſtituit. Velitis ergo hunc cum debito honore ſuſcipere, omnibuſque modis ei ſubjici; non enim vos ipſum ſelegiſtis, ſed ipſe ſelegit vos: quocirca neceſſe eſt ut illi obediatis. Quod ſi qui veſtrum procaces ſunt & inobſequentes, nec ſuſtinent in humilitate degere ac demitti, non illic maneant: nam non licet ut ipſe ſuum locum non recipiat. Sabas igitur qui neſciebat obedientiam recuſare, quemdam è ſuis diſcipulis, Nicopolitam genere, nomine Severianum, præpoſitum illius circa Nicopolim monaſterii declaravit.* (Et n. 36.) *Itaque ſanctificatus vir Sabas accepit Patriarchæ litteras, devenitque in Lauram ſuam.* Verum ſexaginta monachi indociles qui nolebant ſub ejus diſciplina vivere, ad Torrentem verſus Auſtrum Thecoorum abierunt, & conditis ſibi cellis locum nomine *novæ lauræ* donaverunt, poſt quorum diſceſſum à ſenis Laura, reliqui Deo abſque impedimento fructum ferebant puritatis cordis. *Interpoſito autem pauco tempore,* quum S. Sabas *cognoviſſet ubinam commorarentur deſertores ſui diſcipuli.... illuc ad eos proficiſcitur, &c.* & *miſericordia erga ipſos commotus, de rebus eorum ad Patriarcham refert, quem ad componendos ipſos hortatur. Patriarcha vero dans illi manu propria auri libram unam, poteſtatem quoque loci illius & in eo habitantium, ut qui ad conventum ipſius pertinerent, præbuit.* Inde ex ejuſdem Patriarchæ Hieroſolymitani ſententia ejecti ſunt quatuor monachi, qui dogma de præexiſtentia animarum occulte ſuſurrabant. Anno 511. Anaſtaſius Imperator in Flavianum Antiochenum, & Eliam Hieroſolymitanum valde commotus fuit, quod Macedonii Conſtantinopolitani depoſitionem non approbaſſent, licet Timothei quem in ejus locum ordinari curaverat, litteras ſynodicas ſuſcepiſſent. Hac de cauſa Elias S. Sabam Conſtantinopolim anno ſequenti miſit ad Anaſtaſium. Sic rem explicat Cyrillus Scythopolit. in vita S. Sabæ, *n. 50.* apud Cotel. *to. 3. p. 295. Septuageſimo-tertio ætatis ſanctificati Sabæ anno,* (Chriſti 511.) *archiepiſcopus Hieroſolymorum Elias, qui quoſdam hegumenorum* (id eſt præpoſitorum) *vellet mittere Conſtantinopolim, arceſſitum Sabam rogabat, ut cum iis proficiſceretur, totiſque viribus ad conſervandam in tranquillitate matrem eccleſiarum decertaret, quod Imperator Anaſtaſius vehementer indignaretur, omnemque Palæſtinæ eccleſiaſticam conſtitutionem evertere & confundere conaretur, &c.* Per eum vero hujuſmodi ad Imperatorem litteras ſcripſit *pag. 297.*

A *Selectos Dei ſervos bonos ac fideles totiuſque eremi principes, atque in iis dominum Sabam ſolitudinis noſtræ frequentatorem, gubernatorem, & patronum, totiuſque Palæſtinæ luminare miſi, ad placandum imperium veſtrum.... Pater autem Sabas pontificis ſententiæ obſequebatur, promptè operam dans, ſi forte catholicæ orthodoxæ fidei eo tempore vexatæ & periclitanti auxilium ferre poſſet. Eo itaque dimiſſo & iter peragente, Anaſtaſius Imperator effreni inſania in Flavianum ac Eliam Patriarchas uſus, præcipit ſynodum Sidone epiſcoporum Orientalium & Palæ-* B *ſtinorum fieri; juſſitque ut ſynodo præeſſent Soterichus Cæſareæ Cappadociæ, & Philoxenus* (Xenaïas) *Hierapolis, qui epiſcopi decreta concilii Chalcedonenſis præcipuè anathematizabant, necnon Eutychi ac Dioſcoro eorumque pravæ alienæque doctrinæ patrocinabantur, &c.* n. 52. pag. 300. Porro quum Sabæ dixiſſet Imperator; *veſter archiepiſcopus propugnatorem ſe fecit Chalcedonenſis ſynodi quæ Neſtorii dogmata confirmavit, neque hoc ſolum, ſed etiam Antiochiæ præſulem Flavianum labefactatum ad ſe pertraxit. Unde quum Chalcedonenſis* C *doctrina anathemate catholico & univerſali percutienda jam eſſet à ſynodo quæ nunc Sidone congregata eſt, ipſe ſolus prohibuit, re una cum Flaviano Antiocheno compoſita; atque, ut arbitratus eſt, noſtrum imperium ludificavit, in epiſtolis nobis ad verbum ita loquutus: Omnem hæreſim quæ adverſus rectam fidem novi quidpiam inducit, rejicimus, nec admittimus etiam quæ Chalcedone geſta ſunt, propter ſcandala inde exorta: &, ut cenſuit, nos hocce ſermone decepit, qui ſanximus ſynodum negotio infecto dirimi. Verum non latuit nos, neque nunc, neque* D *prius, quando decretis per quæ Euphemius & Macedonius Neſtoriani depoſiti ſunt, aſſentiri recuſavit, quod Chalcedonenſis concilii, totiuſque Neſtorianæ hæreſeos propugnator ſit. Quocirca eum, uti vides, decernimus epiſcopatu expelli, hominemque orthodoxum ſanctaque illa & apoſtolica ſede dignum promoveri, ne venerabilia illa, quæque Deum ſuſceperunt loca, dogmatibus Neſtorii inquinentur.... Sanctus autem Sabas in hæc verba reſpondit: Plenè ſibi perſuadeat ſerenitas veſtra archiepiſcopum ſanctæ noſtræ Dei civitatis, qui ab antiquis luminaribus & miracu-* E *lorum editoribus patribus deſerti noſtri in doctrina pietatis eruditus fuerit, ex æquo rejicere, tum Neſtorii diviſionem, tum Eutychis confuſionem, atque medium orthodoxæ fidei iter ingrediendo, neque in dexteram, neque in ſiniſtram, ut cum ſcriptura loquar, declinare ſuſtinere. Hunc quippe ſcimus divina ſancti Cyrilli Alexandriæ archiepiſcopi dogmata ſpirare, iiſque adverſatos, vel adverſantes anathemate percutere. Obſecramus igitur veſtram ſerenitatem, ut ſancta Hieroſolymorum civitas in qua magnum pietatis*

Digitized by Google

manifeſtatum eſt ſacramentum, imperturbata ſervetur; immoto manente apud nos pontificatu ſive cœtu pontificum. Tum Imperator poſt conſideratam ſenis ſanctitatem, & ſimplicitatem, dixit: revera Calogere, præclare per divinam ſcripturam dictum eſt: Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter. Verum ora pro nobis, & abjice curam, quia nihil adverſus archiepiſcopum veſtrum, ob ſanctitatem tuam, ſancimus, teque hinc cum omni dimittimus cultu, &c.... n. 54. p. 305. *Ad Palæſtinam enavigavit* (Sabas) *menſe Maio quintæ Indictionis....* (an. 512.) & n. 55. pag. 306. *Mamam vero quemdam monachorum Apoſchiſtarum circa Eleutheropolim archimandritam, qui una cum Severo Acephalorum principe Conſtantinopolim adverſus fidem orthodoxam profectus fuerat, multamque apud Imperatorem libertatem & fiduciam obtinuerat; tandem vero cum eodem Severo acerbe contenderat, ſecum Hieroſolymam.... ad Patriarcham Eliam adducens, effecit ut admitteret ſynodum Chalcedonenſem, & communionem eccleſiæ catholicæ amplecteretur, Eutychem quoque ac Dioſcorum anathemate percuteret, multoſque ſuo exemplo ad idem faciendum perduceret, quod non mediocriter Imperatorem Anaſtaſium in Patriarcham Eliam concitavit....* & n. 56. pag. 307. *Itaque quum Flavianus & Elias Patriarchæ, ſicut dictum eſt, Sidonem veniſſent, litteraſque blandas ac diſpenſatorias,* καὶ γράμμασι κολακευτικοῖς τε καὶ οἰκονομικοῖς, *ad Imperatorem miſiſſent, ſynodumque Sidoniam quæ contra rectam fidem congregata fuerat diſſolviſſent, atque ad proprias ſedes eſſent reverſi, indignati Soterichus & Philoxenus, ad effrenem iram concitaverunt Imperatorem, quaſi per Patriarcharum aſtutiam, fraudem, & ſimulationem deceptus fuiſſet. Unde accepta quam volebant poteſtate, multum auri Antiochenæ plebi tribuendo, variis modis Flavianum affligentes, & quodammodo ſuffocantes, cogenteſque Chalcedonenſem ſynodum anathemate ferire, eum ab epiſcopatu expulſum exilio damnarunt. Quo comperto Imperator lætitia affectus, Severum Acephalorum principem in epiſcopum Antiochiæ miſit: qui Severus arrepto patriarchatu, multa quidem mala iis qui nollent cum eo communicare intulit: miſſis vero ſynodicis ad archiepiſcopum Eliam, nec admiſſus in communionem, ad iram commovet Imperatorem; iterumque eaſdem ſynodicas ſuas menſe Maio ſextæ Indictionis* (anno 513.) *mittit Hieroſolymam cum quibuſdam clericis & Imperatoriis copiis. Ea autem re cognita Sabas in ſanctam civitatem aſcendens una cum aliis eremi hegumenis, tum eos qui venerant cum ſynodicis Severi, à ſacra civitate expulit, tum multitudine monachorum undique collecta, ante ſanctam Calvariam cum Hieroſolymitis clamabant dicentes; anathema Severo, iiſque qui cum eo*
A *communicant; quum præſentes adhuc eſſent ac audirent magiſtriani, duces, atque milites quos miſerat Imperator. Hic enim Severus gravi arrogantia correptus, & imperatoria potentia fultus, Chalcedonenſem ſynodum innumeris ſubjecit anathematibus, &c.* Et pag. 310. *Ut ergo hujuſmodi animarum corruptorem hominemque pernicioſum archiepiſcopus Elias ad communionem ſuam admitteret, cogebat Imperator. Illo autem nequaquam hoc facere volente, ira exardeſcens, Imperator Olympium quemdam Cæſarienſem, qui ducatum Palæſtinæ tenebat, miſit,*
B *ſimul epiſtolam illam diſpenſatoriam,* οἰκονομικὴν ἐπιστολὴν, *mittens, quæ ex Sidone ſcripta fuerat, quæque profitebatur non admittendam eſſe ſynodum Chalcedonenſem, ut omni modo Eliam ab epiſcopatu dejiceret. Qui Olympius cum Imperatoris militibus advenit, multiſque modis, artibus, & machinis uſus, Eliam expulit, & in Ailam* (in Arabia ad mare Rubrum) *relegavit: Joannem vero Marciani filium qui ſponderet, tum Severo communicaturum ſe, tum ſynodum Chalcedonenſem anathemati ſubjecturum, epiſcopum Hieroſolymorum fecit.* Anno
C ſcilicet Chriſti 513. quum Elias vigeſimum annum ageret.

Ex hac porro generoſa Eliæ reſiſtentia, ejuſque ob illam ſequutis depoſitione & exilio, deduci poſſe ait Tillemont. *tom. 16. hiſt. eccl. pag. 720.* eum retractaſſe quæ imprudenter ad Anaſtaſium Imperatorem, quaſi concilium Chalcedonenſe non approbaret, ex ſynodo Sidonienſi ſcripſerat: id quidem per *œconomiam* tantum præſtitit Elias, ne ſcilicet in ea ſynodo, cui præſidebant ex Imperatoris juſſu Soterichus & Philoxenus concilii Chalcedo-
D nenſis hoſtes, illud concilium proſcriberetur: quod ea arte impedivit, ſynodo ſtatim ante quam aliquid in iſtud concilium pronunciaretur, ab Imperatore ſoluta. At deinceps per totam reliquam vitam, omni ſemota ratione humana, nec reformidata amplius ira Imperatoris, palam concilii Chalcedonenſis defenſionem ſuſcepit, & ſtrenuè proſecutus eſt. Quibuſdam antea annis, ut diſcimus ex litteris monachorum Palæſtinæ ad Alciſonem, apud Evagr. *lib. 3. hiſt. eccl. cap. 31.* Philoxenus eique adhærentes *poſtulaverant ab epiſcopo*
E *Hieroſolymorum* (Elia) *ut formulam fidei ſuæ conſcriberet: quam ille quum edidiſſet, per ſectatores Dioſcori miſit ad Imperatorem, & ea quidem, quam ipſi proferunt, anathematiſmum continet eorum qui duas in Chriſto naturas prædicarunt. Ipſe vero Hieroſolymorum epiſcopus, eam ab illis falſo confictam eſſe dicens, aliam profert abſque hujuſmodi anathematiſmo.* Ita illi monachi: qui ibidem quoque ſcripſerunt de Flaviano Antiocheno, *multis agitatis,* ut Chalcedonenſem ſynodum anathemati-

Digitized by Google

zare cogeretur, hunc demum *expoſitionem fidei edidiſſe, in qua ſynodum* (prædictam) *in eo quidem quod ſpectat ad depoſitionem Neſtorii atque Eutychis ſuſcipere ſe profitebatur, quantum vero ad definitionem & doctrinam fidei, nequaquam.* Hujus autem narrationis occaſione monet idem Tillemont. *tom. jam cit. pag. 680.* à nonnullis viris eruditis apprimè catholicis obſervari, definitionem fidei Chalcedone ſancitam, non *ſymboli* in eccleſia, ſed ſimplicis duntaxat expoſitionis habere rationem, ſubindeque potuiſſe non recipi ut ſymbolum; quippe quum decreto Epheſinæ ſynodi, in ipſa ſynodo Chalcedonenſi confirmato, prohibitum fuiſſet ne aliud, præter Nicænum, fidelibus ſymbolum proponeretur: ex quo conjicit Tillemont. hoc fortaſſis præciſe à Flaviano fuiſſe intentum: eodem etiam ſenſu loquutus non abs re videtur Elias in epiſtola quam una cum Flaviano per œconomiam ex ſynodo Sidonienſi de fide Chalcedonenſi ad Anaſtaſium Imper. miſit. Ut ut ſit, illos ſane, non minus impoſterum quam antea, concilio Chalcedonènſi addictos ſic ſibi perſuaſerant Dioſcori aſſeclæ, ut utriuſque ejectionem ab epiſcopatu, & in exilium relegationem, quaſi ſtudioſiſſimorum ejuſdem concilii patronorum, apud Anaſtaſium Imperatorem promovere non deſtiterint. Evagrius, qui hæc refert, ſcribebat 80. annis poſt Severi ordinationem, quæ anno Chriſti 512. contigit: adeoque anno 592. ſic enim loquitur *ibid. cap. 33. Ejecto igitur Flaviano, Severus ad epiſcopatum Antiochenſis eccleſiæ promotus eſt anno urbis Antiochiæ quingenteſimo ſexageſimo primo, menſe Dio,* (id eſt Novembri) *Indictione ſexta currentis tunc circuli. Quo tempore vero exſcribimus, annus eſt Antiochenorum 641.*

Quod ſpectat ad Eliæ Hieroſolymitani ejectionem, hæc de ea narrat Cyrillus Scythopolitanus in vita S. Sabæ *n. 58.* apud Cotel. *to. 2. pag. 321. Simul ac in exilium miſſus fuit archiepiſcopus Elias, clauſum eſt cœlum, ut quinque annis non plueret ſuper terram; & præter ſiccitatem, etiam locuſtarum ingens multitudo exſtitit, tum bruchus ſine numero, atque omnem terræ ſuperficiem delinxit. Secundo autem locuſtæ anno, ingruit alia locuſta quæ aërem texit, omniaque ligna agri depaſta eſt. Hinc orta valida fames & crebra mors, adeo ut dicerent Hieroſolymitani, propter peccatum quod commiſſum fuerat in archiepiſcopum Eliam hæc mala ſuperveniſſe.* Et n. 60. ſic ejus mortem deſcribit (Cotel. p. 324.) *Sabas octogeſimo ætatis anno, circa æſtivum ſolſtitium Indictionis undecimæ,* (anno 518.) *ex Dei diſpenſatione, ad archiepiſcopum Eliam in Ailam profectus eſt, ſecum ducens Stephanum monaſterio magni Euthymii præfectum, & Euthalium monaſteriorum ejuſdem Eliæ Patriarchæ Hierichuntinorum præpoſitum; quos cum lætitiâ ſuſceptos Patriarcha Elias apud ſe aliquot diebus tenuit, per quos dies à dimiſſione quidem lucernarii uſque ad horam nonam ipſis non ſe reddebat conſpicuum; circa horam autem nonam egrediebatur, & cum illis communicabat, atque veſcebatur, ac poſt lucernarium recedebat. Dum ergo ita ageret, contigit ut nona menſis Julii die pro ſolito non exiret. Illis autem expectantibus, & neque communicantibus, neque quidquam guſtantibus, egreſſus circa horam ſextam noctis dixit; vos cibum ſumite, non eſt enim mihi otium. Quumque Sabas teneret eum & quodammodo cogeret ad dicendum quid haberet, collacrymans reſpondit: Hac hora migravit è vita Anaſtaſius Imp. oportet vero prorſus* (me) *poſt decimum diem excedere, & cum eo diſceptare ac judicari. Tum de monaſteriis ſuis mandavit, &c. His conſtitutis, octo diebus poſt viſum ſuperſtes, ſola communione & mixto liquore contentus, ægrotavit parumper. Quum autem Sabas & qui cum eo erant non diſceſſiſſent ab ipſo per tres dies, vigeſimo menſis Julii, poſt communionem & preces, dictoque amen, in pace in idipſum dormiit ac requievit, totius vitæ annis octoginta octo decurſis. At beatus Sabas, notato die, reverſus Hieroſolymam, agnovit nocte decimæ diei Julii menſis, qua Patriarchæ Eliæ viſum objectum eſt, tonitruis & fulguribus circa palatium volutatis, Imperatorem Anaſtaſium omnino ſolum fere abſumptum, eumque animo concidentem, ac de locis in loca fugientem, in uno è parvis cubiculis ab ira* (divina) *comprehenſum fuiſſe, proſtratum, occiſumque, ita ut repente mortuus inventus ſit,* anno Chriſti 518. Joannes Moſchus in Prato ſpirituali *n. 26.* apud Cotel. *to. 2. monum. eccl. Græc. p. 358.* hæc narrat de morte Flaviani Antiocheni & Eliæ Hieroſolymitani Patriarcharum: *Aiebant de archiepiſcopo Hieroſolymorum, & de Flaviano Antiochiæ archiepiſcopo, quod Anaſtaſius Imperator utrumque propter ſanctam Chalcedonenſium Patrum ſynodum exilio damnaverit. Eliam quidem in Ailam, Flavianum vero apud Petram. Die igitur quadam ſignificaverunt ſibi Patriarchæ mutuo dicentes: Anaſtaſius hodie mortuus eſt; & eamus etiam nos, ut cum illo judicemur. Ac poſt duos dies* (à miſſis ad ſe invicem his nuntiis, ut exponit Tillemont. *tom. 16. hiſt. eccl. p. 708.*) *migraverunt ad Dominum.* Flaviani & Eliæ memoriam colit eccleſia Romana in ſuo Martyrologio, die 4. Julii his verbis: *Eodem die, ſanctorum Flaviani ſecundi Antiocheni, & Eliæ epiſcopi Hieroſolymitani, qui pro ſynodo Chalcedonenſi ab Anaſtaſio Imperatore in exilium acti, victores migraverunt ad Dominum.*

Digitized by Google

XLIX. JOANNES III.

Elia in exilium miſſo per Olympium Palæſtinæ præfectum Anaſtaſii Imperatoris juſſu anno Chriſti 513. ut dictum eſt *col. 182.* in ejus locum intruſus eſt *Joannes* Marciani filius, quem Elias diaconum ordinaverat. Cyrillus Scythopolitanus in vita ſancti Sabæ, multa de eo ſcribit. Scilicet *num. 37.* apud Cotelerium *tom. 3. pag. 277. Marcianus quidam preſbyter ſanctæ Reſurrectionis & ſanctæ Sionis præpoſitus* (fuit).... *quem archiepiſcopus Elias amore proſequutus epiſcopum Sebaſtæ ordinavit, ut & Aſcalonitarum eccleſiæ Antonium* (ejus filium) *Joannem vero* (alterum ejus filium) *ſanctæ reſurrectionis diaconum fecit.* Et num. 56. pag. 310. de ejus promotione ad epiſcopatum Hieroſolymitanum. *Olympius, qui ducatum Palæſtinæ tenebat, cum Imperatoris militibus advenit, multiſque modis, artibus, & machinis uſus, Eliam quidem ab epiſcopatu expulit, & in Aïlam relegavit, Joannem vero Marciani filium, qui ſponderet, tum Severum ad communionem ſuam recipere, tum ſynodum Chalcedonenſem anathematizare, epiſcopum Hieroſolymorum fecit.... Poſtquam autem cognovit Sabas cum reliquis deſerti patribus hæc Joannem pactum fuiſſe, collecti conteſtati ſunt eum ne cum Severo communicaret, ſed potius pro ſynodo Chalcedonenſi vitam exponeret, ut qui cunctos ſe ſocios & auxiliatores haberet: iis morem gerens Joannes quæ promiſerat Olympio non implevit. Quod ubi comperit Imperator, in furorem actus, Olympio amoto, Anaſtaſium Pamphili ducem Palæſtinæ creatum mittit qui Joannem cogeret communicare cum Severo, & ſynodum Chalcedonenſem proſcribere, alioqui eum epiſcopatu dejiceret. Is Hieroſolymam veniens archiepiſcopum ab improviſo adoritur & conjicit in carcerem. Cuncti autem ſanctæ urbis habitatores lætati ſunt, quod archiepiſcopi Eliæ inſidiator proditorque extitiſſet. Verum Zacharias quidam qui Cæſarienſium magiſtratum gerebat, clam in cuſtodiam ingreſſus conſilium dat Joanni: ſi recte agere cupis, nec epiſcopatu privari, nihil te adducat ad Severum in communionem admittendum, ſed ſimula te duci conſentire, ac dicito, hoc quidem in loco quæ propoſita ſunt facere non differo, ſed ne quidam dicant me per neceſſitatem ac vi feciſſe; educar hinc, & poſt duos dies, proxima die Dominica, quæ jubetis alacriter peragam. Quo ſermone perſuaſus dux, reſtituit eum eccleſiæ. Itaque archiepiſcopus quum dimiſſus fuiſſet, omnem monachorum cœtum noctu ad ſanctam civitatem convocavit, & undique collegit, quam multitudinem quidam numerando, renuntiarunt agmen decem millia monachorum continuiſſe. Et quia tota eccleſia tantum populum capere non poterat, placuit ut omnes die Dominica convenirent in ædem ſancti Stephani*
A *primi martyris, quæ ad recipiendam multitudinem idonea eſſet; ſimul & obviam ire volentes Hypatio Imperatoris ex ſorore nepoti, qui tunc à Vitaliani captivitate ſolutus Hieroſolymam voti ac devotionis cauſa ſe conferebat. Convenerunt ergo cuncti, tum monachi, tum cives, in memorata venerabili æde: convenerunt etiam Anaſtaſius dux, & Zacharias conſularis: quumque adveniſſet Hypatius, & cum multitudine in protomartyris Stephani templum intraſſet, expectaretque dux voluntatem Imperatoris fore complendam, aſcendit in ambonem archiepiſco-*
B *pus, ſecum habens Theodoſium & Sabam monachorum principes ac ductores, omnis vero populus per multas horas clamabat: hæreticos anathemati ſubjice, ſynodum confirma. Statim igitur ex conſenſu unaque voce tres illi anathematizant Neſtorium, Eutychem, Severum, Soterichum Cæſareæ Cappadociæ* (epiſcopum) *& omnem qui ſynodum Chalcedonenſem non reciperet. Quæ poſtquam hi tres prædicaverunt, atque deſcenderunt, reverſus abbas Theodoſius, hanc ad populum vocem emiſit: ſi quis quatuor ſynodos non admittit, ſicut quatuor evangelia,*
C *anathema ſit. His ita geſtis, dux quidem* (Palæſtinæ) *multitudine monachorum territus in urbem Cæſaream fugit, Hypatius vero cum juramentis dixit patribus: Huc veni, non quod cum Severo communicem, ſed ut veſtra dignus haberer communione, &c.* Id porro contigit anno Chriſti 514. Et num. 57. pag. 313. *Cæterum Anaſtaſius Imperator quæ Hieroſolymis geſta fuerant audiens, archiepiſcopum Joannem, Theodoſium Sabamque qui ambonem una cum archiepiſcopo conſcenderant, per vim exiliis condemnare meditabatur. Ea autem re Hieroſolymis*
D *cognita, monachorum præſides pietatis pugiles orthodoxæ fidei duces & propugnatores Theodoſius & Sabas cunctos eremi monachos congregaverunt, quumque una ducerentur ſententia, preces ſeu obteſtationem ſcribunt, mittuntque Imperatori.* Legenda hic eorum epiſtola, quæ longior eſt ut referatur. *Hunc libellum ſupplicem* (pag. 320.) *ubi Anaſtaſius Imperator accepiſſet, detentus à Vitaliani motibus, conſilium cepit ea in re interim quietem ac ſilentium tenendi; atque eo modo Joannes à ſede Hieroſolymitana dejectus non fuit.* Et n. 60. p. 326.
E *Defuncto Anaſtaſio,* anno Chriſti 518. die 9. Julii, Juſtinus Imperator renuntiatus eſt, qui *ſtatim ubi imperium aſſumpſit, leges tulit quibus jubebatur ut omnes ab Anaſtaſio in exilium pulſi revocarentur, item ſynodus Chalcedonenſis ſacris diptychis insereretur. Quæ Juſtini juſſa poſtquam Hieroſolymam delata fuiſſent, infinita multitudo monachorum & laïcorum congregata eſt, concurrit quoque S. Sabas, & epiſcoporum concilium, celebratoque feſto, ſexta Auguſti menſis, promulgatæ ſunt Imperatoriæ juſſiones,*

Digitized by Google

& quatuor ſynodi in ſacris diptychis repoſitæ ſunt. Scilicet Joannes, congregata Hieroſolymis ſynodo contra Severum & in gratiam concilii Chalcedonenſis, ea fecit & ſcripſit quæ in hiſtoria eccleſiaſtica & conciliorum actis referuntur, inſignique ſuo pro fide orthodoxa zelo meritus eſt, ut Juſtinus Imperator, apud Hormiſdam Romanum Pontificem, reconciliationem ejus, eccleſiæque Hieroſolymitanæ cum ſede apoſtolica ſpecialiter exoraverit. Pergit Cyrillus Scythopolit. n. 61. pp. 326. & 327. Tunc archiepiſcopus Joannes ſuadet Sabæ pergere uſque Cæſaream & Scythopolim, una cum aliis quibuſdam eremi hegumenis, ad patefaciendas Imperatoris litteras, & quatuor concilia per urbes ſacris diptychis inſerenda. Et n. 64. pag. 330. Reverſum è Scythopoli Sabam Joannes archiepiſcopus ad convivium invitavit; vocatis pariter aliis ſolitudinis hegumenis, una cum Antonio fratre ſuo, epiſcopo Aſcalonis, &c. (Sabæ) igitur propè ſe collocato archiepiſcopus panes & alia quæ occurrebant apponebat, Antonio epiſcopo Aſcalonis pariter à dextris ejus poſito, & ad edendum incitante. Beatus vero ſenex abſque ſimulatione ſimpliciſſimè cuncta ſibi oblata ſumebat: quumque duo fratres & ſummi ſacerdotes medium illum haberent, occupatique eſſent in eo excitando, dixit, ut ipſiſſima ejus verba commemorem: Sinite, ſinite, Patres, ego, quantum egeo, ſumam. Tunc autem magnus abbas Theodoſius ad eum (Patriarcham) lepidè dixit: Dominus Sabas adeo eſurit, ut ambo vos, qui poſt Deum Palæſtinam, in hac potiſſimum fame paſcitis, magno labore contenderitis ad ſubminiſtrandum illi cibum. Et archiepiſcopus reſpondit: Ignoſcite Patres; nos cuncti nec jejunium, nec ſatietatem ferimus, hic vero Dei homo apoſtolici particeps muneris & chariſmatis ſcit & humiliari (Philipp. cap. 4. verſ. 12.) ſcit & abundare, ubique & in omnibus inſtitutus & ſatiari & eſurire, & abundare, & penuriam pati, & omnia poteſt in eo qui ipſum confortat Chriſto. Et n. 66. pag. 333. Jam vero quarto ſiccitatis anno completo, Sabæ diſcipuli (monaſterii) Speluncæ, veniunt in maximam lauram ad eum dicentes: Dimitte nos, Pater, neque enim in tuo manere poſſumus monaſterio, utpote qui aqua omnino deſtituimur, & menſe Maio præterlapſo, concluſum eſt imbris tempus. At ſanctus, poſtquam partim increpaſſet, partim ut cum gratiarum actione incurſantes caſus tolerarent admonuiſſet, ſubjunxit; fidem Deo habeo quod poſt tres dies implebuntur omnia veſtra receptacula: abite ergo, adornate aquæductus, eſtote parati, & donum Dei citamque viſitationem ejus conſpicietis. Ac tertio die nubes apparuit ſupra ſolum cœnobium, factaque eſt pluvia ingens, & repleta ſunt cuncta receptacula, ſecundum ſenis prophetiam. Porro in

A monaſteriis ex utraque Speluncæ parte poſitis, Caſtellii nempe ab Oriente, & Scholarii ab Occidente, ad quinque tantum ſtadia, & in maxima laura.... gutta aquæ non decidit: quorum monaſteriorum præſides contriſtati, acceſſerunt ad ſenem, dixeruntque; quodnam eſt crimen noſtrum, venerabilis Pater, quod ita abjeciſti nos, ut non orares pro cæteris monaſteriis tuis! Tum ait illis ſanctus: indigentibus Deus benedictionem & munus emiſit: vos quoque nolite demittere animum, nam vobis aqua non deerit donec dederit Dominus pluviam ſuper terram.

B Et n. 67. p. 334. Quinto famis anno incipiente, tanta erat aquæ anguſtia, ut ſanctæ urbis pauperes aquam mendicarent, ac ſiti perirent.... Quocirca archiepiſcopus, qui populi ſeditionem verebatur, loca humidiora circuibat, foveas excavabat multa cum hominum manu, aquam reperturum ſe arbitratus, non inveniebat tamen: deſcendenſque ad torrentem Siloe, propè columnam S. Coſmæ, ad maximam lauræ viam, per quemdam mechanicum, & multitudinem operarum fodit uſque ad quadraginta orgyias; quumque aquam non inveniret, valido mœrore afficie-

C batur, quod præſertim encæniorum dies appropinquaret. Tum Summo uſus conſultore, viro qui varios geſſerat civiles magiſtratus, anxius erat, dicebatque: quid agam, menſe Septembri jam ineunte, nec civitate aquam habente! excepit autem Summus; Audivi de abbate Saba, quod ante hos paucos dies, quum unum ex ipſius monaſteriis aqua careret, vehementiſſima pluvia circa ſolum illud monaſterium ceciderit, cunctaque ejus impleverit receptacula, poſtquam Sabas à monaſterii monachis oratus fuiſſet. His acceptis archiepiſcopus beatum Sabam quaſi ob

D aliud quidpiam arceſſivit ad epiſcopium, ſumpſitque eum ſeorſim, & hortabatur ad obſecrandum Deum, ut cum populo ſuo reconciliaretur, atque humani generis fame & ſiti conſumpti miſereretur: addens hæc verba; ſi ego peccavi, quid ad populum pereuntem! reſpondit ſanctus Sabas: ipſe quis ſum, ut Dei iram avertere valeam, qui peccator ſim & imbecillus; præcipuè quod ſcriptura dicat (Job 12. v. 14.) ſi clauſerit cœlum, quis aperiet! Tum multis hortatoriis ſermonibus ab archiepiſcopo prolatis, tandem cedens Sabas dixit: ecce ad cellam vado, & ut obediam bea-

E titudini tuæ, precabor faciem Dei; novi quod hominum amans ſit ac miſericors, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus (Pſ. 144. v. 9.) Verumtamen hoc tibi ſignum ſit, ſi tres dies pertranſierint, nec pluerit, ſcito me non eſſe à Deo exauditum. Orate ergo etiam vos, quo fiduciam habeat precatio mea. Quæ ubi dixiſſet, tertio Septembris menſis die ab eo diſceſſit. Die autem ſequenti, quum æſtus validiſſimus eſſet, complures operarii in prædicta foſſa laborabant, & circa veſperam relictis inſtrumentis omnibus

Digitized by Google

quæ multa habebant, & cophinis, abierunt, cum ſpe manè ad opus redeundi. At circa horam noctis primam, ventus flavit auſter, orta ſunt fulgura & tonitrua, imberque vehemens delapſus eſt, adeo ut ante diluculum impleti fuerint aquæductus, & torrentes undique ferrentur. Quodque aquæ in loco foſſæ redundarent, aggeres tanto tempore, tot laboribus ſumptibuſque erecti, uno temporis momento in ſuum locum detracti ſunt, & tabulata, inſtrumenta, cophinoſque cooperuerunt, manſeruntque inferius ad hunc uſque diem, quo nempe Cyrillus iſta ſcribebat: *necnon per multitudinem aquarum, ac Dei gratiam, æquatus eſt foveæ locus, adeoque complanatus, ut non agnoſcatur. Impleta vero ſunt ſanctæ civitatis receptacula; atque encæniorum* ſeu dedicationis *feſtum cum gaudio & animi jucunditate actum eſt.* Et n. 68. p. 336. *Dum Sabas annum agit octogeſimum ſextum,* (anno 524.) *Joannes archiepiſcopus, poſt peractos in patriarchatu ſeptem annos cum novem menſibus, obiit, reliquitque in epiſcopatu ſucceſſorem beatiſſimum Petrum genere Eleutheropolitam. Tribus vero annis interlapſis Romanorum Imperator Juſtinus, jam ſenex, & corporali infirmitate correptus, decreto Dei, & comprobatione univerſi ſenatus, Epiphanio Conſtantinopolis archiepiſcopo manus imponente, provehit ad tenendum imperium Juſtinianum noſtrum à Deo cuſtoditum Imperatorem, ſororis filium, patricium, conſulem, magiſtrum militiæ, quique reipublicæ negotia potenter regebat. Illum ergo Imperatorem promovet, ac poſt tres menſes, ipſe piæ memoriæ Juſtinus, annis novem in imperio tranſactis, vivendi finem fecit.* Quæ quum anno Chriſti 527. contigerint, palam eſt Joannem, qui tribus annis antea deceſſerat, ex hac vita migraſſe anno 524. adeoque undecimo ab intruſione ſua anno: huic tamen non aſſignat Cyrillus niſi ſeptem patriarchatus annos cum novem menſibus, utique quod tribus prioribus annis eum pro legitimo Pontifice non habuerit. Annos undecim computat Nicephori chronicon. Doctiſſ. actorum ſanctorum editores *tract. prælim. in tom. 3. Maii,* aiunt *pag. 27. n. 118. col. 1.* eum exceſſiſſe die 22. April. juxta Henſchenium in Prolegomenis ad vitam S. Euthymii *n. 15. die 20. Januar.* & addunt, quæ in vita ſancti Sabæ habentur, cum omni illius temporis hiſtoria convenire optime, totamque horum Patriarcharum ſucceſſionem & chronologiam reddere undequaque indubitatam.

L. PETRUS.

Jam diximus *Petrum* Eleutheropoli oriundum, Joanni in ſede Hieroſolymitana, anno Chr. 524. juxta accuratam Cyrilli Scythopolitani epocham ſucceſſiſſe. *Eumdem,* inquit A ille *n. 68.* apud Cotel. *to. 3. monum. eccl. Græc. pag. 337. honorem beato Sabæ, quem præcedentes Patriarchæ, detulit, ſtudiumque geſſit ad eum frequentius in eremum accedendi. Sororem habebat ſecundum carnem nomine Heſychiam, divinis virtutibus inſignem. Quæ quum in graviſſimum morbum delapſa eſſet, atque à medicis deſperata, frater ejus condolens arceſſitum beatum Sabam hortabatur ut laborem veniendi ad ipſius uſque domum ſuſciperet, atque orationem pro ea faceret. Sanctus ſenex, qui non obtemperare neſciebat, ad illam perrexit, & valetu*-B *dinem deſperatam inveniens, precibus pro ipſa fuſis, ter eam ſigno crucis conſignavit, & reſtituit ſanitati. Miraculo autem per univerſam ſanctam civitatem evulgato, cuncti Deum glorificaverunt.* Et n. 70. pag. 339. *Ineunte anno ætatis ſancti Sabæ 91.* (anno 529.) *ſanctus abbas Theodoſius finem vitæ ſortitus eſt, menſe Janu. die undecima, ſenex ac plenus dierum.* Editores actorum SS. *tract. prælim. in to. 3. Maii, p. 27. n. 120. col. 2.* aiunt Cyrillum, in præfatione ad vitam hujus ſancti à Theodoro Petrarum epiſcopo ſcriptam, referre eum mortuum *undecima die* C *Januar. Indictionis VII. 22.* menſe regnantis Juſtiniani, quum centeſimum fere ſuæ ætatis annum attigiſſet. Cœperat autem regnare Juſtinianus in cœna Domini, kalendis Aprilis anni 527. ita ut menſis ejus vigeſimus ſecundus recte nos ducat ad Januar. anni 529. Petrus archiepiſcopus, cognita ea Theodoſii morte, cum aliis quibuſdam epiſcopis tunc in ſancta civitate præſentibus, feſtinavit ad monaſterium ut exequias celebraret, ſicut teſtatur Theodorus prædictus πανάριστον, id eſt, *optimum,* ſeu *præſtantiſſimum* appellans *Petrum.* D Auctor vero alterius vitæ, quæ latinè extat edita, laudat ut virum, *cujus magna quidem fuit fama, famam autem ſuperabat virtus. Quarto poſt Theodoſii abbatis obitum menſe,* inquit Cyrillus Scythopolit. in vita S. Sabæ, *n. 70. to. 3.* Cotel. *p. 339. Palæſtinæ Samaritani, gens tota, bello aggreſſi chriſtianos, multa nefaria perpetraverunt, incidentes eccleſias deprædantur, ignique tradunt, incurrentes Chriſtianos variis ſuppliciis crudeliter necant, integras villas incendunt, maxime in locis quæ Neapolim* (urbs eſt Sichem ſive Sichar hodie E dicta Naplouſe) *cingunt, ubi tyrannide aſſumpta ſibi regem coronaverunt Julianum quemdam ſuæ gentis hominem. Tunc vero epiſcopum Neapoleos Ammonam jugulavere, quoſdam etiam preſbyteros comprehenſos, atque conciſos una cum reliquiis ſanctorum martyrum frixerunt, multaque hujuſmodi atrocitatis commiſerunt flagitia, adeo ut viæ, quæ regiæ vocantur, inacceſſæ ac imperviæ Chriſtianis fierent. Quæ omnia ubi ad aures pervenerunt Juſtiniani Imperat. juſſi ſunt Theodorus & Joannes viri clariſſimi exercitum*

Digitized by Google

cogere, & contra Samaritanos ducere. Conflictu factο, occiſus eſt Julianus, pariterque cum eo ingens Samaritanorum numerus. Tunc vero Silvanus Samaritanus (de quo prædixerat S. Sabas ſupra *n. 61. p. 328.* quod vivus combureretur) *Scythopolim abſque Imperatoris licentia ingreſſus, à Chriſtianis arripitur & in medio urbis incenditur. Arſenius autem Silvani filius, qui Illuſtris dignitatem obtinebat, & tunc Conſtantinopoli morabatur, multumque neſcio unde aditum habebat apud Juſtinianum Imperatorem & Theodoram ejus conjugem, utriuſque pietatem falſis relationibus circumventam in iram adverſus Chriſtianos Palæſtinæ habitatores concitavit. Tunc ergo archiepiſcopi Petrus, eique ſubjecti epiſcopi hortati ſunt ſanctum Sabam ut Conſtantinopolim proficiſceretur, preceſque funderet ad Imperatorem pro impetranda ab illo primæ & ſecundæ Palæſtinæ publicorum tributorum remiſſione, ob cædes & vaſtationes quas Samaritani iis provinciis intulerant. Porro ſenex horum epiſcoporum hortationibus parens, Conſtantinopolim pergit ad menſem Aprilem Nonæ* (x.) *Indictionis* (an. Chr. 532. quo 94. ætatis agebat & etiam obiit, ut infra dicetur) *quumque Patriarcha ad Imperatorem litteras præmiſiſſet Sabæ adventus indices, Imperator exultans in occurſum ejus miſit imperatorios dromones, δρόμωνας, quibuſcum egreſſi ſunt Patriarcha Epiphanius, Papas Euſebius,* (Πάπας, juxta notas P. Jac. Goar in Codini Curopalatæ opus de officiis & officialibus curiæ & eccl. Conſtantinopol. *pag. 26. num. 22.* A privatis domibus & familiis Aulæ Conſtantinopolitanæ reddita familiaris vox, fidum & ſeniorem ſignificat miniſtrum, cujus cuſtodiæ Palatium committeretur, & integritati claves noctu traderentur aſſervandæ) *& Hypatius epiſcopus Epheſi cum ſuis, atque aſſumentes eum ad Imperatorem introduxerunt* (n. 71. p. 341.) .... *Qui accurrens reverenter ſalutavit ſenem, & cum gaudio & lacrymis ejus caput deoſculatus eſt; tum benedictione ab ipſo accepta, de ejus manu ſuſcepit preces è Palæſtina miſſas; perſuaſitque ut Theodoram quoque Auguſtam benediceret. Intravit itaque ſenex. Auguſta vero excepit eum cum lætitia & reverenter ſalutavit: poſteaque dixit; ora pro me, Pater, ut det mihi Dominus filium. Reſpondit Sabas; Deus gloriæ in pietate & victoria imperium veſtrum conſervet. Mœrore autem affecta eſt Auguſta quod petitioni ſuæ non annuiſſet: quum ergo ab ea exiiſſet, qui cum illo erant Patres, diſceptabant cum eo dicentes: quare Auguſtam dolore affeciſti, nec precatus es quemadmodum poſtulabat? ſenex ait illis, credite mihi, Patres, non habebit filium, ne Severi dogmatibus lactetur, pejuſque quam Anaſtaſius eccleſiam perturbet. In palatio autem remanere permiſſi ſunt. Itaque poſtquam Imperator recepit à ſancto ſene libellos ſupplices eccleſiarum Palæſtinæ, converſa eſt ira ejus adverſus Samaritanos, conſtitutionemque ſeu legem tulit ut eorum ſynagogæ tollerentur, ipſi ab omni reipubl. adminiſtratione propellerentur, ſuorum hæreditatem non adirent, neque jus per donationes ad ſe mutuo tranſmitterent. Sancivit præterea ut interficerentur maxime primores eorum & ſeditioſi. Tunc porro Arſenius* (Silvani Samaritani qui à Chriſtianis combuſtus fuerat filius) *ſe ad tempus occuluit, quod eum occidi juſſiſſet Imperator; poſtea vero ad beatum Sabam confugiens, adhuc in regia urbe degentem, baptiſmum cum omnibus ſuis recepit,* n. 72. pag. 343. *Poſt aliquot dies ſanctum Sabam arceſſivit Imperator, dixitque ei; comperi, Pater, à te multa monaſteria in deſerto conſtituta fuiſſe: verum quocunque volueris reditum* (exhiberi) *in uſum monachorum, poſtula, & præbebimus, quo pro nobis & republica nobis commiſſa precentur. Reſpondit Sabas: qui pro veſtra pietate precantur, hujuſmodi reditu non egent; pars enim eorum ac reditus, Dominus eſt, qui in ſolitudine populo incredulo & contradicenti panem cœleſtem pluit. Verum nos, religioſiſſime Imperator, ad conſtabiliendas ſanctas Palæſtinæ eccleſias, remiſſionem tributorum petimus, & reædificationem venerabilium ædium quas Samaritani igni tradiderunt, ſubſidium quoque erga Chriſtianos qui in Palæſtina ad paucitatem redacti ſunt, ac direpti: ad hæc ut unum in ſancta civitate noſocomium ſeu valetudinarium conſtruatis, in peregrinorum ægrotantium curam; utque illic fundatam ante aliquod tempus ab archiepiſcopo Elia novam ſanctæ Deiparæ eccleſiam ædificetis atque exornetis: hoc quippe maxime veſtram decet pietatem. Tum propter Saracenorum incurſiones, ut clariſſimo Summo,* Σέμμῳ (id eſt, Palæſtinæ præpoſito) *jubeas caſtrum ex ærario erigere in ſolitudine intra monaſteria quæ mediocritas mea conſtruxit. Et credo, atque confido Deum pro hiſce quinque ipſi gratis operibus adjuncturum imperio veſtro Africam & Romam, omnemque reliquam Honorii ditionem quam amiſerunt qui ante veſtram piiſſimam Serenitatem imperarunt. Inſuper* (rogamus) *ut Arianam hæreſim, cum Neſtoriana, & illa Origenis è medio tollatis, atque à lue harum trium hæreſeon liberetis eccleſias Dei, &c.* Et n. 73. pag. 345. *Cæterum quæcunque ſanctus Sabas petiit, Imperator abſque mora præſtitit; quæ vero ei prædixit, benignus operatus eſt Deus, &c.* Et rurſus *ibid.* apud eumdem Cotelerium *to. 3. monument. eccl. Græc. pag. 347. Quum autem Imperator in hiſce* (concedendis) *cum Triboniano quæſtore in aula Magnaura dicta occuparetur, beatus Sabas parumper deflexit, & Davidicos Pſalmos recitans divinum tertiæ horæ officium*

officium perſolvebat. Hieremias unus ex ejus diſcipulis, diaconus maximæ lauræ, accedens ad eum dixit: Honorande Pater, dum Imperator tantum exhibet ſtudium in adimplendis petitionibus tuis, cur ipſe ab eo ſecedens, ſeorſum ſtas? Reſpondit ſenex: illi, fili, quod ſuum eſt faciunt; faciamus nos pariter quod noſtrum eſt. Et num. 74. pag. 347. *Imperator quidem his omnibus conſtitutis, datiſque ſancto ſeni juſſionibus, dimiſit eum in pace; Deus vero remunerationem Imperatori infinitè multiplicatam præbuit, Sabæque prophetiam ad effectum perduxit: nam paulo-poſt duo trophæa erexit, & coronas duarum victoriarum tulit, quales nondum antea ulli præcedentium Imperatorum contigerat reportare. Africam enim & Romam à perduellionibus detentas recuperavit, duoſque reges adductos Conſtantinopolim vidit; atque ita terræ mariſque dimidiam partem brevi tempore Romanorum Imperio reſtituit: tum Occidente toto à ſervitute memoratorum tyrannorum qui Ariani erant liberato, conſtitutionibus edixit, Arianis ubique auferendas eccleſias, juxta beati Senis poſtulatum ſive prophetiam. Præterea Neſtorii, Origeniſque hæreſes ſtrenuè concitatus evertit, atque anathematizavit, cum per edicta publica, tum per ſanctam & œcumenicam ſynodum quintam nunc Conſtantinopoli congregatam* (anno ſcilicet Chriſti 553.) *ſanctus autem Sabas ...... in Palæſtinam appulit menſe Sept. Indict. IX.* (XI.) *& Hieroſolymam profectus,* (Imperatoris) *juſſa manifeſta fecit....* Et n. 75. pag. 349. *Quibus promulgatis* ibidem, *rogatus ab archiepiſcopo & cæteris epiſcopis Pater Sabas, ad* (urbes) *Cæſaream atque Scythopolim abiit, ut eadem juſſa illic quoque publicaret. Quumque Scythopolim veniſſet, obviam ei proceſſit metropolita Theodoſius cum omni plebe, in quibus erat etiam Pater meus* (verba ſunt Cyrilli Scythopolitani vitæ S. Sabæ auctoris, qui narrat quomodo ejus notitiam adeptus fuerit) *tunc temporis epiſcopii curator, & metropolitani aſſeſſor: atque poſt juſſa* (Imperatoria) *evulgata introductus Senex in epiſcopale palatium, illic in ædibus ſancti martyris Procopii manſit, patrem vero meum indivulſum habebat. Me porro, qui puer eram, & patrem comitabar, atque ad beati Senis pedes procideram, benedixit, erexit, & complexus eſt, dixitque patri meo; hic puer à præſenti tempore diſcipulus meus eſt, Patrum ſolitudinis filius. Ad metropolitam vero ait; magne Domine, hunc ego tibi puerum commendo, attende ipſi, quia mihi opus eſt. Nunciata hæc fuere matri meæ ex narratione patris, & expetiit ſanctum Senem ſalutare. Quumque is in loca ſancto* (Apoſtolo) *Thomæ finitima progreſſurus eſſet ad abbatem Procopium ſolitarium, re per indicium patris comperta, mater mea aſſumpto me egreſſa eſt ad illud ſancti Thomæ templum:*

A *tum Senem illic conſiſtentem ſeorſum capiens pater, matrem ad ipſum ſalutandum duxit, qui cognoſcens eam eſſe ancillam Dei, benedictione ſua eamdem donavit, atque intuitus me ait; ecce diſcipulus meus Cyrillus. Ego me in modum pœnitentis inclinavi: ipſe vero, poſtquam benedixit me & erexit, dixit ad patrem; doce eum pſalterium, quia ejus indigeo; etenim ab hoc tempore diſcipulus meus eſt. Quibus dictis illam prius benedictam dimiſit, meque cum patre retinuit. Ingreſſi ad abbatem Procopium, cibum ſumpſimus, & venimus in epiſcopium; ac die* B *ſequenti iter ad urbem Hieroſolymam ſuſcepturus beatus Sabas domum cum patre ingreſſus eſt, precem fecit, patrem, matrem, meque benedixit, & ſic exiit Scythopoli cum ſanctis patribus ejus ſociis, &c. Itaque metropolita frequenter poſtea patrem meum cum urbanitate interrogabat, quomodo ſe habet beati Sabæ diſcipulus, ſimulque urgebat eum uti doceret me pſalterium & epiſtolas Pauli; atque ita benedictione me donatum, ac tonſura, in principio eccleſiaſticorum graduum conſtituit.* Et n. 76. apud eumdem Cotel. to. 3. pp. 352. & ſeqq. C *Magnus pietatis pugil Sabas, poſt impletum in gratiam Chriſtianorum miniſterium, Hieroſolymam rediit, & cum gaudio à Patriarcha ſuſceptus, venerabilia loca viſitavit, iiſque quaſi valedixiſſet, in ſuam lauram maximam profectus eſt, ubi pauco tempore tranſacto in morbum incidit. Quod comperiens ſanctiſſimus archiepiſcopus Petrus, ad eum viſitandum deſcendit; cernenſque nihil eumdem habere ſolatii in cella, præter ſiliquas paucas & veteres palmulas, impoſitum lecticæ ad epiſcopalem domum adduxit, ejuſque ibi curam gerebat, propriiſque manibus* D *ipſi miniſtrabat. Porro aliquot diebus interjectis, revelationem accepit ſanctus Sabas quæ ipſius obitum indicabat non poſt multos dies fore, quam ubi archiepiſcopo renuntiavit, hortatus eſt ut dimitteretur. Tum archiepiſcopus quod vellet omnibus modis ei ſatisfacere, miſit eum cum convenienti curatione in lauram ſuam. Senex autem in propria diſcumbens turricula, initio menſis Decembris, convocatis lauræ patribus, dedit illis quemdam præpoſitum, Berytium genere, appellatione Melitam, adhortatus eum ut conſtitutiones ſuis monaſteriis traditas inviola-* E *tas ſervaret, quas ei ſcriptas tribuit: Quumque dies quatuor tranſegiſſet nihil ſumendo, & cum nullo congreſſus, veſpere Sabbati, petita communione atque accepta, poſtquam poſtremo dixit,* Domine, in manus tuas commendo ſpiritum meum; *animam reddidit.* Et num. 77. pag. 353. *Ipſius mors contigit quinto Decembris menſis, Indictione X.* (XI.) *à creatione quidem mundi anno ſexies milleſimo & vigeſimoquarto; à Dei autem Verbi Incarnatione ex Virgine, & Nativitate ſecundum carnem, anno*

vigeſimo-quarto ſupra quingenteſimum, juxta tempora conſcripta à ſanctis noſtris Patribus, Hippolyto illo antiquo Apoſtolorum familiari, Epiphanio Cypriorum archiepiſcopo, ac Herone philoſopho & confeſſore. (Hanc epocham octo annis noſtra anteriorem modo patebit) *Ratio autem temporis vitæ ipſius in corpore hæc eſt: In Palæſtinam venit annos natus decem & octo; manſit in cœnobio annis ſeptemdecim, & in ſolitudinibus maximaque laura annos tranſegit quinquaginta novem, obiit vero ætatis ſuæ nonageſimo-quarto, poſt conſulatum Lampadii & Oreſtis ſecundo, ſexto præſentis à Deo protecti imperii.* Hæc omnia coincidunt cum anno Chriſti, non 531. qui multis ſcriptoribus placuit, ſed 532. Quum enim anno 518. quo deceſſit Elias Patriarcha, beatus Sabas annum octogeſimum decurreret, ex *n. 60. pag. 324.* à menſe Januario ſcilicet, quo natus eſt anno 439. ut colligitur ex *num. 70. pag. 339.* apud præfatum Cotel. anno autem 527. Juſtinianus Imperium auſpicatus ſit; ſequitur omnino annum 14. à 518. ſextum pariter à 527. fuiſſe annum Chriſti juxta æram vulgarem quingenteſimum trigeſimum ſecundum. Id obſervandum duximus ad diligentiorem hujus temporis epocham. Pergit Cyrillus, *ibid. p. 354. Cæterum obdormitionis ejus fama per omnem finitimam regionem diffuſa, coiit immenſa turba monachorum & laïcorum, adfuit quoque ſanctiſſimus Patriarcha Petrus cum epiſcopis qui inventi ſunt, & ſanctæ civitatis primoribus. Atque in eum modum honorabile ipſius corpus in maxima laura depoſitum eſt, inter duas eccleſias, &c.* Id nondum legerat doctiſſimus Papebrochius, quando ſcripſit *tract. prælim.* ad *tom. 3.* actorum ſanctorum Maii, *pag. 27. n. 121. col. 2. poſt Theodoſium anno Chriſti 531.* (dicendum videtur 532.) *moritur etiam S. Sabas 5. Decembris Indict. X.* (XI.) *ætatis ſuæ anno 94. cujus exequiis cur non dicatur nominatim idem Patriarcha interveniſſe, ſicut in genere dicitur de omnibus quotquot erant epiſcopis, incompertum mihi eſt.* Subdit idem Cyrillus *ibid. num. 78.* Corpus S. Sabæ integrum adhuc fuiſſe quum hæc ſcriberet: *illud enim,* inquit, *pag. 355. ego ipſis oculis conſpexi ſuperiori Indictione. Nam pretioſo loculo adaperto ad deponendum corpus beati Caſſiani, deſcendi ut ſancti ſenis corpus venerarer, nactuſque ſum illud integrum & inſolutum manere, ac demiratus glorificavi Deum, qui gloria affecit ſervum ſuum, eumque incorruptione honoravit ante communem univerſalemque reſurrectionem.* Ait autem infra, *num. 88. pag. 371.* de tempore mortis hujus Caſſiani: *Is Caſſianus, poſtquam ſacri beati ſenis gregis paſtor decem menſibus exſtitiſſet, in pace in idipſum dormiit & requievit, decimo-ſexto poſt magni obitum;* (anno ſubinde 548. niſi occur-

A rerit in illa epocha error, quia Caſſianus hic deceſſit ante Petrum Hieroſolymitanum, qui communius aſſeritur obiiſſe anno Chr. 544.) Non multo poſt ſancti Sabæ mortem, in Palæſtinæ monaſteriis ingens orta eſt turbatio, ob errores Origenis, quos Leontius Byzantinus, Nonnus Palæſtinus, nonnullique alii monachi iis erroribus imbuti, præſertim circa animarum præexiſtentiam, ideoque ex nova laura ſancti Sabæ prope Thecoam ab ejus præpoſito Agapeto olim ejecti, diſſeminare curarunt. In ea autem occaſione minis per-
B terrefactus Patriarcha Petrus, molliorem, quam opus fuiſſet, ſe præbuit. Rem fuſius tradit Cyrillus præfatus in vita ſancti Sabæ à *n. 83.* apud Coteler. *to. 3. monum. eccl. Græc. pag. 360.* uſque ad calcem, *pag. 376.* ex quo hæc exſcribenda ducimus, ad majorem rei intelligentiam. Sabæ in maximæ lauræ regimine ſucceſſerat Melitas, qui præfuit quinque annis. *Quandiu omni laude prædicandus Pater Sabas in carne ſuperſtes fuit,* inquit Cyrillus, *una fidei profeſſio per omnia ſolitudinis monaſteria invaluit, eratque cernere cunctos Hieroſo-*
C *lymæ filios in domo Dei concorditer incedentes, divinorum dogmatum conſenſu, ſtatum obtinere ſciſſione ac ſeditione vacuum.... Poſtquam vero optimus paſtor migravit hinc, ovile ejus ad anguſtiam redactum eſt, quod ab imperito duceretur paſtore. Nonnus enim & ſectatores ipſius.... errores quos in imo corde occultabant, divulgaverunt.... & brevi tempore in maximam lauram, cæteraque ſolitudinis monaſteria, pravam valuerunt Origenis doctrinam ſpargere.... Domitianus monaſterii Martyrii abbas, & Theodorus Aſcidas Neolauritarum* (id eſt, monachorum novæ
D lauræ incolarum) *Dux & princeps, uterque Origenis lue infecti, Conſtantinopolim navigarunt, ubi ſimulantes pugnare ſe pro ſynodo Chalcedonenſi, ex commendatione Leontii Byzantini adjunguntur Papæ Euſebio, ac per eum acceſſum habent ad Imperatorem. Dum vero hypocriſi plurima perverſam ſuam ſententiam obtegunt, & prima intimaque libertate in palatio fruuntur, Domitianus quidem Galatarum regionis epiſcopatu donatus eſt, & Theodorus Cæſareæ Cappadociæ præſulatum ſuſcepit.* Inde Nonnus ac ejus aſſeclæ, majori potentia accepta, ſtu-
E dioſe *Origenica ſemina per totam Palæſtinam diſperſere.* Et *n. 84.* apud eumdem Coteler. *to. 3. monum. eccl. Græc. pp. 361. & ſeqq.* Poſt mortem Melitæ ſancti Sabæ ſucceſſoris, maximæ lauræ præfectus eſt Gelaſius Theoduli frater, quos ex Iſauria oriundos Deus anno circiter Chriſti 494. ad S. Sabam miſerat, ut refert idem Cyrillus Scythopolitanus, *n. 32. p. 263.* & comparat Beſeeli & Eliabo tabernaculi architectis. *Hos enim habens,* inquit, *novus noſter Moyſes, quæ deerant ſplendidiſſimæ*

Digitized by Google

ſuæ lauræ condidit, necnon ſacra circa eam monaſteria. Theodulus deceſſerat quum frater ejus Gelaſius maximæ lauræ abbas renuntiatus fuit, *quinque annis* poſt S. Sabæ obitum, *principio decimæ-quintæ Indictionis*, ſubindeque poſt inceptum menſem Septemb. anni 537. Is porro cernens *Origenianam luem per multos è ſuo conventu diffundi, de ſententia beati Joannis* (Silentiarii cognominati) *epiſcopi* (Coloniæ in Armenia) *& ſolitarii, habens certaminis adjutores Euſtathium quemdam calligraphum* ſeu librorum ſcriptorem, *genere Galatam, Stephanum Hieroſolymitanum, atque Timotheum Gebalinum qui uſque ad hoc tempus Clitæ* ἐν τῇ Κλιτῇ *virtutibus refulget, opus ſancti Boſtrorum epiſcopi Antipatri contra Origenis dogmata conſcriptum in eccleſia legi curavit. Unde commoti qui hæreſim tuendam ſuſceperant, tumultus excitabant. Exſtitit autem perverſionis dux Joannes quidam lauræ diaconus, & canonarcha,* (id eſt, præcentor) *Antiochenus genere, qui quod propter hæreſim è ſacrario à patribus expulſus fuiſſet, conſpirationem facit cum Joanne cognomento Brontodæmone* ſeu Tonitrudæmone, *Ptolemæo, aliiſque. Hi ſeorſim noxia collegia facientes, ſubvertere multas animas nitebantur. Tunc Patres communi lauræ decreto eos ſpeciatim ejecerunt quadraginta fere numero: qui in novam lauram profecti ad Nonnum, ac Leontium Byzantinum tunc Conſtantinopoli reducem & contra beati Sabæ ſucceſſores efferatum, adverſus abbatem Gelaſium, & maximæ lauræ patres clamabant. Quumque omnes illic hæreſeos principes congregati eſſent, Leontius Byzantinus, qui pridem erga beatum Sabam male affectus erat, conſilium dat cunctis, ut audacia utantur, maximamque lauram omnes undique pravæ doctrinæ aſſectatores ſubvertant. Unde in unum coacti acceſſerunt, una cum Leontio & expulſis, ad monaſterium beati Theodoſii, rati ſe in ſuas partes tracturos, tum Sophronium monaſterii abbatem virum celebrem, tum patres. Verum inane redditum eſt eorum conſilium, atque ignominia affecti redierunt. Inde Leontiani adverſus Gelaſium, maximamque lauram in furorem acti, miſerunt ad varia loca, & collectis foſſoriis, hamis, vectibus ferreis, cæteriſque ad evertendum idoneis inſtrumentis, cum ruſticorum manu & ſubſidio, adierunt maximam lauram deſtructuri. At Deus ingens edidit miraculum, nam quum eſſet hora diei ſecunda, ingruit ſuper eos caligo & obſcuritas tenebrarum, atque tota die confracti per aſpera inviaque loca incedendo, ut ex quibuſdam probe ſcientibus didici, vix ſequenti die ad monaſterium beati Marciani inventi ſunt, ſicque lucem communem intuiti, re infecta cum pudore ad ſua loca reverſi ſunt.* Et n. 85. pag. 364. Cotel. *Eodem tempore adfuerunt in Palæſtina*

A *Patriarcha Antiochiæ Ephræmius, & Papas Euſebius, propter Pauli Alexandriæ epiſcopi depoſitionem, ad quem Euſebium Hieroſolymam profectum poſt ſolutam ſynodum,* (quæ ea de re congregata fuerat) *Leontius adducit eos qui è maxima laura pulſi fuerant, accuſatores Gelaſii, quod nempe in duas partes conventum ſcidiſſet, & ipſos quidem expuliſſet, ipſorum vero adverſarios adſciviſſet. His Leontii verbis deceptus Papas Euſebius, nihilque de hæreſi ſciens, arceſſit abbatem Gelaſium, eique neceſſitatem imponit, vel ejectos admittendi, vel eorum*
B *adverſarios qui hæreſim impugnabant propellendi. Patres itaque ex communi deliberatione emiſerunt è laura, Stephanum, Timotheum, alioſque quatuor fratres, qui voluntariam perſecutionem paſſi, Antiochiam profecti ſunt, quæque contigerant indicarunt Ephræmio Patriarchæ, cui etiam beati Antipatri libros oſtenderunt. At Patriarcha per traditos libros compertis Origenis* erroribus, *ac per exhibitores librorum, agnitis quæ* (modo) *Hieroſolymis ab Origeniſtis facta fuerant, ſtrenue aſſurgit, ac publico ſynodico Origenis dogmata anathemati*
C *ſubjicit. Quod quum compertum fuit Hieroſolymis, indignati ſunt Nonni aſſeclæ, fultique patrocinio Leontii Byzantini qui Conſtantinopolim petierat, & Domitiani Galatiæ, atque Theodori Aſcidæ Cæſareæ Cappadociæ* epiſcoporum, *vim archiepiſcopo* (Hieroſolymitano) *Petro inferebant, ut Ephræmii* (Antiocheni) *nomen è ſacris diptychis tolleret: quumque ingens excitata fuiſſet ſeditio, clam ad ſe vocat archiepiſcopus Sophronium & Gelaſium, demandatque uti libellum facerent in Origeniſtas, quo eum adjuvarent ne Ephræmii Patriarchæ nomen è ſacris*
D *diptychis deleretur. Libellum Patres fecerunt ac tradiderunt. Quem archiepiſcopus ubi accepit, miſit ad Imperatorem cum litteris ſuis, quibus intentata ab Origeniſtis referebat. Eo libello accepto Imperator edictum adverſus Origenis errores tulit, cui ſubſcripſit Menas Conſtantinopolitanus Patriarcha una cum ſynodo ſua. Coacti quoque ſunt ſubſcribere ipſi Domitianus* (Galatiæ) *& Theodorus* (Cæſareæ Cappadociæ epiſcopi) *quorum tamen ſimulatio cunctis patuit.* Et n. 86. pag. 366. Coteler. *Ubi ergo edictum adverſus Origenem latum evulgatum*
E *fuit Hieroſolymis, cunctique Palæſtinæ epiſcopi & ſolitudinis abbates eidem ſubſcripſere, uno excepto Alexandro epiſcopo Abylæ, ſuccenſentes Nonnus,* (quidam) *Petrus, & reliqui hæreſeos principes, à catholica communione abſceſſerunt, & nova laura relicta in planitie manſerunt. Hoc autem Conſtantinopoli audito, jam mortuis Papa Euſebio, & Leontio, Theodorus Aſcidas Cæſareæ Cappadociæ epiſcopus qui in palatio multa auctoritate pollebat, apocriſiariis ſanctæ reſurrectionis advocatis cum magna commotione dixit;*

niſi Patriarcha Petrus ſatisfecerit patribus, eoſque ad propriam reduxerit lauram, ab epiſcopatu eum hiſce diebus deturbabo. Tunc Nonni aſſeclæ, per ſuggeſtionem ejuſdem Theodori, ſcribunt archiepiſcopo in hunc modum: Obſecramus ſanctitatem veſtram, ut modica ſatisfactione animabus noſtris remedium adhibeat, catholicè & generaliter affirmando cum omni alacritate, ac dicendo: ſolutum ſit, & fuit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, omne prolatum anathema quod Deo non placet. Hujuſmodi enim ſatisfactionem admittimus, tametſi rigorem juris minutatim non obtineat. Hanc epiſtolam poſtquam accepit archiepiſcopus, initio quidem nolebat quæ petebatur ſatisfactionem facere, tanquam tumultus effectricem, nec legitimam. Verum qui Aſcidæ inſidias reformidaret, cogitaretque redimere tempus ſuum, arceſſit è planitie Nonni aſſeclas, iiſque ſeorſum aſſumptis, poſtulatam ſatisfactionem ad eos facit, qua comprobata, reverſi ſunt in novam lauram, manſerunt tamen acerbè infenſi magnæ lauræ patribus. Tunc Aſcidas Conſtantinopolim profectum archiepiſcopum Petrum coëgit habere pro ſyncellis Petrum Alexandrinum, & Joannem Strongylum, hoc eſt, rotundum. *Hinc majorem licentiam ceperunt qui Nonno adhærebant, & impietatem quidem ſuam publicè ac per domos publicabant, diverſas vero perſecutiones in Patres maximæ lauræ excogitabant; atque ſi quemdam in ſancta civitate conſpexiſſent monachum orthodoxum, hunc per nonnullos ſæculi homines vapulare procurabant, & Sabaïtam* Σαβαΐτην *vocantes è ſacra urbe pellebant. Proinde quibuſdam orthodoxis patribus verberatis, belloque adverſus pios exorto, Beſſi Jordanis* οἱ Βέσσοι τοῦ Ἰορδάνου, *divino zelo ducti, aſcenderunt in ſanctam urbem, ut bello appetitis orthodoxis ſuppetias ferrent. Tum publico prælio contra Beſſos alioſque recte ſentientes commiſſo, poſtquam ipſi ad maximæ lauræ Xenodochium confugiſſent, adorti ſunt ſubito cum furore plurimo eorum hoſtes ut qui vellent patribus mortem inferre; quumque hoſpitale munitum reperiſſent, fores* ſeu feneſtras *lapidibus perfregerunt, eoſque qui intus erant valide lapidibus petebant. Dum ergo ſic patres obſidentur, Theodulus quidam Beſſus, invento ventilabro in manus ſumpto, prodiens è Xenodochio, trecentos fere, quot erant, hoſtes ſolus diſſipavit; cavit tamen ne quemquam omnino feriret; ipſe vero ab illis lapide percuſſus cecidit, paucíſque poſt diebus mortuus eſt. Atque exinde bellum quod contra pios ſuſceptum fuerat deſiit.* Et n. 87. pag. 368. Coteler. *Tunc maximæ lauræ Patres Gelaſium abbatem obſecrant ut Conſtantinopolim adeat, hæcque Imperatori nota faciat. Qui iter ingreſſurus patribus ſalutatis dixit: Ecce, Patres, juxta petitionem veſtram proficiſcor Conſtantinopolim, nec quæ mihi in* A *itinere eventura ſunt ſcio. Vos itaque obteſtor ut neminem eorum qui Theodoro Mopſueſteno adhæret, ſinatis vobiſcum manere .... quandoquidem ſanctus Pater noſter Sabas hunc cum Origene abominabatur. Me vero maxime pœnitet quod libello ſubſcripſerim, qui à monachis eremi, juxta Patriarchæ mandatum, ideo factus eſt, ut is* (Theodorus Mopſueſtenus) *nequaquam anathematizaretur. Verumtamen Deus qui eccleſiæ ſuæ curam gerit, libellum non admitti providit, ipſum vero Theodorum anathemate percuti voluit. His ad patres prolatis, &* B *valedicens, beatus Gelaſius diſceſſit. Ubi autem Byzantium appuliſſet, indicatur* (Theodoro) *Aſcidæ ejus adventus, & ſtatim præceptum datum eſt hominibus, tam domus pupillorum nutricis, quam Patriarchæ & Palatii, ne ullum è Hieroſolymis monachum admitterent. Quocirca abbas Gelaſius, quod nullatenus introduci valeret, ac Aſcidæ inſidioſas molitiones vereretur, Byzantio in Palæſtinam egreditur pedeſtri uſus itinere, quumque ad oppidum Amorium,* Ἀμόριον *perveniſſet, obiit menſe Oct. Indict. IX.* (anno 545.) *Re autem cognita, maximæ lauræ* C *patres uno animo in ſanctam civitatem aſcenderunt quo præpoſitum peterent: & quum ſignificaſſent Patriarchæ, ab epiſcopio cum contumeliis & verberibus, de mandato ſyncellorum ejecti ſunt, multiſque ærumnis dehinc in illos ingruentibus ad lauram negotio infecto redierunt. Tunc certe cuncti ad Origeniſtas adjunxerunt ſe, aut neceſſitate compulſi, aut adulationibus attriti, aut ignorantia furtim abrepti, aut impiorum potentia conterriti. Atque ita heterodoxi omnibus occupatis, contra ſolam maximam lauram, quæ obluctabatur* (adhuc) *aciem inſtruebant,* D *vehemenſque illius obtinendæ adhibebant ſtudium.* Et num. 88. pag. 370. Coteler. *Multis ergo uſi artibus, hegumenum* (ſeu præpoſitum) *Origeniſtam creaverunt Georgium nomine, eumque in lauram cum ſatellitio inferunt, atque in ſede ſancti Sabæ collocant. Tunc magna orta eſt perſecutio, ſanctorumque Patrum noſtrorum diſperſio ad lupi præſentiam. Ac venerabilis quidem Pater Joannes epiſcopus* (Coloniæ in Armenia) *& ſolitarius, poſt multos annos egreſſus è loco ubi ſe abdiderat, in montem Olivarum ſeceſſit, unaque cum eo omnes* E *pietatis alumni, ex quibus multi per regiones diſperſi ſunt.* De eo Joanne, qui cognominatus eſt Silentiarius, hæc ſupra narravit idem Cyrillus Scythopolit. in vita S. Sabæ, *n. 21.* apud Coteler. *ibid.* id eſt *to. 3. monum. eccl. Græc. pp. 248. & 249. Eodem tempore,* inquit, *quo Theoctiſta,* ſeu eccleſia lauræ ſancti Sabæ *dedicata fuit,* (ſcilicet *menſis Decembris die duodecimo,* ut ait idem *n. 19. p. 247.* Cotel. *Indict. decima-quarta,* (XV.) *anno ætatis beati Sabæ quinquageſimo-tertio, quo tempore quum*

Digitized by Google

Zeno Imperator vivere deſiiſſet, Anaſtaſius Imperium ſuſcepit; quæ omnia indicant annum 491.) *in lauram adduxit Spiritus ſanctus honorandum Patrem Joannem epiſcopum & ſolitarium, qui plurimas valdeque utiles de Euthymio & Saba narrationes mihi tradidit, ac ut eas conſcriberem me excitavit. Hunc beatus Pater Sabas in numerum lauræ incolarum cooptavit, natum annos triginta & octo, quique nunc ſanctificatum vas ſanctiſſimi Spiritus effectus eſt, divinorumque donorum ornamentis abundat, lucis lator eſt, adhucque in carne degit, atque angelicè vivit, necnon noſtros ſecundum Deum greſſus illuminat; cujus virtutes præclaraque facinora nunc per digreſſionem conſcribi nequeunt: ſed, ſi Deo placet, poſtquam opus quod præ manibus habeo* (vitæ ſancti Sabæ) *ad finem perduxero, pauca quædam de eo, quæque cunctis tantum non manifeſta ſunt, & ea quæ per ſanctæ ipſius linguæ relationem accepi, in peculiari tractatu enarrabo, multa ſane & egregia. Neque enim æquum eſt illa tacere ac oblivioni mandare, quum is per omnem, ut ita dicam, noſtram rempubl. admodum clarus ſit atque celebris meritis vitæ ac virtutum.* Vitam ejus reipſa ſcripſit poſtea Cyrillus, ipſo adhuc in terris degente, & annum decurrente centeſimum quartum: (in Menologio Baſilii Imperatoris dicitur obiiſſe natus quinque ſupra centum annos.) Hanc vitam nobis exhibent cum manuſcripto Græco collatam doctiſſ. actor. SS. editores *tom. 3. Maii,* ad diem 13. hujus menſis, *pag. 232.* In ea autem refert Cyrillus *num. 26. p. 235. col. 2.* quum S. Pater Sabas deceſſiſſet, defleret vero Joannes ſe eo eſſe privatum, in ſomnis ei apparuiſſe S. Sabam atque dixiſſe: *ne ſis de meo deceſſu triſtis, ô Pater Joannes; nam etſi ſim à te carne ſeparatus, ſum tamen tecum ſpiritu: Eo autem reſpondente; Roga Dominum ut me quoque aſſumat, dicit beatus Sabas: Hoc nunc non poteſt fieri: gravis enim tentatio eſt invaſura lauram. Deus autem vult te eſſe in carne ad eos conſolandos & confirmandos, qui ſe pro fide fortiter gerunt & decertant. Hæc quum vidiſſet & audiviſſet Joannes, evaſit quidem lætus, ut qui de Patre ægritudinem animi excuſſiſſet: ſed ſollicitus erat de tentatione quæ ei fuerat ſignificata.* Pergit Cyrillus in vita ſancti Sabæ, *n. 88. pag. 370.* Coteler. de eadem Origeniſtarum perſecutione. *Cæterum Deus inſigne prodigium edidit, quemadmodum in Ario olim: ipſo namque perſecutionis die quo ii ex maxima laura propellebantur, hoſtium princeps, impietatis dux Nonnus de medio hominum ſublatus eſt repentina morte correptus. Porro graviſſimus lupus Georgius, poſtquam præfuiſſet ſacro B. Sabæ gregi ſeptem menſibus ab eo per* (ipſos) *ſuos commilitones ejicitur, infimu latus luxuriæ ac turpitudinis. Ipſa vero*

A *crimina ultro reticebo, ne res quæ oblivione profundoque ſilentio digna ſunt in publicum proferam. Tunc Patres qui in maxima laura relicti fuerant, de ſententia Patriarchæ in præpoſitum ſumpſerunt abbatem Caſſianum Scythopolitam, qui eo tempore Sucæ congregationem præclare & orthodoxe gubernabat, virum à teneris unguibus monachum dimiſſo ſæculo factum, & à beato Saba eruditum, quique preſbyter fuerat maximæ lauræ; ac per annos octo Sucæ lauram rexerat. Is Caſſianus, poſtquam ſacri beati ſenis gregis paſtor decem menſibus extitiſſet, in pace*
B *requievit decimo-ſexto poſt magni obitum anno:* (ſubindeque Chriſti 548.) Et n. 89. p. 371. Coteler. *Igitur tunc temporis Patres maximæ lauræ ex divina inſpiratione præpoſitum deſignant abbatem Cononem, virum monaſticis virtutibus, rectiſque dogmatibus percelebrem, genere Lycium, in patria à puero monaſticæ vitæ exculторem, qui multis in divinis certaminibus ſtrenuus apparuerat, quique poſt mortem beati Sabæ venit, ut loca ſacra inviſeret; & in maximam lauram à Deo deductus eſt, ubi cunctos Patres dotibus ſpiritualis intelligentiæ ac diſcretionis*
C (quibus pollebat) *ædificavit. Quum itaque beati Sabæ gregem imminutum ac ad paucos redactum accepiſſet, multiplicavit illum & illuſtriorem fecit, necnon Patres per regionem diſperſos undique congregavit. Tunc Deus, qui ſemper eccleſiæ ſuæ providet, Origeniſtarum concordiam .... diremit: Nam poſt Nonni mortem, Firmini lauræ monachi cum Neolauritis* (ſive novæ lauræ monachis) *diffidendo de ſuis ſcitis dogmatibus, in mutua impugnatione occupati ſunt, &c. Facile vero eſt cuique volenti eorum impietatem animadvertere, ex ipſis appellatio-*
D *nibus quibus ipſi ſe mutuo nuncupant. Scilicet Neolauritæ eos qui Firmini ſunt Protoctiſtas,* Πρωτοκτίστας, *ac Tetraditas,* Τετραδίτας *vocant, rurſuſque Firminiotæ Neolauritas nominant Iſochriſtos* Ἰσοχρίστους: *utrique enim ex propriis impietatis ſuæ decretis nomina ſortiti ſunt. Quum ergo Theodorus* (Aſcidas Cæſareæ) *Cappadociæ* (epiſcopus) *reipubl. negotia adminiſtraret, ac ſtaret à partibus Iſochriſtorum eoſque tueretur, multoſque ipſorum epiſcopos Palæſtinæ, ac hegumenos conſtitui feciſſet, necnon Theodorum novæ lauræ præpoſitum procu-*
E *raſſet fieri crucis cuſtodem & Scythopolitanum metropolitam, procellæ atque tempeſtates comprehenderunt non ſolum noſtrum gregem, ſed etiam eum qui impiiſſimo protoctiſto dogmati adhærebat, quique præfectum habebat Iſidorum. Hic Iſidorus, quia non valebat Aſcidæ & Neolauritis reſiſtere, ad abbatem Cononem noſtri gregis paſtorem tranſiit, atque pollicitus ei in S. Sione ſe nunquam defenſurum præexiſtentiæ ſententiam, ſed omnibus viribus una certaturum adverſus impietatem, cum ipſo Conſtantinopolim*

BIBLIOTECA
Digitized by Google

profectus eſt. Et num. 90. pag. 373. Coteler. A *Abbas ergo Conon ejuſque comites Conſtantinopoli diverſis ærumnis per Aſcidam ſubjecti, patientia victoriam reportarunt. Aliquot enim interjectis diebus quum è vita diſceſſiſſet Petrus archiepiſcopus,* (Palam eſt ejus mortem differri à Cyrillo, ſaltem uſque ad annum 548.) *& Macarius temeritate Neolauritarum eſſet ordinatus, bellumque ſanctam civitatem teneret, piiſſimus quidem Imperator valde indignatus contra Aſcidam & Origeniſtas, Macarium juſſit ab epiſcopatu expelli: Conon vero abbas & ſocii, opportunitate temporis arrepta, quæ ad ipſos pertine-* B *bant Imperatori nota fecerunt, libellumque ei tradiderunt quo univerſam Origeniſtarum impietatem manifeſtabant, Iſidoro jam mortuo. Atque inde cum multa fiducia Euſtochium Alexandriæ œconomum qui Conſtantinopoli tunc degebat, epiſcopum Hieroſolymorum promovent. Piiſſimus autem noſter Imperator, tum Euſtochium Patriarcham fieri ſanxit, tum œcumenicam ſynodum agi mandavit. Abbas autem Conon Euſtochium Hieroſolymam dimittendo hortatus eſt ut Eulogium monaſterii beati Theodoſii præpoſitum* (Conſtantinopolim) *mitteret, ut in ſynodo quæ con-* C *gregabatur adeſſet.* Hæc omnia Cyrillus præfatus, de turbatione exorta inter Palæſtinæ monachos, poſt obitum beati Sabæ, ob errores Origenis à pluribus eorum propugnatos toto tempore quo in vivis ſuperſtes fuit Petrus Hieroſolymorum Patriarcha. Is porro non ſolum ea in cauſa reprehenſibilem ſe præſtitit, ſed etiam in alia Anthimi nempe Trapezuntis epiſcopi ſedis Conſtantinopolitanæ invaſoris, & hæreſi Eutychiana infecti, cujus aliquandiu communionem fovit: unde Agapetus Papa hanc ei Conſtantinopoli degens D epiſtolam ſcripſit: quæ extat tom. 5. concil. Labb. col. 47. *Agapetus dilecto fratri Petro. Voluiſſemus quidem, fratres dilecti, propter conjunctionem noſtræ charitatis, omnes Domini ſacerdotes, juxta apoſtolicam traditionem irreprehenſibiles inveniſſe, & neminem, aut per gratiam, aut per metum, ab eccleſiaſticis canonibus declinare: ſed quoniam multa multoties ſubſequuntur quæ pœnitudinem parere poſſunt, & Dei miſericordia delicta peccatorum vincit, & idcirco differtur pœna ut reformatio locum invenire poſſit, monere neceſſarium judicavimus & ut* E *accepta de cætero imprævaricata cuſtodiantur. Oportebat enim veſtram charitatem memorem paternarum traditionum neminem permittere prohibita facere, ſed ſi quis audax appareret tota virtute reſiſtere. Quum itaque pervenimus ad comitatum ſereniſſimi noſtri Imperatoris filii noſtri, invenimus ſedem Conſtantinopolitanæ eccleſiæ, contra omnem canonum honeſtatem ab Anthimo eccleſiæ Trapezuntiorum epiſcopo inconvenienter uſurpatam, cujus animam non ſolum ſecundum iſtam partem, ſed, quod majus eſt, in confeſſione veræ fidei à perditione reducere deſideravimus: ſed Eutychis errori inſiſtens ad viam veritatis venire contempſit. Unde quum ipſius in fide pœnitentiam expectaſſemus, neque catholico, neque ſacerdotis nomine dignum eſſe interea lata ſententia declaramus, donec omnia à patribus tradita, per quæ veræ religionis fides & diſciplina cuſtoditur, & ſecundum congruentem ſatisfactionem ſuſcipiat. Cæteros vero ſimilis contumaciæ ipſius, & ſententia apoſtolicæ ſedis condemnatos ſimiliter charitas veſtra avertetur, à quorum ipſe ſeipſum communione ſejunxit. Conſtantinopolitanæ vero ſedis injuriam apoſtolica auctoritate* (Deo) *adjuvante, & adjutorio fideliſſimorum Imperatorum emendabimus. Et ſupra modum quidem admirati ſumus quod iſtud opus ita aperte contrarium decretis Patrum, veſtra fraternitas, non ſolum ad notitiam noſtram adducere neglexit, ſed & reprehenſibili conſenſu confirmavit: ſed gratias agimus Deo cujus ſpiritu mala ad melius ut plurimum vertuntur, & parvæ tranſgreſſiones ad utilitatem & occaſionem magni eveniunt gaudii. Hoc autem ad excitandam veſtræ unanimitatis lætitiam ſignifico, quod Mennam fratrem & coepiſcopum noſtrum virum multis laudum modis ornatum prædicta Conſtantinopolitana eccleſia epiſcopum ſuſcepit; cui licet præter cæteros ſereniſſimorum Imperatorum electio arriſerit, ſimiliter tantus & totius cleri ac populi conſenſus acceſſit, ut & à ſingulis eligi crederetur.... Et hoc dignitati ejus additum eſſe credimus, quod à temporibus Petri Apoſtoli nullum alium unquam Orientalis eccleſia ſuſcepit epiſcopum manibus noſtræ ſedis ordinatum. Et forſitan, vel ad demonſtrationem laudis ipſius, vel ad repellendos inimicorum inſultus res tanta contigit, ut illis ipſe ſimilis videatur, quos in his quandoque partibus ipſius apoſtolorum primi electio ordinavit. Commune itaque gaudium, fratres, pia exultatione ſuſcipite, & quantum vos apoſtolicæ ſedis noſtræ judicium comprobatis, conſueta reſcriptione ſignificate, habentes duplicem exultationis cauſam, & quod mala ſine mora corrigantur, & quod pro his optata ſubſequuta fuerint: de cætero præcaventes ne rurſus canonicis ſanctionibus quid contrarium per vos (quod non credo) fiat, aut veſtro accedente conſenſu firmetur; quandoquidem ſicut error ejus, qui ſemel peccavit, venia dignus eſt, ſic frequens tranſgreſſio motum auſteritatis depoſcit. Deus proſpera fruentem valetudine te cuſtodiat, frater honorandiſſime.* Hæc epiſtola ſcripta fuit anno 536. quo Conſtantinopolitana ſede ejecto Anthimo, Mennas in ejus locum ſubſtitutus fuit. Monito paruit Petrus, & eodem anno, 19. ſcilicet Septemb. coacta trium Palæſtinarum epiſcoporum Hieroſolymis ſynodo cui ipſe

Digitized by Google

præſedit, Anthimi depoſitioni, Severique &
aliorum hæreticorum condemnationi cum
iiſdem ſubſcripſit. Hujus ſynodi acta leguntur
to. 5. concil. Labb. à *col. 275.* ad *287.*
hoc modo: *Concilium Hieroſolymitanum,*
contra Severum, Petrum, & Zoaram hæreticos.
Poſt Conſulatum Flavii Beliſarii glorioſiſſimi,
XIII. kal. Octob. Indict. XV. (id eſt, 19.
Septemb. anni 536. *In Colonia Ælia metropoli,*
quæ & Hieroſolymis ἐν Κολωνίᾳ Αἰλίᾳ μητροπόλει τῇ καὶ Ἱεροσολύμοις, *præſidente ſanctiſſimo*
ac beatiſſimo Patriarcha Petro, in ſecreto venerabilis
epiſcopatus ſuæ beatitudinis, & aſſiſtentibus
ſacerdotio ſuo ſanctis epiſcopis trium Palæſtinarum
ſub ſanctis locis venerabiliſſimæ ſynodi
exiſtentibus, &c. Et coll. 279. & ſeqq.
Sententia Petri Hieroſolymorum epiſcopi contra
Anthimum. Sanctiſſimus ac beatiſſimus Patriarcha,
& venerabilis ſynodus dixit: Demonſtratus
eſt, &c. Conſententiativi ſumus his quæ
bene formata ſunt ab ipſo ſanctæ memoriæ Agapeto,
& his quæ definita ſunt à Menna ſanctiſſimo
Patriarcha regiæ urbis, & ab ipſius venerabiliſſima
ſynodo congregata, ſequenteſque de
his confirmationem divinæ ac imperialis legis,
admittimus depoſitionem Anthimi, tanquam qui
à principio præter ſacros canones intruſit ſe in
pontificalem ſedem regiæ urbis, & noviſſime
præbuit demonſtrationem ſuæ hæreſis, & immutabilis
opinionis, &c. Interfuerunt huic ſynodo
Hieroſolymitanæ quadraginta octo epiſcopi.
Referunt doctiſſimi actorum ſanctorum
editores, *tract. prælim. in tom. 3. Maii,*
pag. 27. num. 122. col. 2. Baſilio V. Cl. Coſ.
quum Paulus epiſcopus Alexandrinus incautius
agens, propter cædem ipſius juſſu, ut
ferebatur, patratam (quod tamen negabat ille,
ſed negare non poterat occaſionem dediſſe)
judicatus eſſet irregularitatem incurriſſe, eum
Gazam in exilium relegatum eſſe. *Et poſt hæc,*
inquit Liberatus Brev. *cap. 23. to. 5.* concil.
Labb. *col. 777.* & apud Baron. ad ann. 537.
n. 15. miſit Imperator Pelagium diaconum &
apocriſiarium primæ ſedis Romanæ Antiochiam
cum ſacris ſuis, quibus præcepit ut cum Euphræmio
(Ephræmio) *ejuſdem urbis epiſcopo, &*
Petrus Hieroſolymita, & Hyppatius Epheſinus,
venirent Gazam, & Paulo epiſcopo pallium auferrent,
eumque deponerent. Pelagius ergo profectus
Antiochiam, & inde Hieroſolymam, cum
memoratis Patriarchis & aliquantis epiſcopis
venit Gazam, & auferentes Paulo pallium depoſuerunt
eum, & ordinaverunt pro eo Zoïlum,
quem poſtea Imperator depoſuit, & Apollinarem
ordinavit, qui nunc eſt præſul ipſius Alexandrinæ
eccleſiæ. Liberatus quidem de eo Paulo ceu
de viro orthodoxo loquitur, at eum damnatum
tradit Victor Tunonenſis, quod Dioſcori
hæretici prædeceſſoris ſui nomen in ſacris

A diptychis recitaret. *Baſilio V. C. Coſ. Alexandrinæ*
eccleſiæ, inquit apud Henricum Valeſium
in annotationibus ad *cap. 11. lib. 4. hiſt.*
eccl. Evagrii p. 103. D. Theodoſio & Gaïano
exulatis, Paulus pro eis prior Tabenneſiotarum,
Dioſcori hæretici prædeceſſoris ſui depoſitionem
(id eſt obitus diem) *celebrans, Palæſtino*
concilio deponitur, & pro illo Zoïlus ordinatur
epiſcopus. Theophanes quoque narrat eum
nomen *Severi* recitaſſe: ſed Theophanem
obſervat idem Valeſius *pag. 104. col. 1.* A.
debuiſſe dicere τοῦ Διοσκόρου, non Σεβήρου:
B quia Severus tunc ſuperſtes adhuc illi fuiſſe
videbatur, quando nimirum Paulus epiſcopatu
ejectus eſt anno 537. Hac occaſione
contigit, verba ſunt editorum actorum ſanctorum
loco ſupra cit. *pag. 28. col. 1.* Pelagio
tradi à monachis Hieroſolymitanis excerpta
ex Origene capita quæ petebant Imperatori
damnanda proponi, eoque libenter annuente,
quippe qui gaudebat in talibus cauſis ferre
judicium: dictata eſt à Menna archiepiſcopo
Conſtantinopolitano anathematis ſententia, *Vide ſupra, col. 198. D.*
quam cæteri Patriarchæ, atque cum iis *Petrus*
C accipientes ſubſcripſerunt, teſte eodem Liberato
ibid. Baronius ad annum 546. *num. 8.*
refert Pelagium ſanctæ Romanæ eccleſiæ
diaconum, quum functus fuiſſet munere
apocriſiarii apud Imperatorem, accepto ſucceſſore
Stephano pariter diacono Romam
rediiſſe, ex Procop. *de bello Goth. lib. 3.* haud
diu ante Urbem obſeſſam à Totila: hujus vero
abſentiæ nactum occaſionem Juſtinianum,
quod illo reſiſtente minime peragere potuiſſet,
confeſtim ex ſententia Theodori (Aſcidæ
ſcilicet) archiepiſcopi Cæſareæ Cappadociæ
D Pelagii æmuli, edictum adverſus tria capitula
compoſitum ab eodem Theodoro, proprio
ſui ipſius nomine promulgaſſe. Id enim Liberatus
Breviar. *cap. 24.* tradit: Facundus etiam
Hermianenſis in Africa epiſcopus & ipſe res
ſui temporis ſcribens affirmat *lib. 2.* necnon
Vigilius Papa in ſententia adverſus eumdem
Theodorum poſtea prolata. *Et n. 41.* Quum
igitur ea omnia velamento quodam pacis
cum Acephalis ineundæ.... ab Imperatore
agerentur: quod tamen ſuas ſciret de fide
conſtitutiones nullius eſſe roboris niſi ab
E epiſcopis auctoritatem acciperent, hæc ipſe
animoſius præſulibus ſubſcribenda ingerens,
effecit ut Mennas Conſtantinopolitanus,
Zoïlus Alexandrinus, Ephræm Antiochenus,
Petrus Hieroſolymitanus, aliique permulti
Orientales epiſcopi, primo quidem ſubſcribere
renuentes, ſed poſtea ſive blanditiis, ſive
terroribus compulſi, ei ceſſerint: cui ex altera
parte Stephanus ſedis apoſtolicæ apocriſiarius,
una cum Dacio Mediolanenſi epiſcopo &
ipſo Conſtantinopoli tunc degente; atque in

Digitized by Google

Occidente Pelagius Romam nuper reverſus, necnon Africani epiſcopi, ipſeque in primis Vigilius Papa, cum verbis, tum ſcriptis valide reſtiterunt: adeo ut & iidem ipſi mox Orientales coactam ſuam ſubſcriptionem deteſtantes, Romanum Pontificem conſuluerint, proteſtati ſententiam ſe retractaturos ſi eam ipſe non probaret: quod præcipue Mennas ab Stephano redargutus præſtitit, conteſtatus ſub ea ſe conditione ceſſiſſe, quod juratum ipſi fuiſſet, ſuum ſe chirographum recepturum, ſi ea Romanus epiſcopus non probaret, prout hæc omnia pluribus narrat Facundus pro defenſione trium capitulor. *libb. 2. & 4.* Ita Baronius, cujus verborum ſummam poſtquam ſtricte adduxerunt præfati actorum ſanctorum editores, addunt de Petro ſpeciatim, ex Facundo *lib. 4. cap. 4. Quid etiam Petrus Hieroſolymitanus! Nonne publica notitia refert quoniam conveniente ad ſe multitudine monachorum juratus pronuntiavit quod ſi quis eidem decreto* (Imperatoris) *novitio conſentiret, contra Chalcedonenſe concilium faceret: nec tamen ſe ab ejus conſenſione ſuſpendit. Hoc autem, velut hereditarium de prævaricatione primæ illius mulieris cognoſcimus eſſe contractum, quæ prius interdictum ſibi fuiſſe reſpondit ne de ligno quod erat in medio Paradiſi comederet, & poſtea quod ipſa illicitum pronuntiaverat uſurpavit, ac viro ut comederet perſuaſit.* Baronius, pergunt illi editores actorum ſanctorum, *num. 124. col. 2.* omnia (hæc) ad annum 546. diſtulit, quod eo anno promulgatum crediderit Juſtiniani edictum cui ſubſcripſit Petrus. Verum neque in ipſo quod habetur edicto, neque in Liberati Breviario de cauſis Neſtorianorum & Eutychianorum, neque in Facundi Hermianenſis libris pro defenſione trium capitulor. quidquam (occurrit) quod annum iſtud indicet. Vigilii autem Papæ profectio Conſtantinopolim anno 547. ſuadet longius temporis intervallum fluxiſſe, quam quod admittendum eſſet ab anno ſolum præcedenti: nonniſi enim poſt congruas ultro citroque deliberationes pro ſedandis turbis ex ejuſmodi edicto concitandis, quæ in apertum tandem ſchiſma eruperunt, neceſſarium duxit Pontifex Imperatorem ſibi nimium indulgentem de cauſis eccleſiaſticis & rebus fidei adire. Quare edictum illud anno 543. recte aſſignari poteſt, ut anno ſequenti 544. obierit Petrus, quem ſediſſe viginti annis, ab anno ſcilicet 524. adſtruunt Nicephori chronicon & tabulæ Theophanis. At Roma egreſſum eſſe Vigilium, non anno 547. ut aiunt illi actorum ſanctorum editores, ſed circa finem anni 544. monſtrat Pagius *in Brev. hiſt. chronol. crit. Geſtor. Pontif. Rom. to. 1. pag. 295. n. 17.* ex Anaſtaſ.

A qui eum profectum dicit die 22. Novembr. hujus anni, ex Vict. etiam Tunonenſi, qui iter ab illo ſuſceptum narrat *poſt conſulatum Baſilii V. Cl. anno 4.* qui ſecundum ejus ſupputandi modum eſt annus 544. denique ex ipſomet Vigilio qui in epiſtola encyclica anno 552. Nonis Febr. data, ait: *to. 5.* conc. Labb. *col. 333. Nos ad pietatem tuam feſtinantes ante ſeptem annos de civitate noſtra ſic egreſſi ſumus ut nulla haberemus privata negotia.* Ex quibus verbis patet eum Roma diſceſſiſſe anno 544. ad finem vergente. Obſervat inſuper idem Pa-
B gius *ibidem pag. 293. nn. 13. & 14.* edictum Juſtin. Imp. contra tria capit. cui ſubſcripſere Ephræmius Antiochenus & Petrus Hieroſolym. promulgatum eſſe ſaltem anno 544. at non tardius, tum quia Petrus Hieroſolymorum Patriarcha eo anno obiit; (ut communius traditur) tum etiam quia jam emiſſum fuerat, ante quam Vigilius Roma egrederetur ſub finem anni 544. quandoquidem teſte Facundo Hermian. *lib. 4.* pro defenſ. trium capit. *cap. 3.* Romani illum proficiſcentem obteſtabantur, ne huic edicto acquieſceret.
C *Non tacuit,* inquit *pag. 60.* D. *quod Romana quoque univerſitas egredientem* (Vigilium) *quod venientem Africa etiam atque Sardinia, quanquam non per eas tranſierit, per ipſius tamen conſiliarium publica eum conteſtatione pulſaverint, ſicut Hellas & Illyricus provinciæ per quas venit, ut nullatenus novitati quæ facta eſt, acquieſcat.* Addit autem Pagius *ibid. pag. 294. n. 14.* edictum illud Juſtiniani ad nos non perveniſſe, proindeque illud quod citatur à Baronio ad annum 546. à *n. 11.* ad *n. 38.* de quo nos infra aliquid referemus, & extat
D Græcè & Latinè *to. 5.* conc. Labb. à *col. 683.* ad *col. 723.* aliud eſſe poſterius, latumque anno 550. aut 551. Nam de Theodoro Mopſueſteno ibidem ſcribit Juſtinianus: *Deleverunt ipſi* (clerici Mopſueſtiæ) *ex illo* (tempore) *à ſacris eccleſiæ diptychis ejus nomen, ſicut geſta in eadem civitate apud concilium epiſcoporum illius provinciæ confecta oſtendunt.* Porro hoc concilium Mopſueſtiæ celebratum eſt anno 550. & recenſetur in ſynodo quinta collatione quinta, *tom. 5.* concil. Labb. à *col. 492.* ad *col. 501.* Titulus eſt: *Synodus*
E *Mopſueſtena. Imperii divini & piiſſimi noſtri Domini Flavii Juſtiniani perpetuo Auguſti & Imperatoris anno vigeſimo-tertio,* (ad margin. *vigeſimo-quarto,* & ſic legendum monet Baluzius in nova collectione concilior. nempe *vigeſimo-quarto) poſt conſulatum Flavii Baſilii V. Cl. anno 9. ante 15. kal. Julias, menſis Junii 17. inſtantis* (id eſt, currentis) *XIII. Indict. In Mopſueſtia colonia, &c.* Præterea edictum anni 544. hæc continebat, teſte eodem Facundo Hermian. *lib. 4. cap. 4. pag. 63.* B. *Si quis*

Digitized by Google

quis dicit, hæc nos ad abolendos aut excludendos ſanctos Patres, qui in Chalcedonenſi fuere concilio, dixiſſe, anathema ſit. Quæ certe verba non leguntur in edicto quod proferunt Baronius, & conciliorum collectores.

LI. Eustochius.

Petro defuncto, Macarius quidem primum ſedem Hieroſolymitanam conſcendit, ſed brevi exauctoratus; in ejus locum *Euſtochius* aſſumptus eſt, cui ipſe deinde ſucceſſit eidem ſedi reſtitutus quam uſque ad obitum tenuit. Quamobrem de Euſtochio impræſentiarum agimus, de Macario autem poſtea. Evagrius, *lib. 4. hiſt. eccl. cap. 37.* duplicem hanc promotionem tradit. *Poſt Petrum,* inquit, *Macarius ejuſdem urbis epiſcopatum ſuſcepit, quum Imperator electionem ejus nondum comprobaſſet. Hic poſtea ſua ſede expulſus eſt, propterea quod Origenis dogmata aſſerere dicebatur. Poſt hunc igitur Euſtochius epiſcopalem ſedem ſortitus eſt.* De quo ſic pergit cap. 38. *Quum Origenis dogmatum aſſertores in monaſteriis Palæſtinæ, ſed præcipuè in ea quæ dicitur nova laura quotidie invaleſcerent, Euſtochius omni ſtudio in id incubuit ut eos expelleret. Ad novam itaque lauram ſe contulit, eoſque inde ejecit, procul amandans, tanquam communem hominum perniciem. At illi varia in loca diſperſi multos ſuis partibus adjunxerunt. Horum patrocinium ſuſcepit Theodorus cognomento Aſcidas epiſcopus Cæſareæ quæ caput eſt provinciæ Cappadociæ, qui cum Juſtiniano aſſiduè verſabatur, eique fidus erat inprimis ac perutilis. Quum ergo iſte palatium conturbaret, & id quod ab Euſtochio geſtum erat meram impietatem vocaret; miſſi ſunt Conſtantinopolim ab Euſtochio Rufus abbas monaſterii Theodoſii, & Conon abbas monaſterii Sabæ, qui tum virtutis ſuæ cauſa, tum ob monaſteria quibus præerant, principem locum inter Solitarios obtinebant. Venerunt una cum illis etiam alii dignitate haud multo inferiores. Et hi quidem de Origene inprimis, & de Evagrio ac Didymo agere inſtituerunt. Theodorus autem Cappadox, quum eos aliò vellet traducere, cauſam Theodori Mopſueſtiæ epiſcopi, & Theodoreti, atque Ibæ in medium produxit; Deo ſcilicet optimo maximo ita rem omnem optime diſponente, ut hinc inde profana omnia penitus ejicerentur.* Cyrillus Scythopolitanus in vita ſancti Sabæ *n. 90.* apud Cotelerium, *to. 3. monum. eccl. Græc. pp. 373. & 374.* hæc pariter habet de Macario & Euſtochio. *Quum è vita diſceſſiſſet Petrus archiepiſcopus, & Macarius temeritate Neolauritarum eſſet ordinatus, bellumque ſanctam civitatem teneret, piiſſimus quidem Imperator valde indignatus contra Aſcidam & Originiſtas, Macarium juſſit ab epiſcopatu expelli: Conon vero abbas* (maximæ
A lauræ ſancti Sabæ, qui tunc Conſtantinopoli aderat) *& ſocii, opportunitate temporis arrepta .... cum multa fiducia, Euſtochium Alexandriæ œconomum qui Conſtantinopoli tunc* (quoque) *degebat, epiſcopum Hieroſolymorum promovent. Piiſſimus autem noſter Imperator, tum Euſtochium Patriarcham fieri ſanxit, tum œcumenicam ſynodum agi mandavit. Atque abbas Conon Euſtochium Hieroſolymam dimittendo, hortatus eſt ut Eulogium monaſterii beati Theodoſii præpoſitum mitteret, quo is etiam in ſynodo quæ congregabatur adeſſet. Hic Euſtochius in patriar-*
B *chatu conſtitutus, tres epiſcopos miſit qui locum ipſius in concilio tenerent: prætereaque abbatem Eulogium cum aliis duobus monaſteriorum præpoſitis. Itaque quum ſancta & univerſalis quinta ſynodus Conſtantinopoli eſſet coacta, communi generalique anathemati ſubmiſſi ſunt Origenes, & Theodorus Mopſueſtenus, cum iis quæ de præexiſtentia & reſtitutione dicta ſunt ab Evagrio & Didymo: præſentibus quatuor Patriarchis, atque decreta comprobantibus. Poſtquam vero Imperator acta ſynodi Hieroſolymam miſiſſet, omneſque per Palæſtinam epiſcopi manu*
C *& ore ea confirmaſſent, præter Alexandrum Abylæ, qui ideo ab epiſcopatu dejectus eſt, ac Byzantii à terræ motu obrutus fuit: Neolauritæ à catholica communione ſeparaverunt ſe. At Patriarcha Euſtochius diverſis modis eos aggreſſus, & per octo menſes admonitione & adhortatione erga illos uſus, ubi non perſuaſit ut cum catholica communicarent eccleſia, Imperatoris adhibitis juſſionibus, per Anaſtaſium ducem eoſdem à nova laura expulit, totamque provinciam ab ipſorum peſte liberavit. Quod vero nollet locum abſque habitatoribus relinquere, centum*
D *viginti monachos collectos illuc tranſplantavit: ſexaginta nimirum è maxima laura, ex quibus Joannem quemdam qui ſcholarius fuerat, ἀπὸ σχολαρείων, præpoſitum ordinavit & conſtituit: alios vero ſexaginta è reliquis eremi orthodoxis monaſteriis; quorum unus ipſe ſum à maximæ lauræ Patribus è monaſterio S. Euthymii, de ſententia & permiſſione divini Joannis epiſcopi ac Solitarii evocatus. Itaque in ſancta civitate congregati, egreſſi ſumus cum Patriarcha, novoque præpoſito in Thecoam vicum: atque poſt Origeniſtas ab Anaſtaſio duce pulſos, novam*
E *lauram recepimus vigeſimo-tertio à morte beati Sabæ anno:* (ſubindeque anno Chriſti 555.)

Quod autem aiunt Evagrius & Cyrillus, Origenem, Evagrium, & Didymum, una cum Theodoro Mopſueſteno, ſcriptis Theodoreti adverſus anathematiſmos Cyrilli Alexandrini, & epiſtola Ibæ, fuiſſe condemnatos, nonnihil difficultatis ingerit, ad cujus ſolutionem ſequens obſervatio doctiſſimi Henrici Valeſii, quæ extat in annotationibus ad *cap. 38. lib. 4. hiſt. eccl. Evagr. p. 110. col. 2. & p. 111. coll. 1.* [Expenditur num Origenes, Evagrius, & Didymus, in quinta ſynodo generali damnati fuerint?]

Digitized by Google

& 2. non parum, ut videtur, lucis adferet. In actis ſynodi quintæ Conſtantinopolitanæ, (id eſt, ſynodi quintæ generalis Conſtantinopoli congregatæ, ſecundæ vero Conſtantinopolitanæ generalis) quæ latino ſermone edita ad nos pervenerunt, inquit, nihil extat.... de Origenis, Evagrii, & Didymi condemnatione: itaque Baronius acta iſta mutila atque imperfecta eſſe exiſtimavit. Nicephorus quidem *to. 2. hiſt. eccl. lib. 17. cap. 27. pp. 776. & 777.* hæc adverſus Origenem ejuſque ſectatores geſta eſſe dicit in ſecunda congregatione. Theophanes vero, & auctor chronici Alexandrini, quintam ſynodum primo ac præcipuè collectam eſſe ſcribunt adverſus errores Origenis, & Evagrii, ac Didymi: ſecundo autem loco adverſus tria capitula.... Et rurſus, *pag. 111. col. 1.* quantum ex Evagrii verbis colligere licet, Theodorus (Aſcidas) Cappadox (de quo loquitur Evagrius) erat ex numero monachorum novæ lauræ quæ fuit juxta urbem Hieroſolymam. Hic eſt igitur Theodorus Nonni Origeniſtæ aſſecla, qui poſtea Cæſareæ Cappadocum epiſcopus factus Origeniſtarum patrocinium apertè ſuſcepit, ut ſcribit Cyrillus Scythopolitanus in vita ſancti Sabæ. Porro quum hic Theodorus Cæſareæ Cappadocum epiſcopus, primas, ut ita dicam, partes egerit in ſynodo quinta Conſtantinopolitana, ut ex ejus actis perſpici poteſt, quomodo nunc in eadem ſynodo (teſte ipſomet Evagrio,) tanquam Origeniſta accuſatur (ſi in illa ad Origenis condemnationem plurimam tulit operam, eidemque ſubſcripſit?) Non igitur ſine cauſa ſuſpicari poſſumus, hæc quæ Evagrius, Theophanes, & Cedrenus geſta eſſe dicunt in quinta ſynodo adverſus Origenem, diu poſt illam ſynodum adjecta ei fuiſſe ob argumenti ſimilitudinem; non tamen in ea ſynodo acta fuiſſe: ſic etiam geſta ſynodi Conſtantinopolitanæ ſub Menna adverſus Anthimum & Zoaram (anno Chriſti 536.) huic ſynodo quintæ ſubjici ſolebant, ut teſtatur Photius in bibliotheca. Idem etiam probari poteſt ex iis quæ ſubnectit Evagrius: ait enim multa impiè dicta ex Evagrii ac Didymi & Theodori Mopſueſteni libris collecta ad eam ſynodum relata eſſe. Quod ſi hæc in quinta ſynodo Conſtantinopolitana geſta eſſent, ut tradit Evagrius, ſuperfluum omnino fuiſſet atque inutile Theodori dicta repetere quæ in ſupra dicta ſynodo toties recenſita fuerant atque damnata. Itaque exiſtimo hæc adverſus Origenem acta eſſe in alia ſynodo Conſtantinopolitana anno Chriſti 538. (vel fortaſſis aliquo alio anno poſteriori, ab eo ſcilicet anno 538. uſque ad annum 544. quo obiit Petrus Hieroſolymitanus Patriarcha qui ejus

A acta ſuſcepit) tunc nimirum quum monachi quidam Hieroſolymitani, quibus Pelagius Romanæ eccleſiæ diaconus, ac Mennas epiſcopus Conſtantinopolitanus favebant, libellum Juſtiniano obtulerunt capitula quædam ex libris Origenis excerpta continentem, poſtulantes à principe ut ea capitula damnarentur, quemadmodum refert Liberatus in *cap. 23.* Breviarii, *to. 5.* Labb. *col. 778.* Vide Baronium ad annum Chriſti 538. Cæterum conjecturam noſtram prorſus confirmant ea quæ paulo ante ſcribit Evagrius, in iis videlicet B geſtis adverſus Origenem inſertam fuiſſe epiſtolam Imperatoris Juſtiniani ad Vigilium Papam de erroribus Origenis. Non igitur in ſynodo quinta Conſtantinopolitana hæc geſta ſunt anno Chriſti 553. eo ſiquidem anno Vigilius erat Conſtantinopoli, nec neceſſe erat ut Juſtinianus cum eo per litteras ageret. Acta ſunt ergo hæc adverſus Origenem diu antea, tunc videlicet quum Juſtinianus, accepto libello monachorum illorum Palæſtinenſium, epiſtolam ſcripſit ad Mennam epiſcopum Conſtantinopolitanum de erroribus C Origenis; jubens ut collectis epiſcopis qui in urbe regia aderant, & abbatibus monaſteriorum, errores illos condemnaret. Extat hæc Juſtiniani epiſtola græcè & latinè edita ad calcem ſynodi quintæ Conſtantinopolitanæ; Alieno prorſus loco: non enim pertinet ad ſynodum quintam Conſtantinopolitanam quæ anno 553. celebrata eſt, ſed ad alteram ſynodum Conſtantinopolitanam quæ juſſu Imperatoris Juſtiniani collecta eſt anno Chriſti 538. (vel adhuc recentius.) Itaque Baronius hanc epiſtolam Juſtiniani rectè D retulit ad eum annum quem dixi. In fine autem hujus epiſtolæ Juſtinianus diſertè teſtatur ſe ad Vigilium quoque Romanæ urbis epiſcopum epiſtolam ſcripſiſſe eodem argumento. Sic enim ait: *Hæc porro eadem ſcripſimus non modo ad ſanctitatem tuam, ſed etiam ad ſanctiſſimum & beatiſſimum Papam ſenioris Romæ & Patriarcham Vigilium, & ad cæteros omnes ſanctiſſimos epiſcopos, & Patriarchas Alexandriæ, Theopoleos, & Hieroſolymorum, ut & hi huic rei proſpiciant, & hæc finem adipiſcantur.* Denique anathematiſmi illi quos E adverſus Origenis dogmata in quinta ſynodo Conſtantinopolitana contortos fuiſſe dicit Nicephorus, iiſdem plane verbis leguntur in epiſtola Juſtiniani ad Mennam, quæ ſcripta eſt diu ante ſynodum quintam, anno Chriſti 538. ut ex Liberato docet Baronius. Idem quoque probari poteſt ex epiſtola quam Gregorius Magnus initio pontificatus ſui ſcripſit ad quatuor Patriarchas: nam quum in ea epiſtola diſertè profiteatur ſe quintam ſynodum Conſtantinopolitanam cum veneratione

Digitized by Google

ſuſcipere, in qua epiſtola Ibæ, & Theodori ac Theodoreti ſcripta quædam damnata ſunt, de Origenis condemnatione nihil dicit: quam profectò non omiſſurus fuiſſet, ſi Origenes in ea ſynodo eſſet condemnatus. Hucuſque Valeſius. Fieri itaque potuit acta ſynodi Conſtantinopolitanæ ſub Menna congregatæ anno Chriſti 538. pro condemnatione errorum Origenis, in Palæſtinam, & alio, miſſa fuiſſe una cum actis quintæ ſynodi generalis pro condemnatione trium capitulorum, hincque opinatos eſſe Cyrillum Scythopolitanum, Evagrium, Theophanem, Cedrenum, &c. eas omnes condemnationes geſtas fuiſſe in ſynodo quinta generali, quæ tamen ſoli tunc trium capitulorum proſcriptioni, ob quam convocata fuerat, omnem operam navavit. Et certe Liberatus Breviarii *cap. 24. tom. 5.* concil. Labb. *col. 778.* aſſerit Origenem fuiſſe damnatum Conſtantinopoli, nondum mota ibidem de tribus capitulis quæſtione: *Reſerato,* inquit, *aditu adverſariis eccleſiæ ut mortuus damnaretur, Theodorus Cæſareæ Cappadociæ epiſcopus, dilectus & familiaris principum, ſecta Acephalus, Origenis autem defenſor acerrimus, & Pelagii* (ſanctæ Romanæ eccleſiæ apocriſiarii) *æmulus, cognoſcens Origenem fuiſſe damnatum, dolore damnationis ejus, ad eccleſiæ conturbationem, damnationem molitus eſt in Theodorum Mopſueſtenum, eo quod Theodorus multa opuſcula edidiſſet contra Origenem, exoſuſque & accuſabilis haberetur ab Origeniſtis, & maxime quod ſynodus Chalcedonenſis, (ſicut probatur) laudes ejus ſuſceperit in tribus epiſtolis; cujus damnationem memoratus Theodorus tali machinatione perfecit. Scribente principe contra Acephalos in defenſionem ſynodi Chalcedonenſis, accedens idem Theodorus Cappadox, una cum ſuis ſatellitibus, qui ſub nomine catholico Acephalis ſtudebant, cum Theodoræ Auguſtæ favore Imperatori ſuggeſſit ſcribendi laborem non eum debere pati, quando compendio poſſet Acephalos omnes ad ſuam communionem adducere. Siquidem illi, inquit, hoc offenduntur in ſynodo Chalcedonenſi quod laudes ſuſcepit Theodori Mopſueſteni epiſcopi, epiſtolamque Ibæ, quæ per omnia Neſtoriana eſſe cognoſcitur, ſynodus ipſa judicio ſuo pronuntiaverit orthodoxam. Qui Theodorus, ſi cum dictis ſuis, & hac epiſtola anathematizetur, tanquam retractata ſynodus atque purgata, ſuſcipietur ab eis per omnia & in omnibus, & ſine pietatis veſtræ labore eccleſiæ catholicæ ſociati, gaudente univerſali eccleſia, clementiæ veſtræ laus erit ſempiterna. Hæc audiens Imperator, & dolum doloſorum minime proſpiciens, ſuggeſtionem eorum libenter accepit, & hoc ſe facere promptiſſime ſpopondit. Sed rurſus illi callida fraude rogaverunt eum ut dictaret librum in damnationem trium capitu-*

A *lorum, quo libro ejus edito & toti mundo manifeſtato, dum emendare princeps erubeſcit, irrevocabilis cauſa fieret. Sciebant enim principem ſolita pietate, ſcandalo emergente, ſententiam ſuam poſſe corrigere, ſeſeque ad periculum pervenire* (hic aliqua videtur irrepſiſſe confuſio, legendum fortaſſis *prævenire.*) *Annuit princeps, & hoc ſe lætus implere promiſit, & relinquens operis ſui ſtudium, unum in damnationem trium capitulorum condidit librum, pro delictis noſtris, nobis omnibus notiſſimum. Cætera vero quæ ſubſequenter in epiſcopis & catho-*
B *lica eccleſia ab eodem principe* (Juſtiniano) *facta ſunt: quomodo conſentientes epiſcopi in trium damnationem capitulorum muneribus ditabantur, vel non conſentientes depoſiti in exilium miſſi ſunt, vel aliqua fuga latitantes in anguſtiis felicem exitum ſuſceperunt, quoniam nota ſunt omnibus, puto nunc à me ſilenda. Illud liquere omnibus credo, per Pelagium diaconum, & Theodorum Cæſareæ Cappadociæ epiſcopum, hoc ſcandalum in eccleſia fuiſſe ingreſſum. Quod etiam publice ipſe Theodorus clamitavit, ſe, & Pelagium vivos incendendos, per quos hoc ſcan-*
C *dalum introïvit in mundum.* Damnatio ergò Origenis præceſſerat damnationem trium capitulorum in ſynodo quinta generali factam, huicque occaſionem dedit: nec procul dubio Theodorus ille præſtitit ut in ea ſynodo, in qua plurimum valebat auctoritate principis, Origenes iterum proſcriberetur. Unde idem Liberatus qui illud primum judicium in Origenem Conſtantinopoli latum ſub Menna Patriarcha refert, non dicit eum denuò fuiſſe damnatum.

Epiſtola illa, quam ſcripſit Juſtinianus Im-
D perator ad Mennam, tum ut ei denuntiaret capitula ex libris Origenis excerpta & ad ſe delata à monachis Hieroſolymitani tractus, cum ampla illorum confutatione ex ſcriptura & ſanctis patribus, à ſe, vel ſub ſuo nomine conflata; tum ut illum hortaretur ad epiſcopos & abbates Conſtantinopoli repertos congregandum ut eadem capitula ipſamque Origenis perſonam damnarent & anathematibus ferirent: ea, inquam, epiſtola extat Latine apud Baronium ad annum 538 à *n. 34.* ad *n. 82.* Græce vero & Latine, *to. 5.* concil.
E Labb. in additamentis ad quintam ſynodum generalem, à *col 635.* ad *col. 679.* Ejus titulus eſt: *Tractatus piiſſimi Imperatoris Juſtiniani miſſus ad Mennam ſanctiſſimum & beatiſſimum archiepiſcopum felicis urbis & Patriarcham, adverſus impium Origenem, & nefarias ejus ſententias.* Initium eſt: *Nobis ſemper præſto fuit, &c.* leguntur autem in fine *col. 670.* verba quæ Valeſius ex ea ſupra retulit: *Hæc porro eadem ſcripſimus, &c.* itidem *col. 678.* habentur decem anathematiſmi in Origenem

Digitized by Google

ejuſque errores vibrati, quos in quinta ſynodo recitatos probatoſque, ſicut & repetitam Origenis damnationem Nicephorus tradit *to. 2. hiſt. eccl. lib. 17. cap. 28. pp. 778. & 779.* Ipſe enim Imperator, inquit Baron. modo laudatus, *num. 83.* quod ſciret extra fines eſſe regalis auctoritatis de fide ſancire decreta, hanc ob cauſam, ut in ea ipſa epiſtola audivimus, (verba epiſtolæ inferius *col. 216.* referentur) ipſum Mennam Conſtantinopolitanum ad quem ſcribit, admonet ut ſynodum habeat, à qua iſta omnia quæ adverſus Origenem ſcripta eſſent, confirmarentur: quod & factum fuit. *Edicto* (Imperat.) inquit Cyrillus Scythopolitanus in vita ſancti Sabæ, *n. 85.* in fine, *Mennas ſubſcripſit una cum ſynodo ſua.* Ad hanc utique ſynodum, vel jam convocatam, vel quæ mox convocanda expectabatur, pertinet aliud ejuſdem Imperatoris ſcriptum *tom. 5.* concil. Labb. *col. 679.* ſub hoc titulo: *Litteræ Juſtiniani Imperatoris ad ſanctam ſynodum Conſtantinopolitanam de Origene & ſectatoribus ejus.* (Ad margin. apponitur; *ex Georgio Cedreno, ad annum 25. Juſtiniani Imperatoris.)* Has quidem Cedrenus Juſtiniani litteras ad annum ejus imperii 25. revocat *tom. 1. pag. 376.* D. ſed & ipſam ſynodum quintam generalem in eodem quoque anno celebratam fuiſſe ſcribit, *centum & duobus annis,* inquit, *poſt 4.* ſive Chalcedonenſem (quæ coacta eſt anno Chriſti 451.) quibus verbis indicat à ſe annum Chriſti 553. cum anno Imperii Juſtiniani vigeſimo-quinto conjungi: perperam tamen, quum conſtet, tunc à menſe Aprili annum 27. hujus Imperatoris fuiſſe numeratum: nec verius aſſerit prædictas litteras ad quintam ſynodum generalem datas eſſe, quæ anno Chriſti 544. poſteriores eſſe non poſſunt.

Id utique evincitur ex eo quod hæ litteræ à Juſtiniano Imperatore, vel ſub ejus nomine ipſo volente, cum præcedente epiſtola ad Mennam, de qua etiam in fine earumdem fit mentio, ſcriptæ fuerint, dum Pelagius ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconus & apocriſiarius Conſtantinopoli verſaretur, dum Petrus Hieroſolymitanus Patriarcha adhuc viveret, & antequam Imperator ullum edictum adverſus tria capitula edidiſſet. Hæc certa ſunt: primum quidem; nam Liberat. Breviar. *cap. 23. to. 5.* conc. Labb. *pag. 778.* A. ſic loquitur: *Redeunte Pelagio Conſtantinopolim, monachi quidam ab Hieroſolymis, per quos Pelagius in Gazam tranſitum habuit, venerunt ad eum in comitatu, portantes capitula de libris Origenis excerpta, volentes agere apud Imperatorem ut Origenes damnaretur cum illis capitulis. Igitur Pelagius æmulus exiſtens Theodoro Cæſareæ* A *Cappadociæ epiſcopo, volens ei nocere, eo quod eſſet Origenis defenſor, una cum Menna archiepiſcopo Conſtantinopolitano flagitabat à principe ut juberet fieri quod illi monachi ſupplicabant, ut Origenes damnaretur, ipſaque capitula talia docentia. Annuit Imperator facillimè, gaudens ſe de talibus cauſis judicium ferre. Jubente eo dictata eſt in Origenem & illa capitula anathematis damnatio, quam ſubſcribentes una cum Menna archiepiſcopo apud Conſtantinopolim reperti* (epiſcopi, hæc) *deinde directa eſt Vigilio Romano epiſcopo, Zoïlo Alexandrino,* B *Euphræmio* (Ephræmio Antiocheno) *& Petro Hieroſolymitano; quibus eam accipientibus, & ſubſcribentibus, Origenes damnatus eſt mortuus, qui vivens olim fuerat ante damnatus.* Huic Liberati teſtimonio mire concinunt ipſa Juſtiniani Imperatoris verba in epiſtola ad Mennam *to. 5.* conc. Labb. *col. 670.* B. C. *Quum autem velimus omne ſcandalum à ſanctiſſima eccleſia propulſare, ut nulla in ea macula relinquatur, obſequentes divinis ſcripturis, ſanctiſque patribus, qui ipſum Origenem, ac hujuſmodi ſceleratam impiamque ejus doctrinam pro-*C *fligarunt, ac jure anathemati ſubjecerunt, hanc epiſtolam ad tuam beatitudinem dedimus, qua eam hortamur ut omnium qui in hac regia urbe nunc degunt ſanctorum epiſcoporum conventum habeat, ac Deo amabiliſſimorum præfectorum ſanctis quæ hic ſunt monaſteriis, faciatque ut omnes in ſcriptis præfatum impium ac Deo repugnantem Origenem.... ac ejus nefaria impiaque dogmata, capitulaque omnia quæ inferius ponuntur, omnimodis anathematizent, &c.* Juſſioni Imperatoris proculdubio obtemperavit Mennas, qui id ipſum ab illo una cum D Pelagio enixè poſtularat: ſynodum quantocius congregavit, ad quam idem Imperator litteras quæ hanc epiſtolam ad Mennam ſequuntur direxit: ſic autem incipiunt: *Studium noſtrum fuit, & eſt, &c. Quum ergo compertum habeamus eſſe Hieroſolymis quoſdam nimirum monachos, qui Pythagoræ, Platonis, Origeniſque Adamantii impios errores ſectentur ac doceant, exiſtimavimus curam & inquiſitionem de iis adhibendam, ne ii tandem paganicis & manichaïcis ſuis impoſturis multos perdant, &c.* Finis vero eſt, *ibid. col. 682.* E. *Propter has* E *igitur nefarias & pernicioſas opiniones, imò potius nugas, vos hortamur, ô ſanctiſſimi Patres, ut in unum collecti, ſubjectam* (id eſt, vobis exhibitam) *expoſitionem,* (ſuam utique prolixam adverſus Origenem epiſtolam ad Mennam) *diligenter perlegatis, & ſingula ejus capita* (in ea contenta) *damnetis, & anathematizetis una cum Origene omnes qui idem ſentiunt, aut ſentient ad finem.* Convocata itaque ſynodus petitam cenſuram ſeu anathematis ſententiam tulit, quæ miſſa ad

Digitized by Google

Patriarchas, ut ex Liberato ſupra vidimus, ab ipſis ſubſcripta eſt: hocque modo damnationis judicium ſubiit Origenes in ſynodo Conſtantinopolitana, quam plerique ſcriptores, tempora non diſtinguentes, pro ſynodo quinta generali ſumpſere. Secundum vero à nobis aſſertum, prædictas nempe Imperatoris litteras ad ſynodum directas contra Origenem ſcriptas fuiſſe vivente adhuc Petro Hieroſolymitano Patriarcha, exinde manifeſtum fit quod idem Liberatus hunc expreſſe nominet inter epiſcopos qui Origenis damnationi ſubſcripſerunt. Poſtremum denique, eaſdem litteras prius datas, quam Imperator quidquam adverſus tria capitula attentaſſet, tradit expreſſe Liberat. Breviar. *c.24.* cujus verba jam ſuperius *col. 213.* relata ſunt; ex hac ipſa videlicet Origenis damnatione aiens valde exaſperatum Theodorum Cæſareæ Cappadociæ epiſcopum, molitum eſſe trium capitulorum proſcriptionem, ac ſuaſiſſe Juſtiniano, ſub prætextu revocandi Acephalos ad ſuſceptionem concilii Chalcedonenſis, ut Theodorum Mopſueſtenum, nonnulla Theodoreti ſcripta, & epiſtolam Ibæ, publico edicto profligaret, & condemnari ab eccleſia curaret. Porro hæc omnia annum Chriſti 544. non exceſſerunt. Nam, quod ad Pelagium ſpectat, ille Conſtantinopoli Romam evocatus eſt à Vigilio Papa anno 544. Id ſcribit Pagius qui Origenem in ſynodo quinta generali condemnatum nihilominus arbitratur. *Pelagius,* inquit *to. 1.* Breviar. geſtor. Pontif. Roman. *p. 319. n. 2. ante Pontificatum, Conſtantinopoli fuerat Vigilii Papæ apocriſiarius apud Juſtinianum Imperatorem, cum quo, ut ait Procop.* lib. 3. de bello Goth. c. 20. *maximam ſibi conciliaverat amicitiam. Dum eo munere fungeretur, auctor fuit Juſtiniano ut Origeniſtas damnaret. Conſtantinopoli Romam rediit à Vigilio evocatus anno 544. antequam Imperator primum edictum contra tria capitula emitteret.* Supra dixerat, pag. 292. n. 10. *Pelagius Vigilii Papæ apocriſiarius Conſtantinopoli, ut Theodori Cæſareæ Cappadocum epiſcopi, magni Origeniſtarum patroni, qui magna apud Juſtinianum gratia & auctoritate pollebat, potentiam atque exiſtimationem deprimeret, cum Menna epiſcopo Conſtantinopolitano, Juſtiniano ſuaſit, ut libellos contra Origenem ac ſectatores à monachis ſibi oblatos ſuſciperet, & Origenem damnaret, &c. Hæc poſt annum 540. & ante annum 544. geſta.* Quod vero ad Petrum Hieroſolymitanum Patriarcham attinet, qui anathematis ſententiæ adverſus Origenem latæ ſubſcripſit, is fato functus eſt anno 544. ut ſupra obſervavimus, ubi de eo, & aſſentitur Pagius, *ibid. p. 293. n. 13.* Denique quod ad ætatem ſpectat primi Juſtiniani Imper. adverſus tria capitula edicti, non tardius hoc evulgatum eſt anno ſaltem 544. non tantum quia ei ſubſcripſit idem Petrus Hieroſolymitanus, ſed quia inſuper Romæ jam innotuerat, antequam ex illa urbe ſub finem anni 544. Vigilius egrederetur Conſtantinopolim profecturus, ut etiam ex eodem Pagio *ibid.* dictum eſt ad calcem articuli de præfato Petro *col. 208.* Certum itaque videtur epiſtolam Juſtiniani Imperatoris ad Mennam, & litteras ejuſdem ad ſynodum pro damnatione Origenis, quæ litteræ ſunt hujus epiſtolæ veluti quædam appendix, novem ad minus annis ante ſynodum quintam generalem anno Chriſti 553. poſt mortem Mennæ coactam fuiſſe datas, & Conſtantinopoli in alia ſynodo, executioni mandatas. Ideoque mirum non eſt, quod alias vix concipi poſſet, poſt hujuſmodi litteras à Juſtiniano datas, ſi ad quintam ſynodum directæ fuiſſent, nihil in ea ſynodo, cui ille Imperator aderat, & in qua omnia ad nutum moderabatur, pro damnatione Origenis reperiri confectum, ſicut reperitur pro trium capitulorum anathemati ſubjectione in ſynodi ejuſdem actis, juxta hujus Imperatoris edicta. Non magis profecto ejuſdem quintæ ſynodi fœtus ſunt quindecim anathematiſmi, quos ex mſ. cod. Bibl. Cæſar. edidit Petrus Lambec. Græcè & Latinè, & ex eo tranſcripſit Harduin. *tom. 3.* concil. poſt litteras Juſtiniani ad ſynodum modo memoratas, à *col. 283.* ad *col. 287.* quibus hic titulus, & quidem Latinè ſolum præfigitur: *Canones concilii Conſtantinopolitani II. adverſus Origenem.* Deinde Græcè & Latinè, *ſanctorum 165. Patrum Conſtantinopolitanæ ſanctæ quintæ ſynodi canones quindecim:* qui ſtatim ponuntur abſque præfat. & epilogo, cum ea tamen moderatione, ut Origenes nullatenus nominetur. Primus eſt: *Si quis fabuloſam animarum præexiſtentiam, & quæ ex illa conſequitur monſtruoſam reſtitutionem aſſeruerit, anathema ſit.* Illud referimus ſpeciminis loco. Quod autem iſti quindecim anathematiſmi in quinta ſynodo generali minime lati fuerint, & inſulſe omnino illi attribuantur, evidens eſt ex ſubſcriptione Eutychii Patriarchæ Conſtantinopolitani qui Mennæ ſucceſſerat anno 552. mortui menſe Auguſto. Extat hæc ſubſcriptio Eutychii Græcè & Latinè, *to. 5.* conc. Labb. *col. 579.* eique perfecte concordant aliæ cæterorum epiſcoporum, num. *164.* vel *165.* *Eutychius miſericordia Dei epiſcopus Conſtantinopoleos novæ Romæ, decrevi quæ propoſita ſunt, & confitens ſic habere, ſicut omnia ſupra capitula & dogmata continent, ſuſcipiens ſanctas quatuor ſynodos, id eſt, Nicænam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam primam, & Chalcedonenſem, & quæ ab ipſis de una eademque fide*

definita ſunt; & in his omnibus permanens, ſicut ſupra ſcriptum eſt, condemno & anathematizo ſuper alios hæreticos, & impia eorum conſcripta, Theodorum impium, qui fuit Mopſueſtiæ epiſcopus, una cum impiis ejus conſcriptis; & omnia quæ impiè Theodoretus conſcripſit, ſicut prædictum eſt, & impiam epiſtolam quæ dicitur Ibæ, & qui ſimilia eis ſapuerunt, & ſapiunt, & ſubſcripſi. Eodem modo ſubſcripſerunt cæteri epiſcopi omnes, ut dictum eſt, quorum primus eſt Eutychius Conſtantinopolitanus. Deinde:

Appollinarius miſericordia Dei epiſcopus Alexandrinus, decrevi quæ propoſita ſunt, &c. ut Eutychius.

Domninus miſericordia Dei epiſcopus Theopolitanæ civitatis, ſimiliter.

Sequentes proculdubio non animadverterat *Stephani, Georgii,* & *Damiani* ſubſcriptiones doctiſſimus Papebrochius, quando hæc aſſeruit *tract. prælim. in 3. to. Maii, n. 126. pag. 29. col. 1.* A. *Non adfuit ſynodo iſti Euſtochius, quam tamen ipſo Hieroſolymitanam ſedem tenente celebratam expreſſè Evagrius aſſerit. An ſuos ibidem legatos habuerit, per eoſque ſubſcripſerit, incertum eſt.* Nam ſubſcripſerunt tres epiſcopi vices ejus gerentes hoc modo.

Stephanus miſericordia Dei epiſcopus Rapheotanæ civitatis, vicem agens Euſtochii ſanctiſſimi Patriarchæ Hieroſolymitanæ civitatis, una cum Georgio & Damiano religioſiſſimis epiſcopis, ſimiliter.

Georgius miſericordia Dei epiſcopus Tiberiadis, agens vicem Euſtochii SS. Patriarchæ Hieroſolymitanæ civitatis, una cum Stephano & Damiano religioſiſſimis epiſcopis, ſimiliter.

Damianus miſericordia Dei epiſcopus Sozytanæ civitatis, agens vicem Euſtochii SS. Patriarchæ Hieroſolymitanæ civitatis, una cum Stephano & Georgio religioſiſſimis epiſcopis, ſimiliter.

Benignus miſericordia Dei epiſcopus Heracleotanæ civitatis, quæ eſt primæ Macedoniæ, agens vicem Eliæ ſanctiſſimi archiepiſcopi Theſſalonicenſium, tam pro illo, quam etiam pro me ſimiliter.

Theodorus miſericordia Dei epiſcopus Cæſareæ primæ Cappadociæ ſimiliter. En ſubſcriptiones octo priorum epiſcoporum. Porro ſi Origenes, erroreſque ejus ſpeciatim damnati fuerunt in quinta ſynodo, cum Theodoro Mopſueſteno, Theodoreti ſcriptis, & Ibæ epiſtola; vel etiam, ſi ejus damnatio lata jam à pluribus annis in alia ſynodo Conſtantinopolitana ſub Menna Patriarcha, renovata fuit & diſtinctè confirmata in eadem quinta ſynodo generali, cur Eutychius Patriarcha Conſtantinopolitanus, cæterique epiſcopi qui huic ſynodo interfuerunt, rataſque ha- A bent expreſſis verbis in ſuis ſubſcriptionibus damnationes hominum, errorum, & ſcriptorum, quæ in eadem ſynodo ab ipſis peractæ fuerant, nullam de Origene ejuſque erroribus faciunt mentionem; ſolos Theodorum Mopſueſtenum, Theodoretum, & Ibam nominant! Probabiliſſimum itaque videtur, Origenem hujus quintæ ſynodi judicio minimè fuiſſe delatum: ac proinde Auctores, qui illum cum Evagrio & Didymo, damnatis in ea quinta ſynodo Theodoro Mopſueſteno, Theodoreto, & Ibæ accenſent, confundere B quæ antea geſta fuerant ſub Menna anno 538. adverſus Origenem, cum geſtis in quinta ſynodo generali an. 553. Inſuper dicant, cedo, qui hujus ſynodi acta volunt non integra ad nos perveniſſe, ſed mutila duntaxat, adeo ut iis exciderint quæcunque pro Origenis, Evagrii, & Didymi, errorumque quos illi in ſcriptis ſuis tradiderant, condemnatione, in eo concilio peracta fuerant: an mutilæ quoque cenſendæ ſint Eutychii Patriarchæ Conſtantinopolitani, ac cæterorum ejuſdem concilii epiſcoporum ſubſcriptiones, in quibus C uno eodemque tenore recolentes paucis verbis, & confirmantes denuò quidquid pronuntiarant in concilio, ad quorumdam hominum, eorum-ve errorum proſcriptionem; altum pariter, ut ejuſdem ſynodi acta, ſervant de Origenis, Evagrii, ac Didymi condemnatione ſilentium! Multo ſane convenientius aſſeritur, non minus acta illa, quæ ſuperſunt græcè & latinè, integra eſſe atque illibata hac in parte, quam ſubſcriptiones iſtas, ideoque ſolum in utriſque deſiderari Origenis, Evagrii, & Didymi condemnationem, quoniam D reipſa in ſynodo quinta generali, de ea condemnatione ne leviter quidem actum fuit.

Me profecto non fugit undecimo quintæ ſynodi generalis anathematiſmo, tres ultimos præcedente in quibus tria ſigillatim capitula anathemati ſubjiciuntur, recitari inter varios hæreticos, & anathematizari cum illis etiam Origenem.

XI. *Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Neſtorium, Eutychen, & Origenem cum impiis eorum conſcriptis, & alios omnes hæreticos qui con-* E *demnati & anathematizati ſunt à ſancta catholica & apoſtolica eccleſia, & à prædictis ſanctis quatuor conciliis, & eos qui ſimilia prædictis hæreticis ſapuerunt, vel ſapiunt, & uſque ad mortem in ſua impietate permanſerunt, vel permanent: talis anathema ſit.* To. 5. conc. Labb. col. 575.

XII. *Si quis defendit impium Theodorum Mopſueſtenum, &c.* ibid.

XIII. *Si quis defendit impia Theodoreti conſcripta, &c.* col. 578.

Digitized by Google

XIV. *Si quis defendit epiſtolam quam dicitur Ibas ad Marin Perſam hæreticum ſcripſiſſe, &c.* ibid.

Verum advertendum eſt diligenter, nomen Origenis, non ab ipſis patribus quintæ ſynodi generalis huic anathematiſmo undecimo fuiſſe inſertum, ſed eidem, poſt ſolutam ſynodum ab aliquo ejus actorum exſcriptore obtruſum, qui nimirum exiſtimaverit actis excidiſſe illam Origenis damnationem, utpote qui diceretur in ea ſynodo quinta, cum tribus capitulis, fuiſſe anathematizatus. Id enim ſic contigiſſe non parva eſt ſuſpicio: primum, quod Theodorus Aſcidas Cæſareæ Cappadociæ epiſcopus, acerrimus Origenis defenſor, (qui ulturus ejus condemnationem in ſynodo Conſtantinopolitana anno 538. ſub Menna peractam, plurimam operam contulit ut ad condemnationem trium capitulorum ea ſynodus quinta convocaretur, in qua & ipſe memoratur frequenter,) ejuſdem actis omnibus ſine ulla difficultate epiſcoporum octavus ſubſcripſerit, veluti qui ea perfectè ad mentem ſuam geſta noviſſet: deinde, quod Patres ejuſdem quintæ ſynodi in anathematiſmo objecto innuant, quos recenſent hæreticos, jam ab eccleſia catholica in quatuor ſynodis generalibus anathemate confixos; quum itaque Origenes in nullo ex iis quatuor conciliis anathematizatus fuerit; in eo proinde anathematiſmo non recenſebatur: præterea, quod Evagrius & Didymus, quos ferunt una cum Origene in quinta ſynodo fuiſſe nominatim anathematizatos, ſicut in actis ſynodi, & in epiſcoporum ſubſcriptionibus deſiderantur, ita & in eo quoque anathematiſmo minime extent nominati; quia veroſimiliter ad eam circumſtantiam non attenderat qui nomen Origenis, ſive ad marginem hujus anathematiſmi undecimi, ex qua in textum irrepſerit, quod rarum non eſt, ſive in textu ipſo, repoſuit: denique, quod Origenis nomen ſuo ordine ſcriptum non ſit, ut uniuſcujuſque cæterorum quibus adjungitur in præfato anathematiſmo, ſed ultimo duntaxat loco, quamvis eos omnes ætate longè præceſſerit; quæ levis conjectura non eſt, cæteris poſtmodum illud Origenis nomen fuiſſe ſubnexum. Certe in prolixo ſcripto Imper. Juſtiniani adverſus tria capitula, anno 550. edito, cujus magnam Baronius partem refert ad annum 546. à *n. 11.* ad *n. 38.* quod compoſuerat quidem Theodorus Aſcidas epiſcopus Cæſareæ Cappadociæ, ſed ſub nomine Imperatoris promulgatum fuerat ipſo volente; occurrunt quatuordecim anathematiſmi, quorum tres ultimi tria ſigillatim capitula impetunt; qui vero illos præcedit ſic exprimitur *ibid. n. 25. Si quis non anathematizat Arium,* A *Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Neſtorium, & Eutychen, & eos qui ſimilia eis ſapuerunt, vel ſapiunt: talis anathema ſit.* Nulla mentio Origenis. Extat ſcriptum illud Græcè & Latinè, cum eo titulo: *Confeſſio rectæ fidei Juſtiniani Imperat. adverſus tria capitula. In nomine Dei & Patris, & unigeniti ipſius Filii J. C. D. N. & ſancti Spiritus. Imperator Cæſar, Chriſti amans, Juſtinianus, Alamanicus, Gotthicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Wandalicus, Africanus, pius, felix, inclytus, victor, triumphator,* B *ſemper venerabilis, Auguſtus, univerſo cœtui catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ.* Initium eſt: *Scientes, &c. to. 5.* concil. Labb. à *col. 683.* ad *col. 723.* Anathematiſmus autem, de quo ſupra, legitur *ibid. col. 706.*

Adde, etiamſi admitteretur nullam circa Origenis nomen in undecimo illo quintæ ſynodi anathematiſmo adveniſſe interpolationem, quam tamen profecto valde probabilem allatæ rationes efficiunt; hinc ad ſummum ſequi, Origenem damnatum & anathematizatum ſub Menna Conſtantinopolitano C Patriarcha anno 538. denuò cum hæreticis in quatuor prioribus ſynodis generalibus damnatis anathemati in hac ſynodo quinta fuiſſe ſubjectum: at minime demonſtrari de eo ejuſque erroribus ſpecialiter actum eſſe, ſicut perperam omnino quis inferendum contenderet, ex eo quod nominantur in eo ipſo anathematiſmo, Arius, Eunomius, Macedonius, & alii, eos eorumque ſcripta ſpeciale Patrum hujus quintæ ſynodi ſubiiſſe examen, non minus quam ſubierint tria capitula, quæ ad ipſorum tribunal delata fuerant.

D Opponet fortaſſis aliquis hæc verba Theodori Aſcidæ Cæſareæ Cappadociæ epiſcopi, Joannis epiſcopi Nyſſæ, & Baſilii epiſcopi novæ Juſtinianopoleos, *tom. 5.* concil. Labb. *col. 482.* A. quæ referuntur ut dicta in collat. 5. ſynodi quintæ *ibid. col. 490.* A. *Et multos quidem etiam alios invenimus poſt mortem anathematizatos: necnon etiam Origenem, etſi ad tempora Theophili ſanctæ memoriæ vel ſuperius aliquis recurrerit, poſt mortem inveniet anathematizatum, quod etiam nunc in ipſo fecit & veſtra ſanctitas, & Vigilius religioſiſſimus* E *Papa antiquioris Romæ.* Verum voce iſta *nunc* nihil aliud ſignificari, quam *nuper,* ſive *à paucis annis,* anno ſcilicet 538. vel etiam adhuc recentius; (quia nimirum hanc anathematis ſententiam in Origenem mortuum multi ex epiſcopis præſentibus, vel tulerant Conſtantinopoli, vel abſentes approbarant;) tum perſuadent ea omnia quæ hucuſque hanc in rem prolata ſunt, & ſpecialiter quod dicitur de *Vigilio,* quem, toto celebrationis quintæ ſynodi tempore, ei intereſſe, aut communem

Digitized by Google

cum epiſcopis ferre ſententiam ſemper recuſaſſe conſtat; tum omnino conficere videtur epiſtola decretalis ejuſdem Vigilii Papæ anno 553. data. *Ante ſextum idus Decembris imperii D. N. Juſtiniani æterni Auguſti anno 27. poſt Conſulatum Baſilii viri clariſſimi, anno 12.* Quæ extat *tom. 5.* concil. Labb. à *col. 595.* ad *602.* Græce, ex manuſcripto cod. Bibliothecæ Regiæ, cum interpret. Lat. & diſſert. D. Petri de Marca. In ea enim Vigilii epiſt. qua confirmantur acta quintæ ſynodi œcumenicæ, ne verbulum quidem legitur de Origene, Evagrio, & Didymo, totus eſt ſummus Pontifex in approbandis quibuſcunque in ea ſynodo geſtis adverſus tria capitula. *Propterea igitur,* inquit, *col. 596. agnoſcat univerſa eccleſia catholica nos juſtè & irreprehenſibiliter ad ea quæ hac noſtra conſtitutione comprehenduntur deveniſſe. Unde condemnamus, & anathematizamus, una cum aliis omnibus hæreticis, qui, (ut manifeſtum eſt) damnati & anathematizati ſunt à prædictis ſanctis quatuor ſynodis, & ab eccleſia catholica, Theodorum olim Mopſueſtiæ epiſcopum, &c.* Quorſum autem Vigilius de Origene, Evagrio, & Didymo ſiluiſſet in illa epiſtola ſive conſtitutione, ac judicium quintæ ſynodi de iis latum, aut ſpecialiter renovatum approbare omiſiſſet, ſi de Origenis, Evagrii, & Didymi, non minus quam de trium capitulorum condemnatione in ea ſynodo quinta actum fuiſſet: imò ſi primum & principaliter contra Origenem, Evagrium, & Didymum, ac ſecundo tantum loco adverſus tria capitula illa ſynodus fuiſſet convocata, ut Theophanes, & auctor chron. Alexandr. ſcripſere! Numquid mutila hac in parte, quemadmodum & ipſa ſynodi quintæ acta, ejuſque epiſcoporum ſubſcriptiones licet paucis lineis exaratæ, hæc quoque Vigilii epiſtola ejuſdem ſynodi confirmatoria cenſenda erit! Nonnè rationi multo magis conſentaneum videbitur aſſerere, cauſa Origenis, Evagrii, & Didymi in illa quinta ſynodo minime agitata, de tribus ſolum capitulis propoſitam, motam, diſcuſſam, eorumque condemnatione terminatam fuiſſe quæſtionem! Severinus Binius in notis ad ſynodum quintam generalem, *tom. 5.* concil. Labb. *col. 738.* A. ait: *In hoc concilio de Origene ejuſque ſcriptis primo loco actum fuiſſe, colligi ex ſynodalibus actis* (ex eo nempe quod legitur de Origene collatione quinta, & in anathematiſmo XI.) *Origeniſtarum* (tamen) *fraude ac dolo contigiſſe, ea omnia in actis quintæ ſynodi deſiderari, quæ contra Origenem ejuſque ſectarios geſta fuerunt.* At numquid pariter delere potuerunt, tum ex epiſcoporum hujus ſynodi ſubſcriptionibus, tum ex decreto Vigilii quo eadem ſynodus confirmatur, quidquid in illis de Origenis, Evagrii, & Didymi condemnatione deeſt!

Pagius, qui Origenem in quinta ſynodo generali damnatum fuiſſe contendit, his nihilominus Baronium, idipſum ex mutilatione actorum hujus ſynodi quoad iſtum articulum adſtruere ſatagentem, excipit verbis, quæ notanda ſunt. Exiſtimat Baronius, inquit *to. 2. critic. annal.* ad annum 553. *num. 27. pag. 612. col. 1.* acta Græca quintæ ſynodi ab hæreticis Origeniſtis vitiata primum & mutilata fuiſſe, unde poſtea vitio illo infecta prodierit Latina illa interpretatio: ſed ut animadvertit Marca in diſſert. de ſynodo quinta, *n. 23.* acta illa adeo abſunt à depravatione, ut ex eorum lectione Græci ſcriptores hauſerint quod ab iis ſolis Latini didicerunt de Origenis & Evagrii damnatione. Neque enim acta Latina, quæ initio delata fuerunt in occidentem, aliud omnino continebant quam trium capitulorum damnationem, de quibus ſolis agunt uterque Pelagius I. & II. ac Gregorius Magnus, quum referunt decreta quintæ ſynodi, alioquin de Origene ejuſque deliramentis non tacuiſſent, quum ex eo quinta ſynodus à ſchiſmaticis adeo pertinaciter exploſa vehementer commendari potuiſſet. Sanè beatus Gregorius in epiſtola ad Joannem Conſtantinopolitanum, quando profitetur ſe quinque ſynodorum fidem amplecti, recenſens hæreſes à 4. primis damnatas, & tria capitula à quinta ſynodo reprobata, non omiſiſſet damnationem Origenis, ſi ex actis Latinis illi ea de re conſtitiſſet.

Ita Pagius, qui non advertit, ea ipſa hac obſervatione, ſuam de condemnatione Origenis, Evagrii, & Didymi in quinta ſynodo aſſertionem penitus ſubverti. Nam, ſi in autographo actor. hujus ſynodi quintæ exemplari Conſtantinopoli ſervato ſcripta extitiſſet ſententia adverſus Origenem, Evagrium, & Didymum in ea ſynodo lata, vel confirmata: imò ſi hæc ſententia in illa ſynodo quinta, data reipſa vel renovata fuiſſet; quomodo id Gregorium Magnum latuiſſet, qui Conſtantinopoli ſub Tiberio Imperatore, & vivente adhuc Eutychio Conſtantinopolitano Patriarcha, quicum diſputationem habuit de tractabili carne in reſurrectione reſumenda, pluribus annis commoratus eſt! Quomodo etiam non admonuiſſet Pelagium Romanum Pontificem, cujus apocriſiarius erat, quemque non ignorabat condemnationis Origenis ſub Menna præcipuum fuiſſe incentorem, ipſius hoc adverſus Origenem judicium in ſynodo quinta fuiſſe ſolemniter approbatum, & in Græcis hujus ſynodi actis id legi; ſed Origeniſtarum fraude deeſſe in Latina eorumdem actorum tranſlatione! Quum igitur,

igitur, ipſo fatente Pagio, nullatenus ad notitiam, ſive Pelagii I. ſive Gregorii Magni venit, Origenem, Evagrium, & Didymum in ſynodo quinta fuiſſe damnatos, illudque minimè tacuiſſent, ſi noviſſent; quia ipſorum plurimum intererat, ex ea Origenis condemnatione in quinta ſynodo, trium capitulorum defenſores in eamdem ſynodum exaſperatos quadantenus demulcere: illud tum Pelagii I. tum Gregorii Magni ſilentium, abſoluta & totali hujus condemnationis Origenis, Evagrii, & Didymi in quinta ſynodo peractæ ignorantia ſubnixum, nova videtur, ne dicam invicta quoque probatio, ſicut in Latina actorum hujus quintæ ſynodi verſione, ita & in primævo eorumdem actorum exemplari, ſemper defuiſſe penitus Origenis, Evagrii, & Didymi condemnationem, quæ nequaquam in ea ſynodo quinta facta eſt.

Procul autem à vero abeſt, proſequitur Pagius, Baronii *n. 244.* de Eutychio epiſcopo Conſtantinopolitano ſuſpicio, eum nempe cum Theodoro Cappadoce acta quintæ ſynodi decurtaſſe, & in non levem ſuſpicionem Origeniſmi induci potuiſſe: ſanctus enim Eutychius inter præcipuos Origeniſtarum perſecutores ab illius ætatis ſcriptoribus numeratur, uti ab Euſtathio in ejus vita *cap. 4. n. 34.* & à Victore Tunon. in chronico, qui vocat eum damnatorem *Evagrii eremitæ diaconi, & Didymi monachi & confeſſoris Alexandrini.* Idem Pagius aliud quid narrat *ibid. n. 28.* ex ſynodo ſexta ſcitu non indignum, circa Vigilium Papam. Baluzius ſcilicet præfat. in acta concilii quinti *n. 4. & ſeqq.* agit de duabus epiſtolis Vigilii Papæ ad Juſtinianum Imperatorem & Theodoram Auguſtam, inquit Pagius, in quibus damnavit tria capitula, & de epiſt. Juſtiniani ad ſynodum de damnatione eorumdem capitulorum, & ut nomen Vigilii non ſcriberetur in diptychis eccleſiaſticis; oſtenditque eas veras ac genuinas eſſe, & in ſexta ſynodo à Legatis apoſtolicis actionem falſi adverſus eas integras inſtitutam non fuiſſe, ſed tantum adverſus eam partem in qua mentio (fiebat) unius operationis in Chriſto, quæ addita erat à Monothelitis, ut ſuam de una Chriſti voluntate opinionem fulcirent etiam teſtimonio Vigilii Papæ. Neque enim Legati dixerunt has epiſtolas falſas eſſe, quum cœptæ ſunt recitari, ut exiſtimat Baronius *n. 247.* ſed quum ad eam partem ventum eſt, in qua Vigilius ſtatuitur docens unam in Chriſto operationem: tunc quippè illi exclamaverunt: *Non faciat Deus, Domine, non dixit Vigilius unam operationem, non ſunt* (hæc) *libelli Vigilii, falſatus eſt hic liber. Nam, Domine, ſi unam operationem docuit Vigilius, & ſuſceptus eſt à ſynodo, utique & in definitione ejuſdem ſanctæ ſynodi de una operatione vox habuit comprehendi; dum relecta ergo fuerit, piiſſime Domine, ipſa definitio, invenies omnem veritatem.* Poſt quæ compoſitor geſtorum ait: *conſequenter itaque & ſecundum ordinem relecto eodem libro uſque ad definitionem, ipſaque definitione uſque ad finem relecta, nullo modo aliquid de una operatione in eadem definitione inventum eſt contineri,* ut videre eſt, *tom. 6.* concil. Labb. *col. 623.* Confirmant hanc obſervationem Baluzii, Act. xv. *pag. 980.* epiſcopi qui aiunt Monothelitas hujus fraudis eſſe auctores, *ex illorum vocabulis malitioſe adverſus recta dogmata hæc interjicientes:* ob eamque cauſam paulo-poſt jubent *libros etiam obelis obduci in locis in quibus depravati ſunt.* Ita Pagius, qui deinde ait: *ibid.* ad annum 554. *n. 3. pag. 614. col. 1.* Antequam Vigilius exilio ſolveretur, conſenſit ſynodo, ut teſtatur Evagrius *lib. 4. c. 38. Vigilius autem per litteras conſenſit concilio, non tamen intereſſe voluit.* At hæc verba Evagrii, quæ *cap. 38.* leguntur, ſunt de conſenſu Vigilii ad hoc ut concilium quintum teneretur, non vero de conſenſu Vigilii huic concilio jam terminato. *Juſtinianus,* inquit *p. 413.* B. *Eutychium paulo-poſt ad pontificalem urbis regiæ ſedem promovit, Menna ex vivis ſublato. Porro Vigilius per litteras quidem conſenſit, concilio tamen intereſſe noluit. Congregata igitur ſynodo, quum Juſtinianus epiſcopos interrogaſſet quid ſentirent de Theodoro, &c.* Idem Evagr. (id dictum ſit obiter) *pag. ſeq. 414.* A. relata proſcriptione trium capitulorum, ita loquitur de Origenis, Evagrii, & Didymi condemnatione, quaſi hæc ſubſequuta eſſet. *Et aliquanto poſt expoſuerunt quatuordecim capita* (ſunt 14. anathematiſmi) *de recta ac ſincera fide. Et hæc quidem proceſſerunt in hunc modum. Quum autem libelli ab Eulogio, Conone, Cyriaco, & Pancratio monachis, dati eſſent contra dogmata Origenis Adamantii, & contra eos qui impietatem atque errores illius ſequebantur, de his Juſtinianus ſynodum quæ co gregata erat conſuluit ſubjecto epiſtolæ ſuæ exemplari ejuſdem libelli, & iis quæ ad Vigilium his de rebus ſcripſerat.... Miſſa eſt igitur relatio à prædicta ſynodo ad Juſtinianum, poſt acclamationes quas contra Origenem & ejuſdem cum illo erroris ſectatores congeſſerant, cujus pars ſic habet: Quum animum poſſideas cœleſtis nobilitatis participem, Chriſtianiſſime Imperat.* Et paulo-poſt. *Fugimus itaque, fugimus iſtam doctrinam; neque enim novimus alienorum vocem, & illum tanquam furem ac latronem anathematis laqueis firmè conſtrictum, procul à ſacris ſeptis ejecimus.* Et rurſus poſt aliqua: *eorum vero quæ à nobis geſta ſunt vim ac virtutem, ex eorumdem lectione cognoſcetis. His adjunxerunt etiam capita qua-*

Digitized by Google

cunque Origenis ſectatores profiteri à magiſtris A *ſuis didicerunt, ex quibus tum conſenſus eorum, tum diſſenſio, ac multiplex & multifidus error deprehenditur. In his quintum caput erat, continens blaſphemias quas privati quidam ex nova laura protulerant, quod ſic habet: Theodorus Aſcidas Cappadox dixit; quando nunc apoſtoli & martyres miracula efficiunt, & in tanto honore ſunt, niſi in reſurrectione æquales fuerint Chriſto, qualis tandem eorum reſurrectio futura eſt! retulerunt etiam iidem Patres multas alias Didymi, Evagrii, ac Theodori* (Aſcidæ) *blaſphemias, quas ſtudioſe admodum ex eorum libris excerp-* B *ſerant.* Hucuſque Evagrius, cujus hæc ultima verba de Theodori Aſcidæ & ejus aſſeclarum Origeniſtarum dogmatibus, optimè conſonant narrationi Cyrilli Scythopolitani in vita ſancti Sabæ, *n. 89. to. 3. monum. eccl. Græc.* Cotel. *pag. 372.* circa diviſionem quæ inter monachos Origeniſtas in Palæſtina orta eſt, col. 202. de qua nos ſupra, ubi de Petro Hieroſolym. Patriarcha, egimus: *Tunc Deus,* inquit Cyrillus ille, *qui ſemper eccleſiæ ſuæ providet, Origeniſtarum concordiam diſpeſcuit.... nam poſt Nonni exceſſum, Firmini lauræ monachi cum* C *Neolauritis diſſidendo de ſuis ſcitis dogmatibus in mutua impugnatione occupati ſunt.... Facile vero eſt... eorum impietatem animadvertere ex ipſis appellationibus quibus ipſi ſe mutuo nuncupant. Scilicet Neolauritæ eos qui Firmini ſunt* Protoctiſtas *ſive* Tetraditas *vocant: rurſuſque Firminiotæ Neolauritas nominant* Iſochriſtos (id eſt aſſertores æqualitatis ſanctorum cum Chriſto poſt reſurrectionem futuræ, ut explicat Cotel. in notis *col. 624.* B. qui & ab Evagr. modo relato lucem dari advertit.) *Utrique enim,* pergit Cyrillus, *ex propriis impieta-* D *tis ſuæ decretis nomina ſortiti ſunt. Quum ergo Theodorus Cappadociæ reipubl. negotia adminiſtraret, ac ſtaret à partibus* Iſochriſtorum, *eoſque tueretur, &c.* At hæc omnia, ex eodem Cyrillo, contigerunt vivente adhuc Petro Hieroſolymitano, quem mortuum ſcribit *num. 90.* dum Conon abbas maximæ lauræ Conſtantinopoli degeret: *Abbas ergo Conon,* inquit, *ejuſque comites Conſtantinopoli diverſis ærumnis per Aſcidam ſubjecti, patientia victoriam reportarunt; aliquot enim interjectis diebus, quum è vita diſceſſiſſet Petrus archiepiſco-* E *pus, &c.* Petrus autem deceſſit anno 544. ut tradunt Papebrochius & Pagius, nec ejus mortem ad annum 546. retardavit Baronius, niſi quod exiſtimaret edictum Juſtiniani adverſus tria capitula, cui ſubſcripſerat Petrus, eo duntaxat anno fuiſſe promulgatum. Subinde manifeſtum videtur, ea quæ geſta fuerant pro condemnatione Origenis ante annum 544. aut eo anno, ad quintam ſynodum generalem perperam ab Evagrio revocari, in qua tantum abeſt ut adverſus Theodorum Aſcidam cæterorum epiſcoporum zelus exarſerit ob Origeniana dogmata, ut è contra inter cæteros ipſe ſingulari auctoritate enituerit. Valeſ. in annotat. ad iſtud Evagrii *cap. 38.* ait: *Liberatus nihil dicit de Rufo & Conone abbatibus ab Euſtochio miſſis Conſtantinopolim. Ex adverſo autem Evagrius nihil dicit de damnatione illa Origenis, quæ ſtudio Pelagii Romanæ ſedis apocriſiarii facta fuerat ab Imperatore Juſtiniano, & cui omnes Patriarchæ ſubſcripſerant.* Scilicet ſynodum priorem confundit Evagrius cum ſynodo quinta generali.

Subdit Pagius *ibid.* Marca in diſſertatione de epiſtola Vigilii, pro confirmatione ſynodi quintæ, refert epiſtolam Vigilii *ad Eutychium epiſcopum Conſtantinopoleos, & ad præjacentem ſynodum,* quæ dicitur data *ante ſextum idus Decembres, Imperii Domini noſtri Juſtiniani æterni Auguſti anno 27.* (id eſt, Chriſti 553.) *poſt Conſulatum Baſilii V. Cl. anno 12.* (ea eſt, ex cujus ſilentio circa Origenis damnationem, merito ſupra intulimus nullum in quinta ſy- col. 223. nodo latum de illa condemnatione fuiſſe judicium) Eruit eam Marca è veteri mſ. Bibl. Regiæ, exiſtimatque illam eſſe quam Vigilius pro ſynodo quinta dedit. Verum hæc epiſtola aliquibus viris doctis de ſuppoſitione ſuſpecta viſa eſt, (ſed, quandiu ne leve quidem ſuppoſitionis hujus argumentum produxerit Pagius, pro legitima à nobis jure habebitur) & ſi germana ſit, de ea non loquitur Photius quum de Vigilio ſcribit, *communem Patrum fidem libello comprobavit.* Eſto, non ſit ille libellus: dicit-ne Photius ſolum hunc libellum, quem memorat, pro confirmatione ſynodi quintæ generalis à Vigilio fuiſſe emanatum! Proſequitur Pagius, ad eumdem annum 554. *num. 4.* Baluzius in nova collectione concil. *pag. 1551.* invenit in veteri codice mſ. Bibl. Colbert. *Conſtitutum* Vigilii pro damnatione trium capitulorum, hoc anno 554. editum .... in quo Vigilius fuſe docteque tria capitula explicat, refellit, & damnat.... Hoc conſtitutum Vigilii germanum & genuinum libellum quo ſynodum quintam confirmavit, & Conſtantinopolim, tam ad Imperatorem, quam ad epiſcopos miſit eſſe autumo (verba ſunt Pagii) nihil enim in eo quod à ſtylo Vigilii diſſentiat.

Extat apud Harduinum *tom. 3.* concil. à *col. 217.* ad *col. 244.* Latinè ſolum, titulus eſt: *Vigilii Papæ Conſtitutum, de damnatione trium capitulorum.* Cura & ſtudio viri clariſſ. Stephani Baluzii prodiit ex mſ. cod. 4064. Bibl. Colbert. quod unicum eſſe in orbe creditur *Conſtituti* hujus exemplar, & idem αὐτόγραφον & ἀκέφαλον. Poſt definitionem fidei

Digitized by Google

ex Act. quinta concilii Chalcedonenſis., & exordium epiſtolæ Leonis Magni ad Flavianum quòd initio præfigitur, hæc ſequuntur.

I. Col. 217. C. *Poſteaquam beati Chalcedonenſis concilii expoſitionem, vel beati Leonis epiſtolam de ſancta & orthodoxa fide poſuimus, quæ una eademque eſt trium præcedentium ſynodorum, id eſt, Nicænæ, Conſtantinopolitanæ, atque Epheſinæ primæ, &, Deo juvante, in ea nos omni ſinceræ mentis devotione perſiſtere fraternitas veſtra, & univerſalis cognoſcit eccleſia, neceſſarium valde credimus, pro ejus ſervanda per omnia reverentia, de ſupraſcriptis trium capitulorum quæſtionibus diligenter debere nos cuncta diſcutere, & cauta promulgatione ſententiæ definire. Arbitramur ergo eſſe conveniens primum, ſicut propoſuimus, quid de epiſtola quæ ab Iba ad Marim Perſam ſcripta dicitur, apertiſſima demonſtratione declarare. Dum igitur Ibas epiſcopus, &c.*

II. Col. 218. E. *Claret igitur ab ipſo initio quo Ibas Edeſſenæ civitatis epiſcopus ſanctam Chalcedonenſem ſynodum monſtratur ingreſſus, epiſtolam quæ ad Marim Perſam ab eo ſcripta compingitur, quia ſua fuerit denegaſſe, adeo ut apertiſſime fateatur in ſecundi illius Epheſini concilii nefariis geſtis injuſtitiam ſe, ab Eutyche, & falſa figmenta perpeſſum, &c.* Tandem, (reliquis numeris omiſſis, in quibus prava dogmata in tribus capitulis contenta fuſe diſcutiuntur, & confutantur, nulla de Origene, Evagrio, & Didymo mentione facta,) duo ultimi numeri jacent in hunc modum.

XXVII. Col. 243. A. *Pro his igitur omnibus eccleſia univerſalis agnoſcat (cujus utilitati, ne Chriſti Domini noſtri plebs amplius ſeducatur, noſtra ſervit intentio: quam utilitatem per Theodori nomen atque ſcripta lædi ſupra meminimus) juſte nos & ſine aliqua reprehenſione ad ea quæ ſtatuimus deſcendiſſe. Et ideo condemnamus & anathematizamus ſimiliter ut alios omnes hæreticos, quos condemnatos & anathematizatos conſtat à ſanctis quatuor conciliis & à catholica eccleſia, & Theodorum qui quondam Mopſueſtiæ epiſcopus fuit, & ejus impia conſcripta nihilominus: & quæ Theodoritus conſcripſit contra rectam fidem, & contra duodecim ſancti Cyrilli capitula, & contra primam ſynodum Epheſinam, & quæ ad defenſionem Theodori & Neſtorii ab eo ſcripta ſunt, quia pro* (*pro* videtur ſuperfluere) *eccleſiaſticæ utilitatis cauſa popoſcit etiam memorata Theodoriti ſcripta damnari; eò quod ſæpè dicti Neſtoriani, ſub ejus epiſcopi nomine qui à beatæ recordat. Leone Papa, & à ſancta Chalcedonenſi ſynodo legitur fuiſſe ſuſceptus, eadem ſcripta ad adſtruendi ſui erroris videntur adhibere ſuffragium: non adſpicientes quod non ſolum ſancti Patres in Chalcedona congregati, damnato* A *Neſtorio cum ſuis dogmatibus, & iſta damnaverint: ſed etiam ipſe epiſcopus Theodoritus omnia dicta, quæ beati Cyrilli in Epheſina prima expoſitis videbantur contraire dogmatibus, in ſancta Chalcedonenſi ſynodo aperta profeſſione reſpuerit, & ſuſceperit definitionem ſancti Chalcedonenſis concilii, in qua beati Cyrilli in Epheſina prima expoſitam manifeſtum eſt prædicari doctrinam. Et ita, ſicut omne concilium ſanctæ Chalcedonenſis ſynodi interlocutum eſt, ab eadem ſynodo conſtat fuiſſe ſuſceptum. Propter quod clarum eſt nihil novi nos per hanc* B *damnationem ſtatuere; ſed ea anathematizaſſe quæ & ſancta Chalcedonenſis ſynodus reſpuit, & ipſe quoque Theodoritus epiſcopus illic ſua profeſſione damnavit.*

XXVIII. Col. 244. A. *Prædicta igitur tria impia capitula anathematizamus atque damnamus, id eſt, epiſtolam quæ dicitur Ibæ ad Marim Perſam, in qua nefandæ ſuperius deſignatæ blaſphemiæ continentur: & impium Theodorum Mopſueſtenum cum nefandis ejus conſcriptis, & quæ impiè Theodoretus conſcripſit: & quicunque ea quoquo tempore crediderit* C *accipienda, vel deferenda, aut conatus fuerit aliquando præſentem damnationem reſolvere, pari anathemate condemnamus. Eos autem qui conſervantes rectam fidem prædictis quatuor ſynodis prædicatam memorata tria capitula damnaverunt, vel damnant, fratres & conſacerdotes habemus. Quæcunque vero, ſive meo nomine, ſive quorumlibet, pro defenſione memoratorum trium capitulorum, prolata fuerint, vel ubicumque reperta, præſentis noſtri pleniſſimi conſtituti auctoritate vacuamus. Quas omnes deſignatas blaſphemias abſit ab univerſali eccle-* D *ſia ut quiſquam quatuor prædictas ſynodos, vel unam ex eis aſſerat ſuſcepiſſe, vel eos qui talia ſapuerunt, atque ſequuti ſunt: quum conſtet à ſanctis memoratis patribus, & maxime à ſancto Chalcedonenſi concilio, nullum de quo fuit ſuſpicio fuiſſe ſuſceptum, niſi qui ſuperius deſignatas blaſphemias, vel his ſimilia, aut hæreſim de qua ſuſpectus fuit, reſpuit; aut blaſphemias de quibus de eo dubitatum eſt, abnegavit atque damnavit. Et ideo eos qui memoratam epiſtolam ad Marim Perſam deſignatas ſuperius blaſphemias continentem, à ſancta Chalcedonenſi* E *ſynodo à præſenti tempore, innoteſcente ſibi hujus noſtri ſerie conſtituti, aſſerere voluerint eſſe ſuſceptam, vel à quocunque eorumdem Patrum in Chalcedona reſidentium, orthodoxam pronuntiatam nitantur adſtruere, pari anathematis pœna percellimus: quoniam non ſolum ſancto ac reverendo Chalcedonenſi concilio irrogare moliuntur injuriam; verum etiam incentores ac renovatores ſopiti ſcandali profitentur, per quod univerſalis rurſus concuti poſſit eccleſia, ut doctoris* (gentium) *Apoſtoli juſte videantur*

Digitized by Google

feriri ſententia, quæ dicit; utinam & abſcindantur qui vos conturbant.

Et poſt ſubſcriptiones. *Data VII. kalendarum Martiarum, Imperante D. Juſtiniano perpetuo Auguſto anno 27. & poſt Conſulatum Baſilii V. Cl. anno 13. Conſtantinopolim.*

Porro hæc iterum data à Vigilio geſtorum adverſus tria capitula in quinta ſynodo generali confirmatio, in qua licet ampliſſima per coll. ferè 28. in fol. ne verbulum quidem de Origene, Evagrio, & Didymo reperitur; nova quoque eſt & invicta confirmatio, nihil quidquam de Origenis, Evagrii, & Didymi condemnatione actum eſſe in ea ſynodo quinta, hancque tribus capitulis, quæ ſola ad ſuum tribunal delata erant, diſcutiendis, & juſto anathemate feriendis unicè vacaſſe. Ut enim proculdubio ad Latinam actorum Græcorum interpretationem, tunc veroſimiliter nondum confectam, in qua deſideraretur quidquid ad Origenis, Evagrii, & Didymi errorum ac perſonarum pertineret cenſuram, minimè attenderunt epiſcopi, quando Græcis ſuæ ſynodi actis, de prædictis Origene, Evagrio, & Didymo prorſus ſilentes ſubſcripſere: ſic profecto nec Vigilius Papa, quando, in utroque ſuo eorumdem actorum decreto confirmatorio, tribus capitulis proſcriptis Origenem, Evagrium, & Didymum non accenſuit. Defuit ergo ſemper, tam in Græcis, quam in Latinis actorum quintæ ſynodi exemplaribus, Origenis, Evagrii, & Didymi condemnatio, quæ in ea ſynodo peracta reipſa non eſt: nec ſubinde ex Græcis codicibus hauſerunt Græci auctores, ut poſt Marcam exiſtimavit Pagius ſupra citatus, (col. 224.) quod de ea condemnatione tradiderunt; ſed manifeſte confuderunt ſynodum coactam ſub Menna adverſus Origenem, ex Juſtiniani mandato, ante annum Chriſti 544. vel eo anno, cum ſynodo quintâ generali adverſus tria capitula.

Et certe idem Pagius, qui ad ſtabiliendam Origenis, Evagrii, & Didymi in quinta ſynodo condemnationem, quidquid in auctoribus ſibi conſentientibus, quos recenſet, validioris momenti adinvenit, coacervat, *tom. 2. critic. annal.* Baronii, ad annum 538. *n. 18. p. 565. col. 1.* & ad annum 553. *nn. 25. 26. & 27. pag. 611. & ſeqq.* nihil aliud profert, quam hæc quatuor momenta: primum eſt, teſtimonium plurimorum auctorum, quorum nonnulli ipſa quinti concilii ætate vivebant, quibus ipſe addit hæc verba ſecundæ profeſſionis fidei in libro diurno Romanorum Pontif. ubi poſtquam actum eſt de quatuor prioribus ſynodis œcumenicis, ſubnectitur: *Hæc igitur ſancta atque univerſalia quatuor concilia, etiam ſanctum quintum concilium venerandum aſſequutum eſt, &c. In hoc Origenes cum impiis diſcipulis & ſequacibus Didymo & Evagrio.... æternæ ſunt condemnationi ſubmiſſi. In eo Theodorus Mopſueſtenus auctor Neſtorii, pariterque Diodorus, &c. Cum his & epiſtola quæ Ibæ dicitur ad Marim Perſam: & ſcripta Theodoriti adverſus beatiſſimum Cyrillum cum condemnatione projecta ſunt, &c. Inter hæc veneranda univerſalia quinque concilia, etiam ſanctum ſextum concilium univerſale prædicamus, &c.* Verum hi omnes ſcriptores, quia nec ſuo numero, nec ſua auctoritate efficere valent factum fuiſſe, quod revera factum non fuerit, præponderare utique non poſſunt adductis hucuſque graviſſimis rationibus in contrarium; & iis præſertim quæ ex omiſſa ubique ea condemnatione Origenis, tum in actis hujus quintæ ſynodi, tum in ſubſcriptionibus epiſcoporum ejus, tum in duplici Vigilii Papæ pro eadem ſynodo approbanda decreto petitæ ſunt. Quas tantum abeſt ut convellat Pagius, ut ne eas quidem, ſaltem quoad ſilentium epiſcoporum & Vigilii modo memoratum, ſibi diſſolvendas proponat.

Alterum Pagii argumentum deſumitur ex verbis Juſtiniani, in ſuis litteris ad ſynodum, quibus eam hortatur ad proſcribendos Origenis errores, & perſonam: ſed ſupra demonſtratum eſt has litteras ad ſynodum directas fuiſſe, (col. 214. & ſeqq.) quam Mennas ex Imperatoris mandato in epiſtola ad ipſum ſcripta eas præcedente convocare habebat adverſus Origenem, quæque reipſa coacta fuit novem aut amplius annis ante ſynodum quintam generalem; non vero ad ipſam ſynodum quintam generalem.

Tertium & quartum jam ſupra ſatis diluimus, quæ nimirum ſunt, tum verba quædam (col. 220. & ſeqq.) Theodori Cæſareæ Cappadociæ epiſcopi, de Origenis damnatione *nunc* facta, tum nomen Origenis anathematiſmo undecimo inſertum: nec ſane alio modo ratio recta utrumque intelligendum ſuggerit, quam quo expoſuimus, ſtantibus noſtris momentis quæ hactenus nemo deſtruxit. Omnem enim mentis captum ſuperat, ſynodo quinta generali, in primis & præcipuè, ut tradunt auctor chronici Alexandrini & Theophanes, ad Origenem, Evagrium, & Didymum proſcribendos; deinde vero ad condemnationem trium capitulorum peragendam, congregata: perculſiſque in ea, æquali anathematis fulmine, iiſdem cum Theodoro Mopſueſteno, Theodoreti ſcriptis quibuſdam, & epiſtola Ibæ attributa; de ſola condemnatione trium capitulorum, ſive in actis hujus ſynodi quintæ, ſive in epiſcoporum ſubſcriptionibus, ſive in duplici Vigilii Papæ epiſtola data pro eadem confirmanda ſynodo, reperiri mentionem. Mira prorſus & hucuſque inaudita res; poſterorum

cognitioni ſubductum omnimoda diligentia, idque ipſo volente Juſtiniano, aut ſaltem permittente, connivente, aut non advertente, (qui tamen ſpecialibus litteris ad eamdem ſynodum quintam paulo ante ſcriptis epiſcopos ſupponitur hortatus ut ſedulo invigilarent damnationi Origenis, Evagrii, & Didymi, eamque palam facerent,) ſubductum, inquam, ſolertiſſime ab ipſiſmet quintæ ſynodi omnibus univerſim Patribus, quidquid in ea ad illam damnationem ipſos geſſiſſe, multi eruditorum ſentiunt: nihil de illa repoſitum occurrere in hujus ſynodi quintæ actis, tum Græcis, tum Latinis; nihil de ea expreſſum remanſiſſe in ullis illorum Patrum ſubſcriptionibus. Undenam, quæſo, is ſtupor ignaviæ, ſocordiæ, negligentiæ, erga Origenis, Evagrii, & Didymi condemnationem propalandam, dum tantus ſe prodit ardor in denuntianda ubique proſcriptione trium capitulorum! En hujus ænigmatis alioquin inextricabilis genuinam ſolutionem. Nullum in ſynodo quinta adverſus Origenem, Evagrium, & Didymum latum eſt judicium, quod in ejus actis, epiſcoporum ſubſcriptionibus, & Vigilii decretis apparere debuerit. Litteræ Juſtiniani ad ſynodum pro ea condemnatione, ad aliam ſynodum directæ erant, ſub Menna celebratam novem aut amplius annis ante quintam generalem, quam cum hac quinta ſynodo auctores plerique, tempora non diſtinguentes, confuderunt: quinta demum ſynodus trium duntaxat capitulorum examini incubuit, quæ ſola ad ſuum tribunal ab Imperatore delata fuerant: hæc ſola anathematibus confixit, hæc ſola in ſuis ſubſcriptionibus ſignificavit ſpecialiter damnata, hæc ſola tunc Juſtinianus gratum habuit fuiſſe, juxta voluntatem ſuam, proſcripta: quid plura! hæc eadem ſola Vigilius, (cujus mentem, ex definitione ad calcem decretorum ejus poſita, Legati apoſtolici, in ſexta ſynodo, eruendam
col. 216. eſſe monuerunt, ut ſupra vidimus) hæc ſola, inquam, non tantum in toto contextu duarum epiſtolarum quibus ſynodum quintam approbavit, ſed & in ipſa definitione, declaravit fuiſſe rejecta in illa ſynodo, & à ſe ſimiliter repudiari. Inconcuſſum itaque omnino videtur, Origenis, Evagrii, ac Didymi, quæ communius adſcribitur quintæ ſynodo generali, condemnationem, eam ipſam eſſe quæ Conſtantinopoli ſub Menna, ex litterarum Juſtiniani ad hunc Patriarcham ejuſque ſynodum tenore, anno 544. aut etiam antea confecta eſt; de eaque in ſynodo quinta renovanda nequaquam actum.

Editores actorum ſanctorum *tract. prælim. ad to. 3. Maii, n. 126. pag. 29.* aiunt Euſtochium Hieroſolymitanum, acceptis quintæ A ſynodi generalis actis, ſynodum Hieroſolymis celebraſſe, eodem utique anno 553. in qua, ut legitur act. 1. concilii Nicæni ſecundi, *quotquot erant Palæſtiniorum epiſcopi, manibus, & pedibus, & ore, ſententiam & ſtatutum ſynodi confirmavere, niſi quod Alexander epiſcopus Abyles contrarium ſenſit, quamobrem epiſcopatu exutus Byzantium ſe recepit.* Joannes Moſchus refert in Prato ſpirituali *num. 4.* apud Cotel. *to. 2. monum. eccl. Græc. p. 343.* quod *quum de abbate Myrogene audiviſſet Hieroſolymorum archiepiſcopus Eutychius* (ſive B Euſtochius) *voluit ad eum mittere quæ ipſi neceſſaria erant: ſed ille nunquam ab eo quidquam accepit. Hoc autem ſolum illi ſignificabat: ora pro me, Pater, ut ab æterno ſupplicio eripiar.* Baronius ad annum Chriſti 561. *num. 1.* ait: eodem tempore, poſt Euſtochium, Hieroſolymorum eccleſiæ ſubſtitutus eſt Joannes, quem tamen alii in locum Macarii iterum reſtituti creatum dicunt. Scilicet, ut monet Valeſius in annotat. ad *cap. 38. lib. 4. hiſt. eccl.* Evagr. *pag. 109. col. 2.* Baronius quidem Macarium in ſedem ſuam reſtitutum eſſe C exiſtimat paulo-poſt ordinationem Euſtochii, ac deinde Euſtochium Hieroſolymitanam ſedem iterum obtinuiſſe, quippe qui quintæ ſynodo generali per legatos ſuos interfuerit anno Chriſti 553.... Verum Baronius, longè à vero aberravit: Macarius enim diu poſt quintam ſynodum, pulſo Euſtochio, in ſedem ſuam reſtitutus eſt, anno 37. Juſtiniani, poſt Conſulatum Baſilii anno 22. (id eſt, Chriſti 563.) ut ſcribit Victor Tunonenſis in chronico, his verbis: *Anno 37. imperii Juſtiniani, Euſtochius Hieroſolymitanus epiſcopus, qui fuerat Macario ſuperſtite ordinatus, ejicitur, &* D *rurſum Macarius reformatur* (ſive reſumitur) ita Valeſius loco citato & in *cap. 39.* Evagr. *ibid. pag. 112. col. 1.* B. Theophanes quoque ſcribit, apud eumdem Valeſium *p. 109. col. 2.* D. Euſtochium fuiſſe depoſitum, eique Macarium ſucceſſiſſe. *Euſtochius veniens Hieroſolymam præ odio quo adverſum Apollinarem* (Alexandrinum Patriarcham) *& Agathonem, ac Macarium flagrabat, novæ lauræ monachos expulit, tanquam Origeniſtas; quamobrem & ipſe poſtea ejectus eſt, & Macarius in ſuam* E *ſedem reſtitutus.* Vidimus ſupra ex Cyrillo col. 217.
Scythopolit. quo pacto ſe geſſerit Euſtochius erga illos monachos. Evagrius demum ſimilia tradit *lib. 4. hiſt. eccl. cap. 39.* ubi prænominatis quatuor priorum Patriarchatuum pontificibus, ſubdit: *Macario denique Hieroſolymitanæ eccleſiæ ſacerdotium poſſidente, atque in priſtinam ſedem reſtituto; quum poſt depoſitionem Euſtochii, Origenem, Didymum atque Evagrium ſub anathemate damnaſſet, Juſtinianus ſcripſit id quod Romani edictum*

vocant. De eo edicto loquemur inferius ſub Macario.

Iidem editores actorum SS. *tract. prælim. in to. 3. Maii, n. 127. p. 29. col. 1.* obſervant Nicephorum in chronic. *Macario duos annos, Euſtochio unum, Macario iterum quatuor aſſignare:* ſed incredibile eſſe duobus annis à Macario epiſcopatum geſtum abſque aſſenſu Imperatoris: unde aiunt pro duobus annis menſes probabilius duos reponendos, ut eodem anno 544. quo electus fuerat expectarit confirmationem ſuam menſibus Octobri & Novembri: interim vero Euſtochius aſſumptus fuerit, qui non uno ſolum anno ſederit, ſiquidem pervenit ad tempora ſynodi quintæ, ſed per annos undecim, inquiunt, depoſitus ſcilicet an. 556. agente Theodoro Aſcida Cæſarienſi in Cappadocia epiſcopo, qui apud Juſtinianum plurimum valebat. An hujus Theodori opera, vel etiam quam ob cauſam Euſtochius depoſitus fuerit, ignotum eſt: diſcimus ſolum ex Victore Tunon. ſuperius recitato (*col. 234.*) eum, non anno 556. fuiſſe depoſitum, qui fuiſſet trigeſimus Juſtiniani, ſed anno ejus imperii trigeſimo-ſeptimo, adeoque 563. ex quo ſequitur Euſtochium, non undecim duntaxat annos eccleſiam Hieroſolymitanam adminiſtraſſe, antequam deponeretur, ſed novemdecim. Quid vero poſtea egerit, quo-ve deceſſerit anno, nos latet.

LII. Macarius.

Jam notum eſt, ex Cyrillo Scythopolitano in vita ſancti Sabæ *n. 90.* apud Cotelerium *tom. 3. monumen. eccl. Græc. pag. 373.* & ex Evagr. *lib. 4. hiſt. eccl. cap. 37.* Petro in ſede Hieroſolymitana immediate ſucceſſiſſe hunc *Macarium*, ſed qui paulo-poſt, nondum ab Imperatore confirmatus, ejectus eſt, eo quod erroribus Origenis diceretur infectus, eique ſubſtitutum Euſtochium. Euſtochio itaque depoſito anno ejuſdem Imperatoris 37. & Chriſti 563. Macarius ad ſedem Hieroſolymitanam iterum aſſumptus eſt, quum Origenem, Evagrium, & Didymum damnaſſet. Hic annus famoſus fuit edicto Juſtiniani Imperatoris pro hæreſi Aphthartodocetarum ſive Incorrupticolarum dato, *in quo* inquit Evagr. lib. 4. hiſt. eccl. cap. 39. *corpus Domini incorruptibile appellat, & naturalium atque inculpabilium affectionum capax fuiſſe negat: Dominum ante Paſſionem eodem modo comediſſe dicens quo poſt Paſſionem comedit, quum ſacroſanctum ejus corpus jam inde ex quo in utero formatum eſt, nullam converſionem aut mutationem, nec in voluntariis & naturalibus perpeſſionibus, nec poſt reſurrectionem acceperit. Porro Juſtinianus omnes ubique epiſcopos per vim cogere inſtituit ut huic opinioni aſſentirentur.*

A *Sed quum univerſi ſententiam Anaſtaſii Antiochenſis epiſcopi* (S. ſcilicet Anaſtaſii Sinaïtæ cujus memoria colitur die 21. April.) *expectare ſe reſpondiſſent, primum Imperatoris impetum declinarunt. Porro iſte Anaſtaſius* (pergit Evagr. cap. 40.) *vir fuit tum in divinis litteris admodum eruditus, tum in moribus & vivendi ratione accuratiſſimus, adeo ut res etiam leviſſimas obſervaret, nec à conſtantia & firmitate unquam deflecteret, nedum in magni momenti rebus, & quæ ad Deum ſpectarent. Mores autem ſuos ita temperaverat, ut neque* B *adeundi & alloquendi ipſum facilitas expoſitum illum redderet iis quibus minimè oportebat: nec ſeveritas & inclementia inacceſſum eum præſtaret juri atque rationi. Et in ſeriis quidem colloquiis aures ei patentes & lingua profluens erat; & quæſtiones propoſitas prudenter & argutè diſſolvebat: in ſermonibus autem ineptis ac ſuperfluis, aures quidem penitus occluſas habebat, linguam vero quaſi fræno quodam comprimebat; ita ut orationem ratio metiretur, & ſilentium omni oratione præſtantius eſſet. Hunc igitur, tanquam inexpugnabilem murum, omni* C *machinarum genere oppugnare adortus eſt Juſtinianus: id ſcilicet ſecum ipſe cogitans, ſe, ſi hoc propugnaculum ſubruiſſet, urbem poſthæc nullo negotio capturum eſſe, & rectæ fidei doctrinam in ſervitutem redacturum; denique oves Chriſti captivas abducturum eſſe. Anaſtaſius vero divina quadam animi celſitudine, adeo ſupra Imperatorem ſeſe extulit, quippe qui fundatus eſſet ſupra firmam petram, ut miſſa ad Juſtinianum relatione palam ei contradixerit, & manifeſtiſſime ſimul ac diſertiſſime in eadem relatione ei demonſtraverit corpus Domini in perpeſſionibus* D *naturalibus, & quæ in reprehenſionem non cadunt, corruptioni obnoxium fuiſſe, atque ita divinos apoſtolos & ſanctos Patres ſenſiſſe, ac poſteris tradidiſſe. Eadem quoque reſcripſit ad monachos primæ ac ſecundæ Syriæ qui ipſum conſuluerant, cunctorum animos confirmans & ad ſubeundum certamen præparans, & quotidie in eccleſia recitans verba illa ab electionis vaſe prolata;* ſi quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis, quamvis Angelus ex cœlo fuerit, anathema ſit: *(Gal. cap. 1. verſ. 8.) ſcripta eſt etiam ab eodem Anaſtaſio oratio ad* E *Antiochenos, qua illis vale dicebat, quum acce-piſſet Juſtinianum velle ipſum in exilium mittere. Quam quidem orationem merito quis admiretur, tum ob verborum elegantiam, tum ob copiam ſententiarum, tum denique ob frequentia ſacræ ſcripturæ teſtimonia, & ob hiſtoriam ſuis locis apte accommodatam.* Hucuſque Evagrius qui ſtatim ſubdit cap. 41. *Verum oratio illa haud quaquam publicata eſt, eo quod Deus nobis proſpiciens, res noſtras in melius commutavit. Etenim Juſtinianus, dum adverſus Anaſtaſium,*

Digitized by Google

& ſacerdotes qui cum illo erant, deportationis ſententiam dictaret, inviſibili plaga ictus ex hac luce migravit, quum imperaſſet in univerſum annos octo ac triginta, & menſes octo. Obiit itaque Juſtinianus anno Chriſti 565. menſe Novembri. Pergit Evagrius lib. 5. cap. 1. *Hunc igitur in modum Juſtinianus, quum cuncta tumultu ac perturbationibus impleviſſet, & pro his factis congruam mercedem ſub exitum vitæ retuliſſet.... migravit. Juſtinus vero ſororis ejus filius, quum imperialis palatii cuſtodiam gereret, quem Romani Curopalaten vocant, ſtatim poſt illius obitum purpuram ſumpſit, quum nec obitum Juſtiniani, nec electionem Juſtini quiſquam adhuc noſſet, præter ejus familiares: donec in Circenſi ſpectaculo apparuit, ea quæ Imperatoris ſunt acturus ſimul & ſuſcepturus. Quibus peractis quum nihil prorſus tentatum eſſet, in palatium regreſſus eſt. Primum vero edictum promulgavit quo univerſi qui ubique congregati erant epiſcopi ad ſuas ſedes dimittebantur ut conſueto more divino cultui inſervirent, nulla re circa fidem innovata. Et hoc quidem ejus factum magnopere laudandum eſt. Sed quod ad vitam ejus ac mores attinet, mollis fuit ac diſſolutus.... Adhæc alienæ pecuniæ tam vehementi cupiditate flagrabat, ut iniqui quæſtus cauſa cuncta divenderet, ac ne in ſacerdotiis quidem divinum numen revereretur, quæ obviis quibuſque pretio vendebat, venalia hæc etiam publicè proponens, &c.* Addo obiter, ex eodem Evagr. *cap. 5.* à Juſtino Anaſtaſium ex Antiochena ſede ejectum fuiſſe anno 570..... *Dicebatur autem Juſtinus idcirco infenſus fuiſſe Anaſtaſio, quod, quum pecuniam ab eo ad epiſcopatum promoto poſtulaviſſet, Anaſtaſius eam dare noluerat, &c.* Verum Gregorio qui ipſi ſubrogatus fuerat nondum mortuo, ſuæ ſedi poſt tres ac viginti à ſua depoſitione annos reſtitutum eſſe, anno ſubinde Chriſti 593. ex eodem Evagr. *lib. 6. c. 24.* Obiit anno 599.

Editores actorum SS. *in tract. prælimin. ſæpius citato ad to. 3. Maii, n. 128. pag. 29. col. 2.* monent in vita ſancti Gregorii Agrigentini, qui in martyrol. Rom. ad diem 23. Novembris colitur, nonnulla tradi de Macario II. Hieroſolymitano, ut quod adventum hujus ſancti adhuc juvenis divina revelatione cognoverit, ejuſque ac ſociorum nomina pronuntiaverit, eumque ordinaverit diaconum. Sed hæc vita, inquiunt, multæ fabuloſitatis ſuſpecta nobis eſt, neque in teſtimonium ſanctitatis pro Macario adducenda, donec ſevero examine diſcuſſa fuerit. Illum deceſſiſſe aiunt iidem actorum ſanctorum editores, anno Chriſti 570. non poſt quatuor ſolum annos à ſua reſtitutione, ut ſcribit Nicephorus in chronico, ſed ut ipſi exiſtimant reſtitutionem hanc aſſignantes anno A Chr. 556. poſt annos quatuordecim. Quum tamen ſupra oſtenſum fuerit ex Victore Tu- *col. 234.* nonenſi, (qui ut ait Valeſ. *in annot. ad c. 38. lib. 4. hiſt. eccl.* Evagr. *p. 110. col. 1.* A. iiſdem temporibus vivebat, nec iſtud ignorare potuit) anno 37. imperii Juſtiniani (Chriſti ſubinde 563.) Euſtochium Hieroſolymitanum epiſcopum.... ejectum eſſe, & rurſum Macarium reſumptum: ſi reipſa Macarius obiit anno 570. dicendum eſt omnino ipſum hac ſecunda vice ſediſſe duntaxat ſeptem annis. At Evagr. *lib. 5. hiſt. eccl. cap. 16.* hæc habet: B *per idem tempus,* (poſtquam ſcilicet à Juſtino declaratus Cæſar Tiberius una cum eo imperii curam geſſit)...... *ad Hieroſolymitanæ eccleſiæ pontificatum poſt Macarium evectus eſt Joannes, qui in Acœmitenſi monaſterio religioſæ vitæ inſtituta didicerat.* Unde ſequitur Macarium non obiiſſe ante ann. 574. quo Juſtinus Tiberium conſtituit Cæſarem. Refert enim idem Evagr. *cap. 10. & ſeq.* Juſtinum, quum audiiſſet urbem Daram à Coſroë Perſarum rege fuiſſe expugnatam, in phreneſim ac dementiam incidiſſe, adeo ut nihil eorum quæ C gerebantur deinceps intelligeret. *Exinde igitur,* inquit, *rempublicam rexit Tiberius, oriundus ex Thracia,* qui apud Juſtinum auctoritate & gratia plurimum poterat. Et cap. 13. *Juſtinus* itaque, *ſuadente Sophia* (conjuge ſua) *ſub idem tempus Tiberium Cæſarem renuntiavit. Qua in nuncupatione, ejuſmodi orationem habuit quæ omnem hiſtoriam tranſcendit, tam veterem, quam recentiorem: quum clementiſſimus Deus hoc ei ſpatium temporis conceſſiſſet, tum ad propria delicta confitenda, tum ad ſalubria conſilia ſuggerenda pro utilitate reipublicæ. Con-* D *gregatis enim in atrio imperialis palatii, ubi hæc fieri mos eſt, Joanne Patriarcha una cum ſacerdotibus ſuis, & magiſtratibus atque honoratis, cunctis denique qui in palatio militabant, Juſtinus imperatoria tunica & purpurea chlamyde Tiberium veſtiens; edita voce ita palam locutus eſt. Ne te in errorem inducat veſtis tuæ magnificentia, nec pompa rerum quæ ſub aſpectum cadunt; quibus ego in fraudem inductus, imprudens extremis me ſuppliciis obnoxium reddidi. Sed tu errata mea corrigito, omni cum lenitate ac manſuetudine rempubl. regens. Tum magi-* E *ſtratus digito demonſtrans: cave, inquit, ne his credas: hi enim in hunc quem vides ſtatum me deduxerunt. Adjecit etiam ejuſdem modi alia, quæ ſummam admirationem omnibus incuſſerunt, & immenſam lacrymarum copiam elicuerunt.* Addit Evagrius *cap. 23.* hæc verba quæ multam difficultatem faceſſunt. *Porro, ut tempora accuratiſſime diſtinguantur, ſciendum eſt Juſtinum juniorem, ſolum quidem imperaſſe annis duodecim, & menſibus decem cum dimidio; cum Tiberio autem collega annis tribus ac*

Digitized by Google

menſibus undecim. Fiunt itaque in univerſum anni imperii Juſtini ſexdecim cum menſibus novem ac dimidio: Tiberius vero imperavit ſolus annis quatuor. Ita, inquam, Evagrius: cujus elucidandi gratia, Valeſius *in annot.* ad hoc *cap. 23. pag. 121. col. 2.* ait: hic locus anſam erroris præbuit Baronio, qui in annalibus eccleſiaſticis hunc ſequutus auctorem annos ſexdecim imperii cum menſibus novem Juſtino juniori tribuit. Sed reliqui chronographi Juſtino pauciores annos aſſignant. Nam Joannes quidem Biclarienſis undecim duntaxat annos ei tribuit: Cedrenus autem tredecim cum aliquot menſibus; auctor vero Alexandrini chronici duodecim annos eum regnaſſe dicit, ac menſes octo. Poſtremo Dionyſius Petavius diligentiſſimus temporum ſcriptor, annos imperii tredecim, uno menſe minus, tribuit Juſtino, quos quidem orditur ab anno Chriſti 565. menſe Novembri, Indictione decima-quarta, qua Juſtinianum mortuum eſſe cenſet cum Theophane ac Baronio. Cujus viri ſententiæ lubenti animo ſubſcribo. Certe annum primum Juſtini junioris, cum Indictione decima-quarta cucurriſſe docet ejuſdem Juſtini Novella prima ad Julianum præfectum urbi, quæ hanc habet ſubſcriptionem: *Data decimo-octavo kal. Octobres, Chalcedone, Imperante D. N. Juſtino PP. Auguſto anno primo, Indictione quinta-decima.* Annus enim primus imperii Juſtini cœpit à menſe Novembri, ut inter omnes conſtat. Quarta-decima igitur tunc fuerit Indictio neceſſe eſt; ſiquidem menſe Sept. ſeq. anni, quinta-decima Indictio numerata eſt. Etenim ſi Juſtinus imperium auſpicatus eſſet Indictione XV. ut Victor Tunonenſis, Joannes Biclarienſis, & auctor Alexandrini chronici ſcriptum reliquerunt, & quidem menſe Novembri, certe menſe Septembri ſequentis anni prima cœpiſſet Indictio. Porro ex his duodecim annis, ac menſibus undecim, quibus integris Juſtinum regnaſſe diximus; ſolus quidem ac ſine collega imperavit annis octo & menſibus novem cum dimidio (id eſt, decem fere menſibus: ſimul autem cum Tiberio Cæſare regnavit annis quatuor, ac uno fere menſe, ſive menſibus decem ac diebus 22. die emortuali incluſo, ut ſcribit Pagius *tom. 2. crit. annal.* Baron. ad annum 578. *n. 3. p. 659. col. 2.*) Tiberius Conſtantinus à Juſtino Cæſar factus eſt Indictione octava, die ſeptima Septembr. ut legitur in chronico Alexandr. Imperium vero auſpicatus eſt Indict. XII. menſis Octob. die 5. (hinc) fiunt anni quatuor, ac dies 28. Cæſareæ poteſtatis Tiberii. Quod ſi Theophylactum ſequi malimus, qui Tiberium à Juſtino Cæſarem factum eſſe ſcribit Decembris die 7. feria 6. fient anni tres ac menſes fere decem, quod eſt ab anno Chriſti 574. ad annum 578. Porro notandum eſt Tiberium Conſtantinum, poſt mortem Juſtini Junioris, annos imperii ſui numeraſſe ab exordio Cæſareæ poteſtatis, ut diſcimus ex ſubſcriptione ſacræ pragmaticæ ejuſdem Tiberii de confirmatione conſtitutionum Juſtini Imperatoris, quæ ſic habet: *Data tertio idus Auguſti, Conſtantinopoli, Imperatoris D. N. Tiberii Conſtantini Auguſti anno octavo, & poſt Conſulatum ejus anno tertio: & nobiliſſimi Flavii Tiberii Mauricii feliciſſimi Cæſaris anno primo.* Hucuſque Valeſius. Pagius *in crit. annal.* Baron. *to. 2.* ad ann. 574. *n. 4. pag. 652. col. 1.* hæc ait de loco Evagr. ſupra cit. Locus ille Evagrii, ut nunc fere inter eruditos convenit, à librariis corruptus fuit, neque enim accuratiſſimus ſcriptor in rebus ſua ætate geſtis litteris mandandis in tam graves errores laudatis verbis contentos labi potuit, *& n. 6. col. 2.* Repertum eſt olim in Vaticano cœmeterio marmor, in quo legitur epitaphium cujuſdam pueri, tranſlatum poſtea in atrium eccleſiæ S. Angeli ubi ad lævam majoris aræ parieti affixum fuit, ex quo cum aliis antiquitatis monumentis collato conſtat, non tantum Tiberium hoc anno (574.) ſed etiam poſt diem 25. menſis Octobr. participem imperii factum. Habetur illud apud Paulum Aringhum *lib. 2.* Romæ ſubterran. *cap. 10. tom. 1. pag. 340.* & apud Reineſium in Syntag. Inſcriptionum *p. 912.* ex quo hæc excerpſi, omiſſis ad chronol. non neceſſariis.

✠ DEP. EST BOETIUS. CL.
P. OCT. KAL. NOBR. INDICT. XI.
IMP. DOM. N. IUSTINO. PP. AUG.
ANNO XII. ET TIBERIO CONST.
CÆS. ANNO III. DEP. EST. IN PAC.
ARGENTEA. MAT. SS. XIII. KAL.
DECEMB. QUI SS. BOETIUS VIXIT
ANN. XI. M. VIII. D. XXIII. ET
MAT. EIUS VIXIT ANN. XXXVI.
M. II. D. XII.

id eſt, depoſitus eſt, ut hujus epitaphii partem reddit infra idem Pagius *n. 9.* Boetius, Octavo Kal. Novemb. Indictione XI. Juſtini Auguſti anno 12. & Tiberii Cæſaris anno 3. Ex egregio hoc epitaphio, pergit Pagius *n. 7.* apparet primum erraſſe viros doctiſſimos, qui Juſtiniani mortem, & Juſtini Junioris initium cum anno 566. alligarunt: niſi enim anno antecedenti regnare cœpiſſet, annus Juſtini duodecimus, neque cum Indict. XI. neque cum anno Chriſti 577. qui ea à Septembri notatur,

Digitized by Google

notatur, concurreret, ſed cum Indict. XII. A annoque 578. quum dies ejus natalis in 14. Novemb. inciderit. Apparet ſecundo, Tiberium currenti anno (574.) Cæſarem appellatum poſt diem 25. Octob. ſeu octavum kal. Novemb. in epitaphio memoratum; alioquin anno Chr. 577. eo die, annoque 12. Juſtini, is jam inchoaſſet annum quartum Imperii; ideoque auctorem chronici Alexandr.. recte quidem annum inaugurationis Tiberii expreſſiſſe, ſed in menſe erraſſe; ait enim: *hoc octavo* (*octavum* vocat, quia Juſtini Imperium ab anno 566. male exorditur) B *Imperii ſui anno, Septembri menſe, die ſeptimo, octava Indictione, morbo correptus Juſtinus Auguſtus Tiberium Cæſarem creavit, nominavitque illum Conſtantinum, & vixit cum illo annos quatuor.* Non ſolum autem Tiberius die 7. Septembr. & die 25. Octobr. hujus anni (574.) nondum Cæſar erat; ſed nec die 13. menſis Decemb. eo honore adhuc affectus fuerat, ut ex clauſula ſubjecta collectaneo ab Eugipio compoſito anno 581. *n. 1.* conſtat: Unus Theophylactus Simocatta *lib. 3. cap. 11.* menſem & feriam rei actæ nos edocuit, poſtquam enim C ſermonem quem Juſtinus ad Tiberium habuit, quo tempore Cæſar ſalutabatur, retulit, ait: *Atque hæc menſe Decembri, ſexta die hebdomadis, Indictione IX.* (reponendum VIII. quæ kal. Septembr. hujus anni auſpicatur) *proloquutus eſt.* Porro poſt diem 13. menſis Decembris, feria ſexta non incidit niſi in diem 14. 21. & 28. ejuſdem menſis; ideoque unus ex tribus illis diebus Tiberii Conſtantini (ad dignitatem Cæſaream) natalitius fuit. Hunc nondum fuiſſe renunciatum Cæſarem 3. die Novemb. anni 574. habemus inſuper D ex ſynodo congregata apud Gradum die 3. Novembr. anni 579. quam refert Ughellus *tom. 5. Ital. Sac. col. 34.* Hujus enim ſynodi initium tale eſt: *In nomine D. N. J. C. &c. Imperante D. ſereniſſimo Tiberio Conſtantino Auguſto, anno Imperii ejus 5.* (ſextus fuiſſet, ſi ante hunc diem anno 574. Cæſarea poteſtate fuiſſet donatus) *eodem Conſule, ſub die 3. Nonarum Novembrium, Indictione XIII.* Juſtinus Junior anno 778. die 5. menſis Octobris obiit. Certum itaque maneat, (concludit Pagius *n. 9. pag. 653.*) Tiberium poſt E diem 13. menſis Decembris hujus Chriſti anni (574.) Cæſarea dignitate exornatum fuiſſe. Si igitur Macario ſucceſſit Joannes, Tiberio jam Cæſare facto, ut Evagr. poſt relatum hoc factum *lib. 5. cap. 13.* ſcribit *ibidem, cap. 16.* non obiiſſe dicendus erit Macarius ante finem anni 574. ſubindeque eccleſiæ Hieroſolymitanæ hac ſecunda vice geſſiſſe curam ad minus per annos undecim.

LIII. Joannes IV.

Macario ſucceſſiſſe *Joannem* iſtum, poſt declaratum Tiberium II. à Juſtino II. Cæſarem, quod contigit ſub finem anni 574. jam dictum eſt ex Evagr. *lib. 5. hiſt. eccl. cap. 16.* ubi ait: *Per idem tempus, &c. Ad Hieroſolymitanæ autem eccleſiæ Pontificatum poſt Macarium evectus eſt Joannes, qui in Acœmitenſi monaſterio religioſæ vitæ inſtituta didicerat: nec quidquam* (ſcilicet tunc temporis) *rerum novarum in eccleſia tentatum eſt.* Idem auctor inferius, *lib. 6. cap. 24.* quo totam hiſtoriam ſuam claudit, hæc habet: *nec multo poſt Gregorius* (qui in locum Anaſtaſii Sinaïtæ depoſiti ſub Juſtino II. Antiochenæ eccleſiæ epiſcopus datus fuerat) *podagræ morbo quo maxime vexabatur correptus abiit è vita, quum medicamentum ex Hermodactylo confectum, ipſi à medico porrectum, ebibiſſet. Mortuus autem eſt eo tempore, quo ſenioris quidem Romæ Gregorius ſucceſſor Pelagii, junioris autem Romæ Joannes epiſcopatum gerebant: Alexandrinæ eccleſiæ Eulogius, Antiochenæ vero præſidebat Anaſtaſius, poſt tres ac viginti demum annos in ſedem ſuam reſtitutus: Hieroſolymitanæ autem eccleſiæ Joannes Pontificatum adminiſtrabat. Quo non multo poſt mortuo, nemo etiamnum eccleſiæ illius gubernationem ſuſcepit. Atque hic hiſtoriæ noſtræ finis eſto, anno ſcilicet duodecimo principatus Mauricii Tiberii.* Ex quibus verbis colligitur an. Chriſti 593. vel ſequenti 594. Evagrium hæc ſcripſiſſe, nec multo prius contigiſſe quæ ibidem refert. Scilicet Tiberius obiit die 14. Aug. anno 582. eique ſucceſſit Mauricius: ſic enim tradit auctor chronici Alexandr. apud Pagium *tom. 2. critic. annal. Baron.* ad eum annum, *n. 9. pag. 669. col. 1.* Anno 3. poſt Conſulatum Tiberii & Ind. XV. *hoc quarto ejuſdem imperii anno, ægrotavit Tiberius Cæſar, & 5. Auguſti, XV. Indictionis præſentis creatus eſt Cæſar Mauricius Tiberius, ac 13. Auguſti coronatus Imperator, data illi in uxorem à Tiberio novo Conſtantino filia Conſtantina. & 14. Auguſti moritur Tiberius novus Conſtantinus in proceſſo hebdomi, impoſitoque ejus funere in navi defertur Conſtantinopolim: poſteroque die, exequiis celebratis, corpus in æde ſanctorum Apoſtolorum deponitur. Deinde imperavit Mauricius annos 20.* Euſtathius pariter vitæ ſancti Eutychii Conſtantinopolitani Patriarchæ auctor ſcribit Tiberium obiiſſe quatuor menſibus poſt Eutychium, qui ex hac vita migraverat die 6. April. anno 582. Obſervat Valeſius *in annotat. ad iſtud cap. ultimum totius hiſt. eccl. Evagr.* ab auctore chron. Alexandr. mortem Gregorii epiſcopi Antiocheni aſſignari anno Mauricii decimo; Chriſti 592. *hoc anno Anaſtaſius Patriarcha*

Digitized by Google

Antiochenus (qui depoſitus fuerat anno circiter 570.) *reverſus eſt Antiochiam poſt mortem Gregorii Patriarchæ, qui vivus etiam Anaſtaſium receperat.* Anaſtaſium quippe ſuæ ſedi Antiochenæ fuiſſe reſtitutum ante diem 25. Mart. anno 593. oſtendit Pagius *ibid.* ad ann. 594. *nn. 4. & 5. pp. 698. col. 2. & 699. col. 1.* ex orat. ejuſdem Anaſtaſii, quam inter alia ejus opera mſſ. aſſervari teſtatur Lambec. *lib. 7. Bibl. Cæſ. pag. 168.* cui titulus eſt: *Anaſtaſii Patriarchæ Antiocheni oratio, quum poſt viginti tres annos ad thronum Patriarchalem reverteretur, habita die 25. Mart. fer. 4. ſanctæ hebdomad. Indict. XI. imperante piiſſimo Mauricio:* hi enim caracteres annum 593. quo Paſcha die 29. Mart. celebratum eſt, certo denotant. Eodem anno, ſed poſt hanc 25. diem Mart. deceſſit Gregorius qui eam ſedem occupabat. Hinc recte ſcribit Evagr. mortuum eſſe illum Gregorium, *eo tempore quo.... Antiochenæ* (ſedi) *præſidebat Anaſtaſius, poſt tres ac viginti demum annos in ſedem ſuam reſtitutus:* Recte etiam auctor chronici Alexandr. narrat Gregorium, dum adhuc viveret, Anaſtaſium recepiſſe, ſed perperam *ibid.* aſſerit, Anaſtaſium poſt mortem Gregorii Antiochiam rediiſſe, nec minus recte eamdem Anaſtaſii reſtitutionem ſub Indict. x. reponit, id eſt anno 592. Quum autem poſt obitum Joannis Hieroſolymitani epiſcopi, nullum eo uſque nominatum fuiſſe aſſerat Evagrius, qui ei ſubſtitueretur, intelligendum datur, vel hanc Joannis mortem adhuc recentiorem fuiſſe, vel per aliquod tempus vacaſſe eam ſedem. Nicephori quidem chronicon Joannis præſulatui viginti duos annos tribuit: at melius Theophanis tabulæ viginti duntaxat annos ei adſcribunt: ſi enim à fine anni 574. quo Tiberius ad Cæſaream dignitatem evectus eſt, vel ab anno ſequenti 575. uſque ad annum Mauricii 11. Chriſti 593. vel 12. Chriſti 594. eccleſiæ Hieroſolymitanæ adminiſtrationem geſſit, utique ſederit novemdecim annos, vel viginti non completos. Doctiſſimus Papebrochius narrat *tract. prælim. ad to. 3. actorum ſanctorum Maii, n. 229. pag. 29.* anno 590. qui Guntramni Francorum Regis trigeſimus erat, juxta Fredegarium in chron. ſive append. ad Greg. Tur. hiſt. *n. 11. col. 600. Tunicam D. N. J. C. quæ eidem in paſſione ſublata eſt, & à militibus, qui eum cuſtodiebant, eſt ſortita, inventam eſſe, prodente Simone filio Jacobi, qui per duas hebdomadas multis cruciatibus affectus, tandem profitetur ipſam tunicam in civitate Zafad* (Joppe) *procul à Hieroſolyma in arca marmorea poſitam eſſe; quam Gregorius Antiochenus, & Thomas Hieroſolymor.* (legendum pro Thoma *Joannes,* non *Amos* Joannis ſucceſſor ut cenſuerunt iidem actor. ſanctorum

A editores, ſi quidem ex Evagr. modo relato Joannes non obiit niſi poſt mortem Gregorii Antiocheni) *& Joannes* (dictus Jejunator) *Conſtantinopolitanus epiſcopus, cum aliis multis epiſcopis, triduanum facientes jejunium, exinde condigne cum arca marmorea, levi effecta quaſi ex ligno fuiſſet, ordine pedeſtri Hieroſolymam cum devotione ſanctiſſima perduxerunt, & eam in loco, ubi Crux Domini adoratur, cum triumpho poſuerunt. Eo anno luna obſcurata eſt.* Ea tunica, ſubdunt iidem actorum ſanctorum editores, nunc Treviris religioſe aſſervatur;
B ſed quia ignoratur quomodo vel quando allata (fuerit,) invaluit opinio ſanctam Helenam, quam Treviris quoque natam fuiſſe volunt, ipſam miſiſſe cum aliis reliquiis, quod nequaquam crediderim. Qui enim inventæ ab ea crucis clavorumque adeo certam memoriam nobis reliquit Theophanes, non omiſiſſet, puto, etiam meminiſſe tunicæ, ſi ea tunc pariter fuiſſet reperta: neque ignoraviſſet Fredegarius ipſam jam pridem Treviris coli celeberrimo totius Galliæ Germaniæque concurſu. Hæc eruditiſſimus Papebrochius
C *tom. 3. cit. Maii.* Gregor. Tur. hujus tunicæ mentionem facit, *lib. 1. de gloria Martyr. c. 8. De hac immaculati Agni tunica,* inquit, *quæ à quibuſdam audivi, ſilere nequeo. Ferunt autem in civitate Galatheæ (Galatiæ:* quo nomine, inquit doctiſſimus Theodericus Ruinart Benedictinus, in nota *ibid.* appoſita *c. col. 729. Galatia provincia* potius, quam urbs deſignaretur. *Galatheam* urbem ex ſolo Greg. Turon. memorant Ortelius, Ferrarius, &c.) *in baſilica, quæ ad ſanctos Archangelos vocitatur, retineri. Eſt enim hæc civitas, ab urbe Conſtantinopoli-*
D *tana, quaſi millibus centum quinquaginta, in qua baſilica eſt crypta abditiſſima: ibique in arca lignea hoc veſtimentum habetur incluſum; quæ arca à devotis atque fidelibus cum ſumma diligentia adoratur.* Ad quem Greg. Turon. locum ſic monet præfatus Theodericus Ruinart in nota ſubjecta *d.* Hæc eadem tunica in chronico Fredegarii *cap. 11.* dicitur ex civitate *Jaſad,* apud Sigebertum *Zaphat,* quam *Jaffam* ſeu *Joppen* interpretamur, anno 30. Guntramni regis, in ſanctam Hieroſolymorum urbem tranſlata fuiſſe. Poſtmodum
E in Gallias allata eſt tempore Caroli Magni, & apud Argentolium in agro Pariſienſi, ubi Giſela ejuſdem Imperatoris ſoror, ac Theodrada ipſius filia, ſanctimoniales erant, depoſita fuit. Demum, quum diu ob bellorum tumultus latuiſſet, ſub ſæculi duodecimi medium inventa eſt, ac præſente Ludovico Juniore cum aliis regni proceribus, ab Hugone archiepiſcopo Rhotomagenſi, compluribuſque aliis epiſcopis & abbatibus, publicæ fidelium venerationi exhibita fuit anno 1156.

Digitized by Google

Exinde ſummo populorum concurſu celebris A fuit eccleſia Argentolienſis, ubi etiam nunc à noſtræ Congregationis ſancti Mauri monachis Benedictinis religioſiſſime tam pretioſum cœmelium aſſervatur & colitur. Addit Pagius *to.2. crit. annal. Baron.* ad annum 593. *n.6. pag. 696. col. 1.* quia Fredegarius hanc ſacræ Chriſti tunicæ inventionem conſignat anno Guntramni regis 30. quod etiam Aimoinus, *lib.3. cap.74.* ideo, ſecundum Fredegarii ſupputationem, inventionem hanc contigiſſe anno Chriſti 590. non vero 594. ut ſcribit Sigebertus. Falluntur itaque omnes iſti ſcrip- B tores quando aſſerunt Gregorium Antiochenum, *Thomam* Hieroſolymitanum, & Joannem Conſtantinopolitanum, epiſcopos illam tunicam *ordine pedeſtri* Hieroſolymam perduxiſſe: nam anno 590. Gregorius quidem Antiochenus in vivis erat, ſed *Joannes,* non *Thomas,* eccleſiam Hieroſolymitanam regebat: anno autem Chr. 594. Amos epiſcopus Hieroſolymorum erat. Præterea Aimoinus & Fredegarius, narrata illa tunicæ Chriſti inconſutilis inventione, aiunt, *eo anno luna obſcurata eſt:* quæ lunæ eclipſis facta eſt in Galliis C anno 589. die 6. Martii, poſt mediam noctem, feria 6. ineunte, juxta calculum Calviſii in opere ſuo chronologico. Hujus proinde inventionis annus (fuiſſe 589.) ex illo lunari defectu innoteſcit. Eam Chriſti tunicam religioſe Treviris aſſervari tradit Browerus *in annalibus* Trevir. *lib. 15.* ubi de ea plura habet.

Quod attinet ad annum, quo hiſtoriam ſuam eccleſiaſticam terminat Evagrius, ſequentia ſcribit idem Pagius, ad annum 594. *num. 6. pag. 699. col. 2.* Recte Valeſius in annotationibus ad hoc ultimum hiſtoriæ D Evagrii caput, recte pariter Photius in Bibl. cod. 29. advertunt Evagrium ea non attigiſſe quæ anno Mauricii 12. die 14. menſis Aug. anni Chriſti 593. inchoato geſta ſunt, ſed eo tantum currente anno hiſtoriam ſuam clauſiſſe: fallitur tamen Valeſius, quando ait ſuſpicatum eſſe Baronium Gregorii Antiocheni epiſcopi mortem anno 12. hujus Imperatoris contigiſſe. Diſerte enim Baronius dicit, Gregorium epiſcopum Antiochenum anno 595. mortalitatem reliquiſſe, eodemque anno, quem ipſe numerat *decimum* (Mauricii,) non E vero *duodecimum,* Evagrium hiſtoriæ ſuæ finem impoſuiſſe. Baronius quippe Mauricii Imperatoris initium repetit ab anno Chriſti 586. qua in re valde hallucinatur, quemadmodum & quando tradit Photium loco laudato emendare Evagrium, & aſſerere hunc produxiſſe hiſtoriam ſuam uſque ad annum decimum Mauricii Imperat. In neutra enim Bibliothecæ Photii editione annus decimus Mauricii legitur, ſed duodecimus. Denique ipſemet Evagrius *lib.3. cap.33.* ait ſe, quæ in eo capite narrat, ſcribere anno Antiocheno 641. qui kal. Septembr. anni Chriſti 592. exorditur. Quare anno duodecimo Mauricii tres etiam ſequentes libros exaravit. Verum annus quo ſuam hiſtoriam ſcripſit, diſtinguendus eſt ab anno ad quem eidem finem impoſuit. Ejus ſcilicet hiſtoria non progreditur ultra menſem Aug. anni Chriſti 593. & in lucem data eſt, vel eodem Chriſti anno exeunte, vel potius anno 594. quo Mauricii annus duodecimus abſolvitur: neque enim tres ultimi hiſtoriæ ejus libri tam prolixi ſunt, quin intra duodecimum Mauricii Imperatoris annum elucubrari potuerint. De eodem quoque Evagrio obſervat prædictus Pagius, ad annum Chriſti 582. *n. 10. p. 669. col. 2.* verum quidem eſſe, verba hujus auctoris *lib. 5. hiſt. eccl. cap. 23.* de duratione imperii Juſtini depravata eſſe; ſed ex iis quæ *ibid. & cap. 24.* de Tiberio & Mauricio ſcribit, librariorum errorem deprehendi: nam in cap. 23. docet Tiberium poſt Juſtini Junioris obitum imperaſſe annis quatuor, cap. vero 24. Mauricii initium anno Chriſti 582. aſſignat, ut ex anno ejuſdem Imperatoris duodecimo, quo hiſtoriam ſuam ſe terminare teſtatur, manifeſtum eſt. Concludendum itaque Joannem Hieroſolymitanum Patriarcham, non ante annum Chriſti 593. ſed eo anno probabilius poſt menſem Martium, vel ſaltem anno ſequenti 594. ante menſem Auguſtum deceſſiſſe.

LIV. Amos.

Quum eo tempore quo hiſtoriam ſuam eccleſiaſticam Evagrius finivit, anno Mauricii Imperatoris duodecimo, id eſt Chriſti, vel 593. à die 14. Aug. vel 594. uſque ad eumdem diem, defuncto Joanni nullus adhuc ſuffectus fuiſſet, ut ipſe teſtatur, nos latet ex ea parte quandonam *Amos* proximus Joannis ſucceſſor ad hanc ſedem evectus ſit. Tabulæ Theophanis primum ejus annum reponunt anno Mauricii undecimo, ſed viſibilis eſt error: renuntiari potuit non multo poſt quam Evagrius hiſtoriam ſuam clauſerit an. Chriſti 594. Mauricii duodecimo exeunte, vel decimo-tertio incœpto. Apud Nicephorum Callixtum, qui ei octo annos tribuit, appellatur *Neamus.* Doctiſſimus Papebrochius, *to.3. Maii, in tract. prælim. pag. 29. n. 129. col. 2. E.* ait: *iſtius Amos epiſtolam aliquam ad S. Gregorium Papam vidi, neſcio ubi, vidiſſe tamen notatum reperio in adverſariis.* Verum extat hujus SS. Papæ epiſtola ad eum ſcripta, quæ ſexta eſt regiſtri ejus epiſtolarum, *lib. 8. Indict. 1. to. 2. edit. Pariſ. 1705. col. 899.* In ea epiſtola Petrum Romanæ eccleſiæ acolythum fugitivum comprehendi jubet, Romamque

Digitized by Google

A mitti. Tenor eſt: *Gregorius Amos epiſcopo Jeroſolymitano. Quum fraternitatem veſtram confidamus canonum ſtatuta, & vigorem diligere diſciplinæ, ne clerici noſtri vobis ad evitandam diſtrictionem eccleſiaſtici ordinis falſitas ſurripere valeat, ejus culpam ſanctitati veſtræ indicare proſpeximus, ut ſollicitudine veſtra diſciplinæ poſſit ſubmitti quam refugit. Comperimus autem quod Petrus acolythus, quem dilectiſſimo filio noſtro Sabiniano diacono reſponſa eccleſiaſtica facienti obſervare in urbe regia feceramus, fugiens ad veſtram eccleſiam venerit. Quod ſi verum eſt, in tuto eum facere fraternitas veſtra, & inventa huc ſtudeat occaſione remittere. Aut ſi, forte hoc metuens à veſtra diſceſſerit eccleſia, & per diverſa loca, ne comprehendi valeat, latitet, in omnibus parochiis veſtris, ut diligenter requiratur, injungite, & inventum ad nos, ſicut præfati ſumus, tranſmittite: quem etiam volumus per vos, quia ſit communione privatus, agnoſcere; nec Dominici corporis ac ſanguinis, quo uſque ad nos redeat, audeat myſteria ſumere, niſi forte vicino mortis inſiſtente periculo.* Scripta eſt anno Chriſti 597. aut 598. *In Prato ſpirituali cap. 149. to. 2. Bibl. Patr. Græcor. edit. Pariſ. 1624. pag. 1120.* hæc leguntur: *Quum deſcendiſſet abbas Ammos Hieroſolymam, & Patriarcha ordinatus eſſet, venerunt omnes monaſteriorum eremi abbates, ut ſalutarent eum, inter quos affui & ego cum abbate meo. Cœpitque Patriarcha dicere patribus: Orate pro me, Patres, magnum enim onus, & intolerabile mihi injunctum eſt, ſacerdotiique dignitas me terret immodice. Petri enim & Pauli, & ſimilium eſt regere rationales animas, ego autem infelix peccator ſum. Plus autem quam cætera timeo ordinationum ſarcinam: nam inveni ſcriptum, quia beatiſſimus & æqualis Angelis Papa Leo, qui Romanorum eccleſiæ præfuit, per 40. dies perſeveravit ad ſepulcrum Apoſtoli Petri vigiliis & orationibus inſiſtens, petenſque ab Apoſtolo ut pro ſe ad Deum intercederet, ut dimitterentur ſibi peccata ſua: impletiſque diebus 40. apparuit ei Apoſtolus Petrus dicens: Oravi pro te, & dimiſſa ſunt tibi omnia peccata tua, præter quam impoſitionis manuum: hoc enim ſolum à te requiretur, ſive bene, ſive fortaſſis aliter id egeris.* Ex qua narratione colligitur Amos fuiſſe monachum, & alicujus lauræ ſive cœnobii præpoſitum, priuſquam ſedem Hieroſolymitanam conſcenderet. Deceſſit anno 600. aut 601. ut ex epiſtola ſancti Gregorii Papæ ad Iſacium ejus ſucceſſorem data colligitur. Theophanis tabulæ & Nicephori chronicon illi octo annos regiminis aſſignant, qui ab anno 593. aut 594. ad annum 600. aut 601. reperiri poſſunt, ita ut octavus ſaltem inceptus fuerit, quum fato functus eſt.

LV. Isacius.

Poſt Amos *Iſacius* renuntiatus eſt Patriarcha Hieroſolymitanus. Annos octo epiſcopatus ei tribuit Nicephori chronicon; concinunt Theophanes & Eutychius Alexandr. qui illum ab anno 19. Mauricii, id eſt, Chriſti 600. vel 601. uſque ad annum ſextum Phocæ, Chriſti 608. ſediſſe ferunt. Mortem ejus aſſignat auctor chronici Alexandr. anno Phocæ ſeptimo, id eſt Chriſti 109. Is ſynodicam de ordinatione ſua, juxta morem, ſcripſit ad S. B Gregorium Papam, cujus reſponſio extat *To. 2. regiſtri epiſtolar. hujus Pontificis lib. 11.* (alias 9.) *Indictione IV. epiſt. 46. (aliàs 40.) col. 1133. novæ edit.* id eſt an. 600. à menſe Septemb. vel anno 601. uſque ad eum menſem; titulus eſt: *Gregorius Iſacio epiſcopo Hieroſolymitano.* Sic autem incipit: *Servata veritate hiſtoriæ, quid aliud eſt quod diluvii tempore humanum genus extra Arcam* (Noë) *moritur, ad vitam vero in Arca ſervatur, niſi hoc quod aperte nunc cernimus, quia infideles quoſque extra eccleſiam peccati ſui unda perimit; &* C *fideles ſuos in fide atque in charitate ſanctæ eccleſiæ unitas, quaſi Arcæ compago cuſtodit, &c. In hujus Arcæ ædificatione vos currere relecta fraternitatis veſtræ epiſtola, rectæ fidei compage gaudemus; magnaſque omnipotenti Deo gratias exſolvimus, qui & in mutatis gregis ſui paſtoribus, fidem quam ſemel ſanctis patribus tradidit, etiam poſt eos immutatam cuſtodit, &c. Ipſe autem per Chriſtum ingreditur, qui de eodem Creatore ac Redemptore humani generis vera ſentit & prædicat, prædicata cuſtodit, culmen regiminis ad officium portandi* D *oneris ſuſcipit, non ad appetitum gloriæ tranſitorii honoris, &c. Tua vero fraternitas ſpiritaliter edocta rectam per omnia fidem protulit, & quæ quærenda erant ſubtiliter enarravit. Fides itaque veſtra, fides eſt noſtra. Ea tenemus quæ dicitis, ea dicimus quæ tenetis. Quia vero pervenit ad nos in Orientis eccleſiis nullum ad ſacrum ordinem, niſi ex præmiorum datione pervenire; ſi ita eſſe veſtra fraternitas agnoſcit, hanc primam oblationem omnipotenti Deo offerat, ut à ſubjectis ſibi eccleſiis errorem ſimoniacæ hæreſeos compeſcat: nam ut alia taceam, quales* E *eſſe in ſacris ordinibus poterunt, qui ad hos non merito, ſed præmio proveluntur, &c. Præterea pervenit ad me quia in eccleſia urbis veſtræ Hieroſolymorum* (ſic ſcripſit Papebrochius *to. 3.* Actor. SS. Maii, *in tract. prælim. p. 30. col. 1.* A. & ſenſus planior videtur) *quæ Ælia dicitur, ſæpe jurgia naſcuntur: unde ſanctitas veſtra debet ſollicite cuncta penſare, & quædam manſuete corrigere; quædam vero quæ corrigi nequeunt æquanimiter tolerare, &c. Sic igitur ſanctitas veſtra quædam compeſcendo, quædam*

tolerando mitiget, ut in ſancta Hieroſolymorum eccleſia pacem cohabitantium per omnia conſervet. Scriptum quippe eſt, pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum (Hebr. cap. 12. v. 14.) *In rixa etenim mentis ipſum lumen clauditur bonæ intentionis.... Et quid jam in nobis boni operis remanet, ſi pacem ex corde perdimus ſine qua Dominum videre non valemus! Vos itaque ita agite, ut, de his quoque qui per jurgium perire poterant, mercedis veſtræ lucra colligatis. Omnipotens Deus dilectionem tuam gratia cœleſti cuſtodiat, & de his qui tibi commiſſi ſunt fructum multiplicem, ac menſuram ſupereffluentem, ad æterna gaudia reportare concedat.* Hunc Iſacium Baronius ad annum Chriſti 601. *n. 14. Heſychium* nuncupat, dicitque eo anno ſedem Hieroſolymitanam conſcendiſſe. Eumdem vero, ad annum 609. *n. 5.* illo anno obiiſſe narrat, quum octo annos hanc eccleſiam adminiſtraſſet.

LVI. ZACHARIAS.

Bollandus *tom. 3.* Februar. ad diem 21. hujus menſis *pag. 247.* ubi de eo *Zacharia* agit, refert ex chronico Alexandr. quod cum 20. imperii Heraclii anno deſinit, Zachariam hunc Patriarchatus Hieroſolymitani ſuſcepiſſe regimen anno Phocæ ſeptimo, id eſt Chriſti 609. Sic enim loquitur hujus chronici auctor (ſed ad annum Phocæ v.) *Moritur vero Iſacius Patriarcha Hieroſolymorum, in cujus locum ſufficitur Zacharias preſbyter ac cuſtos ſacrorum vaſorum eccleſiæ Conſtantinopolitanæ.* Theophanes quoque in chronographia, anno Phocæ ſeptimo adſcribit initium *Sergii Conſtantinopolitani, Zachariæ Hieroſolymitani, & Joannis Alexandrini,* cognomento *Eleemoſynarii.* Conſonat Anaſtaſius biblioth. dicens: *Anno imperii Phocæ VII. Sergius Conſtantinopolitanus, Zacharias Hieroſolymitanus, & Joannes Alexandrinus habentur antiſtites.* Nondum ſex anni elapſi erant ex quo ad ſedem Hieroſolymitanam evectus fuerat Zacharias, quum rex Perſarum Coſroës, Syria devaſtata, urbem Hieroſolymam cepit, Chriſtianos ibi degentes in vincula conjecit, Judæiſque vili pretio tradidit, à quibus, non ut captivi aut ſervi excepti fuerunt, ſed in odium Chriſti diverſis innumeriſque cruciatibus interfecti: Patriarcham demum & lignum S. Crucis in Perſidem adſportavit. De ea clade chronicon Paſchale, ſive Alexandrinum, ita loquitur, *edit. D. Du Cange Pariſ. 1688. p. 385.* (Anno) *IV.* (Heraclii) *Indict. XI. poſt Conſulatum Heraclii Auguſti tertium. Hoc anno, circa menſem Junium, malum nobis accidit perpetuo luctu proſequendum. Quum aliis quippe compluribus Orientis* A *civitatibus, Hieruſalem à Perſis capta eſt, multis clericorum, monachorum, ſanctimonialium, & virginum millibus trucidatis. Incenſum etiam Dominicum ſepulcrum, & celeberrima Dei templa: &, ut verbo dicam, pretioſa omnia deſtructa. Veneranda crucis ligna, cum ſacris vaſis innumeris, capiuntur à Perſis, & Zacharias Patriarcha captivus abducitur. Atque hæc omnia, non multa anni parte, nec toto menſe, ſed intra paucos dies contigere.* Eadem fere ſcribit Theophanes in chronographia, ad annum quintum Heraclii. Quartus hic erat, (Chr. 614.) ſed, B ut monet Papebrochius *to. 3. Maii, in tract. prælim. n. 134. pag. 31. col. 1.* A. ille auctor uno anno ſerius in annis Heraclii res narrat, eo quod primum hujus Imperatoris annum in duos diviſerit, quemadmodum pluribus demonſtravit idem Papebrochius *in Exegeſi prælim. ad tom. 3. Mart. cap. 4. Anno quinto* (legendum *quarto*) *Imperii Heraclii, Perſæ Jordanis loca, Palæſtinam, & ſanctam civitatem armorum vi ſubegerunt, & manibus, ut quidam aſſerunt, Judæorum, ad nonaginta Chriſtianorum millia trucidarunt. Capto vero* C *Hieroſolymorum Patriarcha Zacharia, pretioſo etiam & vivifico crucis ligno locis illis erepto, captivorum hominum multitudinem innumeram in Perſidem abduxerunt.* Extat, inquit Papebrochius modo laudatus, *ibid. n. 135.* Franciſci Combefiſii (Ord. FF. Prædic.) opera, poſt libellum ſancti Joannis Chryſoſtomi de educandis liberis, aliaque nonnulla, Pariſiis anno 1656. Græco-latinè impreſſa epiſtola, quam *viduæ ſponſæ, civitati regis magni liberis orbatæ, Hieroſolymitano gregi Paſtorem non habenti: ſed & reliquis omnibus in Chriſto* D *eccleſiis, reſiduiſque in illis filiis orphanis; paſtor humilis, ſolus, captivus, Zacharias minimus* è Perſide ſcripſit, ſuam, aliorumque captivorum calamitatem commemorans, & meminiſſe jubens quomodo ipſe quidem, quando cum illis erat, in Galilæa dixerit: *Planè, filii, ingentem in vobis video incuriam, multam ſegnitiem, injuſtitiam, ignorantiam, fraternum odium, apoſtolicorum canonum tranſgreſſionem atque contemptum; nec ſcio quonam res noſtræ evaſuræ ſint:* Ipſos vero reſpondere ſolitos; *Bonus eſt Deus, nec nos creavit ut* E *perderet.* Nunc ergo hortatur eos ad pœnitentiam, emendationem morum, miſericordiam erga captivos fratres; aut quibus non ſuppetit quod largiantur, ad preces, jejunia, humicubationes, & lacrymas.

Si quæ autem in tanta calamitate inveniri potuit conſolatio temporalis, hæc præcipuè ſubminiſtrata eſt à S. Joanne Eleemoſynario, tunc temporis Patriarcha Alexandrino, de quo iſta ſcribit ejus vitæ auctor Leontius, apud Baron. ad annum Chriſti 614. *n. 15. col. 261.*

Quum Perſæ populati eſſent univerſam Syriam, qui eorum manus potuerunt effugere, tum laïci qui magiſtratum gerebant, & privati, tum clerici cum epiſcopis confugiunt Alexandriam. Quibus omnibus dives ille & minime anguſtus convivator quotidie ſuppeditabat quæ erant ad uſum neceſſaria, non ad indigentium adſpiciens multitudinem, ut aliquid faceret quod eſſet ſordidi & illiberalis animi, ſed ad eum qui aperit manum, & omne animal implet benedictione. Quum autem Raſmizſus dux exercitus Coſroë vaſtaſſet & depopulatus eſſet veneranda loca Hieroſolymorum; poſtquam hoc audivit ille homo Dei, & quod omnia ſancta fuiſſent igni tradita, deflet quidem, non ſecus ac Hieremias, id quod factum fuerat. Non hactenus autem conſtitit ejus commiſeratio, ſed mittit etiam Chryſippum quemdam virum pium, tradens ei multum auri, frumentumque, & alia alimenta & indumenta, & ad ea vehenda jumenta plurima, tum ut adſpiceret vaſtitatem, tum etiam ut eos qui remanſerant ex captivitate ſatis per ea quæ dicta fuerunt recrearet. Præterea autem Theodorum quoque Amathuntis epiſcopum, & Anaſtaſium præfectum magni montis Antonii, & Gregorium epiſcopum Rinocorurorum emittit ad eos recipiendos, qui abducti fuerant in captivitatem, vim auri præbens propè innumerabilem. Addit Papebroch. ſupra citatus *num. 136.* ex ejuſdem S. Joannis vita *n. 33. Ad Hieroſolymorum relevationem & reædificationem, miſit numiſmata mille, & mille ſaccos plenos frumento, & mille legumina* (id eſt, leguminum menſuras) *mille libras ferri, mille reſtes ſiccatorum piſcium, mille vaſcula vini, & mille Ægyptios operarios, addens per litteras ad Modeſtum ſcriptas: Da mihi veniam vere Chriſti operator, nihil dignum templis Chriſti mittenti. Vellem enim, crede mihi, ſi eſſet conveniens, & ego ipſe venire, & ipſe operari in domo ſanctæ Chriſti reſurrectionis.* Hic Modeſtus eccleſiæ Hieroſolymitanæ curam geſſit, ut vicarius Zachariæ epiſcopi, quandiu ille captivus fuit in Perſide, eique poſt mortem ſucceſſit. Eoſdem interim Hieroſolymorum incolas ſuis ſcriptis ſublevare conabatur Antiochus quidam monachus Palæſtinus, vitæ ſanctitate & doctrina celebris, cujus extant Homiliæ 130. *to. 1. Bibl. Patr. Græc. p. 1026.* In epiſtola autem præfixa operi, eo titulo inſignita, *Epiſtola Antiochi monachi lauræ Sabæ abbatis, ad Euſtathium præpoſitum monaſterii Attalinæ Ancyræ civitatis Galatiæ*, hæc narrat, apud Baronium ſupra relatum, *n. 26. Quum Iſmaëlitæ ad noſtrum acceſſiſſent monaſterium, una ſeptimana antequam ſancta civitas fuiſſet occupata, & univerſa eccleſiæ ſacra vaſa jam diripuiſſent, plerique Patres aufugerunt quam primum: remanſerunt autem in monaſterio qui fortiores*

A *Chriſti fuerant ſervi, ſacrum illum locum deſtituere nullo pacto volentes. Barbari vero quum illos comprehendiſſent, & multos dies illos inhumane tractaſſent, & tormentis afflixiſſent, pecunias hoc pacto ſeſe inventuros putantes, apud quos nihil hujus ſæculi reperiebatur. Illi ſimulatque intellexerunt ſua ſe tandem ſpe & propoſito excidiſſe, in efferatiſſimam verſi rabiem, ad unum membratim beatos illos conciderunt. Qui & lætitia incredibili perfuſi, ac proinde alacri vultu renidentes, omni cum actione gratiarum animas reddiderunt Domino, quippe non* B *ita pridem in votis habuerant reſolvi, & eſſe cum Chriſto. Corpora vero pluſquam tragicè cæſa, quum non paucos dies in humum disjecta ſine ſepulturæ beneficio jacuiſſent, ab Arabia illo uſque adproperavimus. Et quidem eximius abbas Nicomedes ſpectaculum illud miſerabile caſorum patrum contemplatus, deliquio animi concidit, atque illinc relatus mortuus prope eſt. Modeſtus præterea, & ipſe ſanctiſſimus, adventum noſtrum quum antevertiſſet, & ſanctorum illorum luſtraſſet prius habitacula omnia, itidem angore animi contractus, multis ſe proluit* C *lacrymis, ac ſancta quæ eatenus reſederant lipſana* (hoc eſt ſanctorum reliquias) *circumplexus in patrum ſuperiorum depoſuit conditoriis. Is ad hæc, ubi ſolennem perſolvit ex more ſermonem, &c. Unumquemque noſtrum hortari cœpit, ne quo emigraremus, loci illius noſtri deſertores, magis vero eas quæ imminebant tentationes generoſo pectore perferremus, Dominicæ illius memores ſententiæ, quia* anguſta eſt porta, & arcta via quæ ducit ad vitam, &c. *Hujus itaque admonitioni viſum eſt gerere morem, eoque* (ideoque) *in laura duos prope menſes* D *permanſimus.* Loquitur deinde de fuga illinc ad aliud monaſterium, & inde ad aliud, ac de aliis hinc inde diſperſis; & inferius iterum de monachis à Saracenis occiſis agens: *numerus,* inquit, *ſanctorum patrum, quos tyrannica ſuſtulit impreſſio, eſt quadraginta-quatuor. Horum memoria Maio menſe celebratur, decima-quinta menſis die.* Eorumdem Martyrum memoriam colit eccleſia in Martyrologio Romano die 16. Maii, his verbis: *In Palæſtina paſſio ſanctorum monachorum à Saracenis in laura ſancti Sabæ interfectorum.* Dum vero hi E coronabantur, quidam monachus Sinaïta modo terribili lapſus eſt. Rem ſic deſcribit idem Antiochus homil. 84. apud Baronium *ibid. n. 30. Fuit,* inquit, *in monte Sina monachus quidam, qui celebre adeo edidit ſuæ continentiæ ſpecimen, ut in cellula multos vixerit annos incluſus. Poſtremo multifariis revelationibus diaboli, & inſomniis illuſus, ad Judaïſmum delapſus eſt, & carnis circumciſionem. Quum igitur diabolus huic identidem vera quædam inſomnia demonſtraſſet, & veluti objecta illecebra*

ineſcaſſet illius obſcuratam mentem; noviſſime oculis illius objicit copioſam turbam apoſtolorum, martyrum, aliorumque omnis generis Chriſtianorum denſiſſimis tenebris, & omni dedecore oppletam; parte oppoſita, Moſen, Prophetas, populum quoque Judæorum, Deo alioqui inviſum, (ſermo eſt de Judæis nunc temporis) *offert ſplendida admodum luce conſpicuos, inque gaudio & hilaritate vitam traducentes. Hæc quum ſpectaſſet miſer, è veſtigio ſurrexit, derelictoque ſancto illo monte, in Palæſtinam uſque pervenit, rectaque conſcendit in Noara & Libyadem aſyla Judæorum. Quum* (vero) *iſtis denarraſſet quæ ſibi viſæ fuerant diabolicas apparitiones, circumciſus eſt, ac profeſſus Judaïſmum, accepit uxorem, inque omnium proſpectu adverſus Chriſtianos edidit dogmata, propugnator factus Judaïcæ ſuperſtitionis. Hunc ego vidi,* pergit Antiochus, *ac plerique monachorum, neque enim quatuor anni ſunt à morte illius qua miſere perruptus eſt. Catharri enim profluvium aliquando paſſus, & vermium arroſione contabeſcens expiravit. Hunc quum vidiſſemus ego & alii aliquot monachi, correpti timore, ingenti cum luctu lamentati ſumus. Erat id ſane quam miſerabile ſpectaculum. Vir hic totus incanuerat in monaſtica exercitatione, conſenueratque laboribus attritus, & is tandem cum mulieribus jocabatur, immundarum carnium, nempe Judaïcarum, guſtu ſe defœdabat, & inquinabat, verba loquebatur obſcena & impudica, blaſphemabat Chriſtum, Spiritum ſanctum non tolerandis afficiebat contumeliis: & hunc tamen illi ſine lege Judæi ſecundum vocabant Abraham.* Hæc Antiochus *to. 1. Bibl. Pat. Græc. p. 1161. & ſeq.*

Coſroes, ut dictum eſt, lignum ſanctæ crucis, quod Hieroſolymis ſervabatur, in Perſidem transtulit. Sed plane admiratione dignum illud fuit, inquit Baronius ſupra citatus, *num. 32.* impium hominem adeo eſſe reveritum ſalutis noſtræ trophæum, ut nec auſus fuerit ab ipſa theca, qua operiebatur, ſignaculum amovere, & clave aperire, ut vel illud inſpiceret; ſed timore perculſum, uti in ſacro ſancto templi loco aſſervabatur, eodem modo in Perſidem voluiſſe transferre, veluti demum intactum Hieroſolymam reportatum fuit: quod teſtatus eſt Modeſtus Hieroſolymorum Patriarcha, item quoque univerſus clerus eccleſiæ Hieroſolymitanæ. Tradit hæc omnia Suidas in Heraclio. Porro obſervat Baron. idem ad ann. 622. *n. 1.* ex quo ſancta Crux capta à Perſis fuit, & in Perſidem adſportata, hanc ſua potentia, imò ejus qui in ea paſſus eſt virtute, Romanis plures inſigneſque contuliſſe victorias; è contra vero Perſas reportatis plurimorum annorum trophæis admodum elatos depreſſiſſe, eorumque regem Coſroen horrenda morte mulctaſſe. Item ad

A annum 627. *num. 25.* Heraclio Imperatori crucis virtute datum, ut longè præclarius quam quivis ante Romanorum Imperator de victore Coſroë, qui & vinci poſſe non credebatur, triumphaverit, iteratis ſcilicet per annos ſeptem victoriis, quarum cauſa per annos ſingulos ſinguli erant ipſi decernendi triumphi.

Extat in chron. Alexandr. *pag. 398.* ad annum 18. Heraclii Imperat. Chriſti 628. epiſtola hujus Imperat. miſſa Conſtantinopolim de nece Coſrois, & pace inita cum B Syroë ejus filio, quæ lecta eſt die 15. Maii; in quem inciderat feſtum Pentec. Eo anno Paſcha occurrerat die 27. Mart. proindeque Pentecoſtes die 15. Maii. Eam quoque refert Pagius, *tom. 2. crit. annal. Baron.* ad annum 627. *num. 12. & ſeqq.* Sic incipit: *Decimooctavo anno imperii Heraclii, poſt Conſulatum 17. &c. 15. Maii menſis die, fer. 1. ipſo Pentecoſtes feſto, lectæ ſunt ex ambone in ſanctiſſima magna eccleſia litteræ miſſæ ex Oriente ab Heraclio piiſſimo Imperatore noſtro, quæ Coſroæ caſum, & inaugurationem Syroæ Perſarum regis* C *nuntiabant, hiſce verbis conceptæ. Exultate Deo omnis terra, &c. Lætentur cœli & exultet terra, & omnia quæ in eis ſunt. Et omnes Chriſtiani laudantes & benedicentes gratias agamus ſoli Deo, &c. Cecidit enim ſuperbus & perduellis Dei Coſroes. Cecidit, & præcipitatus eſt ad inferos, & deleta eſt de terra memoria ejus. Superbus ille & loquens iniquitatem in ſuperbia & contemptu adverſus D. N. J. C. verum Deum, & intemeratam ejus matrem benedictam Dominam noſtram Dei Genitricem ſemperque Virginem Mariam. Periit impius cum* D *ſonitu. Converſus eſt labor ejus in caput ejus, & in verticem iniquitas ejus deſcendit. Nam 24. Februar. præteriti menſis, prima Indictione, ſeditione in eum mota ab ipſius filio primogenito Syroë, quemadmodum in alia juſſione,* (id eſt epiſtola) *vobis expoſuimus, Perſarum omnibus proceribus ac univerſo exercitu, copiiſque ex variis regionibus conductis, ab execrando Coſroë ad partes Syroæ, cum Gurdanaſpa Perſici exercitus prius duce tranſeuntibus, idem Deo inviſus Coſroes, dum fugam meditatur, captus, vinctuſque in novum Caſtellum, ab ipſomet ad recon-* E *dendas ſervandaſque ab eo collectas pecunias extructum conjectus eſt. Vigeſima-quinta autem ejuſdem menſis Februar. Syroë coronato, & rege Perſarum inaugurato, ac 28. ejuſdem menſis quum Deo exoſus Coſroes quartum jam diem in vinculis, omnibus excruciatus doloribus, exegiſſet, ingratum illum, & perduellem Dei, ſuperbumque ac blaſphemum Coſroen acerbiſſimo mortis genere Syroes ſuſtulit, uti ſciret Jeſum ex Maria natum, & à Judæis crucifixum, quemadmodum ipſe ſcripſerat, & quem conviciis*

Digitized by Google

inceſſerat, omnipotentem eſſe Deum, illique retribuere, prout à nobis ipſi reſcriptum fuerat, &c. In alia autem à nobis data vobis juſſione, ex caſtris noſtris ad Canzaca, quæ continebant acta à 17. Octobris, uſque ad 15. Martii, ſignificavimus, quo pacto Deus, & Domina noſtra Deipara, nobis, Chriſtoque dilectis copiis noſtris ſuccurrerit, & quomodo in ipſo conſpectu noſtro Deo exoſus, & è tumulo refodiendus (ſive è ſterquilinio effoſſus, ut habet Pagius) *Coſroes à Daſtagerchoſate ad Cteſiphontem uſque fugam capeſſierit, ſuaque palatia amiſerit cum regni Perſici provinciis, ac denique hac ratione commovere adverſus illum ſeditionem Syroes potuerit. Poſt ſcriptam vero hanc noſtram juſſionem, eamque miſſam 15. die præſentis menſis Martii, dum quæ Coſroen inter & Syroen poſtmodum contigerint explorare ſatagimus, miſſis in varia loca, atque ad Siarſura, parvum Zabas, Chalcas & Jeſdem, utraque via, tum ex feliciſſimis caſtris noſtris, tum ex Saracenis pio noſtro imperio ſubjectis, ut quemadmodum præfati ſumus, motus qui ibi ſunt, certo reſciremus, adduxerunt ad nos excubitores in caſtra ad Canzaca Perſam unum, & alterum Armenium, à quibus porrecta nobis eſt epiſtola à quodam Perſarum ſecretario cui nomen eſt Coſdae & Axiamaranan, ad nos ſcripta, qua miſſum ſe ſignificabat à Syroë in Perſarum regem proclamato, cum aliis proceribus, & ipſius Syrois ad nos litteris: quumque ad Arman perveniſſet, viſum ſibi eſſe ut duos iſtos viros ad nos mitteret, quo viciſſim ſeque ac ſocios tutos incolumeſque deducerent, à nobis mitterentur. Ut autem illum ſibi timere intelleximus, ex eo quod in itinere multa Perſarum cadavera, eaque uſque ad tria circiter millia à feliciſſimis copiis noſtris interfectorum verſus Narban videret, abſque conductoribus nos convenire vereretur: 25. ejuſdem Mart. menſis ad illos miſimus glorioſiſſimum magiſtrum militum Eliam cognomento Barſoca, & magnificentiſſimum Theodotum Drungarium, cum delecta juventute, ac viginti equis dextrariis ſella inſtructis, qui illis occurrerent, eoſque ad nos deducerent, &c. Ut vero duos illos viros à Syroë Perſarum rege miſſos recepimus; alterum ex iis, Perſam ſcilicet, una cum aliis ad Bariſmanem Canzacorum* (præpoſitum) *qui à quadraginta milliaribus aberat, & in munitum caſtellum ſe recluſerat miſimus, datis ad illum litteris, quibus mandabatur, uti equos ſeptem pro Legatis pararet, quo expedite ac ſine ullo impedimento ad Syroen regem poſſent proficiſci. Bariſmanas vero .... & qui tum cum illo aderant, nos, & Syroen Perſarum regem, per multas horas, fauſtis acclamationibus laudibuſque proſequuti ſunt. A Legato quippe illo Perſa, perduellem Dei Coſroen periiſſe, regemque Syroen proclamatum certiores erant facti. Reſcripſit deinde nobis*

A *idem Bariſmanas, equos ſe, ſicut à nobis mandatum fuerat, inſtruxiſſe, & quum alteram noſtram juſſionem acceperit, qua legatorum adventus ſibi ſignificaretur, ſe quam primum ad nos acceſſurum, equiſque confeſtim adductis, officia ſua ſervitiaque omnia præſtiturum. Quum igitur in iiſdem ad Canzaca poſitis caſtris eſſemus morati uſque ad 3. menſis Aprilis diem, qui in Dominicam incidit, advenit Phaiacus regi à ſecretis, qui & Rharna vocabatur, circa horam ſecundam, eumdemque hac ipſa hora excepimus, litteris à Cabata Syroë clementiſſimo Perſarum rege, quæ*
B *ejus inaugurationem continebant, quibuſque nobiſcum, & cum quovis hominum, pacem habere velle ſignificabat, ab illo acceptis. Viſum ergo nobis eſt clementiſſimi Cabatæ Syrois litterarum exemplar huic noſtræ ad vos juſſioni ſubjungere, ut & quid ad illas deinde reſcripſerimus. Manſimus vero eodem in loco caſtrorum Canzacis vicinorum uſque ad ſeptimum Aprilis, hoc eſt 27. dies. Octavo autem ejuſdem menſis eumdem Phaiacum à ſecretis, Rharnam appellatum, honorificè, quantum licuit, acceptum, ut & qui cum illo erant, dimiſimus, &c. Atque ita confidimus*
C *D. N. Jeſum-Chriſtum bonum & omnipotentem Deum, & Dominam noſtram Dei genitricem, res omnes noſtras ſecundum eorum clementiam curaturos. Nos porro ejuſdem menſis die 8. Deo auſpice, caſtra movimus, in Armeniam iter facturi. Vos autem bene valete, continuaſque ac indefeſſas orationes ad Deum fundite, quo, ſicut peroptamus, vos quam primum reviſere nobis largiatur.* Huic Heraclii epiſtolæ ſubditur in eodem chron. Alexandr. *pag. 402.* pars epiſtolæ Syrois ad Heracl. Titulus eſt; *Exemplar commonitorii à Cabata, qui & Syroes dictus eſt,*
D *clementiſſimo rege Perſarum, miſſi ad Heraclium piiſſimum & à Deo ſervatum noſtrum Imperatorem. A Cabata Sadaſadaſac, Heraclio clementiſſimo, & à Deo ſervato Imperatori Romanorum, fratri noſtro, plurimam gratiam imperſimur. Clementiſſimo Imperatori Romanorum, & fratri noſtro. Nos Dei providentia abſque ullo labore inſigni diademate donati, patrum ac majorum noſtrorum ſolium ſumus conſequuti. At quum tam beneficè ab ipſo Deo nos dignatos agnoſcamus, ut illuſtrem adeo thronum excepimus ac dominationem, ſi quid eſſet quod*
E *humani generis utilitati ac ſolatio conduceret, quantum in nobis fuit, & prout decuit, id continuo fieri liberaliter beneficeque imperavimus. Quandoquidem igitur ad ſummam hanc dignitatem & imperium nos Deus evexit, id protinus in animo ſtatutum fuit, ut quotquot homines detinebantur in vinculis, dimitterentur. Sed & ſi quid erat quod humanæ conditionis ac hujuſce vitæ utilitati ac commodo fructum afferret, nobiſque ſtatuere liceret, id fieri non modo præcepimus, ſed & confectum eſt. Quin etiam nobis deliberatum*

Digitized by Google

deliberatum eſt ac conſtitutum, uti vobiſcum, Romanorum Imperator, frater noſter, cumque Romana republica, cæteriſque populis, aliiſque Regulis qui circa imperium noſtrum undique habitant, pacem & amicitiam deinceps colamus. Quod autem fraternitas veſtra, Romanorum Imperator, affectam ſe gaudio dixit, quod nos eumdem thronum obtinuerimus .... Cætera, inquit Carolus Du Cange, præ vetuſtate deſiderantur in mſ. codice.

Periit itaque Coſroes, juſto Dei judicio, manu Syrois filii ſui natu majoris, anno Chriſti 628. die 28. Februar. Quum enim Seleuciæ in dyſenteriæ morbum incidiſſet, operam dedit ut ſibi ſuccederet Medarſes alter filius ſuus, quem ex Syra dilecta conjuge ſuſceperat. Quod ubi comperit Syroës, cum optimatibus regni egit, ut de mundo pater tolleretur, uſus etiam ad hoc Romanorum auxilio. Coſroes quidem fugere tentavit, ſed captus eſt, valide vinctus, & miſſus in domum tenebrarum, quam recens ipſe ad recondendas pecunias extruxerat. *Aiebat quippe Syroes,* inquit Theoph. *pp. 271. & 272.* & apud Baron. ad annum 627. n. 17. *comedat aurum quod incaſſum collegit, propter quod etiam multos fame necavit, mundumque delevit. Miſit inſuper ſatrapas ad eum injuriis impetendum & conſpuendum; adductum etiam Mardazanem,* ſive Medarſen, *quem coronare volebat filium ejus coram ipſo occidit, & reliquos filios ejus in conſpectu ipſius è medio ſuſtulit: & permiſit omnibus qui inimici ejus eſſent, ut omni injuriarum genere eum afficerent, ac verberibus onerarent. Denique per quinque dies hoc facto, juſſit Syroes ipſum ſagittis confodi, quo in ſupplicio vitam finivit.* Sic potitus regno Syroes, non immemor pacis quam cum Heraclio inierat, Romanos omnes captivos libertate donavit, inter quos fuit Zacharias Patriarcha, quatuordecim fere annis ex quo in Perſidem ductus fuerat, & ſacroſanctum crucis lignum reſtituit. Anno ſeq. qui Heraclii decimus-nonus erat, Chriſti 629. *Is recedens Conſtantinopoli,* inquit Theophanes *pag. 273.* & apud Baron. ad annum 628. *n. 1. ipſo veris initio proficiſcitur Hieroſolymam, precioſa ac vivifica crucis ligna reportans ad gratiarum actiones reddendas. Quumque Tiberiadem adiiſſet, accuſavere Chriſtiani hebræum quemdam nomine Benjamin, quaſi ſibi mala facientem: erat enim admodum opulentus, qui ſuſceperat Imperatorem & exercitum ejus. In eum commotus Imperator ait: cur moleſtus es Chriſtianis & fidei Chriſtianæ quam colo! eumdemque admonitum ut crederet, redditumque Chriſtianum, in domo Euſtathii Neapolitani, ita nunc Samaria* (vel potius *Sichem*) *dicitur, baptizari voluit; apud eum enim Imperator eſt hoſpitatus. Ingreſſus deinde Imperator Hieroſolymam, reſtituto jam Zacharia Pontifice, venerandæ crucis vivifica ligna in proprium locum repoſuit, plurimaſque Deo egit gratias: quin & pulſis Judæis ab urbe ſancta, ne ad tertium uſque milliarium ei appropinquarent diſtrictè prohibuit.* Ad eam occaſionem revocandum, quod legitur in Breviario Romano die 14. Septembr. exaltationis ſanctæ Crucis memoriæ conſecrata, ſcilicet quum Heraclius auro & gemmis ornatus lignum Crucis reportaret, ipſum inſiſtere coactum ſub porta qua ad Calvariæ montem erat iter; monitumque propterea à Zacharia, ut eo veſtitu depoſito, humiliorem aſſumeret, paruiſſe Imperatorem, & reliquum viæ citra ullam difficultatem confeciſſe. Suidas refert Modeſtum fuiſſe Hieroſolymitanum Patriarcham, quando Heraclius Crucem ſanctam in priſtinum locum repoſuit, quaſi jam tunc deceſſiſſet Zacharias, ſed Theophani qui illo antiquior fuit, potius credendum eſt. Non tamen diu ſupervixit Zacharias. Nicephori catalogus ei viginti duos annos regiminis tribuit, qui ab anno 609. ad 631. recte computantur, ita ut obierit eo anno 631. Addit Papebrochius, *tract. prælim. ad to. 3. Actor. ſanctorum Maii, p. 31. n. 137. col. 2.* vitam ejus extendi poſſe uſque ad annum 633. ſi ſucceſſor ejus Modeſtus uno ſolum anno aut biennio non integro ſedem tenuerit. Verum hi 22. vel, ut Latinæ quædam catalogi Nicephori tranſlationes habent, 24. Zachariæ epiſcopatus anni, perperam omnino ibidem revocantur ad tempus quod ejus captivitatem præceſſit. Colitur Zacharias in Menæis Græcorum die 21. Februar.

LVII. Modestus.

Zacharia Hieroſolymitano Patriarcha abducto in Perſidem anno Chriſti 614. circa menſem Junium, ut ſupra dictum eſt, ne paſtoris regimine hæc eccleſia careret, ejus adminiſtrationem ſumpſit (ad id deſignatus procul dubio ab ipſo Zacharia ſuus per abſentiam vicarius, ac de conſenſu epiſcoporum provinciæ qui captivitatem effugerant) Modeſtus, de quo Antiochum in epiſtola jam citata loquutum vidimus. Is præpoſitus erat col. 2521 monaſterii ſancti Theodoſii in Palæſtina, ex Papebroch. *tom. 2. Mart. ad diem 11. n. 24. pag. 68. col. 2.* quando hæc ſedis Hieroſolymitanæ cura ei commiſſa eſt: inſignitum propterea epiſcopali charactere, licet expreſſe non tradant auctores, illum vix inficias iverit, qui eumdem, vivente adhuc Zacharia, Hieroſolymorum præſulem interdum nominari adverterit. Ea itaque adminiſtratione auctus, nominato in prædicti monaſterii abbatem Georgio, magno ardore, non iis tantum quæ

Digitized by Google

ad ſpiritualem animarum profectum, & monachorum inprimis requiem attinebant proſpexit, ſed inſuper quaſi alter Zorobabel, in reſtaurandis ædificiis, ac templis, quæ igne conſumpta fuerant, adverſantibus licet tota virtute Judæis, Perſiſque tyrannicam actu exercentibus in Palæſtina dominationem, quod impoſſibile videbatur, ſtrenuam nihilominus admovit operam. Monachorum qui à Saracenis immaniter trucidati fuerant exe- *col. 252.* quias celebraſſe jam obſervavimus, narrante Antiocho, qui ſic proſequitur in eadem epiſtola *pp. 1023. 1024.* & apud Baron. ad ann. 616. *nn. 5. & 6. Nos proinde humiles & abjecti, gratia primum Dei, deinde ſeria admodum & accurata diligentia præmemorati ſanctiſſimi Modeſti, ſedentariam hanc exigimus vitam in liberiore & tranquilliore otio.* Et rurſus; *gratia item Chriſti, ſed & ſolerti ſedulitate jam dicti venerandi apprime Patris noſtri Modeſti, cuncta id temporis incoluntur effuſa iſtius eremi monaſteria.* Et paulo-poſt: *ſuperſunt nuncia aliquot ſane quam læta, quorum fideli relatu, & veſtra, & omnis ſinceriter Chriſtiani anima merito poſſit exhilareſcere. Hæc igitur ex promptu & alacer annuncio vobis: Modeſtus ſanctitatis eximiæ vir, (de quo non ſemel dictum) non eorum modo providam gerit curam ſollicitus, quæ per hanc vaſtam eremum ſparſim disjecta ſunt monaſteriorum, ſed & moderandæ huic civitati, ac univerſæ circumſinitimæ regioni ſolerter proſpicit, Deo eidem cooperante in omnibus. Hic enim ad vivum nobis exprimit imaginem novi cujuſpiam Beſeelis, aut certe Zorobabelis. Gratia enim plenus Spiritus ſancti, templa Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti, quæ quidem barbarico igne conflagrarunt, in ſublime erigit omni inprorſus digna veneratione, puta ædes ſanctæ Calvariæ, ac ſanctæ reſurrectionis, domum inſuper dignam omni honore venerandæ Crucis, quæ Mater eccleſiarum eſt; ſed & ſanctæ Aſſumptionis ædem à fundamentis exædificat: adeo ut per hæc læta initia, de futuris quoque ſpes ampliſſimas concipiamus, idque vel ob eos maximè qui huc ſperantur venturi ab externis regionibus ſancta hæc loca ut adorent, ut omnes in commune glorificemus Deum.* Hæc Antiochus. Papebrochius vero *tract. prælimin. in tom. 3. actorum ſanctorum menſis Maii, p. 31. num. 136. col. 1.* poſtquam retulit verba quædam epiſtolæ Zachariæ in Perſide captivi ad *col. 250.* populum Hieroſolymitanum, quæ nos ſupra de Zacharia agentes ex ipſo adduximus, ſubdit: Hanc epiſtolam, prolixiori alia, planeque ad movendam compunctionem efficaci, ad omnes fideles exhortatione proſequitur Modeſtus Zachariæ vicarius; & tanquam ſuum teſtamentum condens, omnis conditionis, ætatis ac ſexus fideles officii ſui admonet,

A incipiens ab triſtibus iis quæ reſidui in urbe ſancta fideles, poſt Crucem, Patriarcham & cæteros abductos, viderunt. Laudat in primis Nicodemum ac conjugem Magdalenam, *qui poſtquam hoſtes exiiſſent atque in Perſidem rediiſſent, totam circum urbem ac vicos luſtrantes, fratrumque relliquias inſepultas jacere conſpicientes, projecta ſparſim cadavera coacervarunt in ſpecum, quæ eſt ante portam, ad ſexaginta quinque millia.* Et ab iis exquiri jubet, *qua forma atque habitu inveniebantur ſolo ſtrati beati illi qui ſub id tempus meruerunt Hieroſolymis* B *occidi. Quo modo* ſcilicet, *alter à capite ad cor uſque vulnus acceperat, alter ab humeris ad uſque ventrem, alius quinque vel decem ictus in inteſtinis habebat, alius diſſectus medius inque duo diviſus erat, alii ventre enſe perfoſſo inteſtina omnia effuſa fluebant, alium, ovis inſtar in macello, diri carnifices in fruſta pluta conciderant, &c.* A Modeſto S. Anaſtaſius Perſa, qui recens fidem Chriſti amplexus fuerat, baptiſmum ſuſcepit Hieroſolymis, ut refert hujus temporis ſcriptor in actis ejus, quæ in ſecunda ſynodo Nicæna propoſita ſunt. Extant C apud Baronium ad annum 614. *nn. 35. & ſeqq.* ex Metaphraſte ſumpta; ſed quæ ipſe ſumpſit ex actis illis vetuſtioribus in ſynodo Nicæna ſecunda allatis, & à Boll. recenſitis ad diem 22. Januar. Hæc autem ex Baronio tranſcribo. *Quum magna civitas Hieroſolymorum capta fuiſſet à rege Perſarum, & ſacra illa loca, quæ mei Chriſti viderant converſationem & cruci affixionem & reſurrectionem, Medorum lanceæ & igni, iis quos ipſe novit modis, eſſent tradita: & multa alia capta ſunt cum civitate; & ſalutis quoque noſtræ trophæum,* D *mortis ſolutio, peccati internecio, lignum, inquam, vivificæ crucis illinc tranſlatum eſt in Perſidem, &c.* (hæc ſancta Crux) *Perſidem evertit, & ſpoliat falſam religionem, & quæ ſe dignæ erant captivas abducit animas vere laudabili & longe pulcherrima captivitate: aut, ut magis proprie dicam, à captivitate vocat, & eis rurſum priſtinam reſtituit libertatem. Simul ac enim ingreditur Perſidem, eam ſtatim totam illuſtrans radiis ſuæ gratiæ, ferit quidem animas infidelium, non ſecus ac ſol, qui laborantem oculum ingreditur: fideles autem, non ſecus ac* E *fulgor quidam apparens in tenebris, revocat. Ex quibus fuit unus.... Anaſtaſius, etſi nondum quidem cultu* (fidelis) *ſed jam moribus & inſtituto: qui proceſſit è vico qui vocabatur Raſnuni.... in Perſide. Erat autem nomen ejus.... Magundat.... Bau filius* (fuit) *qui erat in re magica præſtantiſſimus & eruditiſſimus.* (Bau autem) *quum præeſſet communi ludo litterario, & multos haberet adoleſcentes ad eum ventitantes, captus amore præſtigiarum, quum in hoc ſolum omne ſuum ſtudium poneret.... rem magicam*

Digitized by Google

(filium) *tam diligenter docet, ut in ejus cognitione patri nihil eſſet reliquum, quod non notum quoque eſſet filio. Quum autem adoleſcentiæ ætatem jam attingeret, & rex Coſroës novum exercitum in Perſide colligeret, ipſe quoque cum aliis refertur in numerum tironum. Quoniam vero veneranda Crux Domini totam agitabat & perturbabat Perſidem; infidelibus quidem horrorem & terrorem incutiens, fidelibus autem ſuaviter admodum & placide illuceſcens: de ea quidem fama quædam per omnes pervadebat, fama, inquam, quæ paulo craſſius & indoctius prædicabat, Chriſtianorum Deum adeſſe Perſis. Ad quam hic adoleſcens repente fuit accenſus animo: jam enim occulte eum tangebat ille ignis quem Chriſtus venit jacere ſuper terram, qui quidem non ſinebat quieſcere pulchram illius adoleſcentiam, ſed ſtatim omnes obibat partes, de eo ſciſcitans, quam vehementiſſime poterat, & diligentiſſime. Quum audiret autem ab omnibus eam eſſe crucem in qua Chriſtus Dei Filius, qui à Chriſtianis adoratur, fuit crucifixus: veluti ignem igni adjecit, & quæſtioni conjunxit quæſtionem, & ex reſponſione accepit occaſionem alterius interrogationis; & multo magis ſitiebat diſcere, quemadmodum ex cœlo deſcenderit, quum ſit Deus, & quemadmodum etiam factus ſit homo, & cur etiam ſit ad crucem condemnatus, & à quibus, & an ſit ad cœlum reverſus unde deſcenderat. Quum autem à* (viris) *piis ei annunciaretur carnis ſuſceptæ.... myſterium, aures quidem pietatis ſemina libenter ſuſcipiebant, anima vero producebat ſenſim ſpicam fidei, & ei deſiderium paulatim innaſcebatur, ſubibatque æmulatio ejus perpeſſionum: quæ quum in ejus anima aucta & amplificata eſſent, eum informant & inſtituunt ad optimum vitæ genus, clarumque & inſignem teſtem, martyrem, inquam, efficiunt, ut jam procedens declarabit oratio.* Hæc poſt Surium Baronius, qui addit deinde quomodo ille Anaſtaſius amore ſuſcipiendi baptiſmatis, relicto Perſarum exercitu, ſe contulerit ad Romanorum copias, & Hierapolim perrexerit, ubi apud argentarium degens genere Perſam ſed religione Chriſtianum, latius myſteria Chriſtiana didicerit, incenſus quoque fuerit ad ſubeundum martyrium ex martyrum certaminibus quæ parietibus templorum intuebatur depicta; demum Hieroſolymam profectus fuerit. Hæc, inquam, ſic narrat ex iiſdem actis, ad ann. 621. *n. 10. & ſeqq. Primum quidem* (poſt fugam ad Romanos) *quum veniſſet Hierapolim, divertit ad quemdam Perſam Chriſtianum, arte argenti conflatorem, & quum artem conflandi argenti exercuiſſet, manus quidem habebat intentas operi, animus autem ſemper & cogitatio in Dei amore verſabatur.... eumque ſibi adhuc magis accendebat, & ab ipſo rurſus inflammabatur*

A *vehementius. Quamobrem Deum rogabat.... ut divinum baptiſmum conſequeretur, & omnino à prioribus ſordibus expurgaretur, & ab illa labe præſtigiarum; ut non ſolum voluntate & electione, ſed anima quoque & corpore eſſet purgatus.... Quum ille autem ex Perſis timeret periculum, & ideo morando rem differret.... interim ad divina templa adiens ſuum ſolabatur deſiderium, viſis vero miraculis & certaminibus ſanctorum deſcriptis in templorum, quæ cum ſocio ſuo argenti conflatore frequenter viſitabat, parietibus; de iis illum diligenter interrogabat. Quum itaque* B *audiviſſet, qualis eis vita* (fuiſſet, qui) *mores,* (quæ) *virtus, & qualia propter Chriſtum* (ſubiiſſent) *certamina.... non poterat amplius continere id quod ſuus animus parturiebat, ſed ſtatuit pergere Hieroſolymam, ut baptiſmum illic conſequeretur. Venit ergo in ſanctam civitatem, & ad quemdam ſe recepit argenti quoque conflandi peritum. Ei aperit cauſam ſui adventus, nempe quod vellet ad verum Dei cultum per baptiſmum initiari. Ille autem eum ducit ad Eliam ſanctæ reſurrectionis piiſſimum preſbyterum, qui eum ſupinis* (ut dicitur) *manibus ſuſ-* C *cepit, & de eo retulit ad Modeſtum qui huic ſedi præerat apoſtolicæ* (Zachariæ ſcilicet captivi vicem gerens, in Græco ὁ τοποτηρητὴς *locum-tenens,* inquit Papebrochius ſupra citatus) *& ſic divinum baptiſmum aſſequitur, venerandæ crucis vere pulcher fructus effectus, & Anaſtaſius appellatus, ſumpta denominatione à revocatione & ad meliora mutatione à priori infidelitate & præſtigiis,* (quæ fuerit quaſi reſurrectio à morte ad vitam.) *Una etiam cum eo baptizatus eſt quidam ejuſdem patriæ & regionis, qui fuit ejus quoque in paſſione pro* D *Chriſto ſocius, eaſdem cum eo Edeſſæ conſequutus coronas.* Anno ſiquidem Chriſti 628. die 22. Januarii, quinque duntaxat hebdomadibus & duobus diebus ante Coſroïs obitum, ejuſdem juſſu, hic Anaſtaſius, qui pluries jam anno ſuperiori Chriſti fuerat confeſſus fidem, Cæſarea Palæſtinæ, ad eumdem Coſroen miſſus, magna animi alacritate, dira perpeſſus tormenta, martyrium tandem cervicis abſciſſione conſummavit: de quo legendus Baronius ad annum 627. *num. 3. & ſeqq.* ubi *num. 1.* acta ejuſdem Anaſtaſii conjicit E ſcripta fuiſſe, vel ab Antiocho monacho, vel à Sophronio qui Modeſto in ſede Hieroſolymitana ſucceſſit. Bollandus tamen *tom. 2. actorum ſanctorum menſis Januarii,* ad diem 22. *pag 422. n. 4.* ſibi videri ait, auctorem vitæ hujus Martyris, fuiſſe aliquem monachum cœnobii. in quod ipſe poſt baptiſmum ſeſe receperat, & vitam monaſticam amplexus anno Chriſti 620. annos ſeptem commoratus eſt: quod infert ex his hujus auctoris verbis *num. 13.* ejuſdem vitæ. *Hoc*

autem ſcimus nos eum mirantem & obſtupeſcentem conſtantiam ſanctorum, nihil fere aliud legere voluiſſe, niſi quod illum ſancti deſiderii ardorem nutriret. Zachariæ mortuo anno Chriſti 131. vel 133. ſubſtitutus eſt Modeſtus, qui tanta cum laude hanc eccleſiam per quatuordecim fere annos, dum Zacharias Patriarcha detineretur captivus in Perſide, adminiſtraverat; eam vero dignitatem in plenum ſortitus brevi tempore ſediſſe perhibetur. Papebrochius enim *in tract. prælim. ad tom. 3. Maii ſæpius recenſito, pag. 31. n. 138. col. 2.* obſervat à Nicephoro, cui membrana Rulæana conſentit, annum unum regiminis, (utique à morte Zachariæ, cui ex Perſide reverſo adminiſtrationem ſibi delegatam reſtituerat, vel quam fortaſſis ſub illo, ex ipſius conſenſu, exercere perrexerat) aſſignari; duos vero annos ab auctore tabularum Theophani inſertarum: ſed niſi deceſſor ejus Zacharias, inquit, pluſquam 22. annos poſt ſuam ordinationem vixerit, nec hi ſufficiunt; quum certo conſtet ſucceſſorem ejus Sophronium menſis Maii quarta die, Indict. ſexta, id eſt anno 633. interfuiſſe ſynodo Alexandrinæ adhuc privatum monachum, ibique exorſum ſua contra monotheliſmum naſcentem certamina, deinde cum litteris Cyri Patriarchæ Alexandrini iviſſe Conſtantinopolim, ad urbis archiepiſcopum Sergium; adeo ut multum ſit, ſi ante autumnum reverti potuerit in Palæſtinam. Hæc conſiderans aliquis, proſequitur Papebrochius, & quomodo jam inde à capta ſub Coſroë Hieroſolyma Patriarchæ vices geſſerit Modeſtus, fortaſſis volet opinari quod primus iſtius catalogi auctor qui in Sophronio terminatur nullos ei annos definiens, voluerit totum tempus quo patriarchatum adminiſtravit Modeſtus, eidem ut vero Patriarchæ adſcribere, notatis græcè annis κα', id eſt, 21. quod alii non intelligentes, nimiumque eſſe videntes (ſiquidem poſt Zachariam brevi ſatis tempore ille Modeſtus vixit) omiſſo κ', retinuerint α', facile annos 21. reperturi, ſi numerare illos voluiſſent ab exeunte Maio (vel initio Junii) anni 614. (quo capta eſt à Perſis Hieroſolymitana civitas) ad menſem Decembrem anni 634. Sed nihil neceſſe erit huc recurrere, ſi Zachariæ velimus annos 24. relinquere. Tunc enim à Martio anni 633. uſque ad Decembrem anni ſequentis, dici poteſt ſediſſe Modeſtus. Dico, uſque ad Decembrem, quia tali menſe die 16. colunt ipſum Græci annua commemorat. in Menæis. Ita Papebrochius citatus. Eutychius Alexandrinus ſcribit Modeſtum ſediſſe novem menſes, & poſt ejus mortem manſiſſe cathedram Hieroſolymitanam ſex annis ſine Patriarcha. Hæc quidem ſex annorum vacantia vera non videtur: nam ab anno 631. quo Zacharias deceſſit, uſque ad 634. quo Sophronius ordinatus eſt Hieroſolymorum epiſcopus, ſex profecto anni non occurrunt, ſub quorum etiam duratione Modeſti patriarchatus fluxit unius anni vel duorum. At aliquam interceſſiſſe vacantiam, à Modeſti obitu uſque ad Sophronii inaugurationem, ſuadent quædam Martini I. Romani Pontif. verba inferius referenda, quæ leguntur in epiſtolis ejus ad Joannem Philadelphiæ epiſcopum, & ad Pantaleonem; ſcilicet viros aliquos *ante Sophronii Patriarchiam*, item *poſt ejus deceſſum,* non convenienter fuiſſe electos in epiſcopos, vel preſbyteros, &c. Præter Modeſti epiſtolam de qua ſupra, monet Pagius *to. 2. crit. annal. Baronii* ad annum 633. *num. 6. pag. 801. col. 1.* adhuc ſupereſſe duas ejus orationes: unam, *in mulieres unguentiferas;* alteram, *in Occurſum:* quæ recitantur à Photio in Biblioth. codice 275. Alia quoque oratio extare dicitur, ſub ejuſdem Modeſti nomine, in codice 274. Coiſliniano, *part. 2. pag. 389. de dormitione Deiparæ Virginis.* *col. 260.*

LVIII. Sophronius.

Hunc Sophronium aliqui Hieroſolymitanæ eccleſiæ epiſcopum ſexageſimum-ſecundum dicunt, veroſimiliter quod nonnullos hujus eccleſiæ antiſtites, qui ei bis aut amplius præfuerunt, ut ſunt Narciſſus, ſanctus Cyrillus, & Macarius II. pluries quoque recenſeant. Menæa Græcorum à doctiſſimis Godefrido Henſchenio & Danièle Papebrochio actorum ſanctorum editoribus relata, *to. 3. Mart.* ad diem 11. *pag. 72. col. 1.* eum ſcribunt ex Phœnice thurifera & urbe Damaſco originem traxiſſe, pios & frugales fuiſſe parentes ejus, quorum nomen erat, patris quidem *Plintas,* matris vero *Myro.* Sacrarum litterarum ſtudium in eo ingens extitiſſe, inſignem quoque peritiam in provectiore ætate aſſequutum, ac dialecticam fortaſſis & rhetoricam ipſum docuiſſe, priuſquam monaſticæ diſciplinæ vacaret, indicare videtur honorifica quæ illi nonnunquam tribuitur *Sophiſtæ* appellatio. Hoc eum titulo donat Joannes Moſchus in Prato ſpirituali, quod una cum illo ſcripſiſſe Sophronius creditur, ut-pote ſæpius individui comites, unde & ſub Sophronii nomine illud opus citatur, tum à S. Joanne Damaſc. in fine libri quem pro imaginibus conſcripſit τὸ λειμωνάριον τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Σωφρονίου ἀρχιεπισκόπου Ἱεροσολύμων, *Pratum ſancti Patris noſtri Sophronii archiepiſcopi Hieroſolymorum:* tum à Stephano monacho, qui actu quarta ſynodi ſecundæ Nicænæ legit è *Prato ſancti Patris noſtri Sophronii,* ea quæ ad verbum,

Digitized by Google

cap. 45. Prati ſpiritualis continentur. Cum A Joanne Moſcho amicitiam in Ægypto iniit dum uterque adhuc vita ſæculari fungeretur. Plura ſimul inviſerunt Orientis monaſteria: & tandem in cœnobio ſancti Theodoſii in Palæſtina uterque Deo ſeſe arctius conſecravit. Quid Alexandriæ ſpeciatim egerit Sophronius, partim ex *capp. 77. 110. 111.* aliiſque Prati ſpiritualis diſcimus, partim ex libro quem ipſe ſcripſit de SS. Cyro & Joanne qui die 31. Januar. coluntur, quorum precibus ab ægritudine oculorum liberatus fuerat, & partim ex vitæ ſancti Joannis Eleemoſynarii B auctore Leontio, qui apud Boll. *tom. 2. Jan. die 23. n. 60.* ait: *Miſit ei Deus viros ſapientes & ſemper memorandos Joannem* (Moſchum) *& Sophronium; conſiliarii enim erant veraciter boni, quibus & tanquam patribus indiſcretè obediebat, & gratias agebat tanquam conſtantibus maximè & viriliter agentibus militibus pro pietate religionis. Etenim ſancti Spiritus virtute freti, cum Severianitis ac cæteris circa regionem noſtram exiſtentibus immundis hæreticis, ſapientia ſua ac diſputationibus pugnas habentes & conflictum, multa quidem caſtella,* C *pluresque eccleſias, ſimiliter & monaſteria ab ore talium beſtiarum, tanquam boni paſtores, evellere ſtuduerunt: propter quod & maximè plurimum honorabat ſanctos hos ille vere ſanctiſſimus.* De hujus Joannis laudibus Joannes Moſchus & Sophronius nonnihil ſcripſere; nam idem Leontius *num. 2.* hæc habet: *Jam quidem & alii ante nos de hoc admirabili viro & ſummo ſacerdote Joanne* (Eleemoſynario) *philoſophati ſunt, potentes exiſtentes in opere & in ſermone. Dico enim Joannem & Sophronium Dei cultores, & amatores virtutum, &* D *pietatis propugnatores. Attamen quamvis tales eſſent, de dignitate & merito viri iſtius multa omiſerunt.... Deinde vero quia ſapientes & potentes in opere & ſermone, amatores hiſtoriæ erant, ſapienter & ſublimiter materiam depinxerunt.* Addunt Menæa *in ejuſdem S. Joannis obitum Sophronium, de immenſo ipſius eleemoſynarum theſauro, excellentiſſimaque virtute, funebrem ſcripſiſſe laudationem, ejuſque multis lacrymis mortem eſſe proſequutum.* Cyprum deinde & Romam iviſſe Sophronium, cum Joanne Moſcho, poſtquam Perſæ Jordanis E loca, Palæſtinam, urbemque ſanctam depopulati ſunt, veroſimile eſt. Romæ quidem Joannes ſenio confectus deceſſit: Sophronius vero in ſuum cœnobium S. Theodoſii reverſus ſcriptis quibuſdam edendis operam dedit, inter quæ numeratur vita S. Mariæ Ægyptiacæ, hanc enim ab illo fuiſſe compoſitam Nicephorus tradit *lib. 17. hiſt. eccl. c. 5.* His etiam fortaſſe temporibus, typico ſeu ordini divini officii recitandi inſtaurando, & in meliorem formam redigendo manus admovit: referunt quippe Henſchenius & Papebrochius ſupra citati, ad diem 11. Mart. *n. 25.* & Pagius *to. 2. crit. annal. Baronii* ad annum 636. *nn. 3. & 4. pag. 812. col. 1.* ex Allat. *in diſſert. 1.* ubi de libris eccleſiaſticis Græcorum loquens, hæc verba adducit Simeonis Theſſalonicenſis archiepiſcopi, qui ante annos ſexcentos floruit, in dial. contra hæreſes hactenus inedito: *Et hæc quidem conſtitutio quam maxime neceſſaria, & patribus convenientiſſima eſt: etenim ſanctus P. N. Sabas eam præſcripſit à S. Euthymio & Theoctiſto acceptam. Hi porro à majoribus, & homologeta Charitone deſumpſerunt. Sacri vero Sabæ conſtitutionem, ut audivimus, locis illis* (nempe Palæſtinarum) *irruptione Barbarorum* (Perſas intelligit qui anno 614. Hieroſolymam expugnarunt) *vaſtatis deperditam ſanctus P. N. Sophronius ſanctæ civitatis Patriarcha ſtudio laboreque reſtituit: & poſt eum rurſus divinus & rebus theologicis pertractandis acerrimus Joannes Damaſcenus renovavit, ſcriptoque demandatam tradidit.* Eidem quoque Sophronio tribuit Pagius Menæorum Græcorum accuratiorem collectionem. Et hæc quidem diu in ſola Hieroſolymitana eccleſia fuere uſurpata: poſtea vero, *reliquis aliarum eccleſiarum ritibus obmuteſcentibus,* inquit Allatius, *ille qui ſancti Sabæ fuiſſe dicitur, uti melior, & rebus accommodatior, ideoque plauſibilior apud Græcos invaluit; quo non tantum qui S. Sabæ regulis nomina dedere, ſed cæteri etiam aliorum ordinum ſectatores, & ſacerdotes in ſæculo vitam agentes, & quod maximum eſt, univerſa fere Græcia, ad recitanda divina officia, diriguntur.*

Verum ad præclariora adhuc pro eccleſia opera vocatus à Deo Sophronius naſcenti Monotheliſmo acriter reſtitit: ſynodo quam Alexandriæ Cyrus Patriarcha ad hanc ſtabiliendam hæreſim *menſis Maii 4. die Indict. VI.* congregavit, id eſt anno Chriſti 633. quamvis tunc eſſet duntaxat monachus interfuit: ait quippe S. Maximus in epiſtola ad Petrum illuſtrem *to. 2. p. 75. col. 1. Divinus Sophronius in Afrorum regione mecum, & cum omnibus peregrinis monachis moras agebat, quum ipſi perverſitates illas fabricarent adverſus omnes.* Et paulo-poſt *col. 2. Divinus ergo magnuſque Sophronius tunc Alexandriam veniens, mox ex prima lectione (dederat enim etiam ipſi Cyrus ad retractandum illa novem impietatis capitula) lugubre quiddam & ingens vociferatus, fontes emittebat lacrymarum, illum fervide obſecrans, ſupplicans, expoſtulans, in pavimento ipſius veſtigiis provolutus, quo nihil horum ſuper ambonem contra catholicam Dei eccleſiam prædicaret, quippe quum hæc liquido impii eſſent*

Apollinarii dogmata. Hujus etiam rei teſtem habemus Sergium in epiſtola ad Honorium Papam, quæ in act. XII. ſynodi VI. recitata eſt, *tom. 6. concil. Labb. col 921.* & legitur apud Baron. ad ann. 633. *n. 17. & ſeqq.* ubi *n. 19.* hæc habet: *His itaque provenientibus, Sophronius venerabilis monachus, qui (ut nunc ex uno auditu didicimus) Hieroſolymorum præſul eſt ordinatus (necdum enim hactenus ejus ex more ſynodicam ſuſcepimus) apud Alexandriam tunc temporis poſitus, cum præfato ſanctiſſimo Papa* (Cyro) *quando (ut diximus) admirabilem illam circa eos qui dudum hæretici fuerant* (intelligit Monophyſitas) *Dei beneplacito unitatem componebat, atque cum eo de iiſdem capitulis pertractabat, adverſatus eſt, & contradixit ad unius operationis capitulum, duas omnino operationes Chriſti Dei noſtri dignum inquiens cenſeri. Prænominato autem ſanctiſſimo Papa præſertim teſtimonia ei quorumdam ſanctorum Patrum proferente, diſperſim in quibuſdam opuſculis ſuis unam operationem aſſerentium, ad hæc quoque & ex abundanti inquiente, quod multoties ſancti Patres noſtri ut lucrarentur plurimarum animarum ſalutem, dum alia emergerent capitula, Deo placitis diſpenſationibus.... uſi fuiſſe videntur, nihil de ſubtilitate rectorum eccleſiæ dogmatum exagitantes; & dicente, quod oporteat utique etiam in præſenti, dum tantorum millium populorum ſalus præ manibus ponitur, nihil de hoc per contentionem altercari, idcirco quod, ſicut dictum eſt, etiam à quibuſdam ſacris patribus vox hujuſmodi dicta eſt, nihilque de hoc lædatur rectæ fidei ratio: memoratus Deo amabilis Sophronius talem diſpenſationem nullatenus accepto tulit. Quia igitur pro hoc cum litteris ejuſdem ſanctiſſimi comminiſtri ad nos conjunxit* (venit,) *de hoc quoque etiam apud nos ſermonem movendo inſiſtens ut de talibus adimeretur capitulis poſt factam unitionem vox unius operationis: durum nos hoc arbitrati ſumus. Quomodo enim non eſſet durum & valde oneroſum! quando hoc reſolvere evertereque erat futuram quidem omnem illam concordiam atque unitatem, quæ bene fuerat effecta, tam apud Alexandrinam magnam civitatem, quam per univerſas ſub ea provincias, quæ nullo tempore uſque nunc acquieverant nomen ſaltem ſimplex divini atque laudabilis Patris noſtri Leonis, aut ſancti & magni atque univerſalis Chalcedonenſis concilii mentionem facere; nunc vero præclara & magna voce in divinis miſſarum arcanis hoc prædicantes. Multis igitur à nobis de hoc motis ſermonibus ad prænominatum venerabilem Sophronium, poſtremo adhortati eum ſumus teſtimonia nobis proferre ſanctorum ac probabilium Patrum, illorum videlicet quos omnes communiter doctores confitemur, & quorum dogmata legem ſanctæ Dei cognoſcunt*

A *eccleſiæ, duas nominatim & ipſis verbis operationes in Chriſto dicendas tradentia: ille autem hoc facere penitus non valuit.* Verum, verba ſunt Pagii *tom. 2. crit. annal. Baron.* ad annum 633. *n. 3. p. 800. col. 2.* mera hæc fuit calumnia, nam, ut inquit Stephanus Dorenſis epiſcopus, in concilii Lateran. ſecretar. 2. *Sophronius ſuperius dictis temeratoribus non tantum in Oriente validiſſimè contradixit, conteſtans eos & admonens ut à propria hæreſi quieſcerent, & ad rectam Patrum fidem remearent: verum etiam in duobus libris ſexcenta* B *dedit teſtimonia Patrum ad evictionem impietatis eorum & veritatis oſtenſionem.* Sergius poſt quædam alia proſequitur: *Hanc igitur contentionem incipientem accendi videntes, neceſſarium judicavimus attritas potius ſanctorum Patrum voces, & ſynodicè definitas ſemper ſequi: & neque quæ raro à quibuſdam patribus dicta ſunt, & non circa hæc intentionem habentibus, quaſi planam & inambiguam de eis doctrinam exponerent, ad regulam, & legem per omnia dogmaticam reducere: quale eſt & quod de una operatione ab eis dictum eſt: neque iterum quæ* C *nullatenus dicta ſunt à probabilibus patribus, nunc vero à quibuſdam proferuntur, duas, inquam, operationes, tanquam dogma eccleſiaſticum proferre. Et ad ultimum ſtetit ac placuit, quatenus prædictus Sophronius venerabilis nullum ſermonem de cætero de una ſive duabus operationibus movere debeat: ſed ei ſufficiat præfata cautaque ac trita SS. PP. recta traditio atque doctrina. His itaque contentus ſæpe nominatus venerabilis vir, & hæc cuſtodire certificans, petivit nos etiam per epiſtolam de his ei præbere reſponſum, quatenus hujuſmodi epiſtolam, ut ait, oſtendat iis,* D *qui forſitan interrogare eum de prædicta quæſtione voluerint: quod & alacriter egimus. Et ille quidem in his hinc enavigavit.* Hæc Sergius ad Honorium de Sophronio. Addit Maximus in diſput. cum Pyrrho, qui in Sophronium rejiciebat cauſam diviſionis excitatæ in eccleſia, dum *tempore inoportuno de operationibus* loquutus eſt; culpam non Sophronio ſed Sergio eſſe tribuendam: *Ego ex omni parte,* inquit apud Baronium ad calcem *to. 8. annal. col. 781. neſcio quam excuſationem prolaturos vos expectatis, qui eum qui extra culpam eſt,* E *tam graviter criminamini. Dic enim mihi, per veritatem ipſam oro, quum Sergius ad Theodorum Pharanitanum ſcripſit, miſſo etiam libello quem eſſe dicit Menæ.... hortans eum ut quid ſentiret de una in eo libello operatione & una voluntate aperiret, & reſcripſit approbans eas, ubi tunc erat Sophronius! aut quum Theodoſiopoli ad Paulum monoculum Severi ſectatorem ſcripſit, miſſo etiam ad eum libello Menæ & Theodori Pharanitani, cum ſua approbatione, &c! aut quando ad Cyrum* (tunc) *epiſcopum*

Phaſidis reſcripſit de una operatione & duabus ab eo rogatus, miſſo etiam ad eum libello Menæ quem diximus! Quid igitur! poſtquam Sergius multis modis morbum ſuum in commune propoſuit, & maximam partem eccleſiæ corrupit, ac vaſtavit, ſi beatus Sophronius admonuit eum cum humilitate qua ejus habitum decebat ad veſtigia ejus provolutus, Chriſti Dei paſſionibus vivificis, quæ omnem ſupplicationem continebant, commemoratis, & obteſtans, ne vocem hæreticorum probe olim à ſanctis patribus ſuperioribus extinctam renovaret, fuit ne ipſe auctor hujus ſcandali! Baron. ad ann. 633. *n. 8. & ſeq.* ſemel atque iterum inculcat, inquit Pagius ad eumdem annum *num. 4.* velut ex Act. XIII. ſextæ ſynodi, Sophronium antequam Conſtantinopolim pergeret (ad Sergium, poſt ſynodum Alexandrinam) eamdem rem egiſſe per epiſtolas ei miſſas quæ exciderint. At, reponit ille, ſicuti obſervat Combefiſius in hiſtor. Monothelitarum, Diſp. I. §. 8. hujuſmodi litterarum nullus meminit, nec congruum ſatis videbatur ut eo modo ageret (tunc) humilis (adhuc) monachus cum urbis regiæ Patriarcha, adverſus opinionem quam is propugnabat, imò & cujus auctor erat. Res itaque ſic ſe habuit. Quum Cyrum inter & Sophronium de una vel duplici operatione in Chriſto conveniri non poſſet, Sophronius ad Sergium Conſtantinopolim profectus eſt, apud eum vivo ſermone acturus cauſam, & ad ſollicitandam ſeptimi capituli (in decreto Cyri Alexandrini contenti, & in ejus ſynodo approbati) abrogationem, in quo una tantum Deivirilis voluntas decernebatur. Ipſemet quidem Sophronius, & alii orthodoxi, vocem *Deivirilis operationis* interdum uſurparunt; ſed longe differunt hæ voces *Deivirilis operatio*, & *una Deivirilis operatio:* primam ex ſententia Patrum dixerunt orthodoxi; alteram hæretici tantum. Quamobrem ſynodus Lateranenſis ſub Martino I. hanc loquendi formulam damnavit anathemate ſecret. V. *Si quis ſecundum ſceleroſos hæreticos Deivirilem operationem, quod Græci dicunt* Θεανδρικὴν, *unam operationem inſipienter ſuſcipit; non autem duplicem eſſe confitetur ſecundum ſanctos Patres, hoc eſt, divinam & humanam, aut ipſam Deivirilis, quæ poſita eſt, novam vocabuli dictionem, unius eſſe deſignativam; ſed non utriuſque mirificæ & glorioſæ unitionis demonſtrativam, condemnatus ſit.* Nihil itaque confecit Sophronius Conſtantinopoli apud Sergium circa abrogationem capituli quod in ſynodo Alexandrina Cyri approbatum fuerat: jam enim in gratiam Monotheliſmi obfirmaverat uterque mentem ſuam. Rediit ergo in Palæſtinam Sophronius, & non multo poſt Modeſto Patriarchæ Hieroſolymorum defuncto ſubſtitutus eſt,

A exeunte ſcilicet an. 633. vel ineunte ſeq. 634. Papebrochius *tract. prælim. ad to. 3. actorum ſanctorum menſis Maii, num. 140. pag. 32. col. 1.* A. magis propendet ut ſedere inceperit initio duntaxat anni Chriſti 635. Hujus ſancti Patriarchæ, inquit, acta deduxi 11. (die) Martii, in quibus præterea quæ Modeſtum ſpectant, & annum mortis (Sophronii) mutatum nihil velim. Si placet ejus annos circa initium anni 635. inchoare, uti exiſtimo faciendum, Hieroſolymitanæ urbis obſidio, quam Theophanes adſcribit anno Heraclii B 26. (Chriſti 636.) qui revera numerandus ſolum eſſet 25. (Chriſti 635.) incidit in primum patriarchatus ejus annum: ſic tamen ut ante eam (obſidionem) celebraverit ſynodum contra Monothelitas, cujus acta, ſimul cum ſynodica recentis ordinationis ſuæ, ad Honorium Papam, Sergium, cæteroſque Patriarchas miſit. Cenſet tamen Pagius, ad annum 633. *n. 7. & ſeq.* Sophronium factum fuiſſe epiſcopum ſub finem anni 633. vel ſub initium anni 634. Epiſtola enim Sergii ad Honorium, quam ad annum 633. revocat Baro- C nius, quæque mentionem facit de Sophronio, ut recens ordinato, ſcripta eſt an. Chriſti 634. quia ſcilicet ab illo anno Monotheliſmi exordium, ſive partum, propter hanc Sergii proculdubio epiſtolam, per quam ille error innoteſcere cœpit eccleſiæ Romanæ, repetit S. Martinus Papa in litteris ad S. Amandum Trajectenſem epiſcopum, poſt concilium Later. anno 649. exeunte coactum, ſcriptis, *tom. 6. conc. col. 384.* C. *Credimus ad vos perveniſſe,* inquit, *quomodo in conturbatione rectæ fidei, & eccleſiæ catholicæ conculcatione, ante hos plus* D *minus quindecim annos, à Sergio falſo epiſcopo Conſtant. execranda hæreſis pullulavit.* Dubitat Sirmondus in notis ad illam Martini I. epiſtolam, an exeunte anno 649. an non potius initio anni 650. ſcripta fuerit; Cointius vero eam conſignavit anno 651. Præterea de ejuſdem hæreſis manifeſtatione in Occidente, legati apoſtolici in prima act. VI. ſynodi generalis dixerunt *ibid. col. 610.* E. *Quoniam igitur, ante hos 46. plus minus annos, quaſdam novitates vocum contrarias orthodoxæ fidei, introduxerunt qui pro tempore fuerunt præſules hujus regiæ &* E *à Deo conſervandæ veſtræ civitatis, &c.* Habita eſt prima illa actio menſe Novemb. anni 680. Quia igitur ab initio anni 634. ad finem anni 649. anni quindecim, & ad ann. 680. itidem exeuntem anni 46. completi, & etiam amplius, numerantur; ortus ſubinde Monotheliſmi non citius anno Chriſti 634. ſedi Romanæ per epiſtolam Sergii ad Honorium innotuit. Neque enim exordium hujus hæreſis ab anno deduxiſſent, quo nihil adhuc ſpeciale de ejus novitate didiciſſent. Porro Sophronius, ſtatim

Digitized by Google

atque Hieroſolymitano epiſcopatu potitus eſt, ſynodum congregavit adverſus Monothelitas, initio, ut videtur, anni 634. ejuſque acta, ſimul cum epiſtola quæ recitata eſt in ſexta ſynodo generali act. 11. & in qua diſertiſſimis ſanctorum Patrum auctoritatibus duplicem ſtatuebat Chriſto ineſſe voluntatem & operationem, ad Honorium, Sergium, cæteroſque Patriarchas miſit. Hujus ſynodi meminit Theophanes ad annum Heraclii 20. ubi quæ ad originem & progreſſum Monotheliſmi ſpectant uno tenore refert, ſed *Joannem* perperam loco *Honorii* ſcribit *p. 274.* D. *Ea tempeſtate,* inquit, *Sophronius Hieroſolymorum epiſcopus inſtituitur, qui congregatis quibus præerat epiſcopis, Monotheliticum dogma condemnavit, ſynodicaque acta Sergio Conſtantinopolitano & Joanni* (Honorio) *Romæ epiſcopo per epiſtolas tranſmiſit.* Pauca quædam ex ea Sophronii epiſtola encyclica tranſcribo cujus magnam Baronius partem refert ad annum 633. *num. 10. & ſeqq.* legitur integra *tom. 6. concil. Labb. col. 852. & ſeqq.* Sic incipit: *Domino in omnibus ſanctiſſimo, ac beatiſſimo fratri & conſacerdoti Sergio archiepiſcopo & Patriarchæ Conſtantinopoleos. Sophronius ſervus inutilis ſanctæ Chriſti Dei noſtri civitatis. Papæ! Papæ! beatiſſimi, quam mihi nunc amabilis quies, optabilis eſt requies & tranquillitas, & multo quam pridem amabilior, ex quo à quiete à curis vacua in turbam negotiorum veni, & terrenis quibuſdam fluctibus obruor. Quam mihi dulcis eſt nunc exiguitas, ac etiam non paulo quam antea dulcior, ex quo ab ſtercore & terra, & multa ac majori quam dici poſſit humilitate ad ſedem pontificiam aſcendi, & magnam procellam video, & cum procella conjunctum periculum, &c. Quum hæc igitur ſic ſint, & adhuc acerbiora, & mihi miſerrimo neceſſitas ingens ac vis à clericis, & reverendis monachis, & fidelibus laïcis univerſis ſanctæ civitatis Chriſti Dei noſtri, manu & violentia me cogentibus, neſcio quibus judiciis impoſita ſit. Quæſo vos ſanctiſſimos & hortor, ut non ſolum puris & caſtis apud Deum precibus mihi vitam in mari agenti, & in periculo verſanti, opem feratis, & parvo animo labantem confirmetis, ſed & doctrinis divinis ad res agendas inſtituatis, tum ut parentes & genitores, tum ut fratres & conſanguinei. Concedite igitur vos mihi paternè & fraternè quæ jure poſtulo, &c. Quia vero quædam apoſtolica & priſca in omnibus cuncti orbis eccleſiis traditio viget, ut qui epiſcopi fiunt, ad omnes anteceſſores epiſcopos referant quomodo ſentiant, & quam fidem teneant, &c. Huic igitur conſuetudini etiam nos ſervientes, ac legem optimam arbitrati id omne quod ab antiquis decenter factum eſt.... ſcribimus quomodo de fide ſentiamus, & vobis ſapientia divina*

A *præditis ad probandum mittimus, ne terminos æternos, quos Patres & majores noſtri poſuerunt, tranſmovere videamur, &c. Accedam igitur ad dicendum illa quæ à principio in eccleſia ſancta catholica collactatus & nutritus didici, & à teneris unguiculis accepi, & vos divine prædicare audivi, &c. Credo igitur, &c.* In ea fidei profeſſione hæc de duabus Chriſti voluntatibus contra naſcentem Monotheliſmum aſſerit, apud citatum Labb. *to. 6. concil. col. 872.* E. ....*utriuſque naturæ utramque novimus operationem, eſſentialem dico, naturalem, &* B *congruam, indiviſe de unaquaque procedentem eſſentia & natura, juxta inſitam ei naturalem atque eſſentialem qualitatem, & inſeparabilem ſimulque inconfuſam alterutrius eſſentiæ una ſecum cooperationem adducentem. Hoc quippe & operationum quæ in Chriſto ſunt differentiam facit, ſicut & naturas eſſe naturarum, &c.* Et poſt pauca col. 873. B. C. *utramque naturalem confitemur operationem, ne naturas quæ inconfuſe unitæ ſunt confundamus; ſiquidem ex operationibus tantum, ſecundum eos qui ſunt talia callentes, naturæ noſcuntur, & eſſentiarum* C *ſemper differentiam ex differentia operationum eſt inſitum comprehendere, &c.* Poſt prolixam autem fidei profeſſionem, ita ipſum ad quem ſcribit, Honorium, Sergium, aut alium interpellat *col. 896.* A. *Unde paternam ſanctitatem veſtram rogo, ut has litteras à me abjecto, jure ſynodico acceptas, paternis oculis adſpiciat, & fraterno adſpectu contempletur: Et ſi quid, aut per ignorantiam erratum eſt, aut per oblivionem prætermiſſum, aut propter feſtinationem non animadverſum, aut propter brevitatem non expreſſum.... aut propter linguæ torporem tacitum,* D *&c. rogo acceſſionibus impleat, & verbis ac correctionibus impleat ex paterna plenitudine prodeuntibus, corrigat, & robur præbeat amantiſſimum, fraterno ſtudio ſatum, & paterno propoſito irrigatum; ne quod mancum eſt ſemper imperfectum appareat; & ne quod infirmum eſt, & ſæpenumero per ignorantiam excidit, infirmum ſemper perſeveret, & per totam vitam ægrotet, &c. Quamobrem oro atque obſecro ne hic grex ullum detrimentum capiat propter meam imperitiam, & artis paſcendi ignorantiam, & propter imbecillitatem, quæ ad regendum com-* E *mode non ſufficit, & tanquam ipſe ei nocuerim in die judicii condemner, & ſupplicium perpetuum ſubeam eorum qui furantur, mactant, & perdunt oves Chriſti magnæ æſtimationis & pretii, &c. Æquè vehementer vos deprecor, ut ſupplicationem & preces.... Pro noſtris Imperatoribus.... Deo adhibeatis qui gubernacula imperii à Deo acceperunt.... ut ſceptra præbeat valida & firma, ad conterendum omnium Barbarorum, ac potiſſimum Saracenorum ſupercilium ac ſuperbiam, qui nunc propter peccata noſtra ex*

inſperato

Digitized by Google

inſperato in nos invaſerunt, & omnia devaſtant crudeli & ferino animo, profano & impio auſu. Incurſiones illæ Saracenorum, ab anno 633. Palæſtinam vexare inceperant: Hinc mirum quod de ea Sophronii epiſtola ait Papebrochius *in tract. prælim. cit. n. 141. De Saracenis verbum facit nullum, quia ſcilicet nondum eos ſenſerat.* Pergit Sophronius: *Quin etiam poſtremo rogamus, ut detis eis* (Leontio & Polyeucto quibus has litteras perferendas commiſerat) *litteras quæ fidem noſtram rectam illuſtrent, & mores animæ noſtræ candidos faciant, & ſcientiam paſcendi nos doceant.... ut præſidio ſcientiæ muniti, truculentos & immanes lupos ab ovili nobis concredito baculo vigilantiæ paſtoralis arceamus, populumque nobis commiſſum à periculis liberum ad Deum ſiſtamus, mercedem ab æquiſſimo judice liberaliſſimè pro laboribus noſtris reportaturi. Omnes ſanctos & illuſtres fratres qui cum veſtra ſanctitate ſunt, nos humiles & parvi, & ii qui mecum ſunt, in Chriſto Deo noſtro perſalutamus. Vale in Chriſto, & ora pro me, ſanctiſſime frater.* De Sergio itaque nihil adhuc ſiniſtri ſuſpicabatur Sophronius, cui etiam paulo antea, ſicut ad Honorium ſcribebat idem Sergius ſupra reci-
col.268. tatus, de una & duplici in Chriſto voluntate ſilentium ſuadenti conſenſit bona fide. Sed nec ab Honorio approbatam imprudenter ejuſdem ſilentii œconomiam per aliquod tempus reſpuit. Cæterum quum minime quieſceret Cyrus Alexandrinus, unamque perpetuo cum ſuis aſſeclis prædicaret in Chriſto eſſe voluntatem & operationem, non amplius indicti ſilentii legibus adſtringi ſe credidit Sophronius, ſed eorum ſeſe auſibus fidei eccleſiæ pernicioſis fortiter oppoſuit, dans in duobus libris ſexcenta teſtimonia Patrum ad evictionem impietatis eorum & veritatis oſtenſionem. Ita in concil. Later. ſub Martino I. teſtatus eſt Stephanus Dorenſis epiſcopus, qui olim ſuper his delegatus fuerat ad Honorium ab ipſo Sophronio. Is quidem *revocare,* inquit, *minime eos valuit, commovit autem potius contra ſe ad inſidias, & malignam detractionem:* dum ſcilicet omnium turbarum in eccleſia per ipſos exurgentium cauſam eſſe Sophronium clamitarent, qui, ex Pyrrho in diſput. cum S. Maximo, *tempore inopportuno*
col.268. *ſermonem de operationibus excitavit:* à qua calumnia illum idem Maximus vindicavit, oſtendens omnem culpam refundendam in Sergii *mutabilitatem & inconſtantiam, in alias alio tempore tranſeuntis ſententias, & nullo ſenſu permanentis,* quia utique ſimul volebat & orthodoxus haberi, & à Monotheliſmo non recedere. Verum Sophronius, pergit
Item to. 6. conc. Labb. Stephanus apud Baronium ad annum 633.
col.104.D. *num. 38. nullo modo propter hoc reveritus eſt*

A *omnino, nec timuit timorem ubi non erat timor, quoniam* juſtus ſicut Leo confidit. *Zelo autem* Prov. 28.
Dei & fiducia repletus, duxit me indignum, & ſtatuit in ſancto Calvariæ loco, ubi propter nos.... Dominus noſter Jeſus-Chriſtus ſponte crucifigi ſecundum carnem dignatus eſt; & ibi alligavit me vinculis inſolubilibus, dicens: Tu dabis rationem ipſi, qui propter nos ſecundum carnem in hoc ſancto loco ſponte crucifixus eſt Deus, quando cum gloria in terribili adventu judicaturus eſt vivos & mortuos, ſi diſtuleris & poſtpoſueris fidem ejus periclitantem, licet ego hoc facere
B *corporaliter, ut noſti, propter emerſam ex noſtris peccatis incurſionem Saracenorum præpedior. Quantocius ergo de finibus terræ ad terminos ejus deambula, donec ad apoſtolicam ſedem, ubi orthodoxorum dogmatum fundamenta exiſtunt, pervenias; non ſemel, non bis, ſed multo ſæpius aperiens ſacris viris ibidem conſiſtentibus omnia ſecundum veritatem, quæ in iſtis partibus mota ſunt: & non quieſcas inſtantius expetens atque exorans eos, donec ex apoſtolica prudentia, quæ in Deo eſt, ad victoriam judicium perducere debeant, & noviter introducto-*
C *rum dogmatum perfectam faciant ſecundum canones deſtructionem: & ne (ſecundum quod* 1. Tim. 2.
beatus Apoſtolus ait) ſicut cancer paſcuam in amplius inveniant, depaſcentes ſimpliciorum animas. Igitur in his pertimeſcens ego, proſequitur Stephanus Dorenſis, *atque perterritus, propter impoſitam mihi terribilem in tremendo & venerabili loco conjurationem, necnon & creditum mihi ex Dei permiſſu epiſcopale miniſterium conſiderans, ſed & ſupplicationes omnium pene habitantium Orientalium tractum reverendiſſimorum epiſcoporum & Chriſtianorum popu-*
D *lorum, conſonanter prædicto beatæ memoriæ Sophronio ad hoc me invitantium, utpote primum Hieroſolymitanæ diœceſeos, pervenire; non dedi, ſecundum ſcripturam,* ſomnum oculis meis & Pſ. 131 v. 4. & 5.
palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, *quatenus adimplere debuiſſem hujuſmodi deſiderabilem juſſionem: ſed abſque ulla mora propter hoc ipſum tantummodo huc properavi: à quo tempore tertio viſus ſum veſtris apoſtolicis adeſſe veſtigiis, expetens ac deprecatus, ut quod ille & omnes libenter poſtulare noſcuntur, hoc eſt, fidei Chriſtianorum periclitanti*
E *manum porrigere* (dignemini.) *Quod addiſcentes contrarii, non levibus me implicuerunt afflictionibus, præceptiones propter me per loca & provincias dirigentes, quatenus comprehendi, & ferris conſtrictus ad eos deberem deſtinari, ſicut omnes cognoſcunt. Sed Dominus auxiliatus eſt mihi, & liberavit me ab omnibus perſequentibus me, ideoque ad propoſitum currentem, & ad bravium properantem veſtræ apoſtolicæ ſedis. Neque deſpexit Deus preces cum lacrymis oblatas ſupplicum ſuorum, ſed excitavit non equidem*

Digitized by Google

mediocriter præceſſores apoſtolicoſque præſules in commonitione, necnon conteſtatione prædictorum virorum, licet nullo modo eos flectere potuerint. Hæc Stephanus Dorenſis epiſcopus: quibus addit Baronius *num. 40.* Ubi ita per legationem à Sophronio miſſam Honorius Papa accepit, haud ſegnis fuit his omnibus à Sophronio poſtulatis conſulere, nempe ſilentium omnino imponere Cyro epiſcopo Alexandrino unam voluntatem & operationem in Chriſto prædicanti, cujus rei gratia ad ipſum Cyrum de eo argumento litteras dedit: ſcripſitque pariter ad Sergium Conſtantinopolitanum epiſcopum, ut Cyrum de ſervando de una voluntate & operatione ſilentio admoneret. Litteræ ad Cyrum ab Honorio ſcriptæ non extant, ſed earum mentio eſt in litteris ejuſdem Honorii ad Sergium datis. Perſtitiſſe quidem in ſententia Honorium, ut bono pacis ad vitandas turbas & commotiones populorum, de voce utraque taceretur, dicta ejus epiſtola poſthæc ad Sergium data ſignificat: his etiam & legatum Stephanum, & qui cum eo venit in Urbem acquieviſſe docet, dummodo Cyrus de unius voluntatis voce æquè taceret. Quædam ejuſdem ſecundæ epiſtolæ Honorii ad Sergium extracta leguntur in actis ſextæ ſynodi act. 13. quæ modo aſſerta probant. Hæc de illa profert Baron. *ibid. n. 41. & ſeqq. Necnon & Cyro fratri noſtro Alexandrinæ civitatis præſuli, quatenus novæ adinventionis unius vel duarum operationum vocabulo refutato, claro Dei eccleſiarum præconio nebuloſarum concertationum caligines offundi non debeant vel adſpergi, ut profecto unius vel geminæ operationis vocabulum noviter introductum à prædicatione fidei eximatur. Nam qui hæc dicunt, quid aliud niſi juxta unius vel geminæ naturæ Chriſti Dei vocabulum, ita & operationem vel geminam ſuſpicantur!* Et rurſus circa finem epiſtolæ: *Cæterum quantum ad dogma eccleſiaſticum pertinet, quæ tenere vel prædicare debemus propter ſimplicitatem hominum, & amputandas inextricabiles quæſtionum ambages, ſicut ſuperius diximus, non unam vel duas operationes in mediatore Dei & hominum definire, ſed utraſque naturas in uno Chriſto unitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus: & divinam quidem, quæ Dei ſunt operantem: & humanam, quæ carnis ſunt exequentem; non diviſe, neque confuſe, aut convertibiliter, Dei naturam in hominem, & humanam in Deum converſam edocentes, ſed naturarum differentias integras confitentes.* Et poſt pauca: *Auferentes ergo, ſicut diximus, ſcandalum novellæ adinventionis, non nos oportet unam vel duas operationes definientes prædicare; ſed pro una, quam quidam*

to. 6. conc. col. 968. D.

A *dicunt, operatione, oportet nos unum operatorem Chriſtum Dominum in utriſque naturis veridice confiteri: & pro duabus operationibus, ablato geminæ operationis vocabulo, ipſas potius duas naturas, id eſt, divinitatis, & carnis aſſumptæ, in una perſona unigeniti Dei Patris, inconfuſe, indiviſe, atque inconvertibiliter nobiſcum prædicare propria operantes, &c.* Et tandem: *Scribentes etiam communibus fratribus Cyro & Sophronio antiſtitibus, ne novæ vocis, id eſt, unius vel geminæ operationis vocabulo inſiſtere vel immorari videantur; ſed abraſa hujuſmodi* B *novæ vocis appellatione, unum Chriſtum Dominum nobiſcum in utriſque naturis divina vel humana prædicent operantem. Quanquam hos, quos ad nos prædictus frater & coëpiſcopus noſter Sophronius miſit, inſtruximus, ne duarum operationum vocabulum deinceps prædicare innitatur: quod inſtantiſſime promiſerunt prædictum virum eſſe facturum, ſi etiam Cyrus frater & coëpiſcopus noſter ab unius operationis vocabulo diſceſſerit.* De Honorio dicere non eſt hujus loci, obſervare ſolum juvat cum Baron. *ibid. num. 32. & ſeqq.* per plures annos ſic C ſe geſſiſſe Sergium, qui poſtea detectus eſt vaferrimus fuiſſe hæreſis Monotheliticæ propugnator, ſic piè ſuam Conſtantinopolitanam ſedem rexiſſe, ſic ſe fidei reſtaurandæ, ac hæreticorum ad ſinum eccleſiæ revocandorum ſuccenſum ſimulaſſe zelo, ut, quemadmodum Sophronius, qui eum inviſit & alloquutus eſt, nullam ſuſpicionem habuerit propoſitum ab illo ſilentium, circa unam & duas in Chriſto voluntates, fuiſſe excogitatum in gratiam Monotheliſmi, quatenus, dum non damnaretur ab eccleſia expreſſe vox *unius* D *voluntatis*, ſententia eum errorem inducens clam latius diffunderetur, ſed huic ſilentio conſenſerit quod pro bono pacis indictum exiſtimaret; ita à fortiori Honorium Papam, qui longe à Sergio aberat, nec eum aliunde noverat quam ex fama vitæ hactenus laudabiliter tranſactæ, & ex litteris columbæ ſpeciem exhibentibus pacem denuntiantis, & hæreticorum reditum ad eccleſiam, idem ſilentium ceu tranquillitati eccleſiæ Orientalis neceſſarium ex œconomia approbaſſe. Ignoramus, quantum temporis ſilentium hoc E ſibi ab Honorio impoſitum tenuerit hac vice Sophronius videtur tamen iterum rupiſſe, fortaſſis poſt Honorii mortem, & maxime ex quo Severinus ejus ſucceſſor, in Monotheliſmum, quem ſilentio catholicorum, & hæreticorum ſermonibus non modicum progreſſum feciſſe animadverterat, ſeſe erigens, Ecthesim Heraclii damnavit anno 640. Id colligitur, tum ex Theophane qui verbis inferius recitandis teſtatur Sophronium de *Heraclio, Sergio & Pyrrho trophæa* retuliſſe, tum

Digitized by Google

ex ſynodo ſexta, quæ ſcripta ejus adverſus Monothelitas approbavit. Dum vero ſedem Hieroſolymitanam tam glorioſe occuparet, multa vidit mala gentis ſuæ: nam anno Chriſti 635. tribus annis poſt Mahometi obitum, ſub Umaro vel Omaro, tertio Califa, Abubecri ſucceſſore, Saraceni profligata Heraclii acie Damaſcum Sophronii patriam expugnant, eaque potita & reliqua ſimul Phœniciæ provincia, inquit Papebroch. *tom. 2. Mart.* ad diem 11. *pag. 71.* quum in ea proprias ſedes conſtituiſſent, mox in Ægyptum tendunt, & ipſam quoque ſibi ſubjiciunt. Sequenti autem anno (Chriſti 636.) Umarus in Syriam deſtinavit Jaſdium, & totam Saracenico adjunxit Imperio: per ſe vero expeditionem ſuſcepit in Palæſtinam, in qua quum omnia paſſim oppida præſidiis occuparet; agros vero viaſque haberet latrociniis infeſtas, non potuerunt ſanctæ civitatis incolæ diem natalem Domini in Bethleem ſolita pietate peragere; ſed ad eos Saracenorum metu intra Urbem concluſos habuit orationem Sophronius quæ in magna Patrum Bibliotheca extat, & illius temporis calamitates graphicè enarrat, nuſquam tamen obſidionis vel oppugnationis in ea ſit mentio: hincque magis movemur ut credamus nonniſi poſt Januar. anni 636. figendum eſſe obſidionis principium, qua per biennium continuata, hoc ſcilicet anno 636. & 637. fortaſſis toto, ſaltem juxta Græcos annum à Septembri inchoantes, urbem fide data Umarus obtinuit, ut narrat Theophanes, Umari ingreſſum deſcribens his verbis: *Sophronius autem Hieroſolymorum antiſtes fidem ab eo pro totius Palæſtinæ incolumitate acceperat. Umarus itaque cilicinis camelorum veſtibus iiſque laceris & ſordidis opertus, & hypocriſim plane diabolicam pietatis velamine oſtentans ſanctam civitatem ingreditur, & mox templum à Salomone conſtructum, in impietatis & blaſphemiæ oratorium illud converſurus, ſibi oſtendi poſtulavit. Hunc quum Sophronius vidiſſet: hæc eſt vere, inquit, abominatio deſolationis à Propheta Daniële prænuntiata, quæ modo ſtat in loco ſancto: multaque ſimul lacrymarum copia inſignis ille pietatis propugnator Chriſtianam gentem deflebat. Intra templi igitur ſepta dum ille moraretur, precibus apud eum agebat Patriarcha, ut acceptam à ſe ſindonem ac veſtem indueret: quam quum aſſumere detrectaſſet, epiſcopus vix exoravit, ut iſta geſtaret donec ſolita indumenta lavarentur: & propriis reſumptis, ſtatim iſta Sophronio reſtituit.* Elmacinus qui Saracenorum hiſtoriam Arabicè ſcripſit initio ſæculi XII. hæc de eodem Umaro ſcribit, *lib. 1. c. 3. p. 28.* & apud Papebroch. *tract. prælim. ad 3. tom. Maii, n. 146. pag. 33. col. 1. Quum Omar cepiſſet Hieroſolyma, ſcripſit civibus ejus*

tom. 12. p. 206.

p. 281. C.

A *libellum ſecuritatis, cujus eſt hoc exemplum. In nomine Dei miſericordis miſeratoris. Ab Omaro filio Achittabi populo urbis Æliæ conceditur ſecuritas, tum perſonarum, tum liberorum, tum uxorum, tum facultatum, tum omnium templorum, ne deſtruantur, aut otioſa ſint. Ingreſſus autem in urbem ſedit in medio penetralium templi reſurrectionis: dixitque Patriarchæ; Volo orare. Reſpondit Patriarcha: ô fidelium Imperator, ora in loco tuo. At ille ait, non. Et egreſſus è templo foras, oravit ad portam templi ſolus. Deinde ſedens dixit Patriarchæ, ſi oraſ-* B *ſem in templo, cepiſſent id poſt me Muſlimi, & dixiſſent, hic oravit Omar: ſcripſitque ei privilegium, ne oraret Muſlimorum quiſpiam ad gradum, niſi ſolus, neque cogerentur in eo preces aut publicarentur ſuper eo.* Et poſtea: *Hinc dixit Patriarchæ, indica mihi locum in quo extruam delubrum. Unde Patriarcha ei dixit de lapide ad quem loquutus erat Deus cum Jacobo. Ut autem Omar ad eum venit, invenit ſuper eo ſordes multas, deque iis in veſtem ſuam accepit. Quumque Muſlimi viderent Omarem ferre ſordes, non diſtulit unuſquiſque eorum ferre veſte* C *ſua ſordes, unde mundatus illico eſt lapis: juſſitque Omar ut delubrum illic ædificaretur. Abiit & Bethleemum, atque ingreſſus templum ejus oravit ad arcum in quo natus eſt Dominus Chriſtus; ſcripſitque privilegium, ne orarent in eo loco Muſlimi, niſi ſinguli poſt ſingulos, neque preces ibi cogerentur, aut publicarentur.* Addit Theophanes, de Sophronii obitu, qui juxta ipſum expeditionem Hieroſolymitanam propè ſequutus eſt: *In ea rerum calamitate Sophronius præclaris verbis & geſtis Hieroſolymorum eccleſiam olim amplificans, de Heraclio,* D *& Monothelitarum ipſi addictorum pravitatibus & commentis, deque Sergio & Pyrrho confutatis, clariſſima trophæa referens, defunctus eſt.* Baronius ejus mortem adſcribit anno 636. Pagius anno ſequenti. Henſchenius & Papebrochius, ad diem 11. Mart. anno 638. ſed idem Papebrochius *tract. prælim. ad tom. 3. Maii, n. 142. pag. 32. coll. 1. & 2.* eam differendam cenſet uſque ad annum 644. Qui *de Sergio & Pyrrho trophæa retulit,* inquit, quomodo creditur obiiſſe, non tantum anno illo quo Baronius, ſed vel 638. quo ego olim E ſtatui, ſequutus fidem tabularum Theophanis, quæ ſolum tres annos patriarchatui ejus aſſignabant? alium enim nullum invenio ejus numeri auctorem. Quomodo etiam potuit *eccleſiam ſuam verbis & geſtis amplificaſſe,* qui non alio fere tempore vixerit, quam quo obſeſſa civitas ſancta fuit? Quin igitur uno illo tam incerto calculatore contempto (verba ſunt ſemper Papebrochii ultimum citati) laxemus ſpatium temporis quo Sophronius ſedit, ipſique aſſignemus (ad minus) ſex vel

p. 281. D. & ſeq. A.

Digitized by Google

ſeptem annos? Sergius certe Conſtantinopo- A litanus anno duntaxat 639. (Pagius ad annum 639. *num. 2.* ponit annum 638. inchoata à menſe Septembri Indict. XII.) promulgavit Ecthesim Heraclii, qua hæreſis Monothelitarum ſtabilita eſt, eique eodem anno menſe Decembri defuncto ſuffectus eſt menſe Jan. anni ſequentis Pyrrhus: (ſi ergo *de Sergio & Pyrrho confutatis clariſſima trophæa retulit* Sophronius, ut teſtatur modo recenſitus Theophanes, is non ſolum Sergium Patriarcham, ſed etiam ejus ſucceſſorem Pyrrhum impugnaſſe, propter ipſorum Monotheliſ- B mum, dicendus eſt; adeoque vixiſſe per aliquod ſaltem tempus, ex quo Pyrrhus ſedem Conſtantinopolitanam conſcenderit.) Porro idem Pyrrhus in diſput. cum Maximo, apud Baronium *tom. 8. annal. coll. 364. & 781.* quam menſe Julio Indict. III. id eſt 645. habuit, accuſans Sophronium quod *tempore inopportuno ſermonem de operationibus inierit,* ait: *Sophronius qui paulo ante fuit Patriarcha Hieroſolymitanus,* Σωφρόνιος ὁ μικρῷ πρόσθεν πατριάρχης γενόμενος Ἱεροσολύμων, qua loquendi formula eum non jam à longo tempo- C re defunctum innuit: nam loquutus fuiſſet aliter ſi à novem aut circiter annis obiiſſet. Quamobrem nihil vetat quominus dicatur vixiſſe Sophronius uſque ad menſem Martium anni 644. ac obiiſſe quum jam decem annos Patriarchatus ſui attigiſſet. Præter ſcripta ejus ſuperius memorata, quorumdam librorum contra Eunomium pro S. Baſilio mentionem facit Photius initio ſuæ Bibliothecæ. Poſſevinus *pag. 486.* inter ejus ſcripta numerat homilias in Exaltationem S. Crucis, in adorat. S. Cruc. in Anaſtaſim, ſive pro D dedicat. Templi ſanctæ reſurrectionis, & de Jejunio. Homiliæ ejuſdem de Angelis meminit Baronius ad annum 636. *n. 5.* Plurima alia perierunt. Verum ex paucis, inquit, nobis relictis hujus nobiliſſimi & devinitus afflati ingenii monumentis, qualis quantus-ve vir fuerit doctrinaque & eloquentia præditus ſatis intelligi poteſt, (eumque mereri) ut inter celebriores eccleſiæ Orientalis magiſtros cenſeatur. Patres ſextæ ſynodi act. XIII. hoc de illo teſtimonium tulere: *Pertractavimus & ſynodica Sophronii venerabilis memoriæ quon-* E *dam archiepiſcopi ſanctæ Dei Hieroſolymorum civitatis, & hæc reperientes cum vera fide convenientia, apoſtoliciſque & ſanctorum atque probabilium Patrum doctrinis paria, utpote quæ ſunt orthodoxa, recepimus, & ut ſalubria ſanctæ catholicæ eccleſiæ ſuſcepimus, & nomen ejus inſeri ſanctis diptychis ſanctarum eccleſiarum juſtum eſſe judicavimus.* Græci pariter & Latini memoriam ejus colunt die 11. Martii, in qua eum obiiſſe veroſimile eſt.

Sedes Hieroſolymitana multos annos vacat in quibus Patriarchæ vices gerunt

STEPHANUS DORENSIS *epiſcopus,*

JOANNES PHILADELPHIÆ *epiſcopus,*

THEODORUS *preſbyter.*

Eutychius Alexandrinus ſcripſit Hieroſolymorum ſedem viginti novem annos proprio epiſcopo vacaſſe: at diuturniorem fuiſſe hanc viduitatem ex eo ipſo conſtat; refert enim in ſynodo ſexta generali anno 680. congregata, non adfuiſſe epiſcopum Hieroſolymitanum, ea eccleſia epiſcopo deſtituta. *Fuit,* inquit, *hujus concilii præſes Georgius Patriarcha Conſtantinopolitanus,* (intererat) *Theophanes Patriarcha Antiochenus, &c. Alexandriæ autem & Hieroſolymis Patriarcha non fuit, utraque ſede vacante.* Quod concordat cum ſubſcriptionibus, quæ leguntur in hunc modum, *to. 6. conc. Labb. col. 1077. Georgius miſericordia Dei epiſcopus Conſtantinopoleos novæ Romæ ſubſignavi. Petrus miſericordia Dei preſbyter, & vicarius ſedis Alexandrinæ magnæ urbis ſubſignavi. Theophanes miſericordia Dei epiſcopus Theopoleos ſive Antiochiæ ſubſignavi. Georgius humilis preſbyter ſanctæ Chriſti Dei noſtri Anaſtaſeos, exhibens locum Theodori ſanctiſſimi preſbyteri & vicarii apoſtolicæ ſedis Hieroſolymorum, ſimiliter ſubſignavi.* Ita quoque Conſtantinus Pogonatus Imperat. ſanctæ ſynodi petitioni annuens, ut definitionis fidei, quæ edita erat, exempla quinque patriarchalibus ſedibus mitterentur, præcepit unum mitti *ſedi ſanctæ Chriſti Dei noſtri reſurrectionis, id eſt, Hieroſolymorum, obtinente locum ejuſdem honorabiliſſimæ ſedis Theodoro Deo amabili preſbytero, per Georgium preſbyterum monachum Sebaſtenum.* *to. 6. conc. col. 1072. D.* Nulla certe uſpiam Patriarchæ qui tunc Hieroſolymis ſederit extat mentio: nullus, inquam, ſive in Theophanis tabulis, ſive apud Eutychium præfatum recenſetur ante Joannem III. quem idem Eutychius nec ſibi, nec cum veritate conſtans, anno 8. Moaviæ Califæ creatum ait, ſeu Chriſti 664. aut 665. ac Juſtiniano II. Romanis imperante. Verum melius in Theophanis tabulis, primus ejuſdem Joannis III. annus cum primo Juſtiniani II. ſecundo imperantis Chriſti 705. concurrit, quo obiit Abdalmalechus, ſeu Abdelmelicus Califa, Meruani filius, eique ſucceſſit Valid ejus filius. (hanc illorum Califarum epocham ſtatuit Dionyſius I. cognomento Telmarenſis, Patriarcha Jacobitarum, apud Joſephum Simonium Aſſemanum, *tom. 2. Bibl. Orient. pp. 104. col. 1. & 105. col. 1.* Renaud. tamen *in hiſt. Patr. Alexand. Jacobit. p. 179.* ſcribit hunc Abdelmelicum Califatum geſſiſſe ab

anno Heg. 65. Chriſti 684. uſque ad annum Hegiræ 89. Chriſti 707. Walid autem ejus filium, eo mortuo, Califatum geſſiſſe uſque ad annum Heg. 96. Chriſti 714. quo vita functus eſt.) Cæterum, quum Eutychius ſubdit, *manſiſſe Hieroſolymitanam ſedem, poſt mortem Sophronii, uſque dum ſufficeretur Joannes, ſine Patriarcha, annos viginti novem:* hoc verum eſt, excepto annorum 29. computo. Nec morari debet, quod canonibus Trullanis in concilio quiniſexto anno Juſtiniani II. primum imperantis ſeptimo Chriſti 692. habito conditis ſubſcripſiſſe legatur, *to. 6.* conc. Labb. *col. 1188. Anaſtaſius humilis epiſcopus ſanctæ civitatis Hieruſalem.* Ἀναστάσιος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας πόλεως Ἱερουσαλήμ. Nam Anaſtaſius iſte perinde confictus à Græcis horum canonum aſſertoribus cenſendus eſt ac *Petrus indignus epiſcopus Alexandriæ magnæ civitatis,* Πέτρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος τῆς Ἀλεξανδρέων μεγαλοπόλεως, qui ibidem quoque ſubſcribens obtruditur: quandoquidem certo certius eſt, nullum tunc extitiſſe Alexandriæ Patriarcham orthodoxum ſeu Melchitam, ut vocant. Baronius ad annum 692. *num. 45.* refert ex Anaſtaſio Bibliothec. tres Orientis Patriarchas, Alexandrinum ſcilicet, Antiochenum, & Hieroſolymitanum huic concilio minimè adfuiſſe: ſic enim loquitur Anaſtaſius in epiſtola ad Joannem VIII. Rom. Pontif. verſioni ſuæ latinæ Actor. ſynodi VII. gener. præfixa: *Sed nec in cæterarum patriarchalium ſedium, licet Græca utantur lingua, reperiuntur archivis* (regulæ Trullanæ:) *nimirum quia nulla earum quum ederentur, aut promulgans, aut conſentiens, aut ſaltem præſens inventa eſt: quanquam eoſdem Patres illas Græci promulgaſſe perhibeant, qui in ſexta ſynodo ſunt inventi; ſed hoc nullis probare certis poſſunt indiciis.*

n. 7. conc. Labb. col. 30. E.

col. 27. A Sophronio Patriarcha Hieroſolym. ad Honorium Papam miſſum fuiſſe *Stephanum* epiſcopum Dorenſem propter cauſam fidei à Monothelitis oppugnatæ, ſupra dictum eſt. Is tertio Romam veniens anno Chriſti 649. quum actu celebraretur, præſidente Martino I. Papa, ſynodus Lateranenſis adverſus eoſdem Monothelitas, libellum Martino & ſynodo huic obtulit, in quo poſt plura quæ ſuperius recitata ſunt, ſic pergit in rem noſtram, exponens videlicet quid ſedi Hieroſolymitanæ contigerit à Sophronii obitu. *Paulus Conſtantinopolitanus antiſtes,* inquit *to. 6. conc. Labb. col. 108. E. & ſeqq. ſuaſit clementiſſimo principi noſtro Typum exponere fidei, in quo Typo ſanctorum Patrum doctrinas cum nefandiſſimorum hæreticorum pravitatibus funditus amputaverunt, nec unam, nec duas debere voluntates aut operationes Chriſti Dei promulgantes quempiam confiteri, &c. Igitur prædictam ſanctam ſynodum* (Chalcedonenſem,) *& omnes ſanctos Patres projicere volentes, hæc eadem dogmatizare & ſcribere contra fidem auſi ſunt. Sed & hoc doceo ſanctitatem veſtram, quia temporis attendentes perturbationem, multos in Oriente per ambitionem decepiſſe noſcuntur. Sergius namque quondam Joppenſis epiſcopus, poſt receſſum gentis Perſarum, loci ſervaturam* (vicariatum) *ſedis Hieroſolymitanæ arripiens, non quidem per eccleſiaſticam auctoritatem, ſed ſæcularem poteſtatem contra canones, ibidem ſub ſedem Hieroſolymitanam pertinentem, aliquos epiſcopos ordinavit; & quum ipſe minimè fuerat confirmatus, alios ordinare præſumpſit. Hi autem propterea ſcientes veraciter inanem eſſe* (id eſt, illegitimam) *ordinationem eorum, per propria ſcripta conſentientes, applicuerunt affectatæ ſe novitati, quæ à Paulo epiſcopo Conſtantinopolitano defenditur; quaſi ex hoc ſperantes enormiter, quod impoſſibile eſt, confirmari. De quibus & antea apoſtolicæ ſedi innotui* (notum feci,) *id eſt, beatæ memoriæ deceſſori veſtro Theodoro: juſſitque mihi indigno per ſacram ſuam præceptionem, ordinans me loci ſervatorem per apoſtolica ejus ſcripta, quatenus tam ea, quam quæ fuiſſent eccleſiaſtica capitula, peragere debuiſſem: & canonicè, ſi nullatenus emendarentur, qui ſub denominato prætextu ordinati ſunt epiſcopi, deponerem eos. Quod & feciſſe me certum eſt, & præcipuè quoniam in errorem à veritate recedentes ſponte delapſi ſunt: tantumque illos recepi ſecundum juſſionem ejus, qui libellum pœnitentiæ obtulerunt, & profeſſi ſunt in ſcripto, conſervare indeſinenter & amplecti atque prædicare ſanctorum Patrum & ſynodorum doctrinas. Quorum libellos nuper deferens obtuli ſacratiſſimæ præſidenti ſanctitati veſtræ, Martino ter beatiſſimo Papæ, ab eo quod aliqui eorum merito recepti & confirmati ſunt, aliqui vero pro tuitione catholicæ eccleſiæ condemnati ſunt. Ideoque exoro, ut minimè deſpiciatis humilitatis meæ & omnium Orientalium orthodoxorum ſacerdotum & populorum, necnon prædicti Domini mei ſanctæ memoriæ Sophronii, ſuper tali capitulo inſtantias aſſiduaſque precationes, veſtræ beatitudini, per meam humilitatem cum lacrymis oblatas, &c.* Cui ſic ſubſcripſit: *Stephanus per Dei miſericordiam epiſcopus Dorenſis, & primus ſanctæ ſynodi* (Congregationis) *ſub Hieroſolymorum Patriarcha ſede conſiſtentis, præſenti libello à me dictato, manu propria ſubſcribens obtuli die ſexta* (quinta) *Octobris menſis, feria tertia* (quinta) μηνὶ Ὀκτωβρίῳ τῇ ἡμέρᾳ πέμπτῃ, *Indictione octava.* Sergius utique ille Joppenſis hanc poteſtatem ſibi arrogaverat, Heraclii auctoritate fultus, & ante Sophronii ordinationem, & rurſus poſt ejus obitum, ut indicat Martinus Papa in epiſtola ad Joannem

τὴν τοποτηρησίαν.

Philadelphiæ epiſcopum ſcripta, qua eum conſtituebat ſedis apoſtolicæ vicarium in ſedibus Antiochiæ & Hieroſolymorum, eique acta concilii ſui Lateranenſis publicanda mittebat: *Cujus rei gratia*, inquit, *hortamur canonem obſervari in iis, qui præter mentem ac ſcientiam ſe ipſos elegerunt, vel delecti ſunt in Patriarchia beatæ memoriæ Sophronii. Qui ſanè ante ipſius Patriarchiam, vel poſt deceſſum in Domino, à quibuſdam non convenienter electi ſunt, propter anguſtiam.... temporis, vel quod ejus copia non eſſet, qui judicio adhibito ſive juxta canones, eligere deberet, vel permittere, &c.* Nos latet an tempore Lateranenſis concilii adhuc in vivis eſſet Sergius iſte Joppenſis de quo conquerebatur Stephanus Dorenſis, ſed ex ejus relatione manifeſtum eſt ipſum multa libertate munere ſibi injuncto à Theodoro Papa in Palæſtina functum eſſe, ita ut in errore pertinaces ad ordinem redegerit. Voluerat quidem Martinus ei committere vices ſuas pro eadem eccleſia Hieroſolymitana, ſicut antea fecerat prædeceſſor ſuus Theodorus: ſed prævidens eum à quibuſdam fore arcendum in hac adminiſtratione, qui eumdem jam calumniis coram ſynodo Lateranenſi infamaverant, à quibus tamen ſeſe plene purgaverat Stephanus, præfatum Joannem Philadelphiæ epiſcopum ea poteſtate illius loco donavit. Id totum mœrens denuntiat Martinus in epiſtola ad Pantaleonem *tom. 6. conc. Labb. col. 34.* his verbis: *Semper quidem omnis hominum vita, &c. Quandoquidem errori & amentiæ delicti, caſtigationis & emendationis medicinam Dei humanitas adjunxit. Quod charitas tua manifeſte cognoſcens, non debuit ita ſe gerere adverſus eum, qui ab apoſtolica ſede miſſus eſſet, Stephanum Deo amabilem epiſcopum Dorenſium civitatis; aut ejuſmodi de eo ad nos per propriam relationem tranſmittere: quum Salvatoris noſtri mandatum id non facere jubeat, ſed præcipiat invicem ſincere diligere. Ecce enim illa diligenter expendentes, vana prorſus invenimus, nec ullis argumentis demonſtrata; atque idcirco eum merito ex apoſtolica juſtificavimus auctoritate: iis autem qui contra eum ſcripſerunt, crimen dimiſimus, canonis rigorem miſericordia temperantes, & ad reſipiſcentiam ipſis ſufficere exiſtimantes fabulæ revelationem, &c. Univerſam enim, quæ iſtic eſt, catholicam eccleſiam clauſerunt, quantum in ipſis eſt, qui vel fecerunt vel conſenſerunt ne memorato epiſcopo redderentur miſſa ad eum ab apoſtolica ſede præcepta: quibus ejus vicarius conſtitutus eſt, ac juſſus, propter temporis anguſtias, id eſt, propter preſſuram irruentium in nos gentium, canonicè inſtituere, ad ſupplementum eccleſiaſtici ordinis, epiſcopos & preſbyteros & diaconos; quoad poteſtas nobis*

to. 6. conc. col. 22. D.

δι᾽ ὧν τοποτηρητήν.

A *defuit ad promovendum Patriarcham Hieroſolymorum, &c. Quam igitur defenſionem habebunt, quum jam propter eos non ſint ibi epiſcopi & ſacerdotes, qui jugiter altari inſiſtant, &c. Unde ob hanc poteſtatem* (quam à Domino accepimus ut populis fluctuantibus humanè ac benignè opitulemur) *mota apoſtolica ſedes nihil prætermiſit, quo catholica iſtic eccleſia* (Hieroſolymorum) *per memoratum religioſum epiſcopum convenienter ſacerdotale decus recuperaret; qui vero id prohibuerunt, ſibi de eo imputabunt rationem. Cujus cauſa lugens & contriſtatus* B *ingredior, dies noctesque bonitatem Dei cum lacrymis obſecrans, ne hereditatem ſuam uſque in finem repellat; ſed oſtium aperiat, quod illi concluſerunt: ut rurſum iſtic ſacerdotii ejus, per ſupplementum epiſcoporum, ſplendor & ornamentum exoriatur, eccleſiæ oves cura paſtorali ſervans, & à luporum inſidiis vigilanti ſtudio eripiens. De iis, qui non canonicè iſtic electi ſunt in Patriarchia beatæ memoriæ Sophronii, eum canonem inviolabiliter decernimus cuſtodiri, qui à ſanctis apoſtolis & patribus noſtris conſtitutus eſt de iis qui in alia civitate præter ſententiam* C *ſcientiamque pontificis, qui ei civitati præeſt, vel eligunt, vel eliguntur, vel conſentiunt, vel convocant. Canones enim eccleſiaſticos ſolvere non poſſumus; qui defenſores & cuſtodes canonum ſumus, non tranſgreſſores. Tametſi utramque ſedem illi violarunt: hanc quidem apoſtolicam ſedem, quod creationum præcepta non dederint, ut ante dictum eſt, ſedem vero ſancti Jacobi, quod Sophronium celare ſtuduerint; ut cæteri liberè, ſicuti ipſi volunt, non ſicut ſanctus ſpiritus jubet, electiones ſibi arrogarent. Tales propterea eccleſiæ canon caſtigat; non enim con-* D *fuſionis ac turbationis Deus eſt, ſed ordinis & pacis. Qui vero ante ipſius Patriarchiam, aut poſt dormitionem memorati Sophronii creati ſunt; de iis ſcripſimus, propter temporis anguſtiam, quæ ſic creatis defenſionis locum præbet, quum inde eccleſiaſtico canoni nullo modo præjudicetur: ut quum libellum ſinceræ pœnitentiæ ſive orthodoxæ fidei dederint ei, qui nuper à nobis ad id iſtic delectus eſt* (id eſt, Joanni Philadelphiæ epiſcopo) *eos in proprio ordine confirmet; modo hi ex aliis peccatis non prohibeantur confirmari, quæ à canone notata ſint.*

E *Joannes* itaque Philadelphiæ epiſcopus, loco præfati Stephani Dorenſis epiſcopi, delegatus eſt à Martino Papa, qui curam gereret eccleſiæ Hieroſolymitanæ nomine ſedis apoſtolicæ. Hoc munus ei commiſit epiſtola ad eum ſcripta, ex qua jam ſupra verba quædam retulimus. In ea autem epiſtola hæc in rem noſtram notanda videntur. Sic incipit: *Fidelis ſermo, &c. Dilecte frater, & ex iis quæ ad nos à te ſcripta ſunt, & ab iis qui experimentum jam cœperunt ſpiritualis tuæ ſecundum*

to. 6. conc. col. 20.

Deum converſationis, Stephano nempe dilecto coëpiſcopo noſtro, & comitibus ejus, monachis manſionis ſancti Theodoſii. Notum enim fecerunt nobis ſtudium te de iis habere, in quibus epiſcopum eſſe oportere apoſtolicus ſermo determinat: Sobrium, prudentem, &c. (1. Tim. 3.) *Hæc igitur audientes, gratiam habemus Deo, cui ſervimus à juventute noſtra, qui confortavit vos cum omnibus qui eum diligunt, ut ad menſuram perveneritis hujuſmodi Deo amabilis virtutis, &c. Sic igitur.... charitatem tuam exhortamur, religioſiſſime frater, noſtram iſtic vicem implere, id eſt, in Orientis partibus, in omnibus eccleſiaſticis functionibus atque officiis: ut in hoc maximè, ſicut oportet, ſuſcites gratiam Dei, quæ in te eſt per impoſitionem ſacerdotalis dignitatis, & noſtræ apoſtolicæ vicis.... ad tollendam omnem hæreſim, quæ verbo fidei adverſatur: & ad omne vitium expugnandum, quod virtuti divinæ contrarium ſit: ut ſic proſperans in Domino, ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per omnem civitatem, earum quæ ſedi tum Hieroſolymitanæ, tum Antiochenæ ſubſunt, epiſcopos, & presbyteros, & diaconos: hoc tibi omni modo facere præcipientibus nobis ex apoſtolica auctoritate, quæ data eſt nobis à Domino per Petrum ſanctiſſimum, & principem apoſtolorum; propter anguſtias temporis noſtri, & preſſuram gentium; ne uſque in finem in illis partibus deficiat ſacerdotalis decoris eximius ordo.... Nam oportet in hoc maxime tempore paſtoribus ſpiritualibus frequentari ac muniri, quæ ubique ſunt Dei catholicas eccleſias, &c. Quocirca ne differas omni modo, dilecte, implere, juxta præceptum noſtrum, epiſcopis, & presbyteris, & diaconis, quæ iſtic ſunt catholicas eccleſias, qui per propriam eorum converſationem in omnibus bonis teſtimonium habeant. Oportet enim epiſcopum, ſicut beatus Paulus dicit, ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, &c. Dolor enim mihi eſt magnus, & inceſſabilis moleſtia cordi meo, quoad uſque per veſtrum in Chriſto ſtudium, hoc opus abſolutum videam: quandoquidem hoc & prius apoſtolica hæc ſedes fieri præcepit per memoratum Stephanum* (Dorenſem) *dilectum coëpiſcopum noſtrum. Sed hoc ſalutare propoſitum ad effectum venire prohibuerunt, qui talia prohibere dignos ſe ipſos præſtiterunt: qui pro arbitratu ſuo, ea quæ ædificationis ſunt, nota ei omnino non fecerunt, nempe præcepta demandatæ vicis apoſtolicæ hujus cathedræ; quibus juſſus eſt electiones ibi facere eorum, qui ad curam Chriſtianiſſimi populi deligendi ſunt: ſolummodo autem ei ſignificarunt de depoſitione, timorem Domini minime cogitantes.... Quoniam igitur, ut noſti, dilecte frater, in ædificationem magis quam in deſtructionem à Domino poteſtatem accepimus; ſtudio tibi ſit, ea quæ ædificationis ſunt operari, dato tibi per nos ejus diſcipulos apoſtolico præcepto*

καὶ τῆς ἡμετέρας ἀποστολικῆς τοποτηρησίας.

A *& poteſtate: & gratia dignos promovere nequaquam dubites, ad incolumitatem & ſecuritatem eccleſiæ catholicæ; cum magna dilectione exhortans eos, qui jam depoſiti ſunt, converti ad Dominum: poteſt enim eos rurſum in admirabilem lucem ſuam adducere, qui hæc facit, & immutat, prout utilius eſt, &c. Quapropter ſi virtuti gratiæ mentem obſequentem habebunt, & obedientem aurem, ut perſuadeantur, & audiant vocem Domini, ut eum per veram confeſſionem cognoſcant; confirma unumquemque eorum in proprio ordine, ſcriptos libellos ipſis dantibus de* B *orthodoxa fide: ut fructum Deo ferant, aliorum converſionem & meliorationem: atque ut multum fructum afferentes, majore à Deo honore digni habeantur. Hoc etiam omnino advertet charitas tua, in iis qui ab ipſa confirmantur, aut eliguntur; ne quo modo, præter hæreſim quæ ab ipſis dato libello evacuatur, alia quædam peccata, notata canone, eorum impediant vel confirmationem vel electionem. Impoſſibile enim eſt, ea contegere vel prætermittere, quæ continentem locum defenſionis non habent: ſed omnino in iis qui libenter peccant & amant peccare, dene-* C *gare oportet eam veniam, quæ in hujuſmodi lapſibus ex diſpenſatione datur; ne & ipſi propter canonis contemptum amplius graventur, & nos in culpa ſimus, injuſtè agendi iis licentiam permittentes. Defenſores enim divinorum canonum & cuſtodes ſumus, non prævaricatores .... cujus rei gratia, hortamur canonem obſervari in iis, qui præter mentem ac ſcientiam ſe ipſos elegerunt vel delecti ſunt in Patriarchia beatæ memoriæ Sophronii. Qui ſane ante ipſius Patriarchiam, vel poſt deceſſum in Domino, à quibuſdam non convenienter electi ſunt, propter* D *anguſtiam, ut dictum eſt, temporis, vel quod ejus copia non eſſet, qui judicio adhibito ſive juxta canones eligere deberet, vel permittere: tales datis ſcriptis libellis confirmari mandamus, nullatenus inde canoni præjudicio facto. Novit enim canon afflictorum temporum perſecutionibus veniam tribuere, in quibus contemptus non præceſſit, prævaricationem redarguens, ſed anguſtia magis & penuria, quæ propter neceſſitatem, ex miſericordia cogit multam diligentiam prætermittere, &c.* Et ſub finem: *Ecce vero in auxilium, ut magno ſtudio, ac ſine* E *ullo impedimento, charitas tua miniſterium impleat, à noſtra apoſtolica auctoritate tibi commiſſum; hortati ſumus Deo amabiles epiſcopos, ipſum dico Theodorum Eſbuntiorum, & Antonium Bacatorum, adeſſe in omnibus, ac pro viribus inſervire hujuſmodi ſpirituali voluntati tuæ: quibuſcum & Georgium dilectum presbyterum & archimandritam, & Petrum Chriſti amantem Adraenſem nempè, ac omnino eos, qui in illis partibus fidem Dei verumque zelum habent; quorum merces plurima erit apud Deum,*

Digitized by Google

quum vobis promptitudinem animi ſtudiique ſui præſtiterint in omni obedientia & gratiæ perfectione. Hæc Martinus Papa ad Joannem Philadelphiæ epiſcopum, pro regimine eccleſiæ Hieroſolymitanæ, *ibid. col. 24.* In epiſtola vero quam ſcripſit ad Theodorum epiſcopum Eſbuntiorum, *to. eodem 6. conc. Labb. col. 30.* ſic loquitur: *Quæ autem ſynodaliter à nobis hîc geſta ſunt, ad confirmationem defenſionemque eccleſiæ catholicæ, id eſt, paternarum ejus ac ſynodalium definitionum, nuper miſimus ei, qui à nobis vicarius canonicè deſignatus eſt, dilecto fratri noſtro & epiſcopo Philadelphenſium civitatis; cui bene facitis aſſentientes, & omnes orthodoxos una vobiſcum excitantes ad eorum articulorum implementum, qui ei piè commiſſi ſunt, ad commendationem eccleſiæ catholicæ.* Idem legitur, iiſdemque terminis in epiſtolis Martini, tum ad Antonium epiſcopum Bacatorum, *ibidem col. 32.* tum ad Georgium archimandritam monaſterii ſancti Theodoſii, *col. 33.* de obedientia ſcilicet ab iis præſtanda conſtituto à ſe vicario Joanni epiſcopo Philadelphiæ. Huic Georgio inſuper hæc notanda ait, de Stephano Dorenſi epiſcopo: *qui per proprios monachos nobis eum conſervaſti, qui à noſtra apoſtolica cathedra miſſus eſt, Deo amabiliſſimum Stephanum epiſcopum civitatis Dorenſium. Pro quo mercedem à Domino habentes, ſatagite ad certamina pro pietate ſtudioſius vos extendere; & virtutum reginam, ſanctiſſimam noſtram fidem omni bono zelo defendere, &c.* Petro ſimiliter illuſtri, Joannem Philadelphiæ epiſcopum, iis verbis commendat, *ibid. col. 38. & ſeq. Sapienter te ipſum conſtituiſti, dilecte: ac merito ea ſola cogitas quæ ſunt Jeſu-Chriſti, ad perfectam ſalutem feſtinans: quam tibi ardenter deſideranti nos quoque conciliantes hortamur, ut intentiore ſtudio vires tuas conferas Dei amantiſſimo epiſcopo Philadelphenſium civitatis: quoniam eum vice noſtra, Deo juvante, fungi canonicè juſſimus: ut catholicas in illis partibus eccleſias decenter ordinet, in iis omnibus epiſcopos, & preſbyteros, & diaconos creans, permiſſa ei à Domino per nos minimos, ſive per auctoritatem ſancti & principis apoſtolorum Petri, ſpirituali poteſtate: ne viduati in tam multis temporibus, talique afflictionis preſſura, populi in terram ſqualidam & infrugiferam vertantur; ſed ut magis augeantur ac ſplendeſcant, inſtantia diligentiaque ſacerdotum: qui ut conſtituantur, adjuvans veſtra Chriſti amans claritudo per præfatum dilectum noſtrum coëpiſcopum, propriæ matris, nempe catholicæ eccleſiæ viſcera reficiet, &c.* Demum idem Martinus Papa ſcribit in hunc modum *ib. col. 41.* E. ad eccleſias Antiochiæ & Hieroſolymorum, poſtquam eis nuntiavit Monothelitarum hæreſim in concilio Later. fuiſſe damnatam, ordinationem vero Macedonii pro ſede Antiochena, item & Petri pro Alexandrina eſſe illegitimas, illoſque adhortatus fuit ut in fide catholica perſiſterent: *Catholicam & apoſtolicam eccleſiam.... nos ædificare properantes in Spiritu ſancto, ad majorem ejus ſtabilitatem convenienter ſtuduimus in præſenti præcipere, ſecundum poteſtatem nobis à Domino in gratia datam per ſanctum Petrum Apoſtolorum principem, Joanni dilecto fratri noſtro epiſcopo Philadelphenſium civitatis, ut locum noſtrum in omnibus eccleſiaſticis articulis in partibus Orientis ſuppleat; & creet in omnibus civitatibus, quæ Antiochenæ ſedi, quæque Hieroſolymitanæ ſacerdotaliter ſubſunt, epiſcopos, & preſbyteros, & diaconos, &c.* (mandantes) *ut tanquam obedientes filii, unanimiter omnes ſacro divinoque ſtudio adjuvetis propoſitum apoſtolica auctoritate vicarium noſtrum, nempe dilectum epiſcopum Philadelphenſium; ut omnimodis perficiatis opus miniſterii hujus ad ſalutem animarum veſtrarum: non configurati inobedientibus aut contradicentibus veritati per inconſiſtentem ipſorum hæreſim; ſed ſecundum eum, qui vocavit vos, ſanctum, & ipſi ſancti in omni converſatione ſitis, per obedientiam & gratiam in eodem verbo fidei, &c.*

Jam ſupra dictum eſt, inter ſubſcriptiones epiſcoporum qui per ſe, vel per legatos adfuerunt ſynodo ſextæ generali anno 680. habitæ contra Monothelitas, legi ſubſcriptionem Georgii preſbyteri & monachi vices gerentis *Theodori* locum tenentis ſedis Hieroſolymitanæ: hinc enim conſtat, tunc temporis, vacante adhuc ea ſede, Theodorum quemdam huic eccleſiæ commiſſione vicariali præfuiſſe: ſic enim legitur *tom. 6. concil. Labb. coll. 1028. & ſeq. 1057. & 1077. Georgius humilis preſbyter ſanctæ Chriſti Dei noſtri reſurrectionis, & locum gerens Theodori Deo amabilis preſbyteri & locum ſervantis* ſive vicarii *apoſtolicæ ſedis Hieroſolymorum, ſimiliter ſubſcripſi.* Theodorum hunc exiſtimaverat olim Papebrochius fuiſſe Theodori Papæ, Martini prædeceſſoris, patrem, & poſt mortem Sophronii ei fuiſſe ſuffectum: ſed poſtea contrarium ſenſit, ut ipſemet declarat *tract. prælim. in acta ſanctorum to. 3. Maii, n. 154. pag. 35. col. 1.* his verbis: conſtat ex eo loco (ex relatione nimirum Stephani Dorenſis epiſcopi in concilio Lateran. ſub Martino I. ſupra adducta) nullum fuiſſe vere Patriarcham poſt mortem ſancti Sophronii, quare mutatum cupio quod ad commentarium de eodem (Sophronio, ad diem 11. Martii) *num. 41.* inſinuavi, fieri potuiſſe ut *epiſcopus Theodorus* pater *Theodori de Hieroſolyma Romani Pontificis* ordinati anno 649. (dicendum potius 642.) fuerit ſucceſſor Sophronii

mediatus

mediatus vel immediatus...... Nam id eo minus credi poteſt, quod prædictus Stephanus à prædicto Papa Theodoro conſtitutus fuerit apoſtolicæ ſedis locum-tenens ſeu legatus, ad illegitimas illas ordinationes, (quæ à Sergio Joppenſi attentatæ fuerant) vel abolendas omnino, vel corrigendas, reformandaſque in gratiam eorum qui ſe orthodoxos probarent. Quis enim dubitare poteſt quin ſi ipſius Theodori (Romani Pontificis) pater tunc Patriarcha (Hieroſolymitanus) fuiſſet, alio prorſus modo proceſſum foret? Quemadmodum vero ἡ τοποτηρησία τοῦ θρόνου, *Locitenentia in throno, à Sergio Joppenſi* præter jus uſurpata, *Stephano Dorenſi* attributa fuit à Romano Pontifice: ſic & deinceps credibile eſt alios atque alios inſtitutos fuiſſe τοποτηρητὰς locum-tenentes, uſque dum iterum reſumtus eſt titulus Patriarchæ, Saracenis pacificam totius Orientis poſſeſſionem adeptis. Addit idem Papebrochius *num. ſeq. 155.* Theodorum locum-tenentem Patriarchæ Hieroſolymitani, qui per Georgium preſbyterum & monachum legatum ſuum ſubſcripſit actis ſynodi ſextæ generalis, eum eſſe qui in Latinis catalogis nominatur poſt Sophronium, perperam creditus pater Theodori Papæ, & cauſam errandi fuiſſe quod Theodorus Papa diceretur *filius epiſcopi de Hieroſolyma,* quaſi id foret idem ac *epiſcopi Hieroſolymitani;* quum debuiſſet intelligi *Theodorus de Hieroſolyma,* ſcilicet natus, *filius epiſcopi,* alicujus nimirum innominatæ civitatis ſub Hieroſolymitano Patriarcha conſtitutæ. Ita Papebrochius ultimum citatus. Tres itaque ſupra memoratos habemus, videlicet *Stephanum* epiſcopum Dorenſem, *Joannem* Philadelphiæ epiſcopum, & *Theodorum* preſbyterum, qui poſt Sophronii mortem uſque ad ſynodum ſextam generalem, id eſt ab anno veroſimilius 643. vel 644. uſque ad finem anni 680. eccleſiam Hieroſolymitanam vicaria poteſtate adminiſtraverint. Verum quamdiu poſt eam ſynodum vixerit poſtremus iſte *Theodorus,* & an alius ei ſucceſſerit eodem modo vicarius, uſque ad Joannem V. nos latet.

LIX. Joannes V.

Ex Patriarcharum Hieroſolymitanorum numero, ſupra expungendum oſtendimus, *col. 281. Anaſtaſium* quemdam, hominem confictum à Græcis, cujus ſubſcriptio legitur inter cæteras epiſcoporum canonibus Trullanis appoſitas anno Chriſti 692. in hunc modum, *to. 6. concil. Labb. col. 1188. Anaſtaſius humilis epiſcopus ſanctæ civitatis Hieruſalem.* Nullibi enim aliàs de eo epiſcopo vel levis mentio occurrit: teſtatur vero Anaſtaſius A Bibliothecarius, nullum Patriarcharum (excepto Conſtantinopolitano, ſaltem ut probabile eſt) concilio quiniſexto, ubi canones illi conditi ſunt, adfuiſſe. Poſt iſtam itaque 60. circiter annorum eccleſiæ Hieroſolymitanæ viduitatem, conſtitutus tandem eſt hujus ſedis Patriarcha *Joannes V.* quem tabulæ Theophanis ipſo primo Juſtiniani II. reſtituti anno, id eſt, Chriſti 705. renuntiatum ferunt, atque triginta annos epiſcopatum geſſiſſe: *Hieroſolymorum Joannes annos triginta.* Eutychius Alexandrinus Joannem poſt multos à So- B phronii morte annos Patriarcham creatum quadraginta annis ſediſſe narrat. Hujus Joannis meminit *S. Joannes Damaſcenus,* in epiſt. ad Jordanem archimandritam, quæ extat Græcè & Latinè *tom. 1. operum hujus ſancti Joannis, recentioris edit. Pariſ. 1712. col. 480. de Hymno Triſagio.* In ea enim epiſtola Joannem iſtum *diviniſſimum* & *hominem Dei* appellat, illumque ab Anaſtaſio monaſterii S. Theodoſii præfecto immerito recenſeri ait, ut qui hymnum triſagium ſoli filio decantari, non autem tribus ſanctæ Trinitatis perſonis, C exiſtimaſſet. Hunc Damaſcenus ſibi notiſſimum fuiſſe aſſerit: *Quidnam eſt,* inquit, *quod loquente & vivente ſancto viro hæc minimè de eo dicta ſint? Ecquis vero illum melius me novit? nemo profecto: quippe qui nullam ſpiritualem vitam* (ſeu doctrinam) *ſpiravit, quam mihi, uti diſcipulo, non communicaret.* Papebrochius *tract. prælim. in Act. SS. to. 3. Maii, n. 156. pag. 35. col. 2.* E. F. conjicit Damaſcenum, ab eo Joanne accerſitum, preſbyterumque ordinatum, aliquandiu apud eum manſiſſe: epiſtolam autem modo citatam D ſcriptam fuiſſe non multo poſt Joannis Hieroſolymitani Patriarchæ obitum, qui circa annum Chriſti 735. aut 745. contigit. De eo intelligendus venit Theophanes, quando ad annum 13. Leonis Iſauri, Chriſti 729. narratis quæ adverſus hujus Imperatoris conatus in ſacras imagines Germanus Conſtantinopolitanus Patriarcha, Gregorius II. Papa, necnon Joannes Damaſcenus geſſerunt, addit, *& Joannes cum Orientis epiſcopis anathemati impium ſupponit:* Id vero eidem principi Damaſcenus comminatus fuerat in fine E duarum priorum orationum quas pro imaginibus edidit, ſcilicet fore ut *ex Sion exeat lex, & verbum Domini de Hieruſalem,* quo impietas iſta proſcriberetur. Extat Joanni Damaſceno adſcripta invectiva in Conſtantinum Copronymum, quæ in codice regio 2428. *Joannis Hieroſolymorum ſanctæ civitatis archiepiſcopi* nomen defert; ſed hujus Joannis fœtus eſſe non poteſt, quantumvis ſupponatur Joannes iſte, juxta Eutychii annales, annos 40. ſediſſe, id eſt ad ann. Chr. 744. aut 745.

Digitized by Google

quia lucubratio illa nonnulla Copronymi geſta in ſacras imagines commemorat, quæ eam ante annum Chriſti 754. quo ſynodum ſuam adverſus eaſdem Copronymus celebravit, ſcriptam non fuiſſe indicant. Hinc etiam non improbabili conjecturæ locus datur, huic Joanni V. fortaſſis ſucceſſiſſe *Joannem* alterum, quem cum illo ſcriptores confuderint: maximè quum Theodorus vix ante ann. 754. aut 755. eccleſiæ Hieroſolymitanæ regimen ſuſcepiſſe videatur.

LX. Theodorus I.

Papebrochius *tract. prælim. in Acta ſanctorum to. 3. Maii, n. 166. pag. 38. col. 1.* A. B. obſervat, gementibus ſub duro Saracenorum jugo eccleſiis Syriæ & Ægypti, atque inprimis Hieroſolymitana, neminem fuiſſe qui in hac poſtrema ſede ſucceſſionem accuratam traderet, in idque ſolos inquiſiiſſe Latinos, poſtquam ſuis armis liberata urbs ſancta eſt. Exinde enim turmatim effloruere ſcriptores belli ſacri, ea quidem primum narrantes quæ ſub ipſorum oculis geſta fuerant, ſed nec omittentes, ſaltem aliquot eorum, notitiam ſcrutari præcedentium hujus eccleſiæ Patriarcharum, nonnullamque illorum ſeriem texere. Hoc tamen nec ipſi ita plenè aſſequi potuerunt, quin eorumdem Patriarcharum aliquot ipſorum diligentiam fugerent. Catalogorum iſtiuſmodi, inquit, unum habemus in collegii noſtri Brugenſis codice inſigni membraneo, ubi poſt Roberti & Fulcherii Hieroſolymitanam hiſtoriam, invenitur *deſcriptio locorum circa Hieruſalem adjacentium*, & ad ejus calcem recenſentur nomina, primo *epiſcoporum ac Patriarcharum* uſque ad *Fulcherium*: deinde *regum Judæorum ac Latinorum* uſque ad *Balduinum III.* tum *principum Edeſſanorum, Galilææ, ac Tripolitanorum.* Qui omnes finiunt circa annum 1150. Hunc catalogum Latinum ſub nomine *manuſcripti Brugenſis* aut *Rubeæ-vallenſis* citandum monet impoſterum idem Papebrochius; addit autem *n. 167.* prædictos catalogos in ſuis manuſcriptis, initio perquam imperfectos eſſe, quippe qui prætererint *locum-tenentes* qui poſt Sophronii mortem eccleſiam Hieroſolymitanam adminiſtravere, & ipſum quoque Joannem V. Patriarcham: ut ordinem ſucceſſionis reſumant in *Theodoro* de quo nunc nobis agendum eſt. Hujus meminit Theophanes ad annum 23. Conſtantini Copronymi, id eſt, Chriſti 764. ubi narrat *pag. 365.* Coſmam Epiphaniæ Syriæ epiſcopum à civibus ſuis delatum Theodoro Antiocheno Patriarchæ quod ſacra vaſa diſtraxiſſet, rectæ fidei deſertorem factum, in Copronymi ſententiam perverſam adverſus ſacras imagines tranſiiſſe:

A ob idque ab eodem Theodoro Antiocheno, à Theodoro quoque Hieroſolymitano, & à Coſma Alexandrino Patriarchis, ac ab eorum epiſcopis ſuffraganeis, die ſancto Pentecoſtes, poſt evangelii lectionem, ab illorum ſingulis, in propriis eccleſiis, concordi animo, unaque voce, anathemati fuiſſe ſubjectum. Hunc Theodorum Hieroſolymitanum, anno tertio Valid Califæ Abdalmaleci filii, Chriſti 607. ordinatum Patriarcham tradit Eutychius Alexandrinus, errore manifeſto, *ac triginta quinque annos ſediſſe.* Conſtantinus Pſeudo-Pon-
B tifex Romanus, qui Paulo I. defuncto anno 767. ſedem apoſtolicam invaſit, ad Pippinum Francorum regem ſcribens eam epiſtolam, quæ 29. eſt codicis Carolini, & refertur à Ducheſne *to. 3. hiſt. Franc. p. 826.* C. recepiſſe ſe ait ſynodicas quas Theodorus Hieroſolymitanus ad Paulum mittebat. *Itaque innoteſcimus* (id eſt, notum facimus) *excellentiæ veſtræ, quod duodecima die præteriti Auguſti menſis, quintæ Indictionis, conjuncti* (legendum fortaſſis *quintæ Indictioni conjuncti*) *ad nos à ſancta civitate quidam religioſus preſbyter, Con-*
C *ſtantinus nomine* (venit,) *deferens ſynodicam fidei miſſam à Theodoro Hieroſolymorum Patriarcha ad nomen prædeceſſoris noſtri Domni Pauli Papæ, in qua & reliqui Patriarchæ, id eſt, Alexandrinus, & Antiochenus, & plurimi metropolitani & epiſcopi Orientalium partium viſi ſunt concordaſſe, eamque cum magna lætitia ſuſcipientes, atque amplectentes, in populo in ambone relegi fecimus, cujus exemplar in Latino & Græco eloquio veſtræ excellentiæ direximus, ut cognoſcatis qualis fervor ſanctarum imaginum Orientalibus in partibus cunctis Chriſtianis im-*
D *minet.* Scribebat ſuam hanc epiſtolam Conſtantinus anno 767. Excerptum quoddam ex ea Theodori ſynodica legitur in epiſtola Adriani I. Papæ ad Carolum Magnum, pro ſynodo Nicæna II. ſcripta probabiliter anno Chriſti 794. poſt concil. Francoford. quæ extat *to. 7. concil. Labb. Item,* inquit Adrianus, *ibid. cap. 18. col. 924.* A. *Ex ſynodica trium Patriarcharum, videlicet Coſmæ Alexandriæ, Theodori Antiochiæ, & Theodori Hieroſolymæ, quæ in prædicto concilio* (Romano anno 769. coacto ſub Stephano III. Papa)
E *relecta, ab omnibus fideliter honorata, & venerabiliter ſuſcepta eſt, ubi poſt multa ſanctorum Patrum teſtimonia, Theodorus Patriarcha Hieroſolymorum inquit: Reſtat mihi tempus enarrandi de Abagaro Edeſſeno, & alia, aut ſimilia ſanctorum Patrum, quæ & vos melius cognoſcitis. Perſevera, ſanctiſſime Pater, perſevera in eadem bona fide, corroboratus ſuper petram fidei, ſicut Deiloqua vox affata eſt Apoſtolum Petrum:* Tu es Petrus, &c. *Verè non prævalebunt ei in ſæculum ſæculi. Cognitum facimus tibi ſanctiſſimo*

Digitized by Google

Domino, ego humilis Theodorus Patriarcha Hieroſolymorum, & hi qui nobiſcum ſunt, Coſmas Patriarcha Alexandriæ, & Theodorus Patriarcha Antiochiæ, id ipſum intelligimus, & credimus, ſicut & veſtræ ſanctitati patet. Superius autem *cap. 2. ibid. col. 919.* D. E. diluens Adrianus quod contra hunc Theodorum objecerant qui ſynodum Nicænam II. rejiciebant: *Utrum Theodorus archiepiſcopus Hieroſolymorum rectè ſentiat, qui quum Patrem ſine principio penitus, & ſempiternum ſe credere dixit, filium, neſcio ſub qua ambage verborum, non aliud principium quam Patrem agnoſcentem, & ex ipſo ſubſiſtentiam habentem profeſſus ſit!* Reſpondit Adrianus: *Iſte Theodorus Patriarcha Hieroſolymorum, cum cæteris præcipuis Patriarchis, videlicet Coſma Alexandriæ, & Theodoro alio Antiochiæ, dudum prædeceſſori noſtro ſanctæ recordationis quondam Paulo Papæ miſerunt propriam eorum rectæ fidei ſynodicam, in qua & de ſacratiſſimis imaginibus ſubtili narratione, qualiter una cum noſtra ſancta catholica & apoſtolica univerſali Romana eccleſia, ipſi, cæteri Orientales orthodoxi epiſcopi, & Chriſtianus populus ſentiunt, & in earumdem ſanctarum imaginum veneratione ſincero mentis affectu ferventes in fide exiſtunt, ſtuduerunt intimandum. Quam ſynodicam in Latino interpretatam eloquio prædeceſſor noſter ſanctiſſimus Dominus Stephanus Papa, in ſuo concilio, quod & ipſe pro ſacris imaginibus, una cum diverſis epiſcopis in partibus Franciæ, ſeu Italiæ fecit, ſuſcipientes ac relegentes, placuerunt, tam de diverſis Francorum Patrum teſtimoniis, quam de ſymbolo fidei, ubi facti* (fati) *ſunt dicentes: ſi quis alium terminum fidei, ſive ſymbolum, aut doctrinam habet, præter quod traditum eſt à ſanctis, magnis, & univerſalibus ſex ſynodis, & confirmatum eſt ab his ſanctis patribus qui in iis convenerunt, & non adorant imaginem ſive figuram D. N. J. C. neque humanationem ejus confitentur, ſicut qui deſcendit & incarnatus eſt propter genus humanum: talem impium anathematizamus, & alienum extraneumque deputamus ſanctæ, catholicæ, & apoſtolicæ eccleſiæ, & cætera quæ longum eſt enarrari. Et ideo prædictus Theodorus archiepiſcopus taliter profeſſus eſt, ſanctorum Patrum ſequens doctrinam, &c.* Nec quiſquam ſibi perſuadeat Theodori epiſtolam, de qua hic loquitur Adrianus, eam eſſe ejuſdem Theodori epiſtolam ſynodicam, quam Orientis monachi Taraſio Conſtantinopolitano Patriarchæ miſerunt, quæque lecta eſt act. 3. ſynodi Nicænæ II. *tom. 7. conc. Labb. col. 175.* C. D. Nam, præter quam quod verba ab Adriano recitata non reperiuntur in illa epiſtola; inſuper clarum eſt ea ab illo referri, quaſi ex epiſtola quam Carolus Magnus, eique conſentientes epiſcopi non legiſſent in actis ſynodi Nicænæ II. licet iidem nonnulla epiſtolæ Theodori, quæ in illis actis extat, minus intellecta ſugillaſſent, ut ſupra vidimus. In litteris autem quas monachi modo memorati ad Taraſium Patriarcham Conſtantinopolitanum ſcripſere, ut ipſi, totique ſynodo convocandæ, epiſtolam Theodori ejus fidei profeſſionem continentem tranſmitterent, hæc aiunt: *Porro ad munitionem humilium litterarum noſtrarum, ſatisfactionemque beatitudinis dominationis veſtræ, atque victorum & triumphatorum Imperatorum noſtrorum, conſpeximus etiam exemplar ſynodicorum Theodori ſanctæ memoriæ Patris noſtri & Patriarchæ Hieroſolymorum, ſubjiciendum his quæ ſcripta ſunt à nobis. Hunc autem libellum, ſecundum ſolitum eccleſiæ ritum, idem ſanctæ recordationis ſcripſit beatis & almi termini ſanctis Patriarchis, Coſmæ ſcilicet Alexandriæ, & Theodoro Antiochiæ Theopoleos, qui & reciproca ſynodica eorum, dum adhuc viveret, recepiſſe dignoſcitur. Incolumes vos, &c.* Sequitur deinde: *Exemplar ſynodicorum Theodori ſanctiſſimi Patriarchæ Hieroſolymorum. Credimus igitur, &c.* Incipit nimirum epiſtola illa ſynodica ab integra catholicæ fidei profeſſione. Sic vero terminatur *ibid. col. 186. His itaque ſynodicis noſtris libenter acceptis, ſanctiſſimi, ſi quid inventum fuerit in illis emendatione indigens, ſine invidia veſtræ Deo plenæ doctrinæ nos participes facite, & ad remittendum ea nobis correcta eſtote precabiles, ut concorditer ex hoc fidelibus utriſque, id eſt, vobis & nobis inventis, glorificetur Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, amen.* Poſt lectionem autem hujus ſynodicæ Theodori Hieroſolymitani, *Petrus & Petrus Deo amabiles preſbyteri, & locum-tenentes ſanctiſſimi Papæ Adriani ſenioris Romæ dixerunt: Acquieſcimus, &c.* Et paulo inferius iidem: *Benedictus Deus, quia Orientis ſanctiſſimi ſummi ſacerdotes concordes in orthodoxa fide, & adoratione venerabilium imaginum, ſanctiſſimis Adriano Papæ Romano, & Taraſio Patriarchæ novæ Romæ inventi ſunt.* Ibid. *col. 186.* D. E. Quum autem aſſerant prædicti monachi Orientis, hanc Theodori Hieroſolymitani ſynodicam, ab illo datam fuiſſe Coſmæ Alexandriæ & Theodoro Antiochiæ Patriarchis, juxta ſolitum eccleſiæ ritum; nihil vetat quin eam eſſe cenſeamus, quam Theodorus iſte, ſtatim ab ordinatione ſua, ut tunc eccleſiæ leges & conſuetudo ferebant, ad Orientis Patriarchas orthodoxos dederit. Conſtat itaque Theodorum ad ſedem Hieroſolymitanam fuiſſe evectum, dum Coſmas orthodoxus eccleſiam Alexandrinam regeret, & alter Theodorus pariter orthodoxus Antiochenam: At

Digitized by Google

quonam præciſe Chriſti anno id contigerit, non item conſtat. Papebrochius *tract. prælim. ad Act. SS. tom. 3. Maii, num. 170. pag. 38. col. 2.* F. *& p. 39. col. 1.* A. ait: Hinc porro facile erit intelligere quo anno Theodorus ſedere cœperit. Etenim Elmacinus *lib. 1. hiſt. Sarac. cap. 17. p. 82. Anno,* inquit, *Heg. 118.* (apud Elmacinum legitur *Hegiræ 108.* qui annus incepit menſe Maio anni Chriſti 726. ſed ſi legi debeat *118.* hic Hegiræ annus cœpit die 20. Januar. anni Chriſti 736.) *obiit Alexander Patriarcha Jacobitarum Alexandriæ, in cujus locum ſubſtitutus eſt Coſmas, qui ut menſes ſedit quindecim, vita quoque defunctus eſt die ultimo Baunæ* (id eſt, 24. Junii) *dicitur quoque* (Patriarcha) *factus anno ultimo Leonis* (videlicet Iſaurici) *regis Romanorum,* defuncti 18. Junii, anno 741. Præfuit ergo Coſmas à menſe Martio anni jam dicti, ad menſem Jun. anni ſequentis (742.) Porro, ſi Coſmas ille Alexandrinus Patriarcha ſedere cœpit anno Heg. 118. Chriſti 736. & quindecim menſibus elapſis mortuus eſt anno ſequenti Hegiræ 119. Chriſti 737. quomodo inaugurari potuit Patriarcha anno ultimo Leonis Iſaurici defuncti die 18. Junii anni 741. & decedere anno ſequenti?.... Manet interim, ſubdit Papebrochius, quod Hieroſolymitanus Theodorus ordinatus fuerit, ſaltem anno 742. Verum alius profecto fuit Coſmas ille Alexandriæ Patriarcha, qui tempore hujus Theodori ſedebat, utpote qui non Jacobita audierit, nec quindecim duntaxat menſibus ſuam eccleſiam rexerit, ſed adhuc vixerit anno 764. imò & anno 767. Theophanes ad ſecundum Conſtantini Copronymi annum (Chriſti 742.) de Coſma quodam Alexandrino Patriarcha loquitur, qui tunc non recens inauguratus erat. *Eodem etiam anno,* inquit, *pag. 349. Coſmas Alexandriæ Patriarcha cum ipſa civitate, Monothelitarum pravitate à Cyri qui ſub Heraclio vixit temporibus eam civitatem obtinente abjurata, & errore cognito, ad orthodoxam eccleſiam rediit.* Doctiſſimus Renaudot. *in hiſt. Patr. Alex. pag. 205.* dicit hunc Coſmam primum Patriarcham Alexandrinum fuiſſe inter Melchitas ſeu Orthodoxos, ex quo Ægyptus in Arabum poteſtatem venit. Quum autem, inquit, hæc melius Jacobitis Eutychius ſcire potuerit, verba ejus apponemus, ex *tom. 2. pag. 385.* quia multum ad obſcuriſſimi illius temporis hiſtoriam conferunt: *Anno Califatus Hiſchami ſeptimo* (Elmacinus *lib. 1. hiſt. Sarac. cap. 17. p. 83.* habet *anno tertio) conſtitutus eſt Coſmas Patriarcha Alexandrinus, qui 28. annos ſedit, dein mortuus eſt.* (Idem Elmacinus *pag. 79.* apud Pagium *to. 3. crit. annal. Baron.* ad annum 723. *num. 8.* docet Jeſidum Saracenorum Califam, anno Heg. 105. die 25. Siaabani, id eſt, die 4. Februar. anni Chriſti 724. mortuum eſſe, & imperaſſe annos 4. & menſem unum, *& pag. 80.* tradit ei ſucceſſiſſe Hiſiamum ejus fratrem, qui inter Saracenorum Califas decimus-ſeptimus numeratur. Tertius itaque hujus Califæ annus fuit Chriſti 726. ſeptimus vero fuit Chr. 730.) *Orabant autem Chriſtiani Melchitæ Alexandriæ in eccleſia S. Sabæ, quum Jacobitæ jam omnes eccleſias occupaſſent. Coſmas autem qui Patriarcha conſtitutus eſt idiota fuit, qui nec legere poſſet, nec ſcribere, quum ars illi eſſet acus conficere. Huic, quum Damaſcum ad Hiſchamum filium Abdelmelic profectus eſſet, conceſſæ ſunt, ope quorumdam qui in aulico miniſterio ab actis & epiſtolis erant* (non eruditorum, ut male in verſione Pocockii legitur) *eccleſiæ quas occupaverant Jacobitæ, ſcripſitque Hiſchamus ad præfectum Ægypti ſuum, qui fuit Abdalla filius Gihani Sakuenſis, ut eccleſias quæ in manu Jacobitarum erant, repetitas Coſmæ Patriarchæ traderet, & quodcunque earum nomine comprehenderetur. Accepit ergo Coſmas Patriarcha à Jacobitis eccleſias, atque inter cæteras eccleſiam Kaiſariæ. Si quidem ab eo tempore quo Georgius Patriarcha Alexandria Conſtantinopolim fugit, anno 3. Califatus Omari filii Elkittabi, donec conſtitueretur Coſmas Alexandriæ Patriarcha anno ſeptimo Califatus Hiſchami, fuit cathedra Alexandrina abſque Patriarcha Melchita, ſpatio ſcilicet annorum 97. occupaverantque Jacobitæ omnes eccleſias, tam Ægypti, quam Alexandriæ. Quumque opus haberent Nubii epiſcopis, ordinavit Patriarcha Jacobitarum ipſis epiſcopos: atque ex eo tempore Jacobitarum ſententiam amplexa eſt Nubia: & quotieſcunque moreretur in aliqua urbe Ægypti epiſcopus, alium ipſis conſtituit Jacobitarum Patriarcha. Adeoque facta eſt Ægyptus, tam ſuperior quam inferior, Jacobitica; excepta eccleſia Michaëlis quæ eſt in Kaſſer Elchema,* hoc eſt, arce candelarum ſeu luminum. *Illam ſcilicet retinuerunt Melchitæ, atque in ea orabant: quumque moreretur ipſis epiſcopus, ad Tyri metropolitam mittebant, qui ipſis epiſcopum ordinabat. Neque ita ſe habere deſiit Melchitarum in Ægypto & Alexandria ſtatus, uſque ad Coſmam Patriarcham.* Hæc fuſius à nobis deſcripta ſunt ipſius auctoris verbis, ſubdit Renaudot. quia multa nos docent, quæ apud auctores alios fruſtra quærerentur: nam qui res Melchitarum deſcripſerit, præter Eutychium, habemus omnimo neminem. (Hanc eamdem hiſtoriam refert ex Eutychio Elmacinus ſupra citatus.) Ex illa autem narratione diſcimus, per annos 97. aut circiter, nempe ab initio Imperii Muhamedanorum in Ægypto, orthodoxos Alexandriæ nullum habuiſſe Patriarcham:

neque in tam longa calamitate adduci potuiſſe ut cum Jacobitis communicarent, aut eorum epiſcopis ſe ſubjicerent. Annus ſeptimus Hiſchami eſt Hegiræ 112. Chriſti 730. ut jam ſupra dictum eſt; quo (tamen) tempore nulla hujus Coſmæ apud Græcos memoria occurrit; tanta fuit rerum in Oriente geſtarum per Arabes obſcuritas. At circa annum 742. Theophanes ſcribit Coſmam Patriarcham Alexandrinum cum ſuis abnegata Monothelitarum hæreſi, ad eccleſiæ catholicæ communionem acceſſiſſe; quod Eutychius ignoravit, etſi plura quam authores Græci aut Latini, de prædeceſſoribus ſuis ſciviſſe videatur. Neque eſt quod ſuſpicemur (ſunt ſemper verba Renaudotii) ignotam illi fuiſſe Monothelitarum ſectam, cujus (utique) originem ad *Maronem* quemdam monachum refert, à cujus nomine non aliter eos appellat quam *Maronitas;* reclamantibus tamen recentioribus è Libano *Maronitis.* (Quid porro huic Eutychii Alexandrini auctoritati reponant illi recentiores Maronitæ jure ne, an immerito, vide ſuperius ubi de Maronitis, à *col. 25.* uſque ad *col. 31.*) Præfatus Papebrochius, *in hiſt. chronol. Patr. Alexandr. præfixa Act. SS. tom. 5. menſ. Jun. pp. 77. 78. & ſeq.* relatis ſupra citatis Theophanis, Eutych. Alexandr. & Elmacini teſtimoniis, ſubdit *n. 411.* Meminit etiam Marquardus...... *Coſmi Patriarchæ Alexandrini,* quem reducit ad annum 743. nullo alio Patriarcha, nec ante, nec poſt hujus tempora nominato. Hæc nos dubitare non ſinunt, quin præter Coſmam Jacobitam, quindecim menſium Patriarcham, alter ſynonymus ſederit, Monothelita primum, deinde catholicus; quique annos minimum ſexdecim thronum illum obtinuerit (longè diutius ſedit, quippe qui annis Chriſti 764. & 767. adhuc ſuperſtes erat) cæteris, quæ ad eum ſpectant, ſcriptorum negligentia prætermiſſis. Quod ad Theodorum Antiochenum Patriarcham attinet, qui hanc ſedem occupabat, ſedente ſimul Alexandriæ Coſma pro Melchitis, quum Theodorus noſter eccleſiæ Hieroſolymitanæ clavum ſuſcepit; non videtur Theodorus ille Antiochenus ea dignitate fuiſſe auctus ante annum Chriſti 752. aut etiam 754. Nam, ut tradit Papebrochius *tract. prælim. in Act. SS. to. 3. Maii, num. 170. pag. 39. col. 1.* A. ex Elmacino, poſt mortem Joannis conſtituti anno 1. Hiſiami, id eſt, Chriſti 723. manſit eccleſia Antiochena ſine Patriarcha, uſque ad tempora Abdallæ Saffahi 22. Califæ, qui cœpit regnare anno Chriſti 749. *Dicunt,* inquit Elmacinus, *lib. 1. Saracen. hiſt. cap. 17. pag. 82. conſtitutum Antiochiæ Patriarcham, nomine Joannem, poſt obitum Athanaſii Patriarchæ ejus, anno primo imperii Hiſiami, contra quem inſurrexerunt epiſcopi ſui: at facta deinde pace, obiit: manſitque eccleſia ſine Patriarcha ad tempora uſque Abdallæ Saffahi.* Item lib. 2. cap. 2. pag. 98. *Tempore autem Saffahi juſſit Conſtantinus* (Copronymus) *epiſcopum Iſhacum conſtitui Patriarcham Antiochiæ & Orientis, quia is eum adierat, eique miniſtraverat antequam imperaret, fuitque in mandatis Imperatoris, ut quicunque ei reſiſteret interficeretur: & occiſus ejus cauſa eſt Matraninus. Miſitque ipſe ſynodicam ad Abnachaïlem Patriarcham Alexandrinum, & epiſtolam qua jubebat ut eum admitteret, aut ad ſe veniret. Verum is neque admiſit, &* (neque) *ad iter ſe paravit. Venitque rumor in Ægyptum Iſhacum obiiſſe Antiochiæ, ſedemque occupaſſe quemdam nomine Athanaſium, idque ſubito factum fuiſſe ante ſolis occaſum. At hoc ſecundo die mortuo, conſtitutus eſt alius nomine Georgius, quem aliquanto poſt in gratiam epiſcopi cujuſdam ſibi amici removit Abugiafar Almanſor, epiſcopo in ejus locum ſuffecto. Atque hic non ſcripſit ſynodicam ad Patriarcham Ægyptiacum.* Epiſcopus iſte non nominatus, veroſimiliter Theodorus eſt, qui ſubinde ſedem Antiochenam non conſcenderit ante annum Chriſti 754. quum Abugiafar Almanſor, ſub quo promotus dicitur, eo duntaxat anno Califatum obtinuerit. Præterea monet Pagius *tom. 3. crit. annal. Baron.* ad annum 751. *n. 10. pag. 280. col. 1.* Theophanem ad annum 10. Conſtantini Copronymi, (Chriſti 751.) hæc habere: *menſis Deſii* (id eſt, Junii) *die 29. ſanctiſſimus Antiochiæ Patriarcha Theophylactus morte obdormiit.* Et anno ſequenti (Chr. 752.) *Theodorus vicarii filius è minori Armenia oriundus, Antiochiæ Patriarcha conſecratus eſt.* Anaſtaſius in verſione Theophanis dicit Theodorum hunc ſediſſe *annos ſex:* diutius tamen vixiſſe ex jam ſupra dictis & modo repetendis manifeſtum fit. Mittendus hîc ergo eſt Eutychius *to. 2. annal. pag. 399.* ubi ait, *conſtitutum eſſe Theodorum Patriarcham Antiochenum anno* (Califatus Jaafari Almanſuri) *vigeſimo* (Arabico ſcilicet, qui inibatur juxta tabulas Gravianas menſe Novembri anni Chr. 772.) inquiunt doctiſſ. Bollandi ſucceſſores Theologi, *in hiſtor. chronol. Patr. Antioch. tom. 6. actorum ſanctorum Julii præfixa, num. 544. pp. 115. F. & 116.* A. Anno Chriſti 757. in exilium pulſus eſt. Ut enim ſcribit idem Theophanes ad annum Copronymi 16. apud eumdem Pagium ad annum 756. *n. 5. p. 302. col. 1. Hoc anno* (Chriſti 757.) *terræ motus haud levis in Palæſtina & Syria contigit menſis Martii die 9. Theodorus Antiochiæ Patriarcha in exilium deportatus eſt, Arabum invidia, qui frequentioribus litteris ad Imperatorem Conſtantinum* (Copronymum) *ſcriptis res Arabum*

eum manifeſtare criminati ſunt. Quare patriarchatus terminis extorrem in provinciam Moabitidem, quæ fuit ejus patria, transferendum, Salem Arabum dux edixit, &c. Reſtitutus erat ſuæ ſedi anno 23. Copronymi, Chriſti 764. ſui vero patriarchatus 10. aut 12. quo, ut ſupra dictum eſt, ex Theophanis chronogr. *pp. 364. & 365.* & refertur à Pagio ad annum 763. *num. 11.* Coſmam Epiphaniæ præſulem, Iconoclaſtam factum, ſimul cum Coſma Alexandrino, & Theodoro Hieroſolymitano, ac ſuffraganeis ipſorum epiſcopis, die ſacro Pentecoſtes, ſingulis in propria ſede reſidentibus, anathemate perculit. Palam eſt Elmacinum, de epiſcopis Antiochenis quos ſupra citatos recenſuit, cum Theophane non convenire qui Theophylacto anno Chriſti 744. promoto, & anno 751. defuncto ſubrogatum narrat anno ſequenti 752. Theodorum: niſi fortaſſis epiſcopi Antiocheni ab Elmacino memorati, ad hanc ſedem evecti fuerint, alii quidem opera Conſtantini Copronymi, alii vero favore Califarum, ut revera ipſemet teſtatur, dum interim ſederet Theophylactus, quem neſcio quam ob cauſam prætermiſit Elmacinus. At nihilominus ex his omnibus colligitur, quoad epocham ordinationis Theodori Hieroſolymitani conſtituendam, ſuppoſito quod ejuſdem Theodori Hieroſolymitani epiſtola à clero Hieroſolymitano ad ſynodum Nicænam ſecundam & ſeptimam generalem tranſmiſſa anno Chriſti 785. ea ipſa fuerit, quam Theodorus ille ad ſuos collegas orthodoxos Patriarchas Coſmam Alexandrinum & Theodorum Antiochenum ſcripſit, ut iiſdem, tum ordinationem ſuam denuntiaret, tum profeſſionem fidei ſecundum ritum tunc in eccleſia obſervatum exponeret, quod fere indubitatum videtur; colligitur, inquam, Theodorum iſtum eccleſiæ Hieroſolymitanæ non ſuſcepiſſe regimen ſaltem ante annum Chriſti 752. aut etiam 754. poſt inaugurationem ſcilicet Theodori Antiocheni. Colligitur inſuper ex anathemate ab ambobus illis Theodoris & Coſma Alexandrino anno Chriſti 764. in Coſmam Epiphaniæ antiſtitem lato, tres illos Patriarchas adhuc eo anno fuiſſe ſuperſtites, ac proinde Coſmam Alexandrinum amplius 28. annis ſediſſe, quidquid ſecus afferat Eutychius, ſiquidem ab anno 730. ad 764. non 28. duntaxat anni, ſed 34. aut 35. numerantur. Colligitur quoque ex epiſtola Theodori Hieroſolymitani ad Paulum I. Rom. Pontif. anno 767. defunctum directa, quam Conſtantinus Pſeudo-Papa ad Pippinum regem miſit, Theodorum hunc eo anno 767. nondum fato functum fuiſſe. Colligitur demum ex eo quod uterque Theodorus, Antiochenus nempe & Hieroſolymitanus, ante ann. 752. aut etiam fortaſſis 754. non fuerint ordinati; Joannem V. Theodori Hieroſolymitani prædeceſſorem, qui anno 705. eam ſedem capeſſivit, hanc non tantum annos 30. tenuiſſe, aut 40. ſed 47. & amplius: vel ab ejuſdem Joannis V. obitu, per plures annos viduatam manſiſſe eccleſiam Hieroſolymitanam; vel inter præfatum Joannem & Theodorum, aliquem alium extitiſſe Patriarcham, qui *Joannes* quoque nominari potuerit, & lucubrationis pro ſanctis imaginibus adverſus Conſtantinum Copronymum ſuperius memoratæ, ubi de Joanne V. in fine, fuerit auctor, licet fortaſſis illum ab eodem Joanne V. non diſtinxerint ſcriptores: ut enim is non ante annum 754. hanc orationem edidiſſe videtur; ita nec eundem pariter præceſſiſſe annum videbitur Theodori ordinatio. Verum quo uſque, ultra annum Chriſti 767. vixerit Theodorus iſte, hactenus nobis incompertum eſt. Euſebius quidam Hieroſolymitanæ ſedis antiſtes memoratur in vita ſancti Madelvei Virdunenſis epiſcopi, quum ſanctus iſte anno circiter 772. aut 773. perrexit Hieroſolymam: At hujus patriarchatus ad minus valde incertus eſt, ut modo patebit.

LXI. Euſebius.

De eo *Euſebio* multi dubitant, an inter Hieroſolymorum antiſtites computari debeat, quia in indice Latino mſ. Patriarcharum hujus eccleſiæ, nulla de eo mentio reperitur, ſed Theodori ſucceſſor aſſignatur Elias. Prædicti catalogi, inquit Papebrochius infra citandus, *num. 167.* Theodoro ſucceſſorem ſubjungunt Eliam. Euſebii itaque nulla aliunde nobis ſuppetit notitia, quam ex vita ſancti Madalvæi ſive Madelvei Virdunenſis epiſcopi, cujus memoria colitur die 4. Octobris. In hac ſcilicet vita ab Hugone Flaviniacenſi in chronico, ſub finem ſæculi XI. deſcripta, & à Labbeo *to. 1. Biblioth. edita,* refertur Madalvæum abbatem eccleſiæ ſancti Vitoni, qui obedientia cunctis ſubditus erat, juſtitia inſignis, & fortitudine conſpicuus, his præcurrentibus meritis ad ſedem Virdunenſem cunctorum votis fuiſſe evectum *anno ab Incarn. humani Verbi 753.* inquit Hugo Flavin. apud *Labb. citat. pag. 104.* Pippino jam monarchiam adepto (hanc autem Pippini inaugurationem factam anno Chriſti 752. multis probat Pagius *tom. 3. crit. annal. Baron.* ad eum annum *n. 1. & ſeqq.*) Erat autem tunc civitas illa, ob incurſiones barbarorum, bellis attrita, obſidionibuſque fatigata; ac templis ejus pollutis, officia divina tam diei quam noctis negligebantur. Sed Madalvæus clericos regulariter vivere docuit, Pippinumque

adivit, vaſtitatem urbis, & plebis calamitatem A illi denuntiavit, auxiliumque ab eo obtinuit. Devotionis deinde cauſa primum Romam ſub Adriano I. qui electus fuerat die 9. Febr. an. 772. petiit, à quo benignè exceptus fuit: deinde Hieroſolymam. Quo ſtatim atque appulit, ut legere eſt pagina ejuſdem Labb. modo citati 112. *introivit in tabernacula ejus, omnem locum ſanctum fide & amore frequentans, qui eſt ſuper omnia Dominum in eis adorans, ſepulcrum Jeſu Nazareni crucifixi lacrymarum imbre die quotidie rigans, Chriſtumque reſurgentem à morte, glorificans & adorans.* B *Nuntiatur interea Patriarchæ Euſebio qui tempore illo ſanctam gubernabat eccleſiam Sion, Madelvei reverentiſſimi erga Chriſtum devotio, circa loca ſancta diurna jugis pernoctatio, carnis propriæ maceratio. Hic igitur his auditis moram pati neſciens in quærendo, inventum amplectitur continuo, miratus in eo vultum angelicum, ſermonem modeſtum, mitem greſſum, habitum reverendum.... Quumque eum retinere cogitaret diebus vitæ ſuæ omnibus, revelatione eſt divina admonitus, ne propriis intentus, aliorum invideret utilitatibus, nec vellet habere* C *peregrinum, quem ſuſpirabant filii Patrem angelicum. Hoc tonitruo perculſus, dixit ad eum tremebundus; voluntatis meæ fuit, frater mi, te à me unquam nolle ſeparari: ſed quia Deo nequimus reniti, revertere, dilecte mi, egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum, &c. His dictis multorum pretioſas ſanctorum reliquias efferens cum calice cryſtallino opere mirifico ſculpto, ei obtulit dicens: accipe, ô chare meus, hoc mutui amoris pignus: Annuat Chriſtus Dominus his ac reliquis ſanctis intervenientibus, ut iterum nos videamus cum gaudio in cœleſti-* D *bus. Tandem ora, manus, oculoſque alterutrum exoſculantes, bona proſperaque ſibi imprecantes, ab invicem diviſi ſunt flentes. Madelveus itaque ſepulcrum Domini, locumque Aſcenſionis ubi ſteterunt pedes ejus iterum iterumque reviſens ac deoſculans, nativum ſolum reviſere deliberavit.* Ejuſdem Madelvei obitum his verbis narrat præfatus Hugo, apud Pagium ad annum 776. *num. 15. pag. 352. col. 1.* & apud *Labb. citat. p. 117. Anno 776.* (ſupra dixerat ille auctor apud eumdem Labb. *pag. 116.* anno 777.) *qui erat regni Caroli nonus, obiit Madelvæus* E *epiſcopus, quum obſideret Caroli exercitus in Tharaviſa Italiæ civitate Stabiliarum Socerum Chrogandi qui contra Carolum rebellaverat.* Addit Hugo: *Erat in eadem civitate* (Tarviſina) *Petrus vir Italicus, à quo tradita eſt civitas, & ob hoc de Virdunenſi epiſcopatu honoratus eſt.* Quia tamen ſemper ſuſpecti ſunt traditores, in epiſcopatu receptus non eſt ante ann. 788. Mortuus eſt igitur S. Madalvæus anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-ſexto (vel ſequenti 777.) cujus felicem tranſitum tot notis ad eum annum Hugo Flaviniacenſis firmavit, inquit Pagius *ibid.* ad annum 767. *n. 7. pag. 326. col. 1.* ut ſi qui in eo caracteres reperiantur, qui opinioni (de ejus obitu eo anno) refragentur, abſque ulla hæſitatione corrigendi ſint, ut rectè ſcribit Cointius anno 776. *num. 35.* quod & de aliis characteribus chronologicis, in quibus is auctor ſibi aliquando non conſtat, etiam aſſerendum. Quæ enim ad Madalvæum ſpectant, egregiè calluit, licet quum ſub finem ſæculi XI. (ut jam dictum eſt) chronicon ſuum ſcripſerit, in his quæ ad hiſtoriam generalem pertinent, non raro offenderit. Papebrochius tamen (ſunt ſemper verba Pagii) in hiſtoria chronologica Patriarcharum Hieroſolymitanorum quam tomo 3. SS. menſis Maii præfixit, ſequutus Richardum Waſſemburgium lib. 2. antiquit. Galliæ Belgicæ, exiſtimat Joannem (V.) inter & Theodorum ſediſſe *Euſebium*, & Theodorum (præfatum) ad thronum Hieroſolymitanum circa annum 741. evectum fuiſſe. Suſpicatur etiam poſt Theodorum eccleſiam Hieroſolymitanam *Baſilium* (quemdam) obtinuiſſe: Baſilium enim iſtum Waſſemburgius ſcriptor ſæculi XVI. in vita ſancti Madalvæi, Euſebio ſubſtituendum contendit. At, quum ex dictis conſtet, pergit Pagius, Theodorum Joanni (V.) ſucceſſiſſe, annoque 766. & currenti (767.) ſedem illam adhuc rexiſſe, manifeſtum eſt Waſſemburgium, vitam ſancti Madelvæi potius perturbaſſe, quam explicaſſe, & *Baſilium,* quem ſine fundamento obtrudit, *epiſcopum fictitium eſſe.* Hæc Pagius loco ultimum citato. Videat prudens lector an vita illa Madelvæi, ab Hugone Flaviniacenſi in chronico ſuo deſcripta, & à Richardo Waſſemburgio iterum exarata, ſufficiat ut *Euſebius* iſte merito Patriarchis Hieroſolymitanis annumeretur: &, vel ante Theodorum, cum Richardo Waſſemburgio qui iter Madelvæi an. circiter 757. aſſignat, nulla tamen cur id faciat ratione allata, ut fatetur Papebrochius; vel poſt Theodorum, cum Hugone Flaviniacenſi qui idem Madelvæi iter ad annum 772. aut ſequentem 773. circiter refert, tunc Hieroſolymis ſediſſe exiſtimetur.

LXII. ELIAS II.

THEODORUS *ſedis invaſor.*

Theodoro I. *Eliam II.* in indice ſeu catalogo Latino Patriarcharum Hieroſolymorum, proxime ſubjungi jam ſupra dictum eſt: primum ejus epiſcopatus annum, decimo-ſeptimo Hiſiami Califatus anno, qui fuit Chriſti 740. adnectit Eutychius Alexandrinus, ſed perperam omnino; ſiquidem Theodorus, qui ante eum eccleſiam Hieroſolymitanam rexit, *col. 300.*

BIBLIOTECA DERECHO

Digitized by Google

vivebat adhuc an. 767. quo ſynodicam ſuam de ſacris imaginibus ad Paulum I. Roman. Pontif. miſit. At certè Elias Patriarcha erat anno 787. in vita enim Taraſii epiſcopi Conſtantinopolitani, quam ab Ignatio diacono editam refert Bollandus *tom. 3. Februar.* ad diem 25. legitur, *num. 19. pag. 580. col. 2.* F. *Taraſius quoque* (Nicæam) *venit* (anno 787. ad celebrandam in ea urbe ſynodum VII.) *ex urbe regia, ex apoſtolicis ſedibus aſſumens ſecum eximios quoſlibet & præſtantiſſimos* (viros;) *nempe ab Adriano quidem Papa Romano Petrum primum preſbyterum, & Petrum monachum & præfectum.... A Politiano* (autem) *ſacratiſſimo Papa Alexandrino Thomam monachum & preſbyterum; & à Theodoreto Patriarcha Antiocheno, & ab Elia principe paſtorum Æliæ, Joannem monachum preſbyterum & ſyncellum.* Initio Act. VII. *tom. 7. concil. Labb. col. 879.* C. habetur: *Joanne & Thoma religioſiſſimis preſbyteris & monachis, agentibus vicem ſedium apoſtolicarum Orientis diœceſis.* & *col. 887.* D. in fine ejuſdem Act. VII. quæ ultima fuit, ſic ſubſcribit Joannes, nulla de Thoma mentione facta, quia fortaſſis aberat, vel aliàs impediebatur: *Joannes miſeratione divina preſbyter & aſſeſſor patriarchatus, & vices agens trium apoſtolicorum thronorum Orientis, Alexandriæ, Antiochiæ, & Hieroſolymorum, Patrum dogmatibus inſiſtens, & catholicæ eccleſiæ inhærens, definiens ſubſcripſi.* Scilicet ſtatim atque Taraſius ordinatus fuit Patriarcha Conſtantinopolitanus anno 784. die Nativit. Chriſti, actum eſt de ſynodo œcumenica convocanda, inquit Pagius *to. 3. crit. annal. Baron.* ad annum 785. *num. 4.* quia Taraſius ipſe eam dignitatem admittere noluit, niſi poſtquam Imperatores (Conſtantinus & Irene ejus mater) concilii indictionem promiſere; ut ſcribit Ignatius in ejuſdem Taraſii vita. Adhuc quidem pax, ſubdit Pagius *n. 6.* inter Imperatores & Saracenos durabat; facilis tamen acceſſus non erat ad regiones Saracenis ſubditas. Taraſius (itaque anno 785. paulo-poſt ſuam conſecrationem) duos legatos miſit ad Patriarchas Antiochenum, Hieroſolymitanum, & Alexandrinum, qui eis ſeptimæ ſynodi indictionem ſignificarent, eoſque ut ad eam venirent hortarentur. Legati per omnem Ægyptum & Orientem inter mille pericula iter fecere, quumque Hieroſolymam perveniſſent, (acceperunt).... Eliam ejus antiſtitem in exilium à Protoſymbolo, ſive Califa miſſum eſſe. Traditum tamen eis fuit exemplar ſynodicorum à Theodoro (Eliæ prædeceſſore) ad reliquos Patriarchas ſcriptorum, utique quando ordinatus eſt Patriarcha Hieroſolymitanus. Quum autem denuntiatum ipſis eſſet à monachis Syriæ ad

A quos diverterant, quam periculoſum foret adire, ſive Antiochenum, ſive Alexandrinum Patriarchas; delecti ſunt duo præſtantiſſimi monachi Thomas & Joannes, quorum alter Patriarchæ Alexandrini, alter Antiocheni ſyncellus fuerat, ut Conſtantinopolim ad Imperatorem & Taraſium ſecreto proficiſcerentur, locumque trium Patriarcharum Orientis in ſynodo tenerent. Sic igitur, verba ſunt Baronii ad annum 785. *num. 41.* quum legatis (à Taraſio miſſis) eo modo intercluſa videretur eſſe omnino via Patriarchas trium ſedium B conveniendi, ne eos vacuos redire penitus ſinerent monachi illi, ſynaxim habuerunt; deque his mutuo agentes, una omnium ſententia illud decretum eſt, ut pro excuſatione legatorum apologeticas ad Taraſium litteras redderent, quibus pariter de fide catholica trium illorum Patriarcharum eumdem reddecrent certiorem. Id conſtat ex ipſorum litteris quæ lectæ ſunt Act. tertia ſynodi Nicænæ II. & ab eodem Baronio referuntur *n. 42. & ſeq.* ex Anaſtaſio Bibliothecario, extant quoque *tom. 7. conc. Labb. col. 170. & ſeqq.* Titulus C eſt: *Sanctiſſimo ac beatiſſimo Domino Taraſio archiepiſcopo Conſtantinopoleos & univerſali Patriarchæ, Orientis ſummi ſacerdotes, &* (alii) *ſacerdotes, in Domino ſalutem.* Incipiunt: *Sacratiſſimis ex divina Deitatis inſpiratione libellis apoſtolicæ ac paternæ ſanctitatis veſtræ prælectis, beatiſſimi, nos humiles, & eorum qui deſertum incolere geſtiunt ultimi, tremore pariter & gaudio ſumus detenti, &c.* Et multo poſt, *ibid. n. 45. Conſideravimus igitur, ſanctiſſimi, contaminatæ nationis cognoſcentes contra nos infeſtationem, retinere hos qui miſſi* D *ſunt, & prohibere appropiare iis ad quos deſtinati ſunt, ducentes hos in medium noſtrum, & admonentes plurimum ne inducerent turbationem, imò (ut ſpecialius dicamus) exitium quieſcentibus, & Dei gratia pacificatis eccleſiis, vel populo miſerabiliter jugo ſervitutis afflicto, & importabilium illatione tributorum oppreſſo. At illi hæc moleſtè ferentes, dicebant, quia in hoc deſtinati ſumus, ut tradamus noſtras in mortem animas pro eccleſia; & propoſitum ſanctiſſimi Patriarchæ ac piiſſimorum Imperatorum perducamus in finem. Sed ſi in veſtras tantum* E *modo animas* (diximus ad eos) *cohauriretur periculum, haberet forte ſermo veſter aliquam firmitatem. At vero quia contra commune corpus procedit eccleſiæ, qualis erit profectus! Imò qualis non erit læſio, ædificium conſtruere ſuper putredinem & firmo fundamento privatum! & quomodo, inquiunt, vel qua facie ad eos qui nos miſerunt redibimus, nihil eorum quæ ſecundum votum ſuum ſperabant, omnino ferentes! Ad hæc deficientes nos, ſcienteſque Deo amabiles fratres noſtros, Joannem ſcilicet & Thomam,*

zelo

Digitized by Google

zelo divinæ orthodoxæ fidei adornatos, atque duorum ſanctorum & magnorum Patriarcharum ſyncellos, quin & ſanctificandos ſilentii amatores, diximus ad eos: Ecce tempus, fratres, acceptum ſalutis, & ſilentio excellentius: ite cum viris iſtis, & pro iis apologiam aſſumite, & enarrate viva voce quæ per litteras intimare Dominis noſtris ſupra vires eſſe conjicimus. Noſtis enim qualiter per puſillam accuſationem exul factus ſit à bis millibus ſignorum ille qui ad regendum thronum fratris Domini ſortitus eſt Jacobi: οἴδατε ὅπως διὰ βραχυτάτης κατηγορείας ἐξόριστος γέγονεν ἀπὸ διχιλίων (μιλίων) σημείων ὁ τὸν θρόνον λαχὼν διέπειν τοῦ Ἀδελφοθέου Ἰακώβου. (Papebrochius ſic ea verba refert *tract. prælim. ad Act. SS. to. 3. Maii, n. 171. p. 39. col. 1. Noſtis, fratres, qualiter, per puſillam accuſationem, exul factus ſit ad duo millia milliarium is qui regendum thronum fratris Domini ſuſcepit Jacobi:* Elias ſcilicet Hieroſolymorum Patriarcha) *Quum autem opus Dei adimpleveritis, & apoſtolicam traditionem, quæ tenetur in eccleſiis per Ægyptum & Syriam Dominis noſtris cognitam feceritis; tunc quod à vobis deſideratur,* (ſilentium nempe) *amplectimini, &c. Qui quum Dei eſſent amatores, obedientiæ filii apparentes, obedierunt verbo noſtro, &c. Verum, ô ſanctiſſimi & beatiſſimi.... benignè fratres noſtros ſuſcipite, & Dominis orbis abſque ſubſtractione vel timore humano præſentate. Habebitis enim eos ſcientes liquido trium apoſtolicarum ſedium concinentem & concordantem orthodoxiam. Qui ſanctas & univerſales ſex ſynodos voce conſona prædicant, &c.* Et rurſus inferius, *ibid. n. 48. Porro ad munitionem, &c.* quæ ſupra retulimus, ubi de Theodoro I. *col. 294.* Quod autem aiunt illi monachi Syriæ, de Eliæ Patriarchæ Hieroſolymitani exilio, id elucidat Leontius in vita ſancti Stephani Sabaïtæ, filii fratris S. Joannis Damaſceni, quam Græcè & Latinè nobis exhibent doctiſſimi actorum ſanctorum editores Antuerpiani, *to. 3. Julii,* ad diem 13. *p. 531.* De illo ſcilicet Leontio hæc obſervanda præmittunt *num. 23. p. 529. col. 2.* Laudato Biographo nomen Leontius, patria Damaſcus, vitæ inſtitutio in laura S. Sabæ, ſcribendi ratio accuratiſſima, atque idcirco fide hiſtorica digniſſima, partim collecta materia ex monumentis quæ auctor à fideliſſimis teſtibus accepit, & perducta uſque ad initium *cap. 10. num. 115.* partim deinceps ex iis quæ ipſemet obſervavit ſcriptor, ſpectator, ac teſtis, ſanctoque per annos quatuor diſcipulus. Quæ probantur ex ejus verbis eodem *n. 115. Et hæc quidem omnia, ut à viris fide dignis collegeram, pauperculus ego abjectuſque Leontius conſcripſi: quæ autem coram ipſe vidi, & hiſce auribus audivi jam explanare aggredior. Nam ſupremum, quod*

A *ſacram ejus ex hoc mundo migrationem anteceſſit, quadriennium in ſancti hujus diſciplina poſui. Id vero qua ratione ſit factum, breviter ediſſeram.* Poſt hæc à *num. 116.* ſuam patriam indicat, vitæque profeſſionem, vehementes ac diuturnas luctas, animi perturbationes, graviſſimoſque ad deſperationem impulſus. Subjungit etiam quonam modo à ſancto curatus, atque in diſciplinam ipſius admiſſus fuerit, & plura alia, quæ percenſere longum eſſet, & ibidem legi poſſunt. Quo intelligitur pleniſſimam ipſum fidem mereri in omnibus B quæ narrat, quam non mediocriter ſibi conciliat, nominando perſonas, loca, tempora, aliaque, quæ res circumſtant adjuncta...... Adde quod ſcribendi candor, orationis perſpicuitas cum aliquo etiam conjuncta nitore, tanta ſint, quantam in hiſtorico optimæ notæ deſiderare quis poſſit.... Scripſit autem ſub initium ſæculi IX. ut ex his ejus verbis *n. 136.* colligitur: *Erat tum diaconus, qui modo Theadelphici* (id eſt Hieroſolymitani) *throni gubernacula ſuſcepit, domnus Thomas, &c.* Thomas enim ille Patriarcha jam erat anno 807. ut C conſtat ex annalibus Francorum ab anno 741. ad ann. 814. deductis, apud Andr. Ducheſne *tom. 2. Francicor. monumentor. pag. 44.* Circa annum igitur 807. ſcribebat Leontius vitam ſancti Stephani Sabaïtæ. Dolent de iis actis præfati editores ſupra *n. 20. p. 529. col. 1. A,* poſt Papebrochium, quod ſint Acephala in ſuo codice probatiſſimo annorum pluſquam 600. Petri Seguierii Franciæ Cancellarii, quem deſcripſit idem Papebrochius anno 1662. nec aliud hactenus ſibi occurrerit exemplar quo iſta reſarciretur jactura. Sic D itaque Leontius exilii Eliæ exponit cauſam, *cap. 5. pag. 549. Fuit quidam, Theodorus nomine, rebellis admodum Deo, ſuperbus, atque, ut rerum eventus docuit, infeliciſſimus; forma habituque monaſtico, tanquam ovis vellere, externam obtexerat ſpeciem, quum lupus intus rapax lateret, mentemque reconderet immaniſſimam. Huic amicus quidam erat, cognomento Baſilius, proximam namque ei in ſpudæo* σπουδαίῳ (*à* σπουδάζω ſtudeo, quia *ſtudium* erat ſive *Academia* ordinata ad cleri inſtructionem) *ſanctæ Chriſti Dei noſtri reſurrectio-* E *nis cellam obtinebat. Die igitur quadam Baſilium hunc adiit Theodorus...... quamque ſibi infeſtiſſimus ſuperbiæ ſpiritus cogitationem ſuggeſſerat explicuit hunc in modum: Noſti, candidiſſime mi, ſinceriſſimam quam tibi ſemper exhibui dilectionem, quamque etiamnum amicitiam conſervo: unde ne animi quidem mei motus inteſtina mihi acerrimaque bella concitantes celare te potui, imò vero ut aperiam nunc adveni. Ingens miſerè me modo excruciat deſiderium, & cupido intolerabilis, ut pulſo per me, fugatoque*

Digitized by Google

hierarchica dignitate Domno Elia, Theadelphico Hieroſolymitanæ eccleſiæ throno potiar. Sed utinam quid eo negotio futurum ſit ante ſciam, quam ad illud aggrediendum accingar, ut ſic illi me in conficiendo poſſim accommodare. Non etenim te latet quantum gratia apud Phoſati ſymbolum (id eſt, arcis præfectum) valeam; quantoque etiam plus, (neque enim parum intereſt,) frater apud eumdem meus: medicus eſt namque, ut ſcis, utiliſſimus, ſcientiaque & fama multos antecellens. Exorari ergo ſe ſinat ſpiritualis amicitia tua, ac mecum in ſancti Patris noſtri Sabæ præclaram lauram, ad ſanctum Stephanum eremitam comiteris, ut ex eo, quem res quam intendimus eventum ſit ſortitura, diſcamus. Hoc igitur adſcito comite, (quippe qui, præter animi conſilium, ejus tandem adhortationibus ceſſerat,) ad ſenem pervenit, tunc quidem per quadrageſimam in inferioribus eremi Calamonis receſſibus uni ſibi attentum; tum ſic eum obſecrare ſimul ambo aggreſſi ſunt: ſanctitatem tuam oramus, Pater, ut cauſam nobis ediſſerat quæ huc nos adduxit; tum quis futurus ſit illius eventus. Quibus ſenex divina mente præditus: Unde ego, inquit, miſer & peccatis plenus, ea quæ ſunt in corde poſſim cognoſcere! unde, quæ ſunt futura, præſcire! Deo utique ſoli iſta conveniunt; & excelſa virtute hominibus, ſceleriſque puris, & ad illum qui puritas ipſa eſt accedentibus propius, atque ejus largitione liberali, ac influente perpetuo gratia dignatis: at iſto in numero haud quaquam ſum ego; ſed longiſſimo illinc abſum intervallo, neque ad talem gradum provectus ſum. Date igitur mihi, fratres, hanc veniam, neque hæc à me poſtulate, quæ vires meas nimium excedunt. Quum (vero) inſtarent illi multa prece, hæc ſenex modeſtus adjecit: Quoniam noſtra flagitationibus urere pergitis viſcera, tum ſi renuntiaveritis quid velitis, ſolum fortaſſis edicere id vobis poſſum, quid exinde conſequuturum ſit. At illi: Neque tu, neque alius quiſpiam id unquam ex nobis audiet. Tum iterum ad eos ſanctus ſenex: itaque, ait, trium mihi dierum terminum figite, tum revertimini; expediamque ego vobis, per Dei gratiam, quæ futura ſunt. Evoluto igitur hoc ſpatio quum adeſſent illi, ſeveriſſimis his eos ſermonibus pro auctoritate ſanctus ſenex increpuit: O miſeri atque ærumnoſi, hanc ex me rem, ſaluti renuntiantes veſtræ, exquiſitum veniſtis! Tu vero, ô mortalium omnium infeliciſſime ac dementiſſime Theodore, eo inſaniæ, arrogantiæque devenire potuiſti, ut evadere ſtudeas Patriarcha! Eò perſonatam hanc præfers pietatem, zizaniorum ſatori, cordiumque corruptori diabolo obſequens, vocis contemptor evangelicæ quæ dicit: Qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. An ignoras ſuperbæ mentis vitio nihil eſſe pernicioſius? Neſcis, per quod erigere ſe quiſque

A nititur, per illud ipſum confundi, atque omnium oculis abjectiſſimum exhiberi oportere! Jam oblitus es quæcunque à magiſtris de ſuperbia tradita ſunt! Væ tibi, væ tibi, omnium qui vivunt maximè miſerabilis! nam & me, & Chriſtianum quemlibet lugere vices tuas neceſſe eſt, niſi à turpi hac ambitione deſtiteris. Nec tamen hoc facit quominus adductus ſim, quanquam propriis debitis onuſtus, ut hæc dicerem tibi: tenemur enim arguere te, & commonefacere conceſſum iri tibi ut eo pertingas, non ob tua profecto apud Deum merita, ſed ob infinitam veſtram ſocordiam, in-

B cogitantiam, improbitatem. Voti autem hujus ambitioſi compos tu fies; ſed, ut mihi divinitus revelatum eſt, ne diei quidem unius continget requies: neque tibi, ut ſperas, proſpere fluent negotia, nec ad horam unam cathedræ pro voto præeris; ſed illa potitus, brevi ob tuam agendi rationem miſerum in modum dejicieris, principatu exueris, oneraberis contumeliis, atque omnium deinde odio dignus habebere: quando in magiſtratum eccleſiaſticum ut lupus non per oſtium ingreſſus fueris, nequaquam etiam ut paſtor cenſeberis. Unde vincet veritas, & in ſuo

C ordine luna conſiſtet, legeſque ſuas ac fines nullo pacto pervertet; ſanctiſſimam dico eccleſiam quæ nullis retro ſæculis defecit, impugnata ſemper & victrix. Quemadmodum enim fluctus nullo unquam tempore mare deſtituunt, ita neque genuinos ſacerdotii principes hoſtilis incurſio. Nam quantumvis pro ineffabili quadam providentiæ ratione commiſſurum ſit divinum numen ut iſtud eveniat; faciet nihilominus ut ſuum tandem juſtitia locum obtineat. Hiſce auditis, Theodorus inanem gloriam antepoſuit ſaluti adinſtar equi ferocis ſuperbi effrenatè in præcipitium

D ſemet ipſum ruentis.... Itaque gravato capite in terram defixo, ter quærebat datum ne ſibi eſſet Theadelphicum omnino primatum aliquandiu obtinere: Quod quum ei ſenex affirmaſſet, diſceſſit infelix; ſymbolumque demereri donis, & in partes ſuas pertrahere ſine mora cœpit, adhibere inſuper apud eum amicos, qui una cum fratre cauſam orarent ſuam: nec ante deſtitit, quam per dominantem tyrannidem, exterminato impiè ac ſacrilegè Helia ſanctiſſimo Patriarcha, cathedram eſt adeptus. Vix (autem) breviſſimum tempus effluxerat, quum & faſtu, & ſui amore

E tumenti Theodoro, juxta ſancti ſenis inſpiratam divinitus prædictionem, evenerunt omnia: quum ultro ſeſe in altiſſimam peccatorum voraginem dedit præcipitem, meritiſque adeo imprecantium atque execrantium vocibus exagitatus, ac in Perſide infelici tandem fato defunctus eſt. Sanctiſſimus vero Patriarcha Domnus Helias cum gaudio atque honorifico reditu propriam ſedem poſtliminio repetiit, diuturnaque dignitate Patriarchali ad annos ſatis multos gaviſus eſt, & quum hinc ad Deum ſanctè migraret, Dom-

Digitized by Google

num Georgium ſyncellum ſuum in cathedram Theadelphicam ſucceſſorem reliquit. Quadam ergo die Patriarchatum adminiſtrante Domno Helia, & vaticinio ſancti ſenis impleto, adeuntes ad hunc Patres aliqui, interrogabant eum dicentes: Quomodo, Pater ſanctiſſime, quum infelicis memoriæ Theodorus ille qui Hieroſolymis nuper tam injuſte præſedit, mentem tuam aliquando exploraturus veniret, manifeſtavit tibi Deus quod principatu ejus & epiſcopatu factum eſt, etiam antequam eloquutus tibi eſſet ipſe quid quæreret! Quibus quidem quum hujuſmodi myſterium aperire gravaretur in principio, poſtmodum tamen vi multa precum ab iis exoratus ait: Quoniam ille, ô Patres, de quo quæritis importuna me flagitatione fatigabat, expugnari me paſſus ſum, præcepique homini poſt certos dies ut rediret ad me: è veſtigio benignum erga homines Deum orare inſtituo ut revelet mihi, & qualem ob cauſam adveniſſet, & quid ex illa eſſet eventurum. Inſtituta ad hunc modum oratione, in ecſtaſin raptus memetipſe contemplor quaſi apud Dominum gloriæ, illuſtri atque infinitæ pleno magnificentiæ loco, cujus ſplendor inenarrabilis, ac ſublimis pulchritudo omnem & ſenſum exſuperat & cogitationem: erat quippe in illo petra lucidior, præclarior, auguſtior cæteris quæ videbam. In hac porro locus quidam erat extenſus, planus, æquabilis, firmus, & ad ſedendum accommodus; ad radicem vero petræ conſpicio mendaci nomine Theodorum (quia ſcilicet Theodorus *donum Dei* ſeu *à Deo datum* ſignificat) *tumultuantem, commotum, deſudantem, obnixeque in eam luctantem evadere; & poſt multum laboris aſcendentem, at non qua firmum aptumque ſeſſioni petra ſolum præbebat, collocantem ſeſe; ſed qua exeſa erat ac prærupta fallendiſque opportuna veſtigiis, præcipitio ſe exponentem, palmiſque & manibus atque artubus omnibus prenſare molientem ſaxa, ſeſeque à lapſu ac ruina quoquo poterat modo tuentem: quumque id ne ad breviſſimæ quidem horæ ſpatium poſſet, ſed inde perpetuo rueret, ubi uncis ſe digitis applicuerat, nec jam eſſet in quo poſſet conſiſtere, tandem ex alto præcipitem ad imum uſque collapſum, & miſerabiliter contritum aſpexi. Hæc igitur ubi contemplatus eſſem, perpendere cœpi ac viſa diſcutere. Deique ſtatim lumine colluſtratus ſic reputabam: petram quidem illam eſſe Chriſtianorum fidem; per planum autem illum & commodum verticem, præſulis deſignari cathedram; Theodori vero laborem improbum ac defatigationem, atque ingentem, ut continere ſe poſſet in petra, colluctationem, deſiderium ejus fuiſſe Patriarchali ſede potiendi, quam ſcilicet neque legitima ſuffragatione, neque electione divina, ſed permiſſione tantummodo potuit involare: quandoquidem non in plano petræ, ſed in præcipiti cavoque conſedit loco,*

A *ubi ſolide conſiſtere nequaquam diu potuit; ſed è ſublimi afflictus* (dejectus) *ad terram eſt: quia recipere ipſum Dei eccleſia non ſuſtinuit, ſed abjicere, & ſanctiſſimum polluto ejus impuroque putore thronum repurgare. Patres itaque puram ſenis mentem ſuſpicientes, collaudarunt Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Hunc Theodorum Papebrochius *tract. prælim. in Act. SS. to. 3. Maii, n. 172. pag. 39. col. 2.* E. incogitanter aſſeruit eum eſſe Theodorum Hieroſolymitanum qui ad Paulum I. Rom. Pont. epiſtolam ſcripſit de ſacris imaginibus anno B 767. non enim Theodorus ſedis Eliæ invaſor, tunc ſedebat Hieroſolymis, ſed Theodorus Eliæ prædeceſſor, cujus fidei profeſſionem monachi Syriæ ad Taraſium miſerunt; nec duplici Theodoro, ſed uni eidemque duplicem illam epiſtolam, ſcilicet, tum quæ ad Patriarchas Coſmam Alexandrinum & Theodorum Antiochenum de more fuerat data: tum quæ ad Paulum Papam de ſacris imaginibus, tribuit Hadrianus I. in litteris ad Carolum Magnum pro ſynodo Nicæna II. Vide ſupra ubi de Theodoro I. *col. 292.* Adde C Pontificatum Theodori intruſi breviſſimum fuiſſe, nullamque ejus utpote omnino illegitimi & valde exoſi à catholicis habitam rationem, ita ut in Latinis catalogis, inquit Papebrochius ipſe ibidem, nomen hujus Theodori non (reperiatur) expreſſum, uti nec merebatur. Idem Leontius in præfata S. Steph. vita, *cap. 2. n. 19. pag. 537.* de exilio Eliæ Patriarchæ agens hæc narrat: *Contulit ſe Pater Chriſtophorus* (monachus mira benevolentia ſancto Stephano Sabaïtæ conjunctus) *ad ſancti ſenis heſychaſterium* ἡσυχαστήριον (locus D eſt arctiſſimæ ſolitudinis ab ἡσυχάζω *quieſco, taceo.) Multiſque adhortatus eſt eum ut una proficiſcerentur ambo ad Arabum Protoſymbolum* Πρωτοσύμβουλον: (Arabum erat dux præcipuus ſive Sultanus) *quam id autem ob cauſam, & in cujus gratiam hic breviter ediſſeram. Sanctum hunc Stephanum, uti & Patrem Chriſtophorum, impenſe diligebat Domnus Helias Hieroſolymorum Patriarcha, cujus ſors inter ſanctos eſt. Erat vero beatus hic præſul Domnus Helias injuſtis calumniis, atque iniquis accuſationibus delatus ad Protoſymbolum, qui eum in* E *Perſidem immaniſſimè expulſum, crudeliter in vincula carcereſque ſanè diuturna compegit. Hinc igitur arrepta occaſione, Patri Chriſtophoro, ut cogitaret* (ire) *in Perſidem, ſanctiſſimoque Domno Heliæ ſolatii atque opis afferret aliquid, ac de illo redimendo tranſigeret, auctores quidam fuere; non Dei, ſed propriæ, quam in hiſce pariturus ipſe eſſet, utilitatis cauſa ducti. Fallacibus adeo captus horum conſiliis, ſic flectere Senem inſtituit: Æquum eſt, Pater, utrumque noſtrum ſanctiſſimi Patriarchæ noſtri*

gratia proficiſci: non ignoras etenim, non ignoras quantum ambos amaverit: amici autem probantur in adverſis. Et te in primis tanquam charitatis ſcientem ſervantemque leges, alacrem hic, imò & nobis, & aliis incitamento eſſe par eſt. Quanquam enim eripere illum è cuſtodia non poſſimus, at omnino certè conſolabimur. Ait vero ad hæc ſenex: æquum eſt enimvero nos in Patriarchæ noſtri doloris laboriſque partem venire, totoque pro eo animo, ac totis viribus, etiam ad ſanguinem uſque decertare: in Perſidem tamen ire hanc ob cauſam non poſſumus. Nam ſi ad primates pro eo interpellatum abierimus, non dabitur nobis libere perorandi locus. Quamobrem mihi crede calogere (id eſt bone, aut belle, ſive pulcre ſenex) *& hic in ſolitudine & monaſteriis noſtris nos contineamus, vigiliis ac jejuniis ejus cauſam agentes, apud univerſorum Dominum ac Redemptorem Chriſtum qui perpetuum ſolus obtinet principatum ac poteſtatem, cum ſanctis patribus utpote multum apud eum gratia valentibus: neque enim dubito quin & expugnaturi hoſtes Dei ſimus, & Patriarcham noſtrum vinculis ſolutum & carcere, lætumque ac ſalvum redeuntem viſuri. Itaque ne ſtultos nobis labores conſciſcamus, Deum noſtrum bonum ac beneficum dimittendo, & ad infenſos impioſque confugiendo tyrannos, apud quos loqui vix licet; hoc enim ſi fecerimus, corripiet haud dubiè nos in terribili judicii die juſtus judex. Hiſce ex ſene auditis, reponit Pater Chriſtophorus: Non eſt, ut video, in nobis dilectio, ſed ea privati ſumus; nec illam omnino potuimus Patriarchæ noſtro integram reſervare: nihilo tamen minus te obſecro mecum ut diſcedas; ſin aliter viſum eſt, ſolus ipſe proficiſcor. Verum ſanctus ſenex placide* (per) *admonita, doctaſque inſtitutiones, productis de ſcriptura ſententiis, inhibebat hominem. Quumque etiam hoc magis à ſua ſententia alienum, ac ſacris minus oraculis obſequentem adverteret, hæc inſuper ad eum pacatè dixit: Ecce coram Deo, tibi dico, calogere, ſi me audieris, manebis in ſpelunca tua, & quieſces; quando prodeſſe Patriarchæ non potes, nihil apud Protoſymbolum confidentiæ tibi eſt & auctoritatis. At è contrario ea valens plurimum, utpote monachus, apud Dominum dominantium, in cujus manu poſitum eſt cor regum terreſtrium, conſiſte in loco tuo, & pro virili parte luctare, noctu ei atque interdiu ſupplicans, & tum pro Patriarchæ, tum pro totius populi Chriſtiani redemptione intercedens, ut & ipſi & nos hoſtium inſidiis omnibus, omnique tam diabolica, quam humana tentatione liberemur; gaudebis etenim, & ages gratias Deo, noſtraque humilitate gloriaberis. Sed ſcito, ſi me, quod tamen facies, audire neglexeris, coactum iri me tibi, quæ non velim, obnuntiare. Quum vero hic animam penitus obfirmaret, compulſus ait: Tu*

A *quidem cum Charitone, malo in hac re conſiliario tuo, abibis in Perſidem; ibique Patriarcham videbis, & huc inde nunquam redibis: redibit vero ad nos Patriarcha, ac propria potietur cathedra, ſuaque nos præſentia recreabit. Tu autem iſtic hærebis, neque in Palæſtinam reverteris unquam, neque in ſancta civitate, neque in circumjectis locis aut tu nos cum Patriarcha, aut nos te conſpecturi ſumus. Tum ille non intelligens de ſua morte dicta hæc eſſe, ſed vaticinatum eum eſſe exiſtimans fore ut, fixo in Perſide domicilio, ibidem commoraretur in mo-*
B *naſteriis, contriſtatus eſt admodum, & cum lacrymis dixit: ô ſancte Stephane, quid dicas equidem non intelligo. Tantumne tibi ſcandalum præbui, ut aſſerere de me debeas in Perſide me eſſe manſurum! Eone me abjectum ac miſerum dementiæ atque incogitantiæ deveniſſe, ut à vita deſciſcam ſolitaria, ac Perſidem incolam! Tu quid dictum volueris neſcio; at ego quum te quidem prophetam eſſe & ſanctum, & juſtum, & integerrimum complurium teſtimoniis acciperem, ipſoque ſancti Euthymii nomine compellari ſolitum, imò ipſi judicatum eſſe parem,*
C *non id ex tenui rumore ac fama, ut fit, in animum induxi credere, ſed propriorum deinde oculorum frequenti edoctus experimento, talem te & profiteor & prædico: qua autem ratione hæc de me edixeris, non equidem ſatis capio: non enim credo prædictionem hanc de me tuam adimpletum iri, quando ne cogitatio quidem unquam ſuborta eſt mihi, quæ me à ſpelunca avocaret mea, ad ſolumque vertendum impelleret. Repoſuit vero hæc ei ſanctus ſenex: quæ mihi divinitus revelata ſunt, ea obſcure ſum eloquutus; quod ingreſſus in Perſidem ibi permanſurus ſis,*
D *neque ad nos unquam cum Patriarcha rediturus. Sed hic denuo non percepit ænigma, donec mortis imminente jam hora vaticinium ſancti ſenis minimè vanum memoria repetens, non ſine ingenti mœrore ſic adſtantem ſibi Patrem Charitonem affatus eſt: ô Chariton, quid* (de) *me factum eſt! Tu me, Chariton, decepiſti; huc me tu adduxiſti. Heu me! heu me! de morte jam præmonuerat ſanctus Stephanus, quia in Perſide, inquiebat, manebis, nec in ſanctam poſthac redibis unquam civitatem; neque nos ultra conſpicies: at ego non cogitavi demens in meam hæc mortem vaticinari*
E *prophetam hunc & ſanctum Dei Stephanum. Poſtea quam* (autem) *hæc & his plura protuliſſet, incuſaſſetque Charitonem, ac multis oneraſſet querimoniis, in ſancti Stephani effuſus præconia, ejuſque per preces opem efflagitans, ſpiritum ſuum Domino tradidit, atque in pace conſummatus, in Perſide ſepultus eſt. Patriarcha vero cum ingenti gaudio animique lætitia remiſſus è Perſide, in ſuam reſtitutus eſt cathedram; impletumque eſt ita ſancti ſenis de utroque vaticinium.* Hucuſque Leontius, qui de

Digitized by Google

eodem Chriſtophoro ſupra *c. 1. n. 7. p. 532.* iſtum in modum verba profert: *Monachus quidam magnus ac ſublimis, genere Ægyptius, cognomento Chriſtophorus ſpelæum* (ſpeluncam) *incolebat, quod ſancti Theoctiſti dicebatur, ad Orientales monaſterii ſancti Euthymii partes ſitum. Vir Deo gratus, & multorum teſtimoniis pro aſceta ſancto habitus. Charitatem, quæ virtutum omnium mater eſt, ac nutrix, ſinceram colebat. Quin & proprium ſanguinem profundere in votis erat ei, quo ſaluti conſuleret cujuſcunque ad ſe ventitantis: non enim ſic affectus erat erga eos duntaxat qui eamdem ſecum profitebantur religionem, verum etiam adverſus infideles ac barbaros, &c. Genua flectebat per dies ſingulos bis millies; millies interdiu, ac toties noctu, quibus & pervigilationes nocturnæ, & multa jejunia, & lacrymæ accedere ſolebant uberrimæ. Opus præterea, ne quid obreperet ſocordiæ, exercebat manibus.... ſanctum* (autem) *Stephanum, ut quolibet Sabbato, ſi fieri poſſet, ſacris apud ſe operaretur oravit; nam ſacerdotalem* (Stephanus) *tum gradum obtinebat, &c.* Ut citò commeritam pœnam retulerit Theodorus (ſedis Eliæ invaſor) inquit Papebrochius *tract. prælim. in Act. SS. tom. 3. Maii, num. 172. pag. 39.* C. non tamen etiam citò reſtitutus Elias fuit. Scripſit enim Leontius ſupra recitatus, eum *in Perſidem expulſum, crudeliter in vincula & carceres* truſum, *diutius* afflictum fuiſſe ἐπὶ χρόνους ἱκανούς. Unde Pagius *to. 3. crit. annal. Baron.* ad ann. 795. *num. 7.* poſt relata hæc ejuſdem Leontii (ſub nomine Theoctiſti) in vita ſancti Stephani Sabaïtæ verba, *ſanctiſſimus Patriarcha Domnus Elias ad proprium remeavit thronum, feſtive honorificeque remiſſus; & Patriarchali dignitate multipliciter fruens per annos complures ſanctè ex hac vita migravit, ſucceſſoremque in Theadelphico throno accepit ſyncellum ſuum Domnum Georgium;* ſubdit: Tempus reſtitutionis Eliæ ejuſque mortis incompertum; ex actis tamen ſanctorum 20. monachorum Sabaïtarum, qui anno 796. à barbaris trucidati ſunt, liquet biennio poſt illorum martyrium (dicendum potius, ipſo anno illorum martyrii) Eliam adhuc in vivis fuiſſe, quum ſcilicet lauras monachorum Hieroſolymitanorum Barbari invaſere. Hoc (enim) anno, pergit Pagius ad annum 796. *num. 30.* quum diſſidium inter Saracenorum Tribus in regione Palæſtinæ exortum ad civile bellum proceſſiſſet, bifariam exercitibus conſtitutis, varias urbes Saraceni vaſtavere. *Depopulati ſunt frequentiſſimas urbes non paucas: Eleutheropolim, abductis in captivitatem univerſis, deſertam fecere. Aſcalonem, Gazam, & Sariphæam, aliaſque civitates violenter diripuerunt,* inquit Stephanus monachus Sabaïta in actis ſanctorum 20.

A monachorum martyrum Joannis, Sergii, Patricii, & ſociorum in laura ſancti Sabæ propè Hieroſolymam interfectorum. Publicavit ea acta Bollandus ad diem 20. menſis Martii, in quibus dicitur monachos, dum cuncta timoris & deſperationis plena eſſent, lauram S. Sabæ non deſeruiſſe, quamvis tuto poſſent inde recedere, atque in aliqua urbium ſalvari. Tandem Barbari, tempore quadrageſimæ ad lauram acceſſere, quumque fruſtra peterent pecuniam, quam monachi non habebant, telorum imbrem in eos effudere,
B quibus, è patribus, 30. circiter ſauciati ſunt, lethaliter plerique. Iterum poſtea in lauram irruerunt, & demum monachos 20. antro incluſos copioſo fumo diu cruciarunt & exanimarunt. *Cæterum admiratione non caret,* inquit Stephanus auctor coævus, *quod qui paſſi ſunt, non omnes fuerint ſcientia & exercitatione virtutis conſummati: erant novitii inter eos, erant & idiotæ. Sed nempe perdidiſcerant omnes imperare affectibus, atque redigere in ſervitutem quidquid in homine carnis ſapientiam redolens, aut voluptatem facit, aut ipſam vitam,*
C *æſtimare atque diligere.* Annum rei geſtæ idem auctor his verbis exprimit: *Anno ab orbe condito ſexies milleſimo ducenteſimo octogeſimo octavo, juxta accuratiſſimam, ſcilicet eccleſiaſticam, ſupputationem: à nato vero ſecundum carnem Deo ac Domino Salvatore noſtro Jeſu-Chriſto ſeptingenteſimo octogeſimo-octavo, Indictione quinta; quum Hieroſolymitanæ eccleſiæ* (præeſſet) *beatiſſimus Patriarcha Helias, & magnam hanc lauram S. Patris noſtri* (Sabæ) *divino plenus ſpiritu Baſilius venerabilis guberna-ret; in regione Palæſtinorum inter Saracenorum*
D *Tribus civile bellum exortum eſt ingens.* Utitur Stephanus, tam æra mundana, quam æra Incarnationis Alexandrinorum, quarum anni ultimi in minori numero ſemper inter ſe conveniunt. Alibi demonſtravimus (ſunt ſemper verba Pagii *ibid. num. 31.*) ex perpetua methodo, annis Incarnationis, ſecundum Alexandrinos, ſeptem numeros addendos, ut habeamus annum illum Incarnationis æræ noſtræ vulgaris, in quo illi kalendis Septembris (anni præcedentis) exordiuntur. Adhæc æram mundanam Alexandrinorum ab anno
E mundi 5777. cum quo alligatur initium Diocletiani Imperatoris non differre à periodo Græco-Romana, niſi in eo quod anni in hac periodo à kalendis Januariis, in æra vero Alexandrina à kalendis Septembris (anni præcedentis) inchoantur, certis argumentis oſtendimus. Quare nullum dubium eſt, quin uterque annus citatus Mundi & Incarnationis initium ſumat die prima menſis Septembris ſuperioris Chriſti anni (795.) ideoque quin ſancti Martyres anno currenti (796.) paſſi

Digitized by Google

ſint, quum Barbarorum incurſio facta ſit per A quadrageſimam; ac præterea, quin loco *Indictione quinta*, legendum ſit *Indictione quarta*, quæ hoc anno (596.) in curſu fuit uſque ad Septembrem. Sed Bollandus qui ad methodum à nobis traditam animum non adverterat, & Indictionem mendoſe deſcriptam eſſe non putabat, hoc martyrium in annum ſequentem (797.) diſtulit, ſicque utramque æram Alexandrinam cum Dionyſiana male copulavit. Hæc Pagius loco citato *pag. 412. col. 1.* Non ſilendum tamen errorem hujus epochæ, à doctiſſimis Joann. Bapt. Sollerio, B Joanne Pinio, & Guillelm. Cupero è Societ. Jeſu preſbyteris theologis, *tom. 3. actorum ſanctorum menſis Julii, ad diem 13. pag. 528. col. 1. num. 17.* A. fuiſſe emendatum: quem (annum martyrii 20. monachorum Sabaïtarum à Stephano eorum actorum deſcriptore deſignatum ut ſupra) nos cum Pagio, inquiunt, innectimus anno vulgari 796. ſecundum dicta; & conſequenter cum eo putamus legendam eſſe *Indictionem IV.* pro *V.* etiam ſi *Indictio quinta* in dicto martyrio Græcè excuſo ad calcem *tom. 3. Martii* ſignanter ab C auctore exprimatur *num. 3.* ſive id contigerit errore ipſius, ſive oſcitantia amanuenſium: quanquam multo facilius ſit mutari ex lapſu in aliquo apographo Latino numerum *quintum* in *quartum,* aut contra; quam in Græco πέμπτον in τέταρτον. Ut ut eſt, Indictio IV. anno 795. inchoata à menſe Septembri, currebat menſe Martio anni 796. quo dicti martyres interempti ſunt, uſque ad proximum Septembrem. Hinc corrigendus Papebrochius, in commentar. prævio ad dictum martyrium, *num. 6.* ubi notat annum 797. juxta ea quæ D in Exegeſi præliminari I. dicto tomo præfixa, de S. Theophanis chronographia diſſeruerat; præter annos octo (utique incompletos) adjiciens annum alterum Phocæ, ob cauſam à ſe in eadem Exegeſi indicatam, detractum, ad exæquandam æram Alexandrinam cum vulgari: cujus anni additamento ad Indictionem quintam in martyrio ſignatam perveniatur; quæ tamen non convenit cum Paſcha, quod eodem *n. 6.* ſignat. Affigit illud (quippe) diei 23. Martii: at per integrum menſem exerrat: quod anno quidem, ut liquet ex E dictis (ſupra *ibid. num. 15.*) 794. incidit in 23. Martii: ſed anno 797. in 23. Aprilis. (23. Martii etiam male notatur apud Cangium in tabulis chronologicis expanſis gloſſarii Latini ad vocem *Annus.*) quam Papebrochii inadvertentiam mirum non obſervaſſe Pagium in anno martyrii, & Indictione corrigendis ſatis hic oculatum. Cæterum, ſicuti ex puncto unico male fixo conſequi ſolent alia non cohærentia; ita iſto numero plura non ſubſiſtunt, ad trutinam ſecundis curis exigenda & reformanda. (Econtra), ſi juxta noſtrum ſyſtema martyrium affigas anno 796. Paſcha incidente in 3. Aprilis, non video equidem quid obſtet quominus notæ chronologicæ in ejuſdem decurſu expreſſæ convenienter inter ſe componantur: cujuſmodi ſunt iſtæ *quadrageſima præterlabens* παρεκβᾶσα ἐτύγχανεν, *num. 21.* Irruptio Barbarorum in lauram *13. Martii menſis die* ibidem, qui anno 796. incidit in Dominicam. *In craſtinum vero .... tota hebdomada illa inceſſanter orant* Sabaïtæ *num. 27.* puta uſque ad 19. Martii; *qua tranſacta, Sabbato veſperi* Palæo-lauritas monachos nuntios accipiunt *n. 28.* An & quid poſtea contigerit, quod huc addi poſſit, fortè ſciremus, ſi pars (actorum hujus) martyrii non intercidiſſet. Denique *quadrageſimalis abſtinentiæ tempus exornarunt*, id eſt martyrium obierunt tempore quadrageſimæ *n. 78. ante.... Paſſionem ejus* (Chriſti) *paſſi etiam ipſi*, id eſt ante hebdomadem majorem Latinis; *(Magnam* vero Græcis, *ſalutiferæ Paſſionis,* ac *dies Paſſionum,* ut videſis apud Allatium *col. 1443.)* Unde poſt paucos dies *cum eodem ſalvificum celebrarunt Paſcha,* ut ibidem dicitur. Quæ omnia in noſtra epocha concinnè ordinari nemo non videt: ſecundum quam etiam emendari poteſt id quod habet (idem) Papebrochius *in hiſtoria chronologica Patriarcharum Hieroſolymitanorum ante to. 3. Maii, pag. 39.* de obitu ſancti Stephani (Sabaïtæ, cujus vitam ſcripſit Leontius) ubi iterum ſignat annum 795. (pro 794.) & martyribus laudatis rurſum tribuit annum 797. Et infra, *pag. 529. num. 24. col. 2.* F. Dictum martyrium contigit, uti refertur in ejus (actorum) prologo, *num. 3. Quum Hieroſolymitanæ eccleſiæ beatiſſimus Patriarcha Elias* (præeſſet.) Papebrochius *in hiſt. Chronol.* (modo citata) .... Eliam vixiſſe anno 797. (juxta ſupra dicta 796.) & eodem aut ſequenti mox anno obiiſſe aſſerit: ſed cuperem (ſunt ſemper verba Joan. Bapt. Sollerii, & ſocior. ejus) id paulo magis probari, Pagio ad annum 795. rectius ſcribente, tempus Eliæ mortis incompertum eſſe. Unde non ſatis etiam videtur conſtare de tempore ordinationis Georgii ſucceſſoris ejus. Papebrochius quidem eam innectit anno circiter 799. citans annales Francorum Metenſes, ſæculo x. ſcriptos, qui extant apud Andr. Ducheſne *to. 3.* Verum quum *ibid. pag. 288.* ad prædictum annum nihil (aliud) habeamus, quam quod *monachus, qui de Hieroſolymis veniens, reliquias multas attulit regi* (Carolo Magno,) *ex parte Patriarchæ Hieroſolymitani* (porrexerit,) inde non poſſumus habere, quiſnam Patriarcha ille fuerit, Heliaſne, an Georgius. Nec

Digitized by Google

certiora dabit Baron. ad ann. eumdem 799. A (*n. 12.*) ſi ipſum inſpexeris. Annales autem Francorum ab anno 708. ad annum 808. deducti, (apud eumdem Andr. Ducheſne) *to. 2. Francicorum à pag. 11.* agunt anno 807. *p. 21.* B. *de monachis Hieruſalem, qui legatione Thomæ Patriarchæ fungebantur.* Et ibidem in aliis annalibus Eginhardo adſcriptis, *p. 253.* ad eumdem annum idem refertur. Sive autem jam Thomas ille proximè ſucceſſerit Georgio in Patriarchatu Hieroſolymitano, ſicut vult Pagius ad dictum annum, *num. 4.* contra Papebrochium; ſive cum Papebrochio eidem B Georgio interponas Fortunatum, &c. Hæc Sollerius *ibid. nn. 24. & 25. pp. 529. & 530.* De Fortunato inferius inquiretur. De Elia nihil aliud ſupereſt dicendum.

LXIII. Georgius.

Eliæ proximè ſucceſſiſſe *Georgium* expreſſe tradit Leontius in vita S. Stephani Sabaïtæ *tom. 3. Julii,* ad diem 13. apud doctiſſimos actorum ſanctorum editores Antuerpienſes, *cap. 5. num. 49. pag. 551.* E. *Sanctiſſimus Patriarcha Domnus Elias cum gaudio atque hono-* C *rifico reditu propriam ſedem poſtliminio repetiit, diuturnaque dignitate Patriarchali ad annos ſatis multos gaviſus eſt: & quum hinc ad Deum ſancte migraret, Domnum Georgium Syncellum ſuum in cathedram Theadelphicam ſucceſſorem reliquit.* Conſtat quidem, ex ſupra dictis, Eliam adhuc fuiſſe in vivis die 20. Martii anni 796. At quonam præciſe poſtea anno obierit, eique ſucceſſerit Georgius, non liquet. Eutychius Alexandrinus ſcribit Georgium fuiſſe ordinatum anno 20. Califæ Abugiafar Almanſor, id eſt Chriſti 773. quum hic Abu- D giafar fratri ſuo Abdallæ Saffaho, ex Elmac. *lib. 2. pp. 97. & 100.* anno Arabum ſive heg. 136. die ſolis, decimo-tertio Dulhuggiæ, id eſt, ut ait Pagius, ad annum 754. *num. 25.* ejuſdem Chriſti anni die 9. Junii, quæ Dominica fuit, defuncto ſucceſſerit: & triginta annis ſediſſe. Sed hoc utrumque evidenter falſum eſt: primum ſcilicet, quia anno Chriſti 796. adhuc vivebat Helias: alterum autem quia, dato quod eodem anno 796. poſt 20. diem Martii, qua occiſi ſunt ſancti Martyres Sabaïtæ, fato functus fuiſſet Helias; ab eo E anno 796. ad annum 807. quo Thomas eccleſiæ Hieroſolymitanæ certo præerat, ut infra videbimus, non occurrunt niſi ad ſummum anni undecim. Georgium in manuſc. Brugenſi appellari *Gregorium,* vicino nomine & facile alternabili, *Sergium* vero in manuſc. Rubeæ Vallis, monet Papebrochius *in tract. prælim. ad Act. SS. tom. 3. Maii, num. 174. pag. 40. col. 1.* A. Qui etiam cenſet eum eſſe *Patriarcham* illum *Hieroſolymitanum, ex cujus parte monachus de Hieroſolymis veniens anno 799. reliquias multas attulit regi* (Carolo Magno,) ut legere eſt, *tom. 2. ſcriptorum hiſt. Francor. Andr. Ducheſne pp. 18. 41. 59. 79. 80. 164. 250. & 251.* Nec certe repugnat quidquam, niſi quod fortaſſis adhuc ſuperſtes fuerit Elias ejus prædeceſſor. Sic porro metricè rem illam refert Poëta Saxonicus, *ibid. pag. 163.* C. *& 164.* A.

De iis mſſ. vide ſupra col. 291. C.D.

Saxonum rebus certo moderamine cunctis
Diſpoſitis, in Aquiſgrani ſe contulit aulam, &c.
Tunc Hieroſolyma monachus directus ab urbe,
Immenſo nimium ſpatio terræque mariſque
Tranſcurſo, Regi munus precioſius omni
Auro detulerat, mittente pio Patriarcha
Pignora ſancta loci, Chriſtus qui carne ſepultus
Morte reſurrexit victa, quo gaudia mundo
Angelus hæc cœli miſſus narravit ab Arce.
Rex quoque Natalem Domini celebravit in aula
Jam dicta, monachumque dehinc remeare volentem
Abſolvit, comitemque ſimul conjunxerat illi
Zachariam: regalis erat qui preſbyter aulæ,
Perquem magna locis miſit donaria ſanctis,
Atque viris inopem vitam ducentibus illic,
Et mala perpeſſis mundi ſub nomine Chriſti.

Effuſam quippe Caroli Magni latè beneficentiam in egentes commendat Eginhardus in ejus vita, apud eumdem Andream Ducheſne, *pag. 103.* A. *Circa pauperes ſuſtentandos,* inquit, *& gratuitam liberalitatem, quam Græci eleemoſinam vocant, devotiſſimus, ut qui non in patria ſua ſolum & in ſuo regno eam facere curaverit; verum trans maria in Syriam, & Ægyptum, atque Africam, Hieroſolymis, Alexandriæ, atque Carthagini, ubi Chriſtianos in paupertate vivere compererat, penuriæ illorum compatiens, pecuniam mittere ſolebat. Ob hoc maxime tranſmarinorum regum amicitias expetens, ut Chriſtianis ſub eorum dominatu degentibus refrigerium aliquod ac relevatio proveniret.* Idem Eginhardus in annalibus ad annum Chriſti 800. *ibid. pag. 251.* A. enarrans quæ Romæ geſta ſunt, dum ibi Carolus magnus eo anno moraretur, ait: *Eadem die* (id eſt, ut paulo ſupra habet, *poſt ſeptem dies* ab *VIII. kal. Decemb.* quæ erat ſubinde ipſis kal. Dec.) *Zacharias preſbyter, quem rex Hieroſolymam miſerat cum duobus monachis, quos Patriarcha cum eo ad regem miſit, Romam venit. Ii benedictionis gratia claves ſepulchri Dominici ac loci Calvariæ cum vexillo detulerunt. Quos rex benignè ſuſceptos per aliquot dies ſecum detinuit; & redire volentes, remuneratos abſolvit.* Mirum ſanè, in ea monachi delegationis à Patriarcha Hieroſolymitano ad Carolum magnum relatione, apud annaliſtas omnes, hujus Patriarchæ nomen ubique

Digitized by Google

deſiderari. Baronius quidem, ad annum 795. *num. 64.* in fine ita ſcribit: *Hoc eodem anno, ut habetur ex Theophane, Joannes perficitur epiſcopus eccleſiæ Hieroſolymitanæ:* quaſi ex Theophane Helias anno 795. obierit, eique proxime ſucceſſerit iſte *Joannes:* & rurſus ad annum 800. *num. 22.* hæc refert veluti ex annalibus Francorum in vita Caroli magni: *Zacharias,* inquit, *preſbyter qui anno ſuperiori* (799.) *miſſus fuerat ad loca ſancta Hieroſolymorum cum eleemoſynis, bene perfuncto legationis munere cum duobus monachis, uno de Monte-Oliveti, altero de Sabæ monaſterio, de Oriente reverſus Romam venit, quos Joannes Patriarcha ad regem miſit: qui benedictionis cauſa claves Sepulchri Dominici ac loci Calvariæ, claves etiam civitatis & Montis-Oliveti cum vexillo detulerunt. Quos rex benignè ſuſcipiens, aliquot dies ſecum detinuit, & Aprili menſe* (ſequentis anni) *remuneratos abſolvit.* Verum, præterquam quod conſtat, ex Stephano auctore actorum ſanctorum martyrum monachorum Sabaïtarum, illos fuiſſe occiſos, *quum Hieroſolymitanæ eccleſiæ beatiſſimus Patriarcha Helias* (præeſſet), anno ſcilicet Chriſti 796. die vigeſima Martii: item ex Leontio auctore vitæ ſancti Stephani Sabaïtæ, *quum hinc ad Deum* (Helias) *ſancte migraret Domnum Georgium ſyncellum ſuum in cathedram Theadelphicam ſucceſſorem reliquiſſe,* ut ſupra dictum eſt: quibus Joannes excluditur, tum à poſſeſſione Hieroſolymitanæ ſedis anno 795. tum etiam ab immediata ejuſdem præfato Heliæ ſucceſſione: inſuper obſervat Pagius *tom. 3. crit. annal. Baron.* ad annum 795. *n. 7.* neque Anaſtaſium, neque auctorem Miſcellæ, & multo minus Theophanem hujus Joannis meminiſſe, ſoloque memoriæ lapſu id Theophani adſcribere Baronium: Et ad annum 800. *num. 13.* codicem monachi Engoliſmenſis in quo legit Baronius, *quos Joannes Patriarcha, &c.* fuiſſe interpolatum, nec in genuino ejus codice, apud Andr. Ducheſne *to. 2. Francic. pag. 80.* B. nomen Joannis exhiberi: *Eadem die Zacharias cum duobus monachis, uno de Monte-Oliveti, altero de ſancto Saba de Oriente reverſus Romam venit, quos Patriarcha ad regem miſit, &c. Joannis* itaque nomen in eum locum intruſum (manifeſtum eſt, quod non reperitur quoque) in aliis exemplaribus laudatæ vitæ Caroli magni, nec in Reginone, nec in Eginhardi exemplaribus, nec in Annaliſtis Metenſi, Bertiniano, aliiſque, qui eamdem rem narrant, & Patriarchæ nomen omnes reticent. Porro certum eſt, (ſunt ſemper verba Pagii) non *Joannem* per hæc tempora eccleſiæ Hieroſolymitanæ præfuiſſe, ſed (probabilius) *Georgium* qui Eliæ ſucceſſit, &c. Fictitius igitur iſte Patriarcha (*Joannes*) acceptus ex Antiquitatibus San-Dionyſianis à Doubleto editis *lib. 4. c. 3.* ubi multa de Carolo magno fabuloſa habet. Ait enim Joannem Patriarcham Hieroſolymitanum à Saracenis è ſua ſede pulſum ad Conſtantinum Imperatorem ejuſque filium Leonem Conſtantinopolim fugiſſe, conjunctimque cum utroque, quibus noviſſimam Chriſtianorum in Palæſtina calamitatem expoſuerat, nuncios ac litteras ad Carolum Imperatorem direxiſſe cum hac epigraphe: *Servus ſervorum Dei Joannes urbis Hieruſalem divina miſericordia epiſcopus, &c.* Addit Doubletus, Carolum lectis litteris, & ab archiepiſcopo Remenſi Tilpino explicatis, præcepiſſe ut omnes arma ſumerent; perrexiſſe in Orientem, urbem Hieroſolymam, totamque terram, quam ſanctam cognominant, eripuiſſe Saracenis, indeque Conſtantinopolim veniſſe, & onuſtum reliquiis Aquiſgranum, indeque ad monaſterium San-Dionyſianum rediiſſe. Mitto alias res in eadem narratione contentas, quia inter eruditos convenit Carolum nunquam Hieroſolymam, nec Conſtantinopolim profectum eſſe. Cointius hoc anno 800. *num. 28. & ſeq.* pluribus fabulam illam confutat, quibus ſuperfluum eſſet aliquid addere. Is tamen perperam *n. 27.* fictitium illum *Joannem* pro vero Patriarcha Hieroſolymitano habet, & de iſto interpretandos eſſe cenſet auctores laudatos qui de Patriarcha Hieroſolymitano, ejus non expreſſo nomine, verba faciunt. Et ad annum 803. *num. 53.* ait, Patriarcham Hieroſolymitanum, qui anno Chriſti 800. legatos ad Carolum magnum miſit, nominatum fuiſſe *Joannem. Hieroſolymitani Patriarchæ,* inquit, *legatos cum muneribus ad Carolum magnum non ſemel direxerunt: Joannes anno Redemptoris octingenteſimo, Thomas ſeptimo poſt anno, &c.* Sed ex Patriarcharum Hieroſolymitanorum ſerie à nobis (ſunt ſemper verba Pagii) in hoc opere accurate conſignata, manifeſtum eſt, nullum *Joannem,* Regni & Imperii Caroli tempore, eccleſiæ Hieroſolymitanæ præfuiſſe. Quoad claves ſepulchri Dominici ad Carolum miſſas, Eginhardus in vita Caroli magni (apud Andr. Ducheſne *to. 2. pag. 99.* B. C.) hæc habet: *Cum Aaron rege Perſarum, qui, excepta India, totum penè tenebat Orientem, talem habuit in amicitia concordiam, ut is gratiam ejus omnium qui in toto orbe terrarum erant regum ac principum amicitiæ præponeret, ſolumque illum honore ac munificentia ſibi colendum judicaret. Ac proinde quum legati ejus, quos cum donariis ad ſacratiſſimum Domini ac Salvatoris mundi ſepulcrum, locumque reſurrectionis miſerat, ad eum veniſſent, & ei Domini ſui voluntatem indicaſſent, non ſolum quæ*

quæ petebantur fieri permiſit, ſed etiam ſacrum illum & ſalutarem locum, ut illius poteſtati adſcriberetur, conceſſit. Et revertentibus legatis ſuos adjungens, inter veſtes & aromata, & cæteras Orientalium terrarum opes, ingentia illi dona tranſmiſit; quum ei ante paucos annos eum, quem tunc ſolum habebat, roganti mitteret elephantem. Imperatores etiam Conſtantinopolitani Nicephorus, Michael, & Leo, ultro amicitiam & ſocietatem ejus expetentes, complures ad eum miſere legatos. Cum quibus tamen, propter ſuſceptum à ſe Imperatoris nomen, & ob hoc ei quaſi qui Imperium eis præripere vellet, valde ſuſpectum, fœdus firmiſſimum ſtatuit, ut nulla inter partes cujuſlibet ſcandali remaneret occaſio. Erat enim ſemper Romanis & Græcis Francorum ſuſpecta potentia. Unde & illud Græcum extat proverbium, τὸν φράγκον φίλον ἔχῃς· γείτονα οὐκ ἔχῃς. (id eſt Latinè, *Francum habeas amicum, vicinum non habeas.)* Monet idem Pagius, *tom. 3. crit. annal.* ad annum 800. *n. 14.* quod hic ab Eginhardo dicitur de elephante *ante paucos annos* miſſo (ab Aarone regi Carolo magno) locum controverſiæ facere, utrum Carolus ex Aaronis munificentia ſepulcrum Dominicum hoc anno 800. ſub ſua poteſtate tenere cœperit, an vero anno duntaxat 807. quo legatus Aaronis, & cum eo duo monachi de Hieruſalem (à Thoma Patriarcha miſſi,) ad Carolum pervenere, munera deferentes quæ Aaron Califa Saracenorum Imperatori deſtinaverat .... Cointius hoc anno 800. *num. 27.* totam controverſiam auctoritate annaliſtarum rectè dirimit, rerum geſtarum ordine ſic obſervato. Carolus (ſcilicet) anno 797. tres oratores in Orientem direxit, Lanfridum, Sigiſmundum, atque Iſaacum, & per eos elephantem ab Aarone poſtulavit. Eodem anno Aaron illos legatos excepit, auditoſque remiſit in Franciam per Africam cum elephante, duobuſque legatis, quos ejuſdem itineris ſocios adjunxit. Anno 799. quum Carolus è Saxonia jam reverſus apud Aquiſgranum moraretur, *monachus quidam de Hieroſolymis veniens, benedictionem & reliquias de loco reſurrectionis Dominicæ, quæ Patriarcha regi miſerat, detulit. Rex* (eumdem) *monachum reverti volentem abſolvens, Zachariam quemdam preſbyterum de Palatio ſuo cum eodem ire juſſit, cui & donaria ſua ad illa veneranda loca deferenda commiſit,* ut inquit Eginhardus in annalibus de Geſtis Caroli M. apud præfatum Andr. Ducheſne *tom. 2. pag. 250.* B. Ad illam autem legationem referendum quod ſupra dictum eſt ex eodem Eginhardo in vita Caroli magni: *Quum legati ejus* (Caroli,) *quos cum donariis ad ſacratiſſimum Domini ac Salvatoris mundi*

A *ſepulcrum, locumque reſurrectionis miſerat, ad eum* (Aaronem) *veniſſent, & ei domini ſui* (Caroli) *indicaſſent voluntatem, non ſolum quæ petebantur fieri permiſit; ſed etiam ſacrum illum & ſalutarem locum, ut illius poteſtati adſcriberetur, conceſſit.* Poſtea Zacharias ex ſua legatione, *cum duobus monachis quos Patriarcha cum eo ad regem miſit, Romam venit,* ubi ſub finem anni 800. Carolus magnus degebat *(ibid. pag. 251.* A.*)* iique *benedictionis gratia claves ſepulcri Dominici, ac loci Calvariæ cum vexillo detulerunt. Quos rex benignè ſuſceptos*

B *per aliquot dies ſecum detinuit, & redire volentes, remuneratos abſolvit.* Carolus vero anno ſequenti (801.) *VII. kalend. Maii* (ibid. B.) *Roma profectus Spoletum....* (Et) *de Spoleto Ravennam venit, & aliquot dies ibi moratus, Papiam perrexit. Ibi nuntiatum eſt ei legatos Aaron regis Perſarum portum Piſas intraſſe. Quibus obviam mittens, inter Vercellas & Hipporhediam* (Eporediam) *eos ſibi fecit præſentari. Unus eorum erat Perſa de Oriente legatus prædicti regis* (nam duo fuerant), *alter Saracenus de Africa legatus Amirati Abraham, qui*

C *in confinio Africæ in Foſſato præſidebat. Hic Iſaac Judæum, quem Imperator* (Carolus) *ante quadriennium ad memoratum regem Perſarum cum Lanfrido & Sigiſmundo legatis ſuis miſerat, reverſum cum magnis muneribus nuntiaverunt: nam Lanfridus & Sigiſmundus ambo in eodem itinere defuncti ſunt. Tum ille miſit Erchenbaldum notarium in Liguriam, ad claſſem parandum, qua elephas, & ea quæ cum eo afferebantur, ſubvehi poſſent* (ſubveherentur.) Ex omnibus itaque his textibus inter ſe collatis (inquit Pagius ſupra laudatus *n. 16.)* liquet

D Carolo prius elephantem, quam vexillum ab Aarone miſſum fuiſſe; licet Carolus vexillum ſibi delatum prius acceperit, quam elephantem ab Aarone ſibi miſſum norit. Præſenti (quippe) anno (800.) menſe Decembri, oblatum ei vexillum ſepulcri Dominici: (nonniſi autem poſtea elephantem recepit.) *Anni* (enim 801.) inquit Eginhardus ibidem, *pag. 251.* C. *Menſe Octobri Iſaac Judæus de Africa cum elephante regreſſus Portum Veneris intravit, & quia propter nives Alpes trajicere non poterat,* (nam ſic legendum monet Andr.

E Ducheſne *ibidem, pag. 848.* A.) *in Vercellis hyemavit.* Tandem *anni* (802.) inquit idem Eginhardus *ibid. lin. ult. & pag. ſeq. 252.* A. *menſe Jul. XIII. kalend. Aug. venit Iſaac cum elephante, & cæteris muneribus quæ à rege Perſarum miſſa fuerunt, & Aquiſgrani omnia Imperatori detulit, nomen elephanti erat Abulabaz,* qui ſubito mortuus eſt anno 810. Poëta Saxonicus, eodem anno 802. elephantem adductum canit, nec ſepulcrum Dominicum

Digitized by Google

Caroli ditioni ſerius adſcriptum narrat. *ibid. pag. 167.* A.

*Hoc de longinquis Elephas regionibus anno** (* ſcilicet 802.)
Primitus adductus, mira ſpectacula Regno
Francorum dederat. Perſarum denique Princeps
Hunc Aaron (idem fuerat cui ſubditus, Indis
Exceptis, Oriens totus) curaverat ultrò
Ejus amicitiæ ſe fœdere jungere firmo:
Ac dignum duxit præ cunctis regibus ipſum
Temporis illius ſolum, cui munera larga
Præcipui cauſa tranſmittere vellet honoris.
Nam gemmas, aurum, veſtes, & aromata crebrò
Ac reliquas Orientis opes direxerat illi;
Adſcribique locum ſanctum Hieroſolymorum
Conceſſit propriæ Caroli ſemper ditioni.

Nos latet quo ineuntis ſæculi anno ex hac vita migraverit Georgius Patriarcha Hieroſolymitanus: ſolum novimus anno 807. hunc non amplius fuiſſe ſuperſtitem, ut ex modo dicendis conſtabit.

Fortunatus.

LXIV. Thomas.

Papebrochius *in hiſtoria Chronologica Patriarcharum Hieroſolymitanorum, to. 3. præfixa actorum ſanctorum menſis Maii*, ante hunc Thomam recenſet quemdam *Fortunatum.* In annalibus, inquit *num. 176. pag. 40. col. 2.* (Francorum) Metenſibus, (ſæculo x. ſcriptis, qui extant apud Andream Ducheſne *tom. 3. monumentorum Francicorum)* ad annum 802. *pag. 290.* A. B. narratur quomodo *eodem anno, XIII. kalend. Aug. venit Iſaac cum elephante, & cæteris muneribus à rege Perſarum miſſis, in præſentiam Imperatoris* (Caroli M.) Anno autem 803. *venit quoque Fortunatus Patriarcha de Græcis, afferens ſecum inter cætera dona duas portas eburneas mirifico opere ſculptas, &c.* Ex quo, inquit Papebrochius, veroſimilior fit prolixa de Fortunato Hieroſolymitano Patriarcha narratio, contenta in libello de ſucceſſoribus ſancti Hildulphi, ex archiepiſcopo Trevirenſi, abbatis Mediolacenſis (vel potius Medianenſis, ut infra dicetur,) in Voſago. In eo autem libello *cap. 4.* hæc de Fortunato traduntur: *Extemplo in electione ſucceſſoris* (abbatis Maldawini) *multitudini fratrum* (hujus monaſterii) *ſurrepſit diſcordiæ bilis, ſed prævalentibus beati viri hujus* (Maldawini) *meritis inſperato divinæ clementiæ jubar ab Oriente deſtinatur illis. Nam quum bifariam ſcinderentur mutuæ diſſenſionis pertinacia ducti, ambarum partium priores pariter ad principem pervenere Carolum. Ubi pacificus princeps ſedatu difficile monachorum perſenſit litigium, concordiæ providere geſtiebat quam plurimum.* A *Mira autem diſpoſitione divinitatis repertus eſt ibi Fortunatus Patriarcha venerabilis, qui gratia ſalutandi famoſum principem, viſendique loca ſanctorum quos fama excurrente didicerat, ab Hieroſolymis peregrè digreſſus erat. Is denique ante aliquot annorum curricula animadvertens apud Aaron regem Perſarum pluris haberi amorem Caroli, quam quorumcumque principum (quod etiam patefecerat dirigendo ei ſolum quem habebat elephantem) per diaconem reliquias ligni paſſionis.... tranſmiſerat illi, multaque prece conteſtatus exegit, ut prædicto Aaron* B *legationem per ſuos inferret hujuſmodi: omnimodis tuam clementiam precor pro loco reſurrectionis Domini Dei mei ſancta Sion, ne tuo laxamento à gentibus paſſim calcetur; neque religionis Chriſtianæ Pontifici, debitum cultum ibidem exequenti, contradicatur.... Qui chari ſibi principis amicabili ſuggeſtione adeo delibutus eſt, quatenus diſpoſitioni ejus adſcribi reverendum locum juberet.... Hac pro cauſa diaconem ſuum ad Carolum iterato cum munuſculis deſtinavit Patriarcha: tertio autem per ſemet veniens ipſe mutua viſione ſatisfacere communi* C *affectui, ſuo videlicet principiſque religioſi, offendit apud eum prædictam procellam cœnobitalis diſſenſionis; cui ſedandæ rex æſtuans conſultum iri, ad hunc quaſi ob id divinitus deſtinatum repentè tota convertitur tractatio regalis conſilii, ſi modo ille præſul maximus poſſet ad hoc flecti. Regis itaque ac optimatum ejus importunis tentatus precibus vix potuit ad hoc perſuaderi, quatenus ſanctorum qui tunc forte aderant ſacerdotum cedens auctoritati ſuſciperet curam iſtius monaſterii; cujus ſanctitatis excellentia prioriſque apicis reverentia ſtirpitus* D *eſt ſopita clauſtralis diſcordia, & ſub eo de more effecti ſunt monachi cor unum & anima una. Fuiſſe equidem dicitur recalvaſter hic Domini famulus, corpore exilis & exiguus, facie & converſatione angelicus, barba ſublonga, caniſque reſperſa decoratus. Prædia in augmentum loci in diebus ejus collata ſunt numeroſa, chartarum monimento hucuſque notiſſima. Ipſius vero collatione ex cunctis penè inſtrumentis humanæ converſationi atque paſſioni aptatis amplexabilia pignora locus hic meruit percipere, pariterque precioſorum martyrum Stephani, Lazari qua-* E *triduani ſepulti, Georgii, atque Pancratii cum plurimis; quod nunc longum videtur proſequi.* Cap. v. *Per hæc tempora ab Orientis partibus eidem cœnobio divino ductu deſtinata ſunt duo præclariſſima lumina; quidam videlicet inter ſuos rex, nomine Lazarus, cum filia Aza quæ etiam extiterat in finibus illis regina. Hi piæ devotionis ſtudio deſerentes propria, expetivere peregrina, quatenus in urbe Romulea mererentur attingere Apoſtolorum limina, & inſuper*

Digitized by Google

A *adirent memorias ſanctorum quos triſida venerabatur Gallia. Quumque plurima peragrando loca ſanctorum ſatisfacerent religioſæ curioſitati, tandem ſubeunt habitationem Mediani monaſterii, famæ ſuſurrio jam dudum ſibi cogniti; ubi reperientes Fortunatum Patriarcham venerabilem monachorum cœleſtia ſuſpirantum choro prælatum, quem olim habuerant non ignotum, compuncti ſancta converſatione & admonitione eorum, ſuſceptæ peregrinationis fixerunt circuitum. Denique inſtantes nimiis precibus ut recludi permitterentur, vix aliquando obtinere* B *quiverunt. Recluſi ſunt ergo, rex in cella ſibi præparata penes oratorium beati apoſtoli Petri, regina* (vero) *ultra alveum Rabodonis juxta Baſilicam beati confeſſoris Apri, in quibus uſque hodie feneſtellæ ipſorum poſſunt videri, per quas ſuſcipiebant neceſſaria humanæ imbecillitati. Ibidem cum aliquot vixiſſent annis, ſolummodo cœleſtibus vacantes conditionibus, exuti membris corruptibilibus migrarunt ad palatia incirconſcripti ſpiritus; ob id verius reges dicendi quod minime regnarat peccatum in eorum corpore mortali. Sepulti ſunt autem in propriis* C *cellulis: ſed poſtea ſacri artus venerandæ reginæ à prioris tumbæ loco relati, ſociati ſunt artubus venerandi regis: ut qui ſanguine, mente, & corpore juncti fuerant, unius ſepulcri participes forent. Beatus ergo Patriarcha Fortunatus, meritis tandem & ætate conſummatus, huic temporalitati IV. kalend. Mart. eſt ſubſtractus, atque ad perpetem ſtantium dierum infinitatem perductus. Hujus veneranda gleba poſt baſes altaris beati Papæ Gregorii decenti ſepulturæ eſt tradita: anni vero ejus regiminis Mediani monaſterii reperiuntur viginti.* De eodem Fortunato, D ejuſque cœnobii monachis poſt illius mortem, hæc leguntur in epiſtola 3. Frotharii epiſcopi Tullenſis ad Ludov. Pium Imperator. apud Andr. Ducheſne, *tom. 2. monument. Francic. pag. 713.* A. B. *Ad aures miſericordiæ veſtræ reducimus, piiſſime Imperator, ego Frotharius epiſcopus, & Smaracdus abba, quod tempore Fortunati Mediolacenſis monaſterii abbatis, per juſſionem veſtram Smaracdus ipſius monaſterii monachis portionem de abbatia dedit, ut regulariter viverent. Et idcirco bene & ſecundum regulam vixerunt, quouſque* E *Fortunatus receſſit. Sed quum ſuſcepiſſet Hiſmundus ipſum monaſterium, recepit illorum portionem, & promiſit ſe eis omnia neceſſaria regulariter adminiſtraturum. Quod poſtea ſæpius aliter illis eveniſſe teſtantur: unde & nunc venerunt ad nos reclamantes & dicentes ſe nec regulariter vivere interius, nec regulariter alimenta corporis ſumere exterius, &c. Quamobrem dedimus eis licentiam ad vos veniendi. Hæc autem veſtræ ſapientiæ innotuimus* (notum fecimus) *ut priuſquam ad vos veniant, cauſas acclamationis eorum dignoſcatis.* Præfatus Papebrochius ait rurſus *ibid. pag. 41. col. 1.* A. libello, ut putat, fultus de ſucceſſoribus S. Hildulphi, initio ſæculi XI. compoſito, hunc Fortunatum in Galliam veniſſe anno 803. ac vixiſſe ſaltem uſque ad 823. ideoque exiſtimari poſſe factum anno 801. Patriarcham Hieroſolymitanum qui græco nomine *Eutychius* fortaſſis, vel *Macarius* appellatus fuerit, ſed ſumpto poſtea conſilio remanendi in Europa, quietique vitæ monaſticæ vacandi, clero ſuo Hieroſolymitano facultatem dederit ut alium pro ſe Patriarcham eligeret. Hæc, inquam, conjicit Papebrochius, qui nihilominus immediate ſubdit *num. 178. p. 41. col. 1.* A. B. Annales Francorum ab anno 708 ad 808. deducti, & *tom. 2. Francicorum* (Andreæ) *Ducheſne* ex Joan. Tillii manuſcripto editi, confirmant nomen ſucceſſionemque hujus Patriarchæ (Thomæ) in catalogis immediate poſt Georgium relati, *prætermiſſo Fortunato:* forte quia male Græcos habuit eum à patriis ritibus ad Latinos tranſiiſſe: *niſi quis dubitare malit utrum vere Patriarcha fuerit,* creditus tamen ſit, eo quod eſſet Patriarchæ ſyncellus, ſeu chorepiſcopus. Verum Pagius *to. 3. crit. annal. Baron.* ad annum 803. *n. 4.* contendit hunc *Fortunatum* Patriarcham fuiſſe Gradenſem propè Venetias, non autem Hieroſolymitanum. Poſtquam enim retulit quæ ſupra recitavimus ex annaliſta Metenſi, *venit quoque Fortunatus Patriarcha de Græcis, &c.* ſubjungit: Erat *Fortunatus* Patriarcha Gradenſis, qui in annalibus Metenſibus dicitur *Patriarcha de Græcis,* indicans eum Venetiis veniſſe, juxta modum loquendi Leonis Papæ III. in epiſt. ordine XI. ad Carolum Magnum, quæ extat conc. Labb. *to. 7. col. 1125. Reperimus in eis* (litteris Caroli) inquit Leo, *quatenus à Gradenſi inſula, ubi Fortunatus archiepiſcopus ſuam propriam ſedem habere videbatur, propter perſecutionem Græcorum ſeu Veneticorum exul eſſe dignoſcitur.* Hic quippè *Venetici,* apud quos *Gradus, Græci* appellantur. Richerius tamen in chronico Senonienſi *lib. 2. cap. 6.* Fortunatum Gradenſem, Patriarcham *Hieroſolymitanum* fecit; ſic enim ſcribit. *Tempore Caroli Magni, vir quidam venerabilis, Fortunatus nomine, Patriarcha Hieroſolymitanus, corpus ſancti Joſeph ſepultoris Domini, paganos qui tunc terram ſanctam vaſtabant fugiens, apportavit, & ad Medianum monaſterium deveniens, ibidem cum ipſis ſuis reliquiis ſe collocavit, qui poſtea ipſius monaſterii abbas eſt ordinatus. Sed poſtmodum ipſum ſancti* (Joſeph) *corpus per inſolentiam canonicorum qui illum locum poſſederunt, à quibuſdam monachis peregrinis noctu furatum adſportatum eſt, & ita illud monaſterium tali eſt theſauro viduatum.* Non inficiandum

Digitized by Google

quidem *Fortunatum*, Patriarcham Gradenſem, A in Franciam ad Carolum magnum anno 803. veniſſe: ſed, ut quæ ad ipſum ſpectant melius intelligantur, hic nonnulla ſubdenda puto, quæ idem Pagius obſervat *ibidem*, ad annum 802. *num. 3.* Adminiſtratio, inquit, reipubl. Venetæ erat hoc tempore penes Joannem ducem, & annuos tribunos. Chriſtophorus autem homo Græcus, Joanne duce Venetiarum contendente, Olivolenſis epiſcopus conſtitutus eſt. Quod quum iniquo animo ferrent tribuni, Joannem Patriarcham Gradenſem rogarunt ne Chriſtophorum conſe- B craret: quibus quum hic obſequutus eſſet, Joannes dux adeo exarſit ira, ut Mauricio filio duce aſſumpto, claſſem Gradum adduxerit, & civitate primo adventu capta, Joannem Patriarcham ex celſiſſima turri præcipitarit, ut narrat Sigonius *lib. 4.* de regno Italiæ, ad hunc annum (802.) Olivola inſula eſt quæ partem hodiernarum Venetiarum conſtituit, in qua ſedes primum epiſcopalis fuit, deinde Patriarchalis quæ ad hodiernam uſque diem perſeverat. Audito hoc immani ſcelere Paulinus Foro-Julienſis ſeu Aquileienſis Patriar- C cha concilium Altini mox celebravit, ut conſtat ex ſynodalibus litteris, quarum fragmentum Baronius recitavit, per quas Carolum Imperatorem Paulinus ad ultionem excitabat.... Interim tribunorum Venetorum ſtudio Joanni Patriarchæ Gradenſi ſuffectus eſt Fortunatus ejus propinquus, cui pallium Leo (III.) Papa conceſſit, ut liquet ex ejus epiſtola Fortunato Patriarchæ Gradenſi data, quam Cointius anno ſequenti (803.) *n. 11. tom. 6. pag. 809.* ex Ughello *to. 5. Ital. Sac. col. 1180.* recitat. In ejuſdem epiſtolæ fine D legitur: *Scriptum per manum Benedicti notarii & ſcriniarii ſanctæ Romanæ eccleſiæ in menſe Martio, Indict. XI. benevalete. Datum XII. kal. Aprilis, per manum Euſtachii primicerii ſanctæ ſedis apoſtolicæ, imperante noſtro Domino Carolo piiſſimo Auguſto, à Deo coronato, magno & pacifico Imperatore anno tertio, Indict. XI.* ideoque anno (803.) Eodem anno Fortunatus, idibus Auguſtis, quum in regio comitatu ad Salam eſſet, à Carolo magno privilegium obtinuit in reſcripto quod referunt Ughell. *col. 1181.* & Cointius *pag. 817. num. 54.* in E eo autem legitur: *Notum ſit omnibus fidelibus noſtris .... qualiter vir venerabilis Fortunatus Gradenſis Patriarcha, ſedis ſancti Marci evangeliſtæ, & ſancti Hermacoræ epiſcopus ſerenitati noſtræ petiit, ut tale beneficium circa dictam memoratam ſanctam eccleſiam ex noſtra indulgentia concedere & confirmare debeamus, quatenus ſub immunitatis nomine, tam ipſe, quam ſacerdotes, & reliqui, necnon ſervi, coloni qui in terris ſuis commanent, in Iſtria, Romandiola,*

ſeu in Longobardia, vel ubique, quieto tramite vivere & reſidere debeant. Cujus petitionem, ejus ſervitio & meritis compellentibus, denegare noluimus, &c. Signum Caroli glorioſiſſimi Imperatoris. Hodingus ad vicem .... & Combaldo. Dat. idib. (id eſt 13.) *Aug. in ſacro palat. noſtro, anno 3. Chriſto propitio, Imperii noſtri.* Pergit Pagius ad annum 803. *num. 3.* annaliſta Lambecianus hoc anno habet: *Ipſo anno* (803.) *Imperator Carolus celebravit apud Aquis palatium Paſcha & conventum habuit ad Moguntiam:* ubi varia capitula publicavit, quæ *tom. 1. capitularium Reg. Franc.* & *to. 7. conc. Labb.* leguntur. Annaliſta autem Metenſis hoc anno (apud Andream Ducheſne *tom. 3. Francic. pag. 290.* B.) ſcribit: *Miſſi Imperatoris à Conſtantinopoli regreſſi ſunt, & venerunt cum eis legati Nicephori Imperatoris.... quorum hæc ſunt nomina, Michaël epiſcopus, Petrus abbas, Caliſtus & Candidatus* (legendum *&* *Caliſtus Candidatus,* unus enim homo fuit ex aliis annaliſtis) *qui venerunt ad Imperatorem* (Carolum) *in Germania ſuper fluvium Sala, in loco qui dicitur Salzs,* (tunc degentem) *& pactum faciendæ pacis in Chriſto ſuſceperunt. Inde dimiſſi cum epiſtola Imperatoris Romam venerunt: indeque Conſtantinopolim regreſſi ſunt. Venit quoque Fortunatus Patriarcha de Græcis, afferens ſecum, inter cætera dona, duas portas eburneas, mirifico opere ſculptas.* Rurſus idem Pagius ad annum 806. *num. 9.* ex Sigonio: *Nicetas Patricius cum claſſe in Adriaticum Sinum venit, à Nicephoro* (Imperatore miſſus) *ad comprimendas inteſtinas Dalmatarum Venetorumque diſcordias.* Fortunatus (autem) audito Nicetæ adventu, rurſum in Franciam navigavit: interimque Joannes diaconus Patriarcham ſe dixit Gradenſem, ut videre eſt apud Ughellum *tom. 5. Ital. ſac.* ubi de Patr. Gradenſ. Tunc eccleſia Polana interpontificio laborabat. Carolus ergo à Leone III. petiit ut Fortunatus, donec eccleſiæ Gradenſi reſtitueretur, Polanam regeret, quæ priuſquam Iſtriæ civitates in poteſtatem Francorum devenirent, ad diœceſim ſeu provinciam Gradenſem pertinebat. Annuit Leo in epiſtola XI. jam citata, ſed ea lege, ut eccleſiæ Polanæ nihil jurium facultatumque ſubtraheretur. Addit autem *ibid.* in embolo: *Et hoc veſtræ ſerenitati intimare curavimus de præfato Fortunato, ut ſicut ſemper pro illius honore temporali laboratis; ita & de anima ejus curam ponatis, ut per veſtrum pavorem, ſuum miniſterium melius expleat: quia non audivimus de eo, ſicut decet de archiepiſcopo, neque de partibus Franciæ ubi eum beneficiaſtis. Tamen gratias agimus Deo, quia omnia vobis incognita non erunt. Interrogate quidem fideles veſtros, & omnia vobis nota fient, eo quod illi qui vobis*

Digitized by Google

eum collaudant, hoc per munera & calciaria faciunt. Quid nobis plus amabile eſt, quam veſtra dulciſſima anima, &c. Hæc, inquam, Pagius, qui deinde ait, ad annum 810. *n. 6.* Certè Fortunatus Patriarcha ante quadriennium in Franciam profugus, à Francis poſtea eccleſiæ ſuæ (Gradenſi) reſtitutus eſt. Eginhardus inſuper in annalibus, ad annum 821. (apud Andr. Ducheſne *to. 2. pag. 264.* C.) hæc habet de Fortunato: *Fortunatus Patriarcha Gradenſis, quum à quodam preſbytero ſuo, nomine Tiberio, apud Imperatorem* (Ludovicum Pium) *fuiſſet accuſatus quod Liudewitum* B *ad perſeverandum in perfidia qua cœperat hortaretur, eumque ad caſtella ſua munienda artifices & murarios mittendo juvaret; & ob hoc ad palatium* (Imperatoris) *ire juberetur: primo velut juſſionem impleturus in Iſtriam profectus eſt; inde ſimulato reditu ad Gradum civitatem, nullo ſuorum, præter eos cum quibus hoc tractaverat, ſuſpicante, nactus occaſionem clam navigavit; venienſque Jaderam Dalmatiæ civitatem, Joanni præfecto provinciæ illius fugæ ſuæ cauſas aperuit. Qui eum ſtatim navi impoſitum Conſtantinopolim miſit.* Et poſtea idem Eginhardus ad ann. 824. *ibid. pag. 268.* A. B. *Illuc* (Rothomagi) *legatos Michaëlis Imperatoris qui ad eum mittebantur, ſibi occurrere juſſit* (Ludovicus Pius,) *cum quibus & Fortunatus Patriarcha Gradenſis Veneticorum regreſſus ad ejus præſentiam venit, ſed legati Imperatoris litteras & munera deferentes, pacis confirmandæ cauſa ſe miſſos eſſe dicentes, pro Fortunato nihil loquuti ſunt. Inter cætera tamen ad legationem ſuam pertinentia, quædam de imaginum veneratione protulerunt, propter quæ ſe Romam ire, atque apoſtolicæ ſedis præſulem conſulere debere* D *dixerunt. Quos quum, legatione eorum audita, ac reſponſo reddito, abſolveret, ut ſe velle dicebant, Romam ducere juſſit. Fortunatum etiam de cauſa fugæ ipſius percunctatus, ad examinandum eum Romano Pontifici direxit.* (Sic enim legendum monet Andr. Ducheſne, *ibid. pag. 852.* A.) Eo igitur modo Fortunatus Patriarcha Gradenſis *ex Oriente* in Franciam venit: ſcilicet ultimo hoc itinere, poſt quod Romam cum oratoribus Imperatoris Conſtantinopolitani ex mandato Ludov. Pii pergens, mortuus eſt in Francia, ut ſcribunt E Sigonius citatus, & Ughellus *to. 5. Ital. Sac.* in Patriarchis Gradenſibus. Quare non dubito, inquit idem Pagius ad annum 803. *n. 4.* quin Richerius, qui poſt medium ſæculum decimum-tertium chronicon ſuum exaravit, Fortunatum (cognoſcens ex Oriente cum legatis Imperatoris Conſtantinopolitani in Franciam veniſſe, eum) Hieroſolymitanum Patriarcham crediderit; quum aliunde complura ſcribat à veritate diſſentanea: quin

A Papebrochius etiam innixus libello de ſucceſſoribus ſancti Hildulphi Fortunatum Gradenſem inter Hieroſolymitanos Patriarchas perperam numerarit. Verum hunc Papebrochii errorem emendat doctiſſimus P. Joan. Bapt. Sollerius, *to. 3. actorum ſanctorum Julii,* ad diem 11. ubi de ſancto Hildulpho agens, ſic loquitur *n. 40. pag. 215.* E. Non equidem diffiteor, Fortunatum illum, qui Madalvino ſucceſſit (in regimine cœnobii Mediani,) *Gradenſem potius quam Hieroſolymitanum fuiſſe Patriarcham,* neque in Franciam veniſſe, aut ad Carolum Magnum acceſſiſſe ante annum Chriſti 803. ut ex Ughello *Ital. Sac. tom. 5.* Cointio *annal. eccl. Francic. tom. 6.* & Mabillonio *annal. Benedict. to. 2. lib. 26.* colligitur. Porro, quum hic ad Ughellum, Cointium, & Mabillonium remittamur, æquum eſt ut breviter ea inquiramus & perpendamus quæ de illo Fortunato tradunt. Quædam jam ſupra ex Ughello retulimus à Pagio recenſita: hæc ſolum addenda ſuperſunt. Fortunatus, inquit *col. 1180.* A. natione Tergeſtenus, ſtudio tribunorum in necati Joannis Patriarchæ C locum, cujus erat conſanguineus, ſubſtitutus eſt anno Domini 803. cui etiam Leo Papa III. pallium conceſſiſſe reperitur eodem anno, Indict. XI. 12. kalend. Aug. (Aprilis) in hunc modum, apud Andream Dandulum ſive Dandolum. Epiſtolam totam deſcribit, quæ apud ipſum legi poteſt. Deinde ſubjungit *col. 1181.* Poſt hæc Fortunatus de prædeceſſoris ſui occiſione graviter dolens, patefacta conſpiratione quam adverſus iniquitatis duces excitaverat, exulare juſſus, accito Obelerio Metamaucenſi tribuno, conſilium in Franciam adeundi cœpit, ut Carolum Magnum adverſus duces incenderet res Nicephori Conſtantinopolitani Imperatoris majore quam par eſſet ſtudio complectentes. Quo excepto, id eſt cognito, conſilio, duces ſubito claſſem Gradum iterum promoverunt, ac Fortunatum & Obelerium inde excedere coëgerunt. Ii quum ſe Tarviſium contuliſſent, Obelerius à Venetis exulibus dux eſt declaratus, Fortunatus autem in Franciam, ut conſtituerat, properavit, & Carolum de cæde prædeceſſoris ſui à ducibus illata edocuit, atque animum eorum ad Orientale imperium inclinantem aperuit, & exinde ab eo cultus tale reſcriptum elicuit: privilegium eſt immunitatis, de quo ſupra mentionem fecimus, & hic totum extat. Pergit *col. 1182.* D. Fortunatus Caroli Imperat. gratiam hanc conſequutus, ex Francia reverſus, ſedem ſuam repetere inſtituit, ſed, ut ait Dandolus, non audens Venetias intrare, in ſancti Cypriani eccleſia plebe Torcellanæ ſedis degere cœpit, & Joannem epiſcopatus invaſorem incautè

Digitized by Google

pergentem captivavit, qui pacta fuga libera-tus, ducibus quæ paſſus fuerat enarrans, eos contra Patriarcham vehementer animavit. Poſthæc Niceta patritius (à Nicephoro miſſus) cum exercitu ad tuenda loca Dalmatiæ venit, & ſuccurſum bellicum à Venetis requiſitum obtinuit, quem poſtea (ad) Venetos accedentem Fortunatus Patriarcha præſtolare non audens, in Franciam properavit: & Joannes diaconus, qui epiſcopatum invaſerat, in Patriarchali ſede ſubrogatus eſt. Et *col. 1183.* Fortunatus tandem, Venetorum mitigato furore, ad eccleſiam ſuam rediit.... Joanne invaſore in propriam domum redeunte. *Joannes ſiquidem qui Patriarchatum invaſerat,* inquit Dandolus, *ſynodali cenſura depoſitus eſt. Tenuit ſedem annis quatuor, Fortunatus autem, favente duce, in patriam reverſus eſt. Poſtmodum contra voluntatem Venetorum in Franciam remeavit. In cujus ſede Joannes abbas ſancti Servuli intruſus eſt.* At Fortunatus, anno Domini 818. veteris privilegii ſui confirmatione à Ludovico Pio Imperat. recepta, & reconciliata cum Venetis gratia, eccleſiam Gradenſem repetiit, ac Joannem abbatem ad monaſterium ſuum redire compulit. Anno vero 821. ut Eginhardus de geſtis Ludovici Pii refert, *quum à quodam preſbytero ſuo, nomine Tiberio, &c.* quæ ſupra recitavimus *col. 329.* A. Permanſit Fortunatus Conſtantinopoli fere annis tribus, ab anno ſcilicet 821. uſque ad annum 824. & cum legatis Michaëlis (Imperatoris Conſtantinopolitani) regreſſus, ad Ludovici (Pii) præſentiam ivit anno 824. Ludovicus Fortunatum de cauſa fugæ ipſius percunctatus, Romam ire juſſit, ut à Pontifice examinaretur: haud diu poſt in Francia defunctus legitur apud Dandulum, atque Sigonium, quum reliquiſſet eccleſiæ ſuæ, & cæteris piis locis multa eccleſiaſtica ornamenta, quæ vivens ipſe acquiſierat. Sediſſe tradit Dandulus, & ſæpè citata chronica, in Gradenſi eccleſia annis 27. Quod ſi verum eſt, illum obiiſſe oportet aſſerere anno ſalutis 830. Ita Ughellus: qui nullibi ait hunc Fortunatum fuiſſe abbatem Mediani monaſterii. Sed notandum in ea epocha 27. annorum, quam ejus regimini tribuunt Dandulus, & chronica ab Ughello recitata; errorem occurrere: Fortunatus quippe in Franciam, Conſtantinopoli reverſus, venit ſub finem anni 824. ſubindeque anno præſulatus 22. ab anno ſcilicet 803. & *haud diu poſt* in Francia diem extremum clauſit, juxta eumdem Dandulum. Nam, præter quam quod hæc loquendi formula, *haud diu poſt*, ſpatium 5. aut 6. annorum exinde elapſorum naturaliter non exprimit, ſed tempus aliquod breviſſimum; inſuper veriſimile non eſt, Fortunatum ſic 5. aut 6. annos Romam pergendo inſumpſiſſe, ut nondum relicta Francia deceſſerit. Mortuus itaque Fortunatus videtur, vel ipſo anno 824. exeunte, vel ineunte ſequenti 825. anno duntaxat 22. Patriarchatus ſui Gradenſis. Id certe confirmat Sigonius, *lib. 4. de Regno Italiæ pag. 111.* ubi ad annum 825. Venerii ſucceſſoris Fortunati meminit. *Ludovicus* (Pius) *paſchate Aquis celebrato, Noviomagum.... perrexit: deinde Aquas..... repetiit.... Ibi Venerius, qui in locum Fortunati Patriarchæ Gradenſis erat ſuffectus, miſſis nuntiis, confirmationem privilegii à Carolo eccleſiæ Gradenſi conceſſi, à Ludovico & Lothario impetravit. Sequenti anno* (826.) *Ludovicus Aquis circa idus Maii egreſſus, &c.* Non exprimit Sigonius quot annos Fortunatus ſederit, ſed verbis citatis obiiſſe clare indicat anno 825. Quod ſpectat ad Cointium, *to. 6. annal. eccl. Franc.* ad annum 803. *nn. 52. & 53. pag. 817.* totus eſt eo loci ut confutet Richerii commentum de Fortunati Patriarchatu Hieroſolymitano. Ad Carolum Imperatorem, inquit, quum ad Salam fluvium in regio palatio reſideret, acceſſit etiam Fortunatus Gradenſis Patriarcha, de quo ſic Metenſis annaliſta: *Venit quoque Fortunatus Patriarcha de Græcis, &c.* ut ſupra *col. 323.* D. Hunc *Fortunatum*.... Richerius perperam interpretatus eſt *Patriarcham Hieroſolymitanum*, multaque, quibus fidem habere non poſſumus niſi graviori muniantur auctoritate, ſic enarravit: *Tempore Caroli Magni, &c.* ut ſupra *col. 326.* E. Hieroſolymitani Patriarchæ legatos cum muneribus ad Carolum Magnum non ſemel direxerunt, *Joannes* (de hoc nomine, vide ſupra, ubi de Georgio, *col. 319.* A.) anno Redemptoris octingenteſimo, *Thomas* ſeptimo poſt anno, ut Annaliſtæ, Loiſelianus, Laureshamenſis, aliique teſtantur. At ipſummet Hieroſolymitanum Patriarcham in Franciam veniſſe nemo prodit, nec illis temporibus occurrit Hieroſolymitanus Patriarcha cui nomen inditum ſit *Fortunati.* Corruit igitur Richerii narratio. Statim vero Cointius ſubjungit privilegium, de quo ſupra, à Carolo Magno conceſſum eidem Fortunato, jam Patriarchæ Gradenſi; nec dicit, ſaltem expreſſe, illum Mediani monaſterii factum fuiſſe abbatem. Mabillonius tandem *tom. 2. annal. Benedict. pag. 340. n. 83.* cenſet Fortunatum Gradenſem eum ipſum eſſe qui fuit abbas hujus Mediani monaſterii; allatumque modo Cointii locum laudat ut ſuæ opinioni præeuntem. Si bene aſſignata eſt, inquit, ſuperius à nobis Mediani monaſterii abbatum ſeries, non exceſſit hunc annum (799.) Madalvinus abbas, qui poſt annos regiminis duodecim dicitur obiiſſe 3. idus Martii. Eo

Digitized by Google

mortuo, de ſucceſſore deligendo magno partium ſtudio actum eſt. Re ad Carolum delata, ad componendos diſſidentium animos eo miſſus traditur Fortunatus, quem monachi unanimi tandem conſenſu abbatem elegerint. Hunc *Patriarcham Hieroſolymitanum* dicunt Richerius monachus in chronico Senonienſi, & Joannes de Bayono in hiſtoria Mediani monaſterii: quibus ejus loci necrologium ſuffragatur. Verum id ſtare non poteſt cum ſerie Patriarcharum Hieroſolymitanorum: ſiquidem poſtremis hiſce Caroli regis annis nullus invenitur eo nomine illius eccleſiæ Patriarcha. Hæc enim dignitas hoc tempore erat penes *Joannem* (de quo nomine perperam attributo dictum eſt ſupra, *col. 319.* A. ubi de Georgio) qui anno ſequenti (800.) legationem ad Carolum miſit; idemque anno præſenti (799.) munera eidem regi per quemdam monachum afferri curavit: certe, ſi non ipſe, nullus Hieroſolymitanus Patriarcha tunc in Franciam venit. Joanni ſucceſſit *Thomas* qui anno 807. munera Carolo ſubmiſit per Georgium abbatem montis Oliveti patria Germanum, & per Felicem monachum, quo tempore Fortunatus abbas Mediano monaſterio præerat. Longè veriſimilius puto hunc eſſe Fortunatum Gradenſem Patriarcham, qui à ducibus Venetis exagitatus, in Franciam confugit ad Carolum regem: quo agente abbas Mediani monaſterii inſtitutus ſit: quo forte ſpectat Leonis Papæ (III.) epiſtola (XI.) ad Carolum de eo conquerentis; ubi Fortunatum à Carolo in Francia *beneficiatum* dicit. (verba ſupra relata ſunt, *col. 328.* E. in qua vox *beneficiaſtis,* nihil aliud exprimere videtur, quam quod dixerat Carolus in ipſo reſcripto beneficium ſcilicet privilegii immunitatis eidem Fortunato conceſſum, *petiit ut tale beneficium, &c.* Pergit Mabillonius, ſanè tempora non malè conveniunt: nam Fortunatus ille ad Carolum ſe recepit anno 803. & facile, altercantibus inter ſeſe monachis, electio (ab anno 799.) ad id tempus protrahi potuit. Mihi porro rem ita conjectanti ſuccurrit Caroli Cointii *(tom. 6. pag. 817.)* ſententia, hanc conjecturam ſuo calculo confirmantis: (verba ejus paulo ſupra adduximus, inquibus tamen, ut obſervatum eſt, nihil expreſſe habet de præfectura hujus monaſterii quæ Patriarchæ Gradenſi data fuerit,) ſed non inficias iverim id ex eo Mabillonium inferre potuiſſe, quod Cointius de illo Fortunato hîc agens quem dixerat Richerius fuiſſe Patriarcham Hieroſolymitanum, & poſtea conſtitutum abbatem Mediani monaſterii: primum quidem impugnet, contendens hunc Fortunatum fuiſſe eccleſiæ Gradenſis, non Hieroſolymitanæ, Patriarcham; alterum autem alto ſilentio premat, quaſi Richerio, quantum ad hanc partem aſſentiatur. Idem quoque de Pagio exiſtimandum videtur: qui pari modo Fortunatum Medianenſem præpoſitum ait, contra Papebrochium, fuiſſe non Hieroſolymorum, ſed Gradenſem Patriarcham. Pergit Mabillonius: hunc *Patriarcham de Græcis* vocat annaliſta Metenſis; quod forte quum legiſſet Richerius, aliique, id de Patriarcha Hieroſolymitano interpretati ſunt, quod de Gradenſi dictum erat, &c. In necrologio Senonienſi annorum fere quingentorum, notatur IV. idus Martii, *Fortunatus Patriarcha Hieroſolymitanus:* at in kalendario Gregoriani monaſterii, ante annos 600. ſcripto, & in Miſſali Morbacenſi annorum 500. eodem die fit mentio *Fortunati epiſcopi.* Primus poſt eum rexit monaſterium *Waldo* ex ſorore Madalvini abbatis progenitus: ſecundus, *Iſmundus,* dictus *Epiſcopus, &c.* Ex his vehemens mihi ſuboritur ſuſpicio (ſunt ſemper Mabillonii verba) Fortunatum abbatem Mediolacenſis monaſterii, ut in vulgata Frotharii epiſtola (cujus partem ſupra deſcripſimus, *col. 325.* D.) non alium eſſe à Fortunato abbate Mediano, de quo nunc agimus: tum quia locus iſte, cujus abbas erat Fortunatus ille, attinebat ad parochiam Frotharii epiſcopi Tullenſis, ut ex contextu epiſtolæ patet, à qua longe aberat *Mediolacus* diœceſis Trevirenſis: tum quia illius Fortunati ſucceſſor ab ipſo Frothario aſſignatur *Iſmundus,* à Bayone itidem recenſitus inter Medianos abbates: denique toto Caroli Auguſti principatu, quo Fortunatus ille apud Frotharium abbas erat, nullus Fortunatus invenitur inter Mediolacenſes abbates. Hucuſque Mabillonius, qui *ibid. lib. 28. n. 27. pp. 414. & 415.* eamdem materiam rurſus revocans ad examen, non *Mediolacenſis,* inquit, ſed *Medianenſis* in Voſago, ut ſuperius jam diximus, monaſterii abbas fuiſſe videtur Fortunatus ille, de quo Frotharius epiſcopus in tertia ex ſuis epiſtolis agit, quæ res paulo accuratius hoc loco tractanda eſt. Sub initium principatus Ludovici Auguſti, magna ſimultas orta inter Fortunatum abbatem adventitium, & monachos ſuos, de portione quæ utriſque competere debebat: Fortunatus ſummo jure totius ſubſtantiæ adminiſtrationem ſibi vindicabat; monachi vero, ut ille erat alieni gregis & inſtituti, certam ſibi portionem aſſignandam eſſe contendebant. Res ad Ludovicum delata, commiſſaque ejus negotii cura Smaragdo abbati ſancti Michaëlis ad Moſam, is monachis *portionem de abbatia dedit, ut regulariter viverent.* Et re quidem vera hi *regulariter* vixere, *quouſque Fortunatus receſſit.* Verum eo mortuo, Hiſmundus ejus ſucceſſor

Digitized by Google

monachorum portionem uſurpavit, &c. (ut A ſupra in epiſtola Frotharii legere eſt, *col. 325.*) Quid de his ſtatuerit Imperator, nobis haud innoteſcit. Porro in toto hoc negotio actum videtur, non de Mediolacenſi monaſterio diœceſis Trevirenſis, ſed potius de Medianenſi, quod intra fines parochiæ Tullenſis ſitum eſt. Cur enim ad *Frotharium Tullenſem* reclamaſſent illi monachi, & non potius ad *Trevirenſem* antiſtitem, ex abbate Mediolacenſi, ſi Mediolacenſes ipſi fuiſſent! Accedit quod eo tempore Medianum monaſterium regebat Fortunatus Patriarcha & abbas, &, B interpoſito poſt eum Waldone, Iſmundus epiſcopus dictus, quæ omnia prædicto negotio apprimè congruunt, ut jam ſuperius oſtendimus. Denique in veterrimo codice, quo uſus videtur Cheſnius (Andr. Ducheſne) in his edendis epiſtolis, non *Mediolacenſis*, ſed *Mediolanenſis* monaſterii adſcripta eſt mentio, ubi forte primitus ſcriptum fuerat *Medianenſis*. Suſpicandi locus eſt, juxta obſervationem viri eruditiſſimi hujus temporis, *Mediolanenſe* monaſterium, hic eodem ſenſu dictum ac *Medianenſe*, id eſt *in medio* ſitum. C Cujus ſignificationis elucidationi nonnihil confert illud Valeſii in notitia Galliarum *pag. 312. col. 2.* ubi de *Magduno ad Averam*, gallicè *Mehun-ſur-Yèvre*: Quod (caſtrum) Gregorium (Turonenſem) inquit, ſequutus Aimoïnus *in lib. 3. hiſt. Franc.* (apud Andr. Ducheſne *tom. 3. monum. Francic. p. 70.* C.) *caſtrum Mediolanenſe* appellat, & ſua ætate, (videlicet principatu Roberti Francorum regis) *Magdunum* nuncupatum ait, ut in *lib. 11.* rerum Francicarum obſervo, *p. 157.* Gregorii in codicibus verba ſunt hæc: *(lib. 6.* D *hiſt. Franc. cap. 31. col. 305.) Biturici vero cum quindecim millibus ad Mediolanenſe caſtrum confluunt.* In editis libris legitur *Mecledonenſe caſtrum*, mendoſe (nam *Mecledonenſe* eſt *Melun* apud Senones.) Idem Valeſius infra *pag. 330. col. 1.* ubi de *Megeni* monaſterio, quod illud ipſum eſt *Medianum monaſterium*, notat illud appellari *Medianum*, quod medium ſit inter quatuor monaſteria. In chronico Senonienſi reperio, inquit, *Medianum monaſterium*, ſeu gallicè *Moyen-Mouſtier*, ab ipſo conditore Hildulpho appellatum eſſe, E propterea quod, ab ortu Senonienſe monaſterium (gallicè *Senone*) ab occaſu Stivagium *(Eſtivay* ſive *Eſtival:)* à meridie Juncturas ſive ſanctum Deodatum *(Saint-Diey)* à ſeptemtrione Bodonis monaſterium *(Boudonville*, ſive *Bouſonville)* habebat. Pro *Mediolanenſi* autem, in eo ſenſu ſcripto vel etiam fortaſſis *Mediolocenſi*, irrepſit veriſimiliter *Mediolacenſe* monaſterium, ut enim obſervat auctor hiſtoriæ Mediani monaſterii impreſſæ Argentorati 1724. *pag. 173.* Medianum monaſterium non raro appellatum reperitur *Medii-loci* cœnobium, & quemadmodum à Mediolacu *Mediolacenſe* dictum eſt illud quod ad diœceſim Trevirenſem pertinet; ſic à medio loco *Mediolocenſe* iſtud dici potuit. Cæterum, proſequitur Mabillonius, nullam forte antiquiorem invenias partitionem redditũum factam inter abbatem, & monachos, quam iſtam, cujus ſimiles in monaſteriis Dionyſiano & Germanenſi ab Hilduino abbate factæ ſunt. Quod hucuſque aſſeruit doctiſſimus Mabillonius multum profecto juvat ad dirimendam quæſtionem cujuſnam Fortunatus, ex duplici illo cœnobio nimirum *Mediolacenſi* in diœceſi Trevirenſi, vel *Medianenſi* in Tullenſi, quorum alterutri indiſcriminatim ſcriptores eum præfectum fuiſſe tradunt, curam ſuſceperit; neve nos utrumque illud cœnobium, locum unum duplici nomine deſignatum perperam arbitremur. Verum diſſimulare nequeo mirum admodum videri, tantum ſcriptorem, alioſque doctrina non minus celebres viros, non animadvertiſſe, niſi fides omnis Dandulo, Sigonio, Ughello, Annaliſtis, imò Leoni III. Carolo Magno, & his ſimilibus denegetur, ſtare nullatenus poſſe *Fortunatum* abbatem Mediani monaſterii unum eundemque fuiſſe hominem cum *Fortunato* Patriarcha Gradenſi. Quomodo enim Fortunatus, aſſiduè incumbens regimini monachorum cœnobii Mediani, ab anno 803. uſque ad annum 822. aut 823. quo obiit, fuerit Fortunatus ille Patriarcha Gradenſis, in cujus vita nulla occurrit mentio hujuſce monaſterii, quod ſcilicet curam ejus ſuſceperit unquam aut geſſerit: ſicut nec in vita Fortunati abbatis ullum legitur verbulum de eccleſia Gradenſi cui vel per horam præfuerit! Quomodo, inquam, fuerit Fortunatus ille qui conſtitutus Patriarcha Gradenſis anno 802. aut 803. pallio pro hac eccleſia donatus eſt anni proximè memorati menſe Martio! Qui ejuſdem anni menſe Auguſto, adhuc in Francia degens, quo ſeſe receperat opem Caroli Magni imploraturus ut ſede Gradenſi ad quam electus fuerat pacificè frueretur, ab illo diploma obtinuit privilegii immunitatis pro eadem eccleſia ac territorio adjacenti! In cujus gratiam Carolus Imperator à Leone III. poſtulavit ut eccleſiæ Polanæ tunc vacanti præeſſet, donec ſuæ Gradenſis iniret poſſeſſionem! Qui exinde ſæpius ejectus à Venetis, in Franciam venit ad Carolum, ac filium ejus Ludovicum Pium à quo etiam præfati privilegii impetravit confirmationem! Qui anno 821. ab eodem Ludovico vocatus in judicium, Conſtantinopolim fugit ne reſponderet, ibique commoratus eſt

Digitized by Google

eſt uſque ad finem anni 824. regreſſus ſubinde poſt biennium fere ab obitu Fortunati abbatis in ſuo monaſterio Medianenſi? Qui demum in Franciam reverſus cum legatis Michaëlis Imperatoris, Romamque miſſus cum iiſdem legatis à Ludovico Pio, ut Eugenii Papæ examen de ſua fuga ſubiret, in Francia deceſſit, vel eo anno 824. vel ſequenti 825. imò, ſi, quod poſt Dandulum alioſque refert Ughellus, ipſum nempe tunc 27. ſui præſulatus annum excurriſſe verum fuerit, anno 830. nonne his omnibus palam eſt Fortunatum Mediani monaſterii abbatem, alium prorſus fuiſſe hominem à Fortunato Patriarcha Gradenſi? Hinc recte ut viri duo ab Andreo Ducheſne *to. 2. monum. Francic.* diſtinguuntur; dum in indice rerum ac verborum ad calcem poſito ſub litt. F. habet:

Fortunatus Patriarcha Gradenſis. 264. 268.
Fortunatus Mediolacenſis abbas. 713.

Author recentioris hiſtoriæ Mediani monaſterii in monte-Voſago, impreſſæ Argentorati anno 1724. in notis ad vitam Fortunati abbatis hujus cœnobii, quam tranſcripſit ex libello cujuſdam Anonymi de ſucceſſoribus ſancti Hildulfi ejuſdem monaſterii conditoris, tertiæ ejus vitæ ab eodem interpolatæ circa initia ſæculi XI. addito, (qui extat etiam *to. 3. Theſauri novi Anecdotor. P. Edm. Martenne, pag. 1115.*) confundit pariter hunc Fortunatum abbatem præfati monaſterii, cum Fortunato Gradenſi Patriarcha. In iis quippe notis recenſet, veluti ſupplementum quo vita Fortunati abbatis elucidatur, quicquid Ughellus, & alii tradunt de Fortunato Patriarcha Gradenſi: obſervationeſque interſerit quibus conatur oſtendere unum eſſe ac eumdem hominem. Hinc primo, *pag. 154.* quod in vita Fortunati abbatis aſſeritur ab anonymo *ibid. pag. 152.* hunc virum jubar fuiſſe *ab Oriente, &c.* notat: per *Orientem* hîc intellige regionem reſpectu Mediani monaſterii *Orientalem.* (Subdit tamen ipſe anonymus paulopoſt, ſeſe clarius explicans, & Scholion annotatoris per anteceſſum deſtruens, Fortunatum *ab Hieroſolymis* veniſſe, id eſt ex ea orbis parte quæ à nobis appellatur Oriens.) Secundò, eo quod anonymus Fortunatum illum *Patriarcham* nominet, (qui probabiliter præfecturam tantummodo alicujus inſignis monaſterii Hieroſolymis vel prope ejus muros ſiti gerebat; in eodem ſenſu quo *capite 5.* ſequenti *regem* nuncupat, virum quemdam qui dominus duntaxat alicujus loci, vel gubernator civitatis erat, aut ſimpliciter potens ac dives, juxta explicationem ab ipſomet annotatore *pag. 167.* ſubminiſtratam) ait, inquam, *pag. cit. 154.* Fortunati Patriarchæ ſedem diſerte notatam proculdubio non reperit anonymus hujus libelli auctor, quumque cerneret illum ex Orientis partibus adventaſſe, necnon Patriarchas Hieroſolymitanos illius temporis Caroli Magni clientelam & benevolentiam, miſſis ad eum non ſemel legatis ac muneribus ſibi conciliaſſe, conjectavit Fortunatum Hieroſolymorum extitiſſe Patriarcham (nuſquam tamen adſtruit anonymus Fortunatum hunc fuiſſe Patriarcham *Hieroſolymitanum*) ſuæque conjecturæ nimium indulgens, pergit annotator, pleraque ei tribuit quæ nonniſi Hieroſolymitano Patriarchæ conveniunt. (Hæc ille ſcribit ex præjudicata ſua opinione quod Fortunatus abbas, ipſemet Fortunatus fuerit Patriarcha Gradenſis, qui ſubinde non *ex Oriente* & *Hieroſolymis,* ſed ex *ditione Venetorum* ad Carolum venerit; verum non ea fuit mens anonymi, ut ex toto ejus contextu patet.) Anonymum, ſubdit annotator *p. 155.* ſequuti ſunt Richerius in chronico Senonienſi, & Joannes à Bayono hiſtoriographus Medianenſis monaſterii, ſed fidem illis adhibere nos vetat, tum quod in ſerie Patriarcharum Hieroſolymitanorum nullus circa idem tempus invenitur cui *Fortunati* inditum ſit nomen; tum etiam quod Hieroſolymitanum aliquem Patriarcham tum in Franciam veniſſe nemo prodit. Longè igitur veriſimilius cum Cointio & Mabillonio putamus hunc Fortunatum Gradenſem fuiſſe Patriarcham, qui à ducibus Venetis exagitatus in Franciam confugit ad Carolum Magnum, à quo Mediani monaſterii abbas ſit conſtitutus. Nam optime congruunt & Fortunati nomen, & Patriarchalis dignitas, & acceſſus ad Carolum Magnum, & tempus ejuſdem acceſſus qui anno Chriſti 803. contigit. (Hæc profecto de uno eodemque homine dici congrueret, niſi alia longe gravioris momenti argumenta repugnarent, totamque hypotheſim illam deſtruerent penitus.) Proſequitur annotator, (nec illud ſcitu inutile) *Gradus* Italis *Grado,* incolis vero *Grao,* inſula eſt oræ Venetæ ab Aquileienſibus, dum Longobardorum injurias timerent, habitari cœpta; poſtea vero ob Patriarchatum ab ipſis Aquileienſibus oppugnata, quouſque tandem tranſlata Venetias Patriarchali ſede, quod anno 1445. contigit, Gradenſis civitas ad exiguum redacta eſt vicum. Vide Ughellum, *Ital. ſac. to. 5.* Alia tranſcribit annotator de Fortunato Gradenſi, ex Ughello, quaſi de Fortunato abbate dicta eſſent, quæ jam ſupra relata ſunt, & ſimul clariſſime demonſtrant Fortunatum Gradenſem de quo aſſeruntur, alium prorſus fuiſſe ab eo Fortunato quem Mediano monaſterio Carolus Magnus præfecit abbatem. Tertio, recitata Leonis III.

ad eumdem Carolum epiſtola de Fortunato Gradenſi; quod ait Pontifex, inquit, *p. 162.* Fortunatum ab Imperatore in Francia *beneficiatum* fuiſſe, de Mediano monaſterio huic Patriarchæ in beneficium conceſſo haud dubiè intelligendum eſt, nam nullibi legitur in Francia quidquam aliud jure beneficii obtinuiſſe. (Optima applicatio ſi cætera convenirent: legitimum hujus verbi ſenſum ſupra dedimus *col. 333.*) C. Quarto, poſtquam narravit *pag. 164.* ex Ughello, quomodo Fortunatus Patriarcha Gradenſis Conſtantinopoli reverſus circa finem anni 824. & à Ludovico Pio Romam miſſus ut à Pontifice de fugæ ſuæ cauſa examinaretur, haud diu poſt in Francia obierit, hæc habet: quo in Franciæ loco defunctus ſit, non tradunt præfati auctores Dandolus, Sigonius, Ughellus, ſed quum anonymus noſter *cap. ſeq.* diſerte aſſerat illum in oratorio beati Papæ Gregorii quod Mediano monaſterio adjacet, decenti ſepulturæ traditum fuiſſe, vix dubitari poteſt quin etiam in dicto monaſterio obierit. (Id recte de Fortunato abbate dictum, ſed perperam Fortunato Gradenſi adaptatum, qui biennio ſaltem poſt Fortunatum abbatem deceſſit.) Quinto, quia epocha viginti annorum, quam anonymus tribuit regimini Fortunati abbatis, deſinens utique non ſerius anno 823. eum indicat mortuum priuſquam Fortunatus Patriarcha Gradenſis Conſtantinopoli reverteretur, anno 824. viginti illis annis duos alios ex mente propria adjicit *pag. 168.* vel mendum huc irrepſit, inquit, vel male recenſuit anonymus annos regiminis Fortunati: nam quum abbatiam Medianenſem adeptus ſit anno 803. & obierit anno duntaxat 825. (addere debuerat vel etiam 830. quum poſt Dandolum & alios tradat *ibidem* Ughellus de Fortunato Gradenſi, illum ex hac vita migraſſe anno ſui præſulatus 27. qui utique inciderit in illum ann. 830.) ſequitur, pergit annotator, ipſum ea abbatia potitum fuiſſe annis circiter viginti duobus. Hæc ille loquitur ex præjudicata iterum ſua opinione, quam ab auctoribus recentioribus hauſit, exiſtimans utique Fortunatum Mediani monaſterii abbatem, ipſum eſſe Fortunatum qui Gradenſis erat tunc temporis Patriarcha. Verum id ita latebat anonymum libelli de ſucceſſoribus ſancti Hildulphi auctorem initio ſæculi XI. ut ejus non poſſit trahi ad hanc ſententiam conficiendam contextus, quod ſane ex ipſo annotatore palam fit, quin illum multis in locis, ne dicam in tota fere narratione, corrumpi neceſſe ſit. Conſtat itaque, collata Fortunati abbatis Mediani monaſterii vita quam recenſet ex prædicto anonymo novus hic hiſtoriæ iſtius monaſterii

A ſcriptor, cum ejuſdem notis in illam vitam, Fortunatum abbatem præfati monaſterii, à Fortunato Gradenſi Patriarcha toto cælo differre. Primo enim, Fortunatus abbas, *ex Oriente* ſimpliciter accepto, juxta mentem anonymi, & *Hieroſolymis,* ſua probabiliter patria, miſſis antea pluries legatis ad Carolum Magnum Imperatorem, in Franciam ipſe venit, tum principis hujus inviſendi gratia, tum etiam interceſſionis ejus implorandæ apud Aaronem Califam, ne ulla à Mohammedanis ſanctum Domini ſepulcrum injuria B afficeretur. Fortunatus vero Gradenſis Patriarcha, ex regione Venetorum, ubi procul-dubio natus fuerat, homo proinde Italus, vel ſi malis Græcus, ſecundum quod hujus regionis incolæ tunc interdum dicebantur, ad Carolum Magnum acceſſit, ut ejus ope ſedem Gradenſem ad quam electus erat poſſet conſcendere, quantumvis Venetos eorumque ducem pateretur adverſarios, à quibus exulare cogebatur. Secundo, Fortunatus abbas exhibetur ceu vir ſanctus, qui monaſticæ fovendæ diſciplinæ indeſinenter C ſtuderet, qui ſuorum profectui religioſorum tanta aſſiduitate invigilaret, ut virtutum illorum longius promanante fama, validiuſque adhuc inducente exemplo, regulus quidam cum ejus filia, id eſt homines nobilitate, divitiis ac auctoritate inſignes, ſæculo nuntium remiſerint, ibique ſub ejus ductu divino reliquos dies mancipaverint obſequio: qui tandem jugi in eo cœnobio præſentia, ſummæque ſanctitatis laude, plurima eidem cœnobio prædia comparaverit. Fortunatus autem Patriarcha Gradenſis Leoni III. Papæ D ſuſpectus non parum fuit de agendi ratione dignitati ipſius beneficiiſque à Carolo Magno acceptis minime reſpondente: nunquam inſuper detegitur in Mediano monaſterio commoratus, ſicut pariter nec uſquam Fortunatus hujus cœnobii abbas legitur in Italiam perrexiſſe, aut eccleſiæ Gradenſis geſſiſſe curam. Imo anno ipſo 803. quo Fortunatus Gradenſis in hanc ſedem recens promotus ad Carolum venit, beneficium quoddam ille ab eo popoſcit & obtinuit, non pro Mediano monaſterio, de quo ne verbulum quidem in E Caroli extat diplomate, ſed pro eccleſia ſua Gradenſi, terriſque adjacentibus, privilegium quippe alicujus immunitatis. Exinde Fortunatus idem, modo in Italiam revertitur, modo in Franciam redit: fugit poſtea Conſtantinopolim, ibique per tres ferme annos moratur. Regreſſus tandem in Franciam cum legatis Michaëlis Imperatoris in fine anni 824. Romamque miſſus à Ludovico Pio ut Pontificis de fuga ſua examen & judicium ſubiret, moritur in Francia, anno 825. ex hypotheſi

tamen quod re vera 27. tunc ſui præſulatus annum non numeraverit Fortunatus, ſecus ac ex Dandolo & aliis refert Ughellus, ſed id ſilet annotator. Non refragarer ſane pro 20. annis præfecturæ Fortunati abbatis Mediani monaſterii ſubrogari potuiſſe 22. annos, ut obiiſſe diceretur anno 825. ſi præter hanc circumſtantiam, cæteræ utriuſque vitæ in unum eumdemque virum evidenter coinciderent. Sed quum è contra duos diſtinctos homines palam ubique circumſtantiæ illæ arguant, ſufficientem non ſuppetere contendo textus anonymi eo loci emendandi rationem, hanc ſolam, quod Fortunatus Gradenſis Patriarcha ante illum annum non obierit; ſicut nec conjectandi cum eodem annotatore *pag. 164.* Medianum monaſterium locum illum fuiſſe, quem non nominant Dandolus, Sigonius, & Ughellus, ubi in Francia Fortunatus Gradenſis Patriarcha deceſſit, dum Romanum iter juſſu Ludovici Imperatoris perageret; id, inquam, conjectandi ſufficientem non ſubeſſe rationem dico, quod Fortunatus Mediani monaſterii abbas in ſacello beati Gregorii ibidem ſepultus fuerit. Non ſolidiori rurſum innixus fundamento aſſerit idem annotator *p. 167.* corrigendum eſſe anonymum, quum ait ibidem Fortunatum ex hac vita migraviſſe *IV. kal. Martii,* id eſt die 25. Februarii, & ſubſtituendum *IV. idus Martii,* id eſt die 12. hujus menſis: obſervavit, inquit, Mabillonius, quod in Necrologio monaſterii Senonienſis annorum fere 500. notatur IV. idus Martii *Fortunatus Patriarcha Hieroſolymitanus.* In Calendario autem Gregoriani monaſterii ante annos 600. ſcripto, & in miſſali Morbacenſi annorum 500. eodem die fit mentio *Fortunati epiſcopi.* Quæ ſi de Fortunato noſtro intelligantur, ut ex trium illorum monaſteriorum in vicinia Mediani cœnobii conſiſtentium conſenſione omnino intelligenda videntur, non *IV. kal.* ut hîc legitur, ſed potius *IV. idus Martii,* ut in Necrologio, Calendario, & Miſſali prædictis habetur, idem Fortunatus obiiſſe dicendus eſt, idque anno duntaxat 825. quum ex ante dictis conſtet illum Ludovici Imperatoris conſpectum ſubiiſſe ſub finem menſis Novembris anni 824. (At Fortunatus ille Conſtantinopoli regreſſus, Fortunatus fuit Patriarcha Gradenſis, non vero Fortunatus abbas Mediani monaſterii, qui biennio fere antea obierat, utique non ſerius anno 823. die 25. Februarii.) Porro fides haud dubiè major debetur anonymo, utpote antiquiori à 7. ſæculis ſcribenti in ipſo Mediano monaſterio ubi Fortunatus illius abbas deceſſerat, quam auctoribus Necrologii, Calendarii, & Miſſalis, qui illo poſteriores ſunt, & in aliis monaſteriis ſcripſere. Præter- A quam quod, ex Nat. Alexand. *tom. 6.* in-fol. *hiſt. eccl. ſæcul. 9. & 10. cap. 3. art. 39. col. 2:* ubi de Flodoardo, hoc argumenti genus nihil evincit, quia, ut ſcite obſervat Colvenerius, non iiſdem diebus, quibus aliquis ex hac vita diſcedit, anniverſariam commemorationem obitus ipſius in eccleſiis celebrari paſſim teſtatur uſus, idque ob varia impedimenta (eorum locorum propria.) Maneat ergo inconcuſſum, Fortunatum abbatem Mediani monaſterii, quod cum cœnobio Mediolacenſi in diœceſi ſito Trevirenſi minime confunden- B dum eſt, primo non fuiſſe *Hieroſolymorum Patriarcham,* ſed vel epiſcopum in Palæſtina, vel archimandritam uni, pluribus-ve monachorum cœnobiis præfectum propè Hieroſolymam aut in ipſa civitate, fortaſſis quoque chorepiſcopum, vel Patriarchæ Hieroſolymitani Syncellum, aut ejus ſub ipſo vices gerentem. Secundo, hunc etiam non fuiſſe Fortunatum illum qui ab anno 803. uſque ad annum 824. *Gradenſi eccleſiæ varia fortuna præfuit.* Denique Fortunatum illum Gradenſem Patriarcham modo memoratum, ut C minime *Hieroſolymitanis præſulibus,* ſic nec *Mediani monaſterii abbatibus* eſſe accenſendum.

His de Fortunato, quem Hieroſolymitanum Patriarcham nonnulli auctores inadvertenter dixerunt, elucidatis, ad *Thomam* verum Patriarcham venimus. Is Georgio Hieroſolymitano præſuli mortuo jam ſuffectus erat ante medium anni 807. Nam in annalibus Francorum, apud præfatum Andream Ducheſne, *pp. 82.* C. *&* *83.* A. leguntur ejus legati Georgius & Felix anno 807. paulo-poſt D XV. kal. Sept. ſive diem 22. Aug. quo eclipſis lunæ facta eſt, cum legato regis Perſarum ad Imperatorem Carolum Magnum perveniſſe. Videtur autem fuiſſe hic Thomas, de quo ſequentia tradit ſcriptor actorum Martyrii 20. monachorum Sabaïtarum apud Bollandum *tom. 3. Mart.* ad diem 20. hujus menſis. Poſt enim relatam primam Saracenorum irruptionem in lauram ſancti Sabæ, ſic loquitur, *num. 23. pag. 170.* B. *Ita è patribus, triginta circiter ſauciati ſunt; lethaliter plerique, alii ſumma tantum in cute perſtricti,* num. 24. C. E .... *Omnes vero rigor & tremor cum ſtridore dentium, & pallor lethalis occupaverat: quos optimus medicus, idemque pientiſſimus abbas Thomas (is qui poſtea ordinatus veteris lauræ Hegumenus eſt,) pro ea quæ aderat facultate reclinans, convenientem cuilibet curationem exhibebat.* Hæc quippe mire conveniunt Thomæ Patriarchæ, de quo mentionem facit Leontius in vita S. Stephani Sabaïtæ, *tom. 3. actorum ſanctorum menſis Julii, n. 136. p. 588.* A. Res paulo altius ſumenda eſt. *Eſt mihi*

Digitized by Google

nutrix, inquit Leontius ille ibidem, num. 133. pag. 586. C. patris ſoror, pia & amans Deum. Hæc aliquando, ſicut facere ſæpe aſſueverat, in ſanctam Hieruſalem orationis cauſa venerat cum ancilla quadam, quam religioſa matrona jugo ſervitutis exemptam libertate donaverat. Ambæ itaque Hieroſolymis ſanctam Dominicæ paſſionis celebritatem tranſigunt. Inde vero in ſanctum Sinaï montem pro ſua conſuetudine ſunt profectæ: quumque ſacra ac veneranda iſtic loca ſalutaſſent, in ſanctam urbem remearunt: in itinere autem amita mea in morbum incidit. Ubi urbem ſanctam tenuerunt, & aliquot ibi dies commoratæ ſunt, ſalutem à Deo & valetudinem expectantes, nihil profecere, protracta in longum ægritudine, ac vertente ſemper in deterius; quod divina videlicet in rem noſtram providentia factum eſt. Amita ergo mea gravari in dies ſeſe ac deficere, morbum vero invaleſcere ſentiens, ac propè jam abeſſe, ut putabat, à mortis limine, accerſiri me cum aliquo de patribus jubet, num. 134. Ego ſtatim ut reſcii, accepta à magiſtro facultate, ad illam me confero. Ut me vidit: crede mihi, ait, fili, nec levi de cauſa, neque temere hunc ad me veniendi laborem ſuſcipere te volui; ſed Dei, operiſque præclari ac ſalutiferi cauſa. Cæterum ne te macera, ſi relicta tantiſper laura tua, aliquid incommodi ſenſeris; ſed utilem negotii finem ante oculos habe. Audio etenim dominantem hic magiſtratum tyrannice, perverſe, injuſteque adminiſtrare rem ſuam, fortunis homines evertere, ac maxime imbecillos, accolas, hoſpites, tum apud quos occaſionem opportune quandam invenerit, ſpoliare facultatibus ſuis, &c. Et ego igitur cognatis hic meis deſtituta, heredem aliquem, ſi quidem Deo viſum fuerit ad ſeſe ex hac infirmitate evocare miſeram, atque afflictam hanc animam, nuncupabo. Nihil enim ita me cruciat, uti miſera hæc puella; quippe quam vereor ne, ob exhibitum mihi in comitatu obſequium, contra jus faſque comprehendant; deinde etiam Chriſtianos (vexent) qui me exceperunt hoſpitio. Quamobrem dato te precibus meis, fili, & Arabes mihi viros delectos atque auctoritate præditos adducito, ut eos teſtes adhibeam nihil hic omnino me poſſidere, virginemque hanc liberam eſſe, ac nulli domino ſubjectam: tum apud nos mane, donec morbi hujus, qui me graviter vehementerque exercet, eventum videris; atque ita genuinum te fratris mei filium exhibueris. n. 135. Poſtquam iſta ex amita intellexeram, conſultius eſſe duxi ab ea non diſcedere: at exactis iſtic diebus non paucis pœnitere me facti cœpit; jamque è civitate cogitabam abire & reverti in lauram: ſed damnato mox conſilio, cohibui memet, & permanſi. Ac poſt tempus ſatis longum, otium iterum ſubrepſit ac tædium, placebatque proficiſci: ſed mea me denuo con-

A ſcientia inhibuit. Idemque mihi, cogitationibus preſſo impugnatoque, iterum ac tertio accidit. Tandem inquietus animi adire magiſtrum ſtatui, atque ex eo quærere, quo res demum eſſet evaſura; ad ſanitatem, an ad mortem. Sed utinam iſtud feciſſem ab initio, neque vitam in medio ſæcularium otioſam tamdiu ſegnemque duxiſſem, n. 136. Erat tum diaconus, qui modo Theadelphici throni gubernacula ſuſcepit Dominus Thomas, in quem ægrotantium in urbe cura incumbebat: quippe qui medicus eſſet dexterrimus, eruditione pariter & experientia clarus,
B vitamque ſanctorum Coſmæ ac Damiani diſciplinæ æmulam inſtituens. Huic igitur beatiſſimo præſtantiſſimoque viro confiſus, quæ habebam conſilia expoſui, amitaque mea in extremis relicta periculis, noctu lauram repetii. Quum iſtuc hora circiter diei ſecunda adveniſſem, recto curſu ad magiſtrum meum contendi, amitæ cauſa admodum feſtinus. Heſychaſterium Ἡσυχαστήριον (locus erat arctiſſimæ ſolitudinis) ut attigi, ac ſignum, ut moris erat, exiguo lapillo ter dedi, aperit mihi ſenex (ſanctus Stephanus) & manu januam tenens, antequam omnino quid-
C quam loquutus ego eſſem, ait mihi: optime veneris, ô fili mi, optime veneris: noli te cruciare; non enim ex hac infirmitate morietur amita tua. Ego vero; hoc ipſum, dicebam, ut ex te intelligam modo adveni, ô Pater. Subjecit ille: ſcio enimvero, ſcio ea cauſa te adveniſſe: itaque pro certo noveris, fili, hoc morbo nequaquam illam extinctum iri. Vide ergo animos ne deſpondeas, neque te, aut luctu, aut ſollicitudine, aut ſtulta anxietate divexes. Quod quum tertio dixiſſet, priuſquam feciſſem ego verbum unum, orſus eſt recitare Pater noſter, & precatione completa,
D benignè atque amicè me admiſit, num. 137. Poſtquam conſediſſemus, rogavi eum denuo, omni aviditate diligentiaque id ſcire manifeſto expetens, quo amitæ meæ deſitura demum eſſet ægritudo.... vix enim ad lauram pertingere me poſſe exiſtimabam, quin illa expiraſſet.... Tum vero ille: etiam hoc rogitas, modicæ fidei! Non id aſſerui tibi ſatis ut fidem habeas!.... Quapropter ut remedium tardæ tuæ fidei afferatur, abi ad piſtorem, eumque roga, ut hoſtiam tibi unam conficiat; quia nullam habet paratam, quum dies hæc ſit quarta hebdomadæ, n. 138.
E Quumque abiiſſem, atque hoſtiam accepiſſem eadem hora coctam, obtulit eam ſanctus ſenex, abſolutoque miſſæ ſacrificio, accedit ad me vultu ad lætitiam compoſito.... & ſic infit: Numquid non dixi tibi, modicæ fidei, amitam tuam ex hac infirmitate interituram non eſſe! Excute igitur aliquando ex animo obſtinatam omnem in credendo duritiem..... neque me de hac re poſthac unquam interrogaveris! itaque ſermonibus ejus divina inſpiratis gratia perſuaſus, pedes ei manuſque exoſculatus ſum, Deo ac

Digitized by Google

deifero ſeni impenſe de hac re gratias agens. Et quum reliquum diem illum ſerena atque imperturbata illic mente manſiſſem, poſtridie revelatam divinitus per os ſenis.... (ſanitatem) *ipſimet amitæ meæ dilectiſſimæ nunciaturus abſceſſi. Neque id me turbavit quod eam offenderem in ultimo diſcrimine; ſed illam conſolatus, poſt unum alterum-ve forte diem, concepta de ſenis oraculis optima ſpe mentem paſcens ac ſerenans, in lauram reverti. Amita vero mea poſt dies non multos valetudini reſtituta, diſceſſit in civitatem ſuam, & ad hunc uſque diem* (quo ſcilicet hæc ſcribebat Leontius initio ſæculi noni) *per Dei gratiam perpetua ſanitate ac viribus pollens hymnum Deo gratiarum actionis exſolvit.* Porro ex hac narratione diſcimus, Thomam eſſe probabiliſſime, ut ſupra dictum eſt, & cenſent quoque doctiſſimi actorum ſanctorum editores Antuerpienſes, *to. 3. Mart.* ad diem 20. *num. 24. pag. 170.... to. 3. Maii, in tract. prælim. pag. 41. n. 178.... & tom. 3. Jul.* ad diem 13. *pp. 530. & 590.* eſſe, inquam, Thomam illum, monachum Sabaïtam qui in actis martyrum Sabaïtarum, ut medicus inſignis laudatur, ejuſdemque veteris lauræ ſancti Sabæ poſtea hegumenus ſive præfectus traditur factus. Ex eo ſcilicet munere ad Patriarchalem Hieroſolymorum ſedem promoveri potuit, ſiquidem Leontius, qui eum teſtatur Patriarcham quum ipſe vitam ſcriberet ſancti Stephani Sabaïtæ, hanc vitam edidit, compoſitis jam ab aliquot annis à Stephano monacho Sabaïta ante quam Thomas Patriarcha eſſet, actis martyrii 20. monachorum Sabaïtarum, qui ſub Helia Patriarcha anno 796. à Saracenis occiſi ſunt. *Teſtes vero eſtis etiam vos omnes,* inquit Leontius in ea ſancti Stephani Sabaïtæ vita, *n. 177. pag. 607.* F. loquens de *Theoctiſto,* qui fuit unus illorum martyrum, cujus gloriam futuram idem S. Stephanus prævia quadam viſione nunciarat, *veram hanc viſionem fuiſſe, non ſolum propter apertam ejus vitæ ſanctimoniam, verum etiam quod ſupremo martyrii baptiſmate, quod ſecundas non admittit ſordes perpurgatus eſt: eſt enim è numero Patrum in maxima ſancti Patris noſtri Sabæ laura à barbaris interfectorum, quorum vir omni virtute præſtans Pater Stephanus, lauræ noſtræ decus ingens & ornamentum, hiſtoriam concinnavit.* Supra diximus *col. 321.* C. anno Chr. 807. ſimul cum legato regis Perſarum duos monachos à Thoma Hieroſolymitano Patriarcha miſſos veniſſe ad Carolum Magnum. Hanc legationem, & munera regis Perſarum tunc allata, deſcribit auctor annalium rerum Francicarum, qui ſunt ab anno 741. uſque ad annum 814. Eos ex vetuſto exemplari manuſcripto Antonii Loiſelii (quod poſtea ad bibliothecam

A tranſiit illuſtris viri Franciſci Thuani Jacobi-Auguſti filii) edidit Andreas Ducheſne *to. 2. monum. Francic. à pag. 24. ad pag. 49.* In anno autem 807. hæc habent annales illi, *pag. 44. Iterum menſe Auguſto XI. kal. Septemb. eclipſis lunæ facta eſt hora noctis tertia, ſole poſito in quinta parte Virginis, & luna in quinta parte Piſcium. Sicque ab anni ſuperioris Septembrio uſque ad anni præſentis Septembrium, ter luna obſcurata eſt, & ſol ſemel.* (De his eclipſibus ſupra egit) *Ratbertus miſſus Imperatoris* (Caroli,) *qui de Oriente revertebatur, defun-* B *ctus eſt: & legatus regis Perſarum, nomine Abdella, cum monachis de Hieruſalem qui legatione Thomæ Patriarchæ fungebantur, quorum nomina fuere Georgius & Felix. (Hic Georgius eſt abba in monte Oliveti, & cui patria Germania eſt, qui etiam proprio vocatur nomine Engelbaldus) ad Imperatorem pervenerunt, munera deferentes quæ prædictus Rex Imperatori miſerat: id eſt, papilionem, & tentoria atrii vario colore facta, miræ magnitudinis & pulchritudinis. Erant enim biſſina, tam tentoria, quam & funes eorum diverſis tincta coloribus. Præterea* C *munera præfati regis pallia ſerica multa & precioſa, & odores atque unguenta, & balſamum: necnon & horologium ex aurichalco arte mechanica mirifice compoſitum. In quo XII. horarum curſus ad clepſydram vertebatur, cum totidem æreis pilulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & caſu ſuo ſubjectum ſibi cymbalum tinnire faciebant. Additis in eodem ejuſdem numeri equitibus, qui per XII. feneſtras completis horis exiebant,* (exibant) *& impulſu egreſſionis ſuæ totidem feneſtras, quæ prius erant apertæ, claudebant. Necnon & alia multa* D *erant in ipſo horologio quæ nunc enumerare longum eſt. Fuerunt præterea inter prædicta munera candelabra duo ex aurichalco miræ magnitudinis & proceritatis. Quæ omnia Aquis-palatio ad Imperatorem delata ſunt. Imperator legatum & monachos per aliquantum tempus ſecum retinens, in Italiam direxit, atque ibi eos tempus navigationis expectare juſſit.* Ad parentheſim initio hujus narrationis attendendum monet Cointius, *annal. eccl. Francor. to. 7.* ad annum Chriſti 807. *num. 1. pag. 81. (Hic Georgius eſt abba in monte Oliveti, & cui patria Ger-* E *mania eſt, qui etiam proprio vocatur nomine Engelbaldus.)* Hanc enim parentheſim prætererunt annaliſtæ Laureshamenſis, Fuldenſis, Eginhardus, Ado, necnon incertus auctor in vita Caroli. Annaliſtæ vero qui eam tranſcripſerunt, ut Bertinianus ac Metenſis, monachus Engoliſmenſis, & Regino, uſi ſunt temporibus imperfecto ac perfecto: Bertinianus; *Georgius erat abbas, patria erat Germania, proprio nomine eſt vocitatus Egilbaldus.* Metenſis & Regino; *abba erat, erat natione Germanus,*

& à parentibus Engilbaldus vocatus eſt. Monachus Engoliſmenſis, *quorum Georgius abbas, ... patria Germanus, proprio nomine Engelbaldus dicebatur.* Ex hac autem diſcrepantia, inquit Cointius, liquet auctorem codicis Loiſeliani ſcripſiſſe quum Georgius abbas in vivis ſuperſtes eſſet, alios vero manum calamo ſerius admoviſſe. Annales etiam codicis Tilii, qui ab anno 708. uſque ad annum 808. protenduntur, in eodem *to. 2.* Andr. Duch. *à pag. 11. ad pag. 21.* habent ſimiliter, *ibid. p. 21. Hic Georgius eſt abba in monte Oliveti, & cui Germania patria eſt:* unde cenſendi ſunt ejuſdem quoque temporis. Mabillonius *to. 2. annal. p. 272.* de monaſterio Carrofenſi ſancti Salvatoris, gallicè *Charroux,* in pago Brioccenſi, gallicè *de Briou,* apud Pictones loquens, hæc ait: Huic monaſterio Carolus Magnus prædia quædam non modo conceſſit, ſed etiam ab Ademaro, aliiſque perhibetur dediſſe Dominicæ Crucis portionem, quam Hieroſolymorum Patriarcha, nomine Thomas per Gregorium (Georgium) abbatem de monte Oliveti, & Felicem monachum ipſi ſubmiſerat: & deinceps pro reverentia crucis, S. Carrofum appellari placuit.

Anno Chriſti 809. Leo Papa recepit duas epiſtolas ex Palæſtina per quoſdam monachos ſibi miſſos ab eodem Thoma Patriarcha Hieroſolymitano; una erat nonnullorum monachorum montis Oliveti, circa altercationem in eo monaſterio commotam adverſus Francorum fidem de Proceſſione Spiritus ſancti ex Filio. Altera vero erat ipſius Thomæ Patriarchæ. Prima extat *to. 7.* Miſcellaneorum Baluzii, qui de illa, & ſymbolo Leonis eam ſubſequente ita monet in præfat. *Epiſtola monachorum montis Oliveti ad Leonem Papam III. & iſtius ſymbolum fidei miſſum ad eccleſias Orientales: ſunt autem iſtic multa curioſa & utilia ad rem Chriſtianam & eccleſiaſticam illuſtrandam.* Addit hæc à ſe edita, *ex veteri codice manuſcripto eccleſiæ S. Martialis Lemovicenſis.* Quæſtio quæ huic epiſtolæ occaſionem dedit, mota eſt inter monachos montis Oliveti anno Chriſti 808. ante natalem Domini, ſub pontificatu Thomæ, qui eos ipſe veroſimiliter ad apoſtolicam ſedem remiſit. In eum autem modum incipit, *pagina 14.* hæc epiſtola: *Epiſtola peregrinorum monachorum in monte Oliveti habitantium ad Leonem Papam III.*

« Sanctiſſimo ac reverentiſſimo Domino in » Chriſto Patri Leoni ſommo Pontifici & uni- » verſali Papæ ſedis ſanctæ Apoſtolicæ urbis » Romæ, congregatio montis Oliveti. Domine » Pater, te dignatus eſt Dominus exaltare ſuper » omnes ſacerdotes, & exaltata eſt ſedes tua » ſancta ſuper omnes ſedes Chriſtianorum,

A quia ſuo ore dignatus eſt Chriſtus dicere: *Tu es Petrus, &c.* Benigniſſime Pater, nos, qui ſumus hîc in ſancta civitate Jeruſalem peregrini, ullum hominem ſuper terra non amamus pluſquam vos, & in quantum valemus in iſtis ſanctis locis pro vobis die noctuque Domino fundimus preces proſtrati omnes ſervi tui ſuper terram cum lacrymis. Itaque notam tibi facimus tribulationem noſtram quam hîc patimur. Joannes qui fuit de monaſterio ſancti Sabæ, quem Theodulus Igu- minus (Hegumenus ſive Præpoſitus) ſervus B veſter ſcit, ipſe levatus eſt ſuper nos dicendo quod Franci qui ſunt in monte Oliveti hæretici ſunt: & dixit nobis quia omnes Franci hæretici eſtis, & reprobat fidem noſtram dicendo quia non eſt major hæreſis. Et nos ei dicimus, frater ſile. Quod ſi nos dicis hæreticos, de ſede ſancta Apoſtolica dicis hæreſim. Et uſque in tantum nos conturbavit ut in die natalis Domini in ſanctam Bethleem, in ſancto præſepio, ubi noſter Dominus Redemptor humani generis pro mundi ſalute naſci dignatus eſt, ſubmitteret laïcos homines C qui nos foras projicere vellent, dicendo quod hæretici eſtis, & libri quos habetis hæretici ſunt. Sed per veſtram ſanctam orationem & fidem confortavit nos Dominus. Non enim potuerunt nos foras eicere (ejicere). Diximus omnes: hic volumus mori. Nam foras nos non eicietis. Unde & fecimus vocem noſtram omnes nos ſervi veſtri pariter dicendo ad ſacerdotes qui ſunt in ſancta civitate: videte, patres & fratres, de iſto homine qui contra nos tanta & talia loquitur, & contra fidem ſanctam Romanam, quia talia verba nunquam D audivimus de gente noſtra. Et poſthæc die ſancto Dominico congregati ſunt ſacerdotes cum clero & populo contra ſanctum ſepulcrum Domini, & inter ſanctum Calvariæ locum, & interrogaverunt nos de fide noſtra ipſi ſacerdotes qualiter crederemus ſymbolum. Nos autem dicendo quod ſic credimus ſicut ſancta eccleſia Romana, diximus & dicimus in noſtra lingua quæ vos non dicitis in Græca: & in *Gloria Patri* non dicitis *ſicut erat in principio,* & in *Gloria in excelſis* non dicitis *Tu ſolus altiſſimus,* & *Pater noſter* alio modo E dicitis, & in ſymbolo nos dicimus pluſquam vos, *qui ex Patre Filioque procedit,* unde dicit iſte Joannes inimicus animæ ſuæ propter hunc ſermonem eo quod hæretici ſimus. Quos Hieroſolymitas rogavimus dicentes: nolite odire (audire) hunc hominem, nec dicatis de nobis hæreſes. Quod ſi nos dicitis hæreticos, de throno beati Petri dicitis hæreſim. Et ſi hoc dicitis, peccatum inducitis ſuper vos. Et ſacerdotes ſcripſerunt nobis cartam de fide noſtra quam licet crederemus,

Digitized by Google

» dicendo nobis: creditis-ne ſicut ſancta Reſurrectio Domini? Nos autem diximus quod ſic credimus quo modo ſancta Reſurrectio Domini, & ſedes ſancta apoſtolica Romana. Poſthæc ipſe archidiaconus in ſancto Conſtantino una nobiſcum aſcendit in pergo, & legit ipſam cartam in populo. Et nos ſervi veſtri anathematizavimus omnem hæreſim, & omnes qui de ſancta ſede apoſtolica Romana dixerint hæreſim. Et nunc, Domine pater benigniſſime, cogitare digneris de nobis ſervis tuis; qui etſi de longinquo ſimus, oves tuæ ſumus, & tibi commiſſus eſt omnis mundus, ſicut veſtra ſanctitas ſcit, ſicut ait Dominus Petro: *ſi diligis me, Petre, paſce oves meas*. Benigniſſime pater, dum eſſem ego Leo ſervus veſter ad ſancta veſtigia veſtra, & ad pia veſtigia Domni Caroli piiſſimi Imperatoris filiique veſtri, audivimus in capella ejus dici in ſymbolo fidei *qui ex Patre Filioque procedit*, & in homilia ſancti Gregorii, quam nobis filius veſter Domnus Carolus Imperator dedit, in parabola octavarum Paſchæ, ubi dixit: *Sed ejus miſſio ipſa proceſſio eſt, qui de Patre procedit & Filio*. Et in regula ſancti Benedicti quam nobis dedit filius veſter Domnus Carolus, quæ habet fidem ſcriptam de ſancta & inſeparabili Trinitate dicit: *Credo Spiritum ſanctum Deum verum ex Patre procedentem & Filio*. Et in dialogo quem nobis veſtra ſanctitas dare dignata eſt, ſimiliter dicit. Et in fide ſancti Athanaſii eodem modo dicit. Itaque per ipſum Joannem facta eſt nobis grandis confuſio in ſancta civitate, quoniam dicit quod Spiritus ſanctus non procedit de Patre & Filio, & de hoc miſit grandem errorem per omnia monaſteria, & requirebat fidem noſtram & libros noſtros, & de Domino Gregorio dicit quod non ſint recipiendi ejus libri. Unde iterum atque iterum, ſancte Pater, in terram proſtrati cum lacrymis poſtulamus & rogamus te per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum qui Trinitas inſeparabilis unus dicitur, ut digneris inquirere tam in Græco quam in Latino de ſanctis patribus qui ſymbolum compoſuerunt, iſtum ſermonem ubi dicitur *ex Patre Filioque procedit*: & in Græco non dicunt ſicut nos, ſed dicunt *qui ex Patre procedit*, & vident iſtum ſermonem gravem quem nos dicimus in Latino. Et mandare digneris Domno Carolo Imperatori filio veſtro quod nos iſtum ſermonem in ejus capella audivimus, *qui ex Patre Filioque procedit*. Et nos hic ſervos veſtros certos facere digneris; quia nulla ſpecies hujus ſacramenti tam nobis amabilis videatur quam ſanctus veſter vultus, & ſancta oratio & deprecatio ſeu memoria veſtra. Unde & poſcimus, benigniſſime pater, veſtram ſanctiſſimam pietatem, ut hos ſervos veſtros Joannem preſbyterum, &c. quando, Deo gubernante, ad ſacroſanctam veſtram gravitatem pervenerint, benigne ſuſcipere dignemini & nobis ſervis veſtris certum mandatum dirigere. Commendamus nos Dominicus, Theodorus, Arimundus, Gregorius, Joannes, Leo, & omnis congregatio de monte ſancto Oliveti humilis (humiles) ſervi veſtri veſtris ſacris ac Deo dignis orationibus. Deus & Dominus noſter te, ſanctiſſime pater, cum omnibus tuis ad exaltationem ſanctæ ſuæ eccleſiæ, & ad ſalutem animæ tuæ, & ad gaudium noſtrum regere, protegere, & pia miſeratione in omnibus & per omnia cuſtodire dignetur, qui dicitur benedictus in ſæcula.» Poſt hanc epiſtolam immediate ſequitur *ibidem, pag. 17*. epiſtola Leonis Papæ ad Carolum Imperatorem in hæc verba. «Domino piiſſimo & ſereniſſimo victori ac triumphatori filio amatori Dei & Domini noſtri Jeſu-Chriſti Carolo Auguſto, Leo epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Omnia quæ de ſingulis partibus nobis accidunt neceſſe eſt ut veſtræ intimemus imperiali poteſtati. Præſenti ſiquidem anno (809.) direxerunt nobis epiſtolam monachi qui in ſancto monte Oliveti morantur fidei (nonnullam) contentionem continentem, quam inter ſe habebant. Nos vero ſymbolum orthodoxæ fidei illis miſimus, quatenus omnes ſecundum hanc noſtram ſanctam catholicam & apoſtolicam eccleſiam rectam & inviolatam teneant fidem. Quam vero epiſtolam veſtræ imperiali potentiæ miſimus relegendam. Interea revertentes præſentes fideles ſervientes veſtri, Agamus videlicet & Roculphus, à Hieroſolymis detulerunt nobis epiſtolam Thomæ Hieroſolymorum Patriarchæ. Quam relegentes reperimus ut per noſtram precatoriam epiſtolam veſtræ pietati eos commendaremus. Qua de re precamur veſtram imperialem potentiam, ut ſicut ſoliti eſtis ſuper omnes fideles veſtros impertire ſuffragium, ita cum eis miſericordiam facere jubeatis. Ipſam vero epiſtolam quam nobis prædicti fideles veſtri detulerunt veſtræ ſerenitati miſimus, &c. *Deinde:* Incipit ſymbolum orthodoxæ fidei Leonis Papæ, *ibid. col. 18*.»

«Leo epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus Orientalibus eccleſiis. Hoc ſymbolum orthodoxæ fidei vobis mittimus, ut tam vos quam omnis mundus ſecundum Romanam ſanctam catholicam & apoſtolicam eccleſiam rectam & inviolatam teneatis fidem. Credimus ſanctam Trinitatem, id eſt, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, unum Deum omnipotentem, unius ſubſtantiæ, unius eſſentiæ, unius poteſtatis, creatorem omnium

» creaturarum, à quo omnia, per quem omnia, A in quo omnia, Patrem à ſe ipſo, non ab alio, Filium à Patre genitum, Deum verum de Deo vero, lumen verum de lumine vero, non tamen duo lumina, ſed unum lumen, Spiritum ſanctum à Patre & à Filio æqualiter procedentem, conſubſtantialem, coæternum Patri & Filio. Pater plenus Deus in ſe, Filius plenus Deus à Patre genitus, Spiritus ſanctus plenus Deus à Patre & Filio procedens. Non tamen tres Deos dicimus, ſed unum Deum omnipotentem, æternum, inviſibilem, incommutabilem, qui totus eſt ubique præſens, B non per partes diviſus, ſed totus in omnibus, non localiter, ſed perſonaliter, qui ſine commutatione ſui mutabilia creavit, & creata gubernat, ſemper manens id quod eſt, cui nihil accidens eſſe poterit, quia ſimplici divinitatis naturæ nihil addi vel minui poteſt, quia ſemper quod eſt, cui ſemper primum eſt, cui ſempiternum eſt, cui idem eſt eſſe, vivere, & intelligere. Et hæc tria unus Deus, hæc tria idem Deus & Dominus, vera & ſempiterna Trinitas in perſonis, vera & ſempiterna unitas in ſubſtantia, quia una eſt ſubſtantia C Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Hæc vero ſancta Trinitas nihil eſt in tribus perſonis ſimul nominatis (amplius) quam in una qualibet perſona ſemel dicta, quoniam unaquæque perſona plena eſt ſubſtantia in ſe, non tamen tres ſubſtantiæ, ſed unus Deus, una ſubſtantia, una eſſentia, una æternitas, una magnitudo, una bonitas, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Nec aliud eſt Pater in natura quam Filius vel Spiritus ſanctus, nec aliud Filius & Spiritus ſanctus quam Pater in natura, quibus eſt una natura. Sed alius eſt D Pater in perſona, alius Filius in perſona, alius Spiritus ſanctus in perſona. In Patre æternitas, in Filio æqualitas, in Spiritu ſancto æternitatis æqualitatiſque connexio. Unum omnes in ſubſtantia & eſſentia, omnipotentia, & divinitate (dicimus.) Sicut enim eadem ſancta Trinitas inſeparabilis eſt in ſubſtantia, ita inſeparabilis eſt in operibus, quamvis opera Dei quibuſdam perſonis ſpecialiter conveniant, ſicut Patri vox illa quæ de cœlo ſonuit ſuper Chriſtum baptizatum, & ad Filii perſonam humanitatis tantummodo pertinet ſuſceptio, E & Spiritus ſancti perſonæ propriè congruit illa columba in cujus ſpecie idem Spiritus ſanctus deſcendit ſuper eumdem Filium ſecundum hominem baptizatum. Tamen abſque omni dubitatione illam vocem & illam columbam in Chriſti humanitatem tota ſancta Trinitas operata eſt, cujus opera inſeparabilia ſunt. Credimus eumdem Filium Dei verbum æternaliter natum de Patre, conſubſtantialem Patri per omnia, temporaliter natum de Spiritu ſancto & Maria Virgine, duas habentem nativitates, unam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem, qui etiam Filius Dei, ſuæ carnis conceptione conceptus eſt, & ſuæ carnis nativitate natus. Deum verum confitemur conceptum, & Deum verum natum, eundem Deum verum, verum hominem, unum Chriſtum Filium Dei unigenitum, per primum & perfectum in duabus naturis in unius perſonæ ſingularitate impaſſibilem & paſſibilem, mortalem atque immortalem, crucifixum in infirmitate noſtra, eumdemque ſemper viventem in virtute ſua, qui mortuus eſt carnis ſuæ morte & ſepultus, atque ab inferis, damnato & ſpoliato principe totius iniquitatis rediens tertia die reſurrexit, atque cum triumpho gloriæ videntibus diſcipulis cœlum aſcendit, ſedens in dextera Patris, id eſt majeſtate divinitatis, inde jam venturus judicare vivos & mortuos, quem impii judicantem videbunt in ea forma qua crucifixus eſt, non in ea humilitate qua injuſte judicatis (judicatus) eſt, ſed in ea claritate qua juſte judicaturus eſt mundum; cujus majeſtatis viſio æterna eſt omnium ſanctorum beatitudo. Qui ſecundum hanc fidem rectam non crediderit, hunc damnat ſancta, catholica & apoſtolica eccleſia quæ fundata eſt ab ipſo Jeſu-Chriſto Domino noſtro, cui eſt gloria in ſæcula, amen.»

Propter hanc quæſtionem in Palæſtina motam, & Leoni Romano Pontifici delatam, de qua monuerat Carolum idem Leo, celebratum eſt concilium Aquiſgranenſe an. 809. Eghinardus enim in annalibus ad hunc annum ait, apud Andr. Ducheſne, *tom. 2. monum. Francic. pag. 255. Imperator de Arduenna Aquas reverſus, menſe Novembri concilium habuit de proceſſione Spiritus ſancti: quam quæſtionem Joannes quidam monachus Hieroſolymis primo concitavit. Cujus definiendæ cauſa Bernharius epiſcopus Wormacenſis & Adelhardus abbas monaſterii Corbeiæ Romam ad Leonem Papam miſſi ſunt.* Idem tradunt reliqui annaliſtæ, inquit Pagius, *tom. 3. crit. annal. Baron.* ad annum 809. *num. 3. p. 454. col. 2.* & Ado in chronico qui tamen loco Bernharii epiſcopi *Wormacienſis* mendoſe habet epiſcopi *Cormaricenſis*. Certum enim hoc tempore Bernharium epiſcopatum Wormacienſem geſſiſſe; ut hoc anno *num. 8. & ſeqq.* demonſtrat Cointius, ubi etiam refellit Sirmondum quod *tom. 2. conc. Gall.* duobus illis legatis adnumerandum cenſuerit Jeſſen Ambianenſem epiſcopum; id quidem Sirmondus ait conſtare ex actis ipſius legationis, hoc eſt ex collatione cum Papa Romæ à legatis habita, & ex vita Caroli Magni, licet in iſta vita fateatur *depravatum nomen* illius

Ambianenſis

Ambianenſis epiſcopi legi; intelligit autem vitam Caroli Magni à monacho Engoliſmenſi ſcriptam, quæ etiam Baronio (ad hunc annum) *num. 52.* erroris anſam præbuit: nam à quo alio id acceperit Baronius non reperio. Verum in illis actis nulla fit mentio Ambianenſis epiſcopi, ſed in ſola duntaxat inſcriptione, qua Jeſſe epiſcopus cum Bernhario epiſcopo, & Adelhardo abbate memoratur, ut videre eſt apud Baronium qui illam recitat. Hæc verba inſcriptionis: *Ratio quæ habita eſt de ſymbolo fidei in ſecretario beati Petri apoſtoli, inter D. Leonem ſanctiſſimum & coevangelicum Papam urbis Romæ, & Bernharium atque Jeſſe epiſcopos, ſeu Adelhardum abbatem, Miſſos D. Caroli Imperatoris, per Indict. 11.* Nomen enim Jeſſe in ea inſcriptione ab imperito quopiam poſitum eſſe, ut ſæpe fit, patet primo, ex initio pontificiarum litterarum ad Riculphum archiepiſcopum Moguntiacenſem, quas Sirmondus prædictis legationis actis ſubjecit. Hoc earumdem litterarum exordium. *Leo epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverentiſſimo & ſanctiſſimo Richulfo epiſcopo. Quum ad limina beatorum principum apoſtolorum Bernharius venerabilis epiſcopus, una cum Adalhardo religioſo abbate, Miſſi filii noſtri Domni Caroli ſereniſſimi Imperat. conjunxiſſent.* Patet ſecundo, inſcriptionem illam additamentum eſſe cujuſpiam ſcioli, quia Indictio ſecunda cum menſe Auguſto hoc anno abſoluta eſt, & annaliſtæ omnes teſtantur Aquiſgranenſem ſynodum menſe Novembri congregatam fuiſſe, ideoque currente (à menſe Septembri) Indictione tertia. Per Bernharium & Adelhardum ſynodi Aquiſgranenſis legatos Carolus Imperator Leoni Papæ litteras dedit, ab Holſtenio primum publicatas, quibus hic præfixus eſt titulus: *Epiſtola Caroli Imper. ad Leonem III. Papam urbis Romæ directa, à Smaragdo edita.* In ſupplemento vero concil. à Lalando collecto, huic epiſtolæ hæc inſcriptio præfigitur: *Epiſtola Caroli Magni Imp. ad Leonem III. Papam urbis Romæ directa, à Zmaragdo abbate ſancti Michaëlis in diœceſi Virdunenſi edita, de proceſſione Spiritus ſancti,* quam inſcriptionem probat Mabillonius *to. 2. vet. analect.* in notis ad chronicon monaſterii ſancti Michaëlis in pago Virdunenſi. Eæ litteræ ita exordiuntur: *Quæſtio quæ de Spiritus ſancti proceſſione eſt nuper exorta, jam dudum eſt diligentiſſime à ſanctis Patribus ventilata. Sed quia jam diu à quærentibus neglecta jacebat, non quievit quaſi antiquitus ventilata, ſed quaſi quædam his temporibus nobis ſubito emerſit occulta; quod divinitus ſpiratum fideliter credens non dubito. Crebris etenim quæſtionum ictibus præſens eccleſia tunditur, ut doctrinis catholicis erudita, ſanæque fidei confeſſionibus elimata, in æternum quandoque hæreditate filiorum percepta vivere cum Domino valeat feliciter regnatura. Sed quia, ut præfatus ſum, hæc quæſtio diu à quærentibus indiſcuſſa jacebat, voluit omnipotens Deus in eamdem ſuſcitare corda paſtorum, ut negligentiæ torpore ſublato exercitationis ſanctæ brachio cæleſtem valeant perfodere theſaurum. Sermonis etenim dominici ſarculo ſæpius divinarum ſcripturarum paſtores debent proſcindere campum, ne zizania ſatoris iniqui, ſemenque malignum formoſi tritici valeat opprimere fructum, &c. Lectionis etenim ſacræ cognitio imbecillis baculum, nervoſis arma miniſtrat, hoſtium ſubdolas fortiter premit inſidias, & victoribus æternas feliciter promittit coronas. Ergo procul à paſtoribus negligentiæ torpor abſcedat; procul à mentis acumine inertia damnoſa recedat, molliſque laſcivia corporis membra relinquat, & altus ſopor molliſque ſomnus in rigidas lucroſaſque lectionis emergat excubias, ut eccleſiæ ager opimus, doctorumque ſemine ſatus valeat centenos omnipotenti reddere fructus. Jam nunc adgrediar de Spiritus ſancti proceſſione;* quam pluribus poſtea ſcripturæ ſacræ locis egregiè probat.

Baronius exiſtimat non dubitatum fuiſſe vel tractatum in Aquiſgranenſi concilio, num Spiritus ſanctus à Patre Filioque procederet, ſed quia tum apud Hiſpanos, tum apud Gallos additæ fuerant ſymbolo quatuor illæ ſyllabæ *Filioque:* num id bene factum eſſet, & ita auctum ſymbolum in eccleſia caneretur. Verum Cointius laudatus rectè arbitratur motam eſſe quæſtionem de ipſa Spiritus ſancti proceſſione; utrum ſcilicet Spiritus ſanctus à Patre tantum, an à Patre Filioque procedat. Nam primo, quotquot ſcriptores antiqui Aquiſgranenſis concilii mentionem faciunt, id manifeſtiſſime aſſerunt. Ado qui uberiorem ſermonem quam cæteri de hac ſynodo fecit, ait: *de proceſſione Spiritus ſancti quæſtio agitatur, utrum, ſicut procedit à Patre, ita procedat à Filio.* Monachus Engoliſmenſis in vita Caroli Magni, concilium ſcribit habitum *de Spiritu ſancto procedente à Patre & Filio.* Annaliſtæ Loiſellianus, Fuldenſis, Bertinianus, ac Metenſis, Eginhardus in annalibus, necnon incertus auctor in vita Caroli, teſtantur celebratum fuiſſe *de proceſſione Spiritus ſancti:* nec ullus ex illis verbum facit de prædicto ſymboli additamento in eccleſia vel canendo, vel non canendo. Secundo, Joannes quidam monachus Hieroſolymis quæſtionem de hac proceſſione prior commovit, ut ſcribunt annaliſtæ prædicti (& conſtat inſuper ex epiſtola ſupra relata, quam monachi peregrini montis Oliveti ea de re ſcripſerunt ad Leonem Papam: *col. 347. & ſeqq.*

hanc non legerat Pagius, ſiquidem ejus non meminit.) Quæſtio itaque, de qua in Aquiſgranenſi concilio tractatum eſt, primum Hieroſolymis exorta fuerat. Quis autem ſibi perſuadeat (ſunt ſemper verba Pagii *ibid. n. 5.*) à Græcis diſputatum, an in ſymbolo cantandum eſſet illud additamentum *Filioque*, quod ipſi non recipiebant. Tertio, Carolus Imper. in ſuis poſt Aquiſgranenſem ſynodum ad Leonem Papam litteris, licet bene prolixis, quarum initium retulimus, nullum verbum habet de ſymbolo vel canendo, vel non canendo, ſed totus eſt in conglobandis auctoritatibus ex utroque Teſtamento, & ex authenticis Patrum ſcriptis, ut oſtendat de Spiritu ſancto, quod non à Patre tantum, ſed à Patre & Filio procedit. Denique, Theodulphus Aurelianenſis epiſcopus libellum de ea proceſſione juſſu Caroli conſcripſit. In eo autem opuſculo collegit ſententias antiquorum Patrum, qui Spiritum ſanctum à Patre Filioque procedere ſcripſerunt: eorum indiculus eſt, Athanaſius, Cyrillus, Hilarius, Ambroſius, Didymus, Auguſtinus, Fulgentius, Hormiſda, Leo, Gregorius, Iſidorus, Proſper, Vigilius Afer, Proclus, Agnellus, Caſſiodorus, Prudentius. Opuſculum ipſum conſule cum notis Sirmundi, qui Vigilium Thapſenſem in Africa, Agnellum Ravennatem in Italia, epiſcopos agnoſcit, & abjudicat Athanaſio libros XI. de Trinitate, qui citantur à Theodulpho, & Latino tantum ſermone inter Athanaſii opera circumferuntur. Theodulphus ipſe quid intendat ſic exponit in metrica operis ad eumdem Carolum præfatione.

Imperii veſtri, rex inclyte, juſſa ſequutus,
Defero Theudulphus hæc documenta libens;
Quis Patre ſeu nato procedere Spiritus almus
Adſtruitur, legis hoc reboante tuba.
Hoc evangelium, hoc promit apoſtolus auctor,
Hoc canit unanimis vox pia ſacra Patrum.

Et paulo-poſt quonam tempore hæc quæſtio moveri cœperit, ita declarat.

Inclyta ſanctorum mecum eſt ſententia Vatum,
Quos benè ſpiramen Flaminis hujus agit.
Tuque manum injicies, vegetat quem Spiritus ille
Cauſa tuo cujus tempore cœpit agi.

Agitata eſt igitur in Aquiſgranenſi concilio quæſtio, utrum Spiritus ſanctus, ſicut procedit à Patre, ita procedat à Filio, illiuſque definiendæ cauſa directi Romam fuere Bernharius & Adelhardus, quorum collocutio cum Leone, quam integram Baronius recitat ad annum 809. *n. 54. & ſeqq.* in ann. 810. remitti debet, quum ſynodus Aquiſgranenſis

A menſe Novembri anni 809. celebrata fuerit. Finis diſputationis ſic ſe habuit: Symbolum cum additamento *Filioque*, quod ei eccleſia Romana nondum inſeruerat, à Francis decantari moleſtè ferebat Leo, id tamen deinceps fieri non prohibuit abſolutè, ſed rogavit hanc in palatio ſive in regia capella conſuetudinem intermitti, ratus fore ut morem palatii lubenter omnis poſtea Francia ſequeretur. Ipſe vero, ut antiquitatis tenaciſſimum ſe præſtaret, & ne alienaret Græcos, in Baſilica ſancti Petri duas tabulas argenteas ad confeſ-
B ſionem ejuſdem ſancti Petri affigendas prudenter curavit, in quarum altera ſymbolum Græcè ſcriptum, in altera Latinè exaratum legeretur, utrobique ſine additamento *Filioque.* Meminit illarum tabularum Anaſtaſius, cujus verba Baronius, ad annum 809. *n. 62.* refert. Perperam autem ſcribit Cointius citatus, Patres concilii Arelatenſis, quod ſcilicet anno 813. celebratum eſt, indicare additamentum illud *Filioque* conſtanter à Francis in ſymbolo retentum fuiſſe, quia hanc de Spiritus ſancti proceſſione confeſſionem edi-
C derunt: *Spiritum vero ſanctum, nec creatum, nec genitum, ſed procedentem ex Patre & Filio profitemur:* aitque additamentum illud Francis à Clodovæi Magni temporibus traditum. Nam ſi hoc ultimum verum eſſet, in actis utique collationis modo memoratæ tacitum non fuiſſet: primum autem ad rem non facit, quum quæſtio in eadem collatione agitata, circa hoc ſolum verſaretur, an illud additamentum *Filioque* in miſſa decantaretur; de quo nihil apud Patres Arelatenſes.

Inter opuſcula Theodori Abucaræ, qui
D primum Photio adhæſerat, ſed facti pœnitens veniam in ſynodo octavo petiit & obtinuit, *Act. 2. & 4. concil. Labb. tom. 8. coll. 999. 1003. 1035.* legitur *tom. 1. Bibl. veter. Patrum ſeu ſcriptor. eccleſ. Græco-Lat. edit. Pariſienſ. 1624.* quarto loco, *pag. 390.* Expoſitio quædam fidei Thomæ Patriarchæ Hieroſolymitani, quam quando exaraverit non liquet. Titulus eſt: *Epiſtola continens fidem orthodoxam, miſſa à beato Thoma Patriarcha Hieroſolymitano ad hæreticos in Armenia, Arabicè dictata à Theodoro, cognomento*
E *Abucara, epiſcopo Charan, & à Michaële preſbytero & ſyncello eccleſiæ Hieroſolymitanæ in Græcum ſermonem tranſlata, per quem & miſſa eſt: continens, inquam, ſolam veramque fidem in concilio Chalcedonenſi traditam de Chriſto Domino, Deoque noſtro.* Sic incipit: *Chriſtus Dominus & Deus noſter dixit Petro principi Apoſtolorum; tu es Petrus, &c.* Sic vero terminatur pag. 399. *Hæc eſt, fratres, deſcriptio noſtræ confeſſionis: quam quidem latius perſequi poteramus, ſed nolui eſſe prolixus.*

Digitized by Google

Quamobrem comprehenſis mente quæ ſignificavimus, & admiſſis per charitatem erga Chriſtum, adjungite vos nobis, & copulamini, & efficiamur omnes unum per Spiritum ſanctum, in hac divinitus revelata confeſſione Petri principis Apoſtolorum, cui nos adſcripſimus, ut nobis Dominus Deus noſter propitius ſit, & omnem contrarium incurſum, & acerbam afflictionem amoveat, & ad veram beatitudinem nos transferat, & in regno ſuo nos omnes conjungat, & aptet. Quam ut aſſequamur omnes, faxit Deus precibus ſanctiſſimæ Reginæ noſtræ Deiparæ Mariæ, ac Joannis præcurſoris & Baptiſtæ, ac Petri ſummi in Apoſtolis, & Jacobi fratris Domini, & cœtus omnium horum ſanctorum, amen.

Anno 817. Theodorus Studita ad Paſchalem Romanum Pontificem & ad alios Patriarchas ſcripſit de ſtatu religionis orthodoxæ, quam Leo Armenus indicto ſacris imaginibus bello immaniter vexabat: *Miſit etiam vir egregius,* inquit Michaël in hujus Theodori vita, apud Baron. ad annum 817. *num. 20. quatuor Patriarchis epiſtolas, prudenter admodum atque opportunè, antiquioris dico Romæ, & Hieroſolymorum, Antiochiæ, & Alexandriæ. Quæ ſingulæ commemorabant, quemadmodum Chriſti imago contumelioſe à perſecutoribus tractata eſſet, & orthodoxi omnes in carcerem & exilium miſſi: tum deinde unumquemque excitabat ad defenſionem, opemque ferendam periclitanti fidei ac veritati quam falſitas ſic opprimeret.* Extant, inquit Baronius, ipſæ epiſtolæ magno Dei beneficio hactenus conſervatæ ac dignæ quæ ſingulæ audiantur. Eadem fuit quæ ad Patriarcham Alexandrinum & ad Antiochenum ſcripta eſt, ſed diverſæ ab ea fuerunt, tum quæ ad Paſchalem I. Papam recens electum, tum quæ ad Thomam Hieroſolymitanum datæ ſunt, licet de eodem argumento. In ea ultima, quam refert idem Baronius *ibid. num. 30. & ſeqq.* hæc dicit: *Quis annuntiabit Abraham quod lactat puerum Sara! .... & indigno mihi quis nuntiet humilem epiſtolam meam ad ſacras apoſtolici culminis veſtri manus perveniſſe! Attamen perveniet, ut ſpero. Non enim veſana cupiditate, ſed neceſſaria cauſa impulſus, & epiſtolam mittere auſus ſum, & latorem una fratrem chariſſimum Dionyſium deſtinare, fidelem prorſus, & qui ſupplere per ſe omnia queat, quæ epiſtolæ deſunt, &c. Tu primus Patriarcharum, licet quintus numereris. Ubi enim epiſcopus animarum, & Pontifex omnium natus eſt, & divina omnia operatus, & paſſus, & ſepultus, ubi ſurrexit & vixit, & aſſumptus eſt; illic ſuprema omnium dignitas procul dubio, &c. Invaſit nos perſecutio, beatiſſime, & perſecutionum omnium ethnicæ ſimillima. Poſtquam enim ſenſit ſatanas in januis eſſe beatam ſpem &* A *adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti, majores hæreſeos faces accendit, præludia adventus Antichriſti. Quid hoc rei eſt! Exortam olim ſub Leone & Conſtantino* (Copronymo) *impietatem, diuque debacchatam, ſed divina vindicta compreſſam, nunc iterum cognominis & æquè impius Imperator renovavit tanto conatu ut illorum rabiem obſcuret. Expreſſum pictura Chriſtum inſectatur cum matre & miniſtris, ubicumque nactus ea eſt, delet, exurit. Hinc everſa altaria, ædes ſacræ deformatæ, ſacra vaſa concremata. Quin ſi* B *repertus quis fuerit imaginem occultaſſe, aut librum qui de ea re tractet, rapitur è veſtigio, verberatur, & dira alia omnia perpetitur. Hinc terrores ac trepidationes, ſtuporeſque omnium hominum, adeo ut frater fratri valedicat & amicus amicum averſetur. Synodus facta eſt veterem impiam illam* (ſub Copronymo celebratam) *confirmans, & orthodoxam* (Nicænam II.) *anathemate condemnans. Sacerdotes non intellexerunt, Deum non requiſierunt, ſed quod Achab placuit comprobarunt ...... paucis admodum exceptis. Quibuſnam illis! Epiſcopis* C *& præpoſitis, monachis & monialibus, & ipſo, Dei gratia, ſupremo archiepiſcopo noſtro. Quorum quidem alii flagellis affecti ſunt, alii relegati, atque in carcerem detruſi, alii per haſce pœnas ad Dominum migrarunt, athleticam coronam reportantes. Quid de blaſphemia loquar! irridetur veneranda & tremenda imago Chriſti tanquam abominatio deſolationis, idolumque erroris: eodem modo quælibet Dominæ noſtræ, & ſanctorum. Nunc, inquit, ſincera & inculpata fides .... Ad hoc uſque tempus, & ejus eccleſia contaminata, &c. Et alii quidem ultimum* D *circa fidem naufragium fecerunt: alii, quamvis mente & cogitatione ſubmerſi non ſint, ipſa tamen hæreſis communione una pereunt. Enimvero etiam ii qui recta ſentiunt, perſecutionis diuturnitate titubant circa veritatem.... Miſeranda nobis omnia luctuque digna. Subtrahuntur cantica ab antiquis accepta, in quibus imaginum fit mentio; canuntur pro eis impia nova dogmata palam expoſita, quæ & pueris ipſis traduntur à magiſtris .... Procella hæreſis altius in dies aſſurgens nos aperit* (operit) *nec inventus eſt qui Chriſtum Deum expergefaciat,* E *ut increpet turbulentum hoc mare. At tu eſto nobis unus è duodecim apoſtolis, beatiſſime, excitet è ſomno inſomnem oculum diſpenſativè dormitantem, quia perimus omnino. Si quod eſt aliud auxilii pharmacum, ad ſanandos infirmos, ut peritus,* (id recte ad Thomam dicitur qui optimus erat medicus corporum & animarum) *exurge, deprecamur, ſanctiſſime, obteſtamur: membra tua ſumus, quandoquidem fideles omnes corpus ſunt Chriſti, & membra de membro. Præcipe & aliis ſanctis Patribus*

Digitized by Google

veſtris, interceſſoriam manum porrigant, ut multorum interpoſitu ſuam nobis Deus miſericordiam impertiat. Hunc in finem epiſtola, & tabellarius ab omnibus animo deſtinatus, etſi à nobis ſolis illorum vicem agentibus miſſus. Ut autem ex parte cognoſcat celſitudo veſtra cujuſmodi ſint dogmata impiorum, ea in quaternionibus deſcripta epiſtolæ adjeci, quæ aliorum rogatu refutanda imperitus ſuſcepi. Oro autem ut ea inſpiciat divina tua ſapientia; quod deeſt ſuppleat, & veniam tribuat erratis. Atque adeo conſervum fratrem noſtrum, & litteras aliis quas accepit reddere, & huc poſtea, Deo volente, redire permittat. Hæc ad Thomam Hieroſolymitanum præſulem Theodorus Studita, qui his addidit alias ad abbatem lauræ ſancti Sabæ hac inſcriptione notatas. *A Deo honorato, dilecto, & ſpirituali Patri meo, moderatori celebris lauræ beatiſſimi Patris noſtri Sabæ, & iis qui ſub eo ſunt ſanctis patribus, Theodorus minimus preſbyter, & præpoſitus Studiani* (cœnobii.) Alias quoque ad moderatorem lauræ ſancti Charitonis, ejuſdem pariter argumenti. His acceptis litteris Thomas, ſelegit ex ſancti Sabæ laura à Saracenis tunc temporis non parum vexata, duos egregios monachos, Theodorum & fratrem ejus Theophanem, qui cognominati ſunt *Grapti* à litteris ipſorum fronti inuſtis juſſu Theophili Imperatoris Iconoclaſtæ, eoſque miſit Conſtantinopolim ad Leonem Armenum, qui cauſam ſacrarum imaginum coram eo ſtrenuè tuiti ſunt. Verum Imperator in iram furoremque actus, *ambos diu flagris cæſos ad Ponti oſtia exilio relegandos decernit*, inquit auctor anonymus vitæ Theodori Grapti, apud Pagium *tom. 3. crit. annal. Baron.* ad annum 817. *n. 17.* Idem anonymus auctor paulo fuſius ſupra congreſſum eorumdem Theodori & Theophanis cum Imperatore exponens ita loquitur: *Arabes quod eſt ad Orientem colentes, educto adverſus Romanos exercitu, multas eorum populati ſunt provincias, multaque etiam præſidia diripuerunt, monaſteriis quoque in Palæſtina ingruebant ac incurſabant, quorum primum maximumque divini ſcilicet Sabæ erat, in quo magnus hic Theodorus exercebatur.*

Apud Baronium ad ann. 817. *num. 37. & ſeqq.*

Hæc videns divinus ille Hieroſolymorum antiſtes & paſtor, eſſeque hoc peccatorum pœnam, & furoris poculum intelligens, idcirco nimirum quod divinarum cultus imaginum aboleretur, ad zelum protinus excitatur, & quærit modum quo poterit tantum extinguere incendium, & oſtendere eos male facere, qui ſunt parati nova introducere, & prompti ad tranſmovendos limites...... Ad hoc ergo admodum aptum S. invenit Theodorum, quod & virtute eſſet celebratus, & in dicendo exercitatus, & zelum ſpiraret acrem & juvenilem. Ille autem: ecce me, dicit Pontifici; mitte me & proficiſcar, & tuis adjutus precibus, pudore afficiam impietatem. Ipſum ergo mittit Patriarcha, quum precibus eum undique muniiſſet, & ſpe in Chriſtum totum corroboraſſet. Ut autem præmittamus ea quæ interceſſerunt, quum veniſſet in regiam ſecum habens fratrem Theophanem qui eum ſequebatur, & quæ erant fraterna ſentiebat, & in zelo pro pietate cum eo conſpirabat: primum quidem ſic intrepide ſiſtit in conſpectu ejus qui eccleſiam more prædonis invaſerat (Theodorum Pſeudopatriarcham Conſtantinopolitanum intelligit) *...... & hæreſim ei acerbè exprobrat. Deinde ipſi quoque Imperatori ex adverſo occurrit.... & non ſolum eum criminatur quod ſuam perdat animam; ſed etiam quod Dei populum impiè per fraudem evertat. Deinde etiam adhortatur ut relicta hac profana & impia opinione, ejus loco ediſcat pietatem. Fortaſſe enim, inquit, tibi Deus placabitur, & non omnem iram Domini tanquam fæcem aliquam ipſe bibes. Quamobrem Imperator, quum & viri eſſet libertatem admiratus, & præterea verborum opportunitatem, & morum moderationem, & quæ ex animo ad vultum emanabat illius, ut poterat, animadvertiſſet alacritatem, eum eſt reveritus, & moderate tulit ejus reprehenſiones. Deinde etiam eum acceſſit, & familiariter eum eſt alloquutus, rogans quiſnam eſſet, & unde veniret: & quid ſibi vellet illa mira & incauta dicendi libertas. Ille autem & ſignificat patriam, & ſuum eſſe ex Palæſtina adventum renuntiat, & quod ſtatuebat non oportere, vel apud Imperatorem ſe à dicendo reprimere; quando videret regem qui eſt in cœlis affectum injuria. Deinde aperit dogmata, docet honorem divinarum imaginum.... deſtruit propoſitas ab illo quæſtiones, fide Chriſti, & virtute ſermonis & ſpiritus. Poſtquam autem.... Theodori oratio victoriam eſt adepta, primum miratur Imperator, deinde etiam ei incipit blandiri, toto animo contendens talem virum in ſuam redigere poteſtatem, per quem multos eſſet ſuperaturus. Poſtquam vero vidit eum à ſe capi non poſſe: nam tale quid etiam apud eum adjecerat* (Theodorus Graptus) *oblitus es eorum quæ Deo promiſiſti, ô Imperator, quorum interceſſor fuit magnus Pontifex* (Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus quem Leo in exilium detruſerat ob cultum ſacrarum imaginum) *quando tuo capiti imperatoriam impoſuit coronam* (anno Chriſti 813. 11. die Jul.) *Parce animæ tuæ, & prius ornamentum reſtitue eccleſiæ, & noli pugnare cum Deo juſto judice & forti, etiamſi non quotidie iram inferat propter ſummam benignitatem. Hæc ille ſic ad eum libere eſt loquutus. Imperator vero ſoluto prætextu lenitatis, in iram & furorem erupit, & rogavit an eſſet aliquis ejuſdem animi & ſententiæ.... cujus erat Theodorus. Poſtquam autem intellexit de*

Digitized by Google

ejus fratre Theophane, & quod non minus quam naturam conſervabat in dogmatibus cognationem & fraternitatem; ambos diu flagellis cæſos condemnat ut relegentur ad oſtium Ponti; jubens neminem eis impertire, nec cibum, nec potum, nec veſtimentum, ut mali, inquiebat, ſic male atterantur. Leone occiſo anno 820. die ipſo natali Chriſti, Theodorus Studita litteras gratulatorias à Thoma Hieroſolymitano Patriarcha recepit quæ in manus noſtras non pervenerunt; ſed quid continerent percipere aliquatenus poſſumus, ex epiſtola qua ei idem Theodorus reſpondit in hunc modum, apud Baronium ad annum 821. *num. 55. Thomæ Patriarchæ Hieroſolymorum. Quanto humiles affecti fuerimus gaudio ex ſapientiſſima qua nos per epiſtolam dignati eſtis allocutione, perſpicere licet ſupremæ beatitudini veſtræ, qui apoſtolico gradu ſupereminentes, & fratris Domini per legitimam ſucceſſionem perſonam agentes, vel nudo affatu honorare nos inglorios poteratis, nedum tantarum laudum faſtigiis, à quibus nos tam longè abſumus, ut pene arbitrari non auſimus de nobis dicta hæc à vobis fuiſſe: ſed neque cujuſpiam è fortibus viris eſſe hæc encomia, ut diviniſſimi archipaſtoris noſtri, cui vel omnis omnium laudationum jure congruat oratio, &c.* Et paulo-poſt: *Quid hoc rei eſt! quod fervente hæreſis perſecutione, conveniebat ſublimium ſedium antiſtites, tanquam Spiritus adjutores, & apoſtolici conſilii plenos fraterno commoveri, manumque pro veritate certantibus compatiendo porrigere. Et ſi quid patitur unum membrum, compatiantur alia membra, ſive gloriatur unum membrum, congaudeant omnia membra: quia nimirum caput eſt totius eccleſiaſtici corporis Chriſtus verus Dominus ac Deus noſter. Quod ſane Occidentis apoſtolicus* (Romanus Pontifex) *quum præſtitiſſet, quantum profuerit, quid opus eſt loqui! partim quidem reſiſtentium* (hæreticis) *mentes ſummopere confirmans (vel exiguum quippe momentum vim ac robur feſſis ac laborantibus addere ſolet) partim impiorum inſolentiam à ſpiritu profecta reprehenſione profligans: Quo quid eſſe potuit ſalutarius! At vero qui idem facere quum poſſent, minime præſtiterunt, ſed contrarium; dicere miſer nequeo beatitudinis veſtræ Angeli reverentia, quanta illis debeatur reprehenſio.* Cæterum, inquit Baronius ad annum 817. *num. 36.* poſt relata hæc Theodori Studitæ verba, querela iſta magis pertinet ad Patriarchas Alexandrinum & Antiochenum, quam ad ipſum Hieroſolymitanum. Siquidem non defuit Thomas noſter ſuccurrere, ut potuit, periclitanti ſub impio Leone Armeno eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & miſit, ut ſupra obſervatum eſt, ad eum Imperatorem, Theodorum & Theophanem, qui coram aula ejus cultum ſanctarum

A imaginum propugnarent. Hi vero Conſtantinopolim profecti, non ſolum ſub illo Imperatore, ſed & ſub duobus illius ſucceſſoribus Michaële Balbo & Theophilo iconoclaſtis, glorioſa confeſſione & perpeſſis pœnis claruerunt. Pergit Theodorus apud eumdem Baronium ad annum 821. *num. 56. Verum hæc, ut omnes audierunt, finem jam cœperunt Deo bono funeſtum draconem exterminante, & quidem atroci morte & apoſtaſiæ congruente. Nec tamen eo loco ſunt* (tam) *præſentia quam ſuſpicata* (quæ in votis ſunt) *quoniam hyems* B *quidem tranſiit, nondum tamen ver exoptatum, niſi quantum ſerenitas quædam affulget, & hæc per nebulam ab aurora. Sufficit enim, opinor, imagine adumbrari orationem; quia nec doceri opus eximiam prudentiam veſtram, neque ego, ſi tempus permitteret, clariora proferrem. Hæc cauſa fuit ut ſacri apices veſtri nihil proficerent. Qui enim proficerent nobis in hunc locum procul ab urbe projectis, uti aliis quoque alio fugatis! Itaque nec collectæ, quemadmodum cupiebamus, factæ ſunt, præter eam de qua in pitacio inſerto indicatum eſt, iis qui contulerunt accepiſſe potius* C *quam dediſſe gratiam profitentibus, quod digni fuerint qui ſanctiſſimis locis communicarent, in quibus magnum pietatis myſterium peractum eſt, Deus in ſpecie noſtra apparens. O ineffabile prorſus miraculum! quem quidem etiam pictura expreſſum, paterna traditione, ſeu divino præconio, nos, vel potius terra univerſa, confitemur & adoramus, ab ipſis prædicationis carceribus, & initiis. Aliter enim non confitemur Chriſtum, ſicut vos beatiſſimi docetis; negant vero Judæorum more diri nominis iconomachi tanquam à malo dæmone agitati. Quem tu ipſum Deum* D *flectentibus precibus propitium reddas, ô divinum & ſacrum caput! ut populi ſeductricem hæreſim avertat, fideique orthodoxæ ſolum attollat: deinde ut nos minimos filios tuos foveat beatiſſimi Patris & præſulis noſtri Nicephori* (Patriarchæ Conſtantinopolitani in exilium ob ſacrarum imaginum defenſionem pulſi) *veſtigiis adhærentes. Faxit. Deſervientes vobis Patres, laudatoſque fratres noſtros, ego, & frater meus Theſſalonicæ Deo chariſſimus archiepiſcopus plurimum ſalutamus: ex ſancta enim facie tua ante pedes tuos magis benedici* E *ambos, & quotquot nobiſcum ſunt, dicere congruentius.* Hactenus ad Thomam Patriarcham Hieroſolymorum Theodorus Studita. Baronius, inquit Pagius *tom. 3. crit. annal.* hujus Cardinalis, ad annum 821. *num. 16.* ait has Theodori Studitæ litteras Conſtantinopoli datas. Verum hæc verba (ejus epiſtolæ) *Qui enim proficerent, nobis in hunc locum procul ab urbe projectis, uti aliis quoque alio fugatis!* Theodorum tunc in exilio egiſſe indicant. Et certe anonymus in vita S. Nicolai Studitæ,

Digitized by Google

ſcribit Michaëlem Imperat. audita Theodori A (pro ſacris imaginibus) oratione, eum, & qui cum eo erant epiſcopos *è palatio abire* juſſiſſe, ex quo conjectu pronum eſt, eos etiam ex urbe pulſos fuiſſe. Thomas igitur anno Chr. 821. adhuc ſuperſtes erat, ſed non videtur, pergit Pagius *ibidem*, uſque ad imperii Theophili initium (anno ſcilicet 829.) vitam produxiſſe, quum Baſilius ſacrarum imaginum propugnator tunc ſedem Hieroſolymitanam occuparit. Eutychius Alexandrinus auctor eſt ſub Califa Almamone, qui regnare cœpit anno Heg. 198. die 25. menſis Muharrami, id eſt die 25. B menſis Septembris anni Domini 813. quum propter annonæ penuriam Saraceni urbe ſancta exceſſiſſent, à Thoma Patriarcha templi ſanctæ reſurrectionis teſtudinem nutantem fuiſſe inſtauratam, ob id autem poſtulatum coram Abdalla Saracenorum duce in Palæſtina, ſenis cujuſdam Mohammedani conſilio cui obtemperavit, evaſiſſe mulctam.

LXV. Basilius.

Idem Eutychius Alexandrinus ſcribit *pag. 428.* mortuo Thomæ ſucceſſiſſe diſcipulum C ejus Baſilah, id eſt *Baſilium*, anno Califatus Almamonis ſeptimo, id eſt anno Chriſti 819. à die 25. Sept. vel 820. quod verum non eſt, ſiquidem, ex ſupra dictis, Leoni Armeno, die natali Domini anni 820. interfecto, ſupervixit Thomas. Subdit autem Eutychius 25. annos hunc Baſilium ſediſſe. Certe eccleſiæ Hieroſolymitanæ præerat ſub Theophilo, qui patri ſuo Michaëli Balbo ſucceſſit die 1. Octob. anni Domini 829. & toto annorum duodecim quibus regnavit ſpatio, cultores ſacrarum imaginum immaniter perſequutus D eſt. *Baſilius* autem, ſimul cum Patriarchis Alexandrino & Antiocheno, ad ipſum ſcripſerunt, fidei orthodoxæ cauſam propugnantes; narratio enim, ex diverſis hiſtoriis collecta *de divina Chriſti imagine ad Augarum* (ſive *Abgarum) regem miſſa, & ex urbe Edeſſena Conſtantinopolim tranſlata*, quam compoſuit Conſtantinus Porphyrogenneta, & edidit Combefiſius in manipulo originum Conſtantinopolitanarum, teſtatur *pag. 90.* (apud Pagium *tom. 3. crit. annal. Baron.* ad annum 833. *num. 2.*) de ea imagine mentionem haberi in epiſtola ab his tribus Patriarchis data: *Non hæc aures mulcendi cauſa*, inquit Conſtantinus in illa narratione, *aut veritati fucum faciendi, nullis teſtibus, à nobis conficta narratio: quinimo tres ſimul Patriarchæ Job Alexandrinus, Chriſtophorus Antiochenus, & Baſilius Hieroſolymitanus ipſi ſcripſerunt, atque hæc ſic habere datis Theophilo Imperatori litteris, qui ſacrarum violator imaginum eſſet, palam fecerunt: tunc nimirum cum longa diſſertatione divinas imagines ſanctas adſtruentes, ac ea veneratione habendas, iſtud quoque tractarunt, ac licet noſſe, ſi quis in multos verſus fuſam eam epiſtolam ut legat, in animum induxerit.*

At diligenter obſervandum, ut ſupra, ubi de Job Patriarcha Antiocheno monui, hic nomina Patriarcharum Alexandrini & Antiocheni à librario fuiſſe tranſmutata, & legi debere; *Chriſtophorus Alexandrinus, Job Antiochenus, &c.* Idem quoque notarunt doctiſſimi actorum ſanctorum editores Antuerpienſes, initio *to. 4. Julii, in hiſtoria chronologica Patriarcharum Antiochenorum.* Negotium faceſſit hîc mihi, fateor, inquit R. P. Petrus Boſchius, unus ex illis, ſpecialiſque hiſtoriæ hujus chronologicæ auctor, *num. 576. pag. 122.* C. narratio Conſtantini Porphyrogennetæ à Combefiſio edita, ubi Imperator (Conſtantinus ille) *pag. 90.* hiſtoriæ ſuæ *de imagine Edeſſena* teſtes appellans, (ait) *quinimo tres ſimul Patriarchæ, Job Alexandrinus, Chriſtophorus Antiochenus, &c.* Imperare cœpit Theophilus, atque imaginum cultores perſequi ab anno Chriſti 829. uſque ad 842. quo tempore, nec Chriſtophorus ullus inter Patriarchas Antiochenos, nec inter Alexandrinos notus ullus eſt Jobus. Sedit quidem Alexandriæ Jacob uſque ad annum Chriſti 830. ineuntem: verum Jacobita is fuit, cujus proinde auctoritatem adducere Conſtantinum non immerito puduiſſet. *N. 577.* Quid ergo? dicam id quod ſentio: erratum hîc fuiſſe puto in titulis Patriarcharum; & ita factum ut nomen Alexandrini quod Chriſtophoro debebatur, adſcriptum ſit Jobo, & titulus *Antiocheni* qui *Jobo* conveniebat, perperam *Chriſtophoro* datus ſit. Certe ejuſmodi permutationem etiam aliàs commiſſam, ſupra *num. 489.* & infra *num. 581.* oſtendimus. Cur ita cenſeam facit Eutychius Alexandrinus, juxta quem & Job tempore Theophili (anno ſcilicet 812. aut 813. ordinatus, uſque ad annum 842.) Patriarcha Melchita ſedit Antiochiæ, & ab anno circiter 804. uſque ad 835. Melchita Alexandriæ Patriarcha Chriſtophorus, *tom. 2. annal. pag. 411.* non adeo ab ipſo Eutychio remotus, ut ignorare illum potuerit; ſicut nec Jobum ignoraſſet, ſi deceſſor ejus, circa hæc tempora, Alexandriæ E Job ullus fuiſſet (vivebat ſiquidem Eutychius in fine hujus ſæculi, & ſequenti ſæculo mortuus eſt.) Accedit, quod hujus etiam *Jobi*, ut notatur in margine, ſive *Jacobi*, uti habet textus, meminerit continuator Conſtantini Porphyrogennetæ, *lib. 2. §. 12.* ubi narrat, tempore Michaëlis Balbi, qui imperavit ab anno Chriſti 820. uſque ad annum 829. Thomam quemdam perduellem in Oriente proclamatum eſſe Imperatorem *ab Antiochena*

Digitized by Google

(non Alexandrinæ) *tunc eccleſiæ præſule Jacobo* (forte alibi legitur Jobo, uti habet hîc margo: ſed notæ Combefiſii ad numeros operi, tam hoc loco, quam aliis, inſperſos deſiderantur.) Videſis, quæ, poſtquam hæc diu ſcripſeram, accepi ab erudito Aſſemano, & quæ dedi ſupra *num. 548.* ſententiam enim hanc meam omnino ſtabiliunt. Hoc porro *num. 548.* ſic loquitur: eſt igitur quo Eutychium refellam, quum ait *tom. 2. pag. 411. Anno Califatus Al-Raſhidi octavo conſtitutus eſt Theodoritus* (ſive Theodoretus) *Patriarcha Antiochenus* (qui annus octavus initium ſumebat extremo circiter Junio anni Chriſti 793. quum certum ſit Theodoretum Patriarcham fuiſſe ante annum Chriſti 787. quo celebratum eſt concilium Nicænum II. cui per vicarios ſuos interfuit, ut teſtantur non ſolum Ignatius epiſcopus in vita S. Taraſii Patriarchæ Conſtantinopolitani, magiſtri quondam ſui, ſed etiam Photius in libello de ſynodis apud Labb. *to. 7. conc. col. 657.* Nilus Rhodiorum metropolita *ibid. col. 662.* & menologium Græcorum à Caniſio editum.) At non perinde ſuppetit quo (apud eumdem Eutychium) confutem id quod addit: *Qui annos ſeptemdecim ſedit* (Theodoretus) *dein mortuus eſt.* Illud itaque (quod primum ex eo retuli) rejicio: hoc (ſecundum) admitto; ita tamen ut illos annos 17. inde ab anno circiter Chriſti 773. quo defunctum ſtatui Theodorum (Theodoreti prædeceſſorem) exordiar, ut proinde verſus annum Chriſti 790. effluxerint.... Vacaſſe (tamen) aliquandiu poſt Theodoretum neceſſe eſt ſedem Antiochenam, ſiquidem nemo ei ſucceſſit ante annum Califatus Al-Mamonis primum, quem Eutychius repetit, non ab obitu Al-Amini die 25. Septembris anni Chriſti 813. ſed à menſe Martio anni præcedentis, quo Al-Mamon primum Califa in Choraſan ſalutatus eſt, ut conſtat ex ejuſdem *pp. 416. & 435.* Ita enim ille affirmat, & ego negando non ſum. Idem ſentit fere conſultus à me nuper vir clariſſimus Aſſemanus: ſic enim interrogaveram: an Theodoreto, qui Theodoro ſucceſſit anno Chriſti circiter 773. & ſedit uſque ad 790. nemo ſucceſſerit ante Jobum, quem notat Eutychius *to. 2. annal. pag. 428.* conſtitutum eſſe anno primo Califatus Al-Mamonis, Chriſti fere 812. Aſſemanus ita reſpondet ex catalogo ſuo Arabico: *Theodoreto Jobus immediate ſucceſſit. Quamobrem vel Theodoretus uſque ad annum 812. vitam produxit, vel ab anno 790. ad annum 812. ſedes* (Antiochena) *vacavit.* Doſitheus Hieroſolymitanus in prolixo ſuo de Hieroſolymorum Patriarchis opere, *lib. 7. §. 4.* tres illos Patriarchas tradit ex hiſtoria eccleſiaſtica Arabicè ſcripta, Chriſtophorum ſcilicet Alexandriæ, Jobum Antiochiæ, & Baſilium Hieroſolymorum, in urbem ſanctam ad ſynodum habendam veniſſe, ibique adfuiſſe epiſcopos 184. monaſteriorum præfectos 171. monachos 153. anno mundi 6344. Ind. XIV. menſe Aprili, id eſt anno Chriſti 836. atque ad Theophilum ſynodicam pro ſacris imaginibus epiſtolam miſiſſe. Verum, adeo numeroſam Hieroſolymis congregatam ſynodum tunc temporis, idque rerum Palæſtinæ Syriæ & Ægypti, religionis quoque in Oriente, ſtatum permiſiſſe, vix credibile eſt. Quamobrem fides eſto penes auctores qui hæc referunt. Papebrochius, de noſtro Baſilio agens *in hiſt. chronol. Patriarchar. Hieroſol. tom. 3. præfixa Actor. SS. menſis Maii,* ſubjungit *num. 179. p. 41.* in manipulo ſupra citato Combefiſii, poſt narrationem Conſtantini Porphyrogennetæ *de Chriſti imagine Edeſſena,* ſequi epiſtolam trium Patriarcharum ad Theophilum, quæ male præfert nomen ſancti Joannis Damaſceni dudum mortui; hanc vero initio mutilam, ſic ut in ea non legantur ipſorum Patriarcharum nomina: obſervatione tamen digna hæc verba quæ in illa extant: *Divinus apoſtolus atque evangeliſta Lucas, divinam ac venerabilem caſtiſſimæ Dei matris Mariæ adhuc in carne Hieroſolymis viventis, atque in ſancta Sione morantis imaginem, temperatis coloribus manu & penicillo effinxit in tabula, ac velut in ſpeculo poſteris contuendam reliquit.* Et p. 144. *Idcirco ad ejus quam docuimus atque dogmate tradidimus divinæ doctrinæ probationem ac confirmationem, venerandam quoque ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ, ex eaque incarnati atque infantis Dei-Verbi imaginem, velut fidei gloriationem, & coronam decoris, ſceptrumque regium, in confeſſionis noſtræ à Deo confirmati ſinceriſſimi rectæ fidei libelli capite expreſſimus, ut divinæ veſtræ à Deo doctæ majeſtati divinum ac cæleſtem rectæ fidei ſenſum Orientalis omnis diœceſeos ſignificaremus.* In Latino catalogo Patriarcharum Hieroſolymitanorum nominatur hic Baſilius, licet nec deſignetur quo præciſe anno ſedere cœperit, nec quo migraverit ad Dominum.

In libro originum rerumque Conſtantinopolitanorum manipuli Patris Combefiſii 1664. *pag. 114.*

LXVI. Sergius.

De eo Patriarcha, & ejus ſucceſſore Salomone, ait Papebrochius, *in hiſt. chronol. Patr. Hieroſ. præfixa to. 3. actorum ſanctorum menſis Maii, num. 180. pag. 41. col. 2.* F. hos quidem reperiri in catalogis Latinis, ſed de his nihil alibi haberi. Eutychius Alexandrinus tamen, qui in fine ejuſdem ſæculi vivebat, nonnulla de illis prodit. Licet autem hic auctor ſæpiſſime hallucinetur, adeo ut frequenter eum emendare neceſſe ſit, quemadmodum ſupra

multis in locis patuit, nonnulla nihilominus ex illo diſcimus quæ repudiare nihil cogit, & apud eum ſolum leguntur. Unde doctiſſ. P. Petrus Boſchius, *in hiſt. chron. Patr. Antioch.* quæ extat initio *to. 4. actorum ſanctorum menſis Julii,* agens de anno mortis Theodori Patriarchæ Antiocheni, qui Coſmæ Alexandrino & Theodoro Hieroſolymitano præſulibus coætaneus erat, de quibus ſupra dictum eſt, *coll. 364. & 365.* ſic de eo ſcriptore loquitur, *num. 546. p. 116. col. 2.* D. E. *Ego interim, in tanta Neoticorum diſcrepantia, & veterum auctorum Latinorum Græcorum-ve ſilentio, Eutychium Patriarcham Alexandrinum ſequor, qui* to. 2. annal. pag. 399. *diſerte affirmat Theodorum Patriarcham Antiochenum annos 23. ſediſſe: neque enim piget magis hunc ſectari ducem, quum deeſt alius potior, quam deſerere, quum certior adeſt, quod feci ſupra non ſemel. Præfuiſſe igitur arbitror hunc præſulem ab anno Chriſti 751. inclinante circiter, uſque ad 773. circiter.* Porro Eutychius hæc de Sergio tradit *tom. 2. pag. 444. Anno Califatus Al-Wateki* (ſive *Haron Wacici Billæ,* ut eum nominat Elmacinus *lib. 2. hiſt. Sarac. cap. 10. p. 145.*) *ſecundo, conſtitutus eſt Sergius filius illius Manſoris, qui Moſlemiis in capienda Damaſco opem tulit (ideoque in cunctis regionibus anathemati devotus fuit) Patriarcha Hieroſolymitanus,* (qui) *quum annos ſexdecim ſediſſet, mortuus eſt.* Hunc Califam Elmacinus laudatus *creatum* ait, *eo die quo obiit pater ejus Mutaſimus, die ſcilicet 18. Rabii prioris anni* (Hegiræ) *227. miſſaque inauguratione Bagdadum, imperium illic* (ejus) *confirmatum fuiſſe.* Annus 227. hegiræ cœpit 21. Octob. anni Chriſti 841. dies vero 18. Rabii prioris hujus anni hegiræ 227. dies eſt quintus menſis Januarii anni Chriſti 842. Annus ſequens hegiræ, ſcilicet 228. cœpit die 10. Octobris, ejuſdem anni Chriſti 842. quo ſolum exeunte incepit hujus Califæ annus ſecundus; unde Sergii promotio nonniſi ultimis diebus menſis Decembris anni 842. vel anno ſequenti 843. contingere potuit, juxta Eutychii aſſertum. In breviario ſynodi octavæ generalis, quod à magnæ eccleſiæ clericis deſcriptum fuit, inter Patriarchas qui Photium & Gregorium Syracuſanum anathemate ferierunt, Sergius memoratur *tom. 8. conc. Labb. col. 1423.* D. *Iſti igitur novem Pontifices Romani, & alii ſex Patriarchæ quatuor catholicorum patriarchatuum, Ignatius Conſtantinopolitanus, Sophronius & Michaël Alexandrini, Nicolaus Antiochenus, Sergius & Theodoſius Hieroſolymorum illos communione exſortes fecerunt.* De eodem Sergio mentio fit in actis Pſeudoſynodi Photianæ, ſub Baſilio Imperatore, & Joanne Papa VIII. anno Chriſti 879. in epiſtola

A Michaëli Alexandrino Patriarchæ ſuppoſita ad Baſilium, ubi de Elia Sergii apocriſiario ſic legitur, apud Harduinum *to. 6. conc. part. 1. col. 262.* D. *Similiter egit etiam impius Elias, auſus & ipſe turbas decipere, ac dicere ſe ſyncellum eſſe Sergii Patriarchæ Hieroſolymorum, & veniens hac lepra infectus improbam vitam finivit.* Elias qui interfuit ſynodo octavæ anno Chriſti 869. & perſonam gerebat Patriarchæ Hieroſolymitani, ſe ſubſcripſit *Syncellum,* non *Sergii* dudum mortui, ſed *Theodoſii* eccleſiæ Hieroſolymitanæ curam actu gerentis. Teſta- B tus eſt quidem in eadem ſynodo, act. v. ſe à ſeptem annis eſſe Syncellum eccleſiæ Hieroſolymitanæ: *Ego autem,* inquit, *tom. 8. conc. Labb. col. 1042.* B. *quoniam Dei gratia per omnes ſeptem annos Syncellus ſum Hieroſolymitanorum eccleſiæ.* Sed hi ſeptem anni non citius inceperunt anno Chriſti 862. proindeque ſub *Salomone* tantum, vel ſub *Theodoſio,* non vero ſub *Sergio:* actio prima ſiquidem concilii octavi generalis celebrata eſt die 5. Octob. ànni Chriſti 869. ut refertur *ibidem, col. 978.* A. Titulus præfatæ Pſeudo-ſynodi C Photianæ, cujus ipſe Photius acta confinxit, hujuſmodi eſt, apud eumdem Harduinum loco jam citato *coll. 209. & 210. Conciliabulum Conſtantinopolitanum 383. epiſcoporum, quo poſt obitum Ignatii reſtitutio Photii eſt confirmata, ſancta & œcumenica ſynodus octava plane abrogata, & è ſymbolo illa particula* Filioque *ſublata fuit, anno Domini 879. tempore Joannis Papæ VIII.* Addit Harduinus: *Hujus Pſeudoſynodi acta Græcè conſcripta continentur in bibliotheca Vaticana & Columnenſi, atque etiam, teſte Radero, in codice Bavarico Augu-* D *ſtano. Per Fed. Metium Latinè tranſlata poſſedit reverendiſſ. & illuſtriſſ. Cardin. Baronius, qui* VII. *actiones hujus ſynodi ſummatim deſcribit* ad annum 879. *n. 64.* ea acta Græcè & Latinè tradit idem Harduinus *ibid. à col. 214. ad col. 342.* Exordium eſt: *Pſeudoſynodus Photiana. Hæc nunc primum prodit ex mſ. Græco codice bibliothecæ Vaticanæ, quem S. D. N. Papa Clemens XI. ad preces R. P. Philippi Amyot d'Inville Societ. Jeſu, tranſcribi juſſit, & ad P. Joannem Harduinum ex eadem Societ. tranſmitti. Fragmenta quædam edidit in Anglia,* E *ſed mutila & mendis plurimis inquinata, Beveregius.* Deinde ſequitur: *Acta ſanctæ ſynodi Conſtantinopoli congregatæ ſub Photio ſanctiſſimo & œcumenico Patriarcha, pro unione ſanctæ Dei & apoſtolicæ eccleſiæ. Præſidente Photio ſanctiſſimo & œcumenico Patriarcha, in venerabili magno ſecretario; & conſidente Elia religioſiſſimo preſbytero & legato Hieroſolymorum, cum Dei amantiſſimis metropolitis: Procopio, inquam, archiepiſcopo Cappadociæ, &c.* Ad calcem vero eorum actorum, *col. 342.* legitur:

Digitized by Google

legitur: *Concilium hoc è manuſcripto Græco Vaticano diligenter exſcriptum, & cum archetypo collatum ac recognitum teſtamur. Romæ, 14. Septembris 1703. Joſephus Juvencius S. J. Philippus Amyot d'Inville Societ. Jeſu.* Extat ibid. epiſtola beati Joannis Papæ Romæ, ad ſanctiſſimum Photium archiepiſcopum Conſtantinopoleos. *Joannes epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Photio reverendo & catholico fratri, Patriarchæ Conſtantinopoleos, gratiam cœleſtem ad opera ſalutaria. Non ignoramus eſſe quoſdam illic non homines pacis, qui de eccleſia quæ hic eſt, etiam ipſi ad veritatem non reſpicientes, mala quædam dicunt, in tantum ut parum abſit quin tuæ etiam fraternitati non bonas habere de nobis ſuſpiciones, & de iis qui nobis ſunt ſubditi, perſuaſerint, &c.* Ad marginem notat Harduinus, *confictam à Græculo aliquo Joannis Papæ nomine hanc epiſtolam eſſe, recte omnino cenſet Baronius ad annum 879. nn. 54. & 59.* Finit epiſtola his verbis: *Vale in Domino, reverendiſſime & catholice frater.* Porro ſi Sergius Patriarcha Hieroſolymitanus ſexdecim annos ſedit, ut docet Eutychius, quum anno 843. ordinatus fuerit, obiiſſe dicendus erit anno 858. vel 859.

LXVII. Salomon.

Hunc *Salomonem* factum Patriarcham Hieroſolymitanum ait Eutychius Alexandrinus *tom. 2. annal. pag. 455.* anno decimo Califæ Al-Muttewakkeli. *Anno Califatus ejus decimo*, inquit, *conſtitutus eſt Salmun, Zarkum filius, Patriarcha Hieroſolymitanus, ubi annos quinque ſedit, dein mortuus eſt.* Pagius *to. 3. crit. annal. Baron.* ad ann. 847. *num. 24.* de obitu Haron Wacici Billæ, & inauguratione ſucceſſoris ejus Al-Montaſen ſive Al-Muttewakkeli, hæc habet: Anno Hegiræ 242. (legendum 231.) ſex diebus ante finem *Dzulhaggiæ*, qui menſis ultimus eſt hujus anni Arabici, abſolviturque die 16. (aut 17.) Auguſti, obiit Haron Wacicus Billa, Califa Babylonienſis, juxta Eutychium, qui hoc tempore vivebat, & Abul-Pharaïum. Eum excepit Al-Montaſen. Elmacinus de eodem Muttewakkelo ſic loquitur *lib. 2. hiſt. Saracen. cap. 11. pag. 147. Creatus eſt Califa Samarræ, eodem die quo obiit frater ejus Wacicus, vigeſimo-quarto Dulhiggiæ anni 231.* (Hic annus Hegiræ cœpit die 7. Septemb. anni Chriſti 845. annus vero ſequens 232. cœpit die 28. Aug. anni 846.) Ex quibus colligitur Muttewakkelum ad Califatus dignitatem evectum eſſe menſe Auguſto hujus anni 846. Quum itaque Salomon, ex Eutychio, electus fuerit Patriarcha Hieroſolymitanus anno hujus Califæ decimo, ſedem illam conſcendere debuit anno Chriſti 855. aut ad

A ſummum 856. Non tamen conſcendiſſe videtur niſi aliquo ex annis qui fluxerunt, incipiendo ab anno 858. uſque ad annum 872. Nam Anaſtaſius bibliothecarius in epiſtola ad Adrianum II. Romanum Pontificem, de tranſlatione ſua Latina actorum octavæ ſynodi, *tom. 8. concil. Labb. col. 967.* D. Salomonem exemplo Photii, ex laïco factum epiſcopum prodit. *Tantum hujus* (Photii) *ambitionis pullulavit longe lateque temeritas,* inquit, *ut mox Hieroſolymis quidam laïcus nomine Salomon extemplo clericus factus, ſit* B *ordinatus antiſtes: quod nunquam factum eſt, etiam ab ipſo Jacobo qui primus illic epiſcopus extitit, niſi poſtquam Photius noviter in clero plantatus eſt, & confeſtim præſul factus auditus eſt.* Hæc certe verba denotant, primo Salomonem eccleſiæ Hieroſolymitanæ non præfuiſſe ante annum Chriſti 858. quum Photius ordinatus fuerit Patriarcha Conſtantinopolitanus die nativitatis Domini anni præcedentis 857. ſecundo præfuiſſe ante annum 872. quo Joannes VIII. Adriano II. ſucceſſit. In catalogo Doſithei Patriarchæ Hieroſolymi- C tani, *Salamonas* quoque appellatus dicitur, Σαλωμὼν ὁ καὶ Σαλαμωνᾶς. Obiit antequam celebraretur anno 869. ſynodus octava, & probabiliter anno 863. vel 864.

LXVIII. Theodosius.

In jam citato Doſithei catalogo, poſt Salomonem recenſetur Patriarcha Hieroſolymitanus *Theodorus*, qui & *Theodoſius*, Θεόδωρος ὁ καὶ Θεοδόσιος. Theodorum etiam illum nuncupat Eutychius Alexandrinus. *Anno primo Califatus Al-Muſtaini,* inquit, D *conſtitutus eſt Theodorus (qui Al-Moklata audit) Patriarcha Hieroſolymitanus, qui annos novemdecim ſedit, dein mortuus eſt.* In cæteris hujus ætatis monumentis *Theodoſius* appellatur, non *Theodorus*.

Elmacinus *hiſtoriæ Saracenorum libro 2. cap. 13. pag. 156.* inaugurationem hujus Califæ deſcribit in hunc modum: *Noluerunt ei* (Califatui) *præeſſe quemquam filiorum Muttewakkeli; quod metuerent ne eos occideret, ob cædem Muttewakkeli: itaque unanimi conſenſu elegerunt Ahmedem filium Muhammedis filii* E *Mutaſimi, & Califam eum crearunt tempore veſpertino diei lunæ, qui ſextus erat Rabii poſterioris, anni Hegiræ 248. quum natus eſſet annos 28. & cognominatus fuit Muſtainus Billa.* Annus 248. Hegiræ cœpit die 6. Martii anni Chriſti 862. Rabium autem aut Rabia poſterior menſi Junio ejuſdem anni correſpondebat, teſte Pagio ad eumdem annum, *num. 13.* Hinc, ſi vera eſt Eutychii narratio, Theodoſius eccleſiæ curam ſuſcepit Hieroſolymorum eo anno 862. aut ſequenti 863. & deſeruit

Digitized by Google

morte cogente anno 881. vel 882. Eum A tamen obiiſſe anno 879. ex infra dicendis patebit.

Biennio circiter antequam celebraretur Conſtantinopoli ſynodus octava generalis pro reſtitutione Ignatii in ſedem Patriarchalem hujus regiæ urbis quam Photius invaſerat, proindeque anno 867. epiſtolam ſcripſit ad eumdem Ignatium Theodoſius, quæ lecta eſt actione I. præfatæ ſynodi. Nam Helias qui in illa ſynodo vices ejus gerebat, dixit, *Act. quinta, tom. 8. concil. Labb. col. 1041.* E. *Nobis autem pervenientibus, & B degentibus hic per duos circiter annos, anticipantibus ſanctiſſimos vicarios ſenioris Romæ.* Sic porro incipiunt hæ Theodoſii litteræ, *ibid. col. 989.* B. *Per omnia ſanctiſſimo fratri, & comminiſtro Domino Ignatio, gubernacula moderanti nominatiſſimæ Conſtantinopoleos, univerſali Patriarchæ, Theodoſius ſervus Jeſu-Chriſti Hieroſolymorum. Honorabiliſſimis & cultu digniſſimis litteris veſtræ ſanctitatis ſuſceptis, à Deo glorificate, veſtris quidem divinitus datis valetudinibus & incolumitatibus magnopere congratulati ſumus, proſpere conſer- C vandos vos ab omni malitia exoptantes: ſed dolere nos fecit, & multo dolore replevit eccleſiæ veſtræ negotiorum diſſonantia, &c.* Et rurſus: *Non autem docendo aut admonendo hæc dicere præſumpſi ad virum verbi & operis perfectione corruſcantem, ſed charitatis copia detentus, ſuaviter conſolatoriis verbis uti propoſui. Neque enim fluvius totus ſemper fluens fonte quolibet opus habet; honorabilitatem tuam aio divina ſapientia plenam.* Et col. 987. B. item col. 1283. A. B. *Noſti utique, ſanctiſſime Domine, cauſam, ob quam neque ſcribere, neque mittere D potuimus ad vos, ne apud principes noſtros in ſuſpicionem aliquam vocemur. Nam & benevolentiam erga nos declarant ſingularem, & templorum excitandorum, & tenendorum ſine impedimento morum noſtrorum, ſecuritatem præſtant. Quoniam vero tam ab Hamera* (Hamir) *qui apud nos eſt, quam ab hominatoriis* (forte *dominatoris*) *litteris juſſi ſumus, tranſmiſimus, ſicuti poſtulavit, oculum noſtrum, & ſyncellum apoſtolici throni noſtri ornatiſſimum & bonum cultorem Heliam, locum & perſonam noſtram obtinentem, qui diſtinguere poteſt & diſcernere E quæ quæruntur ſecundum rationem. Cum quo & ſanctiſſimum Thomam princeps Saracenorum deſtinavit præſulatu fungentem urbis Tyri, qui ſedis eſt Antiochiæ, ſecundum quod hunc quæſiſtis mitti per honorabiles litteras veſtras. Noſtis autem utique, ſanctiſſime, quia multa temeritate ac auſu hos tranſmiſimus, præcipitanter ac audacter, ad ereptionem quaſi quorumdam Saracenorum apud vos in cuſtodia conſiſtentium. Precamur igitur & rogamus, ut loquaris ad aures à Deo coronati & piiſſimi Domini noſtri, quo donet nobis quotquot voluerit magnifica ejus dominatio Saracenos, ad ſatisfactionem noſtrorum, & inſuſpectam repræſentationem meorum: quinimo ad ſalutem noſtram, & tegmen omnium noſtrum. Si enim, tam ab imperiali, quam veſtra providentia non fuerit hoc taliter ordinatum, pavor non modicus erit in omnimodam perditionem noſtram, quum opportunitatem invenerint. Præterea ſperans penes ſacratiſſimam & ſolertiſſimam affectionem tuam, impetrare quæ cordi ſunt, poderem, & ſuperhumerale cum mitra, pontiſicalem ſtolam ſancti Jacobi apoſtoli & fratris Domini & primi archiepiſcoporum, quam anteceſſores mei Patriarchæ circumamicti, ſemper in ſancta ſanctorum ingrediebantur, ſacerdotio fungentes, videlicet ſanctam memoriam vitæ, & ſanctum calciare; quæ & ipſe ego indutus ſum, eadem gerens tuo deſiderabili & honorando mihi capiti ex amore & dilectionis copia tranſmiſi; quatenus ſanctifica ſuavitate, ac tactu ſanctorum locorum, utpote dignus perfruaris: ſimul autem & ſacrum vas cimiliorum* (id eſt reconditarum pecuniarum) *ſanctæ reſurrectionis, craterem argenteum cum imaginibus in terra Sylem tranſmiſi, cum devoto præceptore ac ſyncello Helia apoſtolici throni noſtri ad ſanctificationem noſtræ ſanctiſſimæ eccleſiæ, & memoriam noſtræ humilitatis.* Ibidem *coll. 991. 992. 993. & 994.* legitur, *Definitio Thomæ metropolitæ Tyri primi ſeſſoris & primatis ſedis Theupoleos Antiochiæ* (quæ vacabat) *& Heliæ preſbyteri & ſyncelli throni Hieroſolymorum ſanctæ Chriſti Dei civitatis, locum & perſonam tenentis Theodoſii ſanctiſſimi Patriarchæ Hieroſolymorum, habita Conſtantinopoli, priuſquam vicarii perveniſſent ſenioris Romæ.* Incipit: *Veſtris eccleſiaſticis negotiis confuſionem patientibus, &c.* Quia ſcilicet illi non putabant vicarios Roma mittendos; idcirco definitionem hanc ante ipſorum adventum expoſuerunt, quæ nihil aliud continet, quam quod Nicolaus I. multo ante decreverat. Lecta eſt autem & approbata Act. I. ſynodi VIII. In ſubſcriptionibus quæ Act. X. hujus ſynodi leguntur *tom.* eodem *8. concil. Labb. col. 1155.* ſic extat ſubſcriptio Heliæ: *Ego Helias miſericordia Dei preſbyter & ſyncellus, locum complens apoſtolici throni, ubi Patriarcha eſt Theodoſius Hieroſolymorum ſanctæ Chriſti Dei noſtri civitatis, inſtar cæterorum vicariorum, omnibus quæ in ſancta hac & univerſali ſynodo geſta ſunt concordans & definiens, manu propria ſubſcripſi.*

Hunc Theodoſium Patriarcham Hieroſolymitanum inviſit Bernhardus monachus Francus, quum perrexit ad loca ſacra. In deſcriptione autem ejus itineris quam refert Mabillonius *to. 3. annal. Benedict. pag. 165. nn. 12. & 13.* & in actis ſanctorum ordinis

ſancti Benedicti, *part. 2. ſæc. 3. pag. 524.* A nonnulla diſcimus ſcitu non indigna. Sub extremum tempus Nicolai Papæ, (qui obiit die 13. Novemb. anni Chriſti 867.) Bernhardus Francus monachus, inquit Mabill. loco primum cit. ad loca ſancta iter aggreſſus eſt, comitantibus aliis duobus monachis, uno Hiſpano, altero Italo.... Itaque Romam profecti, Nicolai Pontificis benedictione & ſubſidio muniti, ad montem Garganum primo perrexerunt.... Inde progreſſi ad Barim civitatem, à Saracenis tunc occupatam, litteras fidei publicæ à principe illius civitatis ad B principes Alexandriæ ac Babyloniæ obtinuerunt. Hæ litteræ apud principem Alexandriæ non minus valuerunt, quam ſumma tredecim denariorum, quos ſinguli eorum ei dederunt, ut ſimiles litteras ad principem Babyloniæ impetrarent. Obſervat utique Bernhardus, morem eſſe illorum hominum, *ut quod ponderari poteſt, non aliter accipiatur, niſi in pondere: unde accidit, ut ſex apud nos ſolidi & ſex denarii faciant apud illos tres ſolidos & tres denarios.* Extra portam Orientalem Alexandriæ tunc extabat monaſterium S. Marci C cum monachis: quo ex loco Venetii, ait Bernhardus, navigio tulerunt furtim corpus ſancti Marci à cuſtode ejus, & in ſuam inſulam deportarunt: quod teſtimonium hominis fere æqualis validiſſimum eſt ad firmandam Venetorum poſſeſſionem. Alexandria profecti peregrini, venerunt Babyloniam, ubi eorum litteræ nihil itidem profecerunt apud principem Saracenorum, nomine Adelhachem, à quo in carcerem conjuncti (conjecti) ſunt, dum (donec) unuſquiſque pro ſe tredecim itidem denarios perſolviſſet: obtentis D ab eo litteris, ſecure deinceps iter profecuti ſunt uſque ad ſanctam civitatem Hieruſalem. *Ibi,* inquit, *habetur hoſpitale, in quo ſuſcipiuntur omnes qui cauſa devotionis illum adeunt locum, loquentes lingua Romana: cui adjacet eccleſia in honore ſanctæ Mariæ, nobiliſſimam habens bibliothecam ſtudio prædicti Imperatoris,* nempe Caroli Magni. Idem Bernhardus quatuor ſanctæ civitatis memorat eccleſias inſignes: unam in monte Calvariæ; alteram ad meridiem; tertiam ad Occidentem in qua ſepulcrum Domini. De quarta non loquitur, E niſi hæc ſit quam in honore ſanctæ Mariæ Virginis conſtructam modo memoravit, *num. 13.* De illa vero in qua eſt ſanctum ſepulcrum obſervat quod *Sabbato ſancto,* (in) *vigilia Paſchæ, mane officium incipitur in eccleſia; & poſt peractum officium Kyrie eleiſon canitur, donec veniente angelo lumen in lampadibus accendatur, quæ pendent ſuper prædictum ſepulcrum: de quo dat Patriarcha epiſcopis, & reliquo populo, ut illuminent ſibi in ſuis locis.*

Hujus Bernhardi ſcriptum legerat Willelmus Malmeſburienſis, ut patet ex libro ejus quarto de regibus Anglorum, ubi de Hieroſolymis agens hæc habet: *Ibi decenti opere compacta eccleſia ſancti ſepulcri capax, à Conſtantino Magno ædificata, nullam unquam ab inimicis fidei tulit injuriam, metu, ſicut conjicio, pro igne cæleſti perculſis, qui quotannis in vigilia Paſchæ ſerenus infulget. Quod miraculum quando cœperit, vel ſi ante tempora Saracenorum fuerit, nullius hiſtoriæ cognitione diſcernitur.* Tum ſubdit idem Willelmus: *Legi ego in ſcripto Bernhardi monachi, quod abhinc annis ducentis quinquaginta, id eſt anno Incarnationis 870. idem Hieroſolymam profectus, ignem illum viderit* (quod tamen, inquit Mabillonius *p. 166.* in ejus itinere non lego) *hoſpitatuſque fuerit in xenodochio, quod idem glorioſus Carolus Magnus conſtrui juſſerat, ubi & bibliothecam ingentis expenſæ compegerat.* Idem miraculum, ſubdit Mabillonius, atteſtantur è Latinis Glaber Rodulfus, *lib. 4. cap. 6.* chronicon Andrenſe, itidemque Fontanenſe, quorum alterum in Spicilegii tomo nono, alterum undecimo editum eſt. Sed inſigne præ cæteris teſtimonium eſt in hiſtoria belli ſacri, Muſ. Ital. *to. 1. pp. 209. & 210.* ab auctore æquali compoſita: in qua convictus hac de re legitur rex Babylonius, non credens, *quod Sabbato vigiliarum Paſchæ ignis ille apud ſepulcrum dominicum per ſemetipſum in lampadibus accendatur:* quod ipſemet experimento probavit, aptatis per ſe lychnis & oleo repletis, in quibus repente hora nona vigiliæ Paſchæ, rege ipſo ſpectante, ignis de more accenſus eſt, & ardere cœpit. Huc ſpectat quod habetur in veterrimo pontificali olim Pictavienſis eccleſiæ, nunc Patrum Minimorum apud Pariſios, ubi de vigilia Paſchæ: *Eadem nocte Hieroſolymis in ſepulcro Domini lampas ab angelo illuminatur, ut veracium relatione traditur, qui noſtro tempore de Hieruſalem venerunt.* Ita vetus codex ſcriptus ante annos circiter octingentos. De hoc igne allatus eſt ignis in Floriacenſe monaſterium, ut rubeis litteris adſcriptum legitur ad oram martyrologii Uſuardi in hæc verba: *Kalendis Junii. Suſceptio ignis Paſchalis ab Jeroſolymis allati:* quo tempore, incertum. Pergit Bernhardus dicere de Theodoſio Patriarcha Hieroſolymorum: *Hic Patriarcha Theodoſius* (appellabatur) *qui ob meritum devotionis à Chriſtianis eſt raptus de ſuo monaſterio quod diſtat ab Hieruſalem quindecim millibus, & ibi Patriarcha conſtitutus ſuper omnes Chriſtianos qui ſunt in terra repromiſſionis.* In reditu Bernhardus ad Montemaureum, ubi crypta erat habens ſeptem altaria, cujus loci abbas erat domnus Valentinus, de Romana baſilica beati Petri Apoſtolorum

principis id aſſerit, non eſſe ei ſimilem in magnitudine eccleſiam in univerſa terra. Ultima itineris ejus periodus deſinit *ad ſanctum Michaëlem ad duas Tumbas, qui locus eſt ſitus in monte qui porrigitur in mare per duas leucas:* (gallicè *Mont Saint-Michel,* in diœceſi Abrincenſi) in cujus montis ſummitate eſt *eccleſia in honore S. Michaëlis; & circuitu illius montis redundat mare quotidie duabus vicibus, id eſt mane & veſpere, &c.* Hactenus iter Bernhardi monachi, qui Franciam nativitatis ſuæ locum eſſe teſtatur. Hallucinatur Albericus, quando hoc iter ad annos centum differt.

Vivebat adhuc Theodoſius Patriarcha Hieroſolymorum initio anni 879. Inter epiſtolas enim Joannis VIII. Romani Pontificis, quas refert Labb. *tom. 9. concil.* una extat *col. 111.* ad Theodoſium Patriarcham Hieroſolymitanum, ſcilicet centeſima ſeptuageſima, data VI. nonas Maii, Indict. XII. id eſt die ſecunda Maii anni 879. Hujus eſt tenoris: *Reverendiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Theodoſio Patriarchæ ſanctæ Hieroſolymitanæ eccleſiæ. Notum eſſe volumus ſanctitati veſtræ, quia præſentes monachi veſtri, Theodoſius videlicet, David, & Saba, venientes Romam ad limina ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, demorati ſunt ibi, eo quod nos pro noſtræ eccleſiæ cauſis & utilitatibus Franciam perrexeramus. At ubi, Deo volente, reverſi ſumus incolumes, eis ad veſtram paternitatem revertendi licentiam dedimus, per quos nimirum, cauſa charitatis, aliquam licet modicam beati Petri Apoſtoli benedictionem fraternitati veſtræ mandavimus. Quam petimus, ut pro Dei, & ipſius apoſtolorum principis amore, noſtraque dilectione benigne recipiatis: quoniam nimia paganorum oppreſſione gravati, plura, ut volebamus, dirigere non potuimus. Rogamus præterea ſanctam veſtram in Domino charitatem, ut in ſanctis orationibus veſtris noſtri ſemper memores exiſtentes, pro nobis preces Jeſu-Chriſto Domino noſtro quotidie fundere alacri animo dignemini, chariſſime frater. Data ſexto nonas Maii.* Epiſtola 160. hujus Papæ ad Carolum regem *ibid. col. 106.* notatur data tertio nonas April. id eſt die 3. hujus menſis, Indictione XII. quæ inceperat menſe Septembri anni 878. Cæteræ uſque ad 170. quam retuli, habent, data *ut ſupra,* id eſt, ſunt ejuſdem diei. Epiſtola 170. notatur data ſexto nonas Maii, id eſt die 2. hujus menſis. Sequentes epiſtolæ uſque ad 178. habent, data *ut ſupra.* Sed 178. ad Gregorium primicerium, notatur data ſexta die Maii, Indictione XII. proindeque omnes illæ Joannis VIII. epiſtolæ ſunt ejuſdem anni 879. Anno præcedente 878. erat Joannes in Francia, ubi concilium Tricaſſinum II. 3. idus Aug. id eſt die undecima hujus menſis, Indictione XI. celebravit. Eo anno 879. ante menſem Novembrem obiiſſe oportet Theodoſium, ſi, quoad hoc, pſeudoſynodi eo anno Conſtantinopoli habitæ menſe Novembri pro Photii reſtitutione in ſedem hujus urbis poſt ſancti Ignatii mortem, actis credimus. In iis quidem actis multa eſſe ab impoſtore Photio ſuppoſita, Baronius ad annum 879. *n. 63. & ſeqq.* & Allatius in peculiari tractatu *de octava ſynodo Photiana* aſſerere non dubitant: verum poteratne incertum eſſe Conſtantinopoli quo venerat ad ſynodum Photianam legatus Patriarchæ Hieroſolymitani ipſius locum tenens, quiſnam tunc temporis eſſet iſte Patriarcha, an Theodoſius adhuc in vivis ſuperſtes, an qui ei ſucceſſit Helias? Legatus tamen ille pluries teſtatur in actis hujus ſynodi miſſum ſe ab Helia Hieroſolymorum Patriarcha, qui Theodoſio recens defuncto ſuffectus fuerat.

Acta illius pſeudoſynodi Græca cum Latina verſione tradit, ut ſupra obſervatum eſt *col. 368.* D. P. Harduinus Societ. Jeſu, *to. 6. concil. part. 1. à col. 213. ad col. 342.* Porro in iis actis, act. IV. Helias (qui diverſus fuit ab Helia vices ſupplente Theodoſii Patriarchæ Hieroſolymitani in ſynodo VIII.) ait *col. 302. Sanctiſſimus vero Helias nuper Hieroſolymorum Pontifex conſtitutus, in omnibus ſequens Theodoſium qui prius eamdem ſedem adminiſtravit, nunquam ulla ratione venit in partem injuriarum quæ ſunt ſanctiſſimo Patriarchæ* (Photio) *illatæ: ſed &* (eos) *qui fuerunt legati Saracenorum, & finxerunt ſe perſonam illius* (Theodoſii) *ſuſcipere* (ipſe Theodoſius) *anathemati ſubjecit. Miſſus ſum igitur etiam ab ipſo* (Helia,) *ut ſenſus ipſius quos ab initio habuit, habetque, & habebit, ſanctæ huic ſynodo manifeſtem.* Scilicet ſupra vidimus *col. 371. & ſeq.* Theodoſium in epiſtola ad Ignatium Patriarcham Conſtantinopolitanum, quæ lecta eſt act. prima ſynodi octavæ generalis, eum rogaſſe ut ſuaderet Imperatori, liberos remittere Saracenorum captivorum plurimos quantum ipſi placeret; quia ea ſolum conditione licentiam obtinuerat à principibus hujus nationis, ut Helias ſuus ſyncellus, & Thomas epiſcopus Tyri Conſtantinopolim venirent. Propterea igitur Photius Heliam, Heliæ Patriarchæ Hieroſolymitani vicarium in ſua pſeudoſynodo, dicentem inducit Heliam & Thomam qui ſynodo octavæ adfuerunt, fuiſſe legatos *Saracenorum,* non vero *Patriarcharum* ſub quorum nomine venerant; & quod pejus eſt atque falſiſſimum, Patriarchas eoſdem adverſus illos reclamaſſe, eoſque anathemate feriiſſe.

Porro illud admiratione dignum, inquit Baronius ad annum 879. *num. 73.* quod non

Digitized by Google

ſit aliquis ex Græcorum hiſtoricis res Baſilii Imperatoris proſequutus, qui Photianæ ſynodi anno 879. habitæ meminerit: quum contra ferme omnes de octava legitima œcumenica, in qua Photius eſt è throno depoſitus (eique reſtitutus Ignatius) mentionem faciant: certe non Curopalates, non Cedrenus, non Zonaras, non Glycas, non Conſtantinus Manaſſes, de hujuſmodi Photiana ſynodo vel verbum unum proferunt, quum tamen, ſi talis fuerit, tamque numeroſa, & quæ VIII. œcumenicam damnaſſet, haud videri poſſit ſilentio prætermiſſa. Unde de ea ſuſpicio augetur, ut tota fuerit Photii ſtylo conficta, penicilloque mendacii colorata.

Inficiari quidem non auſim aliquam re ipſa ſynodum Conſtantinopoli celebratam eſſe anno 879. cui adfuerint Joannis VIII. Papæ legati, Patriarcharum Orientalium vicarii, multique epiſcopi Photio addicti, pro hujus reſtitutione confirmanda, id enim ex inferius laudandis Joannis Papæ litteris anno 880. ad Baſilium Imperat. & ad ipſum Photium ſcriptis conſtare videtur. At in ea ſynodo tot conveniſſe epiſcopos, omniaque geſta fuiſſe, ut in ejuſdem actis legitur, impoſtura eſt Photii manifeſtiſſima. Unde merito Baronius ad eumdem annum 879. *n. 63.* ſubdit: de his (geſtis) acturi, illud inprimis conteſtamur, nos non profiteri omnino, rei veritate geſta eſſe quæ facta dicuntur, ſed quæ facta ſcriptis reperiuntur aſſerta, nos integre reddituros. Quis enim ea omnia à Photio falſitatum omnium architecto jure dicendo ordinata, diſpoſita, concinnata, deſcripta, vera fuiſſe audeat affirmare?.... Talis plane eſt conditio (actorum) pſeudoſynodi Photianæ una cum auctore in imis inferis obruendæ. Ita Baronius.

Poſt hanc Photianam ſynodum menſe Martio anni Chriſti 880. abſolutam, inquit Pagius *tom. 3. crit. annal. Baron.* ad hunc ipſum annum, *num. 1.* Paulus, Eugenius, & Petrus ſedis apoſtolicæ legati Romam rediere, nihilque aliud retulerunt Joanni Papæ, quam redditam, reſtitutione Photii, eccleſiæ Conſtantinopolitanæ pacem, Bulgariam quoque eccleſiæ Romanæ reſtitutam, & Imperatorem claſſem mittere, quæ Italiam à Saracenorum incurſionibus tueretur, quod Baſilii litteræ confirmabant, ut liquet ex epiſtola 251. Joannis VIII. ad ipſum Baſilium & ejus filios data, in qua quidem ſignificat ſe approbare, quæ pro Photio in ſynodo Conſtantinopolitana acta ſunt, ſed ſub ſequenti ſolum clauſula: *Et ſi fortaſſe noſtri legati in eadem ſynodo contra apoſtolicam præceptionem egerint, nos nec recipimus, nec judicamus alicujus exiſtere firmitatis. Data idibus Aug. Indict. XIII.* (id eſt, die 13. Aug. ejuſdem anni 880.) Quum

A vero Romanus Pontifex quæ geſta eſſent Conſtantinopoli à tribus illis legatis accepit, Marino epiſcopo, qui ſibi poſtea in ſedem ſucceſſit, miſſo legato poteſtatem dedit infirmandi quæcunque legati prævaricatores egiſſent, Photiumque perpetuo anathemate percellendi, quod Marinus incredibili magnanimitate præſtitit; at non ante annum ſequentem 881. ut ex laudatis Joannis Papæ litteris colligere eſt. Quibus conditionibus Photii reſtitutioni conſenſerit Romanus Pontifex, ipſe aperit in epiſtola ad eumdem B Photium directa, cujus lator fuit Petrus Cardinalis ad ſynodum ea de cauſa Conſtantinopoli celebrandam miſſus, ut una cum Petro & Eugenio qui jam in ea urbe erant, huic ſynodo ſedis apoſtolicæ nomine præſideret. In ea quippe epiſtola, apud Baronium ad annum 879. *n. 35.* ait: *Et quum non ſit reprehenſibilis erga correctum quantacunque miſeratio, ſi ſatisfaciens coram ſynodo miſericordiam ſecundum conſuetudinem poſtulaveris* (hæc de miſericordia quærenda coram ſynodo abſtulit Photius, hic, & alias inferius, C inquit Baronius *ibid.* ad marginem) *ac ſi evidenti correctione uteris, & peritiæ non oblivïſcens, nullius damna moliaris, quin potius auxilia eorum, qui tibi non velle conſentire dicuntur, ſtudioſe diſſolveris, eoſque ſuis eccleſiis & honoribus reſtitueris: & ſi (quia ſpiritualis filius noſter Baſilius Chriſtianiſſimus Imperator apud nos pro te multis precibus intervenit) omnes uno voto, uno conſenſu, & una concordia in tua reſtitutione convenerint: veniam pro pace ſanctæ Conſtantinopolitanæ eccleſiæ tibi concedimus, communionem quoque & gradum, coram ſynodo* D *miſericordiam quærendo,* (hæc quatuor ultima verba itidem decurtavit Photius, inquit Baronius ad marg.) *nihilominus reddimus, & ut ſanctæ Conſtantinopolitanæ eccleſiæ præeſſe debeas, conſentimus, &c.* At quum hæ conditiones in reſtitutione Photii minime ſervatæ fuiſſent, de hoc conqueſtus eſt Joannes in alia epiſtola ad Photium, apud præfatum Baronium, ad annum 880. *num. 7. ſed quum nos ſcriptis,* inquit Romanus Pontifex, *& verbis miſericorditer tecum ſpecialiter agendum eſſe decreverimus; mirandum valde eſt, cur* E *multa quæ nos ſtatueramus, aut aliter habita, aut mutata eſſe noſcantur, & neſcimus cujus ſtudio, vel neglectu, variata monſtrentur.* Redarguit eum propterea, ut monet Baronius, quod quum ſcripſiſſet ab apoſtolica ſede miſericorditer cum ipſo agendum fore, ob idque ipſe coram ſynodo miſericordiam ejus implorare debuiſſet: non ſolum id facere neglexiſſet, ſed ſuperbo faſtu vane jactaſſet ſe nihil perperam egiſſe, cujus rei gratia miſericordia indignus factus eſſet. *Cæterum ſcribens*

Ibid. n. 8. & tom. 9. conc. Labb. col. 180. B.

Digitized by Google

ſubintuliſti, pergit Joannes, *quod, te innuens, nonniſi ab iniqua gerentibus miſericordia ſit quærenda; quod & nos de his, qui Deum ſe ſcire non fantur, licet diſpenſatorie fatemur: tamen nos, quod lectum eſt, exaggerare nolumus, ne quod dignum eſt, judicare cogamur. Ideoque talis excuſatio ſileat, ne hoc dicentes illa ſententia tangat, qua dicitur:* [Luc. c. 16. verſ. 15.] vos eſtis qui juſtificatis vos coram hominibus; Deus autem novit corda veſtra, quia quod hominibus altum eſt, abominabile eſt apud Deum. *Igitur laudabilis tua prudentia, quæ dicitur humilitatem ſcire, non moleſte ferat, quod ab eccleſia Dei miſerationem juſſa eſt poſtulare; quin potius ſe, ut exaltetur, humiliet & fraternum diſcat erga ſui miſerentem ſervare affectum. Quia nos, ſi tu debitam devotionem, & fidelitatis incrementa erga ſanctam Romanam eccleſiam, & noſtram parvitatem obſervare ſtudueris; & ut fratrem amplectemur, & ut chariſſimum proximum retinebimus. Nam & ea quæ pro cauſa tuæ reſtitutionis ſynodali decreto Conſtantinopoli miſericorditer acta ſunt, recipimus. Et ſi fortaſſe noſtri legati in eadem ſynodo contra apoſtolicam præceptionem egerunt: nos nec recipimus, nec judicamus alicujus exſiſtere firmitatis.*

Cæterum poſtea damnatum fuiſſe ab ipſo Joanne VIII. Photium conſtat ex Formoſi Papæ litteris ad Stylianum, apud Baronium ad annum 880. *num. 11.* in earum ſiquidem fine, quum ponitur ſeries ſynodicarum ſententiarum & decretorum Romanorum Pontificum, quæ pronuntiata ſunt adverſus Photium, ubi recitatæ ſunt quæ à Nicolao Papa, quæ etiam ab Adriano contra eum promulgatæ ſunt ſententiæ, ubi ad ſucceſſorem Adriani *Joannem* ventum eſt, primo ponitur ſententia ab ipſo, quum adhuc eſſet Adriani archidiaconus publicè recitata, deinde quam rurſus tulit factus Pontifex. Hæc enim ibi ſcripta reperiuntur. *Hanc ſententiam promulgavit Papa Adrianus, & archidiaconus ejus Joannes, qui illi ſucceſſor fuit: atque alta voce coram ipſo ita proclamavit: in Photio completum videmus, Domine ſanctiſſime & œcumenice Papa, illud pſalmi:* [Pſal. 35. verſ. 1.] Dixit peccator ut delinquat in ſemetipſo, non eſt timor Dei ante oculos ejus. *Poſuit in cœlum os ſuum, & graveolens ejus guttur aperuit Photius adverſus Clavigerum apoſtolicæ ſedis. Accendatur itaque ut ignis zelus tuus.... & illos qui eum ſequuntur vel tuentur, anathematis vinculo conſtringe; & niſi propria voce, vel ſcriptione, ipſum damnaverint, ut neque laïcali communione recipiantur. Qui hæc dixit Joannes, Adriano in ſede ſucceſſit, & anathemate Photium damnavit, quando ille ſeduxit Eugenium & ejus ſocios qui pro rebus Bulgariæ venerant. Quum enim accepiſſet evangelium, & ambonem conſcendiſſet, omnibus audientibus ita dixit: Quicunque non habet damnatum Photium divina ſententia, ſicut ipſum reliquit Nicolaus, & Adrianus* (quoque) *ſanctiſſimi Papæ prædeceſſores mei, ſit anathema.* Hæc deſcripta, inquit Baronius *ibidem*, ex codice Columnenſi, ubi cuncta, quæ ad cauſam Photii ſpectant, collecta habentur. Et *num. ſequenti* 12. ſubdit: Superius legi in eodem codice: *Damnatur Photius anathemate à novem Romanis Pontificibus, à Leone* (IV.) *Benedicto, antequam Photius eſſet aſſumptus in Patriarcham, ob communionem ſcilicet cum Gregorio Syracuſano: poſteà vero à Nicolao, Adriano, Joanne, Marino, Adriano altero, Stephano, & Formoſo:* Et de Joanne VIII. ſpecialiter. *Joannes vero, occaſione Bulgariæ provinciæ, miſit Eugenium, & ejus ſocios, adhuc ſuperſtite Ignatio Patriarcha, quos quum detinuiſſet Photius, & variis modis coëgiſſet, adduxit eos ut ſecum communicarent, & alios etiam errare fecerunt: qui Romam reverſi, à Joanne in ambone illos anathemate damnante, fuerunt depoſiti.* Ad quod confirmandum, obſervat idem Baronius, revera poſt annum 880. uſque ad finem 882. quo deceſſit Joannes VIII. nullam occurrere de Photio mentionem in litteris ab eo Pontifice conſcriptis, utpote abrupta penitus ipſum inter & Photium communicatione mutua.

Hunc nihilominus, ut qui indulgentiorem ſe præbuerit erga Photium, contumeliæ loco *Papiſſam* dictum arbitratus eſt Baronius, ad annum 879. *num. 5.* Sicque anſam datam fabulæ *de Joanna Papiſſa:* quæ Baronii opinio magnis viris placuit: ejuſque exemplo Papebrochius, in conatu chronico-hiſtorico, conjecit puſillanimitatem, non Joannis VIII. ſed Joannis VII. qui ordinatus Papa anno 705. obiit vero anno 707. in non rejiciendis canonibus Trullenſibus, prætextum ſuppeditaſſe quibuſdam prædictæ fabulæ obtrudendæ. Verum, inquit Pagius *tom. 3. crit. annal.* ad annum 879. *num. 9.* neutrum mihi unquam perſuadere potui, quum videam (fabulam hanc) à viro rei hiſtoricæ imperito excogitatam, & quidem ſæculo tantum decimo-tertio. Præterquam quod, qui illam (ſomniarunt primi) non dixere *Joannam Papiſſam,* ſub initium ſæculi octavi ſediſſe, (ut de Joanne VII. aſſertam) vel ſub finem ſæculi noni, (ut de Joanne VIII. excogitatam) cenſeamus, ſed Joannam hanc Leoni IV. qui anno Chriſti 855. deceſſit, ſuffectam fuiſſe narrant.

Supra idem Pagius, ad annum 853. *n. 14.* ita loquitur: Figmentum de Joanna Papiſſa, inter annum 1278. quo Martinus Polonus obiit, & annum 1342. (dicendum ex Echardo infra citando 1321.) quo Ptolomæus ſive Bartholomæus de Luca adhuc vivebat,

Digitized by Google

procuſum. Is enim hiſtoriæ ſuæ eccleſiaſticæ, quam poſt annum 1312. promulgavit, *lib. 16. cap. 8.* de Leone IV. agens, cui fabulatores Joannam Papiſſam ſubſtituere, hæc ſcribit: *Omnes quos legi, præter Martinum, tradunt, poſt Leonem IV. fuiſſe Benedictum III. Martinus autem Polonus ponit Joannem Anglicum VIII.* Ptolomæi ergo Lucenſis ætate hæc fabula recens conficta fuerat, & Martino Polono attribuebatur, licet immerito, &c. Lambecius *lib. 2. Bibl. Cæſar. cap. 8.* teſtatur in ea bibliotheca reperiri quatuor codices mſſ. chronici Martini Poloni, in quibus fabulæ de Joanna Papiſſa nec mentio extat, nec unquam extitit; indeque jure merito concludit, Martinum falſo haberi pro auctore, vel approbatore abſurdiſſimi hujus commenti, & chronicon illud, nonniſi poſt ejus mortem, labe illa contaminatum eſſe. Fatetur quidem Lambecius quatuor alia exemplaria mſſ. ejuſdem chronici inveniri in bibliotheca Cæſarea ea ſorde inquinata, ſed in pluribus priora (modo memorata) iſtis quatuor præſtare, fuſe oſtendit. Nec eſt quod quis dicat, quatuor illa exemplaria, in quibus illa periocha deſideratur, mutilata fuiſſe. Illa enim de Joanna Papiſſa fabula ita omnium animos occuparat (ſunt ſemper verba Pagii) ut in magnifica eccleſia metropolitana civitatis Senenſis, quæ poſt eam excogitatam quatuor Pontifices Romanos dedit, Pium II. ſcilicet, Pium III. Marcellum II. & Paulum V. ſtatua Joannæ Papiſſæ inter alias cæterorum Pontificum Romanorum conſpiceretur. Quare librarius Martini Poloni exemplaria, in quibus ea hiſtoriola defuiſſet, ſeſe venumdare non poſſe crediſſet. Adhæc non autumandum, quempiam in proprios uſus aliquod hujuſmodi exemplar ſibi exarandum petiiſſe; quum hanc fœminam aliquando eccleſiæ Romanæ præfuiſſe communis tunc opinio ferret. Quatuor itaque codices illi mſſ. bibliothecæ Cæſareæ, in quibus ea fabula legitur, interpolati fuere, & hac in parte corrupti. Hactenus Pagius citatus.

tom. 2. p. 861.

Auctor diſſertationis Gallicæ de Joanna Papiſſa, quam ex diſſertatione Latina ſimilis argumenti Dom. de Spanheim Profeſſoris in Univerſitate Leidenſi deſcripſit, & edidit Coloniæ 1695. loquens de Mart. Polon. *pag. 74.* qui, ut ait ad marginem, *tantam apud omnes bonos & eruditos gratiam inivit, ut progreſſu temporis inter tres religioſorum ordines, Benedictinum, Dominicanum, & Ciſtercienſem de profeſſionis hujus certitudine, contentio nata ſit, ſingulis eum ſibi quaſi ſuum vindicantibus. Ex Suffrid. Petri Præf. in Mart. Polon. an. 855.* Auctor, inquam, ille nihilominus ſcribit *pag. ſeq. 75.* aſſeri à P. Chifflet extitiſſe in bibliotheca Joannis Jacobi Chifflet patris ipſius exemplar antiquiſſimum manuſc. chronici Martini Poloni, in quo nihil legitur de Joanna Papiſſa. Tradit inſuper nihil quoque de ea reperiri in alio ejuſdem Martini Poloni exemplari, quod vidit Burnetus epiſcopus Saliſburienſis. De eodem Martino hæc etiam habet Labb. *tom. 8. conc. col. 154.* Martinum Polonum hac fabula adauxit Heroldus Baſileenſis typographus, ex cujus prælo anno Domini 1550. in lucem prodiit. Extant enim, Suffrido Petri & Joſia Simlero atteſtantibus, plurima mſſ. exemplaria, à quibus infinitas fabulas abeſſe animadverterunt, quæ in impreſſo codice reperiuntur. Verba Suffridi iſta ſunt: *Satis mirari non poſſum, unde tot & tam abſurdæ ineptiæ in Martinum Polonum illabi potuerint, quas in prioribus editionibus cernere licet, quum earum ne vel minima in manuſcriptis veſtigia appareant, & veriſimillimum ſit Martinum Polonum hæc non dicam ſcripſiſſe, ſed nec unquam præmeditari auſum. Neque enim putandum eſt auctorem, quantumvis mediocrem, ita turpiter paſſim lapſum ſibi infamiæ labem inurere voluiſſe, & ſingulis penè periodis ignorantiæ argumenta ampliſſima reliquiſſe.* Hæc ille. *Paulo antequam hæc poſtrema conciliorum editio emitteretur in lucem,* ſubdit Labb. *mſ. exemplar antiquiſſimum Martini Poloni hac fabula carens Reverendus in Chriſto pater ac frater Joannes Cæſar ad me tranſmiſit, ut ad propulſandam à ſede apoſtolica gravem calumniam typis Gerhardi Genarb. expreſſam toti mundo publicaretur, & apud me tanquam ſequeſtrem aut depoſitarium manuſc. ipſum detineretur: nullam corrupti exemplaris ſuſpicionem eſſe videbit quiſquis apud me illud perluſtrare voluerit.*

Ita Labbeus citatus: cui addendum videtur quod obſervat Allatius in confutatione de Papiſſa, *n. 5. & ſeqq.* Unus omnium, inquit, reliquus erat Martinus Polonus, (qui) ſolus commenti hujuſce auctor (cenſeretur) ideoque à pluribus ſcriptoribus male habitus; etſi immerito. Chronicon ejus ab aliis peſſimè corruptum fuiſſe olim, deprehenderat Suffridus Petrus; ideoque fide manuſcriptorum codicum emendatum, in melioremque formam, ut ipſe aſſerit, redactum edi curavit Antuerpiæ apud Plantinum 1574. Verum Joannam Papiſſam in ejus hiſtoriam ab aliis intertextam fuiſſe, ope illorum codicum, vel aliorum, nuſquam deprehenderat, (utpote quod ii omnes codices ab illo viſi ea fabula aucti eſſent,) quare nihilo immutato fabulam hanc, ut erat (in codicibus illis,) publicavit: notavit tamen codices mſſ. quod & veriſſimum eſt, neque excuſos omnes, neque ſingulos inter ſe congruere, & in codice Tongerloënſi manuſ. nec numerum nec nomen

Vide Lambecium ſupra cit. col. 381.

Digitized by Google

haberi (Papiſſæ) in catalogo Pontificum, ſed Leoni præcedenti hiſtoriam ejus, veluti fabulamentum, appendicis loco adjectam. Exemit dubitationem omnem (codex antiquiſſimus.) Urbanus (enim VIII.).. Biblioth. Vatic. quam antea multis peregrinorum auctorum manuſcriptis codicibus, iiſque vetuſtiſſimis, optimæque notæ, auxerat, codicem Martiniani chronici aſſervandum dedit. Erat ille antiquiſſimus omnium qui in dicta bibliotheca antea erant, charactere non ineleganti, multis tamen in locis, propter vetuſtatem, viſum fugiente. In eo hiſtoriæ Pontificum dextra, læva Imperatorum, ita interſtinctæ legebantur, ut quid quoque anno Pontifices, quid Imperatores, quid exteri egiſſent, unico aſpectu poneretur ob oculos. Poſt præfationem, à natali Chriſti ad ſua uſque tempora hiſtoriam proſequitur. In eo nihil de quatuor majoribus regnis, urbis Romanæ exordio; nihil de urbis portis, plateis, templis, regimine, aliiſque fabulamentis quibus chronicon illud malè audiit, peſſumque dederat auctoris nomen: ſed omnia plana & recta. Ex quo manifeſtum eſt, chronica, quæ ſub Martini nomine, vel typis, vel ſcripto circumferuntur, ab integritatis ſuæ gradu, aliorum imperitia vel negligentia, utinam non malevolentia, deturbata fuiſſe. Unuſquiſque enim, quæ ipſe digna memoria judicabat, addidit; eraſitque quæ ſibi indigna lectu videbantur. In integerrimo itaque hoc exemplari, poſt vitam Leonis IV. nulla fit Joannæ Papiſſæ mentio; neque ex fama aliorum, neque in margine, eadem vel aliena manu, ſcripta. Et, ſi totum perlegeris, nullum de hac re verbum invenies, neque aliorum induſtria quidquam eraſum; quod è ſerie rerum, & pagellæ tractu clariſſimum eſt; quum Leonis vita in una pagina non finiatur, ſed alterius ſequentis ſuperiorem partem occupet. Poſt quam immediate Benedictus III. Patria Romanus, ſequitur, & deinceps Nicolaus I. E quibus jam evidens eſt totum hoc.... Martiniano chronico fuiſſe innexum; tantique codicis ope, levi ſuffultum patrocinio mendacium cadere, quod non Martinum, ſed alios veteratores (temeratores) quorum nulla fides eſſe debet, agnoſcit. Ita, inquam, Allatius.

Martinum hunc ordinem Prædicatorum certo profeſſum fuiſſe demonſtrat Echardus *tom. 1. Bibl. ſcriptor. ejuſdem Ord. pag. 362. col. 1.* ex jam relato Tholomæo Lucenſi Dominicano, & Martino coævo, qui in prologo ſuæ hiſtoriæ eccleſiaſticæ ait: *Sunt etiam & alii auctores hiſtoriarum hic introducti, ut eſt Oroſius.... F. Vincentius Belvacenſis, F. Martinus Polonus Ord. Præd.* Et *col. 2.* certo, inquit idem Echardus, ordinis Prædicatorum (inſtitutum amplexus eſt) tum ipſomet (Martino) teſte, ſeu in margarita ſeu indice decreti, ſeu in chronico, in quorum prologo ita ſe vocat in cod. mſſ. ejus ætatis; tum teſtibus Tholomæo (præfato) qui una vixit, & Salanhaco qui vidit, & Bernardo Guidonis ſuppari: ex quibus Ughellum, Arnoldum Wion, Gaſparem Jongellinum, & Carolum de Wiſch recentiores & ſæculi 17. ſcriptores, qui Ciſtercienſem, & alios qui Benedictinum, nullo veteri documento fulti contendunt, merito refellas.

Idem Echardus poſtea, expendens an Martinus Joannæ Papiſſæ reipſa meminerit in chronico, animadvertit *pag. 365. col. 2.* Martinum Polonum chronicon ſuum eo modo diſpoſuiſſe, ut in una pagina, ad lævam nempe exhiberet Pontifices, in altera vero ad dextram Imperatores. Porro unamquamque paginam in 50. lineas dividit, & in margine ad caput cujuſque lineæ annum adſcripſit, adeo ut in quaque pagina anni ſint 50. diſtincte notati, ſicque chronicon per quinquagenas currat, à Chriſto nato ad electionem Clementis IV. Nomen cujuſque Pontificis ad initium lineæ poſitum eſt, cui junctus eſt annus quo iniit Pontificatum, totque ſibi vindicat lineas, quot ſedit annis, licet non omnes plenas ſed quandoque vacuas. Idem de Imperatoribus. Ea ratione ſcriptum eſſe codicem Vaticanum Urbani VIII. innuit Allatius, (ut ſupra dictum eſt) eadem ſuum Fabricius, eadem quoſdam è Cæſareis Lambecius: eadem Florentinum ſanctæ Mariæ Novellæ vidi ipſe anno 1681. quum illac tranſirem (ſunt verba Echardi) idque illud eſt quod auctor in prologo ſe obſervaturum promittit, chronicon ſcilicet *per annos Incarnationis uſque ad Clementem IV. Papam deducturum, eo anno Domini quo creati fuerunt ponendo Pontifices, &c.* Deinceps tamen hanc methodum non ſervavit Martinus. Nam opus ſuum augens poſtea, ut novus Pontifex ſuccedebat, codices occurrunt, alii ad Gregorium X. Clementis IV. ſucceſſorem, alii ad Joannem XXI. alii ad Nicolai III. electionem uſque progreſſi, nec ultra ſcripſiſſe Martinum certum eſt. Propterea vero, hanc editionem, (quæ ſcilicet in Clemente IV. non ſtetit, ut in prioribus exemplaribus quæ auctor ſic terminaverat: *Clemens IV. natione Provincialis de villa ſancti Ægidii ſedit annis....* quia nimirum ſub ejus Pontificatu illam exaraverat: hanc, inquam, editionem quæ ad Nicolai III. electionem protenditur,) *alteram* ſive *ſecundam* cum Lambecio appellat Echardus, qui etiam monet in omnibus hujus ſecundæ editionis exemplis mſſ. & impreſſis, ad Clementem IV. legi eam annotationem, *à Clemente*

Digitized by Google

à Clemente prædicto, præſens chronica ſtylum operis commutavit: nam quum à principio per annos decucurrerit, & quilibet Pontifex anno introitus ſui poſitus fuerit; quia tamen *plures Pontifices uno & eodem anno defuncti fuerunt, & in eadem linea poni non potuerunt, prædictus modus ſervari non potuit, ſed per annos Domini non continuando ſicut prius, ſed diſtinctim ponendo ſtatum cujuſlibet Pontificis declaravi, ſicut patet in Clemente, & conſequenter.* Sane quum hæc ſcriberet auctor, inquit idem Echardus, attendebat ad Innocentium V. Adrianum V. & Joannem XXI. qui eodem anno (1276.) Pontificatum inierunt, nec in eadem linea reponi potuere. Finis Pontificum in codice Navarræo & in pluribus aliis (hujus editionis) eſt, *Nicolaus III. natione Romanus cœpit anno Domini 1277. ſedit annis....* Quantum autem id valeat, pergit Echardus, ad Martinum à fabula Joannæ Papiſſæ purgandum mox conſtabit: at illud imprimis ſtatuendum eſt, eam ab omnibus codicibus quos dicimus primæ editionis (utique deſinentibus ſub Pontificatu Clementis IV.) ad artificium auctoris ſcriptis, à catalogo Pontificum exulare, ſed nec in eis locum habere poſſe. Sic enim ſeſe res habet. Leo V. (ita apud illum dicitur qui re vera eſt IV. ſed rem propius intuenti nulla eſt difficultas; monet enim auctor Leonem à ſe dictum III. inter Pontifices non recenſeri.) Leo, inquam, à Martino dictus V. in ea linea ſcriptus eſt, ad quam è latere ſcriptus eſt annus 847. & quum ſediſſe dicatur annis 8. menſes 3. dies 6. debentur ei quatuor anni ultimi vel quatuor ultimæ lineæ quinquagenæ ejus paginæ, & quatuor anni primi ſeu quatuor primæ lineæ quinquagenæ paginæ ſequentis, quas etiam implet in codicibus mox laudatis. Benedictus III. in linea ſequenti immediate collocatur ad annum 855. Nulla *Joannis Margantini* mentio, nullus ei locus. Addo non ſolum in iis codicibus primæ editionis iſtum Joannem non memorari, ſed nec in pluribus editionis ſecundæ quæ ad Nicolaum III. protenditur. Talis eſt Navarræus ſupra laudatus in memb. 400. circiter annorum: nulla in eo Joannis Margantini mentio, nec in ordine Pontificum, nec in margine, nec ullibi, nec unquam fuit, nam nihil eraſum, nihil lacerum. Codex eo magis ſpectandus, quod quum, non ad normam Martinianam ſcriptus ſit, fabulam (de Joanna ſub nomine Joannis Margantini, ei) inſerere facilius fuiſſet, quia Pontifices non annorum aut linearum numero ligantur, ſed in prima parte codicis Pontifices continenter omnes, in altera Imperatores exhibentur. Conjectu autem pronum hunc ex codice ſecundæ editionis exſcriptum, in quo proinde deerat etiam fabula hæc: nam ſi ſemel inſerta fuiſſet, eam notarius non omiſiſſet. Ex quibus merito infero (ſunt ſemper Echardi verba) vivo Martino, qui paulo poſt Nicolai III. electionem mortuus eſt, eam fabulam in ipſius chronico non comparuiſſe. Addo amplius ex ipſis codicibus mſſ. in quibus adeſt illa fabula, conſtare contra auctoris mentem eam intruſam fuiſſe, & turbatum totum ipſius artificium ut inſereretur. Id luce clarius demonſtratur ex cod. Victor. 597. & ſecundæ editionis, & ad amuſſim Martinianam ſcripto, hoc eſt diviſis in 50. lineas paginis, & ad quamque lineam annis 50. ſingulatim notatis. In eo ſiquidem ut locum inter Pontifices Joannæ reperiret notarius, duas integras paginas perturbavit, Pontifices Leonem præcedentes annis ſuperioribus collocando quam electi fuerint, paucioreſque eis lineas & annos concedendo quam ſederint, & eadem ratione Leonem ſubſequentes ad annos inferiores rejiciendo, & eorum pontificatum intra pauciores annos coarctando. Sic Gregorium IV. qui anno 828. tantum collocandus erat, ad 826. aſcendere cogit, & quum lineæ ſexdecim ei deberentur ceu qui totidem annis ſederit, intra duodecim lineas continet. Ex quo fit ut lineis ſex in ea pagina obtentis totum Leonis pontificatum in eadem concludat, qui quatuor ſaltem lineas & annos inſequenti (pagina) habere debuiſſet. Præterea quum Joanna non dicatur ſediſſe niſi duobus annis & menſibus quinque, duabus aut tribus lineis coercenda erat; at ſeptem & amplius implet, à 850. ſcilicet in priori pagina, ad 857. in altera. Hinc Benedictus III. qui ad 855. renuntiandus erat, ad 858. relegatur: eumque conſequentes Pontifices ſimiliter intra pauciores lineas conſtringuntur, quam pro numero annorum pontificatus requirerent. Sic Nicolaus I. qui annos novem ſedit, ac lineas novem exigebat, intra ſeptem limitatur, & quum ad annum 858. juxta Martinum adſcribendus eſſet, ad 861. rejicitur: & ſic de conſequentibus, adeo ut in duabus his paginis omnia ſint perturbata. Præterea dictæ Papiſſæ pontificatum in illo ipſo codice ut fabulamentum referri, illud arguit, quod non ad caput lineæ nomen ejus adſcriptum ſit, ut aliorum Pontificum, ſed in media linea quinquageſima, ut appendix ad Leonem, neque etiam numerum Pontificum hujus nominis auget: nam Joannes eam ſequens ad 872. dicitur VIII. qui alias IX. dicendus erat. Præfectus Bibliothecæ Victor. ante annos 60. circiter in margine ſuperiori hujus paginæ quæ ab anno 851. ad 900. annos 50. expanſos exhibet, hanc annotationem adſcripſit: *Iberæ ſunt næniæ*

Digitized by Google

quas hic Martinus vendit imperitis & ſobriis hiſtoriarum lectoribus de Joanne Anglico, quem & natione Maguntinum commemorat; quaſi vero duobus locis potuerit naſci. Vide annotatiunculam noſtram ad Belleforeſtii impreſſos annales minoris noſtræ bibliothecæ pag. 83. (nempe Victorinæ) *præter multa quæ tibi Onuphrius ſuppeditabit.* Qui vir peritus, inquit Echardus, ſi tantum attendiſſet ad ordinem Pontificum in duabus illis paginis contra præſcripta Martini adeo confuſum, non in auctorem innocuum, cui potius indoluiſſet, ſed in corruptorem qui ejus opus tam turpiter laceravit, ſtomachum erupiſſet. Nec mihi dubium quin in omnibus codicibus ad artificium Martini diligenter ſcriptis, id eſt pro numero annorum 50. in quaque pagina tot numero lineis eadem deprehendatur perturbatio, nec enim fieri aliter poteſt, ſi fabula inter Pontifices inſerta ſit, &c. Itaque contendo, ſubjungit idem Echardus *pag. 367. col. 1.* ex vero criterio apud omnes harum rerum peritos, tantam, tamque variam in hiſce codicibus, contra quam eſt in ſinceris, in Martini chronologia, in hoc centenario (duplici nempe quinquagena duarum paginarum) perturbationem, demonſtrationem eſſe fabulæ illius putidæ in ejus chronicon, poſt ejus obitum, eoque reluctante & invito, (ut ita loquar, id eſt omnino contra ejus mentem) intruſæ. Sic autem rem eveniſſe obvium eſt. Quum chronicon Martini, ea qua confectum eſt ratione, commodum in primis videretur & omnes (illud) quærerent: aliunde vero fabula (de Joanna Papiſſa) jam (tunc) à pluribus annis in vulgus eſſet ſparſa: eam primo ad marginem ſub Leone (IV. vel V.) ſcripſerunt, ut ut ſe res haberet. Sic in codice Florentino ſanctæ Mariæ Novellæ citato etiamſi prioris editionis, in margine inferiori paginæ quæ (50.) annos exhibet à 801. ad 850. legitur: cæterum ita refertur, ut nullus ei ſit locus in catalogo, Leone quatuor annos ultimos & quatuor ultimas lineas ejus paginæ, ut & quatuor primos annos & quatuor primas lineas paginæ ſequentis implente: & Benedicto III. lineam quintam immediate obtinente, adeo ut narratio illa de Joanne Margantino ad marginem non videatur adſcripta, niſi ut res tum vulgo decantata. Ejuſdem rationis eſt codex mſ. Pariſienſis abbatis Decamps: fabula in margine inferiori extra ordinem ſcripta. Poſtea vero illam ex margine in catalogum invexerunt, & ut locum ei facerent, Pontifices Leonem antecedentes & ſubſequentes loco eis ab auctore dato moverunt, omniaque in duabus illis paginis perturbarunt. Nec ibi ceſſatum. Nam quum chronicon illud ad normam auctoris A ſemper ſcribere eſſet moleſtum, quia id nonniſi in codicibus in-fol. ſervari poterat, & forma minori ſcriptum commodius videretur, alii chronologiam omiſerunt omnino: ſic Colbertini tres, unus regius, & unus ex Navarræis: alii aliquem ex annis cujuſque Pontificis annotarunt, non attendentes ſcrupuloſius, an primus, an alter, vel tertius. Sic duo Navarræi codices. Hinc in ejuſmodi codicibus tanta chronologiæ varietas ex incuria notariorum. Exinde etiam factum eſt ut in his exemplaribus adulteratio per intru- B ſionem fabulæ difficilius deprehenderetur: ex quibus tamen nihil adverſus Martinum concludere eſt, ſiquidem non ſolum ex ſinceris editionis utriuſque codicibus fabula carentibus, ſed & ex ipſis interpolatis, ac chronologiam integram exhibentibus abunde abſolvitur. Quare mirari ſubit, pergit Echardus *pag. 367. col. 1.* quod domnus Mabillonius, vir noſtræ ætatis eruditiſſimus, qui Marianum Scotum, & Sigebertum Gemblacenſem, ex unius aut alterius codicis fide, à turpi illa Joannæ Papiſſæ fabula eximit, Martinum C Polonum, quantumvis ipſemet fateatur antiquiora ejus exemplaria illa macula carere, quacumque tandem ratione oneratum velit. Scribit ſiquidem in Præfat. *part. 2. ſæculi 6. Benedict.* §. *1. num. 6. pag. 7.* poſt relatos tres verſus poetæ anonymi qui Leoni IV. ſuffectum fuiſſe ait Benedictum III. *Ex quo intelligitur, hanc fabulam medio ſæculo duodecimo necdum inventam fuiſſe, quam Martino Polono plerique tribuunt, tametſi in nonnullis ejus exemplaribus, quale eſt unum apud clariſſ. abbatem Franciſcum de Campis nihil ſimile habetur. Fa-* D *tendum eſt tamen illam tunc temporis, id eſt ſub finem ſæculi 13. vulgatam fuiſſe, eamque apud Joannem Iperium reperiri.* Editio Mabillonii eſt Pariſ. anno 1701. Licet, inquam, hæc Mabillonius de Martino Polono fateatur, nihilominus eum eſſe vel fabulæ de Joanna Papiſſa primum auctorem, vel ſaltem continuatorem ſive propalatorem contendit. Nam *Itin. Ital. pag. 27.* poſt allatum Tholomæi teſtimonium, quod ſupra recitatum eſt *col. 381.* A. *Hinc patet,* inquit, *quod ab aliis jam probatum, Martinum Polonum primum eſſe hujus* E *fabulæ, ſi non auctorem, ſaltem narratorem, &c.* & poſtea *pag. 59.* de ſella ſtercoraria loquens, *eam ait fuiſſe in uſu uno ſæculo ante natam fabulam de Papiſſa, id eſt ante Martinum Polonum, qui primus hanc fabulam vulgavit, ut ſuperius vidimus.* Et tom. 3. annal. Bened. lib. 34. *ad annum 855.* pag. 41. n. 86. *Major eſt difficultas de Martino Polono, cujus hac in re variant exemplaria; in quibus antiquiora hanc fabellam ejus non habent. At ſive is primus auctor eſt, ſeu, quod potius crediderim, ejus continuator,*

Digitized by Google

fatendum eſt hanc fabulam ejus tempore, id eſt ab annis fere quadringentis natam fuiſſe. Antiquiora Martini exemplaria (teſte Mabillonio) hoc eſt quæ eo vivo ſcripta ſunt, fabellam non habent: ergo fabellæ, ſi non primus auctor eſt, ſaltem eſt continuator. Hanc arguendi rationem ſane non capio (verba ſunt Echardi *pag. 368. col. 1.*) Ergo corrupti codices Martini, in quibus fabella legitur, ſic alius argueret, & arguit re vera Pagius ad annum 853. *num. 19.* à Mabillonio hac in parte verbis expreſſis recedens, & innocuum prorſus præſtans Martinum.

Tholomæus quidem obſervat ſolum Martinum Polonum Joannis Anglici VIII. ſive Joannæ Papiſſæ meminiſſe: verum anno 1313. quo hiſtoriam ſuam Tholomæus ille Guillelmo de Baiona Cardinali, promoto menſe Decembri anni præcedentis 1312. nuncupavit, ſatis fluxerat temporis ut in exemplar Martini corruptum impingeret. Antequam lucem aſpiceret Martini chronicon, nonnulla jam ſparſa fuerant de muliere Papiſſa. Nam Stephanus de Borbone, ſive de Mediavilla Ord. Præd. qui obiit anno circiter 1261. non quidem hiſtoricum agens aut chronologum, ſed rem quæ jam ætate ſua circumferri incipiebat enarrans, hæc habet in magno ſuo opere de ſeptem donis Spiritus Sancti, *part. 5. de dono conſilii, tit. de prudentia,* ubi diſſerit de cautela in electione Prælatorum, cap. *quod electio debet eſſe pura* §. *10. cod. Sorb. fol. 574. col. 1: Accidit autem mirabilis audacia, imo inſania, circa annum Domini 1100. ut dicitur in chronicis* (ſane tunc admodum recentioribus & à Tholomæo nondum viſis.) *Quædam mulier litterata & in arte noñdi* (divinet lector) *edocta, aſſumpto virili habitu, & virum ſe fingens, venit Romam, & tam induſtria, quam litteratura accepta, facta eſt notarius Curiæ, poſt diabolo procurante, Cardinalis, poſt Papa. Hæc imprægnata quum aſcenderet peperit. Quod quum noviſſet Romana juſtitia, ligatis pedibus ejus ad pedes equi diſtracta eſt extra urbem, & ad dimidiam leucam à populo lapidata, & ubi fuit mortua ibi fuit ſepulta, & ſuper lapidem ſuper ea poſitum ſcriptus eſt verſiculus: Parce pater patrum Papiſſæ prodere partum. Ecce ad quam deteſtabilem finem ducit tam temeraria præſumptio.* Quiſnam fuerit illorum chronicorum auctor quem nullus alius citat, non liquet, ſed ſane fabulam hanc adeo inſulſe tradit, ut eam ſolum referre, confutare ſit.

Hanc aliter refert auctor operis de vitis Pontificum Romanorum, quod ipſe ex Anaſtaſio bibliothecario, Pandolfo Piſano, Martino Polono, recentioribuſque aliis compilavit, & uſque ad annum 1431. deduxit.

A Opus illud, quantum ad Sergium II. Leonem IV. Joannem Anglicum ſive Joannam Papiſſam, Benedictum III. Nicolaum I. & Adrianum II. Blondellus, in examine quæſtionis *de Papa fœmina,* tranſcripſit ex Bibliothecæ regiæ mſ. numero 733. ſimul advertens, quod de Joanne Anglico ab auctore illo aſſeritur, non de Anaſtaſio bibliothecario eſſe ſumptum, ut quidam fortaſſis exiſtimare poſſent, quippe quum ejus hiſtoriæ in totum repugnet, ſed ex chronico Martini Poloni, (interpolato ſcilicet.) Hanc autem fabulam B ſic in eo opere narrari ait *pag. 50. Poſt hunc Leonem* (IV.) *Joannes Anglicus, natione Moguntinus* (ad marginem apponitur: addiderat Martinus: *qui alibi legitur fuiſſe Benedictus III.) ſedit annis duobus, menſe uno* (ad marg. Martinus, ex Mariano, *menſibus quinque) diebus quatuor, & mortuus eſt Romæ, & ceſſavit epiſcopatus menſe uno. Hic, ut aſſeritur,* (ad marg. *Hæc Anaſtaſio* bibliothecario *convenire nequaquam poſſunt) fœmina fuit, & in puellari,* (ad marg. in Martino *pupillari*) *ætate à quodam ſuo amaſio in habitu virili Athenis* ducta C ſic (ad marg. In Martino, *Athenas ducta fuit, &c. ita ut, &c.* Athenis nulla ſæculo nono ſtudia) *in diverſis ſcientiis profecit, ut nullus ſibi par inveniretur, adeo ut poſt Romæ....* (ad calcem pag. Martinus *triennium,* alias *trivium* legens; quæ verba, Martini ſæculo, quo *trivium,* id eſt, grammatica, rhetorica, logica, triplex ſtudium inſtitutum erat, lectionum curſus per *triennium* fiebat; qui vero curſum compleverant *magiſtri* ſolemni more pronuntiabantur, optime conveniunt, non Anaſtaſii ætati, quæ tale nihil uſquam vidit) D *legens, magnos magiſtros, diſcipulos & auditores haberet: & quum in urbe vita & ſcientia magnæ opinionis eſſet, in Papam concorditer eligitur; ſed in Papatu per ſuum familiarem idem imprægnatur. Verum tempus partus ignorans* (pag. 51.) *quum de ſancto Petro in Lateranum* (ad marg. Apud ſanctum Petrum ab anno Domini 774. ad 1000. & quod excurrit, non Paparum, quorum in Laterano *Patriarchium* & ſtatum domicilium fuit, ſed *Miſſorum* regiorum fuit habitatio, nec extra Lateranum degentes Pontifices Anaſtaſius vidit, ſed Mar- E tinus) *in Lateranum tenderet, anguſtiata inter Coliſeum* (ad marg. alias Coloſſeum) *& ſancti Clementis eccleſiam peperit, & poſt mortua, ibidem, ut dicitur,* (ad marg. ſi in via & peperit, & periit, & ſepulta eſt, quî factum ignorare potuit, & ex incertis aliorum dictis pendere ὁμῆλιξ & præſens Anaſtaſius!) *Sepulta fuit, & quia Dominus Papa, quum vadit ad Lateranum* (ad marg. Hæc Anaſtaſio longe recentior, imo poſt conſtitutum in Vaticano Pontificum ordinarium domicilium natus, ex

neceſſitate ſcripſit) *quum vadit ad Lateranum, eamdem viam ſemper obliquat* (ad marg. in qua & *peperiſſe* & *ſepulta fuiſſe* Joanna fingitur: *viam obliquare* proprie loquendo dici non poteſt qui eam ne ingreſſus eſt Papa) *creditur à pluribus* (ad calcem pag. Hæc rurſus recentioris eſſe neceſſe eſt, non Anaſtaſii, qui quod ſuo tempore factum eſt, ex aliorum opinione haurire neceſſe non habuit, proprio experimento edoctus) *creditur à pluribus quod ob deteſtationem facti hoc faciat: nec ponitur in catalogo Pontificum* (ad calcem pag. Hæc etiam recentioris ſunt qui poſt auctum plurium capitum acceſſione Paparum catalogum vixit) *propter* muliebris ſexus *deformitatem* quantum ad hoc. (ad calcem pag. Martinus: *tam propter muliebrem ſexum, quam propter deformitatem facti.*) Subjungit Blondellus, auctorem hujus codicis mſ. quem nonnulli ipſummet Anaſtaſium eſſe aiebant, qui proinde Joannem Anglicum inter Leonem IV. & Benedictum III. ſediſſe commemoraverit, pergens ſuggillare: *Benedictus* (ad calcem pag. 51. Hic lineas 6. ex Anaſtaſio tranſcribit compilator, exinde 8. omiſit: rurſus 2. arripit, ſequentes 8. expungit, tertio 2. exſcribit, ſequentes 7. præterit.) *natione Romanus ex patre Petro ſedit annos duos, menſes ſex, dies novem, &c.* (ad calcem pag. Hæc ex Anaſtaſio plurimis omiſſis deflorata) *Leo quidem hac luce ſubſtractus præſul occubuit, mox* (enim) *omnis Clerus, &c.* (ad calcem pag. lineas 24. exſcribit, exinde 205. omittit, rurſus 40. excerpit, 4. ſequentes expungit, 3. rurſus exſcribit, 247. præterit, ac tandem 13. poſtremas deſcribit. Vox *enim* redundat: proxime vero præcedens *mox* univerſorum Joannæ patronorum machinamentum funditus evertit. Si enim, quod Anaſtaſius voluit, & expreſſe ſcripſit, reſque ipſa exigit, *mox* poſt *ſubſtractum hac luce Leonem* Benedictus electus eſt; poſt biennium, elatumque Joannæ funus, nec electus eſt, nec eligi potuit.) Huc uſque Blondellus, ſed de Anaſtaſio bibliothecario, & Blondelli ad ejus hic hiſtoriam obſervationibus, inferius ſermo redibit.

Hanc aliter Pagius ſupra citatus ad annum 853. *num. 14.* ait fabulam de Joanna Papiſſa legi in *Speculo hiſtor. Vinc. Bellov. lib. 25. cap. 36.* in codicibus tamen eo vivente exaratis non haberi. At in qua editione eam Pagius legerit teſtatur præfatus Echardus *ibid. pag. 368. col. 1.* ſibi ignotum. Non enim, inquit, in codd. mſſ. ullis extat, ſed nec in ulla ex typo expreſſis à me viſis editione occurrit, *lib. 25. Spec. hiſt.* qui in Duacenſi eſt *24. cap. 36.* ubi fit mentio tantum cujuſdam pſeudoprophetiſſæ Moguntiacæ circa annum 850. eam eccleſiam turbantis, quam forte fabulæ occaſionem dediſſe Allatius ſubodoratur. Si tamen verum ſit aliquam Bellovacenſis editionem ex inſerta ea fabula fuiſſe fœdatam, quam viderit Pagius, novum argumentum eſſet & inductæ invito & inſcio Martino in ejus chronicon corruptelæ. Huc uſque ex Echardo.

Mabillonius in Muſeo Italico *tom. 1. part. 1. pag. 159.* apud Pagium ubi ſupra *num. 16.* refert, dum Senis eccleſiam metropolitanam inviſeret, & ſtatuas indigenarum Pontificum contemplaretur, Joannis Papiſſæ ſtatuam, quæ inter illas fuiſſe dicta fuerat, ſibi in mentem veniſſe. Occurrit memoriæ, inquit, id quod in *Colomeſii ſingularibus* legitur, ſtatuam Pſeudopapiſſæ Joannæ inter alias pontificias locum habuiſſe uſque ad annum 1634. quo anno Joannes Launoius doctor Pariſienſis Senas profectus, ipſam ſtatuam in cathedrali eccleſia etiam tunc ſtantem ſe vidiſſe aſſerit in diſſertatione *de auctoritate negantis argumenti:* ac proinde Baronio illuſum fuiſſe, quum in litteris ad Florimundum Remundum ſcriptis, disjectam & comminutam ſtatuam ſibi ipſe gratulatur. Oculis omnia luſtravimus accuratè, nec quidquam de illa ſtatua aut videre, aut reſcire potuimus. Rem poſtea maturius examinavit illuſtriſſimus abbas Jacobus Mignanellus, atque ænigma ſolvit in litteris quas per Magliabechum nobis tranſmitti curavit. Quippe ſtatuam illam fabuloſæ Joannæ, quæ poſt refectam ſub hæc noviſſima ſæcula baſilicam, obtinente fabula, fabricata fuerat, demum Clementis VIII. pontificatu, cooperante cum magno Duce, ad Baronii preces, archiepiſcopo loci Cardinale Tarugio, non penitus quidem fuiſſe comminutam, ſed mutatis formæ mulieris lineamentis, ex fœmina factam Zachariæ pontificis figuram, appoſito *Zachariæ* nomine, ne qua ſuſpicio in poſterum hac de re, ob ſervatam ſtatuæ memoriam, ſuboriri poſſet. En vera ac genuina facti hiſtoria. Ita Mabillonius, qui poſtea *pag. 59.* de viſis à ſe Romæ loquens ait: Dominico die octava ſancti Joannis profecti ad Lateranenſem baſilicam, vidimus in clauſtro baſilicæ adjuncto tres ſedes, confuſe cum varia ſuppellectile conjectas. Unam ex marmore albo, olim in porticu baſilicæ poſitam, in qua novum Pontificem collocari mos erat, *ſtercorariam* appellatam ex verſu pſalmi qui Pontifice in ea ſedente canebatur: *Suſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore erigit pauperem.* (Pſ. 111. verſ. 6.) Hæc etiam dicebatur *fœda loco,* quod in porticu inferiori baſilicæ conſtituta eſſet: Alias duas porphyreticas, & quidem perforatas, non alia tamen de cauſa, ut veriſimile eſt, quam quod in antiquis Romanorum thermis repertæ, ob materiæ pretium, non ob formam, aptæ judicatæ ſunt, quæ ad novi

Digitized by Google

pontificis ſeſſionem adhiberentur. Sedes illæ duæ ante capellam ſancti Silveſtri quondam exiſtebant, & in iis itidem ſedebat pontifex recens conſecratus. Quocirca obſervare juverit Pontificem novum eo ritu in Lateranenſis baſilicæ poſſeſſionem induci ſolitum, ut primo ad thronum pontificalem qui in apſide baſilicæ extabat, *omnes epiſcopos & Cardinales,* ut loquitur Cencius, ad oſculum admitteret: *deinde ad ſedem lapideam, quæ dicitur ſtercoria* ſtantem in porticu baſilicæ collocaretur, ut vere dicatur: *ſuſcitat de pulvere, &c.* Poſtea ductus ad capellam ſancti Silveſtri prope Lateranenſe palatium, primo ſederet ad dextram in una ex illis ſedibus porphyreticis, ubi claves baſilicæ à priore ſancti Laurentii acciperet in ſignum regiminis & correctionis: demum ad ſiniſtram in altera ſedens, eaſdem claves eidem priori reſtitueret. Quando primum horum ſedium uſus cœperit non conſtat. De his nihil invenimus ante ſæculum duodecimum, quo tempore illarum fit mentio apud Cencium, uno ſæculo ante natam fabulam de pſeudopapiſſa Joanna, id eſt ante Martinum Polonum qui primus eam fabulam vulgavit, &c. ut ſupra *col. 388.* E. Tandem ritus ille, qui ad altius inſinuandam novo Pontifici humilitatem primum inductus fuerat, poſt receptam apud nimium credulos de pſeudopapiſſa fabulam, ita infamis invaſit, ut ob hoc commentum penitus abrogaretur: quod ſæculo ſuperiore poſt Leonem X. factum putamus. His Mabillonii aſſertis lubentiſſime aſſentitur Pagius *num. 17.* uno articulo excepto, quod nimirum prædictam fabulam Martinus Polonus ſcripſerit.

Expenditur commentum de Joanna Papiſſa.

Adductus hucuſque ſermo, iſtius Papiſſæ hiſtoriam paulo diligentius inveſtigandam ſuadet, quam novis machinamentis ſæculo proximè elapſo D. de Spanheim primarius in Univerſitate Leidenſi Profeſſor, in diſſertatione quadam Latina, alius etiam poſtea ſcriptor anonymus, in diſſertatione Gallica ex ea priori deſcripta, ut ſupra dictum eſt, & Coloniæ edita anno 1695. obtrudere conati ſunt; hoc eſſe unum contendentes ex factis illis quæ paribus ſaltem rationibus, æquo marte, & in utramque partem poſſunt, more problematico, diſceptari. Fœminam hanc ſediſſe communius tradunt, qui de illa ſcripſere, Leonem IV. inter & Benedictum III. medio circiter ſæculo nono. Verum Leoni immediate ſucceſſiſſe Benedictum conſtat, idque ex ſequentibus luce clarius meridiana patebit.

Col. 381. D. E.

Primo enim Anaſtaſius bibliothecarius, qui fuit *abbas monaſterii ſanctæ Dei Genitricis Mariæ Virginis ſiti trans Tiberim,* Nicolai Papæ tempore, ut legitur in vetuſtiſſimo codice biblioth. Vaticanæ, *num. 5696.* & obſervat Ciampinius vir clariſſ. in examine libri pontificalis, ſect. 1. nec ultra annum 882. vitam produxit, quo jam Zacharias epiſcopus Anagninus ſanctæ Romanæ eccleſiæ bibliothecarius erat, ex epiſtola 277. Joannis VIII. Papæ ad Carolum Craſſum Imperatorem, qua ei nuntiat ſe Petrum conſiliarium ſuum, *cum Zacharia venerabili epiſcopo & bibliothecario ſedis* ſuæ ad eum mittere, apud Pagium *to. 3. crit. in annal. Baron.* ad annum 882. *num. 1.* & ad ann. 885. *n. 1.* Hic, inquam, Anaſtaſius, quem tunc viventem electionis ac conſecrationis Benedicti III. teſtem etiam fuiſſe oculatum conjectu pronum eſt, ita de iis loquitur *tom. 8. conc. Labb. col. 223. & ſeqq. Leo quidem ubi hac luce ſubſtractus præſul occubuit* (obiiſſe autem ſuperius eum dixerat in ejus vita, *ibid. col. 29.* C. *XVI. kal. Auguſti,* id eſt die 17. Julii) *mox omnis clerus iſtius Romanæ protectæ ſedis, univerſique proceres, cunctuſque ſenatus ac populus congregati ſunt, Domini clementiam exorantes, ut beatificum illis omnibus demonſtrare dignaretur paſtorem, qui culmen apoſtolatus regere valuiſſet tranquille. Divinitus igitur æthereo tunc lumine inflammati, uno conſenſu, unoque cum conamine Benedictum, pro tantis quibus pollebat ſacris operibus, Pontificem promulgaverunt eligere. Illico vero alacri univerſa ſtudio plebs & populi cœtus ad Callixti titulum properantes, Deo illum omnipotenti, ut ſolitus fuerat, invenerunt fundentem orationem. Surgens autem & populi denſiſſima cernens agmina, rem cognovit & mente concepit. Interea multis cum lacrymis genua flectens omnes deprecabatur taliter dicens: non me à mea deducatis eccleſia, rogo, quia tanti culminis non ſufficio ſuſtinere nec bajulare gravamen. Illi vero nullatenus acquieverunt, ſed.... cum hymnis & canticis ſpiritualibus, ampla exultatione & ineffabili gaudio in patriarchium Lateranenſe perducentes, pontificali ſolio, ut mos eſt pontificum canaque conſuetudo demonſtrat, poſuerunt, &c. His ita peractis, clerus & cuncti proceres decretum componentes propriis manibus roboraverunt, & conſuetudo priſca ut poſcit, invictiſſimis Lothario ac Ludovico deſtinaverunt Auguſtis:* quia ſcilicet eorum conſenſus expectandus erat, antequam ad ordinationem veniretur. Hic fuſe explicat Anaſtaſius quomodo legati, quos clerus, ſenatus, populuſque Romanus ad Ludovicum (quem Lotharius ejus pater regem Italiæ & imperii collegam renuntiarat) direxerant, ab Arſenio Eugubino epiſcopo, ad Anaſtaſii preſbyteri Cardinalis à Leone IV. anno 853. in ſynodo depoſiti & anathemate vincti obedientiam allecti, fidem fefellerint, eumdemque Anaſtaſium in

Digitized by Google

ſedem apoſtolicam intruſerint, conſentientibus ipſis Ludovici legatis. Verum quum reſiſterent magna conſtantia, uno & altero exceptis, epiſcopi, una cum clero populoque Romano, iidem Imperatoris legati poſt triduum coacti ſunt Anaſtaſium expellere. Poſt indictum autem pro eccleſiæ unitate triduanum jejunium; Benedictus ad baſilicam Salvatoris, ſive Lateranenſem, deſcendit, ex qua in baſilicam ſanctæ Mariæ quæ ad præſepe dicitur, deductus eſt, in qua omnes jejuniis & orationibus tribus diebus vacarunt: expletoque jejunio, omnes qui Anaſtaſio ſe conjunxerant in præfatam baſilicam venerunt, & procidentes veſtigia Benedicti oſculati ſunt, & veniam petiere. *Etiam ipſi imperiales ibidem convenerunt legati,* inquit Anaſtaſius col. 227. D. *qui ſalubribus verbis ac mollioribus cum eodem ſecretius electo* (Benedicto) *confabulabantur. Subito vero omnes epiſcopi, univerſuſque clerus, atque innumera Romani populi multitudo ex eadem eum deducentes baſilica cum hymnis & canticis ſpiritualibus in patriarchium Lateranenſe introduxerunt, & in pontificali ſolio de quo ejectus fuerat, poſuerunt.... Dominico die diluculo in baſilicam beati Petri Apoſtoli ab epiſcopis, clero, & proceribus deductus eſt, & in conſpectu omnium, imperialibus miſſis cernentibus, in apoſtolica ſede, ut mos eſt, & antiqua traditio dictat, conſecratus ordinatuſque eſt Pontifex.*

In Anaſtaſii quidem vulgatis editionibus (verba ſunt Pagii *tom. 2. Breviarii geſtorum Romanorum Pontif. num. 3. pag. 40.*) ceſſatio ſedis poſt Leonis IV. mortem non legitur, ſed in variantibus lectionibus editioni regiæ ſubjectis *pag. 291.* dicitur, in uno exemplari manuſcripto haberi ceſſaſſe ſedem menſes duos, dies quindecim, quod & notatur in duobus catalogis Colbertinis, IV. ſcilicet & VI. & in hiſtoria Platinæ: ſed quum Leo, ex Anaſtaſio, die 17. menſis Julii à vivis exceſſerit, & Benedictus III. die 29. menſis Septembris quæ in Dominicam incidit anno 855. fuerit ordinatus, ſedes ceſſavit tantum menſes duos, & dies 12. Ex quibus liquet Benedictum III. in Leonis IV. ſolio apoſtolico pacificè à die 29. Septemb. anni 855. ſediſſe. Quum itaque Leo IV. obierit die 17. Julii ejuſdem anni, reliquum autem temporis ad diem 29. Septembris, Benedicti electione, ſchiſmatiſque memorati ortu, incremento, & extinctione fuerit conſumtum, non ſupereſt tempus quod Papiſſæ inter Leonem IV. & Benedictum III. valeat aſſignari. Ita rationatur Natalis Alexander diſſert. 3. *in hiſt. eccl. ſæcul. 9. & 10. edit. Pariſ. in-fol. p. 231. col. 1.*

Nec eſt quod reponat auctor diſſert. Gallicæ ex Latina D. de Spanheim confectæ de Joanna ceu vera hiſtoria *part. 3. cap. 3. pag. 160. & ſeqq.* Vitas Romanorum Pontificum opus non eſſe Anaſtaſii biblioth. auctorem vero hujus operis illud non deduxiſſe niſi uſque ad pontificatum Leonis IV. quem nec dedit completum, hiſtoriam denique Papiſſæ in quibuſdam ejus exemplaribus manuſcriptis antiquiſſimis reperiri; & in primis editionibus fuiſſe reſectam. Nam quod primum ſpectat, quidquid ſit de illo auctore, an ſcilicet Anaſtaſius bibliothecarius totum illud opus vitarum Romanor. Pontif. ediderit, cujus certe prima pars perperam Damaſo Papæ attributa eſt; an ſecundam duntaxat ejus partem exaraverit, à Damaſo nempe uſque ad Nicolaum I. an vero, ut ait Baronius ad ann. 867. *n. 139.* collector potius fuerit quam ſcriptor vitarum præteritorum Pontificum: quod ultimum etiam opinatur Natal. Alexand. ſupra citatus *pag. 61. col. 1.* ubi ait: Hiſtoriam, de Geſtis Roman. Pontif. collegit, (Anaſtaſius) auxitque.... & paulo-poſt; Voſſius, & alii plerique ultimam cenſent eſſe ab Anaſtaſio ſcriptam Nicolai I. vitam, & à Guillelmo bibliothecario additas fuiſſe vitas Adriani III. & Stephani VI. repugnat Baronius, eidemque auctori illas adſcribit: adhuc ſub judice lis eſt. Ita Nat. Alex. Nec multum recedere videtur ab ea ſententia, quæ Anaſtaſio aliquid ſaltem circa vitas Romanorum Pontif. à multis ſæculis attributum fuiſſe agnoſcit, ille ipſemet auctor diſſert. præfatæ Gallicæ, *part. 2. cap. 2. pag. 57.* (verba Latinè ſic reddo) *Abbo præfectus monaſterii ſancti Benedicti ſuper Ligerim, qui vivebat exeunte ſæculo X. declarat compendioſas vitas Romanorum Pontificum à ſe traditas nihil aliud eſſe quam tranſumptum hiſtoriæ Anaſtaſii.* Centum itaque annis ab Anaſtaſii morte ei jam adſcriptus erat iſte liber. Obiit Anaſtaſius inter annum 878. quo Photii ad ipſum datam epiſtolam refert Baronius ad hunc annum *num. 9.* & annum 882. quo Zacharias epiſcopus Anagninus ſanctæ Romanæ eccleſiæ bibliothecarius erat. Unde vitæ Adriani III. & Stephani VI. utpote poſt ejus mortem electorum, hujus non ſunt. Onuphrius in notis ad Platinam, de Nicolao I. ait: *Ad hunc uſque Nicolaum Romanorum Pontificum vitas quæ adhuc apud me ſunt, ſcripſit Anaſtaſius monachus* (abbas monaſterii ſanctæ Mariæ trans Tiberim) *& ſanctæ Romanæ eccleſiæ bibliothecarius. Quæ ſequuntur conſignavit Guillelmus quidam, alter bibliothecarius, quæ in libro, qui ſub Damaſi nomine circumfertur, extant.* Hæc Pagius *tom. 3. crit. Baron.* ad annum 885. *num. 5.* Sed, ut ut ſit de vero auctore vitarum Leonis IV. & Benedicti III. is profecto illo ipſo tempore vivebat, quippe

quum opus iſtud non protulerit ultra Nicolaum I. Auctor ergo ille res ſua ætate, & veriſimiliter ſub ſuis oculis geſtas narrat, nec ab ullo ſcriptore coætaneo reprehenditur ut mendax, imo, ut inferius videbitur, ejus relationi mirè conſonant alii ejuſdem ævi ſcriptores, & ſuppares. Quod autem quædam Anaſtaſii exemplaria manuſc. ad Leonem IV. deſinant, conſequitur duntaxat illa exemplaria mutila eſſe, quandoquidem alia exemplaria etiam Nicolai I. continent vitam. At quod ab ipſo Anaſtaſio, ſive ab ipſo auctore de quo ſub ejus nomine hic agitur, hiſtoria Papiſſæ ſcripta fuerit, ac inter Leonem IV. & Benedictum III. repoſita, quia in nonnullis illius exemplaribus manuſcriptis, ut aiunt, antiquiſſimis legitur: quodque hanc ex illo Marianus Scotus, Sigebertus, & Martinus Polonus, deſumſerint: id, inquam, æque fabuloſum, ac eſt ipſamet narratio de Papiſſa, eſſe contendo, & exemplaria illa mſ. in quibus legitur hujuſmodi commentum, antiquiora non eſſe ſæculo 13. ubi propalari cœpit. Quis enim auctor, à ſæculo 9. ad hæc uſque poſtrema ſæcula, in patrocinium veritatis hiſtoriæ de Joanna Papiſſa Anaſtaſium teſtem unquam adduxit?

Et ſanè ipſe textus Anaſtaſii de Leone IV. Joanne Anglico ſive Joanna Papiſſa, & Benedicto III. in corruptis ejus codicibus, hiatum illum biennii & aliquot menſium præfatæ Joannæ pontificatus excludit, ut jam ſupra recitatus *col. 390.* A. demonſtravit Blondellus: verba proinde exemplaribus Anaſtaſii inſerta de Joanne Anglico, deſumta fuerunt ex codice interpolato Martini Poloni, aliiſque recentioribus. Id obſervat Fabrotus *pag. 290.* edit. regiæ, apud Philippum Labb. *to. 8. conc. col. 188. Heic interſeritur,* inquit, *vita Joannis Angli in utroque codice* (id eſt regio, & Mazarinæo, qui fuit Gabriëlis Naudæi) *ſed quia fabula hæc jam diu exploſa eſt, ideo heic expungendam duximus, ne male feriati homines exinde calumniandi occaſionem raperent: ſi quis autem ægrè ferat hanc vitam à nobis prætermiſſam, is regium codicem conſulat, ibique Martini Poloni verba interpolata leget, quæ inepti homines Anaſtaſii codicibus inſeruerunt.* Subjungenda videntur quæ habet ea de re modo appellatus *Blondellus, p. 45. & ſeqq. examinis quæſtionis de Papa fœmina.* Ex ſuperioribus, inquit, Anaſtaſium (Anaſtaſio) qui *Lothario Imperatore* vivente, *hac luce ſubtracto Leoni IV. mox* atque *illico* ſuffectum, ac exinde *Septembris 29. feria 1.* inthronizatum Benedictum III. ſcripſit, Joannæ fabulam ignotam prorſus fuiſſe, ab ejuſdemque aſſertione Anaſtaſio longius abeſſe neminem conſtare potuit. (Ad marg. apponitur: *Poſt annos decem addita ab auctore anno Domini 1647.*) Non deſunt tamen, ut nominis, ſic meriti longe maximi viri, qui eum inter Papiſſæ præcones familiam duxiſſe velint, hoc uno argumento freti, quod quum nullos fere niſi à fine mutilos (utpote in Leonis IV. elogium deſinentes) Gallia, Germania, Italia, Hiſpania, Britannia, Belgium, manuſcriptos Anaſtaſii codices reconditos habeant, fieri vero nequeat, ut unum idemque ipſis ubique locorum caſu vulnus inflictum ſit, nonniſi dolo malo, & obliterandæ de Joannæ pontificatu, quam conſervaſſe ſuſpicantur, memoriæ ſpe corrupti videantur. Ego contra, quamvis peſſimo conſilio decurtatos fuiſſe fatear lubens; eo, quem putant, fine, vel detruncatos fuiſſe, vel detruncari potuiſſe, hoc ipſo nomine pernegare cogor, quod ex integris quotquot ſuperſunt Anaſtaſii codicibus, univerſiſque coætaneis tam Græci quam Latini ſermonis ſcriptoribus, & ſupparibus, Guillelmo bibliothecario, Flodoardo, Luitprando, Hermanno, &c. quorum omnium conſpirantia ad miraculum teſtimonia mutuo ſeſe patrocinio muniunt, nullam Joannæ, quam nunquam niſi inter *entia rationis* fuiſſe demonſtravi, mentionem vel reipſa à quoquam factam, vel jure fieri debuiſſe certum eſt. Nec univerſa inedita exemplaria maligna tenebrionum male conceptis figmentis ſuave indormientium manu extrema ſui parte deminuta fuiſſe vel hinc liquet, quod in vetuſto Thuanæ bibliothecæ codice, ad imam poſtremæ, qua Leonis quarti vita clauditur, paginæ oram æque antiquo, imo exſcriptoris ipſiuſmet charactere, non Joannæ, de qua nec Anaſtaſius, nec exſcriptor cogitaverant, ſed unius Leoni IV. ſubrogati Benedicti III. nomenclatura adjecta reperiatur. Si enim pudenda ſacrilegæ meretricis in Anaſtaſiano opere expreſſa veſtigia, (ne deinceps apparerent) quomodocunque deterere animus erat, nihil cauſæ vel in ſpeciem animo effingi poterat cur Benedicti III. & Nicolai, quorum vitas nulla (quod ſciamus) infamiæ labes deturpaverat, elogia, una cum proximè præcedentis Papiſſæ hiſtoria à reliquo commentarii corpore evellere, æterniſque immeritos cum fonte tenebris damnare neceſſe eſſet. Si quis igitur hic conjecturis indulgendi locus eſſe debeat, à naſutioribus Papiſſæ patronis deſtinato conſilio reſecta ſunt ex Anaſtaſiano opere, Benedicti & Nicolai acta, ne ex iis idonea refellendo (quod propugnandum ſuſceperant) commento argumenta acutum cernentes lectores ad manum haberent. Cui enim rationis compoti qui Leoni anno 855. *Julii 17.* denato ſuffectum *mox* Benedictum, *electionis decretum Lothario Imperatori,* nocte

Digitized by Google

quæ inter Septemb. 28. & 29. interceſſit, 74. à Leonis dormitione die vivis exempto, *deſtinatum: Leone Papa defuncto Benedictum miræ beatitudinis virum & ſacratiſſimum pontificem ſuperno protectum auxilio Romanæ præpoſitum ſedi,* Anaſtaſio narrante audienti, non è veſtigio ſuboluiſſet impoſtura, ſubornatumque temerè (ut inter Leonem & Benedictum vel invita natura ſederet) ſcortum procul facere juſſiſſet! Alios rudiores tanta dementia cœpit, ut (ſuſquedeque habita Anaſtaſianæ hiſtoriæ textura, quæ nullum inter Leonem & Benedictum medium ferre poteſt) optimè cohærentia à ſe invicem quo jure quave injuria divellerent, rimamque quam impudenti conamine fecerant, expleturi, inania exinde ac prorſus ἀπϱοσδιόνυσα verba infarcire certatim auderent. Hinc factum ut nonnulla Anaſtaſii exemplaria manu exarata, à recentioribus impoſturam paſſis interpolata, & Joannæ impertinentem mentionem habeant, & præſtantiſſimis verique ſtudioſiſſimis viris impoſturam uſque nunc faciant.

Anno Domini plus minus 1600. quum Auguſtanæ reipubl. lumen Marcus Velſerus Anaſtaſium nunquam antea editum Albino typographo Moguntino excudendum tradidiſſet, commendatæ editionis procuratores Jeſuitas (Jeſuitæ) litteris ad ampliſſimum totaque Europa celeberrimum Marquardum Freherum datis, Heidelbergenſium codicum copiam ſibi fieri rogarunt, ea lege ut quicquid communicatis codicibus expreſſum invenirent, bona fide publici juris facerent: voti compotes redditi, conditionem nonniſi in ſpeciem impleverunt, eo nomine à Frehero, os ſibi præter ſpem peniſſume ſublitum querente publico ſcripto exagitati, cujus hodie (poſt direptam Palatinam bibliothecam, avectamque librariam prædam) ne minimus apex oſtendi poteſt, ſed ſola in Freherianæ indignationis teſtium animis reſtat memoria. Totum hoc falſi arguit Philippus Labb. *tom. 8. concil. col. 193.* Refert primum verba Marcſii quæ hujuſmodi ſunt: *Quum editores Moguntini obtinuiſſent à Marquardo Frehero copiam ſibi fieri aliquot manuſcriptorum Anaſtaſii, quæ tum erant in Palatina bibliotheca cum Joannæ elogio, ſub fide data quod publici juris facturi eſſent quidquid illis contineretur, fucum ipſi fecerunt, ſubmiſſis quidem duobus exemplaribus editionis ſuæ cum iſto Joannæ elogio in bibliothecam Palatinam inferendis; ſed eo ſuppreſſo in cæteris, qua de re publice queſtus fuerit Freherus.* Duo autem illa exemplaria anno 1622. in bibliothecæ Palatinæ direptione perierunt. Sed, inquit Labbeus, quis ab anno 1602. uſque ad 1622. ea vel per ſomnium vidit! quis meminit,

A antequam Salmaſius (hoc commentum obtruderet!)..... Si Marquardus Freherus Jeſuitis reconciliatus, & tantum non catholicus effectus, ſiluiſſet, an idem (ſilentium ſervaſſent Proteſtantium) Miniſtri.... Heidelbergenſes, Marpurgenſes, Francofurtenſes..... in tota Germania, Belgio, Anglia, Helvetiis, & Geneva in qua vivebat adhuc Theodorus Beza! An non occaſio maxima triumphandi de Jeſuitis impoſtoribus!...... An nulli tunc Heidelbergæ, Neoſtadii, Hanoviæ characteres typographici, refrixerant præla, deſierant B nundinarum Francofortenſium vernarum & autumnalium catalogi! Tantine erat unam, alteram-ve pagellam excudere, teſtem impoſturæ, vindicem veritatis Papiſticæ!.... Ne ipſe quidem Salmaſius (qui hoc primus aſſeruit) auſus eſt dicere ſe vidiſſe exemplaria illa Jeſuiticæ editionis, aut Anaſtaſii codices Joannæ elogio imprægnatos, licet omnes forulos pluteoſque bibliothecæ Palatinæ per multos annos Heidelbergæ commoratus excuſſerit, legerit, exſcripſerit. An non illud venerandæ novitatis κειμήλιον, aut in præfa- C tione, aut in notis ad Barlaami ac Nili ſchiſmaticorum adverſus Romanum Pontificem libellos commode addi aut inſeri potuiſſet anno 1608. ſi tum in ore omnium ſermonibuſque fraus illa Jeſuitica viguiſſet! Verum tunc vivebant Velſerus & Freherus; tunc adhuc integra erat bibliotheca Palatina, nec dum cunabulis fabulæ illius ſat aptus locus. Expectandus erat annus 1622. quo bibliotheca illa direpta, & plerique ex ea in Vaticanum theſaurum avecti codices curante Leone Allatio: quo Velſerus & Freherus non D erant ſuper, quo inveteratus malorum Pareus delirabat morti proximus, aut ad plures abierat cum Grutero qui præ ſtudio in Papam ac Jeſuitas hactenus ſuppreſſerat, nec ulli qui vidiſſe ſe dixerit oſtentarat, ſecreti ſcilicet ac ſilentii, quo haud dubiè ſub grandi & horrendo jurejurando adactus fuerat à Marquardo Frehero, ſervantiſſimus.... quo denique vix ullus ſupererat qui rebus illis præſens interfuiſſet. Scribantur iſta vetulis.... in piſtrinis tonſtriniſque.... divulgentur: at apud veritatis ſtudioſos atque eruditos lectores æterno ſilentio, E ut-pote falſiſſima, obruantur. Addit Labb. *col. 215.* extractum ex Claudii Saravii epiſtolis ad Claud. Salmaſium *pag. 172. edit. Pariſ.* Data epiſtolæ eſt, *Lutetiæ Pariſiorum 29. Septembris 1645.* proindeque biennio antequam Blondelli Gallicus liber excuderetur. « Accipe, *inquit in ea epiſtola Saravius,* quod te non mediocri perfundat ſtatim lætitia; « ſed neſcio an ſincera, aut diuturna. Penes « me jam eſt è bibliotheca regia codex manu- « ſcriptus Anaſtaſii bibliothecarii, in quo diſertis « verbis

Digitized by Google

» verbis legitur vita Joannæ Papiſſæ, quam
» huic epiſtolæ cum Deo adtexam. In charta
» pergamena ſcriptus eſt manu valde recenti,
» ut-pote quæ Paparum ſeriem ad Martini V.
» tempora deduxerit. In principio ſatis belle
» illi convenit cum editione Moguntina anni
» 1602. ex M. Velſeri codice procurata: in
» ſequentibus multæ reperiuntur varietates, &
» habet plurima editus, quæ in regio deſide-
» rantur. In vita Benedicti III. hæc leguntur,
» quæ ex ipſo exemplari deſcribam cum ſuis
» mendis: *Leo quidem hac luce ſubſtractus præſul*
» *occubuit. Mox enim omnis clerus, &c.* Hæc
» ſunt moleſta; ſi enim Leone mortuo, *mox*
» clerus, populus ac ſenatus congregati elege-
» runt Benedictum, quis locus intermedius
» Joannæ relinquatur? Quin inde patet quod
» de ea ibi dictum eſt, aſſumentum eſſe hominis
» otio abuſi. In epiſtola dedicatoria ad Velſe-
» rum, typographus Joannes Albinus alios duos
» locos citat ex vita Nicolai I. & Adriani II. qui
» in ejus editione extant *pp. 306. & 329.* quibus
» idem omnino evincatur: Leoni nempè *im-*
» *mediate* ſucceſſiſſe Benedictum: at in manuſc.
» noſtro non comparent. Contractior quippe
» eſt narratio geſtorum iſtorum pontificum in
» ſcripto, quam in edito. Hæc volui neſcius ne
eſſes.» Pergit Blondellus: Illati litterariæ reipublicæ damni jacturam reſtitui poſſe, deſpondere propemodum cogebamur; ſed ſimul ac bibliothecæ regiæ cura Puteanis fratribus in ſtudiorum omnium commodum natis, ſuoque merito illuſtribus, commiſſa eſt, nova reſarciendi damni ſpes, nec fruſtra, blandiri viſa eſt. Repertus enim (codex) elegantiſſima manu, poſt Martini (V.) in quem deſinit dormitionem, de vitis pontificum ſcriptus, & centonario opere ex Anaſtaſio, Pandolfo Piſano, Martino Polono, recentioribuſque aliis, ad annum uſque 1431. quo Martinus V. Februar. 21. vivere deſiit, conſarcinatus: ex quo ad pleniorem veritatis demonſtrationem ὑποσπασμάτιον ſequens cum ἀνακρίσει hic apponere placuit.

Quædam ſupra retulimus *coll. 390. & 391.* quæ ex illo exemplari de Joanna Papiſſa deſcripſit Blondellus: addo hîc quod idem ſubjungit, *p. 52. Illico vero alacri ſtudio, &c.* (quæ verba ſunt Anaſtaſii de Benedicti III. electione in eo manuſc. contenta: & ad marg. notat: *Si illicò in Calliſti titulum* ad Benedictum electum *properavere* Romani; poſt biennii, & quod excurrit, moram nequaquam dilata eſt ejus electio.) Et poſtea: *Nam quum eſſet electus* (ad marg. hæc [nimirum & quæ ſequuntur] exſcriptoris ſunt, non Anaſtaſii) *factione epiſcoporum* (ad marg. factio fuit primum Arſenii Eugubini epiſcopi, qui Nicolaum Anagninum & Mercurium magiſtrum Romanæ eccleſiæ A legatos in partes [Anaſtaſii antipapæ] traxit; hi Hortæ, *Arſenio cogente epiſcopo,* illo ſcilicet qui primus ſceleris artifex fuerat, cum Adelberto & Bernardo Comitibus Anaſtaſio nomen dederunt. Acceſſere tandem Radoaldus Portuenſis & Agatho Tudertinus) *factione epiſcoporum Radoaldi Portuenſis & Arſenii Hortenſis factum eſt ut à legatis Imperat. Ludovici & Lotharii* (ad calcem paginæ. Quod, ex Anaſtaſii mente, Imperatorum legatos Romam, poſt electum Benedictum, miſſos refert interpolator, Joannæ patronorum cauſam ju- B gulat: quum enim à Lothario, qui 74. poſt Leonis dormitionem die vita exceſſit, miſſi ſint, inter Leonem & Benedictum Leoni Lothario vivente ſuffectum, medius nemo, ſive per biennium, ſive ad ſolum momentum ſedit, aut ſedere potuit.) *Cardinales cogerentur multis injuriis & criminationibus, & gladiorum ſuper ſe evaginationibus, Anaſtaſium quem IV. Leo depoſuerat ſibi promovere pontificem.* (Ad marg. *pag. 53.* De *omnibus epiſcopis* qui *in Æmilianæ titulo* cum clero & plebe Septembris 23. fer. 2. *convenerant,* hæc Anaſtaſius: C *Auguſti* [Ludovici] *legati, &c. erectis jaculis eos conabantur elidere enſibuſque punire.* De Rom. eccleſiæ *Cardinalibus,* nihil: hoc unum ad *Cardinales* ex hodierno uſu trahi poſſit, quod *Oſtiæ & Albani antiſtites introduxerunt, &c. quibus ſtridula voce dicebant, nullatenus vitam poſſidere poteſtis, ſed capitali ſubjacebitis ſanctioni, niſi conſecrationis Anaſtaſio gratiam dederitis.* Sed hoc nihil ad Joannam.) Poſtquam autem de Nicolao I. & Adriano II. Blondellus quædam ex eo manuſcripto breviter proſequutus eſt, & obſervationibus ut D ſupra expendit, ſic tandem concludit *p. 54.* Hæc ad ſpecimen, ne quis, ſive per ſe, ſive per alios, in manuſcriptum regium deinceps incidens, vel ſincerum & incorruptum Anaſtaſium ſe nactum putet, vel ejus qui centones ex Anaſtaſio, aliiſque nonnunquam compugnantibus, farcire aggreſſus eſt, fidam ubique diligentiam putet, &c. Porro dum opuſculum illud ſuum Blondellus contra Joannam Papiſſam ſcribebat, calamum quoque ſtringebat adverſus primatum Romani pontificis, teſte auctore præfationis Latinæ diſſertatiunculæ E affixæ: ex quo manifeſtum fit, non ſtudio illum catholicæ communionis hominibus placendi hunc inſumſiſſe laborem, ſed ſolo veritatis amore ſibi ea in re conſpicuæ.

Nec contigit, quod quidam adverſarius autumabat, ipſum ob lucubrationem illam minoris factum inter Proteſtantes, ſaltem à peritioribus eorum (improbatum:) quin è contra illorum plurimi, præjudiciis retro miſſis, ejus ſententiam fuerint amplexi. Sic idem præfationis citatæ auctor: *Quod revo-*

BIBLIOTECA

cantes ad animum multi alii, inquit poſt medium pag. litt. d 5. inſcriptæ, *etiamſi antea credidiſſent olim Romæ fuiſſe Papam fœminam, tamen lecto Blondelli libello, & rationibus quas affert maturi judicii lance expenſis, non dubitarunt priſtinæ ſententiæ nuntium mittere, quidam etiam ipſi gratias egerunt quod ſe ab errore in quo fuerant liberaſſet, &c. Inter eos qui lucubrationem iſtam probarunt, primus recenſeri meretur clariſſimus Boxhornius, qui in hiſtoria univerſali, quum ad tempora veniſſet quibus Papiſſa thronum conſcendiſſe dicitur, & retuliſſet quæ varii auctores de illa prodiderunt, tandem ſubjungit:* Hæc dum ſub prælo ſunt, prodit, ecce, viri antiquitatis eccleſiaſticæ peritiſſimi, Davidis Blondelli liber, in quo de hac controverſia diligenter & accuratè agitur, an nempe Joannes fœmina in catalogo Pontificum Romanorum, Leonem IV. inter & Benedictum III. locum habere debeat. Hoc autem diſerte negat. Controverſiam iſtam ego hic meam non faciam, alibi forte & alias de ea acturus. Unum id modo hic ego pronuntiaverim, non deeſſe magni ponderis argumenta iis qui falſi hanc hiſtoriam arguunt...... Et *in lemmate marginali:* De Joanne VIII. ſive fabula, ſive hiſtoria; nam ut alia jam non dicam, an Athenæ *(ubi de Johanna dicitur litteris operam dediſſe)* tunc eædem quæ veteres! quis id affirmare auſit! *Relatum eſt mihi etiam de duobus doctiſſimis & integerrimis viris, Academiæ Helmſtadienſis profeſſoribus, Georgio Callixto, & Hermanno Conringio, eos Blondelli diatribæ calculum ſuum adjeciſſe. Nec dubito quin multi quoque alii, de quibus nihil audivi, idem apud ſe ſenſerint, nempe omnes docti, qui ad ejus lectionem animum præjudicio & affectibus vacuum attulerunt. Unde apparet à vero alienum eſſe quod cenſor objicit, omnes Proteſtantes offenſos iſto Blondelli libello fuiſſe. Si aliquos dixiſſet, largiremur ultro. Nullum enim ea de re eſt dubium: quanquam poſtea examinandum reſtaret an merito inde offenſam cepiſſent. Nihil enim tam recte dici poteſt, ut omnium palato arrideat, præſertim ſi vitioſo aliquo humore infectum ſit. Sed quod omnes offenſos affirmat, falſiſſimum eſt, & ab eo magna cum temeritate pronuntiatur; cum forte vix unius aut alterius è mille ſententiam norit. Ego inter Proteſtantes natus & educatus fui, atque in eorum communione in hunc uſque diem perſevero, & hactenus quod vulgo de Johanna Papiſſa ferebatur verum eſſe opinatus ſum; nec tamen ex Blondelli libello, quum primum prodiit, ullam offenſionem cepi. Sed depoſito omni præjudicio, ut ſerios veritatis indagatores facere oportet, me ad ejus lectionem accinxi, & cum Boxhornio animadverti,* non deeſſe magni ponderis argumenta iis qui falſi iſtam hiſto-

A riam arguunt. *Idem fecerunt plurimi alii ex Proteſtantium numero non indocti viri, quorum aliquos novi; à quibus, etſi contraria imbuti eſſent opinione, rationes ejus aſſenſum extorſerunt, &c.* Et rurſus: *Si Deus.... Nicolaum Vignerium ad hæc uſque tempora ſuperſtitem eſſe voluiſſet ut Blondelli opus legeret, nullam etiam inde offenſionem concepiſſet* (ut pote qui ait:) expectans donec tempus hujus facti veritatem apertius revelet, interim cum Onuphrio, Joannem iſtum (fœminam) è Pontificum catalogo expungam, &c. *Nec offenderetur etiam magnus* B *Chamierus, è Panſtratia ſua catholica per totum orbem Chriſtianum notus, ſi nunc in vivis eſſet. Nam quum aliquando à docto viro verbi Dei miniſtro eſſet interrogatus, quid ſibi de Johanna Papiſſa videretur, rotundo ore reſpondit:* fabula eſt.... Et iterum: *Quæram, periti-ne an imperiti offenſi fuerint! imperitos, credo,* (ille Blondelli cenſor) *non audebit dicere, quum tales homines ad ſuffragia non debeant nec ſoleant admitti; & pluris fieri debeat Vignerii, Chamieri, Boxhornii, quam millenorum aliquot è vulgo judicium. Oportet igitur ut peritos dicat* C *fuiſſe offenſos, ſi quid promovere velit. Sed hic aqua ipſi hærebit, quum de nullo id probare poſſit. Nam ſi doctis tantopere diſplicuit iſte liber, qui factum eſt, quod ex magno eorum numero non unus ſaltem in arenam prodierit, & ſe ad eum refutandum accinxerit! Quid facilius erat, ſi bona fuiſſet cauſa! opuſculum eſt breve, & de trium aut quatuor præcipuorum argumentorum examine tantum agebatur, quibus everſis cætera omnia minutiora corruere neceſſe eſt. Quum primum ejus fama ad clariſſ. Salmaſii, diffuſiſſimæ eruditionis, ut omnes ſciunt, viri aures perveniſſet,* D *excidit ipſi ut parum conſiderate diceret:* Tradatur, tradatur mihi liber, ego illum uno halitu difflabo. *Quid factum eſt! Blondellus bonæ cauſæ confiſus, miſit ad eum autographum ſuum, quod unicum habebat; nimirum iſtud ipſum ex quo typis nunc fuit deſcriptum, ea lege tradens, ut cum ſua reſponſione, ſive ante, ſive poſt, curaret ipſum fideliter, abſque ulla mutatione, additione, aut detractione excudi. Accepit conditionem Salmaſius, & ſex annos in poteſtate ſua habuit, uſque dum naturæ debitum perſolveret. Sed licet eſſet in ſcribendo* E *promptiſſimus, ne lineam quidem unam adverſus ipſum exaratam in ſchedis ſuis reliquit. Unde liquet magnum iſtum virum, ſcripto Blondelli maturiore cum judicio expenſo, agnoviſſe non ita facile eſſe refutatu, ut initio opinatus erat, & ſententiam, aut univerſim de quæſtione iſta mutaſſe, aut ſaltem reſpondendi propoſitum abjeciſſe. Quamvis etiam D. Andreas Rivetus editum eſſe ægre ferret, ut in ſuis ad me litteris non ſemel teſtatus eſt, & valde cuperet reſponſum aliquod, ſive à Salmaſio, ſive ab alio quopiam,*

Digitized by Google

ipſi objici: poſtea tamen attentius conſiderans quam ſolidis niteretur fundamentis, dixit: valde ſe dubitare an bene ei reſponderi poſſet, & cum lectoris cordati ſatisfactione. *Quum ergo duo tam docti viri ſolide refutari poſſe deſperarint* (Blondelli opuſculum) *quæro jam ex cenſore, an merito ejus auctor, Proteſtantium, ſive omnium, ſive quorumdam, idcirco offenſam incurrerit!* Huc uſque hujus diſſertationis tranſlator de Gallico ſermone in Latinum qui eam edidit anno 1657.

Claudius Saravius in epiſtola ad Claud. Salmaſium, data 18. Jan. 1648. *tom. 8. conc.* B *Labb. coll. 216.* E. *&* *217.* A. ſic illi loquitur: «Noli autem credere primum aut ſolum è noſtris (Proteſtantibus) Blondellum ita ſenſiſſe. Fuere olim in eadem ſententia non incelebres, & adhuc vivunt in hac urbe inſignes viri qui audierunt ex ore Chamerii, ſe iſtam hiſtoriam vulgo creditam, fabuloſis deputare. Vidi nuper ſcriptas litteras Petri Molinæi, quibus idem ſemper ſibi eſſe viſum affirmabat. Multa certe quum ſcripſerit quibus Romanum ſuggillaverit pudorem, ab iſta tamen fœmina ſemper manum abſtinuit, & poterat tamen C vir non infacetus alicujus joci inde capere occaſionem. Penes me ſunt litteræ Samuelis Bocharti, quibus teſtatur ſibi eſſe pro comperto vanum eſſe & fictitium, quidquid hactenus de ea ſit proditum. Quanti autem ſit trium iſtorum auctoritas, facile intelligis. Poteris viciſſim, ſatis ſcio, innumeros nobis opponere. Sed vide num illi præcedentium gregem ſequuti, rem minus exacte conſideraverint. Omnino tutius eſt, recentioribus omiſſis, in antiquis, & coætaneis præſertim, quid tenendum ſit, quærere. Unus Anaſtaſius, D ſibi conſtans, poſſit rem conficere, &c.» Ex his porro colligitur, multorum inter ipſos etiam Proteſtantium doctiores viros ſententiam eſſe de Joanna Papiſſa, hiſtoriam hanc nullo reipſa alicujus momenti inniti fundamento, & jure explodendam. Concludendum igitur ex hactenus dictis, ſic alienum fuiſſe ab inſerendo Joanne Anglo ſive Moguntino, Leonem IV. inter & Benedictum III. Rom. Pontifices, Anaſtaſium bibliothecarium, ut (in ipſis corruptis & interpolatis ejus codicibus mſſ. hiſtoriam Papiſſæ, ex chronico Martini E Poloni maculato ſimiliumque operibus poſt ſæculum duodecimum exaratis, extractam continentibus,) narratio fabulam iſtam ſubſequens, hiatum biennii & aliquot menſium hujus fœminæ Pontificatus prorſus excludat. Huic concinunt ſcriptores alii, tum qui eodem ſæculo, tum qui in ſequentibus floruere.

Secundo itaque, Hincmarus in epiſtola 26. ad Nicolaum I. Benedicti ſucceſſorem, quæ extat *tom. 2. edit. concil. Gall. Sirmundi pag.* A *298.* In ea, inquam, ſic ſcribit: *cum illa epiſtola, & cum legatione Imperatoris* (Lotharii) *per præfatum vener. epiſcopum* (Petrum Aretinum) *Miſſos meos cum litteris, quarum exemplar habeo, de petitione epiſcoporum, & de aliis meis petitionibus, Romam direxi; quibus in via nuncius venit de obitu Papæ Leonis. Pervenientes autem Romam cum præfatis litteris* (apud Baronium ad annum 867. *num. 32.* legitur cum *fratris* litteris, ſed mendum eſt exſcriptoris vel typographi ex aliis exemplaribus corrigendum, in quibus habetur *præfatis*) *& intervenientibus prædictis epiſcopis* (Petro Spoletano & Petro Aretino) *Domnus nomine & gratia Benedictus mihi quod noſtis, privilegium inde direxit.* Quum igitur miſſi ab Hincmaro ad Leonem IV. nuntii, qui ejus obitum in via acceperunt, pervenientes Romam electum repererint, non Joannem Anglum ſeu Papiſſam, ſed Benedictum III. à quo privilegium quod poſtulabat Hincmarus, obtinuerunt; evidens eſt ſtatim poſt Leonis IV. mortem ipſi ſucceſſiſſe Benedictum III. non vero poſt duos ab hinc annos & quinque menſes, quibus Joanna ſederit. Nam ut argute diſſerit Blondellus *pag. 19.* etſi teſtudineo, quem grandire (id eſt velociorem efficere) nemo potuerit, gradu, mediam (illos Miſſos) nec totam inter Remos Romamque viam permenſos fuiſſe velimus..... (quæ) bimeſtri tempore facile confici (poterat) quibus in latebris per menſes 27. dormierint! Hanc phraſim *grandire gradum* uſurpatam obſervat Labbeus *tom. 8. concil. col. 195.* ex Plauto qui alicubi ait: *Si hodie hercle fuſtem cepero, aut ſtimulum in manum, teſtudineum iſtum tibi grandibo gradum.* Auctor diſſert. Gallicæ ex ſimili latina D. de Spanheim deſumtæ, contra hanc Hincmari epiſtolam objicit, poſt Mareſium Proteſtantem, cui vix quicquam addit quod jamdudum non diluerit præfatus Labbeus *tom. 8. conc. à col. 187. ad 214.* objicit, inquam, nulla hujus reſponſionis Labbei, de quo tamen hic loquitur, facta mentione, quaſi ipſe aliquid novi afferret (præter nonnullas varietates quæ in editionibus hujus epiſtolæ deteguntur, vitio indubie ſive exſcriptorum, ſive typographorum; vel etiam quod quædam exemplaria mutila ſint, aut tranſumta non integra, ut in codicibus mſſ. frequentiſſime occurrit, quæ mutuo ex aliis exemplaribus emendari opus habent) *veriſimile eſſe* (quæ ſunt Mareſii verba *col. 194.*) *Petrum Aretinum epiſcopum, & Hincmari Rhemenſis archiepiſcopi Legatos, accepto in via nuncio de obitu Leonis Papæ, aut ſubſtitiſſe* (per duos utique annos, menſes quinque, & dies quatuor, quibus poſt Leonem IV. ſediſſe ſupponitur Papiſſa) *aut*

Rhemos ad Hincmarum rediiſſe novorum mandatorum conſequendorum gratia.

Verum eos nihilominus Romam ſe contuliſſe, Hincmarique litteras Benedicto porrexiſſe, colligitur ex illis ejuſdem Hincmari epiſtolæ ad Nicolaum I. ſupra adductis verbis: *Pervenientes autem Romam cum præfatis litteris, &c.* Quoniam tamen interim didicit Hincmarus Leonem obiiſſe, eique ſubſtitutum Benedictum, epiſtolam aliam protinus & ſpecialem ad Benedictum III. miſit, qua confirmationem geſtorum in ſua ſynodo Sueſſionenſi anno 853. quam eo uſque denegaverat Leo, rurſus peteret. Id quidem tunc per ſubreptionem à Benedicto impetravit Hincmarus, & ſub ea lege quod nihil expoſuerit niſi verum, quemadmodum ex ipſamet Benedicti epiſtola reſponſoria inculcat Nicolaus in ſuis litteris, tum ad ſynodum Sueſſionenſem III. anno 866. tum ad ipſum Hincmarum eodem tempore ſcriptis, & inferius laudandis.

Ad id vero quod ſubdit idem auctor diſſert. Gallicæ, apud Mezeræum in hiſtoria Gallica Regum Franciæ legi, à Lothario dimiſſum imperium *aliquot menſibus,* antequam ex hac vita migraret in fine menſis Septemb. anni 855. equidem ſic ſcriptum *tom. 1. fol. edit. Par. 1685. pag. 549.* non inficior, at mendum eſſe ſuſpicor, quo vox gallica *mois* menſes, pro altera *jours* dies, exſcriptoris vel typographi incuria poſita fuerit; id enim palam eſt ex pagina ſuperiori 548. in qua auctor iſte hæc aſſerit quæ ſenſum iſtum latinè conficiunt. *Honorum mundi pertæſus, Imperiali derepente nuntium remiſit dignitati, ejuſque inſignia in veſtem mutavit monachalem, quam induit in Monaſterio Prumienſi. At pridie quam in illud monaſterium ſe reciperet, accerſitis coram ſe tribus filiis, illis bona adprecatus eſt, præclaraque in hunc modum ſubjunxit monita, &c.* Non dimiſit ergo imperium Lotharius, teſte Mezeræo, niſi quum monaſterium Prumienſe ingreſſus eſt, in eoque habitum aſſumſit religioſum: id autem non aliquot menſibus contigit ante ejus obitum, ſed in fine menſis Septembris anni præfati 855. & ſex ſolum, ſive paucis diebus priuſquam moreretur, ut annales Bertiniani, aliique hujus temporis ſcriptores tradunt, à quibus recedere ſe Mezeræus minime innuit. Fragmentum extat hiſtoriæ Francicæ, à morte Ludovici Pii (anno 840.) uſque ad Ludovicum II. dictum Balbum, ex mſ. codice bibliothecæ Thuanæ deſumtum, apud And. Ducheſn. *tom. 2. monum. Franc. pag. 402.* qui ait ad marg. ex Adonis chronico, hiſt. Aimoini, & quibuſdam aliis conſarcinatum eſt. *Lotharius Imperator infirmari ſe conſpiciens, regnum inter filios dividit. Karolo minori Provinciam & A partem Burgundiæ; Lothario medio filio ſedem ſuam, Ludovico Imperatori Italiam conſignari jubet. Ipſe vero Promiæ monaſterium, regno temporis ſe exuens, ingreditur tonſoratus ac monachus effectus, aliquibus diebus interpoſitis defungitur anno ab Incarnat. Dom. 855. imperii vero 30. atque ibi in baſilica ſancti Salvatoris à fratribus reverenter humatur.* Et paulo poſt: *Et Pontifex Romanus Gregorius moritur, atque ejus loco Sergius ordinatur. Illo defuncto Leo ſuccedit. Quo obeunte, Benedictus in ſede Apoſtolica ſubſtituitur, jam tamen defuncto B Lothario Imperatore,* (quia ſcilicet Lotharius obiit die 27. aut 28. Septemb. Benedictus vero ordinatus eſt die 29. ejuſdem menſis.) Annales Fuldenſes, ab anno 714. ad 900. ex editione P. Pithœi, cum germanica Marq. Freheri collata, & pleriſque in locis auctiore reddita, *ibid. à pag. 531. ad pag. 585.* ſic habent pag. 553. *Hlotharius Imperator renuntians omnibus quæ habuit, Prumienſe monaſterium ingreſſus, effectuſque ibi monachus, VI. kal. Octobris mortalem hominem exuit, & ad vitam perrexit æternam.* Annales Bertiniani ab anno C 741. ad annum 882. ex codice vetuſtiſſimo monaſt. S. Bertini, *tom. 3. Andr. Duch. à pag. 150. ad pag. 261. Lotharius infirmatur,* inquiunt ad annum 855. *pag. 208. qua de re occaſio data eſt Ludovico & Karolo fratribus, ad concordiam redeundi.* Et poſtea: *Lotharius Imperator morbo correptus, vitamque deſperans, monaſterium Promeæ in Arduenna conſtitutum adiit, ſæculoque & regno penitus abrenuncians tonſus eſt, vitam, habitumque monachi humiliter ſumens: diſpoſitoque inter filios qui ſecum morabantur regno, ita ut Lotharius cognomen ejus* D (id eſt Lotharii, ut ipſe, nomine inſignitus) *Franciam, Karolus vero Provinciam obtineret, intra ſex dies vita deceſſit IV. calendarum Octobrium, atque in eodem monaſterio ſepulturam, ut deſideraverat, conſequutus eſt.* Annales Metenſes ab anno 687. ad 904. in monaſterio ſancti Arnulphi Metenſis ſcripti: Ex veteri codice manuſcripto P. Sirmundi, *ibid. à pag. 262. ad pag. 333. Anno Dom. Incarn. 855.* inquiunt *pag. 304. Lotharius, convocatis primoribus regni, imperium filiis ſuis diviſit, & Ludovico Italiam tradidit eumque* E *Imperatorem appellari fecit. Æquivoco vero ſuo,* (id eſt Lothario) *regnum quod ex ſuo nomine vocatur, conceſſit. Karolo autem, qui junior natu erat, Provinciæ regnum largitus eſt. Diſpoſitis itaque atque ordinatis regni negotiis, valedicens ſuis, ſæculum reliquit, atque in Prumium monaſterium veniens, comam capitis depoſuit, habituque ſanctæ converſationis ſuſcepto, in religionis profeſſione diem clauſit extremum III. calend. Octobris.* Eadem, iiſdemque verbis, Regino Prumiæ abbas anno 892. tomo rerum

Digitized by Google

Germanic. Joan. Piſtorii *pag. 42.* Chronicon Hildenſheimenſe ab anno 714. ad 1138. ex codice membraneo Biblioth. regiæ, *ibid. à pag. 504. ad pag. 539.* (Anno) *855.* inquit *pag. 510..... Lutharius rex tonſuram & monachicum habitum ſuſcepit moriturus.* Quum hi annaliſtæ non conveniant inter ſe de die mortis Lotharii, quem alius III. cal. Octob. id eſt, die 29 Septemb. contigiſſe ſcribit; alius IV. cal. Octob. id eſt, die 28. Septemb. & alius VI. cal. Octob. id eſt, die 26. Septemb. monet Pagius *tom. 3. crit. annal. Baron.* ad annum 855. *num. 13.* vereſimilius eſſe Imperatorem illum obiiſſe IV. cal. Octobris, id eſt, die 28. Septembris, pridie quam ordinaretur Papa Benedictus III. & III. cal. Octob. ſepultum fuiſſe. Auctorum vero, alios quidem ad diem mortis ejus, & alios ad ejus ſepulturæ diem, quæ ſæpe apud ſcriptores pro die mortis ſumitur, reſpexiſſe. Addit numerum IV. Romano modo exaratum, frequenter quoque ab exſcriptoribus in numerum VI. (& vice verſa) per tranſpoſitionem litterarum commutari: præter quam quod Lotharius fortaſſe deceſſerit, nocte inter IV. & III. cal. Octob. id eſt, inter diem 28. & diem 29. Septemb. ſicque duplicis hujus diei aſſignationi occaſionem præbuerit. Verum hæc teſtimonia, ni fallor, abunde monſtrant Lotharium Imperatorem, licet paulo antea de regno ſuo diſpoſuerit, non tamen quibuſdam ante mortem menſibus imperio nuntium remiſiſſe, ut id factum menſe Julio jure dici poſſit, ſed paucis duntaxat ante obitum diebus, quum habitum monachi induit: ſubindeque Mezeræum qui proculdubio ab annaliſtis veteribus ſine ratione non receſſit, de *aliquot diebus* eſſe intelligendum, non de *aliquot menſibus.* Cæterum neſcio an auctor diſſertationis Gallicæ de Joanna, qui Mezeræi ſuffragium tanti videtur facere, adverterit eidem paulo ſupra, *pp. hujus edit. in-fol. 546. & 547.* totam Papiſſæ hiſtoriam, quam ait à Mariano Scoto primum recenſitam undecimo medio ſæculo, doctiorum virorum, multorumque Proteſtantium judicio, ridiculam eſſe fabulam.

Tertio, Lupus abbas Ferrarienſis, *epiſt. 103.* quæ extat *tom. 2. monum. Francic. Andr. Ducheſn. pag. 778.* ſic loquitur, ad ipſum Benedictum III. ſcribens: *Ad Dominum Apoſtolicum.* Vitilitigat quidem auctor diſſert. Gall. de Papiſſa, ex eo quod in aliqua editione additæ reperiantur voces *Benedictum III.* quæ deſunt in manuſcripto antiquiſſimo ex quo Baluzius hanc epiſtolam typis mandavit, ideoque ſuſpicatur hanc epiſtolam fortaſſis ſcriptam fuiſſe ad *Joannam Papiſſam,* à qua, ut pote in humanioribus litteris plurimum erudita, poſtulat ut ſibi mitteret ad

A tempus opera quædam Ciceronis, Quintiliani, Terentii, &c. Joannis autem nomini ſubſtitutum fuiſſe Benedictum, qui tamen ſpeciali litteraturæ profanæ fama non floruit ut ille Joannes. Sed hæc gratis omnino proferuntur, & nomen Benedicti in quibuſdam mſſ. additum, ſoli eorum exſcriptori eſſe tribuendum, eo quod epiſtola hæc revera ad illum Pontificem à Lupo directa fuerit, patet ex editione Ducheſniana quam nunc producimus, in cujus titulo deeſt, *Benedictum III.* & nihilominus conſtat ad eum fuiſſe ſcriptam, B ſic enim poſt titulum illa epiſtola incipit: *Domino præcellentiſſimo, & omnibus Chriſtianis unice ſingulariterque venerando, univerſali Papæ Benedicto, ultimus abbatum Lupus, ex monaſterio Galliæ quod vocatur Bethleem, ſive Ferrariæ, præſentem proſperitatem & futuram beatitudinem. Tempore deceſſoris veſtri beatæ memoriæ Leonis, functus legatione Romæ, cui auctore Deo præſideatis, & ab eodem antiſtite exceptus benigne atque tractatus; poſtquam vos non eſſe inferiores religione fama declaravit, nec tantum poteſtatis beatiſſimi Petri participes,* C *verum etiam humilitatis quam in allocutione Cornelii* (Centurionis) *vulgavit hæredes, vera morum veſtrorum expenſio certa ratione edocuit; auſus ſum ego tantillus cognitioni veſtræ ſublimitatis me ſcriptis ingerere, &c.* Ex ea epiſtola palam eſt Leoni IV. Benedictum III. immediate ſucceſſiſſe, excluſa Joanna.

Quarto, concilium Tullenſe I. quod ab epiſcopis provinciarum duodecim, aſſidentibus Carolo Calvo, ejuſque nepotibus Lothario & Carolo regibus, celebratum eſt in ſuburbano Tullenſi, villa Saponarias, menſe D Junio, indict. VII. hoc eſt, anno Chriſti 859. (quatuordecim poſt obitum Benedicti III. menſibus,) Nicolai I. (ejus ſucceſſoris) anno 2. ejuſdem Caroli Calvi anno 19. & nepotum fratrum 4. hæc habet in epiſtola quam ſcripſit ad epiſcopos Britonum qui à metropolitano ſuo deſciverant, *tom. 8. conc. P. Labb. col. 695.* C. D. *Sacris inſtitui canonibus, non ignoramus, metropolitano veſtro, chariſſimo fratri noſtro Herardo, competentem reverentiam vos debere, ita ut præter ejus præſentiam aut conſenſum nullus in regione veſtra canonice poſſit* E *ordinari epiſcopus, nec vos generale aliquid ſine ejus conſenſu poſſe ſancire. De qua reverentia, ſalubriter à vobis & à gente veſtra metropolitano impendenda, tempore Nomenoii ducis, & reverendiſſimi Papæ Leonis, & ſucceſſoris ejus Benedicti, ſcripta docuerunt, & refragantibus Apoſtolicæ auctoritati dignam excommunicationis protulerunt ſententiam.* Non noverant illi epiſcopi plus quam quadraginta, inter quos extabat Hincmarus Remenſis, biennium pontificatus Joannæ quæ in Leonis locum

immediate ſuffecta fuerit, antequam Benedictus ſedem Apoſtolicam obtineret.

Quinto, Nicolaus I. immediatus ſane Benedicti ſucceſſor eum expreſſe teſtatur in ſuis epiſtolis Leoni IV. defuncto ſubſtitutum. Sic enim epiſt. 2. quæ extat ad Michaelem Imperatorem Conſtantinopolitanum, ait *to. 8. concil. P. Labb. col. 273.* C. D. *Et ut in omnibus rectus ordo ſervari queat, volumus, ô clemens Auguſte, ut Ignatius,* (Patriarcha Conſtantinopolitanus) *quem ſedis ſupradictæ gubernacula, propria ſpontaneaque voluntate deſeruiſſe, & totius plebis congregato concilio depoſitum eſſe veſtris apicibus nobis intimare curaſtis, in conſpectum veniat noſtrorum miſſorum, & univerſi concilii, veſtris quidem imperialibus inſtitutis, quatenus perquiratur, quamobrem ſpreverit traditam ſibi plebem, & inſtituta anteceſſorum noſtrorum, ſanctorumque Pontificum, Leonis videlicet Papæ, atque Benedicti parvipendendo contempſerit.* Blondellus *diſſ. Lat. de Papa fœmina pag. 17.* hanc epiſtolam ſcriptam fuiſſe aſſerit anno 860. 25. Sept. Idem Nicolaus ait epiſt. 8. quæ eſt ad eumdem Imperatorem *to. 8. conc. col. 296.* D. E. *In epiſtola beatæ memoriæ præſulis Hadriani* (I.) *quantum idem Pontifex illam præſumptionem, qua ex laïcis quidam ſubite tonſurantur, & in epiſcoporum numerum exacervate proſiliunt, damnaverit, ſi diligenter inquiſieritis profecto invenietis, ſi tamen non falſata Græcorum more, ſed ſicut à ſede miſſa eſt Apoſtolica penes eccleſiam Conſtantinopolitanam hactenus perſeverat, & epiſtolæ diverſæ ſanctiſſimis Pontificibus Leoni ſcilicet & Benedicto deceſſoribus noſtris miſſæ teſtantur, &c.* Cur non ſimiliter & illæ quæ miſſæ fuerint ad Joannam, dum ſedebat, & verus Papa exiſtimabatur? Scripta eſt ex Blondello *ibid.* anno 866. 13. Novemb. indict. XV. Idem rurſus Nicolaus I. in epiſt. 9. quæ eſt etiam ad præfatum Michaelem Imperat. *ibid. col. 338.* C. *Judicate ergo, manſuetiſſime Imperator, cui potius obediendum eſt, Deo, an hominibus: judicate cui potius reſiſtendum ſit, poteſtati quam in Petro Deus omnipotens ordinavit, quamque ſuper cunctam eccleſiam extulit, an ordinationi Gregorii Syracuſani, cui dicendum eſt: væ homini illi per quem in eccleſiam Chriſti tot ſcandala venerunt: quique olim, (ſicut ipſi ſcitis) à fratre & comminiſtro noſtro Ignatio, & à ſynodo quæ ſub eo erat, depoſitus eſt; & ut Apoſtolica ſedes in ejus damnatione conſentiret, ab ipſo conſacerdote noſtro poſtulata eſt. Sed deceſſores mei beatæ memoriæ Leo ac Benedictus ſedis Apoſtolicæ moderamina ſervantes, noluerunt ſic unam partem audire, ut alii parti nihil penitus reſervarent. Unius quippe mediator non eſt: quamobrem interim depoſitio ipſius à ſede Apoſtolica non ſuſcepta, remanſit infirma.* Ignatium itaque

A & Nicolaum latuit Leonem inter & Benedictum, Joannem Anglum ſediſſe per biennium & amplius, qui ut verus Papa de cauſa Gregorii Syracuſani judicium ferre poſſet. Et poſtea *ibid. coll. 339.* E. & *340.* A. *Quoniam & præfati deceſſores noſtri, Leo ſcilicet & Benedictus beatæ recordat. Pontifices, ſi tale quid diebus eorum Gregorius, vel complices ejus patraſſent..... profecto eos tanquam miniſtros inquietudinis, & ipſos ſe ſole clarius obnoxios oſtendentes, ſine quavis retardatione protinus condemnaſſent, &c.* Certe Joanna toto ſui B pontificatus tempore in maxima omnium oblivione vixit, eodemque prorſus modo ſeſe tunc Romana ſedes habuit, ac ſi Leoni immediate ſucceſſerit Benedictus. Eadem iiſdemque verbis repetit Nicolaus *coll. 365.* A. *366.* C. *1078.* D. & *1080.* A. & in epiſt. 10. quæ eſt ad clerum Conſtantinopolitanum, data etiam 13. Novemb. anni 866. ex Blondello, quæque lecta fuit anno 869. die 29. Octob. in ſynodo VIII. act. VII. Idem Nicolaus, in epiſt. ad epiſcopos ſynodi Sueſſionicæ III. data ex Blondello, die 6. Decemb. C an. 866. *to. 8. cit. conc. coll. 845.* E. & *846.* A. *Interea eo voti effectu fruſtrato, apoſtolicæ ſedis Pontifex Leo, qui fratris Hincmari propoſitum noverat, ab hac luce ſubſtractus eſt: quumque ſanctæ memoriæ Benedictus, vir apoſtolicus, ei ſucceſſiſſet* (non interpoſito proinde Joanne Anglo) *in ordine Pontificatus, rurſus reverendus Hincmarus arma præparat, & eidem ſummo præſuli, tanquam ſuarum inexperto verſutiarum latenter ſubripit, & in ipſo conſecrationis ejus principio ſuadet, ut concilium quidem ad votum unius hominis congregatum firmaret: non tamen* D *ei ullo modo ſubripi aut ſuaderi potuit, ut à juſtæ diffinitionis & diſcretiſſimæ moderationis tramite vel aliquantulum declinaret. Verumtamen, ſicut videre eſt, & ipſi jam forſitan agnoviſtis, ita per quoddam ei privilegium conceſſum illius concilii roboravit inſtitutum, ut auctoritatis ſummam ſedi Apoſtolicæ reſervaret, &c. Dum in ipſo privilegio tenorem præmiſerit, quod ſic decretum eſt ab eo manenda inconvulſa quæ petebantur, ſi ita eſſent per omnia, quæ de illa ſynodo ſibi à fratre noſtro Hincmaro referebantur. Interpoſuit enim ancipitem in eo ſententiam* E *dicens: ſi ita eſt, noſtroque ut ſcriptis præſulatui intimaſti, & geſtorum ſerie demonſtraſti, ratas eaſdem, quin definitiones apoſtolica promulgamus fore auctoritate, &c.* Porro ſi Joannes Anglus ſive Papiſſa per biennium & amplius poſt Leonem & ante Benedictum, ut verus Papa ſedem Romanam tenuit, quid impedivit Hincmarum, quominus ab exordio inthronizationis ejus, confirmanda illi ſuæ ſynodi Sueſſionenſis ſtatuta, ut poſtea Benedicto fraudulenter proponeret? Eadem ipſi Hincmaro

Digitized by Google

ad eum ſcribens eodem tempore exprobrat Nicolaus, *to. 8. conc. col. 853.* C. *Interea te voti effectu fruſtrato apoſtolicæ ſedis & beatæ recordationis Pontifex Leo, qui fraternitatis tuæ propoſitum noverat, ab hac luce ſubſtractus eſt: quumque ſanctæ memoriæ Benedictus vir apoſtolicus ei ſucceſſiſſet in ordine pontificatus, rurſus reverentia tua arma præparat, & eidem ſummo præſuli, tanquam ſuarum inexperto verſutiarum, &c.* ut ſupra. Hæc Nicolaus, qui minime verebatur ne Hincmarus ſibi viciſſim Joannæ pontificatum fraude obtentum, de quo ipſe tacuerat, exprobraret.

Sexto, Ado Viennenſis epiſcopus, qui in hanc ſedem promotus poſt Agilmari obitum anno 860. pallium, & privilegiorum eccleſiæ Viennenſis confirmationem à Nicolao I. anno ſeq. accepit, & obiit die 16. Decemb. anno 875. hæc tradit in chronico, iiſdemque verbis, ac auctor ejuſdem ætatis cujus fragmentum refert Andr. Ducheſn. *to. 2. p. 402.* ſupra ex eo deſcriptum *col. 407.* E. *& 408.* A. Poſt narratam enim Lotharii in monaſterio Prumienſi mortem, addit: *Pontifex Romanus Gregorius moritur, atque ejus loco Sergius ordinatur. Illo defuncto Leo ſuccedit: quo obeunte Benedictus in ſede apoſtolica ſubſtituitur, jam tamen defuncto Lothario Imperatore. Nicolaus Papa vir religione præcipuus moritur, ac in atrio ante portas beati Petri non longe à membris Benedicti prædeceſſoris ſui ſepelitur. Huic Adrianus in epiſcopali ordine ſuccedit.* Quis Joanni Anglo Papiſſæ locus hic relinquitur! Hæc verba Adonis leguntur *to. 8. conc. Labb. col. 173. ex fol. 183. edit. Pariſ. 1512.* ex qua cæteræ, inquit, deinceps prodierunt. Item *tom. 16. biblioth. Patrum Lugd. 1677. p. 809. col. 1.* & apud Blondellum citat. *pag. 18.* qui obſervat chronicon hujus epiſcopi fuiſſe continuatum ab alio ſcriptore uſque ad annum 923. Ait etiam Nat. Alex. *tom. 6. in-fol. hiſt. eccl. p. 67. col. 2.* de Adone Viennenſi agens, eum edidiſſe chronicon ab exordio mundi uſque ad Imperatoris Lotharii ac Ludovici & Caroli filiorum ejus principatum, ut ipſe præfatur: extremam vero partem chronici in editis, ubi refertur diviſio regni quam inter filios ſuos fecit Ludovicus rex Noricorum, alterius eſſe auctoris, ut recte cenſet Pater Mabillonius.

Septimo, auctor vitæ Adriani II. ſive ille ſit Anaſtaſius bibliothecarius, ſive Guillelmus itidem bibliothecarius, quod communius aſſeritur, hæc de electione hujus pontificis narrat *tom. 8. conc. Labb. col. 883.* B. *Sicut poſt mortem IV. Papæ Leonis, ita poſt obitum III. Benedicti pontificis, ſubire ſummum pontificium, niſi ipſe diverſis argumentis & exquiſitis excuſationibus verecunde ſubterfugiſſet, cogeretur. Sed quum apoſtolicæ memoriæ ſanctiſſimus Papa Nicolaus rebus exceſſiſſet humanis, & iſte impræſentiarum tertio quintum & vigeſimum annum tranſiret,* (poſt ann. ſcilicet ætatis 75.) *omnes urbis Romanæ concives, ſimul & hi quos extrinſecus tunc adeſſe contigerat.... contemptis omnibus ejus excuſationibus, Adrianum deſiderant, Adrianum dari ſibi præſulem ac paſtorem exoptant, &c.* His verbis palam eſt, defuncto Leone IV. propenſa in Adrianum II. fuiſſe populi vota, ſed ipſo non annuente, electum Benedictum III. nulla interim Joannis Angli inthronizatione facta, poſt cujus, ut poſt Leonis, Benedicti, & Nicolai mortem, Adrianum in Papam expetierint Romani.

Octavo, Leonis IV. immediatum ſucceſſorem, ipſo poſt ejus mortem, quæ 17. Julii contigit, menſe tertio, Benedictum III. fuiſſe, evincitur ex diplomate quod idem Benedictus in gratiam monaſterii Corbeienſis ad Somonam fluvium dedit v. nonas, ſive die 3. Octobris anni 855. quarta ſcilicet die poſt ſuam ordinationem die 29. Septemb. peractam, quum nuntius de morte Lotharii Imperatoris, quæ die 28. aut 29. Septembris acciderat, nondum Romam perveniſſet. Circa illud diploma ſequentia tradit Mabillonius, *in fine præfat. to. 2. actorum ſanctorum ſæculi quarti Benedict. pag. 117.* Hoc Benedicti diploma ab Acherio noſtro editum eſt, in Spicilegii tomo ſexto, ex *apographo* Corbeienſi, in quo nævi aliquot deprehenduntur: hos nævos correximus, facta collatione cum *autographo*, quo neſcio an aliud illuſtrius extet ejus ævi monumentum. Scriptum eſt in cortice ſeu papyro Ægyptiaca, longum pedes unum & viginti, latum duos. Quatuor priores verſus ſeu lineæ penitus oblitteratæ ſunt; in reliquis fugere incipiunt alicubi characteres ſane per quam difficiles, ſub finem ſaniores. Idem Mabillon. in opere de re diplomatica Pariſ. 1681. *lib. 5. pag. 436.* F. exhibet aliquid diplomatis hujus, ſpeciminis cauſa, & finem præſertim, in propriis ejus characteribus, unicuique voci ſubjiciens inter lineas voces eaſdem hodiernis characteribus formatas, ut facilius legi poſſint, & ſubdit: Benedicti III. inſigne hoc monumentum, ſæpe à nobis laudatum extat in archivo Corbeienſi, ſcriptum in papyro Ægyptiaca, latum duos pedes, altum viginti, (vel 21.) corio æqualis menſuræ impoſitum, paucis initio verſibus ob materiæ cariem exeſis. Editum eſt inſtrumentum iſtud in Spicilegii tomo ſexto, ſed cum aliquot nævis, quorum præcipuos, facta cum archetypo collatione jam emendavimus in fine præfat. ad partem alteram ſæculi IV. Benedict. quod hoc loco repetere juvat. Inprimis *pag. 398.* (Spicilegii citati) ubi

Digitized by Google

legitur in editis, *Amrelmum* abbatem, ſcribendum *Anſelmum,* qui abbas erat, non Corbeienſis, ſed alterius loci ex imperio Lotharii: nam Odo tunc Corbeiæ præerat. Et in conſequentibus, *Anſelmo,* pro *Amrelmo.* Deinde *p. 399.* loco *Imperatoris Lotharii, & Ludovici, ac Caroli mandatum,* in autographo habetur, uti legitur hic, *Imperatoris Hlotharii & Hludouvici mandatum.* Et infra: *glorioſos filios noſtros Hlotharium ac Hludouvicum Auguſtum,* nulla Caroli Calvi (contra quam in editis *p. 403.*) mentione facta. In fine reponendum, *Theodori* notarii, pro Theodorici. Et datum, quod deeſt in editis, ſupplendum eo modo quo in Specimine noſtro legitur, poſt *bene valete:* nempe, *datum V. nonas Octubrias per manum Theophilacti ſecundicerii ſcāe* (ſanctæ) *ſedis apoſtolice, imp. D. n. n. piiſſ. PP. Aug.* (id eſt imperantibus Dominis noſtris piiſſimis perpetuis Auguſtis) *Hlothario à Dō. coron.* (à Deo coronato) *magno Imp.* (Imperatore) *anno triceſimo nono, & P. C.* (poſt conſulatum) *ejus anno triceſimo nono: ſed & Hludouvico novo Imp.* (Imperatore) *ejus filio anno ſeptimo. Ind.* (Indictione) *quarta.* Advertit Pagius *to. 3. crit. annal. Baron.* ad annum 850. *n. 6.* hunc Ludovicum ipſo quo coronatus eſt (ſive renunciatus Imperator à patre) die, (anno ſcilicet 849.) more Orientalium Imperatorum Conſulatum perpetuum capeſſiſſe, & hac in re patris ſequutum exemplum qui vivente Ludovico Pio ſeſe conſulem dixit, idque ait à ſe demonſtratum in diſſert. Hypatica *part. 3. num. 16. & ſeqq.* Porro hæ notæ, pergit Mabillonius, in annum 855. coincidunt, qui Benedicti pontificatus primus erat à menſe Auguſto (vel potius Julio habita ratione ad electionem ejus paucis poſt Leonis IV. obitum diebus factam.) Conveniunt anni Lotharii imperii & conſulatus de more, ut diximus *in lib. 2. cap. 25. num. 3.* Lotharius vero ſeptimo die (potius 9.) ante nonas Octobris è vivis exceſſerat, mortuus Prumiæ III. kal. Octobris (id eſt 29. Septemb.) hujus anni, paucis ante diebus monaſtica veſte ſuſcepta (prius quidem Lotharius, inquit idem Mabillon. *tom. 3. annal. Benedict. pag. 42.* imperium abdicaverat, ut Prumiam ſe reciperet; at ſex duntaxat aut ſeptem ante obitum diebus:) mortis (autem) ejus nuntium tam cito Romam pervenire non potuit per id tempus. Ludovici filii ejus annus ſeptimus computatur ab anno 849. quo imperii conſors à patre factus eſt; non ab anno 850. quo Romæ coronatus eſt à Leone IV. ex annalibus Bertinianis. Hic ſpecialis non fit mentio de Ludovici conſulatu, quia veriſimiliter voces illæ P. C. *poſt Conſulatum,* ut ad Lotharium, ſic & ad Ludovicum referuntur, quorum iſte, Conſulatus ſimul & imperii annum ſeptimum numerabat.

Monet etiam idem Mabillonius, *lib. 2. cap. 25. num. 3. pag. 182.* de re diplomatica, præter annos Imperatorum, veteres pontifices nonnunquam exprimere annos P. C. id eſt *poſt Conſulatum* Imperatorum, hujuſque rei multa extare exempla. Mos hic ab Imperatoribus, inquit, uſurpari cœpit ab anno 567. quum ante id tempus ab anno 542. *poſt Conſulatum Baſilii* computarentur anni.... Anno 567. Juſtinianus conſulatum Imperatori jugem & indeſinentem eſſe voluit. In poſterum nemo, niſi Imperator, conſul ordinarius fuit. Et ſequentes principes, excepto uno Mauricio, conſulatum tantum ſemel in vita inire cœperunt, ab eoque conſulatu annos imperii ſui numerabant, ut Panvinius in commentar. ad *lib. 3. Faſtor.* ad annum 567. obſervat. Vide Cangii gloſſar. voce *Conſul, & diſſert. de numiſmat. num. 15.* Inde factum eſt ut deinceps cujuſlibet Imperatoris annus primus notaretur ejus conſulatu; reliqui vero poſt conſulatum ejus primus, ſecundus, & ſic de cæteris, vel imperii, vel conſulatus anni dicerentur, nullo inter imperium & conſulatum diſcrimine. Unde Carolus Magnus legibus novis ad edicta Longobardorum hanc epocham appoſuit, *Capitul. Baluz. to. 1. col. 345. Anno ab Incarn. Domini noſtri Jeſu-Chriſti 801. Indict. IX. anno vero regni noſtri in Francia 33. in Italia 28. conſulatus autem noſtri primo.* Sed hac in re obſervare convenit conſulatus annos non concurrere cum annis Imperii primis, quos cum patre ſuo exigebat novus Imperator; ſed cum illis quibus ſolus regnare incipiebat. Unde in deſignandis annis junioris Imperatoris ſimul cum patre regnantis nulla fiebat mentio conſulatus, quem quiſque tunc adire cenſebatur, quum imperium mortuo patre ſolus capeſſebat: ita tamen ut conſulatum à kal. Januar. inſequentis poſt initum principatum plerique inirent. Inde ergo numerabantur anni conſulatus, atque etiam paſſim imperii, omiſſa prioris regiminis recenſione quam pauci retinebant. Notandum nihilominus cum Pagio *tom. 3. crit. annal. Baron.* ad annum 680. *n. 4.* Conſtantinum Pogonatum, qui collega imperii à patre Conſtante dictus anno 654. ante diem 26. April. ei mortuo, ſolus deinceps Imperator, ſucceſſit anno 668. intra diem 16. menſis Septembris & diem 7. Novembris, conſulatum perpetuum iniiſſe ab eo ipſo anno 668. ſtatim poſt obitum patris. Id enim manifeſtum fit ex prima Act. ſextæ ſynodi generalis, quæ in actis exhibetur cœpta die 7. menſis Novembris 680. anno Conſtantini 27. & poſt conſulatum ejus 13.

Digitized by Google

Idem Mabillonius *ibid. lib. 1. pp. 36. & 40.* A & *to. 3. annal. Bened. n. 89. pag. 43.* præfati diplomatis Benedicti III. rurſus meminit, quo ſane tota Joannæ Papiſſæ fabula exſufflatur. Quum enim defuncto die 17. Jul. anno 855. Leoni IV. ſuffectus Benedictus III. initi pontificatus jam acta emitteret die 3. Octobris ejuſdem anni, ubinam biennium & amplius Joannæ præſulatus Leonem inter & Benedictum reponi poteſt? Illud diploma integrum extat, ſed cum nævis inde proculdubio exortis, vel quod deſcriptum fuerit ex apographo Corbeiæ aſſervato, antiquiſſimo quidem, B at ex autographo ipſo ibidem repoſito, quibuſdam in locis emendando, ut ſupra explanavit Mabillonius, vel quod nonnullæ voces ejuſdem apographi lectu difficiles non bene in tranſumtis ex illo exemplaribus redditæ fuerint: propter quam quoque veriſimiliter cauſam ſatius fore duxerit Acherius, ſi hujus diplomatis clauſulam non tranſcriberet, quam ſi in illud totum diploma ſuppoſitionis ingereret ſuſpicionem, eo quod quædam ejuſdem clauſulæ voces non recte exaratæ in æram hujus temporis peccaſſent: diploma, inquam, C illud extat Spic. Acherii *to. 6. pag. 39. & ſeq. & to. 8. concil. Labb. col. 235. & ſeqq.* Qui Labb. ſupra *col. 183.* B. hæc ait: Nondum de morte Lotharii Imperatoris perlatus Romam fuerat nuntius, quum Benedictus Papa prolixum edidit diploma de rebus ac privilegiis Corbeienſis abbatiæ ad Somonam fluvium ſitæ in territorio Ambianenſi, ad univerſos Galliarum epiſcopos: *Benedictus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, &c. Scriptum per manum Theodori notarii & ſcriniarii ſanctæ Romanæ eccleſiæ in menſe Octobri Indict. IV.* D *Bene valete.* (Sequentia in Spicilegio omittuntur.) *Actum* (v.) *nonas Octobrias per manum Theophilacti ſecundicerii ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, imperante Domino piiſſimo Auguſto Hlothario à Deo coronato magno Imperatore anno 38. ſed & Hludovico novo Imperatore ejus filio anno 7. Ind. IV.* Quod diploma pontificium, cum nonnullis ad idem monaſterium & quædam alia ſpectantibus, extat apud nos in mundiſſimis membranis (apographum eſt, non ipſum authographum aliter ſupra à Mabillonio exhibitum) E ante annos plus minus octingentos graphicè deſcriptum. Inde vero, & ex quibuſdam aliis obſerves velim annos Imperatoris Lotharii, aliquando ab anno Chriſti 817. quo Aquiſgrani à Ludovico patre corona donatus eſt, fuiſſe numeratos; quum tamen ſæpius ab anno 823. quo à Paſchale I. Papa Romæ regio diademate & imperatorio nomine fuit inſignitus, aut ab ejuſdem Ludovici obitu anno 840. ſoleant numerari. Addit Labbeus ſe illud diploma edidiſſe ex *lib. 2. antiq. monaſt. ſancti Dionyſ. Jacobi Dubletii cap. 6. pag. 453.* Ex his autem plene ſatisfactum videtur omnibus difficultatibus, quas adverſus hoc Benedicti diploma auctor diſſert. Gallicæ de Papiſſa acriter coacervavit.

Aliud ejuſdem Benedicti Papæ diploma refert Labb. *ibid. col. 242. & ſeq.* in confirmationem privilegiorum monaſterii S. Dionyſii in Francia, cujus clauſula eſt, *col. 243.* B. *Bene valete. Scriptum per manum Theodori notarii regionarii ſanctæ Romanæ eccleſiæ in menſe Maio, Ind. VII.* (legendum V.) *Datum per manum Megiſti epiſcopi & bibliothecarii ſanctæ apoſtolicæ ſedis, V. idus* (id eſt die XI.) *Maii, imperante Domino* (Ludovico) *piiſſimo perpetuo Auguſto, à Deo coronato magno Imperatore, conſulatus ejus anno octavo.* Indict. V. non VII. hic enim annus 857. fuit. Duplex illud Benedicti III. diploma edidit Harduinus *tom. 5. conc.* primum quidem *col. 104. & ſeq.* alterum vero *col. 110.* ubi ad marginem notat: *Ex Dubletii chronico San-Dion. ſcripta in cortice.*

Mabillonius teſtatur *to. 3. annal. Benedict.* ad ann. 863. *n. 4. p. 103.* diploma Benedicti III. pro monaſterio Corbeienſi, à Nicolao I. fuiſſe confirmatum anno 863. alio diplomate, in quo prioris expreſſis verbis meminit. Eodem tempore, inquit, miſſus Romam Odo Bellovacenſis epiſcopus ad perferenda acta ſynodi Silvanectenſis, in qua Rothadus Sueſſionenſis (epiſcopus) gradu dejectus fuerat, à Nicolao Papa obtinuit confirmationem privilegii Corbeienſis monaſterii, cujus ante epiſcopatum abbas extiterat. Epiſtola eſt 24. Nicolai, quæ revera habetur *tom. 8. concil. Labb. col. 396. & ſeqq.* Inſcribitur *ad Traſulphum abbatem Corbeienſem. Privilegium monaſterii Corbeienſis. Nicolaus epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Traſulpho religioſo abbati, & per te venerabili monaſterio beatorum principum Petri ac Pauli, quod appellatur Corbeia, in perpetuum. Convenit apoſtolico moderamini, &c. Unde quia non multis intercedentibus annis monaſterium beatorum Apoſtolorum Petri ac Pauli, quod appellatur Corbeia, venerabilis qui tunc fuerat abbas Odo, & glorioſus dilectus filius noſter rex Francorum Carolus, deceſſorem noſtrum ſanctæ recordationis Benedictum pontificem, directis ad eum tam litteris quam miſſis poſtulaverant, ut prædicto monaſterio, & rerum ſuarum liberam concederet diſpoſitionem, & in eligendo de ſemet ipſis abbate regularem daret canonicamque licentiam. Quorum petitionem ille gratanter accipiens, petita conceſſit, & ut conceſſionis ejus perpetuitas ſervaretur, privilegium monaſterio jam dicto fecit. Nunc vero adveniens venerabilis Odo Belvacenſis epiſcopus, qui prius*

Digitized by Google

abbas monaſterii Corbeienſis fuerat, innotuit A
nobis tam petitionem ipſius benigni principis,
quam poſtulationem tuam, qui præfati monaſterii
Corbeiæ abbas eſſe dignoſceris, qua poſtulaſti
ut quæ prius monaſterio illi à deceſſore noſtro
beatæ recordat. Papa Benedicto conceſſa fuerant,
auctoritatis noſtræ promulgatione firmare non
abnueremus. Nos itaque conſiderantes religio-
ſam eſſe petitionem tuam, & nihil novi nos con-
ſtituturos, ſi prædeceſſorum decreta ſequamur,
paſtoralis quoque pariter eſſe officii, ſervorum
Dei jugiter utilitati commodiſque proſpicere:
decernimus ut monaſterium Corbeiæ, quod ad B
laudem Dei, in honorem ſanctorum apoſtolorum
Petri ac Pauli conſtructum eſſe dignoſcitur, & à
Baltchilde regina Francorum, (ad marg. Vide
tom. 6. pp. 525. & 527.) *filioque ejus Chlo-*
thário à principio fundatum, & donariis rebuſ-
que neceſſariis locupletatum, quod eſt in pago
Ambianenſi ſuper fluvium Sumna ſitum, rerum
ſuarum liberam in omnibus habeat diſponendi
regulariter poteſtatem, &c. Et col. 399. *Scrip-*
tum per manum Leonis notarii regionarii &
ſcriniarii ſanctæ Romanæ eccleſiæ, in menſe
Aprili, Indict. XI. Data IV. kalendas Maias, C
(id eſt die 28. April.) *per manum Tiberii pri-*
micerii ſanctæ ſedis apoſtolicæ, imperante Do-
mino piiſſimo Auguſto Ludovico à Deo coronato,
magno, pacifico Imperatore anno 14. & poſt
conſulatum ejus anno 14. (ſic Mabillon. hanc
datam refert loco citato, quum apud Labb.
legatur, errore manifeſto, *& poſt ejus ann. 14.*)
Indict. XI. Harduinus quoque *tom. 5. concil.*
col. 241. ad margin. appoſuit: forte, *& poſt*
conſulatum ejus. Hæc autem epocha mirè
elucidat iſta Benedicti Papæ, pro eodem
monaſterio Corbeienſi, diplomatis clauſulæ D
verba: *Sed & Hludouvico novo Imperatore ejus*
filio anno ſeptimo: recenſitamque à nobis ſupra
explicationem valide confirmat, Benedictum
nempe, ſicut imperii & conſulatus Lotharii
annos æqualiter 39. numerat ab anno 817.
quo Ludovicus Pius ejus pater illum Impe-
ratoris titulo decoravit, ita ſeptem conſulatus
& imperii Ludovico II. attribuere ab anno
849. quo dignitatis Imperialis conſors à Patre
factus eſt. Uterque enim, juxta obſervationem
Pagii memoratam *col. 415.* C. conſulatum
non à morte patris, ſed ab initio imperii ſui E
computabat, adeo ut voces P. C. *poſt Conſu-*
latum de Lothario aſſertæ, de Ludovico etiam
intelligendæ ſint. Et certe quum annus 863.
decimus-quartus dicatur, tum imperii, tum
conſulatus Ludovici, in præſenti Nicolai di-
plomate, palam eſt imperii & conſulatus hujus
principis eadem fuiſſe exordia, quemadmo-
dum & Lotharii ejus patris, ſubindeque an-
num ejus imperii ſeptimum, qui aſſignatur in
diplomate Benedicti, *poſt Conſulatum* quoque
(id eſt initum, ſive ab initio conſulatus per-
petui) fuiſſe *ſeptimum.*

Cæterum ad enodandas difficultates non-
nullas circa epocham imperii, tum Lotharii,
tum Ludovici filii ejus, quæ diverſimode
à ſcriptoribus citatur, & aliquod negotium
faceſſere poſſent in præſenti quæſtione, ſe-
quentia obſervare juvat.

Primo, Lotharii principatus anni repe-
tuntur, quandoque ab anno 817. ad quem
annaliſta Cæſareus, à Lambecio editus, his
verbis opus ſuum claudit, apud Pagium *to. 3.*
crit. in annal. Baron. ad eumdem annum *n. 3.*
Anno IV. (ſcilicet Ludovici Pii) *conventum*
ſuum habuit Hluduwichus Imperator cum Fran-
cis, in Aquiſgrani palatio, menſe Junio, & in-
dicto (adde *jejunio* ex chronographo Hildenſ-
heimenſi qui extat *tom. 3. monum. Francor.*
Andr. Duch. *pag. 509.* C.) *ordinatus eſt filius*
ejus Hludarius in Imperatorem, ut conſors regni
fieret cum patre.... eodem anno (817.) *Ratga-*
rius abbas (ſcilicet Fuldenſis) *depoſitus eſt.*
Juxta hanc epocham, Benedictus III. in di-
plomate privilegii pro monaſterio Corbeienſi,
an. 855. die 3. Octob. dato, annum ejus 39.
computavit. Quandoque ab anno inchoantur
823. quo, die 5. Aprilis, à Paſchali Romano
pontifice ſolemniter coronatus eſt: *Lotharius,*
inquit Eginhardus *in annal. tom. 2.* Andr.
Duch. *pag. 266.* B..... *in ſancto Paſchali die*
apud ſanctum Petrum, regni (nempe Longo-
bardici) *coronam, & Imperatoris & Auguſti*
nomen accepit. Ab hac die in multis Lotharii
diplomatis, ex Pagio ad hunc annum 823.
n. 1. imperii ejus initium deſumitur. Quædam
aliæ epochæ ei aſſignantur, apud eumdem
Pagium, qui ad annum 821. *num. 2. col. 2.*
ſic differit: Ab anno 820. Lotharius, poſt
Ludovici patris mortem, annos regni ſui
Italici de more deduxit, ut oſtendunt com-
plura ejus diplomata, quæ annum imperii
ſui, à morte patris deducti, (id eſt à die 20.
Junii anni 840.) numero vicenario ſemper
excedunt. Mabillonius *lib. 2. de re diplom.*
cap. 26. n. 15. varia hanc in rem exempla pro-
fert, uti confirmationem donationis à Lo-
thario factæ cœnobio Grandis vallis *VIII. kal.*
Septemb. (id eſt die 25. Aug.) *anno Imperii*
Domini Lotharii XII. Pii Imperatoris in Italia
XXX. & in Francia X. Indict. XII. Annus
fuit 849. qui Lotharii XII. dicitur, ab anno
838. quo Ludovicus Pius novam partitionem
fecit inter Lotharium & Carolum (in con-
ventu Wormatienſi menſe Maio.) Lotharii
item in Italia regnantis XXX. numeratur, ab
anno 820. (quo ante diem ultimum menſis
Maii rex Italiæ à Ludovico Pio patre ſuo
renunciatus eſt.) Lotharii denique in Francia
regnantis X. appellatur, à morte Ludovici Pii

Digitized by Google

patris ejus anno 840. Cæterum cur Lotharius mortuo patre, ſæpius quam antea, ab exordio regni ſui in Italia anno ſcilicet 820. annos ſuos numeraverit, fatetur Mabillonius loco laudato ſe nondum aſſequi potuiſſe. Hæc de epocha Lotharii Imperatoris.

Secundo, Ludovici filii ejus quatuor reperiri epochas animadvertit præfatus Pagius ad annum 844. *num. 4.* quarum prima ab hoc eodem anno 844. initium ducit, quo à Sergio II. Romano Pontifice Longobardorum rex coronatus eſt die 15. menſis Junii. Secunda ab anno 849. ante menſem Junium, quum Lotharius illum ſibi in imperii adſcivit conſortium. Unde in præfatione ſynodi Romanæ ſub Leone IV. celebratæ anno 853. menſe Decembri legitur, teſte eodem Pagio ad eum annum 853. *n. 12. Anno pontificatus ſanctiſſimi ac coangelici & univerſalis IV. Papæ Leonis VII. atque invictiſſimorum Dominorum noſtrorum Hlotharii ac Hludovici Imperatorum anno quoque imperii eorum V. & XXXVII. menſe Decembri, die 8. Indict. 2.* Quæ verba etiam exprimuntur *to. 8. conc. Labb. col. 119.* E. in actis depoſitionis Anaſtaſii preſbyteri tituli S. Marcelli qui ſe poſtea pro antipapa adverſus Benedictum III. electum pontificem erexit anno 855. *Imperantibus Dominis piiſſimis perpetuis Auguſtis, Hlothario à Deo coronato, pacifico & magno Imperatore anno 37. ſed & Hludovico à Deo coronato ejus filio novo Imperatore, anno 5. menſe Decembrio, die 8. Indict. 2. in civitate nova cujus vocabulum Leoniana eſt, intra eccleſiam ubi corpus beatiſſimi Petri Apoſtolorum principis conditum eſt.* Obſervat Labbeus *ibid. col. 210. & ſeq.* novam hanc urbem *Leonianam* Romæ partem fuiſſe, (ſive ſuburbium quoddam hujus civitatis, ubi extat baſilica ſancti Petri Apoſtoli) hoc quippe ſuburbium jam novis ædificiis amplificari cœptum à Leone III. ex cujus nomine *civitas Leoniana* dicta eſt, Leo IV. ſecundo præſulatus ſui anno inſtaurare aggreſſus eſt, ut refert Anaſtaſius bibliothecarius in ejus vita, *ibid. coll. 17. 18. & 19.* ac ſexto anno perfecit, ſumptus ſubminiſtrante magna ex parte Lothario cum fratribus, illudque ſolemni ritu dedicavit anno 852. die 27. Junii. Annus porro 5. qui in actis præfatæ ſynodi Romanæ Ludovico II. adſcribitur, exordium ſumit ab anno 849. Annus vero XXXVII. epocha eſt Lotharii ab anno 817. petita, ut palam eſt. Idem Leo IV. ſuper valvas argenteas ſcribi juſſit, *to. 8. conc. Labb. col. 130.* E. *Anno pontificatus ſanctiſſimi ac coangelici & univerſalis IV. Papæ Leonis ſeptimo, atque invictiſſimorum Hlotharii ac Hludovici Imperatorum anno imperii quadrageſimo-ſecundo, &c.* Annus eſt Lotharii XXXVII. cum anno V.

A Ludovici conjunctus. Juxta hanc duplicem epocham Lotharii & Ludovici legitur etiam in ſynodo Ticinenſi anno 850. habita: *Anno Incarn. Dom. 850. Ind. XIV.* (legendum *XIII.* quæ ante Septemb. currebat) *& Hlotharii atque Hludovici piiſſimorum Auguſtorum XXX. atque primo, in urbe Regiaticina* (legendum *in urbe regia Ticino,* ex Pagio ad annum 850. *num. 5.*) *facta ſynodus, cui præſiderunt Angilbertus Mediolanenſis archiepiſcopus, &c.* Annus XXX. Lotharii ab anno 820. deducitur, quo die ultimo Maii Lotharius à Ludo-B vico patre ſuo rex Italiæ renuntiatus fuerat, unde habemus ſynodum hanc Ticinenſem ante diem ultimum Maii fuiſſe coactam: annus autem primus Ludovici ab anno præcedenti 849. numeratur. Tertia Ludovici epocha repetitur ab anno 850. quo die 2. Decemb. Imperator à Leone IV. Papa Romæ coronatus eſt. Hanc epocham Mabillonius *in præfat. ad part. 2. actorum ſanctorum ſæculi IV. Benedict. num. 214.* inquit Pagius citatus, ad annum 844. *n. 4.* cum ſecunda confundere videtur, eo quod in diplomate Benedicti III. C Leonis ſucceſſoris, dicatur illud datum eſſe *V. nonas Octubrias, Hludouvico novo Imperatore anno VII. Indict. IV.* anno ſcilicet Chriſti 855. Inde enim vir doctiſſimus deducit Benedictum Papam annum imperii Ludoviciani primum illigare anno 849. *uno anno prius, quam annales Bertiniani.* Verum Benedictus III. annum illum ſeptimum Ludovici Imperatoris ab anno 849. quo imperii ſocius à patre dictus eſt, numeravit, ut recte videt ipſemet Mabillonius, non vero ab anno 850. quo annaliſta Bertinianus ſcribit Ludovicum D Romæ in Imperatorem unctum eſſe, ſicuti antea Leo IV. in concilio Romano anno 853. celebrato, annum V. Ludovici Imperatoris ibidem memoratum ab anno 849. repetierat. Quare Benedictus III. & annaliſta Bertinianus inter ſe non diſcrepant, ſed alter ad deſignationem Ludovici in imperium, alter ad unctionem ejus in Imperatorem reſpexit, ut poſtea ipſemet Mabillonius *lib. 5. de re diplom. pag. 440.* expoſuit. Quarta demum Ludovici Imperatoris epocha ab anno 855. quo patri Lothario die 28. aut 29. Septembris mortuo E ſucceſſit, deducitur. Deinceps autem anni imperii ejus, modo ab anno 849. modo ab anno ſequenti 850. & modo ab anno 855. ob rationem uniuſcujuſque epochæ ſupra allatam, in variis diplomatibus computantur. Hinc idem Pagius, in fronte cujuſlibet anni, incipiendo ab anno 856. imperii Ludovici II. annos ſub tribus illis epochis reponit: verbi gratia ad annum præfatum 856. *Ludovici Imperat. 8. 7. & 2.* Iſtius explanationis ope, facile conciliantur varia inſtrumenta, diverſis

Digitized by Google

Lotharii ac Ludovici ejus filii epochis in- A
ſcripta, quæ alias ſuppoſitionis ſuſpicionem vix effugerent.

Nono, Auctor annal. Bertinianorum, cujus jam ſupra teſtimonium adduximus *col.408.* C. pro morte Lotharii Imperatoris, ait *ibid.* id eſt, apud Andr. Ducheſne *tom. 3. monum. Franc. p. 208. Anno 855. Lotharius infirmatur, qua de re occaſio data eſt Ludovico & Carolo fratribus ad concordiam redeundi..... menſe Auguſto;* (ſcil. *kal.* Auguſti, pro *16. kal.* Auguſti ſcripſit librarius, ex incuria nempe, vel negligentia, præviam kalendarum notam B
omittens, id eſt, *16.* quæ eſt ante *kal.* Auguſti, ut ſæpiſſime in aliis contigit, inquit Labb. *to. 8. conc. col. 163.* ſed hoc nihil facit contra nos, quibus omnino ſufficit, Leoni IV. anno 855. mortuo, eodem anno ſucceſſiſſe Benedictum III.) *menſe Auguſto,* (dicendum Julio) *Leo apoſtolicæ ſedis antiſtes defunctus eſt, eique Benedictus ſuccedit. Lotharius Imperator morbo correptus, vitamque deſperans, &c.* mortem deſcribit Lotharii quæ eodem anno accidit. Nihil itaque ſcivit annaliſta ille, licet coætaneus, de biennio & amplius præſulatus C
Joannis Angli in ſede Romana.

Decimo, Photius, de Joanna Papiſſa, quæ ſuo tempore ſediſſet, nullam mentionem facit, ſed Leoni IV. ſucceſſiſſe Benedictum III. expreſſiſſime aſſerit *lib. 1. de Spiritus ſancti proceſſione adverſus Latinos, laudato ab Allatio in confutat. fabulæ de Papiſſa,* apud Nat. Alex. *tom. 6. in-fol. in hiſt. eccl. ſæc. 9. & 10. diſſ. 3. pag. 232.* Pontifices enim Romanos qui ſua ætate vixerant, enumerans, ait: *Heri, & nondum ſecunda generatio præteriit, nobilis ille Leo, qui & miraculis editis poteſt gloriari, omnem* D
omnium excidens prætextum hæreticorum.... ſed & mitis & manſuetus, & aſceticis certaminibus illuſtris inclytus Benedictus, poſt eum (ſi Joanna media fuit, non μετ' ἐκεῖνον *poſt eum,* ſed μετ' ἐκείνην *poſt eam,* in textu Græco Photium ſcribere oportuit, inquit Blondellus, *pag. 27. diſſ. Lat. de Papiſſa,* ad marginem) *in Archieratico throno ſucceſſor, hoc idem & amplectendo & confirmando haud ſecundus eſſe nitebatur, licet tempore ſecundus eſſet.* Subjungit in Nicolaum Benedicti ſucceſſorem, quem tamen non nominat, jurgia; poſtremo E
Joannis & Hadriani meminit. Et alio libro, quo probare conatur Spiritum ſanctum à ſolo Patre procedere, *Leo & Benedictus,* inquit, *magni deinceps Romanæ eccleſiæ antiſtites, Græcè inter ſacra Miſſarum ſolemnia, Romæ, aliiſque eccleſiis Romæ ſubjectis, fidei ſymbolum recitari, lege lata, ſanxerunt.* Textum Græcum refert Blondellus, *loco modo citato, pp. 26. & 27.* ex duobus mſſ. quæ Londini poſtea edita fuiſſe teſtatur. Porro quis in mentem ſibi inducat, Photium, vel ignoraſſe per biennium & amplius, Leone IV. defuncto, in ſedem Romanam ſuffectum fuiſſe alium quocunque nomine ille appellaretur, cui deinde Benedictus ſucceſſerit, vel, ſi noverit, præſertimque detectum fuiſſe, maximo eccleſiæ Romanæ opprobrio, non virum extitiſſe hunc Benedicti prædeceſſorem, ſed infame ſcortum, id preſſiſſe ſilentio! Fatetur auctor *diſſ. Gall. de Papiſſa pag. 124.* in operibus Photii quæ ad nos pervenerunt, nihil legi de ea Papiſſa; imo quædam extare unde hujus Papiſſæ hiſtoria non parum labefactari videatur: nullus quamvis tunc floruerit ſcriptor, cui Romanis hanc exprobrare Papiſſam magis congruiſſet: hujus autem ſilentii ipſe reddere rationem conatur. Sed quænam poteſt afferri quæ lectori prudenti & veritatem ſerio quærenti arrideat!

Undecimo, Metrophanes Smyrnæus, qui inter Patres ſynodi VIII. anno 869. adverſus Photium congregatæ adfuit, quemque antea Nicolaus I. epiſtola 8. laudaverat, libro mſ. è Palatina bibliotheca in Vaticanam tranſlato, quo Spiritus ſancti proceſſionem à Patre ſolo adſtruere nititur, Benedictum immediatum à Leonis IV. obitu Pontificem tradit. *Benedictus poſt eum,* (Leonem IV.) *in Archieratico throno ſucceſſor.* Verba itidem ejus Græca exſcribit Blondellus *pag. 27.* Qûi fieri autem potuit ut nullus auctor, ſive Latinus, ſive Græcus, ſive ſedi Romanæ addictus, ſive ei infeſtus, qui tunc temporis vixerit, talem hunc, tamque prodigioſum, & hactenus abſque exemplo caſum, vel deplorando, vel exprobrando, palam fecerit! Si autem ea ætate nulli prorſus homini compertus fuit: undenam ergo illum habuerunt qui ſæculo decimo tertio, id eſt quatuor integris à ſæculo nono medio ſæculis, eumdem ſcriptis ſuis mandarunt! oſtendemus enim inferius, nullum ex iis ipſis auctoribus ſæculorum undecimi & duodecimi, quos inter Papiſſæ aſſertores profert Blondellus, hujus revera in ſcriptis non adulteratis meminiſſe.

Duodecimo, Stylianus Neocæſareæ Euphrateſinæ antiſtes, in epiſtola quam una cum epiſcopis qui cum ipſo erant, reliquiſque preſbyteris, diaconis eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, omnibuſque cœnobiorum præfectis per Orientem & Occidentem, monachis & anachoretis prope innumeris, ad Stephanum V. vulgo VI. miſit anno 885. in qua fraudes, doloſque Gregorii Syracuſani epiſcopi, quem S. Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus depoſuerat, Petri Sardorum, Eulampii Apameæ, aliorumque factionis Photianæ præſulum detegit; Benedictum fuiſſe Leonis IV. ſucceſſorem diſertè prodit.

Digitized by Google

Legitur Græcè & Latinè *tom. 8. conc. Labb. coll. 1397. & 1398. & ſeqq.* Ait ſcilicet, *col. 1399. Qua propter* (Ignatius) *depoſitos anathemati ſubjecit, qui legatos cum litteris ad ſanctiſſimum Papam Romanum beatum Leonem, qui tum pontificatum gerebat miſerunt, illum ſibi, ac ſi eſſent læſi, ultorem petentes. Papa ergo datis ad Ignatium litteris, &c. Itaque eamdem in ſchiſmaticos ſententiam tulit, quam antea in eoſdem tulerat Ignatius. Leone dein ex humanis ſublato, rurſum illi Benedicto qui Leoni ſucceſſit de eiſdem rebus moleſti fuerunt. Enimvero & ipſe Benedictus vir ſanctiſſimus, re diligenter excuſſa, ſententiam adverſus illos, ſecundum Ignatium, pronuntiavit.* Quorſum vero epiſcopi illi in quos latam ab Ignatio damnationis ſententiam Leo IV. confirmaverat; poſt ejuſdem Leonis obitum, non ad Joannem Anglicum qui ei ſucceſſerit, ſed ad Benedictum acceſſerunt, à quo iterum fuerunt damnati; niſi quia figmentum eſt ille Joannæ Papiſſæ pontificatus, & in locum Leonis Benedictus immediate promotus fuit! Idem ſeptimo exinde anno cum Photianis ſocietatem iniens ſedem Romanam convitiis laceſſivit: non habuit tamen quid illi objiceret, præter inconſtantiam doctrinæ, ut aiebat, & contradictionem in aſſertis: ſcribit enim Stephanum Papam in eadem re & epiſtola pugnantia ediidiſſe, ut qui in prima parte Photium jure ejectum affirmaverit, in poſtrema vero eumdem pro legitimo antiſtite recipiendum duxerit. Nihil de Papiſſa de qua proculdubio nihil audierat.

Adjungi poſſunt quatuor libri Græcorum anonymorum, quorum textum Græcum refert Blondellus *pp. 27. & 28.* jam citatis, & Leo Allat. verſionem eorum Latinam, apud Auguſtinum Oldoinum *tom. 1. vitæ Romanor. Pont. & DD. Cardin. coll. 632. & 633.* Extant autem in bibl. Vatic. Primus librorum illorum, tractatus eſt exaratus contra Latinos, *qua ratione à recto veritatis tramite Latini aberraverint.* In eo ait: *moritur dictus Leo,* (loquitur de Leone III.) *hunc excepit Stephanus, hunc Paſchalius, hunc Eugenius, hunc Valentius, hunc Gregorius, hunc Sergius qui & Pelagius dicebatur, hunc Leo, Leonem autem Benedictus.* Et inferius: *Verum beatus Leo Romanæ ſedis non mercenarius, ſed verus & legitimus Pontifex anceps hærebat.* Et, *ſanctiſſimus hic Leo vita exceſſit, & hujus ſucceſſor factus eſt divinus Benedictus, qui quum maximo rei Chriſtianæ, rectorumque dogmatum propagandorum ſtudio teneretur, ab omnibus Italis, ut fidei ſymbolum Græcè pronuntiaretur, præcepit.* Liber alter, *de modo quo Latini à Græcis ſeparati primatu ceciderint, &c.* ait: *Qui vero poſt Leonem ſucceſſit Benedictus, quum à dictis*

A *hæreticis iterum Dei populum lædi cerneret, litteris ſcriptis cum Græcè, tum Latinè, alta voce ut ſanctum ſymbolum recitaretur, tradidit.* Tertius liber ſcriptus etiam contra Latinos habet: *Et qui poſt hunc Leonem Benedictus & ipſe Papa.* Quartus, denique dialogus eſt de Azymis & proceſſione Spiritus ſancti inter Orthodoxum & Latinum, ubi poſt multa ſubdit auctor: *Qui vero poſt ipſum* (Leonem de quo immediate antea) *ſummo ſacerdotio præfuit divinus Benedictus, ad omnes Patriarchales thronos datis litteris mandat, nullum*
B *poſthac Romanum Pontificem in communionem recipi, ni prius ſuam fidei confeſſionem, quæ orthodoxa fuerit, per omnem Chriſti eccleſiam promulgarit.* Putaſne, Lector, inquit Leo Allatius *ibid. col. 633.* auctorem hunc, quiſquis ille fuerit, ... injuriam hanc Joannæ fœminæ, ſive calumniam, tunc quum omnibus modis (juxta hujus ſcriptoris genium quod in Romanam ſedem admodum exaſperatum fuiſſe patet ex totius libri ſerie,) dicenda erat, tacuiſſe! Næ, ego fungus ſum, ſi credam. Concinit libellus alterius anonymi,
C poſt annum 900. ſcriptus, qui legitur *tom. 8. conc. Labb. coll. 1421. 1422. & ſeqq.* Titulus ejus eſt, *Breviarium ſynodi VIII. ad ingreſſum magnæ eccleſiæ, ſeu in porticu perſcriptum.* Initium vero: *Donatus & Stephanus epiſcopi,* (&) *Marinus diaconus, legati veteris Romæ, ſive Hadriani Papæ, una cum ſancto & œcumenico concilio in hac florentiſſima civitate Conſtantinopolitana in perilluſtri æde magnæ eccleſiæ celebrato, ex ſententia & judicio jam ante in Romana eccleſia à Papa Nicolao & Hadriano illius ſucceſſore facto, una cum Joſepho religio-*
D *ſiſſimo diacono & vicario Patriarchæ Alexandrini, & Thoma Tyri metropolita Patriarchæ Antiocheni locum tenente, & Elia preſbytero & ſyncello Hieroſolymitanæ ſedis legato, venerandarum imaginum cultum ſancimus. Photium autem qui per vim & tyrannidem Conſtantinopolitanum ſolium invaſit, quique à damnatis & execratis eſt conſecratus, qui pluribus annis eccleſiam Chriſti perturbavit, Photium, inquam, & inaugurationem ejus prorſus damnamus, omnique dignitate & honore ſacerdotii privamus: Ignatium vero ſanctiſſimum Patriarcham*
E *Conſtantinopolitanum contra jus faſque de gradu ſuo deturbatum, ut legitimum antiſtitem, una cum ordinatione ſanctiſſimi Methodii qui illum in patriarchatu præceſſerat, confirmamus, &c.* Et poſtea, *col. 1423.* B. *Photius quadraginta quinque annis ad hodiernum uſque diem, à Papa nempe Leone uſque ad Formoſum* (ab anno 847. inchoandis, inquit Blondellus ad margin. *pag. 28.*) *excommunicatus fuit. Nam annos undecim* (ad 858. inquit idem Blondellus ad margin. *pag. 29.*) *adhuc politicus*

Digitized by Google

(ſive laïcus) *excommunicatus fuit, quod cum* A
Gregorio Syracuſano communicaret; & alios quatuor ſupra triginta annos (Blondellus ad marg. *p. 29.* ab anno Domini 858. ad 891.) *poſtquam ſacris initiatus eſt. Etenim Leo, Benedictus, & Nicolaus Gregorium propter varias & graves noxas anathemate damnarunt. Ubi vero Photius à damnato conſecratus eſt, cum propter alia illius facinora, tum quod ſacris à Gregorio eſſet initiatus, à novem Pontificibus Romanis* (illis ſcilicet comprehenſis qui eum jam laïcum anathemate ferierant) *Leone, Benedicto, Nicolao, Hadriano* (II.) *Joanne* (VIII.) B
Marino, Hadriano III. Stephano (V.) *& Formoſo, anathematis fulmine eſt ictus. Nec ullus ex iis qui Nicolaum ſunt ſequuti, illos* (Gregorium & Photium, *abſolverunt: nec enim poteſtatem habuerunt. Joannes Eugenium & allegatos, &c.* Nulla in his teſtimoniis Græcis, ſicut nec in Latinis ſupra relatis teſtimoniis, auctorum licet hujus ſæculi noni, Joannæ Papiſſæ mentio, quam proculdubio non noverant in ſedem Romanam fuiſſe ſuo tempore evectam.

Joannæ Pontificatui non clarius favent, qui nec etiam de eo quidquam didicerunt, C
ſæculorum trium ſubſequentium ſcriptores. Unde

Decimo-tertio, Flodoardus, quem per ſyncopen *Floardum* quidam nominant, Sigebertus, & Trithemius *Flavardum,* Pithœus, Papyrius Maſſonus, Baronius & Mabillonius, *Frodoardum,* preſbyter & canonicus eccleſiæ Remenſis ſæculo decimo, qui poſtmodum relicto canonicatu vitam monaſticam profeſſus eſt & abbas cœnobii ſancti Remigii Remenſis creatus; ut non ſolum aſſerunt Sigebertus & Trithemius, ſed & ipſe quoque in D
chronico ad annum 963. ubi ait, apud Natal. Alexand. *to. 6. in-fol. hiſt. eccl. ſæc. 9. & 10. cap. 3. art. 39. p. 76. col.* 2. F. *Ego vero fractus ætate, & attritus infirmitate, miniſterio me abdicavi prælaturæ coram eodem præſide* (Odalrico archiep. Remenſi) *qui me hoc abſolvens jugo, impoſuit illud per electionem fratrum meorum nepoti meo Flodoardo ſeptuageſimo ætatis meæ anno.* Scribit autem ille, *hiſtoriæ Remenſis eccleſiæ lib. 3. cap. 11.* teſte Blondello, *diſſert. ſuæ Latinæ de Papiſſa, pag. 20. Actio ſynodi* (Sueſſionenſis) *ſedi apoſtolicæ ab Hincmaro* E
directa, & à Benedicto Papa Leonis ſucceſſore corroborata eſt. Mabillon. *præfat. actorum ſanctorum ſæculi 2. Bened. num. 64. pag. 47.* hæc nos docet de eo Flodoardo. « Vir clariſſimus
» Antonius Wionius Herovallius.... me monuit
» extare in biblioth. RR. PP. Carmelitar. ex-
» calceat. conventus Pariſiaci Acta SS. manu
» deſcripta, ex quibus non parum utilitatis ac-
» cepi. In his deprehendi Frodoardi canonici
» Remenſis *libros 14.* de variis ſanctis metricè
compoſitos, in quibus Pontificum Romano- «
rum, aliorumque virorum illuſtrium egregia «
facta, ſecundum temporis rationem deſcri- «
buntur. Iſtos libros numero quindecim jam »
è bibliotheca Trevirenſi indicaverat Joannes «
Bonderius in indiculo mſſ. codd. Belgicor. «
& ex eo Gerardus Voſſius *in lib. 2. de hiſt.* «
Lat. cap. 40. tametſi libros duntaxat quatuor- «
decim præfert exemplar Pariſienſe, detractis «
duobus primis libris cum capite primo tertii «
.... Et paulo-poſt: Duo veniunt obſervanda, «
nempe ſilentium Frodoardi hominis ſupparis «
de Joanna fabuloſa illa Papiſſa, quæ à non- «
nullis inter Leonem IV. & Benedictum III. «
inſulſe inſeritur. Sic enim Leonis mortem & «
Benedicti electionem deſcribit Frodoardus «
in lib. 12. epigr. 1.

Hinc rebus benè diſpoſitis, portu, urbe, ſoloque
Auſoniæ tuto, digna mercede potitur (Leo IV.)
Se deſlens, patribus claris cum milite junctis
Jeſum corde petit prono ſe munere digno
Solari: nec abeſt Dominus haurire (audire) *paratus*
Servorum gemitus, dum ſpirat mentibus uno
Ore ſimul cunctos Benedictum poſcere patrem,
Æthereo qui rore ferax, &c.
His radians meritis in ſancto clara ſenatu
Jura capit, &c.

Idem auctor (quod alterum obſervatu «
dignum) ſcribit ſe Romam fuiſſe profectum «
Leone VII. Pontifice, ab eoque benigne ex- «
ceptum, quo Pontifice etiam tum ſuperſtite «
librum ſuum duodecimum abſolvit: ſic enim «
canit: quos Frodoardi verſus paulo fuſius tran- «
ſcribit Pagius, *tom. 2. Brev. Geſtor. Pontif.* «
Roman. pag. 213.

Septimus exurgit Leo, nec tamen iſta volutans,
Nec curans apices mundi, nec celſa requirens:
Sola Dei quæ ſunt alacri ſub pectore volvens,
Culminaque evitans, oblata ſubire renutans,
Raptus at erigitur, dignuſque nitore probatur
Regiminis eximii, Petrique in ſede locatur.
Sed minimè adſuetam linquit decoramine curam
Deditus aſſiduis precibus, ſpeculamine celſus,
Affatu lætus, ſapiens, atque ore ſerenus.
Qui me viſentem ætherei pia limina Petri
Jocunde excipiens, animo quæſita benigno
Admiſit, favitque piè, ſluduitque modeſtè:
Famina grata ferens, epulis recreavit utriſque
Corporis atque animæ; benedixit, & oſcula libans
Ac geminans dono cumulatum muneris almi,
Pergere lætantem amplexu dimiſit honoro.
Quem Pater omnipotens alacrem cultuque venuſtum
Attollat, ſervetque diu, digno excolat actu:
Et cum præſulibus ſanctis, conſortia quorum
Promeruit, ſedis præſtet ſuper æthera ſedem,
Cum quibus æternum maneat præclarus in ævum.

Hinc patet, ſubdit idem Mabillonius, libros «
iſtos à Frodoardo ſcriptos fuiſſe ante ann. 939. »
quo Leoni VII. ſucceſſit Stephanus VIII. «

Digitized by Google

» Frodoardus (tamen) in neutra hiſtoria ſua, » ſcilicet in hiſtoriæ Remenſis eccleſiæ libris 4. » aut in chronico.... Romanæ ſuæ peregrina- » tionis meminit. Unde forſitan ſuſpicari quis » poſſit an libri quatuordecim carmin. prælau- » dati ejuſdem ſint auctoris, an potius Fro- » doardi nepotis ejus, de quo in chronico ad annum 963. agit.» Hæc Mabillonius. Verum à quocunque viro exarata ſint hæc poëmata, palam eſt ante annum 939. communem & indubiam fuiſſe omnium ſententiam Leoni IV. immediate ſucceſſiſſe Benedictum III. ac ſubinde nulli hactenus notam extitiſſe Joannæ Papiſſæ fabulam.

Decimo-quarto, Hermannus, qui eo quod in infantia membris omnibus contractus eſſet, nomen Hermanni Contracti ſortitus fuit, apud Nat. Alex. *to. 6. in-fol. hiſt. eccl. ſæc. 9. & 10. cap. 4. art. 3. p. 502.* D. *col. 1.* Wolferadi Weringenſis in Suevia comitis filius, Augiæ Divitis, ordinis Benedictini monachus: *Vir,* ut ait Trithemius abbas, *in divinis ſcripturis eruditiſſimus, & in ſecularibus litteris univerſaliter doctiſſimus, Philoſophus, Poëta, Aſtronomus, Rhetor, & Muſicus, nulli ſuo tempore ſecundus, trium linguarum Græcæ, Latinæ, & Arabicæ peritiſſimus:* multa ſtricta & ſoluta oratione compoſuit, & Græcorum Philoſophorum, Arabumque Aſtronomorum tractatus aliquot Latio donavit. Scripſit chronicon ab ortu Chriſti uſque ad annum 1054. quo & obiit. A Chriſtiano Urſtiſio tomo unico rerum Germanicarum editum eſt gemino contextu. Tertiam editionem aliis auctiorem & locupletiorem, unaque emendatiorem ex manuſc. codice Auguſtani cœnobii SS. Afræ & Udalrici in lucem Caniſius edidit *tom. 1.* antiquæ lectionis, *à pag. 432. ad 600.* ſecundum quam editionem bibliothecis Patrum Colonienſi & Lugdunenſi inſertum eſt. Hanc varietatem quidam ipſi auctori tribuunt, cui evenerit, quod olim & hodie multis ſcriptoribus, qui fœtum lambendo formare, variare, & ſubinde augere ſolent. Alii deſcriptoribus, quorum alius nonnulla adjecerit, alius reſecuerit, pro ſuo quiſque captu, inquit Aubertus Miræus in notis ad caput 12. libri Honorii Auguſtodunenſis de ſcriptoribus eccleſiaſticis, ubi Hermanni Contracti meminit. Hucuſque Nat. Alexand. Blondellus vero *diſſert. Lat. de Papiſſa, pag. 21.* ait: Hermannus Contractus, monachus Augienſis anno Domini 1013. Jul. 18. Wolferado Veringe comite, & Hiltrude natus, anno Domini 1054. Bertholdo Conſtantienſi teſte, edito chronico deceſſit: quod quum diverſim nuper excuſum ſit, variantium editionum παραλληλισμὸν inſtituemus. In edit. Francofurtenſi anno 1613. ad annum 846. *Leo IV. Papa 105. annis novem*

A (ſedit) *menſibus 3. diebus 6.* (ad marg. Blondellus notat, *p. 22.* Nec 105. Leo, ſed 101. nec anno 846. ſedere cœpit, ſed 847. April. 12. fer. 3.) Ad ann. 848. *Walafridus Strabo abbas Augienſis, vir doctus obiit.* Ad ann. 855. *Benedictus III. Papa 106. annis 2.* (ſedit) *menſibus 6. diebus 9. Leo Papa, Trogo, & Rabanus, Hiligart regina obierunt. Lotharius Imperator obiit: pro quo filius ejus Ludovicus imperavit cum fratre Lothario annis 19.* (Ad margin. Blondellus: Leo Julii 17. Drogo Metenſis Novemb. 8. Lotharius Septemb. 29. Rabanus B anno ſequenti deceſſit: Hildegardis Theodori comitis uxor, *Regina* dicitur, quia Ludovico Pio patre nata eſt.) Ad annum 857. *Benedictus Papa obiit.* (Ad marg. Blondellus: imò anno 858. April. 8.) Ad annum 858. *Nicolaus Papa 107. doctus, annis 9.* (ſedit) *diebus 9.* (Ad marg. Blondellus: imò annis 9. menſibus 6. diebus 20. ab anno Dom. 858. April. 24. fer. 1. ad 867. Novemb. 13. fer. 7.) In editione autem Colonienſi anni 1618. ad annum 846. *Romæ Leo IV. ſedit annis 9. &c.* Ad annum 847. *Moguntiæ Otgarius archiepi-* C *ſcopus obiit; pro quo Rabanus Fuldenſis abbas, doctiſſimus archipræſul ſedit annis 9.* Ad annum 849. *Walachfridus abbas Strabo obiit pro quo Folcwinus XIII. præfuit annis 9.* Ad annum 855. *Lotharius Imperator relicto mundo, &c. monachum ſe fecit, &c.* Ad annum 856. *Rabano Moguntinenſi archiepiſcopo pridie nonas Februar. defuncto, Carolus Pipini regis Aquitaniæ filius, qui è cuſtodia Corbeienſis cœnobii ad patruum Ludovicum transfugerat, archiepiſcopus ab ipſo promotus præfuit annis 8. Hildigard Regina obiit. Fuldis* D *Hatto abbas obiit, Thietoque ſucceſſit, &c. Romæ Leone defuncto Benedictus Papa ſedit annis 2. menſibus 6.* Ad annum 858. *Romæ poſt Benedictum Nicolaus Papa ſedit annis 9.* In iſta lectionum varietate, unum fixum manet in quo & ſibi conſtat utriuſque editionis Hermanni chronicon, Leoni ſcilicet IV. ſucceſſiſſe Benedictum III. quem poſt annos duos & menſes ſex excepit Nicolaus anno 858. qua certe epocha admiſſa, biennium Papiſſæ Leonem IV. inter & Benedictum III. penitus evaneſcit.

E Decimo-quinto, Leo IX. Papa, poſt Blondellum loquor *pp. 20. & 21.* anno Domini 1054. April. 19. denatus, epiſtolæ ad Michaëlem Conſtantinopolitanum Patriarcham, & Leonem Achridæ Bulgarorum archiepiſcopum, anno 1053. datæ, *cap. 23.* (ait:) *Abſit ut velimus credere quod publica fama non dubitat aſſerere Conſtantinopolitanæ eccleſiæ contigiſſe, ut Eunuchos contra primum ſancti Nicæni concilii capitulum paſſim promovendo, fœminam in ſede Pontificum ſuorum*

Digitized by Google

ſublimaſſet aliquando. Hoc tam abominabile ſcelus deteſtabileque facinus, etſi enormitas ipſius, vel horror, fraternaque benevolentia non permittit nos credere; conſiderata tamen incuria veſtra erga ſanctorum cenſuram canonum, quia Eunuchos & aliqua parte corporis imminutos, non ſolum ad clericatum, ſed ad Pontificatum etiam indifferenter & ſolemniter adhuc promovetis, fieri potuiſſe penſamus. Si ducentis ante annis, ſubdit Blondellus, Leonis IV. loco Joannam ſediſſe conſtabat, an non inſanus fuiſſet Leo IX. conſimile dedecus ex incertæ famæ rumuſculis hauſtum, Conſtantinopolitanis exprobrare auſus, meritas confeſtim inhumanæ dicacitatis injuria provocatis pœnas daturus! judicent rerum periti. Huic criminationi in Græcos anſam fortaſſis dediſſe Herchempertum conjicit Mabillonius *to. 3. annal. Bened. num. 86. pag. 42.* Is enim ſomnium referens Arechiſi principis Beneventani, illi ait à dæmone in ſomnis fuiſſe ſuggeſtum, Patriarcham qui Conſtantinopoli recens electus fuerat, fœminam eſſe ſub clericali veſte ſexum mentitam, quod Arechiſus, miſſo in illam urbem nuncio, detexerit, idque propudium ab illa ſede repellendi auctor fuerit. Fabula eſt proculdubio: ſed quid Michaëlem Cerularium Patriarcham Conſtantinopolitanum ſedis Romanæ hoſtem infenſiſſimum, Græcorumque ſeparationis ab illa præcipuum incentivum impedivit, quominus fabulam ſimilem de Papiſſa Leoni regereret, niſi quod hæc toti orbi hucuſque eſſet ignota!

Alii ſcriptores ſæculorum XI. & XII. quorum teſtimonia profert Blondellus *pag. 24.* eodem modo, poſt Leonem IV. in ſedem Romanam evectum eſſe Benedictum III. perhibent. Sic Hugo Floriacenſis, qui ante annum Dom. 1059. ſcribebat, ſiquidem eo anno Philippi I. Regis Franciæ coronationi interfuit Rainerius ejus ſucceſſor, hæc ait in chronico *lib. 6. In Romana eccleſia Papæ Gregorio Sergius ſucceſſit, & Sergio Leo IV. & Leoni Benedictus, & Benedicto Nicolaus.* Sic Florentius Vigornienſis monachus, de quo Joannes Pitſeus Anglus, *Relationum hiſtoricar. de rebus Anglicis, to. 1. Pariſ. 1619.* ait *p. 197. Ex Mariano Scoto, & quibuſdam aliis, chronica ſcripſit, in quibus agit de Pontificibus & Imperatoribus Romanis, Marianum quidem abbrevians quodam modo, ſed res plures paucioribus verbis complectens, & multa, de regibus præſertim Angliæ ſuperaddens. Deduxitque hiſtoriam ab initio mundi uſque ad finem vitæ ſuæ, hoc eſt ad annum Domini 1119.* Titulus eſt, *Chronicon chronicorum.* In eo autem chronico, ad annum 843. legitur: *Anno 843. Gregorius Papa obiit. 844. Sergius 101. Papa. 853.* (imò 847. inquit ad margin. *pag. 24.* Blondellus) *Leo Papa 102. poſt Petrum. 855. Benedictus 103. Papa poſt Petrum. 858. ſanctus Nicolaus Papa 104.* Sic Honorius Auguſtodunenſis eccleſiæ presbyter & ſcholaſticus, in ſerie Pontificum ad annum Domini 1130. continuata; *Sergius junior Roman. 3. annos. Leo IV. Roman. annos 8. menſes 3. dies 6. Benedictus III. Roman. annos 2. menſes 6. dies 6. Nicolaus Roman. annos 9. menſes 6. dies 30.* (20.) Sic Nicolaus Manjacutius catalogo Romanorum Pontificum.

Gregorius quartus, & Sergius, & Leo quartus
Pontifices dicti, poſt quos legimus Benedictum.
Hinc Nicolae tuo tua gaudet Roma decore.

Hos verſus recitat Mabillonius *in præfat. part. 2. actorum ſanctorum ſæc. 6. Bened.* §. 1. *num. 6.* ut anonymi Poëtæ ſæculi XII. qui ſub pontificatu Eugenii III. mortui anno 1153. florebat. Sic tandem chronicon bibliothecæ regiæ manuſc. numero 1349. teſte eodem Blondello *pag. 26.* in quo duo extant Romanorum Pontificum catalogi, quorum prior deſinit in annum 1124. uterque autem Benedictum III. Leoni IV. ſuffectum notat. Addit Pagius *tom. 3. crit. annal. Baron.* ad annum 853. *num. 14. p. 624. col. 2.* in nullis catalogis Pontificum Romanorum, ſive Vaticanis, ſive Colbertinis, ſive aliis, ante annum 1400. exaratis, Pſeudopapiſſæ Joannæ nomen haberi: quod tamen in variis catalogis poſt eum annum confectis, & à ſe viſis, inſcribitur. De eadem Joanna pariter prorſus ſilent, ex eodem Blondello *pag. 24. & ſeqq.* Conradus à Lichtenaw, abbas Urſpergenſis, cujus chronicon ex vetuſtioribus contextum in annum Dom. 1229. terminatur: Albertus Stadenſis, qui circa annum 1240. chronicon edidit; Albericus qui chronicon ducit uſque ad annum 1241. Vincent. Bellovac. in *Spec. hiſt. capp. 36. & 37.* qui an. 1264. obiit. Guillelmus Nangiacus cujus chronicon non excedit annum 1301. Mathæus Weſtmonaſterienſis in Anglia cœnobii monachus qui florebat anno 1377. Is, licet jam tunc à centum circiter annis fabula Papiſſæ, multorum recentiorum ſcriptorum, ut & vetuſtiorum interpolatorum ac corruptorum quorumdam, operibus ventilaretur, ejus tamen minime meminit: hæc enim habet *lib. 1.* chronici ab exordio mundi uſque ad ann. 1377. Londini 1570. *pag. 303.* Anno gratiæ 847. *Leo Papa ſedit in cathedra Romana annis 8. menſibus 3. diebus 6. & ceſſavit ſedes menſibus duobus.* (Ad margin. Blondellus ait, *pag. 26.* vacationis tempus numero rotundo uſus notavit Matthæus; fuit enim poſt Leonis obitum dierum 73. interpontificium) pergit Matthæus *p. 308. Anno gratiæ 855. Leone Papa defuncto ſucceſſit ei*

Digitized by Google

ſucceſſit ei Benedictus annis duobus, menſibus 6. & diebus 10. Et pag. 309. *Anno gratiæ 858. defuncto Papa Benedicto, Nicolaus ſedit in cathedra Romana annis 9. menſibus 2.* (lege *6.*) *& diebus 20.* Gobelinus demum Perſona Halberſtadienſis eccleſiæ præpoſitus, qui in chronico ad annum 1418. deſinente, Benedictum III. Leoni IV. ſufficit. His auctoribus à Blondello productis adverſus fabulam Papiſſæ, plures alii ex ſuperioribus ſæculis adjungi poſſent, ut Lambertus Schafnaburgenſis cœnobii Hirsfeldenſis in diœceſi Moguntina monachus, qui veſtem religioſam induit anno 1058. rerumque Germanicarum texuit hiſtoriam uſque ad annum 1077. editam in collectione illuſtrium veterum ſcriptorum rerum Germanicarum à Joanne Piſtorio adornata. Hugo Flaviniacenſis, hujus cœnobii abbas electus anno 1097. qui in chronico Virdunenſi, *tom. 1. novæ biblioth. mſſ. Labb. p. 120.* ait: *Anno 844. mortuo Gregorio Sergius Papa ſuccedit, & tres annos adminiſtrato ſacerdotio Leoni III.* (IV.) *dereliquit; & poſt annos.... ſuccedit Benedictus III. annis duobus. Et* (poſt hunc) *Nicolaus I. qui exactis in ſacerdotio decem annis Adriano ſedem reliquit anno ab Incarnat. Dom. 867.* Joannes quoque Iperius monachus ſancti Bertini in Belgio, qui in chronico deducto ab anno 590. uſque ad annum 1294. apud Edm. Martenne *tom. 3. Theſauri novi Anecdotor. à col. 445. ad col. 776.* ubi legitur, *col. 515.* C. *Sedit Leo annis 8. menſibus 3. diebus 6. Poſt quem fuit Papa Benedictus III. qui porticum à porta civitatis uſque ad ſanctum Paulum, & abhinc uſque ad ſanctum Laurentium reſtauravit, & ſepultus eſt ad ſanctum Petrum, ſedit annis 2. menſibus 6. & ceſſavit ſedes diebus 15. cui ſucceſſit Nicolaus I.* Obiit ille auctor anno 1383. Mitto Leonem Oſtienſem, Joannem Cremonenſem, &c. ut rem longe gravioris momenti diſcutiam, num ſcilicet Marianus Scotus, Sigebertus, Radulphus Haviaci in Bellovacis monachus, Galfridus Arthurus, Otto Friſingenſis, & Godefridus Viterbienſis, ſcriptores XI. & XII. ſæculi, quos Blondellus *pag. 2. & ſeq.* & poſt ipſum auctor *diſſert. Gallicæ de Joanna Papiſſa, à pag. 57. ad 72.* præcipuis Joannæ pontificatus inter Latinos aſſertoribus accenſent, aliquid reipſa de illa Pſeudopapiſſa in genuinis ſcriptis prodiderint. *Nec Martinus,* verba ſunt Blondelli *pag. 63.* de Martino Polono loquentis, *ex incerto rumore, ſed ex antiquorum Mariani, Rudolphi, Ottonis, Galfridi, Godefridi, &c. teſtificatione, Papiſſæ aſſertor fuit.*

Primo itaque occurrit Marianus Scotus. Is in Scotia vel Hibernia natus anno 1028. Ordini S. Benedicti Coloniæ nomen dedit anno 1056. & obiit Moguntiæ anno 1086. ætatis 58. Chronicon autem ſcripſit à Nativitate Chriſti uſque ad annum 1083. à Piſtorio inter veteres rerum Germanicarum ſcriptores editum. Legitur quidem ad ann. Chriſti 853. Lotharii XIII. *lib. 3. ætat. 6. illuſtr. ſcriptor. Germanicor. tom. 1. pag. 442. Leo Papa obiit kal. Auguſti,* & ad annum ſequentem 854. Lothar. XIV. *Huic ſucceſſit Joanna mulier annis duobus, menſibus quinque, diebus quatuor.* Blondellus relatis his Mariani verbis, in tabella quæ paginam 44. ſubſequitur diſſert. ſuæ Latinæ, ſic ratiocinatur: 1.° *Si poſtquam Leo IV. kal. Aug. anni 853. deceſſit, annis 2. menſibus 5. diebus 4. ſedit Joanna, ultra anni 856. metas ejus pontificium protrahi nequaquam poteſt. Fac enim (quod Albertus Stadenſis & Weſtmonaſterienſis diſerte negant, nec cum feriæ primæ in 29. Septembris incidentis charactere, quo dies incardinationis Benedicti inſignitur, aut cum legatione Lotharii Anaſtaſium Benedicti æmulum ſubmoventis componi poteſt) fac,* inquam, *poſt menſium 5. interpontificium, anni 854. Januario menſe Leoni ſuffectam Joannam: perierit certe anni 856. menſe Junio; vacaveritque ab ejus obitu ſedes menſibus ad minimum 6. quod nemo hactenus ſomniavit.* 2.° (Leonem) *quem pontificatus anno ſeptimo currente deceſſiſſe ſtatuit, annis 8. ſediſſe* (nihilominus,) *perperam ſecumque pugnans ſcribit.* 3.° *Nec kalendis Sextilibus anni 853. quo concilium epiſcoporum 67. Romæ Decembris* (die) *8. congregavit, ſed anni 855. Julii* (die) *17. denatus Leo eſt.* Et poſtea pluribus interpoſitis: *Ne igitur inſanam Mariano temere omnia turbandi libidinem affingamus, ſemel eum in Joannæ gratiam ſomniaſſe, quam perpetuo delirio laboraſſe, credere malumus.* Ita Blondellus de Mariano Scoto. Verum quum, ipſomet fatente, Joannæ pontificatus non obſtet quin Marianus in chronologia ſecum plurimum pugnet, & cum aliis ſcriptoribus, ut etiam conſtat ex innumeris in chronologia erroribus, quorum non paucos annotat Nat. Alexand. *to. 6. in-fol. diſſert. 3. pag. 233.* hinc minime ſequitur, ipſum de Joanna ſpecialem feciſſe mentionem. Et certe, ad annum 857. qui juxta ipſum quartus eſſet poſt mortem Leonis, ait: *Benedictus 103. Papa poſt Petrum ſedit annis 2. menſibus 6. diebus 6. Sergium* autem Leonis prædeceſſorem paulo ſupra dixerat *101. Papam poſt Petrum:* ex quibus patet ab ipſo Joannam non computari in numero pontificum. Porro hanc de Joanna Papiſſa relationem non eſſe ipſius Mariani, ſed appendicem ejus textui inſertam, idque non ante ſæculum decimum-tertium, colligit Leo Allatius *in confutatione fabulæ de Joanna Papiſſa ex monumentis Græcis, num. 3.* apud

Auguſtin. Oldoinum, de vitis Romanorum Pontif. & ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalium, *to. 1. col. 627.* & apud Pagium *tom. 3. crit. annal. Baron.* ad annum 853. *num. 14.* ex eo quod in ſinceris Mariani codicibus hanc non extitiſſe ſcriptor non ignobilis, qui metropolim Alberti Krantzii notis illuſtravit, teſtatus fuerit *lib. 2. p. 100.* edit. Colonienſis anno 1574. curatæ; ſed notam, quæ id indicabat, à typographis Francofordienſibus fuiſſe eraſam. Subdit Pagius *ibid.* anno 1654. Lucas Wadingus, ſuis libris omnibus notus, oſtendit mihi veterem codicem manuſc. Mariani, ac exemplar quod ex eo deſcribi juſſerat, ut illud typis mandare poſſet; tum quod in titulo Marianus, non *Scotus*, ſed *Hibernicus* vocatur: tum quod in libro 3. nulla Joannæ Papiſſæ mentio habetur. Sed morte (ejus) paullo-poſt ſuperveniente, conſilium illud ad effectum non eſt perductum; non ſine tamen litterarum detrimento, quum in fine laudati manuſc. extent variæ epiſtolæ *de ratione Paſchatis,* quas percurrere cogitaveram, ut viderem an Petavius in appendice ad tomum ſecundum de Doct. Temp. aliquam ex id genus epiſtolis prætermiſerit. Præterea initio ejuſdem codicis manuſcripti habetur parvum chronicon conſulare ad imperium Gallieni ſpectans. Exemplar iſtius codicis ſervatur nunc Romæ in conventu ſancti Iſidori, ſed autographum ad bibliothecam Vaticanam, aut ad aliquam aliam Urbis pertinebat. Obſervat rurſus idem Pagius argumentum magnum eſſe, in antiquis Mariani Scoti codicibus non reperiri iſtam fabulam, quod à nullo ex illis qui poſt ejus tempora præfatæ fabulæ primi meminerunt, ipſe Marianus in hujus ſententiæ patrocinium adducatur: imò quod Ptolemæus de Luca Ordinis Prædicat. qui non ante annum 1313. ſuam hiſtoriam eccleſiaſticam edidit, utpote quam dicavit Guillelmo de Baiona preſbytero Cardinali ejuſdem Ordinis, ad hanc dignitatem evecto menſe Decembri anni 1312. hæc afferat, *lib. 16. cap. 8.* de Leone IV. agens: *Omnes quos legi, præter Martinum* (Polonum, cujus nempe exemplar jam interpolatum in manus ejus inciderat) *tradunt poſt Leonem IV. fuiſſe Benedictum III. Martinus autem Polonus ponit Joannem Anglicum VIII.* Legerat porro indubiè Ptolemæus, ad ſuam hiſtoriam conficiendam, Marianum Scotum, Sigebertum, alioſque celebriores qui in ſimili inſtituto ipſi præiverant. Vidimus ſupra *col. 431.* E. Florentium Vigornienſem monachum, qui obiit anno 1119. id eſt 33. duntaxat annis poſt mortem Mariani Scoti, cujus chronicon compendioſe tradidit, nihil de Joanna afferere, quam utique apud Marianum non

A legerat, ſed Leoni IV. Benedictum III. immediate ſubrogare. De Mariano adhuc, cum Sigeberto, nunc ſermo redibit.

Secundo igitur Sigebertus. Is ex Natal. Alexand. *to. 6. in-fol. hiſt. eccl. ſæc. XI. & XII. cap. 6. art. 3. pag. 514. col. 2.* Gemblacenſis in Brabantia monachus Ordin. S. Benedicti, multa ſcripſit, inter quæ non infimum locum tenet chronicon ab anno æræ Chriſtianæ 379. ad annum 1112. obiit autem anno 1113. die 5. Octobris. In illo opere, juxta edit. Joan. Piſtorii, illuſtr. veter. ſcript. German. Fran-
B coforti 1613. *to. 1. pag. 565.* ad annum 853. Lotharii Imper. XIII. & Ludov. filii ejus regis German. IX. legitur: *Normanni per mare Britannicum oſtia Ligeris ingreſſi, urbem Nannetum invadunt, epiſcopum Sabbato ſancta Paſchæ baptiſmum celebrantem trucidant, clerum & populum perimunt. Inde Andegavum, deinde Turonos occupant, & ut tempeſtas omnia diruunt, templum etiam ſancti Martini incendunt.* Et ſtatim nihil interpoſito ſubſequitur: anno 854. Lothar. XIV. Ludov. X. *Fama eſt hunc Joannem fœminam fuiſſe, & uni ſoli familiari*
C *tantum cognitam, qui eam complexus eſt, & gravida facta peperit Papa exiſtens. Quare eam inter pontifices non numerant quidam, ideo nomini numerum non facit. Hincmarus Remorum archiepiſcopus in Francia claret, qui vitam ſancti Remigii ſcripſit. Benedictus Romanæ eccleſiæ 102. præſidet.* Supra *ibid.* dixerat ad ann. 847. Lothar. VII. Ludov. III. *Leo V.* (id eſt IV.) *Romanæ eccleſiæ 101. præſidet.* Auctor anonymus *diſſert. Gallicæ de Papiſſa pag. 69.* his Sigeberti verbis *fama eſt, &c.* præmittit: *Joannes Papa Anglus, ex edit. Pariſ. an. 1513.*
D Item Blondellus *Joannes Anglicus, in tabella ad pag. 44.* Sed palam eſt hæc verba *Joannes Anglicus,* non fuiſſe in cod. mſ. quo uſus eſt Piſtorius, non enim ea haud dubiè prætermiſiſſet. Nulla autem hic connexio, ut patet, iſtius aſſutamenti de Joanne fœmina, vel cum eo quod immediate præcedit, vel cum eo quod ſtatim ſubjicitur. Aſſutamentum proinde jure dico, præſertim quum in autographo cœnobii Gemblacenſis à Miræo edito prorſus deſit. Hinc utique Sandovallii Cardinalis index expurgatorius *pag. 109.* inquit
E idem Nat. Alexand. *ibid. diſſert. 3. pag. 255. col. 1.* in editionibus Sigeberti, in quibus hæc lacinia extat, hæc ad marginem adſcribi jubet: *Hos quinque verſus de Papa Joanne ſuppoſititios eſſe, nec reperiri in autographo affirmant viri docti.* Nec levis conjectura eſt, Joannæ Sigebertum non meminiſſe in chronico, quod Albericus, *Sigeberti exſcriptor,* ut notat ipſemet Blondellus, *pag. 25. de Joanna ſileat:* quod Vincentius Bellovacenſis, qui, ex eodem Blondello *ibid. Speculi hiſtor. volum. 3.*

Digitized by Google

capp. 36. & 37. Sigeberti verba mutuatur, non tamen, vel Joannæ, vel Benedicti meminerit: quod etiam Guillelmus Nangiacus ſancti Dionyſii monachus, ex eodem Blondello *ibid. Sigeberti de Leone IV. & ſucceſſoribus, nulla Joannæ facta mentione, verba exſcripſerit.* Difficultatem vidit ipſe Blondellus, propter quam in tabella jam memorata ſic loquitur: *Vix quicquam in tota hac periocha ſani. Nec enim Benedictus ad papatum anno Domini 854. evectus eſt; nec ei tunc locum fecit Leo, nec niſi defuncto Lothario præſedit, prout nos ſupra monuit Ado: nec, ſi vivente Lothario anno Domini 854. præſediſſe dicatur, ullus Joannæ pontificio locus reliquus fiet: nec aſſignata Joannæ eidem 29. menſium ſede, ut anno 852. Leoni IV. ſucceſſiſſe fingatur, integrum Leoni ſexennium ſupererit, quem octennio & quod excurrit clavum tenuiſſe apud antiquos omnes in confeſſo eſt. Quum igitur interjectum, inter Joannæ Benedictique nomen, Hincmari elogium depravati loci ſuſpicionem augeat: in Alberico, Vincentio* (Bellovacenſi,) *Guill. Nangiaco, &c. perpetuis Sigeberti exſcriptoribus, Joannæ ejuſdem deſideretur mentio: ipſiſque eadem Sigeberti hypotheſibus adverſari videatur, minus eorum ſententiæ repugnandum fuerit, qui Sigeberti manuſcriptis, ſive à Galfredo Monumethenſi, ſive ab aliis infartam volunt.* Addit præfatus Natal. Alexander, Papiſſæ fabulam cum iis etiam cohærere non poſſe quæ poſtea habet Sigebertus ad eumdem annum his verbis: *Benedictus Romanæ eccleſiæ centeſimus ſecundus præſidet. Hoc conſpiratione malignorum depoſito, Anaſtaſius præſulatum invadit: ſed Anaſtaſio à legatis Imperatoris Lotharii dejecto, & in carcerem truſo, Benedictus honorifice relocatur.* Hæc, inquam, verba fabulam de Papiſſa deſtruunt, eamque à Sigeberto aſſertam non fuiſſe demonſtrant; quia (quum Lotharius obierit eadem die qua Benedictus ordinatus eſt, 29. Septembris, vel die præcedenti, ſi tunc Leoni die 17. Julii defuncto ſucceſſiſſet Joanna) eo adductus eſſet Sigebertus, ut eodem tempore Benedictum III. cum Joanne fœmina in ſede Pontificia collocaret. Auguſtinus Oldoinus *tom. 1. hiſt. Roman. Pontif. & DD. Cardin. col. 637.* monet Sigeberti chronicon corruptum fuiſſe palam fieri ex mſſ. antiquiſſimis ejus exemplaribus, in quibus nihil prorſus de Papa Joanne fœmina habetur. Edidit ſane ante nonnullos annos ſumma diligentia & fide Sigeberti chronicon Aubertus Miræus, is autem ſic notat ad annum 854. *Hoc loco, nulla in Gemblacenſi, Aquicinctino, Lipſiano, aut Orteliano mſſ. codicibus, quid tale adſcriptum legitur, ut ſunt interdum nonnulla recentiore manu ad margines adjecta: itaque certum eſt hanc de Joanne Papiſſa fabulam Sigeberto noſtro falſiſſime attribui.* Et vero extat adhuc in Gemblacenſi cœnobio, ubi aſceta fuit Sigebertus, antiquiſſimum exemplar mſ. quod ipſius Sigeberti autographum eſſe proditur: at in eo codice præſertim conſpiciendo Joannes Molanus celebris ille doctor Lovanienſis, qui hoc ipſum volumen ſe contrectaſſe teſtatus eſt, aſſerit nullam penitus Joannis fœminæ fieri mentionem. Author anonymus *diſſert. Gall. de Papiſſa* memorat *p. 70.* codicem antiquiſſimum Sigeberti in pergameno poſt chronica Euſebii & Proſperi extare, exaratum anno 1154. ut in principio hujus codicis legitur, qui olim ad monaſterium Corbeienſe pertinebat, ſed nunc juris eſt biblioth. Leydenſis: in eo autem codice nihil dici de Papiſſa; collatione tamen facta inter hunc codicem, & eum quo uſus eſt Miræus, multa reperiri addita & detracta, nec proinde purum eſſe Sigeberti exemplar. Verum ſupponatur, quantum libuerit, unum illorum ex altero fuiſſe deſcriptum, quum in neutro exhibeatur hiſtoria de Papiſſa, nihilque eraſum appareat in utroque, palam eſt in duobus illis codicibus Sigeberti antiquiſſimis, ſemper defuiſſe hiſtoriam de Papiſſa, cujus proinde Sigebertus nequaquam meminerit. Tandem Mabillonius *to. 3. annal. Bened. lib. 34. n. 86. p. 41.* de Mariano Scoto & Sigeberto Gemblacenſi, hæc animadvertit. Huc intrudunt indocti quidam, & male feriati homines Joannam Pſeudopapiſſam, hancque fabulam Mariani Scoti, Sigeberti Gemblacenſis monachi, imò & Anaſtaſii bibliothecarii teſtimoniis adſtruere conantur, quos certum eſt nihil tale unquam ſcripſiſſe, ut ex ſinceris eorum libris manifeſtum eſt. Vidit Miræus, vidimus & nos poſt eum, in bibliotheca Gemblacenſi quæ nuper incendio conſumta eſt, exemplar autographum Sigeberti: item Mariani chronicon, ipſius Sigeberti ætate exaratum: vidimus & alia plura utriuſque chronici in aliis bibliothecis ejuſdem fere antiquitatis, in quibus nihil prorſus de Joanna illa commentitia occurrit: neque in Alberico qui eos exſcribere ſolet. Multo minus in Anaſtaſio, in cujus genuinis codicibus, Benedictus *mox* à Leonis obitu uno conſenſu electus memoratur. Denique Onuphrius Panvinius in annotationibus ad Joannem VIII. ſeu Papiſſam de qua mentionem facit Platina de vitis ſummor. Pontif. ait eo loci *pag. 105.* Primus autem qui hujus fœminæ fabulam tradiderit, fuit Martinus quidam, ut ferunt, Polonus, monachus Ciſtercienſis, &c. (De eo Martino vide ſupra *coll. 381. 382. & ſeqq.*) eam enim in nullo qui ante ipſum ſcripſerit, inveni, præterquam in uno Sigeberti chronico, in quo inter Leonem & Benedictum, ita

ſcriptum eſt: *Joannes Papa Anglicus, fama eſt, &c.* Cæterum hanc rem ex inſertionibus Galfridi monachi qui poſt Martinum vixit, aut Roberti qui Sigebertum ſupplevit, eſſe, teſtimonio eſt, quod in antiquis, veris, & germanis Sigeberti exemplaribus non extat.

Tertio, Radulfus Ordinis Benedict. monachus in cœnobio Flaviacenſi ſive Flaicenſi ſancti Geremari diœceſis Bellovacenſis ſæculo XII. perperam allegatur, ceu qui Joannæ Papiſſæ Pontificatum adſtruxerit. Hunc *doctorem præcipuum, & eximiæ converſationis virum* prædicat vetus codex manuſc. in bibliotheca ſancti Germani à Pratis, teſte Nat. Alexand. *to. 6. in-fol. hiſt. eccl. ſæcul. XI. & XII. cap. 6. art. 14. pag. 534. num. 3. col. 1.* Viginti libros Commentarior. in Leviticum compoſuit, qui extant in biblioth. Patrum edit. Lugd. 1677. tom. 17. *à pag. 47. ad pag. 246.* Præter hos libros, Trithemius ei adſcribit libros 14. in epiſtolas Pauli, librum unum hiſt. Francor. & librum unum chronici brevis. Initio hujus *tom. 17. Bibl. Patr.* de eo auctore dicitur: ſcripſit diverſa opera, ex quibus tantum hic extant lib. 20. in Levit. Philippus Labbeus *ibid. relatus pag. 48.* ait: Viderat chronicon hoc (ſcilicet Alberici) David Blondellus, ideoque in tract. de Joanna Papiſſa Radulfum Flaviaci monachum, non ad ſæculum X. ſed ad XII. retulit, in eo duntaxat hallucinatus, quod anno 1157. defunctum fuiſſe referat, quum tamen Albericus illo duntaxat tempore floruiſſe eum aſſeruerit. Idem Labbeus *to. 8. concil. col. 188.* ad Mareſii pro Pſeudopapiſſa ſcribentis argumenta reſpondens, hæc ſcribit: Falſum eſt quod ſubdit, Radulfum Flaviacenſem Joannæ Pontificatum recenſuiſſe. Proferat enim, amabo, vel verbulum ex libris ejuſdem 20. in Levit. aut aliis operibus. At id habet Blondellus. Eſto; ea enim ſunt ejus verba (pag. 3.) *Radulfus Flaviaci* (in textu Blondelliano legitur, *Haviaci in Bellovacis monachus*) *anno 1157. Alberico teſte, defunctus.* Verum, quod valde notandum eſt, nec verbatim refert ex editis ejus, aut ex calamo exaratis operibus, nec, ut in cæteris facere ſolet, locum indicat, ut mihi valde probabile ſit, lapſum hic fuiſſe Blondellum, & *Rudolfum* (ſic enim vocat *pag. 63.*) Ranulfum, aut Radulfum aliquem alium, cum Flaviacenſi confudiſſe. Quid enim non liceat mihi, quod Mareſio, impoſuiſſe memorioſiſſimo alias viro homonymiam vocis; ac de *Radulfo de Rivo* Tungrenſi Decano, qui non anno 1157. ſed anno 1403. deceſſit, accipiendum id eſſe, quod Flaviacenſi Blondellus attribuit! Et rurſus *ibid. col. 217. Ranulfum* aliquem, *Rudolfum* aut *Rodolfum*, ſub *Radulſi* Flaviacenſis monachi perſona deliteſcere ſa-

A gaciter fueram ſubodoratus ſupra *pag. 188.* nunc vero fontem, ſive hallucinationis, ſive malæ fidei, certo certius deprehendiſſe mihi videor, facem allucente Timanno Geſſelio, medico Ultrajectino communionis Calviniſticæ ſacris initiato, qui Blondelli antiquitatis eccleſiaſticæ peritiſſimi argumenta apud doctos non poſſe eſſe parvi ponderis contendit, & cum admiratione vidiſſe ſe ſubjungit Acatholicorum multos hunc viri candidi candorem ægrè ferre & malè interpretari. Facit, ejus ſunt verba, veritati injuriam, qui B falſi patrocinio illam opus habere putat: non requirit σοφὰ φάρμακα. Erimus ergo nos adeo ὀλιγόπιστοι, imò erga Deum immortalem tam inſigniter injurii, ut veritatem ab ipſo manantem, & ipſum illius verbum de quo dictum eſt: *Cœlum & terra præteribunt, ſed verbum Dei manet in æternum,* niſi mendacio fulciatur, periclitari putemus! abſit, abſit à piis animis tanta amentia: ſed ad rem. Auctor itaque primus apud Blondellum erroris..... fuit Conradus Deckerus in libro cui titulum fecit de Papa Romano & Papiſſa Romana, C quod Joannes VIII. fuerit mulier & puerpera; Oppenheimii ad Rhenum in 8. an. 1612. ſic enim ibi loquitur, *pag. 430. Deſcripſit Radulfus hanc hiſtoriam in ſuo Polychronico lib. 5. cap. 32. Teſtis locupletiſſimus & omni exceptione major, utpote in quo veritatis hiſtoricæ nulla deſiderantur* χρήμεια; *& vixit, juxta Trithemium anno circiter 930. ita ut papale hoc puerperium ab iis accipere potuerit qui illud viderunt.* Ex illo (itaque Conradi Deckeri) fonte (qui confundit Ranulphum auctorem Polychronici cum Radulfo Flaviacenſi) promanavit error D .... Etenim Radulfus, ſeu potius Ranulfus qui ſui Polychronici *lib. 5. cap. 32.* Joannæ Papiſſæ puerperium commemorare dicitur, non fuit Radulfus ille Flaviacenſis in diœceſi Bellovacenſi Ordin. Bened. monachus qui anno 1157. non vero 910. aut 930. florebat; ſed alius ejuſdem Ordin. Bened. in Anglia monachus, cognominatus Higdenus, vel ab Higeden, ſive ab Hykedem, duobus minimum ſæculis Flaviacenſi junior, quem Joannes Balæus, Joannes Pitſeus, (aliique) Angli ſcriptores, ac poſt eos Gerardus Voſſius ceE lebrant, docentque ætate confectum obiiſſe regnante Eduardo III. an. Chriſti 1377. Imo Joannes idem Pitſeus relation. hiſt. de rebus Anglicis, Pariſ. 1619. hæc habet de eo Polychronico Ranulfi ab Higeden, *to. 1. p. 516. Hiſtoriam Ranulphi multum quæſitam, nunquam inventam, & mihi non viſam fateor.* Quis ergo ſcit an in illo opere de Joanna Papiſſa reipſa fiat mentio! Hunc nihilominus citat Blondellus inter Joannæ aſſertores *p. 4. Ranulfus ab Higeden Ceſtrenſis, in annum Dom. 1363.*

Digitized by Google

vivens. Vide Polychronic. lib. 5. cap. 32.

Quarto, de Galfrido hæc Matthæus Paris habet, *in hiſt. Angliæ* ad annum 1151. *pag. 60. col. 1.* F. *Eodem anno Gaudefridus Arthurus factus eſt epiſcopus ſancti Aſaph in Norwallia, qui hiſtoriam Britonum de lingua Britannica tranſtulit in Latinam.* Apud Joannem Pitſeum paulo ſupra citatum, *to. 1. pag. 217.* hæc de illo leguntur: « Galfredus cognomento Arthurius, quia de rege Arthuro multa ſcripſit, » natione Britannus, archidiaconus Monimetenſis; vir in eccleſiaſticis diſciplinis inſigniter » inſtructus, doctus etiam maximè in omni genere humanioris litteraturæ, chronographus » etiam non contemnendus. Quod ſi in hiſtoria » Britonum ficta nonnunquam factis, falſa veris, » fabuloſa ſinceris miſcuiſſe videatur, id ei vitio » vertendum non eſt: nam hiſtoriam illam ipſe » non compoſuit, ſed ex Britannico in Latinum » ſermonem tranſtulit, *interpres fidus,* ut ſcribit » Matthæus Paris ad annum 1151.... Hæc » autem talia Britannica adverſaria, ope & » opera Gualteri archidiaconi Oxonienſis accepit Galfredus, & ſimpliciter vertit, veritatem vel falſitatem, quæ penes auctorem eſſe » debet, nequaquam examinans. Certe ego » homini multum tribuo: neque enim in Britannicis hiſtoriis hoc teſtimonio ejus, vix aut » ne vix quidem aliquid antiquius, gravius, veriſimilius habemus. A Brito Trojano Britonum » rege uſque ad Cadwalladrum, qui ultimus ex » illa progenie totius, vel majoris partis Britanniæ tenuit imperium, vel jus tenendi prætendit, hiſtoriam deduxit, hoc eſt, uſque ad » annum Chriſti 690. (qui ſcilicet 165. annus » fuit ante Papiſſæ tempora, de qua ſubinde nec » hiſtoria illa quidquam poterat tradere, nec ipſe » tradidit ſimiliter Galfredus, ſimplex & ſincerus » ejus duntaxat tranſlator) Has itaque, pergit » Pitſeus, antiquitates quod cognoſcamus, » hujus Galfredi diligentiæ debemus acceptum » referre: nam intercidiſſent, niſi ipſe convertendo conſervaſſet. Præterea Ponticus Virumnius Italus, vir doctus, hoc opus, quaſi » præciſis pilis & unguibus, id eſt, detractis » quibuſdam ſuperfluis, dignum judicavit in » epitomen redigi, & poſteritati commendari. » Quod factum apud me non parum auctoritatis tribuere videtur, & ipſi operi, & operis » auctori, & Galfredo tranſlatori. Denique ſi » talis fabulator eſſet Galfredus, qualem apud » ſeſe fingunt eum quidam obtrectatores, ſane » nunquam intuitu meritorum ſuorum, & imprimis laudatæ doctrinæ, ad epiſcopatum » Aſaphenſem aſſumtus fuiſſet.... cujus prima » & ſimplex verſio libros (ſeu volumina) tantum quatuor comprehendens, nunquam typis » mandata, ſed Cantabrigiæ in collegio ſancti » Benedicti manuſcripta dicitur haberi. Idem » etiam opus forſan ſecundum quædam mutatum typis mandatum eſt libris octo, & operis » procemium incipit: *Quum mecum multa de multis, &c.* Principium operis: *Britannia inſularum optima, &c.* Et dicitur haberi manuſc. » Cantabrigiæ in bibliotheca publica. Secundum ampliorem denique editionem imprimunt nonnulli ſub hoc titulo; nam idem opus » eſſe exiſtimo: *chronicon vel hiſtoriam Britonum, libros duodecim, &c.* » Multa & proſa ſcripſit, & verſu, non pauca etiam ex Britannico in Latinum vertit. Claruit anno 1152.

Quum Blondellus, qui hunc Galfredum aſſertores inter Joannæ Papiſſæ numerat, aliud ejus opus non memoret quam hiſtoriam Britonum, eo ipſo evidenter indicat illum de ea Papiſſa non feciſſe alibi mentionem. *Galfridus Arthurus Monumetenſis,* inquit pag. 3. *Aſaphenſis eccleſiæ præſul, Britannicæ hiſtoriæ conſarcinator, & Sigeberti, ſi Ræmundo* (Florimundo,) *Binio, &c. credamus, interpolator circa annum Dom. 1150. Vide Ræmundi errorem popularem capp. 5. & 32. Binii notas in vitas Pontif. &c.* Ita Blondellus. At niſi, vel ipſe, vel qui quoad hoc ei aſſentiuntur, oſtendant, in hac hiſtoria Britonum ſcriptum fuiſſe Papiſſæ pontificatum 165. annis ante quam hæc illum inierit, nunquam profecto conſtabit illius Galfridum in ſua verſione Latina meminiſſe. Saltem proferantur verba, ſive hiſtoriæ Britonum, ſive verſionis ejus Latinæ à Galfredo concinnatæ, quibus exhibeatur hæc fabula: aliàs, ſicut illa gratis ab eo auctore exarata obtruditur, ita eodem jure nobis id pernegare licebit. Binius, ad quem nos remittit Blondellus, ſic loquitur quidem de Galfredo, apud Labb. *tom. 8. conc. col. 153. quod taceo.... continuator Sigeberti Robertus abbas, ea quæ voluit immutaverit, iſtamque fabellam, quæ in antiquis* (Sigeberti) *exemplaribus non legitur, more ſciolorum intexuerit, acceptaque à Galfrido Anglo Monumetenſe, prout hac de re non immerito conqueritur Alanus Copus,* (qui obiit circa annum 1580.) *in chronico Sigeberti congeſſerit.* Verum, inquam ego, minimè probabile videtur à Galfrido interpolatum fuiſſe Sigeberti chronicon, auctumque ea fabula; tum quia de hoc ſilet Matthæus Paris, tum etiam quia ex nullo ſcriptore ſæculi XII. habemus fabulam de Joanna Papiſſa tunc temporis fuiſſe notam: tum denique quia ſæculo ſequenti adhuc in Sigeberti chronico deerat hæc fabella, quam ejus exſcriptores, ut ſupra dictum eſt, & fatetur ipſe Blondellus, Albericus, Vincent. Bellovacenſis, & Guillelmus Nangius, ſuis ſcriptis non inſeruerunt.

Quinto, Otto Friſingenſis Henrici IV. Imperatoris nepos, ex Natal. Alexand. *to. 6,*

Digitized by Google

pag. 535. col. 2. B. *in-fol. hiſt. eccl. ſæc.* XI. *&* XII. *cap. 6. art. 15.* Henrici V. ſororius, Conradi regis frater uterinus, Friderici I. patruus, Ordini Ciſtercienſi nomen dedit, abbaſque Morimundenſis in Burgundia, ac demum Friſingenſis epiſcopus creatus eſt. Vir fuit in philoſophicis diſciplinis ac ſacris ſcripturis doctiſſimus. Reliquit *chronicorum libros ſeptem*, ab orbe condito ad annum 1146. quibus addidit *librum* VIII. *de fine mundi & antichriſti perſecutione*. Hos edidit Chriſtianus Urſtiſius inter illuſtres Germaniæ hiſtoricos. Obiit anno 1158. die 21. Septemb. In catalogo autem Romanorum Pontificum, chronic. *lib. 7. cap. 35.* ſubnexo, *ſcriptor. illuſtr. Germ. pag. 163.* legitur, *Joannes VI. Joannes VII. fœmina. Siſinnius, &c.* Porro Joannes ille VII. ordinatus eſt anno 705. centum & quinquaginta annis ante mortem Leonis IV. prætenſamque Joannæ ad pontificatum promotionem. Hunc Ottonem inter Papiſſæ Latinos aſſertores numerat Blondellus *pag. 3.* ubi ſcribit: *Otto Friſinghenſis epiſcopus, Henrici IV. Imperat. ex Agnete filia, & Lupoldo Auſtriæ Marchione nepos, anno Dom. 1158. Septemb. 22. denatus.* Vide *lib. 7. chron. cap. 35.* Et *pag. 80. De Ottone falſum comperiet* (à Ræmundo ſcilicet Florimundo allegatum) *quiſquis lib. 7. cap. 35. evolverit.* Sed ipſe non animadvertit, catalogum Romanorum Pontificum, qui extat ad calcem præfati *cap. 35.* Ottonis, non ejus, ſed alterius auctoris longè recentioris eſſe fœtum, qui propterea in biblioth. PP. Ciſterc. opera P. Bertrandi Tiſſier ejuſdem Ordin. edita anno 1669. *tom. 8. pag. 96.* prorſus omiſſus eſt cum ſequenti monito: *Sequitur in alia editione* (puta ſcript. illuſtr. in German.) *catalogus Pontificum & Imperatorum: ſed conſtat illum non eſſe Ottonis noſtri, qui & in fine capitis 35. dicit ſe terminum libro* VII. *imponere. (Omnes hi.... hujus ſeptimi operis terminus exiſtant, &c.) & pluſquam quinquaginta Pontifices in eo catalogo ponuntur Ottonis ævo poſteriores. Ideo illum hic omittimus: caput quoque ſequens, quod dicitur ultimum, non eſt ejus, quum narret ea, quæ poſt mortem ejus contigerunt.* Et certe catalogus ille Romanor. Pontif. deſinit cum Leone X. ex quo evincitur auctorem illius catalogi ſub hujus pontificatu vixiſſe, proindeque ſæculo decimo-ſexto non eſſe antiquiorem. Eradendus ergo Otto ille Friſingenſis, ex eorum catalogo qui Joannæ Papiſſæ meminerint. Addo ſcriptorem hujus catalogi nobis objecti non videri loquutum de Papiſſa tantopere à ſæculo XIII. celebrata, quæ nimirum Leonem IV. inter & Benedictum III. ſederit anno 855. ſiquidem, nec tempus, nec ulla circumſtantia hanc indigitant. Nihil aliud

A ſubinde probabiliter voluit adſtruere hoc verbulo *fœmina* Joanni VII. ſubnexo ille auctor, quam quod conjecit Baronius de Joanne VIII. ſicut nempe hic Pontifex, ob nimiam indulgentiam erga Photium, deriſionis loco & locutione figurata, dictus fortaſſis fuerit *fœmina* ſive *Papiſſa*, ex quo promanaverit fabula de Papiſſa, ita Joannem VII. in eodem ſenſu *fœminam* fuiſſe, eo quod canones Trullenſes, à ſe tamen minimè receptos, non ſatis acriter proſcripſerit. Nam hoc ſolum ait ille auctor, *Joannes VII. fœmina*, Pagius B autem obſervat *tom. 3. crit. annal. Baron.* ad annum 879. *num. 9.* placuiſſe magnis viris Baronii conjecturam, ejuſque exemplo Papebrochium in Conatu chronico-hiſtorico propoſuiſſe an puſillanimitas, non Joannis VIII. ſed *Joannis VII.* eidem fabulæ occaſionem non præbuerit.

Sexto denique, Godefridus *Viterbienſis* à patria cognominatus, ex Nat. Alexand. *to. 6. in-fol. hiſt. eccl. ſæc.* XI. *&* XII. *cap. 6. art. 16. n. 5. pag. 537. col. 2.* preſbyter, Conradi III. Frederici I. & Henrici VI. Imperatorum ca-C pellanus & notarius, chronicon univerſale, partim carmine, partim ſoluta oratione intermixtis ſcripſit, ab orbe condito uſque ad annum 1186. Multis fabulis refertum illud opus eſſe critici notant. Hunc nihilominus præcipuis Joannæ pontificatus aſſertoribus inter Latinos annumerat Blondellus, *pp. 3. & 4. Godefridus Viterbienſis, Imperialis Aulæ Capellanus, circa annum Dom. 1186. Vide Pantheonis parte 20.* Et rurſus *p. 31.* Sigebertum, prout vulgo editus eſt, & Godefridum, quos recentiores omnes ſequuti ſunt, diſerte mo-D nentes audiant (de Joanna:) *Nomine numerum non facit, Papiſſa Joanna non numeratur.* Eadem verba *Papiſſa Joanna non numeratur*, ſive *non computatur*, aſſerit legi, in ea Pantheonis Godefridi *part. 20.* inter Leonem IV. & Benedictum III. auctor anonymus diſſert. Gallicæ de Papiſſa, *part. 2. cap. 3. pag. 72.* Extat chronicon illud Godefridi Viterbienſis *to. 2. Germanic. ſcriptor. ex biblioth. Joannis Piſtorii Nidani D. Hanoviæ 1613.* De eo Godefrido, ejuſque chronici editione à ſe concinnata ſic præfatur Baſilius Joannes Heroldus, qui E primus, ut ex ejus verbis colligitur, hoc opus cudi curavit: *Vixit vir ille quadringenteſimum annum ante nos, aut paulo amplius*, (quod deſignat hæc à Baſilio iſto ſcripta ſæculo 16. exeunte aut ineunte ſequenti) *vivit ac volitat nunc per ora virum, vivetque merito in æternum, &c. Cæterum, ut ingenue id quod mihi ipſi perſuadeo proferam, videor mihi nonnihil, ac ex parte quæ debeo patriæ præſtitiſſe, quod hujus auctoris ſcripta indagavi, quod illa in publicum edo, atque doctis viris communico.*

Digitized by Google

Wolfgango quoque ab Uſſighem, viro memoria (quam ſemper præ omnibus rebus ſibi optabat) in libro vitæ digniſſimo, quod hunc librum in ſua bibliotheca Fuldenſi, etiam in maximis bellorum periculis, & ſæpius præſenti diſcrimine ſodalitatis ſuæ, conſervarit integrum, eumdemque per me evulgari voluerit, quum litterati homines, quas debent gratias referre nequeant, eas quidem ac maximas agant neceſſe eſt Wolfgango Schutzbar (aliàs Milchling) pientiſſimi illius mei patroni ſucceſſori optimo, &c. Hic enim in bonos, in ſtudioſos, in pauperes admodum beneficus, hanc editionem ut maturarem reipublicæ bono ſæpius admonuit, atque ardenter deſideravit. Hæc Baſilius Joannes Heroldus. Porro verba quæ anonymus Gallus fabulæ propugnator citat, in Pantheone Godefridi hujus editionis minimè reperiuntur: *Leo Papa,* inquit chronic. *part. 20. col. 576. ſedit annis octo, menſibus quinque, ſub eodem Lothario & filio ejus Ludovico. Benedictus Papa* (nihil de Joanne aut Joanna) *ſub eodem* (Ludovico) *ſedit annis duobus. Ludovicus Imperator regnat poſt patrem ſuum. Paulus Papa* (fictitius eſt hic Pontifex ſicut & Stephanus quem poſt eum nominat) *ſub eodem Ludovico ſedit annis decem, menſibus duobus. Ceſſat anno uno. Stephanus Papa ſedit annis quatuor. Nicolaus Papa ſedit annis decem, menſe uno.* Finit opus his verbis *col. 580. Urbanus III. Papa ſedit ſimiliter imperante Friderico, & regnante filio ejus Henrico: ſedet feliciter, amen:* quibus denotat hæc à ſe ſcripta inter diem 25. Novembris 1185. quo Urbanus III. electus eſt, & diem 20. Octobris 1187. quo Pontifex ille obiit. Graviter ſane hallucinatur in illa Romanor. Pontif. ſerie hic auctor: ſed quum in tot erroribus ab editore ſincero emendatus non eſt, ſignum eſt nec verba nobis objecta de Papiſſa ab eodem prætermittenda fuiſſe, ſi in codice mſ. extitiſſent quo ille uſus eſt: in iis enim illuſtr. ſcriptor. voluminibus, quæcumque de Joanna Papiſſa in codicibus mſſ. occurrerunt, fide integra edita ſunt. Speciminis loco ſit, quod legitur *tom. 1.* præcedenti, *Ex eadem bibliotheca Joannis Piſtorii Nidani D. Francofurti 1613.* in chronica compendioſa, quæ eſt compilatio de diverſis excerpta, ab initio mundi ad ann. 1474. Ibi enim *p. 731.* hæc habentur: *Sergius hoſtis Formoſi Papa ordinatus brevi tempore ſedit.* Deinde titulus: *De Papiſſa. Fuit & alius Pſeudopapa, cujus nomen & anni ignorantur: nam mulier erat, ut fatentur Romani, & elegantis formæ, magnæ ſcientiæ, & in hypocriſi magnæ vitæ. Hæc ſub virili habitu latuit quouſque in Papam eligitur. Et hæc in papatu concepit, & quum eſſet gravida, Dæmon in conſiſtorio publicè coram omnibus prodit factum, clamans ad Papam hunc*

A *verſum: Papa pater patrum Papiſſæ pandito partum.* Idem nihilominus hujus compilationis chronologicæ auctor *pag. ſuperiori 730.* poſt Leonem IV. Benedictum III. memorat, omiſſo Joanna Papiſſa. *Anno Dom. 844. Leo Papa 106. ordinatur, ſedit annos 8. menſes 5. Hic conſtituit, &c. Anno Dom. 856. Rabanus archiepiſcopus Moguntinus migravit ad Chriſtum. Benedictus Papa 107. ordinatur. Sedit annis 2.* Hallucinatur quidem hic ſcriptor, tum in chronologia quam affert eo loci; tum in eo quod Benedictum inter & Nicolaum I. *Pau-*
B *lum* quemdam fictitium nominet, quem ait ſediſſe 10. annis, & duobus menſibus; ſed conſideratione dignum, quod nullam de Joanna hic faciat mentionem. In eodem volumine, alius auctor anonymus, qui hiſtoriam texuit de Landgraviis Thuringiæ ait, *cap. 7. p. 912. Sub eodem Carolo* (Imperat.) *Papa Joannes celebravit ſynodum in Erfordia, tunc Hildeberto exiſtente archiepiſcopo Moguntino, anno Dom. 880. Nota. Iſte Papa fuit mulier, & eſſet VIII. ſi computaretur inter alios.* Hiſtoriam deducit ille auctor uſque ad annum 1426. At anno
C 880. ſedem Romanam tenebat Joannes VIII. qui reſtitutionem Photii anno præcedente admiſerat, nec fuit dictus *mulier* niſi ad ſummum metaphoricè & per contumeliam, ut opinatus eſt Baronius.

Ex his omnibus ſequitur nullum ſuppetere auctorem ſæculo XIII. antiquiorem, quem aliquam de Joanna Papiſſa feciſſe mentionem conſtet. Undenam ergo hauſerunt, hanc Leoni IV. ſucceſſiſſe, qui quarto duntaxat poſtea ſæculo id ſcripſerunt nullo præeunte duce? Et certe, quod nulli omnino hominum
D ſæculo nono, vel tribus ſæculis ſequentibus notum fuit, quomodo ad notitiam poſteriorum devenit?

Hæc profecto fabula non aliunde promanaſſe videtur quam quod à quopiam, qua intentione, Deus ſcit, primo excogitata, rumore deinde per vulgus ad quodcunque novum eſt ſuo calculo probandum ſemper paratum ſparſo, in orbem ſenſim invecta ſit: vel quod ab aliqua alia hiſtoria malè percepta ortum duxerit. Innumeri autem auctores, qui exinde Joannæ meminerunt, de prætenſo
E ejus pontificatu diſſertationes minime texuerunt, quibus quid judicandum foret ſedulo perquirerent. Sed fabulam à præcedentibus ſcriptoribus bonâ fide ſuſceptam, pro data opportunitate poſteris tranſmiſerunt: quorum etiam multi ingenuè profitentur, ſe de ea hiſtoria plurimum dubitare.... Sic Æneas Silvius epiſtola ad Joannem Carvajalium die 20. Aug. anni 1451. *Iſthic neque juris error, ſed ignorantia facti fuit: neque certa hiſtoria eſt.* Sic ſanctus Antoninus *part. 2. chronic.*

Digitized by Google

tit. 16. cap. 1. §. 6. relata narratione de Papiſſa prout apud Martinum Polonum interpolatum legitur, ſubjungit: *Vere valde mirandum, & cum Paulo clamandum;* ô altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, &c. *Si verum fuit quod vulgo dicitur, ut iſte refert: & quoddam ſignum ſculpturæ marmoreæ, in via ubi hoc contigit, ob ejus rei memoriam poſitum dicitur. Vincentius tamen* (Bellovacenſis) *in Speculo hiſtoriali, & Joannes de Columna nihil de hoc referunt. Sed, etſi fuit verum, nulli tamen ex hoc ſalutis præjudicium; quia nec eccleſia tum fuit ſine capite, qui eſt Chriſtus, unde influxum gratiæ percipit, nec ultimi effectus ſacramentorum quæ illa conferebat, deficiebant eis qui devote accipiebant ab ea, ſcilicet gratia. Licet illa, ſicut nec aliæ fœminæ, ſint ſuſceptibiles characteris alicujus ordinis, nec conficere Euchariſtiam, nec etiam de facto ordinare poſſint, nec abſolvere à peccatis; unde ordinati ab ea erant iterum ordinandi, quia nihil ab ea acceperant: gratiam tamen ſacramentorum Chriſtus ſupplebat in recipientibus dignè, ignorantia facti inviſibilis eos excuſante à culpa.* Addit Auguſtinus Oldoinus, in vitis ſummorum Pontif. & DD. ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinal. *tom. 1. col. 638.* Sanctum Antoninum hanc Joannam omiſiſſe in catalogo brevi Romanorum præſulum. Sic demum Platina in libro de vitis Pontificum edit. Lovanienſis 1572. poſtquam retulit, ſub titulo Joannis VIII. inter Leonem IV. & Benedictum III. ex Martino Polono interpolato, eamdem Joannis hiſtoriam, *pag. 103.* addit: *Hæc quæ dixi vulgo circumferuntur, incertis tamen & obſcuris auctoribus; quæ ideo ponere breviter & nude inſtitui, ne obſtinate nimium & pertinaciter omiſiſſe viderer, quod fere omnes affirmant. Erremus etiam nos hac in re cum vulgo: quanquam appareat, ea quæ dixi ex his eſſe quæ fieri poſſe creduntur.* Hinc etiam iſtæ phraſes Papiſſæ aſſertoribus familiares: *ut aſſeritur, fama eſt, creditur, dicitur, fertur, &c.* quæ rem incertam ſignificant. Verum his poſterioribus ſæculis, quæſtione maturius pertractata, & re ab ovo, ut ita loquar, ſumta, diligenterque diſcuſſa, veritas manifeſte patuit, hiſtoria de Papiſſa, à peritiorum maxima parte communi calculo, inter aniles fabulas amandata eſt.

Rom. cap. 11. v. 33.

Adde factum iſtud ex genuina traditione minime profectum evinci ipſa diverſitate qua ab auctoribus refertur. Nam, ut obſervat Blondellus, *diſſert. Latinæ pag. 11.* 1.° Nonnulli ſcriptores Leonem IV. *quintum* dicunt, vel quod Gregorium IV. *Leonem IV.* appellent, à cujus nomine *Leonianam* urbem nuncupatam velint: vel quod *Leonem* neſcio quem, Hilarii noſtri exagitatorem, & Felici II. Liberii Pontificis æmulo anno Dom. 358. ſuffectum cenſuerint.... 2.° Quidam alii, vel ex typographorum incuria, vel quia inter Joannem VI. & Joannem VII. quorum utriuſque ſimul adminiſtratio ad integrum ſexennium vix pervenit, diſtinctionem non percepere, Joannem hunc ſeptimum, *Joannam* fuiſſe dixerunt: Jacobum Philippum Bergomatem, Sabellicum, Volaterranum, auctores ſæculi 15. & 16. &c. citat........ 3.° Joannam, *anno ſecundo nondum expleto* deceſſiſſe aſſerit Albertus Krantzius: *biennio pleno, ſolidoque menſe* exactis Platina & Carranza *dies 4.* addunt; eidem *ſex* dies ultra biennium Achilles Firminius Gaſſarus, *ſeptem* dies Laſiardus, qui auctores pariter ſunt ſæculorum 15. & 16. At reliqui *quinque menſes,* præter biennium, ejus pontificatui aſſignant... 4.° *Joannem Anglicum,* Sigebertus, vel potius ejus interpolator Martinus Polonus, (rectius dixiſſet Blondellus utriuſque interpolatores, quum Joannam à neutro illorum ſcriptorum fuiſſe memoratam ſupra demonſtratum ſit) Palmerius, Platina, Rolwinck, Sabellicus, Nauclerus, Krantzius, Trithemius, Laſiardus, Textor, &c. vocant. *Natione Anglicum, ex Anglia profectum* Bergomas & Gaſſarus: *vocatum de Anglia* Theodoricus à Niem putat: *natione Moguntinum* Martinus & Rolwinck; *ex Moguntiaco* Platina: *Moguntiaco oriundum* Sabellicus; *de Moguntia natum* Theodoricus à Niem aſſerit, ſæculorum 15. & 16. ſcriptores.... 5.° *Joanna* poſt 106. Papam Palmerio, poſt *105.* Carranzæ, poſt *103.* Mariano, poſt *102.* Sigeberto ſediſſe fertur.... 6.° *Declinatæ viæ* à Pontificibus Romanis meminit Martinus Polonus (id eſt ejus interpolator,) *ſtatuæ,* (de qua infra) Theodoricus à Niem anno 1414. *ſedis perforatæ* primus Guillelmus Brevinus circa ann. 1470. meminere: aliis poſt annum 1540. ſcribentibus *Magiæ deditam, inſuper Ludovici II. Imperatoris coronatricem,* Joannam fuiſſe ſcribere placuit: ut lambendæ quam informem primus infeliciter excluſerat Marianus maſſæ, verba ſunt Blondelli, *p. 12.* 454. annorum periodus vix ſuffeciſſe videatur.... 7.° *Agnetem* dictam Huſſus, *lib. de Eccleſia,* Galethus apud Æneam Sylvium epiſt. 130. Fulgoſius, Francus, &c. *Gelibertam* Balæus, centuriatores, &c. nominatam fuiſſe hanc Papiſſam tradunt. Qui vero *Iſabellam,* qui *Margaritam,* qui *Juttam,* qui *Dorotheam,* qui *Joannem IX.* eamdem appellaverint; qui anno ſive 857. ſive 858. collocaverit præter Bergomatem: qui denique vel anno 904. poſt Benedictum IV. vel 653. poſt Martinum I. vel 686. poſt Joannem V. quicquid poſt Ræmundum Florimundum Baronius & Binius aſſeruerint, inquit idem Blondellus *pag. 13.* ſive

Digitized by Google

ſive ex Proteſtantibus, ſive ex Romanæ eccleſiæ communicatoribus, hactenus innotuit nemo........ 8.° Quum apud omnes qui Papiſſam in natura rerum uſquam fuiſſe crediderunt, poſt Leonem IV. & ante Benedictum III. hanc ſediſſe in confeſſo ſit, quiſquis deinceps annorum 852. & 858. lineas tranſilire in animum induxerit, extra chorum ſaltare, ſingularem, veteribus ignotam, ἄτοπον, quæque iiſdem quibus communis urgetur incommodis obnoxia ſit, ſententiam propugnare merito videbitur. Hæc Blondellus, qui ingenuè agnoſcit, hiſtoriæ Papiſſæ aſſertores, in præcipuis ejus circumſtantiis enarrandis, inter ſe minime eſſe conſonos.

Nec regerat auctor anonymus diſſertationis Gallicæ pro Papiſſa, perperam inferri à nobis, ex eo quod ſcriptores Benedicto III. coætanei vel ſuppares, nihil tradiderint de Joanna quæ ante ipſum poſt Leonis IV. mortem ſedit, hanc ipſorum temporibus minime fuiſſe notam: nam alii quidem, quando aſſeruerunt, *Leone è vivis ſubſtracto, Leone obeunte, poſt Leonem,* promotum fuiſſe Benedictum: non ideo excluſerunt pontificatum Joannæ, ſed hac loquendi formula ſignificare duntaxat voluerunt, *Benedictum poſt Leonem ſediſſe,* licet non immediate, ſicut Romani Pontifices dici conſueverunt *Petri ſucceſſores.* Alii vero, utpote ſedi Romanæ ſcrupuloſius addicti, abhorruerunt à mentione facienda de Papiſſa, ex qua non parum dedecoris in hanc ſedem redundaſſet; ejus inſuper decretis retinebantur diſtrictè vetantibus ne inter Pontifices Romanos Joannes fœmina ullatenus computaretur, eorumque numerum augeret, de quibus proculdubio decretis intelligendus occurrit auctor præfat. ad Indicem Martini Poloni, quum ait: *Niſi obſtarent ſummorum Pontificum decreta, computationes Martini exhiberent viginti duos Joannes Romanos Pontifices.* Alii denique, licet ſedi Romanæ infenſi, ut Photius, pluresque, tum Græci, tum Latini, qui à Romanis Pontificibus graves tulerant injurias, noluerunt tamen hiſtoriam Papiſſæ propalare, ex qua lites ipſorum cum ea ſede minime dirimendas fore perſpicerent, ne in ultionem ſolam ac recriminationem egiſſe putarentur, ſuæque moderationis laudem amitterent.

Verum quam hæc futilia ſint, ut nihil amplius dicam, judicet æquus lector: An, amabo, non eodem ſenſu aiunt ſcriptores à nobis recitati, Leoni IV. ſucceſſiſſe Benedictum III. quo aſſerunt ibidem Gregorio IV. ſucceſſiſſe Sergium II. Sergio Leonem IV. Benedicto III. Nicolaum I. Nicolao Adrianum II. &c. Si igitur omnes illæ ſucceſſiones, ſunt duntaxat mediatæ, interjectis Pontificibus A quos ſcriptores illi non nominarunt, enarret ipſe anonymus Pontifices illos, & monſtret cur omiſſi fuerint in unaquaque ſucceſſione? Quænam autem ſint decreta ſedis Romanæ, quibus olim prohibebatur ne Joanna locum haberet inter Pontifices, nobis profecto ignotum: ſi amplius non ſubſiſtebant decreta illa poſt tempora Martini Poloni, ut quid ea memorat auctor præfat. in ejuſdem Martini Indicem nobis objectus? Si adhuc vigebant, quorſum ergo accidit, ſæculis Martino poſterioribus, ſilentium prius per quatuor fere B ſæcula diſtrictiſſime ſervatum, ſic ſolutum fuiſſe, ut ab innumeris ab hinc omniſque generis ſcriptoribus, ſine ulla conſcientiæ anxietate, & impunè prorſus, Joanna propalaretur? Alio itaque tendere neceſſe eſt mentem auctoris præfat. in Indicem Martini Poloni, eamque aſſequutum non eſſe auctorem diſſert. Gallicæ de Papiſſa. Concedamus ei nihilominus, quod modo patebit eſſe maxime falſum, nihil non tentatum à ſede Romana quo Joannæ Pontificatus oblivioni æternæ traderetur: id ne in poteſtate ejus C fuit? Infiniti homines per biennium noſſe debuerunt Leoni ſucceſſiſſe quemdam Joannem Anglum; quomodo id ab eorum mente tollendum? Multis toto hoc tempore proculdubio occaſio ſeſe præbuit ejus, ſicut & aliorum qui in dignitate aliqua conſtituuntur, nonnullam in ſcriptis mentionem facere: omnimodaque certo tunc ſuppetebat licentia, ſiquidem nec tunc leviſſima in Pontifice mentiti ſexus ſuberat ſuſpicio: cur ergo nullus illius meminit? potuit ne ſedes Romana omnia ſcripta hæc, magna ex parte ſibi ignota & D extra ſuam poteſtatem poſita, ſic ubique ſupprimere poſt Papiſſæ obitum, ut nullum ex illis lucem unquam adſpexerit? Id impoſſibile fuiſſe prorſus demonſtrant quæ habet idem auctor diſſert. Gallicæ de Papiſſa *p.* 133. per ſedem ſcilicet Romanam non ſtetiſſe, quominus nulli innoteſcerent poſterorum, ſive quæcunque pro Henrico IV. Imperatore adverſus Gregorium VII. exarata ſunt: ſive epiſtolæ Frederici II. quibus impetebatur Honorius III. ſive apologetica Ludovici Bavari: ſive tandem univerſaliter ſtatuta conciliorum tam Orientis E quam Occidentis quæ ſibi non arridebant: nec hanc minori etiamnum diligentia allaborare, ut in Indice operum expurgatorio, Inquiſitorumque vigilantia, de libris cuncta deleantur, quibus præſertim Pontificum Romanorum derogaretur famæ, vel aliorum eccleſiæ miniſtrorum. Porro quid obtinuere unquam, ipſomet judice, hæc ſolertia, ea examina, tot decreta? Ideone omnia illa ſcrinia ſublata ſunt, evanuerunt penitus, non reperiuntur in bibliothecis, non leguntur?

Digitized by Google

Sed quando hiſtoria Papiſſæ prodire incœpit, exeunte ſæculo decimo-tertio; & ſubſequentibus ubique divulgata eſt, quid in contrarium præſtitit ſedes Romana? Multitudo ſane auctorum, piiſſimorumque inter eos, qui de ea Pſeudopapiſſa in ſcriptis ſuis mentionem fecere, argumento eſt, id tunc nullo ſedis apoſtolicæ decreto fuiſſe vetitum: ſprevit illa nimirum putidiſſimam fabulam, quam nullo ſciebat fultam fundamento, ſperavit ex ſe ruituram, & à ſapientioribus viris explodendam, ſicut contigit.

Quid igitur obſtitit ne auctores, qui tempore pontificatus Joannæ floruerunt, illius alicubi, fœdique ejus obitus meminerint; niſi quod de ea nihil prorſus audierint? Quî autem fieri potuit, ut illos ſine exceptione omnes fugiſſet factum ita publicum, ipſaque ſua ſingularitate ſtupendum, ſi revera Romæ in ſupplicatione ſolemni, & coram infinito populo eveniſſet? Nonne tantæ rei fama ſtatim per Italiam volitare debuerat, indeque per totum orbem ſic diffundi, ut omnium ore celebraretur, viæque & compita ubique de Papiſſæ infamia perſonarent? Numquid alio modo nunc ſe res haberet, ſi unquam accideret quid tale? Nonne hoc catholici de ſanctæ ſedis Romanæ opprobrio dolore affecti inter ſe mutuo recitarent, multique illorum in ejuſdem ſedis ſcriberent defenſionem? Nonne è contra lætitiam non cohibentes ſuam Proteſtantium plerique factum iſtud ubique diſſeminarent, & catholicis, qua voce, qua libris, non intermitterent exprobrare? Hancne, obſecro, illi erga eccleſiam Romanam, ejuſque alumnos, animi modeſtiam à ſua ſeparatione uſque in hodiernum diem, exhibuerunt, quam auctor anonymus diſſertationis Gallicæ de Papiſſa, Photio cæteriſque Græcis eidem ſedi infeſtis, ac aliis quibuſcunque in illam malè affectis, tempore Papiſſæ tribuit? Numquid eorum illi qui hanc hiſtoriam legerunt, ſtatim ſilentio obruere ſtuduerunt, vetuſtiorum ſcriptorum ſibi præeuntium exemplo, quibus ſupponit author anonymus non minus quam ipſis fuiſſe notam? Idque eo quod, ſicut illi probe noverant, ita & ipſi quoque clare perciperent, hujus facti narratione, cujus aliunde nullus Pontifex præter Pſeudopapiſſam reus eſſet, ſuarum cum prædicta ſede querelarum minime juvari cauſas? Apage deliramentum. Mirare hypotheſim, lector prudens: juxta auctorem diſſert. Gall. de Papiſſa, admittendum plane eſt, ideo apud nullum ſcriptorum Joannæ coætaneorum, ejus hiſtoriam legi: vel quod illi omnes penitus ignoraverint quid illa fuerit, quidque illi acciderit, impediente ſede Romana, quominus id ad illorum notitiam perveniret, vel

A quod ipſi ſatius duxerint de illa nihil poſteris relinquere; vel quod quidquid de ea ſcripſerunt, ex omnibus eorum operibus ſublatum fuerit: quænam enim alia ſomniari poteſt ratio tanti ſilentii à veteribus de Joanna ſervati, ſi hæc vere ſedem apoſtolicam occupaverit? At modo demonſtratum eſt impoſſibile omni impoſſibilitate fuiſſe, niſi id Deus inſigni miraculo præſtitiſſet, ut Joannæ pontificatus, partus, ac obitus fama, ubique non percrebuerit, quum innumeri horum Romæ interfuiſſent teſtes. Non minus quoque im-
B poſſibile eſſe conſtat, ſic omnia auctorum Papiſſæ coætaneorum opera, in quibus aliquid de ea continebatur, in poteſtatem ſedis Romanæ veniſſe, ut in iiſdem deletum aut correctum fuerit quidquid ipſa voluiſſet poſteros latere. Siquidem id nunquam aſſequi valuit illa ſedes, ipſo anonymo fatente, quamcunque adhibuerit vigilantiam, circa tot ſcripta quæ ſibi non arridebant. Supereſt ergo dicendum, noni & decimi ſæculorum ſcriptores, tam qui Romanæ ſedi ſpecialius addicti erant, quam qui majori odio in eamdem ferebantur,
C quantovis à ſe invicem terrarum marium-ve abeſſent intervallo, in ſententiam nihilominus iviſſe quaſi communi conſilio, nullum illorum, ſive Judæus extaret, ſive Ethnicus, ſive Mohammedanus, ſive Neſtorianus, ſive Monophyſita, ſive Græcus, ſive Latinus, quamcunque demum religionem profiteretur, cujuſcunque etiam gentis eſſet, & loquelæ, vel leviſſimam mentionem facturum illius Joannæ, quæ per biennium Pontifex Romanus exiſtimata, ſcandalum horrendum publicè parturiendo exhibuerat. Hæc certe tacita
D auctorum eodem tempore viventium per univerſum orbem conſpiratio, ad hujuſmodi ſilentium nulla de cauſa ſolvendum, rigidaque ejus reipſa obſervatio, miraculum fuiſſet omne ſuperans miraculum, & huculque prorſus inauditum.

Sed ſi tantus fuit omnium conſenſus, ad id præſertim ſatagente ſede Romana, ne ulla de Papiſſa notitia ad poſteros tranſmitteretur; quorſum ſtatua illa, quam aiunt hiſtoriæ Papiſſæ propugnatores Romæ in memoriam ejus erectam in via ubi illa pepererat? Quor-
E ſum ſella peculiaris quam ad explorandum novi Pontificis ſexum deſtinatam comminiſcuntur? Quorſum ſimulacrum Papiſſæ, inter ſimilia aliorum Pontificum, Senis proſtans hiſce recentioribus ſæculis? Quorſum denique Joannem XXI. qui tantummodo XX. dici debuiſſet, ſic appellatum volunt ob Joannam quam ille cenſuiſſet fuiſſe Pontificem?

De ſella jam ſupra loquuti ſumus *col. 392.* E. De ſimulacro itidem Senenſi, quod nonniſi poſt divulgatam Papiſſæ fabulam effictum

Digitized by Google

eſt, *ante annos fere ducentos,* inquit Blondellus *diſſertationis Latinæ de Papiſſa pag. 70.* id eſt, ſæculo ad ſummum decimo-quinto, *col. eadem 392.* A.

De ſtatua autem Romæ erecta, quam, eodem teſte Blondello *p. 5.* primus memorat Theodoricus à Niem *lib. de privileg. & juribus Imperii,* ſcribens circa annum 1414. hæc tradunt Pagius *tom. 2. Breviar. geſtor. Pontif. Roman. pag. 77.* Natal. Alexand. *to. 6. in-fol. hiſt. eccl. diſſert. 3. pag. 255. col. 2.* & alii, ſtatuam hanc celebrem, quæ olim Romæ viſebatur, non præ ſe tuliſſe mulieris ſpeciem, nec infantem exhibuiſſe recens natum, pannis ſcilicet involutum, vel inter matris brachia poſitum; ſed puerum grandiuſculum qui præire videretur. Quamobrem in hac ſtatua repræſentatum fuiſſe ſacerdotem quemdam ethnicorum ad ſacra obeunda pergentem præcedente miniſtro, aut aliquod Gentilium numen, viri antiquariæ rei periti jam pridem obſervarunt: maxime cum altera manu palmæ ramum humero innixum deferret, quod Romanorum Pontificum non eſt inſigne, qui crucem aut claves manibus geſtantes effinguntur. Statuam autem illam, ut & plures alias, auferri juſſit Sixtus V. quum viam in qua hæc poſita erat, rectiorem fieri & latiorem curavit ad urbis decorem atque ornamentum. Porro vera cauſa cur Romani Pontifices ab illa via deflexerint, fuit quod comitatui Pontificio continendo non eſſet tunc idonea, utpote anguſta nimis & anfractuoſa. Quidam tamen Pontifices, etiam poſt annum quo figitur fabuloſæ Joannæ partus, per eam viam interdum incederunt, teſte Onuphrio Panvinio in notis ad Platinam.

Denique Joannes XXI. ſic cognominatus eſt, non ab his ſolum, ut putavit Ciaconius, apud Pagium *to. 3. Breviar. geſtor. Pont. Rom. num 3. pag. 424. qui fabuloſam & commentitiam Joannem fœminam numero Pontificum interſerunt;* ſed ab ipſis Cardinalibus poſt mortem hujus Pontificis ſcribentibus ad Rudolphum Romanorum regem anno 1277. quorum litteras Raynaldus ad eumdem annum *n. 49.* refert, datas Viterbii, apoſtolica ſede vacante. Quare occaſio hujus nominis fuit, non fabula Joannæ, nondum fortaſſis propalata, quum, ut ſupra dictum eſt *coll. 381.* A. & *389.* B. Ptolomæus Lucenſis, poſt ann. 1313. nullibi adhuc eam, præter apud Martinum Polonum jam interpolatum, legiſſet: ſed quod Joannes ille, vel Joannem Roberti filium, vel Joannem Placentinum, inter Pontifices Romanos numerandum cenſuerit. De Joanne enim Roberti filio, qui electus eſt Papa inter Joannem XIV. & Joannem XV. chronicon Malleacenſe ſeu ſancti Maxentii

A ad annum uſque 1134. perductum, quod extat *tom. 2. Biblioth.* Labbei ex cod. manuſc. deſcriptum, ait, *pag. 204.* ad annum 983. *ſequenti anno tres Apoſtolici apud Romam mortui ſunt;* Joannes nimirum XIV. Bonifacius VII. & Joannes filius Roberti, qui omnes anno 985. obierunt. Hic quidem poſtremus Joannes, ut obſervat idem Pagius ſupra citatus, *tom. 2. pag. 253.* in quibuſdam catalogis Joannes XV. numeratur; quia tamen, ex pluribus chartis Joannis qui ei ſucceſſit, conſtat hunc ſeſe in iis Joannem XV. nuncupaſſe,
B non vero Joannem XVI. palam eſt, aut Joannem Roberti filium, fuiſſe tantum *electum,* non *conſecratum:* (eo enim ævo uſque ad medium ſæculum XI. tempora Pontificum, inquit idem Pagius *ibidem to. 3. n. 2. p. 420.* non ab electionis, ſed à Pontificalis ordinationis die numerari ſolita erant, ideoque licet electus in poſſeſſionem Patriarchii ſtatim à ſua electione induceretur, non tamen dicebatur ſimpliciter (Pontifex) antequam ordinaretur;) aut hunc Joannem Roberti filium Pontificem legitimum non fuiſſe, nec conſe-
C quenter Joannem XV. nominandum. Hinc etiam potius credendum venit, Joannem, qui Adriano V. ſucceſſit anno 1276. appellatum fuiſſe *Joannem XXI.* non XX. eo quod Joannes Placentinus, (licet antipapa adverſus Gregorium V. anno 997.) locum tenuerit inter Romanos Pontifices ſub *Joannis XVI.* nomine: Joannes enim qui Silveſtrum II. excepit anno 1003. & nuncupandus foret Joannes XVI. quum prædeceſſor Gregorii V. *Joannes XV.* diceretur, ſe ipſum nihilominus in reſcriptis *Joannem XVII.* nominat: ejus
D pariter ſucceſſor eodem anno 1003. menſe Decemb. ſe *Joannem XVIII.* inſcribit in diplomate *dato IV. non.* (id eſt die 2.) *Decemb.... Anno 3. Pontificatus Domini Joannis XVIII. Ind. V.* id eſt an. 1006. apud eumdem Pagium *ibid. to. 2. p. 284.* Quod optima ratione, inquit iterum Pagius *ibid. p. 276.* ab utroque factum exiſtimat Papebrochius in Conatu chronico-hiſtorico, his verbis: « Tametſi non fuerit unquam verus Pontifex hic Joannes XVI. tamen « extabant, ſub eo nominis numero, ſparſæ toto « orbe pro occaſionum diverſitate epiſtolæ ac «
E bullæ, quæ ne cum veri deinde Pontificis « (ejuſdem nominis Joannis XVI. qui poſtea « electus foret) actis confunderentur, ſi hic « quoque diceretur, (Joannes) XVI. neceſſe « habuit (Silveſter II. Gregorii V.) ſucceſſor permittere, « ut (ille qui tempore ejuſdem Gregorii ſederat « Antipapa ſub nomine Joannis « XVI.) Joannes XVI. diceretur.» Subdit etiam idem Pagius ſibi videri hunc Silveſtrum II. Gregorii V. ſucceſſorem, vel ad preces ſancti Nili abbatis, qui nihil prætermiſerat ne

Digitized by Google

Joannes ille antipapa malè tractaretur, quamvis non obtinuerit: vel ut Ottoni III. Imperatori, quem idem Joannes de ſacro fonte ſuſceperat, arrideret, indulſiſſe, ut iſte Joannes etiam depoſitus perſeveraret nuncupari Joannes XVI. ex quo contigit, Joannem ſequentem ſeſe Joannem XVII. appellaſſe: Nec carere exemplo, ait idem *ibid. tom. 3. pag. 424.* quoſdam alios Pſeudopontifices inter legitimos annumerari. Sic enim Leo, qui Damaſo II. ſucceſſit anno 1049. dictus eſt hujus nominis IX. quamvis inter Leonem VII. & ipſum, unicus fuerit Leo antipapa in locum Joannis XII. quem pſeudoſynodus Romana ſede ejecerat anno 963. ordinatus, dictus nihilominus Leo VIII. Sic etiam Benedictus, qui poſt Bonifacium VIII. electus eſt Pontifex, & dicendus foret Benedictus X. quum Benedictus hujus nominis antipapa fuerit anno 1058. Benedictus XI. appellatur.

Verum tantum abeſt, ut vel leviuſculum ſuſpicari quis habeat de ſede Romana, quod ad tantum, tamque ſtupendum vetuſtiorum ſcriptorum circa Joannam ſilentium ipſa contulerit quidquam, quin potius è contra nullum ipſamet confeſtim non moviſſet lapidem quo iſtud Papiſſæ portentum toti innotuiſſet orbi. Ad id enim eam coëgiſſet ſuæ conſervandæ hierarchiæ neceſſitas: ut ſcilicet nullius in quacumque terrarum regione degentis, (qui vel à ſpurio illo Pontifice eſſet inauguratus, vel à quovis alio quem is conſecraſſet,) fugeret cognitionem ſibi abſtinendum fore ab executione hujuſmodi ordinum, donec novam validamque ordinationem ſuſceperit. Quum enim ab ordinatione miniſtrorum in eccleſia pendeat omnium fere ſacramentorum validitas; hinc maxima ſemper ejus ſollicitudo fuit, ne quid unquam ſacris ordinationibus deeſſet unde dubiæ evaderent. Hinc ſanè tot decretis irritæ & iterandæ declaratæ ſunt ſæpius, à veris quoque epiſcopis collatæ ordinationes, quando illi, vel depoſiti fuerant, vel intruſi; quod multis viris doctis tunc videretur incertum an hujuſmodi ordinationes valerent.

En recentiſſimum exemplum in fine ſæculi proxime elapſi. Conſulta ſedes apoſtolica ab eminentiſſ. Cardinali Orſini ſive Urſino archiepiſcopo Beneventano, qui poſtea electus eſt Romanus Pontifex dictus Benedictus XIII. conſulta, inquam, de ordinationibus ab epiſcopo Abellini collatis, ſequens tulit decretum: *Fer. 5. die 1. Auguſti 1697. in congregatione generali ſanctæ Romanæ & univerſalis inquiſitionis habita in palatio apoſtolico montis-Quirinalis coram ſanctiſſimo D. N. D. Innocentio divina providentia Papa XII. ac eminentiſſ.*

A *& reverendiſſ. DD. S. R. E. Cardinalibus in tota republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem generalibus inquiſitoribus à ſancta ſede apoſtolica ſpecialiter deputatis. Propoſito iterum, & mature diſcuſſo dubio, an ordinationes factæ per epiſcopum Abellini, qui per ſe ipſum inſtrumenta, ſeu materiam ſubdiaconis, diaconis, & preſbyteris reſpective non porrexit, ſint nullæ, & invalidæ; & an prædicti in ordinibus ſacris ordinati, ſint abſolute iterum ordinandi, vel potius ſub conditione tantum? Sanctiſſimus, auditis votis eminentiſſimorum, decrevit in caſu* B *de quo agitur, tutius eſſe quod ſub conditione reiterentur collationes ſacrorum ordinum, ut infra: ideoque reſcribendum eſſe eminentiſſimo archiepiſcopo Beneventano, ut ordinati ad ordines ſubdiaconatus, diaconatus, & preſbyteratus ab epiſcopo Abellini, non porrecta per ipſummet epiſcopum materia dictorum ordinum, iterum ſub conditione, ac ſingillatim ad dictos ordines reſpectivè, ſervata forma in Pontificali Romano præſcripta, ordinentur, etiam extra tempora, & non ſervatis interſtitiis, in tribus diebus Dominicis, vel feſtivis de præcepto; ac* C *etiam una eademque die quoad curam animarum habentes, prout urgens neceſſitas arbitrio ordinantis poſtulaverit; tribuendo eidem Dom. archiepiſcopo facultatem dandi licentiam, quoad eos, qui extra ſui, ac dicti epiſcopi Abellini diœceſim morantur, ut à quocunque catholico epiſcopo gratiam & communionem ſanctæ ſedis apoſtolicæ habente, iterum ſub dicta conditione extra tempora, non ſervatis interſtitiis, & alias ut ſupra, reordinari poſſint: concedendo inſuper eidem eminentiſſ. facultatem convalidandi collationes beneficiorum, etiam curatorum, ſic ordi-* D *natis factas, eiſdemque fructus ex beneficiis receptos remittendi, ac quæcunque officia, etiam regularia convalidandi, ac geſta quæcunque confirmabilia confirmandi, necnon abſolvendi. Quo vero ad dubium facti circa eos, qui ordinati fuerint ante annum 1688. incluſivè, quibus porrexiſſe per ſe ipſum materiam credit dictus epiſcopus Abellini, & ipſi ordinati adhuc dubitant, ſibi fuiſſe ab eodem materiam porrectam; idem ſanctiſſimus decrevit, quod ſic dubitantes, vel expreſſè negantes, abſque alio juramento ad novam ordinationem ſub conditione prædicta, ut* E *ſupra, admittantur. Ii vero, qui fuerint ordinati ab anno 1688. citra, quibus ex facto præſumitur, non fuiſſe per epiſcopum traditam materiam, omnes indiſtinctè iterum ſub dicta conditione ordinentur; & epiſcopus Abellini graviter reprehendatur, & moneatur: quo vero ad reliqua in caſibus particularibus provideri poterit. Joſeph Bartolus S. R. E. & univerſalis inquiſitionis notarius.* Hæc refert P. Joa. Mich. Cavalieri Ord. FF. Præd. Galleriæ præſulum ejuſdem Ord. *to. 2. p. 248.* qui & addit hoc decretum

Digitized by Google

fuiſſe executioni mandatum eodem anno 1697. manibuſque D. Cardin. Orſini fuiſſe reordinatos ſub conditione ſubdiaconos 69. diaconos 64. & presbyteros 54.

Ex quibus manifeſtiſſimum eſt, ſi Joanna, per ſexum nullius ordinationis ſacræ, ſive ſuſcipiendæ, ſive conferendæ capax, duobus annis & amplius ſediſſet, omnes ejus ordinationes, eaſque ſimiliter quas epiſcopi ab ea ordinati contuliſſent, fuiſſe neceſſario reiterandas abſolute; quod quum fieri non potuiſſet, ſervato ſilentio, ideo hujus rei fama, ipſamet denuntiante inprimis ſede Romana cujus plurimum intererat ut tanto malo quantocius efficaciter mederetur, in toto orbe confeſtim pervolaſſet. Quæ autem perquiſitio facta refertur de miniſtris à Joanna, quandiu hæc exiſtimabatur verus Pontifex, ordinatis, ſive Romæ, ſive etiam in aliis regnis, ubi proculdubio ordinati non pauci ab iis quos ipſa conſecraſſet, morabantur? Quis ullibi de novo ordinatus fuit? Quænam alia epiſcopalia munia ab ea muliere incaſſum obita, iterum confecta memorantur? Cur vero non inſurrexit, cur conqueſtus non eſt Photius Conſtantinopolitanus, quod ipſius ſcilicet, qui quantumvis intruſus & illegitime ac contra canones à Gregorio Syracuſano depoſito inauguratus fuerit, vir tamen erat & charactere epiſcopali inſignitus, ordinationes repudiarentur ut ſacrilegæ; quodque eas tum Nicolaus I. tum poſtea ſynodus octava generalis declaraſſent irritas, cujus ſynodi act. x. die ultima Febr. anni 870. canon IV. ad laïcos redigit eos omnes qui à Photio conſecrati aut promoti ſint, utpote qui nec ſit, nec fuerit unquam epiſcopus; & dedicationem eccleſiarum aut altarium ab ipſo, aut iis quos ille conſecravit, irritam & iterandam decernit? cur, inquam, Photius ille non exprobravit Romanis quod hæc contra ſe decreta fuiſſent, dum ſubſiſtere permitterentur ordinationes cæteraque epiſcopalia officia à Joanne fœmina peracta? De facto quippè nihil ſtatutum ullibi invenitur adverſus hanc Papiſſam. Verum non habuit Photius quod ea de re quidquam regereret: ſilentium non ſolum ab ipſo, ſed & ab omnibus & ubique obſervatum eſt maximum; nihil Romæ definitum aut alibi contra Joannam, nulla ejus occaſione ordinatio reiterata. Quorſum vero? quia nec tunc, nec unquam Pontifex fœmina Romæ ſedit. Non enim profecto alio genio donati erant ſæculi noni homines, ac donantur qui ſæculo præſenti vivunt. Nonne autem ipſis cæcis viſibile eſt, ſi nunc hujuſmodi caſus emergeret, Romæ ſtatim pronuntiandum fore nullius roboris, quicquid juris epiſcopalis attentaſſet talis Pſeudopapiſſa? Ad novas ordinationes

A protinus revocandos, in quovis loco degerent, quicunque vel ab ipſa, vel ab aliquo epiſcopo quem illa conſecraſſet, fuiſſent ordinati? A ſede Romana mandata ubique ſpargenda, ut nullus ſic invalide ordinatus ignoraret, ſe à vero epiſcopo denuo conſecrandum? Rem tantam tamque inſolitam omnium ore volitandam? De ea unumquemque, prout affectus eſſet, ſeſe enuntiaturum? Sedem Romanam cachinnis & ludibriis Proteſtantium impetendam? Innumeris ſcriptis, quantumvis prohiberent reges & præſides, Papiſſæ nihilominus

B nomen, artes, geſtaque, poſteritati tranſmittenda? Nemo eſt ſanæ mentis, qui non probe intelligat hæc omnia nunc temporis infallibiliter ſequutura, ſi pro Papa unquam eligeretur Papiſſa, cujus poſtea ſexus publicè detegeretur. Cur ergo idem non contigit ſæculo nono? Cur nihil de Joanna dictum, ſcriptum, decantatum, exprobratum, ſibilatum? Cur nihil quod in pontificatu egiſſet reformatum? Niſi quia vere nulla tunc ſederit Papiſſa, de qua ullus homo quidquam prorſus audierit. Ut enim ratiocinatur Labbeus, *tom. 8. conc.*

C *coll. 190. & 191.* Mirum omnino atque omni admiratione majus, quomodo factum ſit, ut qui per biennium integrum, & aliquot menſes δοξαστικῶς ſaltem ac ſpecie tenus pontificatum tenuit; nullam toto eo tempore epiſtolam ſcripſerit, nullum emiſerit diploma, à quoquam conſultus non fuerit, nuntium non acceperit: biennium expectarint Gregorius Syracuſanus, aliique epiſcopi Græci ab Ignatio Patriarcha Conſtantinopolitano depoſiti, ut poſt Leonem IV. ad Benedictum III. recurrerent, ſpreto Joanne Anglo inter utrum-

D que ſedente: biennium pariter Lupus Ferrarienſis, atque Hincmarus, ut eodem Joanne prætermiſſo ad ſucceſſorem ejus Benedictum ſcriberent: biennium denique innumeri in Gallia totoque Occidente atque Oriente epiſcopi, clerici, imperatores, reges, principeſque per univerſum orbem: ſomnum omnes interea dormierint profundiſſimum; nemo, vel obiter, in conciliis, epiſtolis, libris, tractatibus, ſatyris, invectivis, carminibus, hujus Papiſſæ tunc temporis meminerit. Hæc devoret, quiſquis ſtomachum ad hoc ſibi ſenſerit

E ſufficienter robuſtum: ſed nullum æquiore judicio pollentem virum inficiandum puto, quin quæcunque à nobis, ad hujus commenti confutationem hactenus adducta ſunt, ſimul ſumpta, vim plenæ demonſtrationis ſortiantur. Concludendum ſubinde, perperam omnino ab auctore anonymo diſſert. Gall. de Papiſſa, in Præfatione ſua dictum, Quæſtionem hanc de iis unam eſſe quæ in utramque partem problematicè ventilari poſſunt. Nam quia ipſe nihilominus eam ex utraque illa ſententia

Digitized by Google

præfert, quæ ſtat pro Papiſſa; numquid, A amabo, alteram quam tuemur amplecteretur ultro, totamque hanc hiſtoriam inter fabulas ipſe nobiſcum amandaret, ſi non aliis fulta eſſet momentis quam quæ ipſe adduxit! Si Joannam inſuper, ex coætaneis & ſupparibus ſcriptoribus, inter cæteros pontifices Romanos poſt Leonem IV. ſediſſe oſtendiſſemus, idque compertum omnibus fuiſſe, uſque ad ſæculum XIII. quo tunc duntaxat, & ſubſequentibus poſtea ſæculis, fabulis cœperit annumerari: ſicut evicimus nullam, de ea Papiſſa, in genuinis omnium auctorum ſcriptis uſque B ad ſæculum XIII. & in poſteriorum adhuc multis, reperiri mentionem; eoſque uno conſenſu omnes agnoſcere & tradere Leoni IV. ſucceſſiſſe immediate Benedictum III. quem deinde Nicolaus I. exceperit. Supervacaneum proinde foret diutius immorari cæteris confutandis quæ idem auctor incaſſum exaggerat. Eo enim ipſo quo manifeſtiſſime omni cordato viro, & veritatem ſincere inquirenti, liquet quidquid de Joanna Papiſſa hucuſque proditum eſt puramputam eſſe fabulam; ſtatim ſponte ruere neceſſe eſt quidquid hic auctor, C cæterique qui ei ſuffragarentur, in hujus Papiſſæ defenſionem coacervare voluerint: ſiquidem quod certo veritati adverſatur, illud à quibuſcunque & quovis numero adſtruatur ſcriptoribus, quantiſlibet etiam muniatur argumentis, ſemper falſum erit.

Claudo itaque totam hanc de Joanna Papiſſa diſſertationem, iiſdem verbis quibus libellum ſuum Latinum de eadem Blondellus finit: *Hinc patet*, inquit, *fieri nullatenus poſſe, ut Joanna ulla, ullo inter Leonem ſive IV. ſive V. Benedictumque III. tempore ſediſſe dicatur;* D *quum certiſſimis ipſaque meridiana luce clarioribus argumentis Anaſtaſium bibliothecarium (in cujus partes Marianus, Sigebertus, &c. velint nolint tranſeunt)* [Meminerit lector Marianum, Sigebertum, & quoſdam alios ſcriptores XI. & XII. ſæculorum, quos Blondellus inter Joannæ pontificatus aſſertores computat, de illa revera in genuinis ſuis operibus mentionem non feciſſe:] quum eos, pergit Blondellus, *vera compertaque de duobus hiſce Pontificibus retuliſſe, Leonem* (ſcilicet) *anno demum 855. Julii 17. hominem exuiſſe:* E *Benedictum menſis ejuſdem 19. feria 6. duobus circiter ante Lotharii Imperatoris ſupremam horam menſibus electum, Septembris 29. feria prima* (id eſt Dominica) *qua elatus Lotharius, incardinatum, conſtet: adeoque impoſturam vel feciſſe, vel paſſos (quicunque tandem illi ſint) decantatæ per ſæcula propemodum ſex* (dicendum potius quatuor) *fabulæ ſive parentes, ſive amatores. Eat igitur tandem aliquando, quo digna eſt,* ἐς κόρακας.

Hæc de ea fabula paulo fuſius egimus, adverſus illos qui in iſto etiam ſæculo, cum auctore anonymo diſſert. Gall. de Papiſſa ſæpius citatæ, hanc veram eſſe hiſtoriam poſſent credere. Huic autem cudendæ, ut jam ſupra obſervatum eſt *col. 380.* C. præbuiſſe fortaſſis occaſionem Joannem VIII. conjecit Baronius, ad annum 879. *num. 5.* ex eo quod facilius Photii reſtitutioni conſenſerit. At conjectura illa merito exploditur à Pagio, *to. 3. crit. annal.* ad annum 879. *n. 19.* laudato, *ibid.* tum quia ſæculo tantum decimo-tertio excogitata hæc fabula videtur, tum etiam quia non refertur ſediſſe Pſeudopapiſſa tempore quo ſedit Joannes VIII. ſcilicet poſt Adrianum II. ab anno Chriſti 872. ad annum 882. ſed poſt Leonem IV. qui anno 855. fatofunctus eſt. Nunc de Helia dicendum, qui Theodoſio in ſede Hieroſolymorum ſucceſſit.

LXIX. Helias III.

Jam ſupra obſervavimus *col. 376.* B. hunc *Heliam*, ſi acta pſeudoſynodi Photianæ menſe Novembri celebrari cœptæ anno Dom. 879. fidem aliquam ſaltem ea in parte mereantur, Theodoſio Hieroſolymorum Patriarchæ eodem anno mortuo, ante illum menſem ſucceſſiſſe. Eum porro ceu virum qui Photii adverſus Ignatium partes ſemper amplexus fuerit, Theodoſii prædeceſſoris ſui in hoc ſequutus exemplum, ſæpius exhibet ejuſdem nominis Helias illius vicarius in ea ſynodo. De Theodoſio quidem hoc falſiſſime aſſertum conſtat, tum ex epiſtola ejus ad Ignatium quæ lecta fuit in ſynodo octava generali, tum ex geſtis Heliæ ipſius perſonam repræſentantis in eadem ſynodo, quibus nihil aliud opponere habuit alter Helias Heliæ Theodoſii ſucceſſoris ſyncellus, niſi eum Heliam Saracenorum fuiſſe legatum, non Theodoſii; & propter hunc reatum à Theodoſio fuiſſe excommunicatum: quæ quum ad concilii octavi auctoritatem deprimendam excogitata videantur, rejici omnimo debent. Vide ſupra *col. 371.* A. Verum quod ſpectat ad Heliam Patriarcham, nihil impedit quin credamus, ipſum fortaſſis à Baſilio Imperatore & Photio circumventum, ſicuti pari modo circumventus & deceptus fuit ab iiſdem Joannes VIII. Papa, conſenſiſſe ut Helias à ſe miſſus ad ſynodum, tranquillitatis in patriarchatu Conſtantinopolitano ubi Photius jactitabatur votis omnibus expetitus reſarciendæ gratia, ejuſdem Photii in ea ſede reſtitutionem ſuo nomine admitteret. At quidquid præterea Helias ille Heliæ Hieroſolymitani antiſtitis ſyncellus in actis hujus pſeudoſynodi, de perpetuo ardentique Patriarchæ ſui in Photium affectu, protuliſſe introducitur; id totum veriſimiliter, ex ſe ille

Digitized by Google

aſſeruit, ab Imperatore & Photio corruptus, vel dixiſſe eum Photius falſo ſcripſit. Hinc itaque num Helias Theodoſii ſucceſſor revera Photio, dum Ignatius viveret, adhæſerit, necne, affirmare non auſim. Sic de eo Eutychius Alexandrinus *pag. 471. Anno Califatus decimo Al-Motammedi, conſtitutus eſt Helias, Manſoris* ſive Manſuri *(qui Moſlemiis in capienda Damaſco opem tulit, ideoque per totum mundum diris devotus eſt) filius, Patriarcha Hieroſolymitanus, ubi quum annos 29. ſediſſet, mortuus eſt.* In catalogo Doſithei Patriarchæ Hieroſolymorum, dicitur fuiſſe frater Sergii qui, ante Salomonem Theodoſii prædeceſſorem, ſedem Hieroſolymitanam conſcendit an. 842. aut 843. de cujus etiam patre Manſore eadem, ac in præſenti loco, refert Eutychius; perperam tamen. Quum enim Damaſcus à Saracenis capta fuerit anno 635. Sophronio extante Patriarcha Hieroſolymorum, quomodo Manſoris, qui opem iis tulit ad illam urbem capiendam, filii eſſe potuerunt, ſive Sergius qui poſt annos exinde fere ducentos electus eſt Hieroſolymitanus antiſtes, ſive adhuc difficilius Helias iſte qui factus Patriarcha poſt annos ab hinc 243. annos ulterius ſedit viginti novem! Narrat Elmacinus *lib. 2. hiſt. Sarac. cap. 15. p. 162.* Anno heg. 255. qui incepit die 20. Decemb. 868. die ſecundo menſis Ragiab ſive Regiebi, ideoque anno Chriſti 869. medio circiter Junio, ut obſervat Pagius *tom. 3. crit. annal. Baron.* ad hunc annum *num. 29.* Al-Motazo Califæ Babylonienſi depoſito, & paulo-poſt mortuo ſucceſſiſſe Al Mothamedum Bellahi die tertio ejuſdem menſis Regiebi. Annus proinde ejus imperii decimus, quo ad thronum Hieroſolymitanum Helias III. evectus eſt, annus eſſe debuit Chriſti 879. ante medium Junium.

Extat *tom. 2.* Spicilegii P. Lucæ Dacherii Bened. *p. 372. epiſtola hujus Heliæ ad Carolum Juniorem Imperatorem* (dictum Craſſum) *& ad cunctos epiſcopos & principes ac nobiles regni Galliæ anno Domini 881. Indict. XIV.* id eſt ante menſem Septembrem, quæ epiſtola ſic incipit: *Omnibus magnificentiſſimis, piiſſimis, glorioſiſſimis, ex alta ſtirpe progenitis Domini magnificentiſſimi ſummi Imperatoris Caroli, regibus cunctarum regionum Galliarum, ſeu comitibus, vel ſanctiſſimis archiepiſcopis, metropolitanis, & epiſcopis, abbatibus, preſbyteris, diaconibus, ſubdiaconibus, & ſanctæ eccleſiæ miniſtris; necnon & ſacris ſororibus, ſeu nobilibus, vel etiam cunctis Dei cultoribus, fœminis glorioſiſſimis, principibus, ducibus, atque cunctis Chriſti cultoribus, fidelibus duntaxat catholicis & orthodoxis, chariſſimis fratribus, per univerſum mundum conſtitutis, Helias ſervus Domini noſtri Jeſu-Chriſti, & Patriarcha Hieroſolymorum in Domino ſalutem. Tribulationes multas, &c.* In ea epiſtola erogari ſibi ſubſidia inſtanter poſtulabat ad eccleſias Palæſtinæ reficiendas; cujus rei cauſa vaſa ſacra oppigneraverat. Alteram ejuſdem Patriarchæ epiſtolam exhibet Mabillonius, Veter. Analector. *tom. 3. edit. Pariſ. 1682. pag. 434.* qua epiſcopi Malaceni in Iberia, & quinquaginta monachorum quos Turcæ in vincula projecerant, luctuoſum ſtatum exponit: ei autem epiſtolæ aliam ſubjungit idem Mabill. Bened. Pap. IV. commendatitiam epiſtolam, de eodem epiſcopo Malaceno, ex qua colligitur hanc utramque fuiſſe ſcriptam poſt menſem Auguſtum anni 900. quo Benedictus ordinatus eſt Papa, & ante menſem Octob. anni 903. quo idem Papa obiit.

Doctiſſimus Pagius *to. 3. crit. annal. Baron.* ad annum 889. *num. 5.* arbitratus eſt quemdam eo anno Hieroſolymis ſediſſe Patriarcham nomine *Abel,* qui Papebrochium fugerit in ſuo de iis Patriarchis catalogo tomo tertio actorum ſanctorum Maii præfixo, eo quod Aſſerus in vita Alfredi Angliæ regis hæc ſcripſerit: *De Hieroſolyma Abel Patriarchæ epiſtolas & dona Alfredo directas, vidimus & legimus.* Verum, quum eo tempore Heliam ſediſſe conſtet, ex ejus duabus epiſtolis modo memoratis, hic Patriarcha *Abel,* ipſemet *Helias* videtur, dictus Abel quaſi Ab-El *Abba Elias:* epiſcopi enim, iique maxime qui ex cœnobiis aſſumpti fuerant, nomen Abba nomini proprio ſæpè præmittebant, ut multis exemplis notum eſt.

Eutychius Alexandrinus *pag. 484.* narrat Nicolao Myſtico Patriarcha Conſtantinopolitano quartis Leonis Sapientis cognominati nuptiis ſeſe totis viribus opponente, Imperatorem ſcripſiſſe ad Patriarcham Romanum, Michaëlem Alexandrinum, *Heliam Manſuri filium Patriarcham Hieroſolymitanum,* & Simeonem Zarnuki filium Antiochenum, rogans ut ad ipſum accedentes diſpicerent an ſibi non liceret connubium quartum inire; à ſingulis vero miſſos vicarios, quibus ſeſe nonnulli epiſcopi Conſtantinopoli jungentes, matrimonium illud vetitum non eſſe pronuntiarunt. De eo conjugio Simeon Logotheta in annalibus, apud Pagium *tom. 3. crit. annal. Baron.* ad annum 906. *n. 3.* ſcribit Conſtantinum Porphyrogennetam filium Leonis, *anno ejus imperii XX.* baptizatum fuiſſe à Nicolao Patriarcha *in ſancto Theophaniorum die.* Et ſubdit: *Imperii Leonis anno XXI. benedictionem nuptiali ritu conſequuti ſunt Leo & Zoe poſt feſtæ Lucis* (ſeu Theophaniæ) *peracta ſolemnia, Thoma preſbytero adminiſtro, qui & gradu motus eſt. Uxorem quoque Zoen Leo*

Digitized by Google

Auguſtam proclamavit. Hinc eccleſiæ ingreſſu Leoni interdictum à Patriarcha. Ab aliquot quidem annis Leo Imperator Zoen quartam uxorem duxerat, ſed ea *in palatio nondum imperii corona redimita degebat,* inquit Leo Grammaticus *p.482.* apud eumdem Pagium citatum, *num. 4.* neque ante Conſtantini baptiſmum *Auguſta* declarata eſt, indeque Nicolaus, ante ejus coronationem, illam ceu privatam mulierem habebat. At ubi *Auguſta* renuntiata fuit, quartas has Leonis nuptias eccleſiæ Orientalis legibus contrarias reprehendit. Hæc omnia anno xx. imperii Leonis, Chriſti 906. poſt feſtum Epiphaniæ peracta, ut patet ex Leone Grammatico, & aliis, qui hæc uno tenore recitant, & uno eodemque anno contigiſſe innuunt, ſtatimque referunt exilium Nicolai Patriarchæ in Hieriam ubi erat monaſterium ab eo conditum. Hieria *palatium* erat Conſtantini Copronymi, *è regione Conſtantinopolis, ad ſubſolanum poſitum,* teſte Nicephoro ad annum 765. Elmacinus de ea re hæc habet *lib. 2. hiſt. Sarac. cap. 17. p. 180. Tradunt Chriſtianorum hiſtoriæ, uxorem Leonis Imperatoris Romanorum* (id eſt Conſtantinopolitani) *obiiſſe, anno Hegiræ 281.* (qui cœperat die 12. Mart. anni Chriſti 894. *quumque aliam ducere vellet, Nicolaum Patriarcham Conſtantinopolitanum eum impediviſſe, atque dixiſſe: Tu miniſterium habes ſacrum, itaque, ſi uxorem duxeris, ne revertere ut ingrediaris templum. Reſpondit Leo, utique ego ſolum cupio uxorem ducere, ut ſit mihi filius qui hæres fiat regni poſt me. Verum quum ille non permitteret, ſcripſit Imperator ad Patriarchas, in omnibus Chriſtianorum regnis, & rem iis ſignificavit; ac reſponſum accepit, ut uxorem duceret: quod quum feciſſet, filium nactus eſt quem vocavit Conſtantinum, Nicolaum autem Patriarcham Conſtantinopolitanum in exilium miſit, & in locum ejus alium ſubſtituit.* Præfatus Eutychius Alexandrinus rurſus refert *pag. 488.* anno Al-Muctafi Califæ quinto, (à die 4. April.) Chriſti 906. Hieroſolymis ipſo magni Sabbati die, (12. April.) Chriſtodulum Haleppenſem Alexandriæ deſignatum Patriarcham, ab Helia filio Manſuri Patriarcha fuiſſe conſecratum: Alexandrinos vero ordinationem hanc repudiaſſe, ac voluiſſe ut conſecrationis preces iterarentur. Obiit Helias anno Chriſti 907. qui ex Eutychio præfato, vigeſimus-nonus ſui præſulatus erat.

LXX. Sergius II.

Hunc *Sergium,* quem catalogi Latini exhibent Heliæ III. in ſede Hieroſolymitana ſucceſſorem, *Georgium* appellat Eutychius Alexandrinus, & de eo hæc habet: *Anno Califatus ejuſdem* (Al-Muctafi) *ſexto conſtitutus eſt Georgius Danijani* (in catalogo Doſithei dicitur *Thangian* Θαγγίαν) *filius, Patriarcha Hieroſolymitanus, qui annos quatuor & ſex menſes ſedit: dein mortuus eſt.* Creatum fuiſſe eum aſſerit Califam Elmacinus *lib. 2. Sarac. hiſt. cap. 18. pag. 181.* eo die quo obiit pater ejus (Mutadidus) 22. (Eutychius ſcribit 21.) Rabii poſterioris (id eſt quinto vel quarto Aprilis) anno (Hegiræ) 289. (qui incœpit die 15. Decembris anni Chriſti 901.) Califatum ſubinde obtinuit Muctafis, ut eum nuncupat Elmacinus, die quarta vel quinta Aprilis anni Chriſti 902. Quum autem Sergius II. in ſedem Hieroſolymitanam evectus ſit anno Califatus ejus ſexto, id contigiſſe oportet anno Chriſti 907. poſt quartam aut quintam diem Aprilis: obiit vero anno 911. ante diem 12. menſis Auguſti, id enim ſequitur ex initio pontificatus Leontii ejus ſucceſſoris. Unde non intelligo quomodo Sergius, ultra 4. annos, qui finiri non potuerunt ad ſummum niſi poſt diem quartam aut quintam Aprilis anni Chriſti 911. ſex inſuper menſes ſederit. In ea enim hypotheſi non obiiſſet ante menſem Octobrem ejuſdem anni, qui quartus fuiſſet Califatus Al-Muctadiri à die 12. Auguſti, quum tamen Leontius Sergium exceperit anno hujus Califæ tertio, ut modo patebit.

LXXI. Leontius.

Sergium in Indicibus ſequitur *Leontius,* qui in catalogo Doſithei *Leo* nominatur. Eum pariter Leonem appellat Eutychius Alexandrinus *annal. pag. 503. Anno Califatus Al-Muctadiri tertio conſtitutus eſt Leo Patriarcha Hieroſolymitanus, qui annos ſeptemdecim ſedit: dein mortuus eſt.* Pagius *tom. 3. crit. annal. Baron.* ad annum 908. *n. 7.* hæc ait: anno Hegiræ 295. (inchoato die 12. Octobris anni Chriſti 907.) Muctafis Billa Califa Babylonienſis die ſolis obiit, juxta Eutychium Patriarcham Alexandrinum; juxta vero Elmacinum *lib. 2. hiſt. Sarac. cap. 18. pag. 184.* die decimo-tertio Dulkiadæ, qui menſis undecimus eſt Arabum, hoc autem anno dies ille incidebat in diem duodecimum (fer. 6.) Auguſti, cujus veſpere dies 13. ejuſdem menſis Dulkiadæ exordiebatur: eique ſucceſſit Giafar Abulfadlus ejus filius, (Elmacino frater ejus) qui inter Califas ordine eſt xxxix. Elmacinus utique ſcribit ibidem, *pag. 185.* ex Chronologo, Muctafim *obiiſſe die Sabbati elapſis annis Hegiræ 294. menſibus undecim, & diebus octo: annis autem ſolaribus mundi 6399. menſibus undecim, & diebus viginti.* Et cap. ſequenti 19. *Giafarem Abulfadlum Muctadirum Billam, filium Mutadidi, creatum*

Digitized by Google

creatum eſſe Califam Bagdadi, eo die quo obiit frater ejus Muctafis, die ſcilicet 13. Dulkiadæ anni (Hegiræ) *295.* (proindeque die 12. Aug. anni Chriſti 908.) *quo tempore annorum erat tredecim: neque ante eum quemquam imperium adeptum eſſe annis eo minorem.* Ex his porro colligendum datur Leontium, qui anno hujus Califæ tertio thronum Hieroſolymitanum conſcendit, anno Chriſti 911. fuiſſe ordinatum, ante menſem Auguſtum. Obiiſſe vero, ſi quidem ex Eutychio ſeptemdecim annos præſul fuit, anno Chriſti 927. aut 928.

LXXII. Anastasius. *Nicolaus.*

Anaſtaſium Leontio ſuffectum tradunt Latini catalogi Patriarcharum Hieroſolymorum, at nulla de eo mentio apud Eutychium Alexandrinum. *Athanaſius* dicitur in catalogo Doſithei Patriarchæ, & poſt eum nominatur ibidem *Nicolaus I.* Hic porro Nicolaus, (ſi quis reipſa extitit iſtius nominis Hieroſolymorum inter Anaſtaſium & Chriſtophorum I. Patriarcha, qui in catalogis Latinis omiſſus fuerit) ſedit utique ab anno 927. aut 928. quo obiiſſe videtur Anaſtaſius, uſque ad annum quo ipſi Chriſtophorus ſucceſſit, quique licet ſileatur in iiſdem catalogis, certe annum 937. præceſſit. Vel dicendum Chriſtophorum, expuncto Nicolao aliàs nobis ignoto, anno præfato 927. aut 928. eccleſiæ curam Hieroſolymorum ſuſcepiſſe, niſi fortaſſis per aliquod temporis ſpatium ea ſedes vacaverit.

LXXIII. Christophorus, *ſive* Christodulus, *aut* Christodorus I.

Poſt Anaſtaſium Latini Indices, alii *Chriſtodulum* exhibent, ſicut etiam catalogus Doſithei Patriarchæ, qui eum ait Aſcalone oriundum: alii *Chriſtodorum*, ut eum pariter appellat Papebrochius *in tract. prælim. ad tom. 3. actorum ſanctorum menſis Maii, pag. 42. num. 182.* obſervans, in Brugenſi quoque manuſcripto, *Chriſtodorum* nuncupari, ſed in codice Rubeæ vallis *Chriſtophorum.* Eutychius Alexandrinus, qui eum nominat ſimiliter *Chriſtophorum,* non exprimit quo anno promotus fuerit, narrat ſolum *pag. 531. Moſlemios tumultu concitato in eccleſia Hieroſolymitana die Hoſannæ,* ſeu Dominica Palmarum, *eccleſiæ Conſtantini portas auſtrales incendiſſe, necnon dimidium porticus, anno trecenteſimo vigeſimo-quinto; fuiſſe vero tunc Patriarcham quemdam Aſcalonenſem, nomine Chriſtophorum, cui bini filii erant, totidemque filiæ: incendium porro perpetratum eſſe primo Paſchatis die, vaſtatumque Calvariæ locum, cum templo reſurrectionis.*

In iſtius Chriſtophori patriarchatu Eutychius annales ſuos abſolvit. Ex illa autem hujus auctoris relatione diſcimus Chriſtophorum anno 325. Hegiræ eccleſiæ Hieroſolymitanæ clavum tenuiſſe; qui annus incepit die 19. Novemb. anni 936. Chriſtophorus itaque Patriarcha erat in feſto Paſchatis anni ſequentis 937. quo decurrebat adhuc præfatus Hegiræ annus 325. Quandonam vero obierit nos latet.

LXXIV. Agatho.

LXXV. Joannes VI. *Alter Joannes.*

Neutrum horum Patriarcharum Hieroſolymorum in catalogis Latinis inveniri teſtatur Papebrochius *in tract. prælim. ad to. 3. Maii, pag. 42. n. 183.* Apud Theodoricum Pauli, ſolius *Agathonis* extare hoc elogium, quod undenam deſumpſerit ille non exprimitur: *doctrina & ſapientia inſignis, omnibuſque virtutibus ornatus, mirabiliter effulſit; atque poſt ſigna virtutum, Deum deorum devote deſiderans videre in Sion, migravit feliciter.* De *Joanne* aliquid certius habemus ex Cedreno, qui *tom. 2. hiſt. pag. 661.* D. primam editionem compendii hiſtorici Joannis Scilitzæ Curopalatæ exſcribens, ad extremum Nicephori Phocæ annum, Chriſti 969. tradit Saracenos ſuorum cladibus efferatos, *poſt expugnatas in Syria & Cilicia urbes, archiepiſcopum Hieroſolymitanum Joannem, vivum combuſſiſſe, quippe cujus inſtinctu fore ſuſpicarentur ut ipſos Nicephorus Imperator invaderet. Incenderunt inſuper pulcherrimum templum Dominici ſepulcri.* Vitam itaque amiſit hic Joannes Patriarcha Hieroſolymorum circa annum Chriſti 969. ante Nicephori Phocæ necem. Eum fuiſſe Joannem illum exiſtimat Papebrochius loco ſupra citato *num. 184. & to. 2. Maii, pag. 109. n. 3.* qui ſancti Joannis Damaſceni vitam, *ab alio, ut potuit, Arabica lingua & litteris ſimpliciter ſcriptam conſequutus, in Græcum ſermonem curavit vertere ad memoriam poſterorum,* multo cum ambitu elegantiaque verborum; qualis edita legitur *tom. 2. Maii,* ad diem 6. *p. 111.* Hæc enim Joannis Damaſceni vita *Joannis archiepiſcopi Hieroſolymitani* nomen in omnibus codicibus præfert.

Apud eoſdem doctiſſ. Bollandianos extat *to. 1.* April. ad diem 10. *à p. 875. ad p. 896.* duplex *vita ſancti Macarii archiepiſcopi Antiocheni,* in qua fit mentio de quodam *Joanne* Patriarcha Hieroſolymitano.

Pagius *to. 4. crit. annal. Baron.* ad annum 1011. *n. 6.* de illo Macario hæc habet: « In priori vita (S. Macarii à doctiſſ. Bollandianis edita ad diem 10. April.) ubi pauciſſima de eo extant, legitur Macarium fuiſſe Antiochiæ archiepiſcopum, *quæ urbs Armeniæ flos*

» *eſt.* Quare quum vicinæ provinciæ ſub Ar-
» menia (etiam) comprehenſæ fuerint, & ibi
» Antiochia Piſidiæ metropolis extiterit, non
» videtur dubitandum, quin in ea Macarius
» ſederit. Nam ſi Patriarcha Antiochenus ex-
» titiſſet, neque Eremboldum abbatem Gan-
» denſem, qui eum viderat, neque monachum
» qui priorem vitam ejus ſcripſit, quemque
» Eremboldus de iis quæ ad ſanctum præſu-
» lem ſpectabant, edocuerat, id latuiſſet, vel
» ab eodem tacitum eſſet.» Addit idem Pagius, ad annum ſequentem 1012. *num. 7.* alterum anonymum vitæ ſecundæ ejuſdem S. Macarii poſt ejus obitum 55. annis auctorem, contra fidem prioris anonymi, ſcripſiſſe Macarium in civitate Antiochiæ Syrorum metropoli natum & baptizatum fuiſſe, (ejuſque) poſt Deum creatorem Armeniam extitiſſe procreatricem. Armenia enim longe à Syria poſita eſt, & nihilominus hic auctor Antiochiam Piſidiæ cum Antiochia Syriæ perperam confundit.

Doctiſſ. Bollandi continuatores, *tom. 4. Jul. in hiſt. chron. Patriarch. Antiochenor.* huic tomo præfixa, in ſedem Antiochiæ Patriarchalem Macarium nunquam fuiſſe promotum fatentur: *Verum,* inquiunt *num. 606. p. 128. altera dubitandi cauſa, quam non attigit Pagius, multo gravior erat, nimirum quod eodem tempore quo juxta auctorem vitæ ſancti Macarii ſecundæ, Macarius ſenior, ſive* (etiam) *ſecundus, Antiochiæ Syriæ Patriarcha fuiſſe dicitur, Patriarcham alium, apud Elmacinum* (lib. 3. hiſtor. Sarac. cap. 5. pag. 244.) *offendiſſet, nomine Agabium* (ſive Agapium II.) qui Melchita fuerit, utpote quem laudant Monophyſitæ, quod *Jacobitis nullam moleſtiam creaverit:* ſupra *num. 602. pag. 127.* Et ſubdunt *n. 607.* obiit Macarius *anno Chriſti 1012. 10. April.... poſtquam Apoſtolicis peregrinationibus annos impendiſſet facile 4. aut 5. ut colliges ex vita ſecunda à num. 13. Patriarcham ergo oporteret eum fuiſſe ſaltem initio circiter ſæculi XI.... ſediſſet ergo eodem tempore, quo præfuiſſe demonſtravimus num. 603. & 604. Antiochiæ Joannem III.*

Macarius porro ille poſt longam peregrinationem, in qua Hieroſolymis vidit *Joannem* ſedentem Patriarcham, apud Gandavenſes deceſſit anno 1012. Nihil autem obeſt, inquit Papebrochius *num. 184.* jam laudato, quominus in urbe ſancta Patriarcham invenerit Joannem (VI.) Certe longa ejus peregrinatio non debet neceſſario paucis annis concludi, potuitque potiſſimam vitæ partem varias regiones oberrando duxiſſe, & extrema demum ætate perlatus Gandavum (anno 1011.) ibidem anno (ſequenti) 1012. obiiſſe, (qui poſt Joannis (VI.) mortem 43. fuerit.) In

A vita autem ſecunda S. Macarii Antiocheni, juſſu Sigeri abbatis monaſterii Gandenſis ſive Gandavenſis, à monacho ejuſdem loci ſcripta, poſt elevationem corporis præfati S. Macarii anno 1067. peractam, & ab ejus morte 55. refertur *num. 5. pag. 878.* prædeceſſorem ejus in ſede Antiochena, ejuſdem nominis, cujus erat *conſanguineus,* ea *affinitate oblatum ſibi de fonte baptiſmatis ſuſcepiſſe* hunc *puerulum, tam ex debito propinquitatis, quam ex gratia Chriſtianæ filiationis.* Eum itaque, inquit auctor, *fecit ſibi æquivocum, committens Deo ut quandoque faceret & univocum. Et quia grandævus*
B *erat fractuſque jam ſenio, loco genitoris retinuit nutriendum & erudiendum ex toto, quatenus ſe ipſum jam deficientem novus hic Macarius renovaret in Chriſto. Nec ſpes eum vana fefellit.... Nullum penitus erat in omni Græca vel Armenica eloquentia ſtudiorum liberalium genus quod aufugere poſſet vivacitatem ingenii ipſius.... Atteſtabatur munditiam cordis ejus jugis meditatio.*

Et n. 6. *Quibus ſtudiis tranſcendens metas adoleſcentiæ, ſolito ſtudioſius cœpit imitari beatum Macarium antiſtitem, & ſupernis intendere,*
C *illecebras mundi declinare, cæleſtia oppetere, & omne ſtudium, quod prius expendebat in liberalibus ſtudiis, in actibus religionis expendere: hocque incœpto non mediocriter profecit, rumores vulgi pro nihilo duxit, ſeſeque totum ad Deo ſerviendum induxit. Lætabatur jam emeritus pater Macarius de tam digna pueri filiatione, gloriabatur de tam liberali moralitate, & quia jam ſenio decedebat, ex integro inducebat animum in ejus ſucceſſione..... Convocari* itaque *jubet ſenior conventum clericorum, dignitatem procerum, turbamque populorum.*

D Et num. 7. *Quibus accitis* dixit.... *Ingredior viam univerſæ carnis, nec aliquantulam præſama fiduciam habeo de operibus meis: lætius tamen recederem ſi certus eſſem de ordinatione Antiochenæ ſedis. Quod ſi vobis non diſplicet juvenis iſte Macarius, quem de fonte ſuſcepi, nutrivi, & erudivi, bene mihi placet.... Non dignitatis veſtræ partem præjudico, ſed ſententiam & voluntatem meam vobis edico, ſi tamen dignus eſt electionis veſtræ judicio.* Et num. 8. *Talibus ſenex inſtabat; & quia res divinitus fiebat, omnis clerus, auctoritas procerum, & cætera*
E *plebs certatim aſſentiebat.... Ita beatus ſenex.... feliciter migravit ad patriam ſalvationis. Plebs autem tanto paſtore deſtituta.... unicum in Macario magnificè probato ſibi delegit ſolatium, ſequuta magnatum, & totius cleri ſolatium. Qui tanta electionis unitate in Antiochia promotus, moribus honeſtis in juvenili corpore permaturus, non eſt relatu facile in ipſo ſublimitatis faſtu quam humilis apparuit & manſuetus, &c.* Et num. 11. pag. 880. *Erogat eis* (pauperibus) *omnia ſua; hæredes ſuorum eos conſtituit in*

Digitized by Google

præſenti vita, ut non perdat hæreditatem in futura.

Et cap. 2. num. 12. *Quumque ſibi nihil ſupereſſet præter dignitatem ſedis Antiochiæ, etiam curam ejus commendavit cuidam Eleutherio venerabilis memoriæ, retenta ſibi tantummodo epiſcopali benedictione, ſicque omnibus terrenis exoneratus, & inter cæteros pauperes & ipſe pauper Chriſti effectus egreditur fines cognationis, ut ingrediatur terram repromiſſionis, &c.*

Et num. 13. *Fuitque prima ejus & ipſa ſatis liberalis intentio, eum requirere locum, Hieruſalem ſcilicet, unde univerſalis proceſſit redemptio, omnimodis mentem armatus & ipſe pro veritate mori, niſi prius deeſſet tortor, quam aſſertor veri.... Vadit itaque via gaudioſa & luctuoſa: pedibus quidem graditur, ſed animo currit cum pietate & miſericordia.... feſtinat terram quondam præſentia Domini inſignitam intrare, &c.* Et num. 14. *Prævenerat autem nobilis ejus fama uſque ad ſanctum Patriarcham Joannem; talis etenim de ſanctis fidei ejus theſauris fama proceſſit, ut & Hieroſolymitanos in longinquo poſitos penetraverit, & auditu gratiæ Dei, tanquam oleo lætitiæ, aures eorum impinguaverit: à quibus etiam ſatis officioſe ſuſceptus, & à ſancto Patriarcha honorificè detentus, aliquandiu inibi eſt demoratus. Delectabat enim eum dormitorium Salvatoris & locus Calvariæ, ubi Dominus noſter crucifixus ſalutaris occubuit victima pro omnium redemptione.... Delectabat eum cum Judæis de incredulitate eorum verba miſcere, cum Saracenis conflictum habere, ſi quo modo aliquem eorum lucrari poſſet ab errore: inter quos aſſiſtens per aliquot dies intrepidus veritatis aſſertor, eorumque reſiſtens erroribus indefeſſus evangelii propagator, paulatim vincebat eos, utpote invictus Domini prœliator, &c.*

Et num. 15. pag. 881.... *Cui non valentes reſiſtere verbis, inſiſtunt verberibus, & ſuis ei perſuadentes communicare erroribus, ad hoc eum inclinare multis laborant terroribus. Sed non cedit, dum cæditur, verbis inſtat, dum pœnis afficitur: ſique interdum non devincit, ſed vincitur, nullis ictibus cedit, nullo terrore juſti patientia recedit. Nil fuit membrorum quod non captivaverit plaga aſpergine vulnerum: ita, proh dolor! plagaverant membra, ut oſſa remanerent carnibus pene deſolata, ſalva ſcilicet, quia non poterat vulnerari, anima pretioſa. Redditur ſemper aſperior ad pugnam, & donec ponat animam non deſerit prædicationis curam. Rapitur deinde & ſegregatur à ſodalibus ſuis, aggregatur in medio iniquæ multitudinis, quibus nolens cedere, recluditur in ergaſtulo carceris: in modum crucis cujus gloriam prædicabat, ſupinus ſuper terram extenditur.... inferunt ei.... lapidem nimio fervore candentem ſuper pectus nudatum.... ſicque eo recluſo cum diligenti cuſtodia diſcedit illa inutilis conſpiratio, confidens.... de victoria, &c.*

Et num. 16. *Apparet pulcrum & grande ſpectaculum, ut qui dominicæ paſſionis locum venerat venerari, & trophæum ejuſdem ſanctæ crucis experiretur, & meritum. Carcerales namque tenebras cœleſtis perluſtrat illuminatio; in modum crucis jacentem divina erigit miſeratio, & eductum de pœnis taliter alloquitur angelica conſolatio: eſto ſecurus, Macari, aſſertor veritatis; nec te moveat ſubita ſolutio tuæ liberationis, quia taliter ſuos liberat reſpectus ſupernæ miſerationis, nec deerit poſt pugnam felicitatis corona. Exi ergo, exi mecum: nec retrahas ab incœpto pedem tuum, quia craſtina die apud incredulos victoria erit tecum. Qui enim tui prius extiterunt maligni perſecutores, cras fient veritatis pro te benigni exactores, & omnium quæ docueris vel juſſeris promptiſſimi executores. Talibus armis miles ad pugnam renovatus (ubi cœleſtis archiater cœleſtes repetivit ſinus) hoſtibus ſe infert medium, reddita luce lætabundus, nil ſibi dubius de victoria: omnem enim excluſerat dubietatem ſponſio angelica, & laxata vincula.*

Hærent Judæi, & mirantur Saraceni, ſeque & ipſum invicem adſpiciunt ſtupefacti. Mirantur liberum quem paulo ante dimiſerant recluſum; ſolutum quem reliquerant ligatum: illæſum quem .... multis plagis reddiderant affectum. Conturbat animos eorum error plurimus, donec accitis ſciſcitatiſque cuſtodibus, narratur eis lux cœlitus emiſſa, viſitatio angelica, curatio & ſolutio divina. Quibus compuncti tandem aſſentiunt veritati, venerantur Verbi Dei myſterium, licet omnibus modis oppugnatum, nequaquam tamen expugnatum: amplectuntur ejus veſtigia, interpellant eum duplici pro miſericordia, eorum quæ in eum commiſerant venia, & fidei commendandæ gratia. Non invenitur difficilis ad dandum, quod ſi illi non petiſſent ſibi fuerat ab eis petendum, ſcilicet ut quærerent indulgentiam errorum.... ſicque eorum cordibus commendans fidei verbum, inſinuat eis eorum eſſe regnum cœlorum, qui renaſcuntur per aquam & Spiritum ſanctum. Suſcipiunt fidem, currunt ad baptiſmi fontem: regenerantur in Chriſto quotquot prædeſtinati erant ab eo.

Et num. 17. *Percurrit fama juſti regionem, pervolant alii ad doctrinam, perplures ad videndum doctorem: diverſus erat concurſus; non idem quippe concurrentium affectus, ſed idem omnium oculis paulopoſt pervenit effectus. Offerentes ei equidem Eutychianum, nobilem quemdam Saracenum, cui ab anno nativitatis nono, ut ſui referebant, uſque ad ſenectutem nimia invaletudo loquendi & audiendi tulerat officium: ex cujus*

Digitized by Google

recuperatione volebant ſibi capere atteſtationis illius experimentum. Dextera quoque manus ejus deformi unguium & digitorum areſacta involutione, adeo ut ſibimet ipſi plus oneri quam uſui videretur adeſſe, inutilem cum cæteris malis efficiebat paganum anima & corpore. Orant omnes inſtanter pro eo apud Juſtum, Juſtus pro ſe & pro omnibus illis inſtantius apud Deum, quatenus radicata in eorum cordibus fide, reddita ſalus Saraceno prædicationi ſuæ perhiberet teſtimonium. Oravit, & exoravit. Saracenus ſe ipſum abſolute loquentem audivit, aridæ manus integritatem recepit, & cum aliis plurimis ſacro fonte baptiſmi perfuſus Dominum laudavit, ſicque etiam apud abſentes curationis ſuæ lingua factus, cum gaudio receſſit. Cujus curationis & converſionis gratia, pluribus ad fidem properantibus, cauſa fuit poſtmodum infirmitatem & incredulitatem evadendi, ejuſdemque præfati magnificandi gloriam. Quantus enim fuerat in ſubtilitate diſputationum, in diſputanda ſinceritate ſcripturarum, admirari quidem poſſumus, definire non poſſumus. Commendat hoc Judæorum monitis ejus facta ad Deum reverſio, Gentilium quoque plurima converſio, & in his qui crediderant multimoda virtutum operatio; quos ubi verbo veritatis fideliter informavit, & in ſuſceptæ fidei perſeverantia penitus fundavit, gratificis mandatorum Dei confirmatos ſermonibus, Deo Paſtori ſummo commendavit ſingultinis orationibus.

Et num. 18. *Deinde ut valefaceret, loca tam dignæ perluſtrans memoriæ, paſſionis ſcilicet, crucis & mortis, Reſurrectionis & Aſcenſionis Domini, Joanni Patriarchæ cum cæteris fidelibus valedicit, ſicque cum illo comitatu ſuo peregrinus & exul, Hieruſalem ſupernam quærere demigravit. Patet ei amplitudo terrarum, ſed non aliquis in eo placet locus ad permanendum. Nullam quærit patriam habere, niſi quam ſibi placeat amplius non mutare. Lætantur itinera mundi, ubi tranſitus habetur tanti peregrini. Vadit ad dexteram & ſiniſtram; nullam curat præterire regionem, niſi Syriam & Armeniam: patriam enim & parentes fugiens, Chriſtum imitando, archipræſulatus etiam honorem ducit pro nihilo. Ille ſibi tantummodo complacet locus, quem poſſit pertranſire obſcurus.*

Poſt varias diuturnioreſque peregrinationes tandem venit Gandavum anno Chriſti 1011. quumque meditaretur redire in patriam, ubi mater ejus adhuc ſuperſtes ipſum à multis annis præſtolabatur, peſtilentia ictus in cælum migravit Gandavi anno ſequenti 1012. die 10. April. fer. 5. poſt Paſcha, multis exinde, ſicut & per vitam, clarus miraculis. Hoc ejus elogium refert Henſchenius, ad diem 10. April. *num. 3. pag. 874.* C. *Beatæ memoriæ Macarius, Antiochenæ ſedis archiepiſcopus, A ſapientia & morum honeſtate præclarus: ſicut præfatus Otthoboldus abbas,* (quem paulo antea, in eodem *num. 3.* dixerat hujus elogii auctor fuiſſe electum abbatem hujus monaſterii Gandenſis, anno 1019. ſubindeque ſeptem duntaxat annis poſt mortem Macarii) *utpote ab eo viſus & notus teſtatur, quem poſt plurima peregrinationis incommoda Gandenſi cœnobio tranſmittere dignatus eſt Dominus: ubi præſentis vitæ moleſtia exutus, & æterna gloria ſublimatus, crebris miraculorum ſignis poſtmodum mirificè claruit.* Henſchenius *ibid. p. 882.* B *col. 2.* de Joanne Patriarcha quem Hieroſolymis Macarius vidit, loquens in annotatis, ait: *Patriarchas Hieroſolymitanos, qui iſtis temporibus floruerunt, ad principium Maii colligemus particulari tractatu, & reperiemus circa annum 1006. martyrio affectum Oreſtem, cui potuerit hic Joannes ſucceſſiſſe, paulopoſt anno 1012. ſucceſſorem habuiſſe Theophilum.* Ipſe nihilominus initio *tom. 3. actorum ſanctorum menſis Maii,* ubi hunc catalogum Patriarcharum Hieroſolymorum texit, *num. 184. pag. 43.* ut jam ſupra dictum eſt, in eam ſententiam C propendet iſtum Joannem Patriarcham, illum fuiſſe quem Saraceni combuſſerunt circa annum Chriſti 969. Macarium enim, *ſi velimus,* inquit, *florenti adhuc ætate, honorem & curam paſtoralem fugiſſe, veniſſeque Hieroſolymam, annis ante mortem ſuam circiter quinquaginta* (certe ab anno 969. ad annum 1012. fluxerunt anni 43.) *nihil obeſſet quominus in urbe ſancta Patriarcham invenerit Joannem de quo agimus; nec propterea opus foret alium inducere in hunc catalogum, qui ſederit initio ſæculi XI.*

D Si quis tamen malit, quod etiam probabilius videtur, Joannem Patriarcham, quem Macarius Hieroſolymis inviſit, illo Joanne à Saracenis occiſo eſſe poſteriorem, quippe quum vix credibile ſit, ſive Macarium hunc per quadraginta quatuor circiter annos poſt Hieroſolymitanum iter denuo peregrinatum eſſe, proindeque uſque ad annum vitæ ſeptuageſimum-quintum, aut ulteriorem, quantumvis triginta ſolum annos natum has peregrinationes ſuſcepiſſe daremus: ſive tunc adhuc vixiſſe ejus matrem; ut in hac ſecunda ejus vita expreſſe dicitur: ſi, inquam, Joannes iſte à E Joanne illo priori diverſus eſt, & poſt annum 969. ſedit: hic ejus meminimus. Patriarcharum enim Hieroſolymorum hujus temporis valde obſcura eſt ſucceſſio, nec minus perplexa duratio regiminis ſingulorum. Pagius autem *to. 4. crit. annal. Baron.* ad ann. 1011. *num. 6.* colligit ex illa ſecunda ſancti Macarii vita, 1.° Hunc Hieroſolymam veniſſe ante Dominici ſepulcri everſionem à Saracenis peractam anno Chriſti 1010. ſub Patriarcha

Hieremia ſive Oreſte, ut infra dicetur. 2.° A Joannem Patriarcham Hieroſolymitanum à quo Macarius benigne exceptus eſt (alterum utique à Joanne quem Saraceni combuſſerunt circa annum Chriſti 969.) omiſſum fuiſſe à Papebrochio *in tract. prælim. ad to. 3. Maii*, & ſediſſe ante præfatum Hieremiam, non vero poſt eum, ut putavit Henſchenius in notis ad eamdem poſteriorem vitam ejuſdem S. Macarii. Addi poteſt Joannem iſtum veriſimillimè ipſum eſſe Hieremiam, qui Patriarcha erat ante annum 996. quo obiit Azizus Billa Califa Ægypti, ut infra dicetur: deceſſit B autem anno Chriſti 1010. aut 1011. Quum enim hic Patriarcha, & *Hieremias* & *Oreſtes* à ſcriptoribus appelletur, potuit quoque ab auctore vitæ ſecundæ ſancti Macarii appellari *Joannes:* certe in fine ſæculi x. & initio xi. Hieroſolymis ſedebat ille Hieremias, ſubindeque alium Hieroſolymis non vidit Macarius Patriarcham, quum eò peregrinatus eſt.

LXXVI. Christophorus, *ſive* Christodorus II.

Hunc *Chriſtophorum* ſive *Chriſtodorum* Patriarcham Hieroſolymorum Theodoricus Pauli hoc elogio exornat, ſub nomine Chriſtodoli II. apud Papebrochium *in tract. prælim. ad tom. 3. Maii, num. 185. p. 43. col. 1.* quod *rexit eccleſiam ſuam feliciter, infinitas tribulationes à Paganis ſuſtinens: nam ſua melliflua prædicatione multos convertebat, & tandem felici fine quievit.* Verum non indicat Theodoricus unde hoc eruerit, nec quo anno inceperit, aut deſierit tam præclara hujus Chriſtodoli regiminis adminiſtratio.

LXXVII. Thomas II.

LXXVIII. Joseph II.

Thomas & *Joſeph*, in catalogis Patriarcharum Hieroſolymorum, Chriſtophoro ſeu Chriſtodoro ſuccedunt, primus quidem Thomas, deinde Joſeph. Sub Thoma Theodoricus Pauli tunicam Chriſti inventam eſſe in Palæſtina aſſerit. At quadringentis fere antea annis id contigerat, anno ſcilicet Chriſti 590. ſub Joanne IV. Vide ſupra *col. 243.* D. Joſeph in Doſithei catalogo dicitur *philoſophus & medicus.* Theodoricus hunc eo elogio exornat apud Papebrochium *ibid. col. 2.* D. quod fuit *vir ſanctus, & in maxima perſecutione rexit eccleſiam Hieroſolymorum in multis bonis, floridus in largiendis eleemoſinis: fuit in negotiis eccleſiaſticis valde fervidus, & egenis largus, tandem plenus virtutibus migravit.* Nos abſolutè latet, quot annos uterque hic Patriarcha eccleſiæ curam Hieroſolymorum geſſerit.

LXXIX. Alexander.

LXXX. Agapius.

LXXXI. Hieremias *ſeu* Orestes.

De *Alexandro* & *Agapio* dicemus in fine hujus articuli: *Hieremiam* autem & *Oreſtem* unum eſſe eumdemque virum modo patebit. Elmacinus *lib. 3. hiſt. Sarac. cap. 5. pag. 247.* hæc habet de Hieremia: *Azizus Billa Dominus Ægypti uxorem duxerat Chriſtianam Melchiticam, ex qua & filiam ſuſceperat. Erant autem ei mulieri duo fratres, quorum alterum nomine Hieremiam conſtituit Patriarcham Hieroſolymitanum, alterum autem Arſenium nomine Patriarcham Melchitarum Alcahiræ & Mitſræ* (id eſt, Alexandrinum, inquit Pagius *tom. 4. crit. annal. Baron.* ad annum 1009. *num. 6.*) *Atque hi cum Azizo aliquam habebant familiaritatem, quod avunculi filiæ ejus eſſent, unde & eo imperante promoti ſunt.* Regnare inceperat in Ægypto Azizus iſte eiſdem die & anno Hegiræ quibus obierat pater ejus Muazzus Lidinilla, ex præfato Elmacino *pp. 233. &* C *234.* ſcilicet anno 365. Hegiræ, qui inceperat die 10. Septemb. anni Chriſti 975. die undecimo Rabii prioris, id eſt die 18. Novemb. ejuſdem anni. Obiit autem anno Hegiræ 386. qui incepit die 25. Januar. anni Chriſti 996. menſe Ramadano, id eſt Octobri ejuſdem anni. Unde in eo annorum ſpatio ſedere Hieroſolymis incepit Hieremias. Non tamen ut videtur, ante annum Chriſti 984. quo circiter ſororem ejus in uxorem duxerat Azizus Billa, ex qua anno ſequenti filium ſuſcepit Hakemum ejus in Califatu ſucceſ- D ſorem.

Mortuo autem Azizo Domino Ægypti, pergit Elmac. *ibid. cap. 6. pag. 255. ceſſit imperium filio ejus Hakemo Biamrillæ tertio Fatimidarum*, quia ſcilicet, ut habet idem Elmacinus *pag. 227. anno Hegiræ* 358. (inchoato die 25. Novembris anni Chriſti 968.) *venit Gheuharus miniſter Muazzi Lidinillæ* (patris Azizi) *qui Dominus erat Cairawani cum exercitu in Ægyptum, & erexit nobilitatem Muazzicam* (id eſt, ſublimiorem fecit) *ita ut populus Muazzo juramentum fidelitatis* E *præſtiterit, & Gheuharus pacta cum eo fecerit. Ingreſſi ſunt autem Gheuharus & exercitus ejus Ægyptum die Martis decimo-ſeptimo Siaabani*, (menſis 8. anni Hegiræ 358. ſubindeque die circiter 21. Julii anni Chriſti 969.) Hinc *initium* repetit *nobilitatis Fatimidarum in Ægypto* præfatus Elmacinus, cujus nobilitatis auctor fuit ille Muazzus pater Azizi & avus Hakemi. Proſequitur Elmacinus *pag. 255. ceſſit imperium.... Hakemo.... tertio Fatimidarum, filio Abulmanſoris filii Barari* (id eſt,

Digitized by Google

filio Azizi filii Muazzi, ex eodem Elmacino A *pag. 234.*) *die Martis 28. menſis Ramadani* (menſis noni anni Hegiræ) *386.* (die circiter 20. Octob. ejuſdem anni 996.) *Natus autem erat Alcahiræ in Rabio priori* (menſe tertio anni Hegiræ) *375.* (qui incepit 24. Maii anni Chriſti 985. adeoque natus eſt Hakemus menſe Auguſto ejuſdem anni) *ita ut quum imperare inciperet, natus eſſet annos undecim, ſed adminiſtrabat pro eo imperium Arghuanus miniſter, juſſu patris ejus Azizi Billæ. Afflixit* (Hakemus iſte) *Chriſtianos & Judæos,* ſubdit Elmacinus *ibid. pag. 260. & templa eorum* B *diruit, eoſque vexavit: unde multi ex iis Iſlamiſmum ſunt amplexi, ſed, mutata deinde ſententia, dedit eis, qui ad Iſlamiſmum defecerant,* (licentiam) *eidem renuntiandi, & permiſit eis reſtaurare templa ſua. Quin aiunt eum præconi ſuo dixiſſe; quot habes in catalogo tuo! hunc autem reſpondiſſe: ſedecim millia confitentur te eſſe Deum: paucis; concurrebant in eo atheiſmus & inſania. Occiſus eſt,* ex eodem Elmacino *pag. 258. anno* (Hegiræ) *411.* (qui cœpit die 27. Aprilis anni Chriſti 1020. *in* (menſe) *Siewalum* (decimo menſe anni Hegiræ, proin- C deque occiſus eſt in menſe Februario anni Chriſti 1021.) *quum regnaſſet annos 25. & dimidium menſem, & natus eſſet annos 37. Succeſſit* (autem) *ei, ibid. pag. 260. filius ſuus Alis Abulhaſenus die Martis ultimo Siewali, anno Hegiræ 411. ſedecim diebus poſt cædem patris ſui Hakemi:* (adeoque die 5. circiter aut 6. menſis Martii anni Chriſti 1021.) *Natus erat Alcahiræ die Mercurii 14. menſis Ramadani* (noni Hegiræ) *anno* (ejuſdem) *395.* qui incepit die 18. Octob. anni Chriſti 1004. & ſic natus erat in menſe Julio anni Chr. 1005.) D *ita ut annos haberet quum Imperator fieret, ſedecim: & cognominatus fuit Tahirus Liizazdinilla.*

Porro Albericus monachus trium Fontium ordinis Ciſtercienſis, in diœceſi Catalaunenſi, in chronico editionis Lipſiæ 1698. *part. 2. pag. 46.* ad annum 1011. & ſequentem, hæc refert de perſecutione quam intulit Hakemus Chriſtianis locorum ſanctorum incolis: *Anno 1011. Guido de oppreſſione fidelium in Hieroſolymis ſub dominatione Saracenorum, infra tempus ab Imperatoris Caroli* E *Magni diebus dies iſtos aduſque tranſactum. Quum per idem tempus inter Perſas & Ægyptios pertinax eſſet de monarchia contentio, tandem Ægyptiorum regnum prævaluit, & uſque ad Antiochiam ab Ægypto provincias occupavit, & ſanctam Terram cum aliis occupavit. Poſt hæc Ægyptiorum Achim* (Hakemus) *Soldanus & Califas,* (*quod interpretatur* heres Mahumeth, *ſcilicet eorum maximi ſeductoris, dictus etiam Mulone, quod interpretatur apud ipſos* Dominus noſter; *quæ nomina non propria, ſed appellativa ſunt) prædeceſſores ſuos ſicut potentia, ſic & malitia eos ſuperare conatus eſt. Etenim Dominicæ reſurrectionis eccleſiam, quæ per venerabilem virum, Maximum ejuſdem loci epiſcopum, præcipiente Conſtantino primo glorioſiſſimo Auguſto conſtructa fuerat, poſt everſa per Coſdroë tyrannum Perſarum, per Imperatorem vero Heraclytum* (Heraclium) *& Modeſtum Patriarcham reparata, ſolo coæquari mandavit: Oreſtem inſuper Patriarcham, maternum avunculum ſuum* (eumdem proinde hominem ac Hieremiam, quem pater hujus Hakemi Azizus Billa, utpote fratrem uxoris ſuæ, conſtituerat Patriarcham Hieroſolymitanum) *privatum oculis & captivatum in Babylonem adduxit. Hoc totum factum eſt in ſequenti anno....* Unde paulo inferius. *Anno 1012. eccleſia Hieroſolymorum deſtructa eſt, & Patriarcha Oreſtes oculis privatus captivus abductus eſt. Sequitur Guido: Ab ea die cœpit fidelium in ea civitate multo deterior eſſe conditio, quod hoc uno de tot millibus probatur exemplo. Quidam ab infidelibus noſtros perſequentibus odio inſatiabili, ut aliquid eis moliretur ad mortem, projecit in atrium templi mortuum canem, in cujus munditia conſervanda tam cuſtodes quam civitas univerſa de mandato Califæ non minimam ſollicitudinem impendebant. Imputatur hoc piaculum de cane mortuo Chriſtianis: decernitur interitus univerſis, quumque gladii Chriſtianorum cervicibus imminerent, egregius quidam adoleſcens, fide & ſpiritu plenus, annua memoria piæ recordationis animæ ſuæ petita ſuppliciter, unanimiterque conceſſa, coram primatibus & populo civitatis ſe reum, & alios aſſerens innocentes, pro fratribus ponitur & exponitur gladiis, aliis abſolutis. Hic notandum eſt, quod ſupra in anno 970. ubi agitur de Bernardo quodam monacho, Theodoſius erat Patriarcha Hieroſolymitanus.* (Hic Theodoſius anterior eſt 100. annis, quippe qui Heliam ſyncellum ſuum miſit Conſtantinopolim, ut vices ſuas gereret in ſynodo octava anno 869. habita.) *Ex tunc uſque ad annum hunc* (1012.) pergit Albericus *ibid. p. 47. part. 2. Iſti fuerunt Patriarchæ: Helias* (III.) *Sergius, Leontius, Anaſtaſius, Chriſtodolus, Thomas, Joſeph, Oreſtes. Hic eſt qui à Soldane Achim* (Hakemo) *nepote ſuo excæcatus, hoc anno ductus fuit in Babylonem, & ibidem occiſus. Poſt hunc fuit Patriarcha Theophilus, deinde Nicephorus, de quo dicemus abhinc per annos triginta ſeptem, quando facta eſt eccleſiæ Hieroſolymitanæ reſtauratio.* Hucuſque Albericus, in cujus catalogo nonnulli præſules Hieroſolymorum deſiderantur, qui & in Indicibus deſunt, de quibus ſupra aliunde notitiam hauſimus.

Digitized by Google

Willelmus Tyrius *hiſt. de bello Sac. lib. 1. cap. 4.* eamdem cladem Chriſtianis illatam ſub Hakemo Califa ſic deſcribit, *pag. 631. lin. 12. Hic, & prædeceſſorum ſuorum, & ſucceſſorum pariter longe vincens malitiam, factus eſt poſteris, & ejus inſaniam legentibus ſolemnis fabula. Adeo enim in omni impietate & nequitia ſingularis extitit, ut ejus vita Deo & hominibus odibilis, ſpeciales exigat tractatus. Hic inter cætera, quæ perniciosa plurima præceperat, Dominicæ reſurrectionis, (quæ per venerabilem virum Maximum ejuſdem loci epiſcopum præcipiente Domino Conſtantino Auguſto ædificata fuerat, poſtea per reverendiſſimum Modeſtum tempore Domini Heraclii reparata,) funditus dejici mandavit. Cujus præcepti reſcriptum quidam ejus procurator, præſes videlicet Ramulenſis, Hyaroë nomine, ad ſe directum ſuſcipiens, prædicta eccleſia uſque ad ſolum diruta, juſſionem regiam effectui mancipavit. Præerat vero ea tempeſtate eidem eccleſiæ vir venerabilis Oreſtus* (ſive Oreſtes) *nomine, ejuſdem nequiſſimi regis avunculus, matris ejuſdem frater. Hoc autem ideo feciſſe dicitur, ut ſuæ perfidiæ populis infidelibus daret argumentum. Objiciebatur enim ei Chriſtianitatis titulus, eo quod ex matre Chriſtiana natus eſſet; quam quaſi crimen à ſe volens depellere, prædictum facinus auſus eſt perpetrare: nihil arbitratus ſupereſſe calumniæ, quod in ejus perſonam impingi poſſet, quodque ejus æmulis pateret ad morſum, ex quo religionis fontem Chriſtianæ, fidei catholicæ cunabula dejeciſſet.*

Cap. 5. *Ab ea die cœpit fidelium in eadem civitate multo deterior eſſe conditio, tum ex dolore juſtiſſimo quem ex caſu ſanctæ reſurrectionis eccleſiæ conceperant; tum ex multiplicatis angariis geminata moleſtia. Nam præter enormitatem tributorum & vectigalium, quæ ab eis præter morem, & contra privilegia à ſuis prædeceſſoribus indulta exigebantur, ſolemnitates etiam interdixerat, quas uſque ad illum diem, ſub aliis principibus, & in occulto & palam ſatis libere celebraverant: Quoque dies erat celebrior, eo arctius domiciliorum ſuorum ſeptis cohibebantur, nec in publicum audebant comparere. Domi etiam non tutum dabatur eis habere refugium, ſed jactu lapidum, & ſordium immiſſione, & violentis irruptionibus, quanto dies erat ſolemnior, tanto amplius moleſtabantur. Ad hæc pro quolibet verbo levi, ad quamlibet accuſatoris alicujus ſuggeſtionem, ſine cauſæ cognitione rapiebantur ad cruces & ſupplicia, bona confiſcabantur, auferebantur poſſeſſiones, filiique eorum & filiæ rapti de domibus parentum, flagellis aliquando, nonnunquam blandimentis & promiſſionibus apoſtatare cogebantur, aut patibulis affigi. Qui autem pro tempore erat illis Patriarcha, is primum injurias excipiebat & opprobria; tum eos & publicè & ſecretius ad longanimitatem invitans pro temporalibus quæ patiebantur malis coronas promittebat ſempiternas. Cujus verbis & exemplo commoniti, tranſitorias pro Chriſto contemnentes injurias ſe invicem mutua charitate conſolabantur. Referre per ſingula longum eſſet quanta in propriis corporibus prædicti ſervi Dei pertulerint tormenta, ut hæredes fierent in domo Domini, & ut leges æmularentur paternas, &c.*

Subdit Pagius *tom. 4. crit. annal. Baron.* ad annum 1009. *num. 4.* ſacrum Hieroſolymorum templum anno 1010. everſum fuiſſe, juxta Ademarum in chronico, qui hoc tempore vivebat, in eo tamen peccat, uti & Glaber, cujus verba refert Baronius ad annum 1009. *num. 4. & ſeqq.* quod id juſſu Califæ Babylonienſis factum fuiſſe affirmet; quum tunc Syriæ & Ægypto, non Califa Babylonienſis, ſed Califa Ægypti, qui hoc tempore erat Hakemus, præſideret. Curopalates autem, cujus verba recitat idem Baronius *n. 10.* & legi poſſunt apud Cedrenum *to. 2. pag. 706.* C. recte quidem hanc cladem principi Ægypti adſcribit, ſed illum male Azizium appellat. Hic enim Hakemi pater fuit, jam ab anno Chriſti 996. fato functus. Verum hiſtorici, de iis quæ in longinquis regionibus geſta ſunt verba facientes, non raro veris falſa miſcent. Sic ergo loquitur de ea clade Ademarus, apud eumdem Pagium modo citatum, & *tom. 2. Bibl. Labb. pag. 174. Ipſo anno ſepulcrum Domini Hieroſolymis confractum eſt à Judæis & Saracenis, III. kalend. Octobris* (id eſt 29. Septembris) *MX. ab Incarnatione ejus. Nam Judæi Occidentales & Saraceni Hiſpaniæ miſerunt epiſtolas in Orientem, accuſantes Chriſtianos, & mandantes exercitus Francorum ſuper Saracenos Orientales commotos eſſe. Tunc Nabuchodonoſor Babyloniæ, quem vocant Admirantum, concitatus ſuaſu paganorum in iram, afflictionem non parvam in Chriſtianos exercuit, deditque legem, ut quicunque de ſua poteſtate nollent fieri Saraceni, aut confiſcarentur, aut interficerentur. Unde factum eſt, ut innumerabiles Chriſtianorum converterentur ad legem Saracenam: & nemo pro Chriſto morte dignus fuit præter Patriarcham Hieroſolymorum, qui variis ſuppliciis occiſus eſt, & duos adoleſcentes germanos in Ægypto, qui decollati ſunt, & multis claruerunt miraculis. Nam eccleſia ſancti Gregorii* (Glaber rectius habet *Georgii*) *quæ hactenus à nullo Saracenorum potuit violari, tunc deſtructa eſt, cum aliis multis eccleſiis ſanctorum, & peccatis noſtris promerentibus, baſilica ſepulcri Domini uſque ad ſolum diruta. Lapidem vero Monumenti quum nullatenus poſſent comminuere, ignem copioſum ſuperadjiciunt, ſed quaſi adamas immobilis*

Digitized by Google

manſit, & ſolidus. Bethleemiticam eccleſiam, ubi Chriſtus natus eſt, quum niterentur deſtruere, ſubito apparuit eis lux fulgurans, & omnis multitudo paganorum corruens expiravit confeſtim; & ſic eccleſia Dei genitricis intacta remanſit. Ad monaſterium quoque Montis-Sinai, ubi quingenti & eo amplius monachi ſub imperio abbatis manebant, habentes ibidem proprium epiſcopum, venerunt Saracenorum decem millia armatorum, ut monachos perimentes, habitacula eorum cum eccleſiis diruerent. Propinquantes autem à quatuor fere millibus conſpiciunt totum montem ardentem & fumantem, flammaſque in cœlum ferri, & cuncta ibi poſita cum hominibus manere inlæſa. Quod quum renuntiaſſent regi Babylonio, pœnitentia ductus tam ipſe, quam populus Saracenus, valde doluerunt de his quæ contra Chriſtianos egiſſent: & data præceptione juſſit reædificare baſilicam ſepulcri glorioſi; tamen redincepta baſilica, non fuit amplius ſimilis priori pulcritudine, vel magnitudine, quam Helena mater Conſtantini regali ſumptu perfecerat. Moxque è veſtigio ſuper omnem terram Saracenorum fames incanduit per tres annos, & innumerabilis eorum multitudo fame necata eſt, ita ut plateæ & deſerta cadaveribus omnino replerentur, & fierent homines cibus & ſepultura feris & avibus. Sequuta eſt eos gladii vaſtitas: nam gentes Arabiæ ſuper terram eorum diffuſæ ſunt, & qui remanſerant, fame & gladiis interierunt. Captus eſt ab eis rex Babyloniæ, qui ſe contra Dominum erexerat in ſuperbiam, & vivus, ventre diſſecto, viſceribuſque extractis, impiam animam ad barathrum projecit. Venter ejus lapidibus oppletus, conſutus eſt, & cadaver, ligato plumbo ad collum in mare demerſum eſt. Eo anno Radulphus Petragoricæ epiſcopus, Hieroſolymis rediens, retulit quæ viderat ibi infanda, & obiit Petragoricæ. At non confundendum Hakemum Califam Ægypti qui anno duntaxat Chriſti 1021. ut ſupra dictum eſt, *col. 475.* C. obiit, cum iſto Babyloniæ Califa. Hiſtorici enim Latini, qui de hac perſecutione verba habuere, inquit Pagius laudatus *n. 6.* in eo, ut videtur, peccarunt, quod eam Califæ Babylonico attribuerint, quia ſæculo elapſo Ægyptus ei ſubdita fuerat; neque adverterunt Ægyptium ſibi regem (Muazzum ſcilicet Hakemi avum, & Azizi patrem) ſæculo præcedenti conſtituiſſe. Willelmus quidem Tyrius *lib. 1. de bello ſac. cap. 4.* hunc errorem vitavit, ſed hanc perſecutionem in annum 1011. perperam diſtulit, quam Ademarus modo recitatus, & coætaneus, ad annum 1010. expreſſe revocat.

Theodoricus Pauli, apud Papebrochium *tract. prælim. in to. 3. Maii, num. 187. p. 43.* hoc Oreſtis Patriarchæ Hieroſolymitani, ex neſcio quo auctore, texit elogium: *Oreſtes*

A *ſanctus & martyr pretioſus, illuſtris genere, qui converſus ad fidem Chriſti ex Saraceniſmo, profecit in omnibus virtutibus, ita ut ad ſummum gradum ſacerdotii proveheretur. Erat enim filius præpotentis ducis Abellinæ, qui defuncto ſancto Joſeph prædeceſſore ſuo, electus in Patriarcham Hieroſolymitanæ urbis, ſtrenue vixit, exemplum dans cunctis ſubditis ſuis bene vivendi. Quum igitur gradatim de virtute in virtutem in dies iret, iratus ſoldanus Achim* (Hakemus) *nepos ejus, Hieruſalem potenter intravit, ac ipſum ſanctum Oreſtem Patriarcham, nolentem fidei*
B *Chriſtianæ renuntiare, flagellatum, lampadibus uſtum, & ad trochleas tormentatum, tandem poſt diverſa tormenta conſtanter tolerata crudeliter martyrizatum decollavit: cujus feſtum celebratur 17. die Maii.* Florarium autem ſanctorum manuſcriptum, eodem quo Theodoricus Pauli ſcribebat tempore exaratum, (de quibus vide ſupra *col. 142.*) 15. die Maii habet hæc: *Hieroſolymis Oreſti epiſc. & mart.* Babylonem autem, ſubjungit Papebrochius, quo abductum Patriarcham narrant catalogi, non aliam intellexerim quam Ægyptiam, *Alca-*
C *hiram* Saracenis, *Cairum* Europæis vulgo dictam. Rodulfus Glaber, *lib. 3. cap. 7.* apud Andr. Ducheſne *monum. Franc. to. 4. p. 32.* tradit Judæos Aureliis ex Gallia per occultas litteras Hakemo ſignificaſſe; *quoniam niſi celerius domum Chriſtianorum venerabilem* (dominici ſepulcri) *ſubverteret, ſciret ſe in proximum, Chriſtianis regnum ipſius occupantibus, omni penitus dignitate carere....* Verum *everſo templo, poſt paululum manifeſte claruit, quoniam Judæorum nequitia tantum nefas ſit patratum: utque divulgatum eſt per orbem uni-*
D *verſum, communi omnium Chriſtianorum conſenſu decretum eſt, ut omnes Judæi ab illorum terris vel civitatibus funditus pellerentur; ſicque univerſi odio habiti, expulſi de civitatibus, alii gladiis trucidati, alii fluminibus necati, diverſiſque mortium generibus interempti: nonnulli etiam ſeſe diverſa cæde interemerunt; ita ſcilicet ut digna de iis ultione peracta, vix pauci illorum in orbe reperirentur Romano.*

Cæterum Chriſtianorum perſecutio maxima fuit in Ægypto: nam, ut ſcribit alius quidam Chronol. Arabicus, natione Cophtita,
E Elmacino ſæculo circiter uno anterior, quem Abraham Ecchellenſis Maronita Latinum fecit, vulgavitque, *Zacharias ſuffectus eſt* apud Alexandrinos Patriarcha, *anno 728. martyrum* (Chriſti 1012.) *Hunc vero crudeliter perſecutus eſt Al-Hakemus, ut ſeptennio latere coactus fuerit. Aliquando leonibus fame laborantibus projectus eſt, nullam tamen ipſi intulerunt noxam.* Subdit Elmacinus *lib. 3. hiſt. Sarac. cap. 6. pp. 263. & 264. Aiunt anno 393.* (Hegiræ) *conſtitutum fuiſſe Patriarcham* (Alexandr.) *Abuna*

Abuna Zachariam anno 7. imperii Hakemi Domini Ægypti, die ſolis, 20. (menſis) *Babæ anno 720. martyrum* (Chriſti 1004.) *& ſediſſe annos 28. & 7. quidem annos in perſecutione. Objectus fuit leonibus juſſu Hakemi, una cum Sauſana Nubienſi, ſed qui, licet famelici, eis tamen non nocuerunt: unde poſt tres menſes dimiſſi ſunt. Latuit autem annos 9. & obiit 8.* (menſis) *Tubæ, anno martyrum 748.* (Chriſti 1032.) *ac ſepultus fuit in Æthiopia: vacavitque poſt eum ſedes 74. dies.* Hunc Zachariam fuiſſe Patriarcham Jacobitarum Alexandrinorum aſſerit Doctiſſimus Renaudotius *hiſt. Patriarch. Alexandr. pag. 386. & ſeqq. pag.* quoque *389.* Abunagiah, cujusnunc mortem deſcripturi ſumus, à Jacobitis inter ſuos martyres numerari. Unde ſi revera contigerint miracula, quæ in illorum actis narrantur, idem judicium de iis ferendum palam eſt, ac de iis quæ referunt Socrates & Sozomenus patrata in gratiam Novatianorum: fuiſſe hæc nimirum teſtimonia veritatis dogmatum quæ Jacobitæ communia habent cum catholicis, non vero approbationem errorum qui iiſdem proprii ſunt aut ipſorum ſanctitatis. Pergit chronologus Arabicus: *Eccleſiæ vero ſub eo clauſæ ſunt multo tempore, nec quiſquam miſſam celebrare audebat niſi in eccleſia ſancti Macarii: & plurimis ærumnis affecti ſunt Chriſtiani abs Al-Hakemo, qui etiam appendi juſſit cruces collis Chriſtianorum, & vituli caput collis Judæorum. Tandem comprehendit Al-Hakemus ſcribas Aulæ, & nobiles Chriſtianorum, eiſque propoſuit, aut fidem amplecti Moſlemanicam, aut neci ſe parare. Qui reſponderunt ei omnes: ſequemur ſeniorem Abunagiahum, quoniam ipſe eſt noſter primas & major. Cui accerſito Moſlemanicam propoſuit Al-Hakemus religionem. Reſpondit ipſi ſenior Abunagiahus: permittat mihi Califa, concedatque hanc noctem, ut animum meum conſulere poſſim; cras autem dabo reſponſum. Ille autem ad ſuam profectus domum, valedixit uxori ac liberis, & quas eleemoſynas ac ſacrificia poſt ejus obitum eſſent facturi commendavit, totamque noctem illam in orationibus perſolvendis tranſegit. Illuceſcente die ſeſe Al-Hakemo ſiſtit. Cui ait ille: Quid tibi ſenior Abunagiahe, dixit animus tuus! Domine mi, reſpondit, animus meus optimus ac fortiſſimus eſt in mea fide, & religione patrum meorum. Tunc præcepit Al-Hakemus ut loris bubulis mille ictus acciperet abſque ulla intermiſſione. Quum itaque ſeptingentis ictibus percuſſus eſſet, dixit, ſitio. Tunc milites id ad Califam retulerunt, qui ait ipſis; ſi Moſlemanicam amplectatur fidem, date ei bibendum. Qui dixerunt ei: Moſlemanicam amplectere fidem, & dabimus tibi bibendum. Qui reſpondit eis: Non. Jam Dominus meus Jeſus mihi bibendum dedit. Et viderunt milites barbam ejus & labia aqua madentia, ſtatimque tradidit ſpiritum. Quod quum relatum eſſet Califæ, dixit: percutite illum donec complebuntur mille ictus; & percuſſerunt eum trecentis ictibus poſt ejus mortem.* Hæc refert Papebrochius ſupra citatus, *n. 188. p. 44.*

Ad iſtud tempus referri poterit, quod ſcribit Nicephorus Calixtus, de tranſlatione quorumdam epiſcoporum agens, *lib. 14. hiſt. eccl. cap. 39. pag. 529.* C. ſub Baſilio Porphyrogenneta qui Conſtantinopoli regnavit ab anno Chriſti 975. uſque ad annum 1025. *Alexandrum* ad ſedem Hieroſolymitanam fuiſſe tranſlatum. *Agapius,* inquit, *Seleuciæ in Pieria antiſtes, Antiochiam & ipſe tranſlatus eſt, Baſilio Porphyrogenneta Romanis imperante: ſub ejuſdem imperio Theophylactus Sebaſtia Roſiam, & Alexander Antiochia Hieroſolymam.* De præfato Agapio legitur *lib. 4. Jur. Græco-Romani, cap. 4. pag. 294. ſub ejuſdem* (Baſilii Porphyrogennetæ) *imperio, tempore profectionis* (Bardæ) *Scleri,* (ante ann. 986.) *ut ſcribit Theodorus epiſcopus Sebaſteæ, Agapius archiepiſcopus Seleuciæ civitatis in Pieria ſitæ, factus eſt Hieroſolymorum Patriarcha, qui hanc in urbem* (Conſtantinopolim) *profectus, miniſterium ſacrum obivit una cum beatiſſimo ſanctiſſimoque Patriarcha, Domino Nicolao, & cum ſacra ſynodo.* Nicolaus iſte, cognominatus *Chryſoberges,* ſedit Conſtantinopoli, ab anno Chriſti 983. ad annum 995. Verum quum toto illo tempore nulla eſſet Græcorum Imperatorum in Palæſtina poteſtas, admiſſi fortaſſis non fuerunt Hieroſolymis *Alexander* & *Agapius,* qui inter Patriarchas Hieroſolymorum reipſa non recenſentur in Indicibus: fieri tamen potuit ut ſederint ante Oreſtem, poſt quem nominatur Theophilus.

LXXXII. Theophilus.

Jam vidimus *Theophilum* Oreſti, ceu proximum ejus ſucceſſorem, ſubjungi ab Alberico, *part. 2. pag. 47. Poſt hunc* inquit (Oreſtem) *fuit Patriarcha Theophilus.* Ita quoque catalogi. Theodoricus Pauli, apud Papebrochium *tract. prælim. to. 3. ſanctorum Maii, num. 189. pag. 44.* hoc eum elogio afficit: *rexit feliciter ſanctam ſuam eccleſiam in grandi preſſura & paupertate: ejuſque vita virtutibus & miraculis plena per totam terram ſanctam refulſit.* Conjicit Papebrochius perbrevem fuiſſe hujus Theophili epiſcopatum, paucorumque annorum; quippe quum ſub eo cœpta eccleſiæ ſancti ſepulcri reſtauratio, Nicephoro, qui ipſum excepit, fere tota adſcribatur. In Doſithei Patriarchæ catalogo additur: *Noſſe intereſt Hieroſolymitanam ſedem Patriarcha vacaſſe annos XI.* In eodem catalogo poſt Theophilum recenſetur *Nicephorus I.* & poſt

Digitized by Google

eum *Oreſtes I. Romano Imperatore ſub quo templum* (ſancti ſepulcri) *inſtauratum fuit.* Verum hæc ſucceſſionum ſeries aliis ſcriptoribus refragatur, qui Oreſtem Theophilo & Nicephoro præponunt; eumque aiunt ſub Hakemo interfectum, ut ſupra dictum eſt.

LXXXIII. Arsenius.

Quamvis de iſto *Arſenio* nullam, inter Patriarchas Hieroſolymorum hujus ævi, catalogi Latini faciant mentionem, nec etiam Albericus in ſuo chronico, qui Theophili ſucceſſorem Nicephorum ſtatuunt; quin B tamen Arſenius vere fuerit Patriarcha ante annum 1024. ſive Theophilum præceſſerit, ſive eum exceperit, dubitare non ſinit vita ſancti Simeonis monachi & eremitæ, quæ extat apud doctiſſ. Bollandianos, *to. 6. Julii,* ad diem 26. *pag. 324. col. 2.* Hanc vitam, quam conſcripſit monachus Padolironenſis cœnobii ordin. ſancti Benedicti prope Mantuam, ediderunt ex codice manuſc. Ingolſtadienſi. Refert autem illius vitæ auctor coævus, Patriarcham Hieroſolymitanum Arſenium nomine, aliquid de geſtis hujus ſancti C in Armenia oriundi tradidiſſe in epiſtola qua ipſe uſus eſt, eam in compendium redigens, quoad priores ejuſdem ſancti annos.

Notandum porro, inter cætera quæ ad hunc ſanctum, dum viveret, pertinuerant, & ceu reliquiæ in eodem monaſterio ſervabantur, oſtendi aliam epiſtolam Arſenii Hieroſolymitani præſulis, Armenicis ſcriptam characteribus, quam Arnoldus Wion Duacenus in Belgio, & monaſterii ſancti Benedicti in agro Mantuano alumnus Latinè verſam dedit. Eamdem pariter (exhibent,) inquiunt citati D modo Bollandiani *num. 12. pag. 321. col. 2.* Hippolytus Doneſmundus *hiſt. Mantuanæ lib. 3. pag. 187.* Eamdem Mabillon. *in Actis SS. Ord. Bened. ſæc. VI. part. 1. à pag. 151.* ad calcem miraculor. Eamdem demum Papebrochius, *tom. 3. Maii in hiſt. Patriarch. Hieroſol. pag. 44. & ſeqq.* ex ſcheda, neſcio unde accepta, peregrini tamen atque exotici characteris, quæ ſic habet: *Arſenius Patriarcha Hieroſolymitanus, pro commendatione ſancti Simeonis monachi & eremitæ. In nomine Domini noſtri Jeſu-Chriſti Nazareni, atque ſanctiſſimi* E *ejus ſepulcri à me indigno famulo ſuo cuſtoditi. Ego Arſenius non meis meritis Patriarcha Hieroſolymitanus, firmo ſigno ſancti ſepulcri omni eccleſiæ catholicæ ſalutem & pacem. Precor autem, ad quorum partes Simeon iſte monachus & ſanctiſſimus Chriſtianus atque eremita iverit, ut ei benefaciat* (Wion legit *beneficiant*) *quia bonus atque electus eſt.* [*Ad ſepulcrum enim Domini ivit; inde venit ad eccleſiam beati Petri Apoſtoli; poſt hinc ad limina beati Jacobi Galli-* A *ciam perrexit, atque ſic in modum* (Papebroc. legit *morem*) *Apoſtolorum Deo ac Domino noſtro Jeſu-Chriſto ſervientium, circuit totum orbem, & non habuit comitem* (alii *comparem*) *niſi Jeſum-Chriſtum. Ut magis ſtupeas; panem non manducavit, nec carnem, nec adipem, neque caſeum, nec ova.*] *Quicunque imperator, ſive rex vel regina, ſive epiſcopus, ſive abbas, ſive marchio, ſeu comes, vel quicunque Chriſtianus, amore Chriſti ſibi benefecerit, vel eum defenderit, & viam ei oſtenderit, quia non ſcit linguam, ſit benedictus à Patre, & Filio, ſanctoque Spiritu: conſervet eum Dominus in omni opere bono; benedicat & ſanctificet: In die judicii ad dexteram Chriſtus collocet cum electis, quatenus poſſit audire: Venite, benedicti Patris mei; confirmet Spiritus, & Verbum Dei corde perceptum firmiter atque incommutabiliter teneat, ut ab iniquiſſimo diabolo non poſſit avelli. Qui vero ſibi malefecerit, vel eum injuriaverit, cum damnatis pereat in æternum, amen.* Additur apud Wionem & Doneſmundum eodem charactere: *Simeon iſte monachus eſt, & eremita, atque Armenus.*

Hanc epiſtolam, pergunt Bollandiani, ubi ſupra *num. 14. pag. 321....* interpolatam ab interprete Latino cenſuit Papebroch. quatenus & continet tanquam præterita, quæ diſcedente Hieroſolymis in Europam Simeone, adhuc erant futura, & Arſenio proinde ignota. Hinc illa, ejus exemplo, uncis incluſimus. Mabillonius dubitat, recte ne ex Armenico in Latinum verſa ſit: quod ſi ita eſt, diverſam putat cenſendam eſſe ab ea de qua in actis fit mentio, ut infra dicetur. Antonius de Yepes in chronico generali S. Benedicti Hiſpanicè ſcripto, ad annum Chriſti 1016. ait: *Hæſi ad hanc epiſtolam. Et primo quidem, qua ratione Patriarcha Hieroſolymitanus inde fidem facit, Simeonem eremitam adiiſſe Gallæciam? Secundo autem pudore ſuffundendus fuiſſe videtur mihi ſanctus, ſi litteras commendatitias circumferret, quibus eum Patriarcha viventem canonizaret, tanquam optimum & ſanctiſſimum, narrando pœnitentiam & auſteram quam tenebat vitæ rationem.* Tum ea ſubdit, unde quivis intelligat, dubiæ prorſus fidei viſum illi eſſe hoc monumentum. Nos id etiam demiramur (Bollandianorum verba ſunt *num. 14. p. 322. col. 1.*) cur hujus epiſtolæ autographum.... ſit ſcriptum Armenicè ab Arſenio, ſanctum Italis & Hiſpanis, ad quos ibat, commendante; quum ſciret linguam illam in hiſce partibus ignotam eſſe: nam ſi Simeon, qui Armenus erat, intelligi in Occidente non poterat, ideoque etiam commendandus erat, *quia non ſciebat linguam*, ibi utique notam; quid eum juvare illic poterat ſcriptum Armenicum, multo, quam loquela, perceptu difficilius?

Tum cur de hac epiſtola nuſquam meminit auctor vitæ? Cur tum ſaltem producta non fuit, quum Romæ tam malè habitus Simeon epiſcopum nactus eſſet Armenum, *cap. 2. num. 18?* Subdunt vero, *num. 20. pag. 323. col. 1.* Scimus eſſe qui affirmarint ſancti hujus acta conſcripſiſſe Arſenium Patriarcham Hieroſolymitanum: id enim ait Ughellus *in Ital. ſac. vet. edit. to. 1. col. 930.* ubi de Joanne II. epiſcopo Mantuano; & ante hunc Doneſmundus *in hiſt. eccl. Mantuanæ lib. 3. p. 387.* ubi illa dicuntur inveniri in Biblioth. Vatic. Sed intelligendi ſunt de illa tantum actorum parte, quæ diſceſſum ſancti (Simeonis) ex Oriente præcedit: nam quæ poſtea contigerunt, nec ſcripſiſſe Arſenium ſcitur, nec ſcribere potuiſſe. Sed neque priorem illam vitæ partem ab Arſenio compoſitam aſſervari in Bibliotheca Vaticana crediderim: certe qui eam iſtic viderit, teſtem hactenus nullum offendimus. Fuiſſe quidem illam aliquando apud Padolironenſes, conſtat ex auctore noſtro (vitæ ſancti Simeonis) qui eam redegit in compendium, ut profitetur *cap. 1. n. 7.* quo, item ut *n. 1.* epiſtola nuncupatur Arſenii Patriarchæ; ſed nec ibi nunc illam ſupereſſe putem: alioquin enumeranda fuiſſet inter vetera ſancti elogia apud Wionem, multo magis quam hymni illa (epiſtola Arſenii) recentiores quos profert: imò etiam magis quam alia illa ejuſdem, ut fertur, Arſenii epiſtola, (ſupra deſcripta) quam ibi (aiunt) cum reliquiis conſervari: nam ſi altera ex hoc dignior videri poteſt quod illam circumtuliſſe ſanctus putatur; altera tamen hoc ex capite majoris erat pretii, quod graviſſimo auctoris noſtri (vitæ ſancti Simeonis) teſtimonio ſciretur eſſe (reipſa) Arſenii; quum de ſuperiori illa dubitantem viderimus etiam auctorem Benedictinum (Antonium de Yepes) hiſtoria ſui ordinis, quam Hiſpanicè compoſuit, ubique celeberrimum.

Mirabitur forſan aliquis, proſequuntur Bollandiani *ibid. num. 21.* quod hic epiſtolam Arſenii, quam initio ſequutus ſit auctor noſter (anonymus) ab edita (ſupra recitata) diverſam ſtatuamus: ſed mirari deſinet qui rem attentius introſpexerit: vulgata namque brevior eſt; aliam neceſſe eſt fuiſſe longiorem, utpote cujus tantummodo compendium referatur in actis à *num. 3.* uſque ad *num. 8.* quod ipſum compendium multo eſt, quam epiſtola excuſa, diffuſius. Vulgata inſcribitur, ut publica ſolent teſtimonia quibus ituri peregrè commendantur, *omni eccleſiæ catholicæ, &c.* Aliam autem inſcriptam fuiſſe monachis Padolironenſibus teſtatur anonymus noſter *nn. 3. & 7.* Præterea multa ſunt ibidem, quæ, ex epiſtola Arſenii, affirmat idem ſcriptor,

A de quibus in vulgata nihil quidquam legitur: ut quod *num. 3.* habetur de Simeonis ætate puerili, rebuſque in ea geſtis; de adoleſcentia ejus ac nuptiis: quod *nn. 4. & 5.* de relicta ſponſa, parentibus, ac patria, ad amplectendam vitam monaſticam: quod *n. 6.* de arrepta ſancti Baſilii regula.... de abſtinentia etiam à piſcibus, & de potu modico ſolius aquæ; de oleo in ſolemnitatibus adhibito, de cilicio cæteriſque veſtibus, &c. Certiſſimum ergo videri debet, aliam eſſe epiſtolam, quæ nomine Arſenii etiamnum & ſervatur, & ex

B Armenico idiomate in Latinum tranſlata legitur; aliam vero, quæ actorum noſtrorum exordio materiam ſubminiſtravit. Sic enim de ea epiſtola ipſe loquitur auctor hujus vitæ ſancti Simeonis, *ibid. num. 3. pag. 325. col. 1. Hic itaque vir beatiſſimus, Simeon dictus nomine, in partibus natus Armeniæ, monaſticæ religionis ab ineunte ætate propoſitum regulariter tenuit. Diaconatus officio provectus, poſtmodum virtutum greſſibus viriliter ad altiora conſcendens, diebus plurimis eremi cultor fuit. Hujus denique parentes non novimus; ſed, ſicut*

C *reverendiſſimus Arſenius Hieroſolymorum Patriarcha, ſibi notiſſimus & familiariſſimus, nobis per epiſtolam retulit, ex clara nobilium ſtirpe prodiens magiſtri militum filius fuit, &c.* Et num. 7. ibid. col. 2.... *Hucuſque de beati viri Simeonis digna converſatione, qualiter inprimis hujus ſæculi pompam deſeruit, vel qualiter monaſterium petiit, referente nobis per epiſtolam venerabilis vitæ Arſenio Hieroſolymitano Patriarcha, compendioſe digeſſimus.* Conſtans itaque videtur Arſenium actu ſediſſe Patriarcham Hieroſolymorum anno Chriſti 1024.

D ex auctore illo vitæ ſancti Simeonis, qui eo anno 1024. canonizationis ejus unus ex promotoribus fuit apud Benedictum VIII. Romanum Pontif. eo anno mortuum, ut colligitur ex ipſomet in tractatu de miraculis Simeonis poſt ejus obitum, *ibid. cap. 2. n. 16. pag. 337. col. 1.* ait enim: *Tempore, quo pro canonizando ejuſdem ſancti Simeonis glorioſo corpore ſanctam apoſtolicam ſedem acceſſimus, quoddam de eodem ſancto viro miraculum claruit, &c.* Se ipſum autem declarat ſcriptorem tractatus hujus *de miraculis factis poſt ejus*

E *obitum,* iis verbis *cap. 6. num. 57. pag. 334. col. 2. Hæc de beati viri Simeonis virtutibus, quas vivens in ſæculo geſſit, quas etiam in cedulis ſcriptas invenimus, ſeu quas à veridicis teſtibus referri audivimus, hucuſque digeſſiſſe ſufficiat. Nunc vero nos ad expedienda* (al. *experienda*) *ea, quæ in loco ubi ſanctum corpus quieſcit, ejus ſanctitatis amor ſeu charitatis ardor accendat.* Epiſtolam Benedicti Papæ de cultu ei concedendo referunt præfati Bollandiani, *ibid. num. 6. pag. 320. col. 2.* Verum

Digitized by Google

quandonam Arſenius eccleſiæ Hieroſolymitanæ curam ſuſceperit; an ſæculo x. an initio ſæculi XI. non ita facile eſt definire.

Præfati Bollandiani *ibid. in commentario hiſtorico ad vitam ſancti Simeonis, num. 25. pag. 324. col. 2.* putant ipſum in ſedem Hieroſolymitanam non fuiſſe provectum niſi poſt ann. 1010. Si conjecturis locus eſt, inquiunt *n. 23.* Baronio potius adhærendum videtur, qui locum ſolitudinis (Simeonis,) quidni & vitæ monaſticæ? Palæſtinam fuiſſe credidit, non Armeniam: id enim ex anonymo (vitæ ejus ſcriptore) utcunque colligitur, qui quum dixiſſet *num. 3. pag. 325. col. 1. Simeonem in partibus natum Armeniæ,* ſubdit *num. 5. ibid. col. 2. Patriam, parenteſque deſeruit .... Et.... Domino gubernante, monaſterium petiit:* ſic facilius quoque intelligitur, qua ratione Arſenius ei *notus & familiariſſimus* eſſe potuerit, quod *n. 3.* affirmatur; ſi nempe intra patriarchatus Hieroſolymitani fines, à quibus procul aberat Armenia, inſtitutum monaſticum ac ſolitarium ſervaverit: neque enim tanta familiaritas contracta videtur in ipſa urbe Hieroſolymitana, quum ad eam ante diſceſſum in Europam ſanctus acceſſiſſet, quandoquidem *non multo tempore* tum ibi fuit, juxta *num. 16.* Sed neque veriſimile apparet Arſenium, ſive Patriarcha jam eſſet ante diſceſſum Simeonis, ſive poſt ejus diſceſſum, ex Armenia potius patriarchatui Antiocheno ſubjecta, quam ex quovis loco patriarchatus Hieroſolymitani aſſumtum ad ſedem Hieroſolymitanam fuiſſe: hic ergo, non ibi, familiaritati locus fuit & opportunitas, &c.

At inquirendum ſupereſt, quo tempore Simeon ex Oriente Romam advenerit. Sic autem habent acta ejus ab anonymo conſcripta, *num. 16. pag. 327. col. 1. Solitudinis antra deſeruit, & orationis ſtudio Romam peregrinus expetiit. Quumque ſanctorum multa corpora circumeundo viſitaret.... tandem ad oratorium S. Joannis-Baptiſtæ Lateranenſis eccleſiæ applicuit, ubi ſanctæ Romanæ eccleſiæ Pontificem, Benedictum nomine, cum multis religioſis epiſcopis, orthodoxis viris, in congregata ſynodo reſidere invenit.* Porro hoc Pontifice Benedicto, alii quidem hujus nominis ſeptimum, alii vero octavum ſignificari exiſtimant: & utriſque ſua ſuppetunt argumenta. Pro Benedicto VII. ſtat Ferrarius in catalogo ſanctorum Italiæ ad diem 26. Julii: ratio ejus eſt quod contextus ſancti Simeonis vitæ longiorem ejus in Italia videatur exigere commorationem, quam ſit ab anno 1012. quo Benedictus VIII. ad pontificatum ſubvectus eſt, uſque ad annum 1016. quo Simeon in cœlum migravit (die 26. Jul.) præſertim quum ex illo quadriennio non modica pars decerpenda eſſet, ejuſdem itineribus interim per Italiam, Hiſpaniam, Britanniam, & Galliam conſumta, antequam in Italia fixum tandem prope Mantuam domicilium elegerit. Addit Mabillonius Simeonem in monaſterio Padolironenſi jam fuiſſe reſidentem quando Parmam inviſens à Sigefredo illius urbis epiſcopo honorificè ſuſceptus eſt. Auctor enim anonymus ejus vitæ poſtquam *cap. 5. nn. 42. & 43. ibid. pag. 331.* peregrinationes illius in Gallæciam, Britanniam, Galliam, reditum in Italiam, & ſeceſſum ad cœnobium Padolironenſe, ſcripſit: *cap. ſequenti n. 51. p. 333.* ait: *Per idem quoque tempus inde digrediens, dum civitatem Parmam attingeret,* & *ejuſdem urbis epiſcopus, Sigefredus nomine, beatæ Feliculæ* virginis *corpus à loco, in quo quieſcebat glorioſa celebritate transferens, in eccleſia ſancti Pauli Apoſtoli decentiſſime conderet; Dei nutu contigit beatum Simeonem eidem tranſlationi intereſſe. Qua in celebritate Chriſti ſervus à præfato reverendo epiſcopo honorifice ſuſceptus, &c.* At Sigefredus ille obiit ante pontificatum Benedicti VIII. Nam, juxta Ughellum *to. 2. col. 205.* Sergius Papa Benedicti VIII. prædeceſſor, in quodam privilegio abbatiæ Nonantulanæ indulto, *Elburgum* appellat, Sigefredi in ſede Parmenſi ſucceſſorem: diu itaque ante Benedictum VIII. advenerat ſanctus ex Palæſtina & Hieroſolymis, ac ſubinde Romam intravit ſub Benedicto VII. quum ille an. 983. ſynodum haberet, ſiquidem hanc ſolam, eoque anno ſcitur Benedictus VII. Romæ celebraſſe ſynodum, de qua videri poſſunt Labbeus vel Harduinus.

Alii tamen, qui Benedictum VIII. arbitrantur fuiſſe illum pontificem quem ſanctus Simeon Romæ nactus eſt, opponunt, ſi anno 983. Romam advenit Simeon ſub Benedicto VII. ſuppoſitam eſſe oportere epiſtolam Arſenii Patriarchæ Hieroſolymitani quam ſupra deſcripſimus, & cum reliquiis aſſervari diximus in cœnobio Padolironenſi. Cedo enim, inquiunt iidem Bollandiani, *to. 6. Jul.* ad diem 26. *num. 25. pag. 324. col. 2.* quo tempore dari potuit (epiſtola illa brevior Armenicè exarata) Simeoni ab Arſenio? Ante diſceſſum (quum) in Italiam (profecturus erat) quod epiſtola illa planè exigit; an poſt illum diſceſſum? Utrumvis dixeris, falſa erit. Etenim ſi ante diſceſſum, aut in ipſo diſceſſu Hieroſolymitano datam finxeris, hoc eſt anno 983. falſum eſt epiſtolæ principium: *Ego Arſenius, non meis meritis Patriarcha Hieroſolymitanus, &c.* non enim, niſi annis circiter 30. poſterius, ſedem Hieroſolymitanam Arſenius regendam accipere potuit, ut ſuo loco demonſtratum eſt (intelligunt procul dubio Bollandiani *tractatum chronol. de Patriarchis*

Hieroſolymitanis; tom. 3. actorum ſanctorum menſis Maii præfixum, ubi de illo Arſenio.) Si poſt diſceſſum Simeonis, imò poſt annum 1010. ante quem Arſenius Patriarcha eſſe non potuit, datam ſeu miſſam potius eſſe velis in Italiam, in qua jam dudum ſanctus habitaverit; ipſius epiſtolæ ſcopus, tenor, & forma omnino repugnabunt, illudque inprimis falſum erit: *quia non ſcit linguam*.... Non dubitarem, inquiunt *n. 26.* Bacchinii, aliorumque amplecti ſententiam, quæ uſque ad Benedictum VIII. Simeonis adventum in Italiam differt, quando jam patriarchatum obtinere poterat Arſenius Hieroſolymis; ſi eam, utcunque probatam, & ab adverſariorum (qui aliam ſententiam propugnant) argumentis chronologicis, ab eis, vel non lectis, vel neglectis, vindicatam viderem. Quid ergo? Epiſtolam laudatam prorſus abjudicem? Non auſim. Mabillonii argumentum refellam (de Sigefredo Parmenſi epiſcopo petitum)? Nihil ſuppetit quo id ſolide poſſim. Sequor hunc ergo vel invitus. De epiſtola, per me licet, quod poterunt, ejus patroni ſtatuant. Hucuſque Bollandiani *to. 6.* Julii ſupra citato.

Illas difficultates hinc inde emanantes, diluendas non ſuſcipio, licet magis arrideat ſententia, quæ ſanctum Simeonem Hieroſolymis profectum anno 983. perhibet, ac epiſtolam ſuperius deſcriptam Arſenio abjudicat; utpote cui ſententiæ magis conſonare videatur tota vitæ ſeries hujus ſancti ab anonymo exaratæ, in qua nec prædictæ epiſtolæ ulla fit mentio. Dicendum itaque probabilius, Arſenium, (cui *notus* fuit & *familiariſſimus* ſanctus Simeon in Palæſtina, quod ibi fortaſſis uterque ſimul in eodem cœnobio per aliquot annos vixerint;) eccleſiæ Hieroſolymorum non ſuſcepiſſe regimen, niſi defuncto jam Oreſte, vel ipſo etiam Theophilo qui brevi duntaxat ſediſſe exiſtimatur; idque poſt annum 1010. Et certe præfatus anonymus vitæ ſancti Simeonis auctor, agens de ejus itinere Hieroſolymam, ab illo Arſenium non ait in urbe Hieroſolymitana viſum. Quod magnum indicium eſt Arſenium tunc Hieroſolymis non manſiſſe, cujus ſubinde præſul nondum fuerat renuntiatus.

Porro hunc Patriarcham Simeoni ſupervixiſſe, adeoque nonniſi poſt annum 1016. defunctum, liquet ex illa alia epiſtola, quam is ad monachos Padolironenſes miſit, de anteactis ejuſdem ſancti annis, priuſquam ille è Palæſtina diſcederet; ab ipſis haud dubiè monachis requiſitus, quum ſanctitate & miraculis hujus eremitæ, tum ad conſcribendam ejus vitam, tum ad deferendum ipſi cultum incitarentur. Imò eum adhuc vixiſſe, dum geſta Simeonis auctor anonymus concinnaret,
A ex eo non inepte colligitur, quod de eo tanquam de viro actu ſuperſtite loquatur ille ſcriptor, nec *beatæ, felicis,* aut *ſanctæ memoriæ* Patriarcham appellet, ſed *venerabilis vitæ cap. 1. num. 7. pag. 325. col. 2.* quaſi qui vitam intemeratam ageret. Sed nec adhuc obierat anno Chriſti 1023. menſe Aprili, ſi ipſe Patriarcha ille fuit Hieroſolymitanus, à quo, non nominato, refert Hugo Flaviniacenſis, auctor ſæculis XI. & XII. florens, in chronico Virdunenſi deſinente ad annum 1102. apud Labbeum *tom. 1. novæ biblioth. ex ipſo aucto-*
B *ris autographo manuſc. in bibl. colleg. Clarom. Pariſ. Societ. Jeſu aſſervato, pp. 178. & 179. nn. 21. & 22.* & apud doctiſſ. Bolland. *to. 2. Jun.* ad diem 14. *pag. 988. & ſeqq.* à quo, inquam, refert Hugo ille venerabilem Richardum, cognomento Gratiam-Dei, S. Vitoni Virdunenſis monaſterii abbatem, humaniſſimè fuiſſe ſuſceptum, in itinere ſuo Hieroſolymitano. Illud quidem Richardi abbatis iter, poſt plura narrata quæ protenduntur uſque ad annum 1027. aut 1028. memorat Hugo Flaviniacenſis. Verum hunc jam reverſum
C anno 1023. palam fit, ex eo quod poſt ejus reditum ſuperſtes eſſet Durannus ſive Durandus epiſcopus Leodienſis, qui obiit 10. kal. Februar. ſive 23. Jan. anno 1024. (ex Bollandianis die 14. Junii, *num. 64. pag. 993. col. 1.* A. *& p. 994. col. 1.* A. *not.* a. (Interim, inquiunt iidem Bollandiani *ibid. pag. 988. col. 2.* E. *not.* x. cave ne capita ſequentia hinc regulanda putes: quum enim ſupra de Heimonis epiſcopi meritis egiſſet Hugo, priuſquam *Richardum* Hieroſolymam abducat & reducat, proſequitur ordine chronico externa
D quædam uſque ad annum 1027. vel 1028. quum interim peregrinatio illa inſtituta videatur vivente adhuc Atrebati *num. 6. pag. 978. col. 2.* E. Frederico, ab eaque rediviſſe anno 1023. &c.) Hæc igitur Hugo ait, apud Bollandianos *ibid. num. 54. pag. 990. col. 2.* D. *occurrit autem ei* (Richardo) *venienti Patriarcha Hieroſolymitanus* (veroſimiliter, inquiunt *pag. 991. col. 2.* F. *in not.* e. *Arſenius,* qui ſancto Simeoni Armeno 26. Jul. anno 1016. Mutinæ defuncto *Formatas* dederat; aut ejus ſucceſſor *Jordanus,* &c.) *audierat enim famam*
E *ejus omnium ore celebratam, & conſalutati mutuo, dato pacis oſculo, lætati ſunt in Domino, &c.* Et num. 55. *Dominica die qua celebratur adventus Domini in Hieruſalem, & exceptio ejus à pueris cum hymnis.... urbem ingreſſus eſt, &c.* Et num. 57. *Diebus feſtis reliquis* (Paſchalibus) *celebratis in gaudio & tripudio animi, deſtinavit vir mitiſſimus cogitare de reditu. Nec rediit vacuus à munere, quia arca cordis ejus repleta erat bona devotione. Quod autem fuit munus illud? Diſcurrentes pagani*

per munitiora templi ipſa hebdomada ante Paſcha, lapides in populum ſacra celebrantem jaciebant: caſu lapis veniens intra ſepulcrum cecidit, quem vir Domini pro magno munere ſibi aſſumpſit, & totis illis diebus, quibus celebratur Paſſio vel Reſurrectio Jeſu, intra ſepulcrum jacentem, vigiliis & orationibus Domini dedicavit. Hunc receſſurus cum magna devotione ſuſtulit, & exoſculato loco ſancto, quaſi totum ſecum ferret, inter ſancta repoſuit; & valedicens Patriarchæ proſpera ei imprecatus abire decrevit. Ingemuit ille in voce dilecti valedicentis, & proferens reliquias pretioſiſſimas de ligno Domini, itemque marſupium unum auro textum prægrande reliquiis ſanctorum refertum, obtulit ſeni venerabili, cum gratiarum actione, inquiens; accipe, ô dilecte Domini, munus bonæ voluntatis & devotionis, quod ſit mutui pignus amoris; munus quod nunquam conſumatur, ſemper extet, hæreat, amico convivat, quod evaneſcentem memoriam excitet; jucundum, quod obviam animo veniat, & nunquam labatur à memoria. Præſtet Dominus, iſtis & omnibus ſanctis intercedentibus, ut iterum videamus nos in cœleſtibus, ubi finis laborum, & remuneratio præmiorum æternorum; ubi nunquam ab invicem ſeparabimur gaudentes, & guſtantes quam ſit dulce & jucundum habitare fratres in unum. Diviſi ſunt ergo ab invicem flentes, quibus, ſi licuiſſet, convivere & commori libuiſſet. Et num. 64. pag. 993. col. 1. A. *Nec ſilendum, quid de Stephano.... actum ſit. Quum enim eſſet idem communis Pater noſter* (Richardus) *in expeditione Hieroſolymitana, & per annum continuum pene remoratus fuiſſet, famaque fuiſſet defunctum eum eſſe; Durannus Leodienſis epiſcopus, qui Wolbodoni ſucceſſerat, Stephanum ad ſe evocatum ut* (in Lobienſi monaſterio) *loco abbatis præeſſet officio, monuit, & admonendo petivit, &c. Non multo poſt vir Dei rediit, & audiens quod factum erat, ſuper fratris errore doluit, &c. Aderant & comites* (Stephani) *inter quos erat archidiaconus miſſus ab epiſcopo* (qui proinde adhuc vivebat) *poſcens patrem piiſſimum* (Richardum) *ut errori locum daret veniæ, & quod actum erat* (circa Stephanum, dum ipſe erat Hieroſolymis) *pro ſuo amore ratum ſineret eſſe & ſtabile, &c.* Ex quo deducitur Richardum feſta Paſchalia celebraſſe Hieroſolymis cum Patriarcha anno 1023. Nam, ut ſupra obſervatum eſt, Durannus deceſſit anno 1024. die 23. Januar. Quandonam obierit Arſenius iſte nos latet.

LXXXIV. Jordanus.

De iſto *Jordano*, ſicut de Arſenio, nil quidquam reperitur in catalogis Patriarcharum Hieroſolymorum, nec apud Albericum, nec etiam apud Theodoricum Pauli, qui eos prorſus ignoraſſe videntur. *Jordani* tamen meminit Glaber Rodulfus auctor coætaneus, hiſtoriæ *lib. 4. cap. 6.* ex quo hæc tranſcripſit Papebroch. *in hiſt. chron. Patriarch. Hieroſol.* initio *tom. 3. actorum ſanctorum menſis Maii, num. 192. p. 45. Anno Incarnati Verbi 1033. ex univerſo orbe tam innumerabilis multitudo cœpit confluere ad ſepulcrum Salvatoris Hieroſolymis, quantam nullus hominum prius ſperare poterat. Primitus enim ordo inferioris plebis; deinde vero mediocres: poſthæc permaximi quique, reges, comites, ac præſules; ad ultimum vero, quod nunquam contigerat, mulieres multæ nobiles cum pauperioribus illuc perrexerunt.... Eodem tempore Odolricus Aurelianorum præſul illuc pergens, quid viderit, nobiſque narraverit non prætermittendum videtur miraculum. Die igitur magni illius Sabbati, quo ignis mirabili Dei potentia veniens ab univerſo populo præſtolatur, ibi cum cæteris idem præſul adſtabat, jamque die ipſa in veſperum tranſeunte, repente penes horam quo ſperabatur ignis adfuturus, unus Saracenorum, ſcurra impudentiſſimus, ex plurima illorum multitudine quæ annuatim una cum Chriſtianis ſemper adeſſe ſolet, exclamavit, ut Chriſtianis mos eſt quum primum videtur, Agios Kyrie eleeſon, & cavillanter cachinnum emiſit, extenſaque manu arripuit cereum de manu cujuſdam Chriſtiani, aufugere tentans. Qui illico arreptus à dæmonio turpiter nimium vexari cœpit: quem proſequens Chriſtianus cereum abſtulit: ille vero tortus acerrimè, protinus inter Saracenorum manus expiravit. Quod factum omnibus in commune terrorem immiſit, Chriſticolis tamen gaudium & exultationem præbuit. Statim vero, ut aſſolet, Dei virtute erumpens ignis ex una lampadarum, quæ ſeptem ibidem pendere cernuntur, curſim eructando cæteras inflammavit. Quam etiam cum ſuo oleo præfatus epiſcopus emens auri libra à Jordano, qui tunc præerat Patriarcha, ſecum detulit, atque in ſede propria reponens plurima infirmis contulit beneficia.* De eo igne, vide dicta ſuperius *coll. 373.* E. & *374.* A. B. *&c.* Quantum ſederit Jordanus iſte nullibi reperimus.

LXXXV. Nicephorus.

Poſt Theophilum, de quo ſupra, *col. 482.* omiſſis Arſenio & Jordano, legitur, tum in Latinis Patriarcharum Hieroſolymorum catalogis, tum etiam apud Albericum, & Theodoricum Pauli, *Nicephorus.* Sub eo reſtauratam referunt multi ſcriptores ſancti ſepulcri baſilicam: ſed de tempore hujus reædificationis inter ſe non conveniunt. Nam Glaber Rodulfus hanc aſſignat ſtatim poſt ejus everſionem: ea ſiquidem clade enarrata, *lib. 3. cap. 7.* his verbis: *Eo quoque tempore, id eſt*

Digitized by Google

anno nono poſt præfatum milleſimum, eccleſia, quæ apud Hieroſolymam ſepulcrum continebat Domini ac Salvatoris noſtri, everſa eſt funditus juſſu principis Babylonis, &c. Et quibuſdam interjectis, de Judæis qui ad flagitium iſtud Califam incitaverant, addit: *Eodem nihilominus anno, divina propitiante clementia, cœpit mater ipſius principis, videlicet Ammirati Babylonis* (hanc eccleſiarum Chriſtianorum deſtructionem mandavit, non Ammiratus iſte Babylonis, ſed Hakemus, Califa Ægypti, cujus pater Azizus Chriſtianam mulierem ſibi deſponſaverat. Vide quod ſupra dictum eſt, ubi de Hieremia ſive Oreſte Hieroſolymorum Patriarcha, *coll. 478. & 479.*) (mater Ammirati) *mulier Chriſtianiſſima, nomine Maria, reædificare Chriſti templum, juſſu ejus filii everſum, politis & quadris lapidibus. Nam & vir ipſius, quaſi alter Nicodemus, pater hujus ſcilicet de quo præſens eſt ſermo, habitus occulte Chriſtianus dicitur fuiſſe* (Azizus Billa.) *Tunc quoque de univerſo terrarum orbe incredibilis hominum multitudo exultanter Hieroſolymam pergentes, domui Dei reſtaurandæ plurima detulerunt munera.* Cedrenus *hiſtor. to. 2. pag. 729.* narrat *anno mundi 6540. Indict. XV. menſe Septemb.* (id eſt anno Chriſti 1031.) *Amer Chalepi præfati filium multis cum donis ad Romanum* (Argyrum) *Imperatorem* Conſtantinopolitanum *veniſſe, ut fœdus priſtinum,* (quod viginti duobus antea annis, anno ſcilicet 1009. *Ægypti princeps Azizius,* ut dixerat ſupra *pag. 706.* licet non Azizius iſte fuerit qui mortuus erat ab anno 996. ſed Hakemus filius ejus) *ob levem cauſam, & offenſas ne relatu quidem dignas ruperat, renovari peteret, & antiquum tributum perſolvendum promitteret.* Et p. 731. Nam *vita turpiter defuncto Azizo* (dicendum *Hakemo*) *Ægyptio, qui in Chriſtianos ſævierat, templumque Chriſto Hieroſolymis dedicatum everterat, filius ejus natus ex quadam Romana captiva ejus inſtaurationem liberam fecit.* (Azizus quidem uxorem duxerat Chriſtianam ex qua natus fuerat Hakemus, qui tot mala intulit Chriſtianis, filius autem Hakemi fœdus renovavit cum Romanis) *Ad eam rem ſuos miſit Imperator; ſed eo morte prævento ſucceſſor Michael opus abſolvit.*

Albericus *in chron. part. 2.* ad ann. 1048. *pag. 81.* hæc ea de re tradit ex Guidone. *Guido de eccleſia ſancti ſepulcri Hieroſolymis ab Imperatore Conſtantinopolitano reædificata, ſupra dicto principe nequam Achim* (Hakemo) *Soldano rebus humanis exempto, filius ejus Daher nomine* (Elmacinus *lib. 3. hiſt. Sarac. cap. 6. pag. 258.* ait hunc Hakemi filium, *Alim* nomine, fuiſſe cognominatum *Taherum* Liizazdinillam à ſorore Hakemi, quum renunciatus eſt Califa: hinc profecto nomen

A *Daher* quod illi tribuunt ſcriptores.) *Daher itaque regnum obtinens, ad petitionem Imperatoris Conſtantinopolitani Domini Romani Heliopolitani, vel potius Conſtantini qui poſt Iſaacum Comnenum imperavit, cum quo, fœdus quod pater ejus Achim perfidus violaverat reſarciens, contraxerat amicitiam, reædificandi prædictam eccleſiam fidelibus dedit licentiam. Quam Nicephorus Hieroſolymitanus, qualis nunc veneratur in Hieroſolymis, reparavit, ſumptibus de prædicti Imperatoris ærario miniſtratis. Factum eſt hoc anno 1041. ante urbis liberationem* (loquitur
B haud dubiè de ejus ereptione à Saracenorum jugo, Godefrido Bullonio duce, anno 1099.) *trigeſimo-ſeptimo poſt ejus eccleſiæ deſtructionem.* Rationem hujus epochæ non capio: niſi Guido, quem deſcribit Albericus, reſtaurationem Baſilicæ ſancti ſepulcri ad annum 1048. aſſignans, voluerit dicere annum illum 1048. fuiſſe quinquageſimum-primum (pro quo malè ſcriptum fuerit 1041.) ante urbis liberationem per Francos, & trigeſimum-ſextum, aut incœptum trigeſimum-ſeptimum ab eccleſiæ ſancti ſepulcri
C deſtructione. Deniquè Willelmus Tyrius *lib. 1. de bello ſac.* poſt relatam Chriſtianorum Hieroſolymis calamitatem ſub Hakemo Califa Ægypti, ſubjungit *cap. 6. Affuit tandem divina clementia, & afflictorum miſerta, conſolationem intulit non modicam rebus deſperatis. Prædicto enim principe nequam rebus humanis exempto, ceſſavit ex parte quaſſatio, filio ejus Daher regnum obtinente. Hic ſiquidem ad petitionem Domini Romani Imperatoris Conſtantinopolitani, qui cognominatus eſt Heliopolitanus, cum quo etiam, fœdus quod pater ejus*
D *violaverat reſarciens, contraxerat amicitiam, prædictam eccleſiam* (ſancti ſepulcri) *reædificandi fidelibus conceſſit poteſtatem. Qua conceſſa cognoſcens plebs fidelium quæ Hieroſolymis habitabat, quod ad tanti operis reſtaurationem eorum vires non ſufficerent, miſſis nunciis ad prædicti Romani ſucceſſorem* (poſt Michaelem Paphlagonem) *Dominum Conſtantinum Monomachum, qui tunc agebat in ſceptris, precibus porrectis, humiliter ſignificant in quanto mœrore, & in quanta deſolatione poſt eccleſiam dirutam populus conſediſſet: orant affectuoſiſſime, ut ad*
E *reædificationem eccleſiæ, Imperialis munificentiæ liberalem porrigeret manum. Procurabat autem eorum legationem quidam Joannes cognomento Carianitis, Conſtantinopolitanus natione, nobilis quidem ſecundum carnem, ſed moribus multo nobilior. Hic poſtpoſita ſæculi dignitate Chriſtum ſequutus, religionis aſſumpto habitu, Hieroſolymis pauper pro Chriſto habitabat. Miſſus ergo, debita inſtantia, ſollicitudine non pigra, apud eundem Dominum Imperatorem fideliter elaborans, obtinuit ut ad opus prædicti ædificii de*

Digitized by Google

proprio fiſco idem Deo amabilis Auguſtus ſumptus neceſſarios & ſufficientes miniſtrari præciperet. Impetrata ergo pro voto fidelis populi poſtulatione, lætus Hieroſolymam reverſus eſt. Ubi nuntiato itineris ſucceſſu, & precum porrectarum exauditione, univerſum clerum & populum, quaſi de gravi ægritudine convaleſcentes recreavit. Præerat eidem eccleſiæ tunc vir venerabilis Nicephorus Patriarcha. Sic ergo obtenta licentia, & ſumptibus de imperiali ærario miniſtratis, eam, quæ nunc Hieroſolymis eſt, ſanctæ reſurrectionis ædificaverunt eccleſiam, anno ab Incarnatione Domini 1048. ante urbis liberationem annis 51. trigeſimo vero ſeptimo poſtquam diruta fuerat. (Everſionem itaque baſilicæ S. Sepulcri aſſignat ad ann. Chriſti 1011. & Guidoni cæterum conſonat, epochamque ejus explicat qualiter & nos ſupra.) Hæc Willelm. Tyr. *p. 632. edit. Hanov. 1611.*

Porro Califa Ægypti qui tunc Hieroſolymis dominabatur, non erat amplius Daher, ſeu Alis Taherus, filius Hakemi, mortuus, ex Elmacino *lib. 3. hiſt. Sarac. cap. 7. p. 266.* anno Hegiræ 427. (qui incœperat die 5. Novembris anno 1035.) menſe Siaabano (qui menſis eſt octavus, adeoque menſe Junio anni Chriſti 1036.) ſed filius ejus Maabadus Abuttamimus Muſtanſirus Billa, natus annos 8. & aliquot menſes, quando regnare cœpit, aut ſecundum alios annos 6. & aliquot menſes, natus ſcilicet die Martis 24. Dulhiggiæ (qui menſis eſt 12.) anno Hegiræ 420. (inchoato 19. Jan. 1029.) proindeque die 2. aut 3. Jan. anni Chriſti 1030. & imperium ſuſtinuit annos 60. ex eodem Elmacino *pag. 267.* Cedrenus *hiſt. to. 2. pag. 739.* ſcribit: anno ab origine mundi 6544. (juxta æram Conſtantinopolitanam) Indict. IV. (id eſt anno 1036.) .... *Amere Ægypti Amermumna* (Ali ſeu Tahero) *mortuo, uxorem ejus Chriſtianæ religioni deditam, cum filio* (Maabado) *legatos de pace ad Imper.* (Michaëlem Paphlagonem) *miſiſſe, cujus is petitioni aſſentiens 30. annorum pacem compoſuit.* Pergit Willelmus, *ibid. lin. 41. Qua conſtructa, contra imminentia pericula, & mille mortis diſcrimina, conſolationem receperunt. Non tamen ceſſabant adverſus eumdem populum fidelem frequentes injuriæ, & angariarum nova genera; ſputa, colaphi, vincula, carceres, ad ultimum, ſuppliciorum omne genus, quibus populus Dei inceſſanter affligebatur. Nec ſolum iis qui in eadem urbe erant, ſed etiam iis qui in Bethleem & Thecua, ubi ſoli habitabant, idem cauterium imprimebatur. Quoties enim novus accedebat præſes, & miſſus à Califa recens dirigebatur procurator, toties contra Dei populum novæ ſtruebantur calumniæ, & varia extorquendi inveniebantur argumenta. Et quoties à Domino Patriarcha, & populo communiter aliquid volebant violenter exigere, ſi aliquo caſu eorum differebatur poſtulatio, ſtatim minabantur eccleſiam dejicere. Idque pene annis patiebantur ſingulis, confingentibus præſidibus ſe hujuſmodi reſcriptum à regia directum celſitudine habere præ manibus, ut ſi aliquam difficultatem vel moram in præſtandis tributis aut vectigalibus præſumerent annectere, eorum ſtatim uſque ad ſolum dirutæ deponerentur eccleſiæ. Quamdiu tamen Ægyptiorum aut Perſarum prævaluit regnum, ſub eorum imperio fideles melioribus uſi ſunt conditionibus. At vero poſtquam Turcorum invaleſcere iterum cœpit regnum, & eorum virtus ſuper Ægyptiorum & Perſarum fines ampliari, & in eorum urbs ſancta decidit poteſtatem, per triginta octo annos, quibus eam detinuerunt occupatam, majoribus moleſtiis cœpit populus Dei fatigari, ita ut leve ducerent, quod ſub Ægyptiorum vel Perſarum jugo pertulerant.* Hucuſque Willelmus Tyrius, ex quo, & Alberico, ſive potius Guidone, nobis innoteſcit, anno Chriſti 1048. Nicephorum eccleſiæ Hieroſolymitanæ actu fuiſſe præfectum, licet ignoremus quonam præciſe anno ſedere incœperit, vel quonam obierit, vel etiam quot annos fuerit Patriarcha.

MENNAS.

LXXXVI. SOPHRONIUS II.

MARCUS II.

In Doſithei Patriarchæ catalogo Oreſtem, quem Nicephoro ſucceſſiſſe perperam adſtruxit, excipit *Mennas* alioqui ignotus; unde nec eum Patriarchis Hieroſolymitanis accenſere auſim, ipſum hic nominare contentus. Poſt Nicephorum, in ſedem Hieroſolymitanam promotum *Sophronium* huic jam ſedi anno 1059. præfuiſſe teſtatur Albericus, *part. 2. pag. 97. Annis,* inquit, *vix quadraginta priuſquam iter aggrederentur Hieroſolymitanæ peregrinationis Chriſtiani principes Occidentis. Tunc erat Patriarcha Hieroſolymitanus poſt Nicephorum Sophronius. In hujus ergo tempore venerunt Turci Hieruſalem, & pugnaverunt cum Saracenis, & occiderunt omnes in civitate inventos, & obtinuerunt civitatem. Chriſtiani autem remanſerunt in civitate ſubjecti.* Neſcio an adhuc ſederet Sophronius anno Heg. 469. qui cœpit die 4. Auguſti anni Chriſti 1076. quo accidit Hieroſolymis clades ab Elmacino relata his verbis, *lib. 3. hiſt. Sarac. cap. 8. pag. 282. Quum vero* (Iſarus) *Ægyptum accederet, perculſi fuerunt incolæ ejus ita ut Muſtanſirus Billa Dominus ejus ſtatuerit noctu capere fugam: ſed populus Alcahiræ & Saudanæ cum militaribus copiis juncti, contra Iſarum prodierunt, eumque ſuperatum in fugam verterunt; etiamſi multa ſecum agmina duceret. Atque ita*

debellatus

debellatus rediit: graſſatus tamen fuit in itinere Ramlæ, & quemcunque ſuperare potuit occidit. Tum Hieroſolymas conceſſit, ubi tria hominum millia peremit, & ex improviſo judicem & notarios, quum coram eo veniſſent, interfici juſſit: indeque Damaſcum profectus eſt.

Ingulphus abbas monaſterii Croylandenſis in Anglia, refert in hiſtoria quam confecit ſui monaſterii, apud *Rerum Anglic. Scriptores poſt Bedam, Francof. 1601. p. 904.* quum deſiderio Hieroſolymitanæ peregrinationis captus, obtenta à Guillelmo duce Normanniæ, cujus ſecretarius erat, venia, ſacrum illud iter ſuſcepiſſet, Conſtantinopoli ſe ſalutaſſe Imperat. Alexium, & Hieroſolymis Patriarcham Sophronium, à quo perhonorificè exceptus fuit. *Tandem Conſtantinopolim pervenimus*, inquit lin. 8. *ubi Alexim Imper. ejus adorantes, Agioſophiam vidimus, & infinita ſanctuaria oſculati ſumus. Divertentes inde per Lyciam, in manus Arabicorum latronum incidimus; eviſceratique de infinitis pecuniis, cum mortibus multorum, & maximo vitæ noſtræ periculo vix evadentes, tandem deſideratiſſimam civitatem Hieroſolymam læto introitu tenebamus. Ab ipſo tunc Patriarcha, Sophronio nomine, viro veneranda canitie, honeſtiſſimo ac ſanctiſſimo, grandi cymbalorum tonitru, & luminarium immenſo fulgore ſuſcepti, ad diviniſſimam eccleſiam ſanctiſſimi ſepulcri tam Syrorum, quam Latinorum ſolenni proceſſione deducti ſumus, &c.* Verum quomodo hæc ſibi cohæreant, me fugit: nam ſe Hieroſolymas profectum aſſerit auctor quum eſſet in Normannia apud Willelmum nondum regem Angliæ, proindeque ante annum 1066. quo ille Normanniæ dux, rex Angliæ coronatus eſt, reverſum autem in Normanniam, & cœnobii Fontanellenſis monachum factum, ab eodem Guillelmo tunc rege Angliæ vocatum fuiſſe in Angliam anno 1075. abbatemque creatum monaſterii Croylandenſis; quomodo ergo antea Hieroſolymitanum iter conficiens inviſerat Ingulphus Conſtantinopoli Alexium Comnenum Imperatorem, qui imperator renuntiatus eſt anno duntaxat 1081! Vide compendium Ingulphi vitæ, apud Joannem Pitſeum, *De rebus Anglicis to. 1. Pariſ. 1619. pag. 193.* Obiit Ingulphus ille anno 1109. ſub Angliæ rege Henrico I. In præfato Doſithei Patriarchæ catalogo, Sophronio II. ſuccedit *Marcus II.* cujus aliunde nulla occurrit memoria: nam Latini Indices, Albericus, Papebrochius, & alii, poſt Sophronium, ad ſedem Hieroſolymitanam Euthymium evectum ſcribunt.

LXXXVII. Euthymius.

In quodam codice ſeriem Patriarcharum Hieroſolymorum exhibente legitur, *ad Eu-* A *thymium, cujus tempore Franci reddiderunt urbem ac eccleſias.* Id nulla parte verum erit, niſi pro voce *Franci* legatur *Turci:* & pro Euthymio legatur Sophronius ejus prædeceſſor: modo enim vidimus ex Alberico, quod etiam in catalogis Latinis haberi teſtatur Papebrochius *tract. prælim. ad to. 3. Maii, num. 193. pag. 45. col. 2.* ſub Sophronio II. Patriarcha, captis ab Iſaro Hieroſolymis, Saracenos quidem ejus incolas occiſos, Chriſtianos vero relictos, quibus proinde Turci eccleſias reddiderint. Franci quippe anno B duntaxat 1099. expugnaverunt Hieroſolymam ſub Simeone Euthymii ſucceſſore.

LXXXVIII. Simon *ſive* Simeon II.

Patriarcha iſte appellatur *Simon* in catalogis Latinis, & *Simeon* à ſcriptoribus, iiſque præſertim qui bellorum ſacrorum in Oriente à Francis & Latinis geſtorum hiſtorias edidere. In catalogo Doſithei Patriarchæ Euthymium præcedit: perperam tamen, utpote qui & in omnibus Indicibus poſt Euthymium recenſeatur, & obierit Patriarcharum Græcorum C ultimus, dum urbem Hieroſolymam obſiderent Latini anno 1099. *Hieroſolymis,* inquit Albericus *Chronici part. 2.* ad annum 1069. *poſt Nicephorum Patriarcham ordinatur, & præfuit Euthymius, deinde Simeon.* Certe anno 1094. ſedebat Simeon, quando Petrus Heremita & ſacerdos diœceſis Ambianenſis in Gallia, Hieroſolymam profectus, ſermones cum ipſo habuit de occiduarum partium principibus adhortandis ut loca ſancta Mohammedanis eriperent. Willelmus Tyrius, *hiſt. de bello ſac. lib. 1. cap. 11.* hæc ea de re ſcribit: D *Audiens vero* (Petrus Eremita) *quod ejuſdem civitatis* (Hieroſolymorum) *Patriarcha vir eſſet religioſus & timens Deum, volens cum eo conferre de preſenti rerum ſtatu.... acceſſit ad eum, præſenſque conſtitutus per fidelem interpretem mutuis ſunt confabulationibus recreati. Erat autem nomen Patriarchæ Simeon, qui ex verbo Petri colligens quod vir eſſet circumſpectus .... familiarius cœpit exponere univerſa quæ populum Dei in civitate commorantem acrius affligebant.* Turci ſcilicet, ut ſummariè ex eodem Willelmo Tyrio *lib. 1. cap. 9. & ſeqq.* E exponit Pagius *tom. 4. crit. annal. Baron.* ad annum 1095. *n. 11.* jam Syriam, & utramque Ciliciam, Iſauriam, Pamphyliam, Lyciam, Piſidiam, Lycaoniam, Cappadociam, Galatiam, & utrumque Pontum, Bithyniam, & Aſiæ minoris partem, infra modicum tempus in ſuam poteſtatem redegerant, eccleſias dejiciebant, & Chriſtianos magno furore perſequebantur. Quod ſi navium copiam habuiſſent, Conſtantinopolim procul omni dubio ſibi ſubjeciſſent. Neque ad ſacra loca

Digitized by Google

devotionis cauſa tam Græci quam Latini proficiſci poterant, niſi mille periculis ſeſe exponerent. Chriſtianis Hieroſolymis poſt longam peregrinationem incluſis mors ſingulis diebus imminebat. Quærenti itaque Petro Eremitæ à Simeone Patriarcha num tot malis ſupereſſet aliquod remedium, reſpondit ille, quoad Græcos nullum ab ipſis ſperari poſſe auxilium, quum & *infra paucos annos pluſquam dimidium amiſiſſent imperii:* à ſolis proinde Latinis opem expectandam. Promiſit Petrus, ſi ille Romano Pontifici, regibus, ac principibus Occidentis tantas calamitates ſignificare vellet, paratum ſe eſſe omnes eos convenire, & ad afferendum aliquod remedium diligenter invitare; quod præſtitit Petrus ubi in Occidentem reverſus eſt. Anno 1098. ſtatim atque accepit Simeon Francorum cæterorumque Latinorum cruce ſignatorum exercitum in Syriam adveniſſe, obſeſſamque ab illis Antiochiam, in inſulam Cyprum ſe tranſtulit. *Migravit ab Hieruſalem & ſepulcro Domini,* inquit Albertus Aquenſis. *Hiſt. Hieroſ. lib. 6. cap. 39..... propter minas Turcorum & importunitatem Saracenorum. Fuit quippe vir grandævus, & fidelis Chriſti ſervus, qui à prædicta inſula plurima charitatis dona duci Godefrido, cæteriſque principibus miſit in initio obſidionis Hieruſalem, interdum fructum arboris, qui dicitur malum granatum, interdum pretioſa poma cedrorum Libani, interdum pavones ſaginatos, aut laudabile vinum, & quæcunque juxta poſſibilitatem ſuam conſequi poterat, ſperans ſub iiſdem principibus adhuc, ſancta eccleſia reſtaurata, pacificè & ſecurè ad ſepulcrum Domini noſtri Jeſu-Chriſti Filii Dei vivi ſervire atque præeſſe. Sed recuperata à fidelibus urbe Hieruſalem, & ſacra illius eccleſia renovata, Chriſtianiſſimus Patriarcha è vita diſceſſit, ſicque eccleſia* (hæc) *ſuo paſtore viduata remanſit.* Obiit proinde Simeon anno Chriſti 1099. circa menſem Julium, quo urbs Hieroſolyma expugnata fuit. Urbe igitur capta, acceptoque de morte Simeonis in inſula Cypro nuntio, à principibus Francis & Latinis deliberatum eſt quis in ejus locum promoveretur; & exinde, quandiu Hieroſolyma in ipſorum poteſtate ſtetit, inter Latinos electi ſunt Patriarchæ. Eorum ſeriem, ut & cæterorum præſulum Latinorum ſedibus Orientalibus eo tempore præfectorum ſeorſim dabimus; Græcos interim, qui Hieroſolymorum Patriarchæ, vel nomine tenus, vel reipſa fuerunt, continuato ordine recenſentes. Doſitheus Patriarcha hunc *Simeonem II.* ait *adverſus azyma Latinorum ſcripſiſſe.* Voluminis quidem Simeonis cujuſdam adverſus azyma nonnulla excerpta refert Leo Allatius, hocque ejus exordium recitat: *Legimus, ô Chriſti amiciſſimi Latini, libellum quo ſacrificii veſtri azyma defenditis, qui à vobis ipſis nobis exhibitus eſt, ut & epiſtolam ab aliquo Roma ſcriptam, quemadmodum aiebat, Papa Silveſtro ad quemdam Latinum Conſtantinopoli agentem:* verum an Simeon, iſtius operis auctor, ſit reipſa Simeon II. Hieroſolymorum Patriarcha, aſſerere non auſim, utpote qui non videatur Latinis fuiſſe infeſtus.

Agapius I.

LXXXIX. Sabbas *ſive* Sabas I.

In catalogo Doſithei Patriarchæ, Simeonem excipit Euthymius, quem, cum Indicibus, & ſcriptoribus aliis, fuiſſe ejus prædeceſſorem ſupra diximus *coll. 497. & 498.* Euthymio autem ſucceſſit *Agapius I.* Agapii cujuſdam mentio fit *lib. 4. Juris Græco-Latini, cap. 4. de Tranſlationibus epiſcoporum, p. 294.* ceu qui de eccleſia Seleuciæ tranſlatus fuerit ad Hieroſolymitanam, ut ſupra obſervatum eſt ſub *Hieremia* ſeu *Oreſte, col. 482.* C. Verum id contigiſſe fertur ſub Baſilio Porphyrogenneta, circa annum Chriſti 984. Eumdem quoque Agapium Nicephorus Calliſtus *lib. 14. hiſt. eccl. cap. 39. pag. 529.* tranſlatum aſſerit ad ſedem Antiochenam. Unde ad ſæculi XI. finem aut ſequens XII. non pertinet.

Agapium ſequitur in eodem catalogo *Sabbas I.* ſub Alexio Comneno. Hujus Patriarchæ rurſus meminit Doſitheus *lib. 3. de Patriarchis Hieroſolymitanis, cap. 5. §. 4.* ubi eum Cæſarea Philippi Hieroſolymam tranſlatum eſſe, & quum Conſtantinopolim perrexiſſet, ibidem cum Nicolao Patriarcha divina myſteria celebraſſe, tum Maroneæ epiſcopatu donatum, ex cujus reditibus aleretur. In Jure Græco-Romano *lib. 4. cap. 4. de Tranſlationibus epiſcoporum pag. 295.* hæc habentur: *Imperante Alexio Comneno, Sabas epiſcopus Cæſareæ Philippi factus eſt Hieroſolymorum Patriarcha, & huc profectus liturgiam peregit una cum ſanctiſſimo Patriarcha Nicolao, & ſynodo.* Eadem fere habet Nicephorus Calliſtus *hiſt. eccl. to. 2. lib. 14. cap 39. p. 529.* D. de quodam epiſcopo Tyri quem non nominat: *Et rurſum,* inquit, *Tyri epiſcopus Eunuchus, ut eccleſia ejus à Perſis capta eſt Hieroſolyma profugit, & quum thronum ibi vacuum eſſe, epiſcopo ſuo orbatum, contingeret, Hieroſolymitæ Perſarum principi, ut illi Hieroſolymorum eccleſiam committere poſſent ſupplicarunt. Qui etiam Conſtantinopolim 6615. à condito mundo anno, Alexio Comneno imperante adveniens, à ſacra ſynodo ſuſceptus eſt, quum Nicolaus Theoprobletus Patriarcham ageret.* Nicolaus ille Theoprobletus, idem eſt ac qui, *Grammaticus* cognominatus, Patriarcha Conſtantinopolitanus renuntiatus eſt anno 1084. ut

Digitized by Google

oſtendit Pagius *tom. 4. crit. annal. Baron.* ad annum 1089. *n. 8.* & ad annum 1117. *n. 27.* Verum anno mundi juxta æram Conſtantinopolitanam 6615. Chriſti 1105. vel 1106. Hieroſolymis dominabantur, non Perſæ aut Turci, ſed Franci, & Latini, qui nec Græcis Hieroſolymitanis poteſtatem ſui ritus Patriarcham eligendi fecerunt. An non librariorum error fuerit, qui in textu Græco Nicephori, pro 6599. legerint 6615. ut ille Patriarcha anno Chriſti non 1106. ſed 1090. Conſtantinopolim venerit! Id porro ſi ita eſt, alius non fuit Patriarcha iſte à Simeone, de quo nos ſupra, qui ſolemni reipſa de ſacris imaginibus conventui ſub Alexio Comneno, una cum Nicolao Grammatico adſtitiſſe refertur: quo etiam tempore Turci è Perſide profecti Urbem ſanctam tenebant. Cæterum, licet Nicephorus Calliſtus hunc prius fuiſſe aſſerat *Tyri* epiſcopum, quam in Patriarcham Hieroſolymorum aſſumeretur, Sabam vero Jus Græco-Romanum epiſcopum fuiſſe *Cæſareæ Philippi* tradat: de uno nihilominus eodemque viro utrobique ſermo habitus videtur, qui fuit ipſe Simeon, ut modo dictum eſt. Sabbam omittunt Indices inter illos Patriarchas, qui ante expugnatam à Francis & Latinis urbem Hieroſolymam, huic eccleſiæ præfuerunt. Solus, quod ſciam, catalogus à Doſitheo Patriarcha, editus habet: *Sabbas I. ſub Alexio Comneno.* Hunc nominamus, ex hypotheſi quod Hieroſolymis, ante vel poſt Simeonem, ſederit.

EUCHERIUS I. MACARIUS III. XC. JACOBUS II.

In Doſithei catalogo Sabbam I. ſequitur *Eucherius I.* quem 99. Patriarcham Hieroſolymorum numerat. Neſcio an non fuerit quem *Macarium Hieroſolymitanum appellat, & cujuſdam expoſitionis contra Latinos* auctorem ait Leo Allatius *lib. 2. de conſenſ. cap. 18. num. 18. p. 871.* Scilicet idem Allatius ſupra dixerat initio hujus *numeri 18. pag. 870.* de quibuſdam auctoribus Græcis, inter quos poſtea eum *Macarium* recenſet, illos eſſe *nullius auctoritatis ac nominis homines, quorum ſcripta non ita obvia ſunt, ex quibus ætas colligi poſſit; nec ipſum ea præ manibus habuiſſe;* unde *eorum nomina* hic *tantummodo ſe ſignare* aſſerit, *vel titulos quos ex Indicibus collegit.* Eucherium præfatus Doſitheus *lib. 7. cap. 22. §. 4.* ſcribit Patriarchatu Hieroſolymitano functum, quo tempore Balduinus rex Aſcalonem expugnavit, hoc eſt anno 1146. Verum, davus ſim, ni Doſitheus gravi errore *Eucherium* ſcripſerit, pro *Fulchero* Hieroſolymorum tunc Patriarcha Latini, non Græci ritus, qui Aſcalonenſi obſidioni revera aderat, ut ſuo loco exponemus. Quamobrem abradendus erit Eucherius iſte è Patriarcharum albo Græcorum Hieroſolymorum. Ei ſufficit idem Doſitheus *Jacobum* quem *ſecundum* appellat ob Jacobum fratrem Domini, illumque *centeſimum* numerat inter Hieroſolymitanos præſules. Nihil aliud de illo mihi compertum eſt.

XCI. ARSENIUS II.

Arſenium hunc *primum* nuncupat Doſitheus in catalogo, nulla alterius Arſenii, de quo ſupra egimus *col. 484. & ſeqq.* facta mentione. Et *lib. 7. cap. 22. §. 4.* aſſerit eum Geraſimi monachi neſcio cujus, inſignis tamen viri, teſtamento, quod in S. Euthymii monaſterio Hieroſolymitano repertum eſt, cum aliis præſulibus ſubſcripſiſſe, anno mundi juxta æram Conſtantinopolitanam 6654. id eſt Chriſti 1146. Hinc porro mirificè confirmatur conjectura ſupra propoſita de *Fulchero* Patriarcha Latino Hieroſolymorum anno 1146. recenſito à Doſitheo ſub nomine *Eucherii,* qui ſederit eo ipſo tempore: alias ſimul fuiſſent duo Patriarchæ Græci ritus, *Eucherius* ſcilicet ille & iſte *Arſenius.*

XCII. JOANNES VII. *ſeu* NICOLAUS.

In Doſithei Patriarchæ catalogo *centeſimus ſecundus* recenſetur *Joannes* iſte ſub Manuele Comneno: & *lib. 7. cap. 22. §. XI.* aliquot opuſcula ei tribuuntur *de Azymis & proceſſione Spiritus ſancti* contra Latinos, *Joannis Patriarchæ Hieroſolymitani* nomine inſcripta. Eadem à Leone Allatio recenſentur, tum in libro quo *Hottingerum fraudis & impoſturæ convicit, pag. 526.* tum *lib. 2. de conſenſ. cap. 18. num. 18. col. 871.* Cæterum quæ ipſe ex eo libro de Azymis recitat, ſcriptorem indicant de Euchariſtico Latinorum ſacrificio non malè ſentientem. Doſitheus *lib. 7. c. 22. laudato,* Joannem hunc Patriarcham ſcribit interfuiſſe ſynodo Conſtantinopoli habitæ, de Euchariſtiæ myſterio, anno mundi 6664. id eſt Chriſti 1156. una cum Conſtantino Patriarcha, ſub Manuele Imperatore. At ſynodo illi eo anno celebratæ die 26. Januar. in cauſa Soterichi Panteugeni Antiochiæ Patriarchæ deſignati, præfuit Lucas Chryſoberges Conſtantini præfati ſucceſſor; ſubſcripſit vero *Nicolaus* Hieroſolymorum Patriarcha, qui proinde idem fuerit ac *Joannes* de quo agimus. Scilicet, dum Patriarchas Antiochenos exponerem, obſervavi, inquit doctiſſim. P. Le Quien hujus operis auctor, inter Manuelem Comnenum Imperatorem Græcum, & Balduinum Antiochiæ principem, ex pactis conventis unum caput fuiſſe, ut Conſtantinopoli deinceps Patriarcha Antiochenus mitteretur: ex quo à Byzantinis

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DERECHO

Digitized by Google

creari & ordinari cœpiſſe Antiochenos præſules probabile ipſi apparuit, Latinis interim eam ſedem tenentibus: poſtea tamen idem Balduinus curavit ut Imperator ab hac lege deſciſceret. Porro ſimile quid etiam de Hieroſolymitano Patriarcha Græco Conſtantinopoli attentatum exinde creditu pronum eſt, quod, ſubacta à Latinis Palæſtina, nullus Hieroſolymitanus Patriarcha Græcus occurrat, quem ſaltem conſtet pro ea ſede fuiſſe deſignatum, ante hujus Manuelis Comneni tempora: eo enim imperante, & Luca Chryſoberge Patriarcha Conſtantinopolitano, Nicolaus profertur Hieroſolymitanus antiſtes numeroſiſſimæ ſynodo, in urbe regia convocatæ adfuiſſe. In ea autem ſynodo Soterichus Panteugenus Antiochenus Patriarcha electus, quum erroris accuſaretur quod cruentum crucis incruentumque altaris ſacrificium Deo Patri, ſed non Chriſto Deo oblatum cenſeret, idque pertinacius tueretur, depoſitionis ſententiam ſubiit, quam *cum Luca, aliiſque epiſcopis tulit Nicolaus Hieroſolymorum Patriarcha;* ut legitur in actis Græcis prædictæ ſynodi. Solius Joannis meminit, omiſſo Nicolai nomine, Doſithei catalogus.

XCIII. Nicephorus II.

Poſt Joannem, de quo ſupra, *Nicephorum ſecundum* præfatus Doſithei catalogus recenſet, ſub eodem Manuele Comneno. Interfuit ſynodo Conſtantinopoli celebratæ anno mundi juxta æram Conſtantinopolitanam 6674. Chriſti 1166. teſte Leone Allatio *lib. 2. de conſenſu cap. 12. num. 4.* qui ejus acta mſſ. ſeſe habere aſſerit. In ea ſynodo quæſitum fuit an orthodoxa eſſet Alemannorum fides, quum aſſererent Chriſtum æqualem eſſe Patri, necnon minorem Patre propter humanitatem; orthodoxam autem eſſe pronuntiatum eſt, eorumque accuſatores damnati, ceu qui Patrum doctrinæ contradicerent. Vide Joannem Cinnamum *Hiſt. lib. 6. n. 2.* Nicephorum memorat Theodorus Balſamon in interpretatione canonis 37.

XCIV. Athanasius II.

Mohammedanis denuo factis Hieroſolymorum dominis anno Chriſti 1187. menſe Octobri, expulſiſque Latinis à Salahadino Babyloniæ rege, Heraclius Patriarcha Latinus Acconem ſeu Ptolemaïdem ſeceſſit, *Athanaſius* vero hujus nominis ſecundus venit Hieroſolymam. Refert Baronius ſub anno ſequenti 1188. *num. 30.* epiſtolam quam ei ſcripſit Georgius Corcyræ metropolita, & *num. 31.* reſponſum Patriarchæ ad hunc Georgium. Eo autem anno obiiſſe cenſet prædictum Patriarcham. Id quidem inficiatur A Pagius, *tom. 4. crit. in annal. Baron.* ad eumdem annum, *num. 13. Athanaſius,* inquit, *ante annum 1193. à Græcis Patriarcha Hieroſolymitanus conſtitui non potuit, ut ex dicendis ibidem conſtabit. Quare epiſtola Georgii metropolitæ Corcyræ ad Athanaſium Patriarcham Hieroſolymitanum, & hujus ad illum reſponſum, quæ hic à Baronio recitantur, ad illum Chriſti annum revocanda.* At tantum abeſt ut ſteterit promiſſis Pagius, quin è contra ad illum annum 1193. *num. 10.* Doſitheum (Athanaſii poſt Leontium ſucceſſorem) è ſede Hieroſolymitana B eo anno ad Conſtantinopolitanam tranſlatum narret. Inconcuſſa ergo manet aſſertio Baronii de tempore quo Athanaſius ille ſedebat. Is proinde fuit Hieroſolymitanus ille Patriarcha qui anno 1187. die 10. Sept. feria 4. Indict. v. cum Conſtantinopolitano & Antiocheno præſulibus ſynodo adſtitit in qua Iſaacius Imperator definiri voluit irritas electiones fore, *quæ fierent per abſentiam pontificis alicujus in urbe, & in poſterum non aliter fieri debere niſi omnes in urbe degentes pontifices arceſſiti fuerint, & vel præſentes adfuerint, vel* C *ſententias ſuas exhibuerint,* ut legitur in Jure Græco-Romano *pag. 169.* Vaticanus codex Arabicus 77. ex iis quos doctiſſ. Joſephus Simonius Aſſemanus Maronita ex Oriente Romam advexit, *Athanaſii Patriarchæ Hieruſalem homilias 65.* citat: & codex 90. *Athanaſii Patriarchæ Hieroſolymitani homilias 66.* apud eumdem Aſſemanum, *Biblioth. Orient. to. 1. pp. 630. col. 1. & 631. col. 2.* An hujus Athanaſii fœtus ſint, nondum liquet.

XCV. Leontius.

D Athanaſio *Leontium* ſucceſſiſſe ſcribit Baronius ad annum 1188. *n. 30.* Hunc Nicetas Choniates *lib. 2. hiſt. num. 4 pag. 259. virum* fuiſſe aſſerit *eruditum & virtute celebrem.* Nihil aliud de eo nobis compertum eſt.

XCVI. Dositheus I.

Hic *Doſitheus,* Venetiis Patre Viticlino natus, Conſtantinopolim profectus, in monaſterio Studii diſciplinæ regulari incubuit. Quum autem Iſaacio Angelo tunc homini privato Imperium prænuntiaſſet, ille Imperator E factus eum ad ſedem Hieroſolymitanam promoveri curavit, poſt Leontii obitum, & ante annum 1193. quo eumdem rurſus alteri Leontio è Conſtantinopolitana ſede ejecto ſubſtituit. Quomodo peracta fuerit hæc tranſlatio ſic narrat Nicetas Choniates *lib. 2. hiſt. num. 4.* apud Baronium ad annum 1193. *nn. 25. & 26. Iſaacius Angelus Imperator Hieroſolymitanum Doſitheum ad œcumenicum patriarchatum evecturus, quum id canones non permittere ſciret, Theodorum Balſamonem*

Digitized by Google

magnæ Antiochenæ epiſcopum, virum ea ætate A *juriſconſultiſſimum aſtu circumvenit, & in privato colloquio indignationem ſimulat, quod eccleſia piis & doctis viris ita deſtituatur, & monaſtica virtus ita obſoleverit, ut nemo ſit qui univerſalem ſedem.... illuſtret, cœtumque fidelium quam optime gubernet. Hæc & id genus alia non ſine dolore præfatus, ſubjunxit olim fuiſſe ſibi in animo, illum ex Antiochena ſede in œcumenicam, ut illuſtrem legalis puritatis lucernam, transferre; ſed ab ea mutatione veterum canonum, & eccleſiaſticarum ſanctionum interdicto deterreri. Si vero ipſe, ut legum &* B *canonum peritiſſimus, tranſlationes, ut olim, ita nunc quoque habere locum, demonſtrare, ac vulgo perſuadere poſſit; ſe omnino id in lucro deputaturum, eumque (modo liceat) incunctanter deſignaturum. Hoc modo tractus Theodorus omnia rata fore affirmavit. Poſtridie concilio pontificum in æde ſacra indicto, & quæſtione illa agitata, tranſlatio ſtatim conceſſa, & litteris Imperatoriis confirmata eſt: ac Antiochenus, ut ante fuerat, ita manſit Antiochenus, Doſitheus vero à ſede Hieroſolymitana Conſtantinopolim eſt tranſlatus cum tam frequenti & ſplendido* C *comitatu, ut haud dubiè regium triumphum æquaret. At primarii ſacerdotes, cæterique facundia inſignes, qui ſe canonibus temere violatis deceptos videbant, obſtupefacti, quum riſum diutius perferre non poſſent, extraordinaria conciliabula, & plebis conventicula inſtituunt, alienæ eccleſiæ occupator audit Doſitheus, ſecundo honore abrogato, è ſede educitur. Imperator vero ignominiam illam non ferens omnibus modis adverſatur, ac nihil non facit ut approbata illa tranſlatio valeat: nec multo poſt abrogatione ſublata, Doſitheumque denuo confirmatum* D *per bipenniferos ſatellites & palatinos proceres in ſacram ædem deducit, populi motum veritus. Erat enim Doſitheus ob ambitionem, & Imperatoris intempeſtivam pertinaciam, & parum laudatum ſui ſtudium omnibus inviſus. Cæterum rurſus ſede ejicitur, eodemque modo, quo canis Æſopicus, & pontificatum quem tenuerat amittit (nam alius Hieroſolymis electus erat) & majori ſede excidit, magno vaſorum cuſtode Xiphilino Georgio Patriarcha deſignato.* Ejus quoque meminit Nicephorus Calliſtus, *tom. 2. hiſt. eccl. lib. 14. cap. 39.* E cujus verba modo referemus, ſub Marco II. In alterius denique ejuſdem nominis Patriarchæ Hieroſolymitani ſæpius citato recenſetur catalogo.

XCVII. Marcus II.

Doſitheo ad regendam Conſtantinopolitanam eccleſiam Hieroſolymis accito, ei ſubrogatus eſt in ſede Hieroſolymitana *Marcus* cognomento *Florus;* de quo hæc tradit Nicephorus Calliſtus *lib. 14. hiſt. eccl. cap. 39. pag. 530. Doſitheus Hieroſolymitanus Conſtantinopolim eſt tranſlatus: quum Hieroſolyma inde Marcus qui Florus dictus eſt tranſiiſſet. Deinde Doſitheus rurſum Conſtantinopoli relicta, in Æliæ thronum reverſus eſt, eo qui Florus appellabatur, inde præter jus & æquum omne expulſo. Poſtea vero utraque & Ælienſi & Conſtantinopolitana ſede poſthabita Doſitheus privatus vixit, & deceſſit. Hæc ſuperioribus temporibus ſunt acta.* Hactenus Nicephorus. Quid egerit deinceps Marcus, nos latet.

XCVIII. Theophanes I.

Theophanes eccleſiæ Hieroſolymorum regimini præerat ſæculo XII. exeunte, vel initio ſequentis, ut infertur ex quadam ad eum Marci Alexandriæ Patriarchæ Theodoro Balſamoni coævi epiſtola. In Doſithei catalogo prætermiſſus eſt, in quo Doſitheum ſequitur Gregorius II. tum inverſo ordine Leontius I. jam ſupra memoratus *col. 534.* C. moxque omiſſis pluribus quos ſtatim recenſebo, Lazarus.

XCIX. Gregorius II.

Georgius Pachymeres *lib. 6. hiſt. Michaëlis Palæologi cap. 1. tom. 1. pag. 292.* ubi narrat quæ monachi adverſus hunc Imperatorem moverint, propter dejectum è patriarchatu Byzantino Arſenium, ait Joſephum quemdam à Maria Eulogiæ ſororis Michaëlis Imperatoris filia, *ad Æliæ Patriarcham,* ipſis inſtigantibus, miſſum, cui ſchiſmatis cauſam aperiret, atque Soldanum qui Palæſtinæ dominabatur in Imperatorem ſollicitaret. *Mariæ conſilium Gregorio Patriarchæ non diſplicuiſſe* ſubdit; quamvis minime dubitaret, quin alii duo Patriarchæ Alexandrinus & Antiochenus in partes Imperatoris tranſirent. Is Gregorius opuſculum ſcripſit adverſus Joannem Beccum, qui Latinorum, & eccleſiæ doctrinam Occidentalis, propugnabat. Extat in Bibliotheca Regia Pariſiis, inter codices qui antea fuerant penes clariſſ. Baluzium.

C. Athanasius III.

Sub eodem Imperatore Michaële Palæologo, *Athanaſius III.* Hieroſolymorum Patriarcha, dum Byzantii ageret, Græcos cum eccleſia Romana reconciliari ſategit. Mox ad eccleſiam ſuam reverſus, Agarenorum petitus inſidiis, occiſus eſt, teſte Allatio, *lib.* adverſus Hottingerum *pag. 475.*

CI. Thaddæus.

In regio codice Græco 1827. opuſculum habetur inſcriptum: *Thaddæi Peluſiotæ archiepiſcopi Hieroſolymorum contra Judæos.* Illud exaravit Thaddæus circa ann. Chriſti 1298. quem ipſe ab Aſcenſione Domini numerabat 1265. Andronico I. Byzantinis imperante.

Digitized by Google

CII. Sophronius III.
CIII. Athanasius IV.
CIV. Gabriel Brula.
Athanasius *iterum*.

Nicephorus Calliſtus *to. 2. hiſt. eccl. lib. 14. cap. 39. de Tranſlationibus epiſcoporum, pp. 530. & 531.* narratis variorum præſulum ad Alexandrinam & Antiochenam ſedes promotionibus, tres Patriarchas memorat, qui alius poſt alium Hieroſolymitanam eccleſiam Græcam rexerunt, *Sophronium* ſcilicet, *Athanaſium* & *Gabriëlem* Brulam. *Hieroſolymis,* inquit, *iidem duos per tranſlationem ſucceſſiſſe vidimus. Nam Sophronio defuncto, in locum ejus ſuffectus eſt Athanaſius Cæſareæ Philippi epiſcopus, cujus ſedem Gabriël quidam Cæſareæ Philippi nuper epiſcopus renuntiatus dolo rapuit, & paulopoſt fatis concedens, vel invitus eam rurſum Athanaſio priori reliquit.* Pachymeres promotionem *Gabriëlis Brulæ* & *Athanaſii* fuſius explicat in Andronico *lib. 7. cap. 23. p. 429.* D. *Hic* (Andronicus II. Imp. an. circiter 1308.) *veneratione ſui Patriarchæ* (Conſtantinopolitani Athanaſii I. anno 1303. in eam ſedem reſtituti) *conſtrictus ingenti, partem pietatis vel maximam putabat, in cunctis ei obnoxie morem gerere. Carceres ergo & ignominioſæ damnationes, in quantulocunque deprehenſos lapſu* (ſeveriſſimus quippe erat in regimine Athanaſius) *certo ac ſubito quoſlibet excipiebant. Commune porro concilium eccleſiæ, ne quis ad id, ſynodo coacta, ſuam referri cauſam aut querimonias poſſe confideret, in pauciſſima redactum capita, pene nullum erat; exterminato utique Alexandrino Patriarcha, Antiocheno alienato propter Hodegorum monaſterium, Hieroſolymitano quoque (cui & ipſi nomen fuerat Athanaſius) nuper exauthorato, propter allatas ex illis partibus in urbem accuſationes ejus per quendam Brulam* Βρουλᾶν *nomine, ex Romanis oriundum, Cæſareæ Philippi epiſcopum: qui convento de criminibus quæ deferebat Imperatore, ipſoque Patriarcha* (Conſtantinopolitano) *redire juſſus unde venerat cum Imperatoris legatis, ad explorandum coram, itane ſe res haberent uti accuſator dixerat; hi, ut ipſis eſt viſum, plene convicti de veritate delatorum, profecti Hieroſolymam, Patriarcham quidem extruſerunt ſede, Brulam autem in Æliæ throno collocarunt; per vim id attentantes, & contra Imperatoris voluntatem, qui ſolo inſtinctu religioſi, ut putabat, zeli, delata examinari crimina æquum cenſuerat: non autem excommunicatum prius hominem, qualis Brulas deprehenſus poſtea eſt, in ſacra illa ſede conſtitui. Novo igitur etiam ipſo Patriarcha Hieroſolymorum Brula, propter anathema, ſuſpenſo, quum & antea, ut eſt dictum,*

A *ſuſpenſi pariter fuiſſent Alexandrinus & Theopolitanus, nullius jam alterius è ſacris publicè diptychis recitabatur nomen, niſi Athanaſii Conſtantinopolitani ſolius Patriarchæ, &c.* Reſtitutum Athanaſium Pachymeres non prodit: ſed ſua ſtat Nicephoro Calliſto illius ævi ſcriptori authoritas.

CV. Lazarus.
Gerasimus *intruſus*.
Lazarus *iterum*.

B In Doſithei catalogo Gregorium II. proximè ſequitur, ut jam ſupra obſervavi, *Lazarus.* Is ſub Andronico II. ſenioris nepote ſedebat, ejuſque in Joannis Cantacuzeni hiſtoria frequens eſt mentio. *Lazarus,* inquit, *Hiſt. lib. 4. cap. 14. pag. 754. .... à coepiſcopis in ſancta civitate, ut mos eſt, electus, poſtea Byzantium ab Imperatore confirmandus venit. Tum Geraſimus monachus illuc profectus cum aliis quibuſdam audaciæ ſuæ ſatellitibus, Patriarcham in iis calumnioſe accuſat, ob quæ gradu movendus videbatur. Imperator, nec ſtatim patriarchatum,* C *propter Geraſimi accuſationem, ei abrogat: nec audita omnino pro falſis ducit; ſed Byzantii manere jubet donec ejus cauſa cognoſcatur. Legatos interim mittit ad Sultanum, cum de aliis neceſſariis quibuſdam, tum de Chriſtianis in Ægypto: nec minus de hoc etiam Patriarcha mittit: & legatis mandat ut quum in Palæſtina fuerint, una cum epiſcopis inquirant de criminibus Patriarchæ impoſitis. Andronico per id tempus defuncto* (anno 1332.) *belloque contra Cantacuzenum excitato, etiam Lazarus Cantacuzeniſmi ſuſpectus, à Joanne Patriarcha* D (Conſtantinopolitano) *nec ſynodum, nec aliquid aliud legibus præſcriptorum quærente, indicta cauſa condemnatur, ejuſque in locum Geraſimus accuſator ipſius, epiſcopus ſanctæ civitatis contra fas eligitur. Lazarus Patriarcha tali ſe ignominia prorſus immerentem affectum intuens; Galatam Latinorum oppidum vadens, modum captat quo ad illud pervenire queat. Archontes Byzantii comperta ejus fuga, Patriarcha Joanne conſcio, Galatam mittunt, Hieroſolymorum Patriarcham dedi poſtulant. Galatæi optionem illi integram relinquunt, aut ſecum* E *communicare in dogmatis, & de cætero inter ipſos habitare, quem & ipſi nunc beneficentiſſimè tractaturi, & Romæ epiſcopus poſtea magnis meritis proſequuturus, ſuiſque epiſcopis annumeraturus ſit: aut* (quod minabantur) *petentibus tradi, à quibus immania pateretur. Ille vero non tantum terrebatur comminationibus,* (in ſchiſmate Græcorum propugnando pertinax) *quantum eorum ridebat ſtultitiam, qui minutorum & deſpicabilium bonorum promiſſis à patriis eum inſtitutis ſe averſuros ſperarent: contraque*

Digitized by Google

& ipſe pollicebatur, facilius ſe illos ab adulterinis dogmatis revocaturum, quam ut ipſe cum illis, aut ingentium bonorum ſponſionibus, aut teterrimorum ſuppliciorum minis, ſimul in errorem abriperetur. Galatæi ut obſirmatum ac præfractum viderunt, vinctum petentibus tradiderunt: qui eum ad Patriarcham (Conſtantinopolitanum) *à quo crudeliter accipiendus putabatur, deduxerunt.*

Is vero virtutem viri reveritus (neque enim neſciebat, quantopere Latinis ad communionem religionis eum allicientibus repugnaſſet, neque quomodo mori maluerit, quam à Patrum ſuorum recto ſenſu diſcedere) accedenti aſſurrexit, humaniterque ac leniter ſalutatum aſſidere ſibi juſſit, & amanter cum eo ſermonem miſcens confeſſorem appellavit. Poſt in domum deſignatam dimiſit, nec minimo male volentis animi dato indicio, nulla autem cura dignatus eſt. Quamobrem paulopoſt, quum egeſtate admodum premeretur, ad Imperatorem confugiens, per reliquum belli tempus apud eum diverſatus, ejuſdem liberalitate procurationeque, etiam Byzantii, poſtquam ille imperium obtinuit, uſus eſt. Hunc ergo Patriarcham cum Sergopulo poſtmodum ad Sultanum Ægypti legans, ſimul alia ab eo petebat pro Chriſtianis illic degentibus; ſimul ut Patriarcham, dejecto Geraſimo contra jus & fas epiſcopatum gerente, in ſedem ſuam reponeret. Sultanus & ad cætera quod attinet, honorificè legatos ſuſcepit, & omnia quæ peterent præſtitit, multaſque ob legationem ad ſe miſſam gratias egit.... Patriarchamque ad ſanctam civitatem mittens, barbarorum illic magiſtratui præcepit, Geraſimum expellerent, Lazarum Patriarcham honorarent, nihilque illi epiſcopum Chriſtianorum per Palæſtinam agenti moleſtiarum faceſſerent. Idem auctor ſupra *lib. 3. cap. 92. to. 2. p. 670. & to. 3. pag. 718.* narrat Imperatorem Cantacuzenum ab ipſo voluiſſe coronari Adrianopoli. *Jam vero placuit* (ei) *etiam Imperatorum more coronari, quandoquidem & Patriarcha Hieroſolymorum, & epiſcopi complures coram adeſſent.... paratis omnibus à Lazaro Patriarcha Hieroſolymitano menſe Maio* (die ſcilicet 21. anni Chr. 1341. juxta Lexicon Moreri.)

De Geraſimo autem ſubdit *lib. 4. cap. 15. pag. 759. Geraſimus throno ejectus, rurſum ad Sultanum venire, mendaciiſque Patriarchæ depoſitionem ei perſuadere properavit. Cæterum profectus ex urbe ſancta, poſt diem tertium in itinere ſpiritum edit: ſic Deo judicante, ut juſta illius morte tentationibus injuſtis juſtus liberaretur. Atque ita diu ſatis Patriarcha ſuos honores geſſit. Porro Sultano illo mortuo, alius in principatu ſuffectus eſt, quem nulla cauſa manifeſta ad Chriſtianos perſequendos commovit, &c. Tunc barbari ſolis Jacobitis erant propitii: reliquos Chriſtianos omnes ſic premebant, ut complures variis tormentorum generibus excruciatos*

A *è medio tollerent: non paucos etiam à fide in Chriſtum ad ſua ſacra pellicerent. Dignum ſane lacrymis, adeo multos cum fide Chriſti per opera ad cacodæmonem abripi, & ejuſdem gehennæ cohæredes illi evadere. Non enim eſt, non, inquam, eſt vitæ integritatem cum vera fide ſectantem, aliquando circa fidem, divino auxilio deſtitutum, naufragari. Tum igitur & Lazarum Patriarcham comprehendentes, primum quidem blanditiis eum captabant, ejuſque invictam conſtantiam labefactare, & à religione Chriſtiana abſtrahere nitebantur: confiſi, ſi hunc expugnaſſent,* B *univerſos ſtatim Chriſtianos ducis ſui exemplum ſequentes, ad Chriſtum negandum adacturos: nec ad eos mactandos compulſum iri, ſiquidem eos à ſacris ipſorum dimotos habere vivos, quam nullo cum fructu occidere malebant. Ubi adulatio fruſtra fuit: omnia ſiquidem ille potius pro fide Chriſtiana perpeti paratus erat, carnificumque in ſe manus provocabat, & laniatus, ac membrorum diſtorſiones exoptare magis videbatur.... Deſperata viri mutatione, barbari blandimenta ut ſupervacanea omittunt, & ad ingenitam amicamque ſibi immanitatem* C *ſe convertunt. Et Sichun quidem ſtatim illum morte damnat. Sultanus autem, ut accepimus, ne occidatur rogat, ſed alio quodam modo de inobedientia puniatur. Non enim ille tam infeſtus erat Chriſtianis (imò vero eorum neces dolenter ferre dicebatur) quam Sichun, mali illius pejus domicilium; hoc eſt, ipſo dæmone pejor, filius perditionis, qui homicidæ patri ſuo obſequentiſſimus, Chriſtianorum cædibus ſaturari nequibat: ſed cruciabatur potius, quod non celeriter Chriſti nomen è terris eradere poſſet. Sententia igitur mortis inhibebatur, plagas* D *autem 50. nervis bubulis nudato corpori Sichun jubebat imponi, quod ad tot verbera minime duraturum putaret; ſed ante finem animam emiſſurum, ad vires humanas videlicet reſpiciens.*

Carnifices poſtquam ſeductum flagellarunt, & illi quidem plagarum quas inferebant numero defecerunt.... tyrannus magis accenſus furiis & ira.... totidem alias infligi mandavit. Quod quum illi dicto citius exequerentur, totum pavimentum ſanguine rubeſcebat, & carnes dilaceratæ defluebant, fatiſcentibuſque compagibus oſſa pateſcebant. Patriarcha tanto cruciamento E *deficiens & humi collabens jacebat, paulo adhuc ſpirans, & barbaris tolerantia tam diræ verberationis ſtuporem commovebat. Deinde iterum quærunt num Sultani mandatis obtemperans Chriſti fidem deſerere, & cum ipſis communicare velit: libereque recuſantem ac dicentem, nihil me à fide in Chriſtum ſeparari poterit, in carcerem quemdam morte damnatis deſtinatum adſportantes projiciunt, ut ſi non ex plagis, certe poſt gladio moriturum. Socii autem carceris, (quorum erant non pauci ex barbaris,*

Digitized by Google

alii alias ob cauſas capite damnati) humanitate quadam, & miſeratione ob naturæ conſortium, non modica eum cura dignabantur, peritique hujuſmodi affectuum medendorum, paulatim eum perſanatis plagarum vulneribus reſtituerunt. Adhuc ſub judicio mortis erat, quum Jacobitarum epiſcopus, quamquam prius ob ſacrorum diverſitatem eum odiſſet, interfectumque cupiviſſet, præter opinionem ſervatum conſpiciens, nec humanæ id, ſed divinæ virtutis monumentum exiſtimans, ex eo ut athletam complecti, omnique honore & obſervantia colere, & ſtudioſe victum quamdiu in vinculis fuit ſubminiſtrare cœpit. Ac poſt intervallum longius Sichunti abrupta anima, ipſe Patriarcham à Sultano impetratum, è carcere eduxit, qui & Chriſtianæ religionis colendæ poteſtatem dedit.

Veriſimile eſt hunc Jacobitarum epiſcopum, ſi fuit eorum Patriarcha Alexandrinus, unum fuiſſe ex his quos Renaudot. memorat *in Hiſt. Patr. Alexandr. pag. 607.* LXXXII. *Benjamin ex Democrad oriundus, ordinatus anno Martyrum 1043. J. C. 1327. Heg. 728. Sedit annos undecim, mortuuſque eſt anno 1339. de quo nihil aliud habetur.* LXXXIII. *Petrus ordinatus anno Martyrum 1056. J. C. 1340. Hegiræ 741. mortuus anno Martyrum 1064. J. C. 1348. Hegiræ 749.* LXXXIV. *Marcus ex Kelioub, cujus initia non aſſignavit Abulbircat, nec diem ordinationis, ſed mortem anno Martyrum 1079. J. C. 1363.*

Pergit Cantacuzenus, *erat namque Sultanus, ut docuimus, non ſua ſponte ad perſecutionem propenſus; ſed à Sichunte, vel nolens eo inducebatur: idcirco & poſt obitum illius ſtatim ceſſavit, & infamia duntaxat Chriſtianos damnavit. Nam civilibus eos functionibus excludens, atque in captivorum loco habens, certi coloris veſtitum pro ſigno geſtare juſſit, unde pro Chriſtianis agnoſcerentur, quoddam probrum illis hac ratione ſe inuſturum arbitratus...... Lazarus porro ſanctæ civitatis Patriarcha, quum poſt flagellationem creditum ſibi gregem diu paviſſet, à Sultano poſtea legatus ad Imperatorem Joannem Palæologum miſſus eſt. Res igitur Hieroſolymorum antiſtitis ab initio ad finem ejuſcemodi fuerunt.* Hæc Joannes Cantacuzenus *à pag. 759.* uſque ad *pag. 761.* qui addit *p. 906.* coram Calliſto Patriarcha Conſtantinopolitano, *Lazaro Hieroſolymorum,* aliiſque epiſcopis quotquot per id tempus Byzantii degebant, ſacras ſtolas indutis, ac toto ordine ſenatorio præſentibus, Matthæum Cantacuzeni filium, adſtante etiam uxore, juramentum præſtitiſſe quod ab ipſo exigebatur, de abdicando Imperio. Circa annum 1350. ſubſcripſit Lazarus tomo tertio pro erroribus Gregorii Palamæ adverſus Joannem Barlaamum & Gregorium Acindynum in ſynodo quadam Conſtantinopolitana edito, cujus meminit Joannes Cantacuzenus *lib. 4. hiſt. cap. 23. to. 3. p. 800.* textum Græcum hujus tomi cum ejuſdem verſione Latina refert Harduinus *to. XI. conc. à col. 283. ad col. 346.* legitur autem *col. 286.* D. *Tomus ille 30. epiſcoporum ſubſcriptionibus roboratus; quibus conſenſit ſubſcribens noviſſime ſanctiſſimus Patriarcha Hieroſolymorum.*

Extat apud Raynaldum, ad annum 1367. *n. XI.* epiſtola Urbani V. Romani Pontificis ad hunc Lazarum, duoſque alios Orientis Patriarchas, data die 6. Novembris, ex qua colligere eſt tum vixiſſe adhuc eo anno illum præſulem Hieroſolymitanum, ac voluiſſe etiam, an ſincere necne, Deus novit, ut de novo eccleſia Orientalis cum ſede apoſtolica uniretur. En tenorem epiſtolæ: *Prudentibus viris Philotheo Conſtantinopolitanam, Niſon Alexandrinam, & Lazaro Hieroſolymitanam Patriarchales eccleſias, more Græcorum, regentibus, gratiam in præſenti, per quam obtineant gloriam in futuro. Salutaris intentionis veſtræ propoſitum ſuper reductione Græcorum ad ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ unitatem nobis tam per litteras veſtras, quam per venerabilem fratrem noſtrum Paulum Patriarcham Conſtantinopolitanum* (Latini ritus) *ac providos viros Nilos metropolitis, & Theodorum Megatarſtophilatas nuntios veſtros latores præſentium, reſeratum audivimus cum multa lætitia. Proinde devotas gratias referentes altiſſimo, qui tam laudandum propoſitum veſtris mentibus inſpiravit; rogamus vos, & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, quatenus in dicto propoſito immobiliter perſiſtentes lumen quod in vobis eſt, in cognoſcendo utilitatem veſtram, & aliarum innumerabilium animarum & corporum ex reductione præfata indubiè proventuram, non abſcondatis ſub modio, ſed ſuper candelabrum veſtræ ſinceræ prædicationis & operationis cunctis Græcorum populis oſtendatis, ut in ipſius claritate per ſemitam mandatorum Domini gradiantur; voſque tanto plus apud ipſum Dominum laudari, ac altius ſuper plura conſtitui mereamini, quanto plures manipulos de credito vobis agro collegeritis, & ad aream Domini afferetis, quantoque de datis vobis talentis datori reportabitis majus lucrum. Cæterum valde gratum habebimus, quod cum magnifico viro Joanne Palæologo Imperatore Græcorum illuſtri, & cum aliis multis viris litteratis & autenticis de clero & populo Græcorum ad ſanctam ſedem apoſtolicam matrem & magiſtram cunctorum fidelium, ad quam idem Imperator venturum ſe obtulit, veniatis; ubi vos libenter videbimus, & condignis honoribus proſequemur, ac, dante Deo, tollentur ſchiſmata, & alias ſaluti dictarum providebitur animarum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum VIII. idus Novembris, Pontificatus noſtri anno ſexto.* Nihil aliud

Digitized by Google

aliud nobis compertum eſt de eo Lazaro. A

CVI. Sophronius IV.

Poſt Lazarum catalogus Doſithei recenſet *Sophronium,* quem ait centeſimum decimum, hujuſque nominis III. illo ſcilicet prætermiſſo Sophronio, quem ſupra *col. 507.* A. B. ex Nicephoro Calliſto, memoravimus. Præſenti Sophronio idem Doſitheus *lib. 7. hiſt. Patriarch. Hieroſolym. cap. 22.* annos 46. patriarchatus tribuit; at non video quomodo id verum ſit: nam Lazarus ejus prædeceſſor adhuc ſuperſtes erat anno 1367. Dorotheus autem Sophronii ſucceſſor dicitur confirmatus ab Imperatore Joanne Palæologo, qui imperio ceſſit anno 1384. vel 1387. & obiit anno 1391.

CVII. Dorotheus I.

Sophronium in Doſithei catalogo ſequitur *Dorotheus I.* cujus confirmationis decretum, ab Imperatore Græco, qui dicitur fuiſſe Joannes Palæologus, datum, ſupra retulimus *col. 135. & ſeq.*

CVIII. Theophilus II.

Hic *Theophilus,* Dorothei filius cui & ſucceſſit in ſede Hieroſolymitana; Emanuëlis Palæologi Imperatoris Conſtantinopolitani qui regnare cœpit anno Chriſti 1384. vel juxta alios 1387. & filii ejus Joannis qui anno 1419. ævo floruit. Doſitheus enim Patriarcha, *lib. 7. hiſt. cap. 22. §. 4.* refert in libro Menæo Hieroſolymis adſervato legi, iſtud *Dimenæum exaratum abſolutumque eſſe, concurrente ſanctiſſimo venerabiliſſimoque & divino Patre Domino Dorotheo nupero Patriarcha, nuncque patriarchatum gerente ſanctiſſimo Patre Theophilo filio ejus, imperante potente ſanctoque Domino Manuele Palæologo ſene, ejuſque filio Domino Joanne.*

CIX. Theophanes II.

Theophilum excepit, ex eodem Doſitheo *lib. 7. hiſt. Patriarch. Hieroſol. cap. 23. §. 1. Theophanes,* quem ſediſſe ait anno 1430. Balſamon Antiochenus Patriarcha, alter ab eo de quo ſupra ubi de Doſitheo I. *col. 504.* E. huic reſponſum miſerat ad quæſtionem, quandonam antityporum tranſmutatio fieret. Verum, nullus eo tempore Antiochiæ Patriarcha hujus nominis reperitur, niſi fortaſſis *Balſamon,* cognomen tantum fuerit, non nomen proprium. Michaël quidem Balſamon Joſephum Patriarcham Conſtantinopolitanum ad Florentinam ſynodum comitatus eſt, decretoque unionis ſubſcripſit, & poſtea reclamavit; at non erat Patriarcha Antiochenus; tunc enim Dorotheus hanc eccleſiam regebat.

CX. Joachim.

Hieroſolymitanam ſedem occupabat *Joachim* iſte tempore Florentinæ ſynodi, ejuſque vices in ea geſſerunt Marcus Epheſi & Doſitheus Monembaſiæ metropolitæ. Hic poſtremus eum in modum decreto unionis ſubſcripſit: *Humilis metropolita Monembaſiæ, & locum tenens apoſtolicæ ſedis ſanctiſſimi Patriarchæ Hieroſolymorum Domini Joachim, Doſitheus contentus ſubſcripſi.* Tantum abeſt autem ut Joachim ratam haberet hanc ſuo B nomine datam ſubſcriptionem, quin è contra, ejuraverit quidquid factum fuerat in ſynodo Florentina, ipſamque Metrophanis, qui in Joſephi Conſtantinopolitani Patriarchæ, Florentiæ, dum celebraretur ſynodus, mortui, locum promotus eſt anno 1440. communionem; quod præſtiterunt quoque una cum ipſo Alexandrinus & Antiochenus præſules: data etiam ad Joannem Imperatorem epiſtola, qua ei excommunicationem minabantur niſi reſipiſceret. Has litteras Græcè cum verſione Latina edidit Leo Allatius *lib. 3. de conſenſu* C *utriuſque eccleſiæ, cap. 4. col. 939. & ſeq.*

CXI. Theophanes III.

Joachimo *Theophanem* ſucceſſiſſe legitur, apud præfatum Allatium in addendis ad *lib. 3. de conſenſu cap. 4.* ibi enim *à col. 1380.* acta Græca extant cum tranſlatione Latina ſchiſmaticæ cujuſdam ſynodi, Conſtantinopoli coactæ ad infringendam unionem Florentinam: cui adfuit & ſubſcripſit Theophanes in hæc verba, *col. 1388. Theophanes conceſſione divina Patriarcha Hieroſolymorum.* Exordium D eorum eſt, *col. 1381. Hinc liber initium ſumit poſtremæ Conſtantinopolitanæ ſynodi in ſanctæ Sophiæ templo congregatæ poſt exactam pſeudoſynodum Florentinam unius anni & dimidii intervallo, & poſt obitum Joannis Palæologi, qui cum Latinis ſentiebat, ab Italis ſub ſpe auxilii deluſus; ante tamen obitum orthodoxo dogmati aſſenſum præbuerat: ſub Conſtantino orthodoxo illius filio. Extracta eſt* (hæc ſynodus) *ex bibliotheca propria manuſcriptorum Conſtantini Laſcaris, vere doctiſſimi, qui ſatis amplam claramque Grammaticam edidit, juſſu* E *ſapientiſſimi Byzantini Patriarchæ Athanaſii; & tranſcripta à Theodoro Zygomala, magnæ eccleſiæ protecdico.* Hic Theophanes is eſſe videtur quem Doſithei ſæpius citatus catalogus ante Joachimum recenſet, altero ejuſdem nominis omiſſo qui Joachimo ſucceſſerit. Doſitheus tamen *lib. 1. hiſt. Patr. Hieroſol. cap. 6. pag. 910.* ſynodi modo memoratæ meminit, illique Theophanem Joachimi ſucceſſorem interfuiſſe teſtatur.

Digitized by Google

CXII. Abraham.
CXIII. Jacobus III.
CXIV. Marcus III.

Licet nulla occurrat apud Græcos, de tribus iſtis Patriarchis Hieroſolymorum, mentio, Daniel tamen Papebrochius *tract. prælim. in to. 3. actorum ſanctorum menſis Maii, n. 282. p. 72. col. 2.* D. E. eos animadvertit ſæculo decimo quinto ſediſſe, ex Theodorico Pauli, qui eodem ſæculo ſcribebat, ut ſupra dictum eſt *col. 142. Abraham,* inquit Theodoricus in fine catalogi ſui, apud Papebrochium citatum, *vir Chriſtianiſſimus præfuit eccleſiæ Hieroſolymitanæ Patriarcha, in maxima preſſura paganorum, tempore Pii Papæ* (II.) *& anno 1468. tandem feliciter migravit.* Hic, nî fallor, ille fuit Hieroſolymitanus antiſtes, qui, una cum Alexandrino & Antiocheno Patriarchis, legationem ad hunc Papam miſit, ut unionem cum Romana eccleſia profiterentur: ſic refert Raynaldus ad annum 1460. *n. 55.* Decreta eſt hoc anno, inquit, à tribus Patriarchis Orientalibus, Alexandrino, Antiocheno & Hieroſolymitano ad Romanum Pontificem (Pium II.) inſignis legatio, qua Moyſes archidiaconus Antiochenus perfunctus eſt: ſignificabant ii admiſſa abs ſe decreta concilii Florentini, orabantque Latinos, ut ex eorum cervicibus Mahumeticum jugum depellerent: de quibus hæc tradit Joannes Gobelinus (lib. 4. commentar. Pii II. p. 103.) *Circa hoc tempus adiit Pontificem Moyſes archidiaconus Antiochenus, vir Græcis ac Syriacis litteris eruditus, & magni apud Orientales nominis. Hunc tres Patriarchæ miſerunt, Antiochenus, Alexandrinus, ac Hieroſolymitanus, & plurimi alii principes Chriſti cultores: legatio ejus hujuſmodi fuit: veniſſe olim ad Pontificem Eugenium, Imperatorem, & Patriarcham Conſtantinopolitanum, & in concilio Florentino, nomine Orientalis eccleſiæ, cum Occidentali, de proceſſione Spiritus ſancti, de igne purgatorio, de pane azymo, de primatu Romanæ eccleſiæ, & aliis pleriſque, de quibus antea diſceptaverant, conveniſſe, decretumque deinde fuiſſe factum, quod tres Patriarchæ, qui ſe miſerant, non ſuſcepiſſent, ſatore zizaniorum impediente: deinde bono commotos ſpiritu, conventu ſubditorum habito, ſuſcepto per omnia decreto, Romano Pontifici ſeſe commiſiſſe, velleque illi tanquam Jeſu-Chriſti vicario deinceps obtemperare, atque ad ea enuntianda ſe miſſum. Audivit Pontifex legationem & privatim & publicè, & collaudatis Patriarchis, ſcripta quæ Moyſes attulerat in Latinum tranſlata, in archiviis eccleſiæ Romanæ recondi juſſit, ipſumque donatum ad propria remiſit.* Hæc ex Gobelino Raynaldus.

Secundus quem laudat Theodoricus, *Jacobus* eſt: *Jacobus,* inquit, *doctor ſacræ paginæ, Abrahæ ſuccedens, & in magna egeſtate regens patriarchatum, cæteris Chriſtianis in Terra ſancta tum ſub tributo degentibus erat magnum ſolamen, adjutorio regalis ducis Philippi de Burgundia: qui quidem conſenſu Soldani renovavit eccleſiam ſancti Sepulcri, & annuatim magnam gazam iſti Patriarchæ tranſmiſit. Iſtius tempore Turcorum Imperator, pro parte Arabiam occupavit: quare neceſſitate coactus epiſcopus monaſterii montis Sinai, in quo corpus requieſcit ſanctiſſimæ Catharinæ Virginis & Martyris, debuit dare annuatim trecentos ducatos in tributum, & aliam ſummam pecuniæ in xenium. Quare præfatus Patriarcha miſit quemdam monachum ejuſdem monaſterii ad reges & principes Europæ, cum magnis reliquiis, & cum uno dente ſanctæ Catharinæ, ad congregandam illam ſummam pecuniæ. Tandem iſte Patriarcha obiit anno Domini 1482.*

Tertius, eodem Theodorico teſte, eſt *Marcus catholicus & pius, miſeratione divina archiepiſcopus Bethleem, & Patriarcha ſanctæ urbis Hieroſolymorum & ſanctæ Sion, Syriæ, & Arabiæ, & trans mare Jordanis, qui præfuit ſalubriter.* Quæ prorſus accepta videntur ex nonnullis ejuſdem Marci ſchedis ſeu diplomatibus, ſiquidem titulos referunt quos Hieroſolymorum Patriarchæ ſibi vulgo vindicabant: modo tamen ſupprimatur vox *Bethleem,* & pro *trans mare Jordanis,* legatur ſolum, *trans Jordanem.* Vide Imperatorium decretum ſupra recitatum *col. 135. & ſeq.* Horum porro trium Patriarcharum Theophanis II. ſucceſſorum nomina ſuis catalogis Græci ſchiſmatici poſt Theophanem probabiliter ea de cauſa non inſeruerunt, quod Romanæ ſedis communionem coluerint.

CXV. Gregorius III.

Jam obſervavimus in catalogo Doſithei, ex duplici Theophane, unum deeſſe qui poſt Joachimum ſederit. Tribus modo recitatis ſucceſſiſſe veriſimile eſt *Gregorium III.* quem aſſerit idem Doſitheus *lib. 7. cap. 22.* eccleſiam Hieroſolymitanam rexiſſe annos triginta ſex.

CXVI. Dorotheus II.

Gregorio *Dorotheum II.* ſufficit præfatus Doſitheus, in utroque loco modo citato, eique quadraginta tres patriarchatus annos aſſignat, ita ut ſæculo decimo-ſexto jam adulto vitam duxiſſe videatur.

CXVII. Germanus.

In Doſithei catalogo Dorotheum II. *Germanus* ſequitur, qui nempe illo tempore

Digitized by Google

ſedebat quo Hieremias I. Patriarcha Conſtantinopolitanus obiit. Synodo enim interfuit quæ ſtatim ab ejus morte habita eſt, in qua ſtatutum, ut *quicunque præſulum vellet ullo modo fieri Patriarcha, abſque eo ut cuncti eſſent congregati pontifices, metropolitæ, archiepiſcopi, & epiſcopi, tum Orientis, tum Occidentis, tum Peloponneſi: hunc illo ipſo condemnatum fore, pontificatuque & throno dejectum.* Ita fertur *lib. 2. Turcogr. pag. 165.* Hujus Germani meminit Joaſaphus II. Patriarcha Conſtantinopolitanus in epiſtola ad Theodoſium Zygomalam magnæ eccleſiæ rhetorem, quæ extat B *ibid. lib. 3. pag. 290.* ad quem epiſtolæ locum annotat Martinus Cruſius Joaſaphum ſua ſede privatum fuiſſe anno 1564. anno autem ſequenti hanc epiſtolam Conſtantinopolim miſiſſe. Sedebat adhuc Germanus, ex Genebrardi chronico, *p. 752.* anno 1572. Sedebat etiam anno 1575. ex præfato Cruſio *Turcogr. pag. 492.* imò anno 1579. ex Stephano Luſignano Cyprio Ord. Præd. in catalogo virorum illuſtrium, ubi de Patriarchis Hieroſolymitanis agens ait: *Græcus Patriarcha hoc anno 1579. Germanus.* Verum hoc ipſo an. 1579. C mundi 7088. quum ſenio ille confectum ſe ſentiret, patriarchatum abdicavit in ſui cleri conventu, coram Silveſtro Alexandrino Patriarcha, duobus archiepiſcopis Dorotheo & Nectario, Eugenio epiſcopo montis Sinai, & Simeone epiſcopo S. Annæ, qui Damaſco in urbem ſanctam advenerat, ut fert Doſitheus *lib. XI. Patr. Hieroſ. cap. 7. §. 4.* cui ſecunda die poſtea Sophronium ſuffectum narrat.

CXVIII. Sophronius V.

Sophronium itaque Doſitheus modo citatus D Germano ſubſtitutum fuiſſe aſſerit hoc ritu: ſecunda die poſt dimiſſum à Germano præfato patriarchatum Hieroſolymitanum, Alexandrinus antiſtes, metropolitæ & epiſcopi, ſortes, ut ſancta lege ferebatur, miſerunt, infantem quemdam ſacro altari admoverunt, qui ſacra liturgia peracta, unam è chartulis tribus in eo poſitis tulit, quæ Sophronii nomine inſcripta reperta eſt. Tum Sophronius, tanquam deſignatus à Deo, Patriarcha renuntiatus eſt, necquidquam reclamantibus clericis aliquot, quorum murmura brevi compreſſa E ſunt. Peloponneſius erat, dum autem Conſtantinopoli eccleſiam ſancti Nicolai juxta muros, ſæcularis preſbyter, non monachus, regeret, à Germano Patriarcha Hieroſolymam adductus eſt. Sanctæ civitatis ſedem in hunc modum adeptus, mox eccleſiam Conſtantini & Helenæ in patriarchalibus ædibus poſitam refecit, quin & Conſtantinopoli atque Moldoblachia quo deinde petierat anno 1602. regreſſus, ſancti Sepulcri templum inſtaurandum ſuſcepit, Theophanes vero ſucceſſor A ipſius abſolvit anno 1608. Martinus Cruſius ejuſdem Sophronii epiſtolam ad Manuelem Capitaneum & præfectum recitat *lib. 4. Turcogr. pag. 296.* ſic inſcriptam: *Sophronius miſericordia Dei Patriarcha ſanctæ civitatis Hieruſalem omniſque Palæſtinæ.* Ad quam epiſtolam id annotat Martinus Cruſius *pag. ſequenti 297. Cæterum Hieroſolymorum Patriarcha quindecim eccleſias intra eam urbem habet. Ibi etiam Gerſemane, ubi ſanctæ Mariæ Virginis ſepulcrum.* Hæc ſcribebat Cruſius circa annum 1584. ſiquidem epiſtola ejus dedicatoria, operi præfixa, data eo anno inſcribitur. Anno 1593. menſe Februario adfuit Sophronius Conſtantinopolitanæ ſynodo, in qua patriarchalia jura, quæ Hieremias II. Conſtantinopolitanus præſul in majore Ruſſia agens, Moſchuenſi antiſtiti paulo antea detulerat, rata habita ſunt: in qua etiam ſynodo, ſi non in alia circa illud tempus celebrata, rejecta eſt ſancita à Gregorio XIII. Romano Pontifice calendarii eccleſiaſtici reformatio. Sophronius tandem, Germani prædeceſſoris ſui exemplum ſequutus, patriarchatum & ipſe ante obitum depoſuit, ac in ejus locum Theophanes ſuffectus eſt.

CXIX. Theophanes IV.

Theophanes ille è Peloponneſo, perinde ac Sophronius, natales ducebat: Hieroſolymorum Patriarcha communibus ſynodi Palæſtinæ, ipſiuſque Sophronii prædeceſſoris ſui ſuffragiis electus eſt anno 1608. ita nempe refert Doſitheus, poſt Nicephorum Meliſſenum qui, Jacobo Gualterio teſte in chronologia ad ſæculum decimum-ſeptimum, Theophanem ait fratris ſororiſve Sophronii filium, anno 1608. patriarchatum capeſſiviſſe. Ex quibus corrigendus venit Hottingerus, qui in appendice ad analecta hiſtorico-theologica ſcripſit Theophanem anno 1602. vel 1603. à Cyrillo Lucari, qui Alexandriæ patriarchalem ſedem occupaturus pergebat, & à Dorotheo Antiocheno, ordinatum eſſe; quin & addit, Cyrillum & Theophanem, quum ſancta loca luſtrarent, ſæpiſſime affirmaſſe, *ſepulcrum, quod Chriſti nomine venditatur, non eſſe verum & vetus illud exciſum in petra,* (in quo ſcilicet requievit Domini Servatoris corpus) *ſed aliud lapidibus extructum.* Ut enim id aſſeruiſſe Theophanem credam, meliorem Hottingero Calviniano deſidero auctorem. Hunc ſiquidem impugnavit Allatius tractatu cui titulus *Joannes Henricus Hottingerus fraudis & impoſturæ manifeſtæ convictus. Romæ 1661.* Porro hic Hieroſolymorum Patriarcha, annis aliquot à promotione ſua in ſancta civitate peractis,

Digitized by Google

Conſtantinopolim profectus eſt, indeque in A Moſcoviam venit. Conſtantinopoli erat anno 1638. quo una cum Cyrillo Berrœenſi Byzantino Patriarcha, & Metrophane Alexandrino præſule, interfuit ſynodo quæ illic celebrabatur, ob Calviniana Cyrilli Lucaris capita, cujus actis ſubſcripſit in hunc modum: apud Allatium *lib. 3. de conſ. cap. 11. col. 1079. Theophanes miſeratione divina Patriarcha ſanctæ civitatis Hieruſalem.* In actis ſynodi Hieroſolymitanæ, quæ die 16. Martii anno 1672. ſub Doſitheo II. Patriarcha, ejuſdem Cyrilli Lucaris errores anathemate con- B fixit, mentio fit epiſtolæ dogmaticæ præfati Patriarchæ Theophanis ſcriptæ ad *Roxolanos* ſeu *Ruſſos,* qua eoſdem errores confutabat, *tom. XI. concil. gen. Harduini, col. 266.* E. Conſtantinopoli obiit anno 1646. quum ſediſſet annos 37. ut tradit Doſitheus *lib. 12. Patr. Hieroſ. cap. 1. §. 10.* ſepultuſque eſt in monaſterio Deiparæ in inſula Chaleos. Hinc autem hallucinari manifeſtum eſt Blazium Terzi in Syria ſacra, quum ſcribit anno 1630. Theophani tunc & quindecim poſtea annos eccleſiam Hieroſolymitanam adminiſtranti C *Athanaſium* quemdam ſucceſſiſſe, ignotum inſuper tum Doſitheo, tum etiam Nectario, cujus Païſius modo referendus proximus prædeceſſor fuit.

CXX. Paisius.

Doſitheus *lib. 12. Patriarch. Hieroſ. cap. 1. §. 10.* ſcribit defuncto Theophane Parthenium Conſtantinopolitanum Patriarcham qui Joanninorum metropolita fuerat, ei ſubrogare voluiſſe Joannicium Berrœæ metropolitam; at Hieroſolymitas apud Moldaviæ principem D Baſilium egiſſe ne votorum ille compos fieret: conſenſiſſe itaque Parthenium, ut *Païſius* monaſterii Galatæ Giaſienſis tunc præfectus, Baſilio principe annuente, aſſumtus ab illis eſſet in Patriarcham. Ad quem ordinandum Parthenius præfatus, Lariſſæ metropolitam, exarchum, alioſque præſules miſit. Erat autem Païſius iſte Theophanis prædeceſſoris ſui cognatus, Demetzani in Peloponneſo oriundus; Hieroſolymam olim venerat, ſub Sophronio Patriarcha cui ſe per aliquod tempus addixit, dein monachum profeſſus juxta Jordanem in E ſancti Joannis-Baptiſtæ, ut videtur, cœnobio. Giaſium poſtea accerſitus, Deiparæ monaſterio Buroski præfuit, exinde vero ad regimen monaſterii Galatæ tranſlatus eſt. Demum Patriarchalem Hieroſolymorum ſedem conſcendit, nonnullis licet reluctantibus in Palæſtina, quos tamen conciliavit ſibi. In Moldaviam ſubinde profectus, & in Moſcoviam, injurias non paucas ſuſtulit, Parthenio Conſtantinopolitano præſule inſtigante, apud Aulæ præſertim Turcicæ proceres: Hieroſolymam reverſus eſt donis ab Alexio Michaëlovitſe Moſchorum Imperatore locupletatus. Non multo poſt in Moldaviam iterum ſe conferre coactus eſt, ut Parthenii mandatum irritum redderet, qui eccleſiam parvulam Conſtantinopoli ſitam ad ſanctum Sepulcrum Hieroſolymitanum pertinentem claudi voluerat; propter quod, ut & alia plura non laudanda facinora, Parthenius necem pertulit, juſſu Turcarum Imperatoris ſtrangulatus. Païſius Conſtantinopolim petiit, mox Hadrianopolim, ubi in carcerem truſus eſt. Dimiſſus, quum Hieroſolymam rediret, lethali morbo corripitur in quodam portu inter Aſyra & Caſtellorrizum. Dum ea ægritudine laboraret, omnem recuſavit cibum; inconditis vero inconcinniſque vocibus obmurmurans, ſiniſtras de ſe iis qui aderant ſuſpiciones varias ingeſſit. Extinctus eſt anno 1660. die ſecunda Decembris, & abſque honore ſepultus: quin & ipſi inſultarunt palam epiſcopi Lyddæ & Bethleem. Nonnulli nihilominus Græci qui in vicinia commorabantur, ei ceu viro ſancto parentarunt. Luctuoſæ iſtius mortis Païſii circunſtantiæ ſunt proculdubio, quæ anſam præbuerint ut tunc temporis dictum ſit, eum in extremis poſitum Judaïcam impietatem fuiſſe profeſſum. Id quidem præfracte negat Nectarius ejus ſucceſſor in ſuo libro περὶ ἀρχῆς τοῦ Πάπα, cæteraque diſſimulat & reticet prorſus quæ modo narravi: verum ea refert Doſitheus ejuſdem Païſii itinerum ſocius, mortiſque ac funeris teſtis. Vide *hiſtoriam ejus de Patr. Hieroſ. lib. 12. cap. 2.*

CXXI. Nectarius.

Païſii obitu Conſtantinopoli audito, Moldaviæ princeps, & Parthenius Patriarcha Conſtantinopolitanus, (non quidem ille de quo ſupra ſub Païſio mentio facta eſt, qui hujuſce nominis ſecundus circa annum 1644. ad ſedem Conſtantinopolitanam evectus fuerat: ſed alius ejuſdem nominis quartus, qui ab anno 1657. uſque ad annum 1662. hujus eccleſiæ curam geſſit: apud doctiſſ. Bollandianos *to. 1. Aug. in hiſt. chron. Patr. Conſtant. pag. 247.* E.) Parthenius, inquam, cum Panagiotte magno Turcicæ Aulæ interprete, aliiſque Græcorum proceribus, necnon epiſcopis qui illic reperti ſunt, ac demum monachis ſancti Sepulcri Hieroſolymitanæ eccleſiæ addictis, agere cœperunt de ſucceſſore deſignando. Gabriel autem Lindius Philippopolis antiſtes auctor fuit ut *Nectarius,* montis Sinai aſceta, Hieroſolymorum eccleſiæ præficeretur. Huic ſententiæ ab omnibus acclamatum eſt, Gabriëlique provincia injuncta ut Hieroſolymam ad eum ordinandum pergeret.

Digitized by Google

Joppen Gabriel adpulſus accepit Nectarium Gazam advenifſe, quippe qui in ſanctam civitatem ibat, ut ibi epiſcopus montis Sinai, à Paiſio quem vivum adhuc putabat, conſecraretur. At Hieroſolymitæ, accepta electione Nectarii, ipſum ultro in Patriarcham ſuum admiſerunt, & Romeliam ſeu Romam, una cum Gabriele illi occurrentes, eum ad eccleſiam Dominici ſepulcri reduxerunt, ubi Patriarcha nolens ac reluctans ordinatus eſt Dominica palmarum die 10. April. anno 1661.

Obſcuro prope Candiam in Creta inſula loco Nectarius oriundus erat, patre Georgio, cognomento Pelopida, qui ex Peloponneſo originem trahebat. Poſt humaniorum litterarum, ac præſertim poëtices Græcæ ſtudia, ad montem Sinai profectus, monaſticam illic vitam egit. Quadrageſimo-quinto ſuæ ætatis anno Theophilum Corydalen philoſophiæ præceptorem Athenis audivit, quum illic & in Peloponneſo eleemoſynas Sinaitis ſuis colligeret. Quinquagenarius bis & ter convenit Baſilium Moldoblachiæ Vaivodam, occaſione litis Sinaitarum adverſus Joannicium Patriarcham Alexandrinum, qui illos in oratorio quod in Ægypto habebant ſacra facere prohiberet. Quum nihil obtinuiſſet, ad montem Sinai reverſus, hiſtoriam ſcripſit regum omnium Ægypti, à remotioribus uſque ad Selimum Sultanum, qui ea in regione Mamalucorum regnum evertit. Obiit tunc extremo ſenio confectus Joaſaphus montis Sinai epiſcopus; obiit quoque Paiſius Hieroſolymorum Patriarcha. Hinc vero contigit ut Nectarius, dum à Sinaitis in cœnobii ſui præfectum atque epiſcopum eligeretur, Conſtantinopoli ſimul in præſulem Hieroſolymitanum, ut ſupra dictum eſt, aſſumtus fuerit. Anno inſequenti per Attaliam Conſtantinopolim ivit, ibique epiſtolam ſcripſit, quæ *orthodoxa confeſſioni* Græcæ, à Petro Mogela Ruthenorum metropolita adverſus Lutheri & Calvini errores præſertim editæ, ſubjuncta fuit. Anno 1664. in Moldoblachiam ſe contulit, ut monaſteria quæ illic ſancti Sepulcri Hieroſolymitani eccleſiæ obnoxia ſunt, bene componeret. Inde in Hungaroblachiam tranſiit ſtipes quærens. Hadrianopolim licet cholico morbo vexatus venit, deinde Conſtantinopolim, ac tandem menſe Julio conſcenſa navi Hieroſolymam regreſſus eſt, ubi abſidem ſanctæ reſurrectionis ornavit, totumque ferme inſtauravit monaſterium. Duobus exactis annis, (quibus muros lauræ ſancti Sabæ in deſerto reſtituit, domoſque peregrinis ſuſcipiendis idoneas in Ramel ſeu Remla Palæſtinæ extruxit,) Conſtantinopolim denuo petiit, ibique, tum quod cum monachis Hieroſolymitanis quietè non viveret, tum etiam quod provecta A ætate, morbiſque frequentioribus non parum debilitaretur, ab Aulæ Turcicæ magnatibus enixè poſtulavit, ac impetravit, ut ſibi patriarchatum dimittere fas eſſet. Suæ vero ſtatim dignitati renuntians Hieroſolymam rediit, vacantiſque ſedis curam geſſit, donec ei alter præficeretur. In monaſterio interim Archangeli Michaëlis Hieroſolymitano manſit, opuſque edidit περὶ ἀρχῆς τοῦ Πάπα *de primatu aut principatu Papæ*, ad pugnam provocatus à Franciſcano doctore Hiſpano, cui Petro nomen erat. Hanc lucubrationem ſucceſſor B ejus Doſitheus typis Græcis Giaſii in Moldoblachia excudendam curavit anno 1682.

Anno 1672. ſynodo Hieroſolymitanæ Bethleemi celebratæ ad proſcribenda Calviniana dogmata, quæ Cyrillus Lucaris Conſtantinopolitanus docuerat, interfuit, & ſubſcripſit ultimus in hunc modum, *tom. XI. concil. P. Harduini Societ. Jeſu, col. 271.* E. *Nectarius Hieroſolymorum antehac Patriarcha, affirmo & confiteor hanc eſſe fidem noſtram, & eccleſiæ Orientalis.* Ὁ πρώην Ἱεροσολύμων πατριάρχης Νεκτάριος ἀποφαινόμενος ὁμολογῶ ταύτην εἶναι C τὴν πίστιν ἡμῶν καὶ τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας. Eodem anno epiſtolam ſcripſit ad Sinaitas monachos qua Calvin. errores confutabat; teſte Renaud. *tom. 4. lib. Gallici de Perpet. fid. circa Euch. pp. 128. 564. & 661. & tom. 5. pag. 27.* Quum vero in urbem ſanctam, die 15. April. anno 1674. clariſſimus Dominus Carolus Franciſcus Ollerius de Nointel, Chriſtianiſſimi regis apud Turcarum Imperatorem Orator, adveniſſet, volante fama Franciſcanos quoſdam in ſanctæ reſurrectionis templo necatos fuiſſe, Nectarius non ſolum illi adD venienti, ut ſpes erat, non occurrit, ſed pavore neſcio quo correptus ad montem Sinai fugit. Ibi rurſus præfati Oratoris minis perterrefactus, eo quod, ad ipſius ingreſſum Hieroſolymam, ſic fugiſſet; celeriter per Peluſium rediit ad idem Archangeli monaſterium. Quinque vero menſibus elapſis, decimaquinta Julii fato functus eſt. Doſitheus Patriarcha annum ejus obitus, neque hoc loco, neque in operis præfatione aſſignat, ſed πρὸ μικροῦ ſeu *nuper* obiiſſe ſolummodo dicit. Demetrius Procopius, in recenſione erudiE torum Græcorum, Nectarium Hieroſolymorum Patriarcham non omiſit.

CXXII. DOSITHEUS II.

Doſitheus iſte, natione Cretenſis, ex eccleſiæ Hieroſolymitanæ ſanctæ reſurrectionis archidiacono, primum Cæſareæ Palæſtinæ metropolita anno 1660. ut ipſe refert *lib. 12. Patr. Hieroſol. pag. 1200.* deinde Nectario ſucceſſor Conſtantinopoli de more deſignatus eſt anno 1672. Is autem ſtatim & ipſo eodem

Digitized by Google

anno ſynodum Bethleemi coëgit in encæniis A eccleſiæ quam inſtauraverat, ad condemnanda Calviniana dogmata, quibus Claudius Carentonenſis miniſter aſſentiri totam Orientalem eccleſiam contendebat. Hujus ſynodi decretis, die 16. Martii præfato anno 1672. apud Harduin. *tom. XI. conc. col. 267.* E. ita ſubſcripſit: *Doſitheus miſeratione divina Patriarcha ſanctæ Hieruſalem & totius Palæſtinæ, aſſero & confiteor hanc eſſe fidem eccleſiæ Orientalis.* Δοσίθεος ἐλέῳ Θεοῦ πατριάρχης τῆς ἁγίας Ἱερουσαλὴμ καὶ πάσης Παλαιστίνης, ἀποφαίνομαι καὶ ὁμολογῶ ταύτην εἶναι τὴν πίστιν τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλη- B σίας. Et rurſus *ibidem col. 271.* E. *Doſitheus Patriarcha Hieroſolymitanus, manu propria ſcribimus & affirmamus præſens autographum* (actorum hujus ſynodi Hieroſolymitanæ Bethleemi celebratæ) *prout ſupra digeſtum, cum legitimis ſubſcriptionibus, & integra rei geſtæ ſerie in magnum apoſtolici noſtri throni codicem, ad æternam rei memoriam ac firmitatem, fuiſſe relatum die 20. Martii anni 1672.* τὸ παρὸν ὡς κατ' ἄνωθεν μετὰ θεσιῶν ὑπογραφῶν δηλονότι καὶ πάσης τῆς πραγματείας κατέστρωται τούτῳ τοῦ κατ' ἡμᾶς ἀποστολικοῦ θρόνου κώδικι, εἰς C μνήμην αἰώνιον ἅμα καὶ ἀσφάλειαν, Μαρτίου κ. α„ χ΄ ο΄ β. ὁ Ἱεροσολύμων πατριάρχης Δοσίθεος ἰδίᾳ χειρὶ γράφομεν καὶ ἀποφαινόμεθα.

Sic autem, poſt expoſitam fidem contra Calvinianos, clauditur illa ſynodus *ibid. col. 266.* D. E. *& ſeq. 267.* A. B. C. D. *Sed & fuſius juxta ac luculentius de iſtis dictum eſt in libro qui* Confeſſio orthodoxa eccleſiæ Orientalis *inſcribitur. Item & ab Georgio Chio in libris de Sacramentis, &c. Item ab aliis innumeris. Sed & ante iſtos ab Symeone Theſſalonicenſi de iiſdem egregiè ſcriptum: imò ab omnibus retrò D ipſum patribus, ſynodis œcumenicis, & annalium eccleſiaſticorum ſcriptoribus; quin etiam & ab Chriſtianorum Romanorum auctoribus, qui res paſſim exteras ſunt proſequuti. Quorum omnium una ſententia eſt ab apoſtolis prædicta omnia dimanaſſe, quorum traditiones ſive ſcripto, ſive verbo per Patres ad nos uſque pervenere. Validiſſimum porro habemus prædictorum, vel ex ipſis hæreticis argumentum. Etenim Neſtoriani poſt annum* (428.) *Item Armeni & Cophtæ & Syri: item Æthiopes, & qui ſub æquinoctiali habitant, & trans illum, verſus tropicum Ca- E pricorni, quos hujuſmodi locorum incolæ vulgo Campeſios vocant, poſt annos ab Incarnatione Domini* (......) *ab catholica eccleſia receſſere, ſinguli ſingularem hæreſim amplexi, ut ex œcumenicorum conciliorum actis nemo non intelligit. Verumtamen circa finem numerumque ſacramentorum, necnon & circa omnia quæ ſupra diximus (præter ſingularem ſuam hæreſim) cum eccleſia catholica prorſus conſentiunt: uti ſingulis horis videmus ipſi, & ſermone atque uſu*

diſcimus in hac ſancta civitate Hieruſalem: in qua ex omni gente quæ ſub cœlo eſt homines tum ſapientes (apud illos) cum illiterati, aut habitant, aut peregrinationis ergo commorantur. Taceant igitur inepti narratores & novitatum artifices hæretici; & mutilas tum è ſcriptura, tum ex patribus adverſum nos ſententiolas, quibus mendacium exſtruant, callide furari ne moliantur, quemadmodum apoſtatarum & hæreticorum ab initio exſtitit conſuetudo: atque hoc loquantur unum, ſeſe nimirum, excuſationes excuſantes in peccatis, injurias in Deum, & in ſanctos evomere blaſphemias, inſtituiſſe. Epilogus. *Hæc ex multis pauca dixiſſe ſufficiat, ad plenam calumniæ ab adverſariis noſtris eccleſiæ Orientali illatæ confutationem: cujus quidem in argumentum ſuppoſititia juxta ac impia cujuſdam nomine Cyrilli* (Lucaris) *capitula produxere. Ea porro quæ diximus, non ſolum noſtram adverſus hæreticos nobis obtrectantes apologiam eſſe volumus; verum etiam fidei regulæ inſtar obtinere, ex qua nova illorum emendentur dogmata, & ad catholicam atque apoſtolicam eccleſiam ipſi reducantur: quandoquidem majores eorum olim in illa meruerunt, & eccleſiaſticis contra hæreticos ſynodis (quas inique modo calumniantur iſti) ac certaminibus interfuerunt. Ab omni quippe ratione longe alienum eſt eos (maxime quum ſibi videantur ſapientes) hominibus ſuimet amantibus & execrandis, ac nequaquam ex Spiritu ſancto, ſe ex mendacii principe loquentibus attendiſſe; ſanctam autem catholicam & apoſtolicam eccleſiam, quam Filii ſui ſanguine Deus acquiſivit, deſeruiſſe, ab eaque eſſe fornicatos. Etenim longiſſimè diverſo exitu, ſeparatos ab eccleſia, inferni ſupplicia una cum ethnicis & publicanis illos quidem excipient; catholicam vero eccleſiam, qui cunctis ab contrariis eam hucuſque protexit, Dominus non derelinquet, cui gloria & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen. Anno ſalutis 1672. die 16. Martii. Apud ſanctam civitatem Hieruſalem.* Sequuntur ſubſcriptiones, ſcilicet octo epiſcoporum præter Nectarium, & 62. tam archimandritarum, quam aliorum preſbyterorum in aliqua dignitate conſtitutorum. Obſervandum porro maxime, Græcos illos, quantumvis ab eccleſia Occidentali & ſancta ſede Romana ſuo ſchiſmate divulſos, hanc nihilominus in eccleſia catholica & apoſtolica comprehenſam fateri; ſiquidem Lutheranos & Calviniſtas, qui non ab eccleſia Orientali, ſed ab Occidentali & Romana deſcivere, aiunt eccleſiam catholicam & apoſtolicam deſeruiſſe, nec poſſe ſalutem conſequi, niſi, relictis erroribus, ad eamdem revertantur.

Anno 1682. Doſitheus Giaſii typis Græcis edidit Nectarii deceſſoris ſui volumen περὶ ἀρχῆς τοῦ Πάπα *de primatu* ſeu *principatu Papæ*,

Digitized by Google

libroſque alios Græcorum poſterioris ævi, Symeonis Theſſalonicenſis, Georgii Scholarii qui & Gennadius nuncupatur, Conſtantinopolitani Patriarchæ, &c. diſputationem quoque à ſe conditam ſub nomine *ſcuti fidei orthodoxæ*, in qua ſynodorum contra Cyrillum Lucarim, & Calviniſtas, à Græcorum Patriarchis habitarum decreta cuncta recenſet. Vir clariſſimus Nicolaus Comnenus Papadopolus in prænotionibus myſtagogicis, *pag. 80.* meminit *epiſtolæ* ejuſdem Doſithei Bucoreſtii in Valachia ſcriptæ die 2. Martii anno 1698. Itemque *pag. 4.* illius *epiſtolam* laudat datam anno 1699. die 24. Martii, de Oxonienſis collegii tragœdia ad Græcorum fidem corrumpendam inſtituta; & *pag.* demum 22. *Enchiridion* appellat Doſithei Hieroſolymorum Patriarchæ. Scripſit præterea Doſitheus volumen ſpiſſiſſimum hoc titulo: *Hiſtoria de iis qui Hieroſolymorum patriarchatum geſſerunt:* in quo Latinam & Occidentalem eccleſiam continuò laceſſit, Romanos Pontifices totis viribus proſcindit, ſed nec Calvinianis erroribus uſquam parcit. Eo in opere, quantumvis ſe auctor ſexcentorum Latini idiomatis ſcriptorum lectione eruditum oſtentet, ſe critices artis monſtrat imperitiſſimum, quippe qui nullius ponderis libros abſque auctorum delectu data opera confutando, adverſus larvas paſſim pugnare videatur. Bucoreſtii in Valachia excuſum eſt volumen iſtud anno 1715. menſe Octobri, curis ſucceſſoris ejus Chryſanthi. Initio extat vitæ illius ſynopſis, in qua obiiſſe fertur Conſtantinopoli, in ædibus eccleſiæ ſancti Sepulcri Hieroſolymitani, die ſeptima Februar. anno 1707. De illo Patriarcha Demetrius Procopius in ſua Græcorum eruditorum recenſione hæc habet: *Doſitheus Peloponneſius, Hieroſolymorum Patriarcha, ex variis libris qui ipſo curante typis editi ſunt, de variis eccleſiæ Orientalis & Occidentalis rebus, qualis vir fuerit, perſpicuum fiet. Græcæ linguæ leviter peritus, vix ſummo digito guſtavit, ut ipſe ultro profitetur: Latinæ vero omnino ignarus fuit.* Quod certe mirum eſt à Demetrio adſtrui, quandoquidem Doſitheus, in illo ſuo de Hieroſolymorum Patriarchis ampliſſimo volumine, innumeros citat, aut refellere conatur Latinos ſcriptores.

CXXIII. Chrysanthus.

Doſitheum excepit *Chryſanthus* Notaras, germani fratris ipſius Doſithei filius, ut legitur in fine *hiſtoriæ eorum qui Hieroſolymorum patriarchatum geſſerunt*, de qua ſupra. Hunc in minoribus agentem Lutetiæ Pariſiorum multi viderunt, virum apprimè doctum & humaniſſimum, ſuaviſſimaque indole omnibus A acceptiſſimum. A patruo ſuo Doſitheo metropolita Cæſareæ, & Palæſtinæ exarchus conſtitutus eſt: cui, quum ea dignitate poti-retur, Nicolaus Comnenus Papadopoli, quem jam memoravi, vir mihi nunquam ſine laude appellandus, reſponſionem nuncupavit adverſus hæreticam epiſtolam Hokſtoni Angli anno 1702. Pagina quarta hujus reſponſionis Chryſanthus dicitur vir Græcorum ſapientiſſimus, ſagaciſſimus, atque prudentiſſimus, qui ab Orientalium eccleſiarum Patriarchis bis delegatus fuerat ad Moſchorum Imperatorem. B Patriarcha renuntiatus fuit anno 1707. die 8. Februarii craſtina obitus Doſithei. Ei autem multiplici nomine obnoxium me profiteor, verba ſunt P. le Quien auctoris hujus operis, utpote quem erga me munificum prorſus expertus ſim in eo promovendo, quo ſuis, quantum fieri poſſit, numeris abſolutum ederetur, præſertim circa Patriarchas ipſius prædeceſſores. Scilicet ſua ipſe me ditatum lucubratione voluit, quam περὶ τῶν ὀφφικίων, *de officiis* eccleſiæ Orientalis ſcripſit, ex qua præcipuam illam partem excerpſi, C Latineque reddidi, qua præſens Orientalis eccleſiæ, pro ſingulis patriarchatibus, ſtatus accuratiſſimus exhibetur. De præſtantiſſimo præſule Demetrius Procopius pauca hæc non ita pridem, in ſua Græcorum eruditorum hujus ſæculi recenſione, prodidit, quæ ſic Latinè reddo: *Chryſanthus Notaras Peloponneſius, Patriarcha Hieroſolymitanus, germani fratris Domini Doſithei deceſſoris ſui Patriarchæ filius, ſed non parum illo doctrina, multiplicique eruditione ſuperior; eſt enim linguarum Græcæ Latinæque maxime peritus; Theologiæ item &* D *Mathematicæ, concionator ſacer, divinarum ſcripturarum gnarus, & in eccleſiæ Patribus bene verſatus, quorum divina ſcripta non ceſſat aſſiduè evolvere, quæque ex illis colligit prædicare, magno ſtudio Chriſtianos ad ſpiritualem fructum edocens. Auſcultavit primum Conſtantinopolitanos magiſtros, tum Italos ſubinde; omnem ſiquidem Europam peragravit. Huic præter alia felicitas hæc obtigit ut ipſo patriarchatum gerente ſuperiore anno* (hoc eſt 1719.) *ſacrum Hieroſolymitanum templum fuerit innovatum, factumque aliquid ad ſancti ſepulcri* (ornamen- E tum) *potentiſſimo Othomanorum Imperatore concedente. Librum ſcripſit introductorium ad Geographiam; itemque alium De officiis eccleſiæ Orientalis, utrumque vulgari Græcorum recentium dialecto, non veteri lingua Græca. Geographicus liber Pariſiis excuſus typis fuit; alter Bucoreſtii in Hungara Valachia.*

Inter codices Arabicos, quos doctiſſ. Dom. Simonius Aſſemanus Maronita Romam ex Oriente advexit, citatur ab ipſo, *to. 1. Bibl. Orient. p. 631. n. 100.* Chryſanthi Patriarchæ

Hieroſolymitani epiſtola ad ſuos diœceſanos, A de impreſſione libri continentis homilias 66. Athanaſii Patriarchæ Hieroſolymitani, & Joannis Chryſoſtomi homiliam de Paſchate reſurrectionis, *Græc. Arab. in-fol. Alepi anno 1711.* & *to. 3. pag. 639. col. 2. codice Arabico num. 19.* citatur *epiſtola ſynodica Conciliabuli Conſtantinopolitani,* quod exeunte an. Chriſti 1722. habitum eſt à Patriarchis Hieremia Conſtantinopolitano, Athanaſio Antiocheno, & *Chryſantho Hieroſolymitano,* præſentibus 12. archiepiſcopis & epiſcopis; tranſmiſſa Græcè & Arabicè ad Græcos Antiochenæ diœceſeos, in qua errores ſchiſmaticorum adverſus Latinos hi propugnantur.... 1.° Pri- B matus Petri ſupra Apoſtolos, & Romani Pontificis ſupra reliquos Patriarchas & epiſcopos, &c. impugnatur, uſuſque ferendi ſignatas cruce crepidas damnatur.... 2.° Proceſſio Spiritus ſancti ex ſolo Patre aſſeritur: & vox illa, *Filioque,* à Latinis ſymbolo adjecta, rejicitur.... 3.° Fermentum in conſecratione Euchariſtiæ, azymo rejecto, probatur....... 4.° Purgatorius ignis, locuſque à paradiſo & gehenna diſtinctus, exploditur.... 5.° Beatitudo ſanctorum, & pœna damnatorum uſque ad communem reſurrectionem differtur.... 6.° Suffocatorum uſus interdicitur.... 7.° Sabbati jejunium perſtringitur.... Denique notantur Latini, quod parvulis poſt baptiſmum Euchariſtiam non porrigunt, neque eos ungunt ſacro chriſmate; neque oleo ungi permittunt niſi infirmos. *In 4. char. 64. Arabicis litteris & ſermone.* Epiſtolæ duæ Gallicè ſcriptæ ex urbe Tripoli Syriæ: una quidem Martii die prima, altera vero die 25. ejuſdem menſis, anno 1733. Chryſantho ſucceſſiſſe narrant Milatheum. At neutra pandit quandonam ante id tempus obierit Chryſanthus Patriarcha.

CXXIV. Milatheus.

De eo *Milatheo* nihil aliud novimus, niſi quod, juxta duplicem epiſtolam modo laudatam, ad eccleſiæ Hieroſolymitanæ ſedem jam evectus eſſet menſe Martio anno 1733. Priori datæ die prima hujus menſis, ſubjungit tantum poſterior data ejuſdem menſis die 25. hunc Milatheum vulgo haberi ceu præſulem mitioris ingenii, nec ita acriter partibus ſchiſmaticorum addicti, ac deceſſor ſuus Chryſanthus, qui, licet in Academia Patavina ſtuduerit, Græcorum nihilominus ſeparationem & diſſenſionem à Latinis plurimi ſe facere paſſim oſtentabat. Atque hæc de Patriarchis Hieroſolymitanis.

Digitized by Google

I. PROVINCIA PRIMÆ PALÆSTINÆ.

PALÆSTINA olim nonniſi una dicebatur, ut obſervat Hadrianus Relandus *tom. 1. Palæſtinæ illuſtratæ edit. Trajectenſ. Batavor. 1714. pag. 205.* quum vel ita ἁπλῶς, vel *Syria Palæſtina* dicta eſt. Ammianus Marcellinus *lib. 14.* eam Syriæ attribuit, ſcribens *Syriarum ultimam* eſſe *Palæſtinam.* In Indice veteri provinciarum Romanarum, qui ævo Theodoſiano adſcribi ſolet, legitur: ORIENTIS PROVINCIÆ. *Syria Ciliciæ* (viri docti addunt *vicina.* Verum ego, inquit præfatus Relandus, crediderim legendum *Syria Cœle,* & id ab imperito librario in nomen notius eſſe mutatum, nempe *Ciliciæ:* nam certum eſt tres has Syrias à veteribus memorari; *Syriam Cœlen, Syriam Phœnicen,* & *Syriam Palæſtinam*) Poſtea autem, circa initia ſæculi quinti, mentio fit *Palæſtinæ primæ, ſecundæ, & tertiæ:* uti in leg. 3. cod. Theodoſ. de erog. milit. annon. *Limitanei milites & poſſeſſorum utilitate conſpecta, per primam, ſecundam, & tertiam Palæſtinam hujuſcemodi norma proceſſit.* Notandum eſt hanc legem latam eſſe x. kal. April. (id eſt, die 23. Mart.) Conſtantinopoli, Honorio A. VIII. & Theodoſio III. A. A. Conſſ. anno 409. ſed in codice Theodoſiano à Gothofredo edito male legitur anno 396. uti & Faſti Conſulares docent, & inſpectio legis ſequentis iiſdem Conſulibus latæ. In notitia quoque Imperii, primo *Palæſtina,* dein *Palæſtina ſecunda,* tum *Palæſtina ſalutaris* exprimitur. Creditur autem illa anno æræ Chriſtianæ 427. conſcripta. *Palæſtinæ utriuſque* fit mentio in codice Juſtinianæo *lib. 1. tit. 9. lin. 17. Judæorum primates qui in utriuſque Palæſtinæ ſynedriis dominantur, &c.* Ea lex data eſt III. kal. Jun. (id eſt die 30. Maii) Conſtantinopoli, Florentio & Dionyſio Coſſ. anno æræ vulgaris 429. Nimirum ſynedria nulla erant in Palæſtina tertia, ſed tantum in prima & ſecunda, uti Tiberiade, Jaſne, &c. S. Hieronymus de Paula loquens, quæ circa annum 384. Palæſtinam intravit, ſcribit *Proconſulem Palæſtinæ,* præmiſſis apparitoribus, juſſiſſe ei parari prætorium. Scilicet tum nonniſi una adhuc videtur fuiſſe Palæſtina. Zoſimus quoque *lib. 4.* Hilarium à Theodoſio magno toti Palæſtinæ præpoſitum ſcribit. Et Euſeb. Cæſar. *lib. 1. de vita Conſtantini cap. 19.* ait: *uti nos eum vidimus* (Conſtantinum) *tranſeuntem per gentem Palæſtinorum.* Cæterum quum Malala in Chronogr. & Suidas ad vocem Τραϊανὸς aiunt Trajanum à Tiberiano qui erat præfectus *primæ Palæſtinæ* ἡγεμὼν τοῦ πρώτου Παλαιστινῶν ἔθνους litteras accepiſſe de Chriſtianorum conſtantia, loquuntur de Palæſtina, ſecundum morem ſui temporis (quo Palæſtina in tres diviſa erat.) Hæc Hadrianus Relandus loco citato.

I. ECCLESIA CÆSAREÆ. METROPOLIS.

CÆSAREA, Palæſtinæ olim totius, quæ poſtea in tres diviſa eſt, metropolis fuit. Huic vetus nomen *Turris Stratonis* erat, ut ex Joſepho inferius citando conſtat. In præfat. autem Novellæ 103. apud Hadrianum Relandum, *Palæſtinæ illuſtratæ to. 2. pag. 670.* dicitur *Strato primus eam in formam urbis redegiſſe, qui mutatis ſedibus excedens Græcia, hujus conditor extitit.* Nomen *Cæſareæ* ab Herode huic urbi datum in honorem Octaviani Auguſti narrat Joſephus *antiq. Jud. lib. 15. cap. 13.* ubi ait: *Quum animadvertiſſet* (Herodes) *in maritimis locum condendæ urbi opportuniſſimum, cui pridem Stratonis Turris nomen fuerat, & formam ejus magnificè deſcripſit, & ædificiis marmoreis totam exornavit accuratiſſimè, tam regiis palatiis, quam privatorum civium ædibus. Et, quod fuit omnium operoſiſſimum, portum à tempeſtatibus tutum addidit, magnitudine Piræo parem, ſtationibus inſtructum & diverſoriis, admirandum ſtructura, eo quod, propter loci naturam, omnis materia tantæ fabricæ aliunde magno ſumtu convehenda fuerit. Sita eſt hæc urbs in Phœnice qua in Ægyptum prætermavigatur, Dora inter & Joppen littorales urbeculas, &c. Circum portum ædes continuata ſerie marmore politiſſimo extructæ ſunt, extante in medio tumulo, in quo templum Cæſaris à longè conſpicuum adnavigantibus, & in eo ſtatuæ, Romæ altera, altera Cæſaris, unde nomen Cæſareæ,* ἥτε πόλις αὐτὴ Καισάρεια

Digitized by Google

ECCLESIA CÆSAREÆ Metropolis.

καλεῖται, & *lib. 1. de bello Judaïco, cap. 16. Quum inter maritimas urbes vidiſſet unam vetuſtate laborantem, quæ Stratonis Turris vocabatur,* Στράτωνος ἐκαλεῖτο πύργος, *& pro loci natura munificentiæ ſuæ capacem, totam eam candido lapide reparatam, ſplendidiſſima regia decoravit, & in ea maxime innatam ſibi animi magnitudinem demonſtravit.* Et quum illa maritima regio inepta portui videretur, *rex liberalitate ac ſumptibus devicta natura portum fecit Piræo majorem, contra oſtium vero portus, in colle, Cæſaris templum magnitudine ſimul & pulchritudine præcipuum: in eoque coloſſum Cæſaris conſtituit non minorem, quam Jovis apud Olympiam.... eamque urbem* Καισάρειαν *Cæſaream nominavit.* Unde ethnicam potius, inquit Cellarius *tom. 2. geogr. ant. lib. 3. cap. 13. pag. 523.* quam Judaïcam condidit, adeo ut etiam ſub bellum ultimum (contra Romanos) Cæſareenſes ethnici Judæos omnes ea in urbe habitantes interfecerint, ex eodem Joſepho *lib. 2. de bello, cap. 19.* Herodem per decennium in ea ornanda laboraſſe tradit Joſephus *lib. 16. ant. cap. 9.* Error itaque eſt in jam memorata præfatione Novellæ 103. ubi legitur: *Divæ memoriæ Veſpaſianus celebratiſſimus ille Imperator, qui piæ memoriæ Titi pater fuit, quod illi ad ſummam gloriam vel ſolum potuit ſufficere, ipſorum Cæſarum appellatione eam nominavit, quæ antea Stratonis Turris vocaretur, hoc illi honore impenſo, eo quod in ea poſt Judaïcas victorias inter Imperatores adſcriptus eſſet.* Veſpaſianus quippe huc coloniam Romanam deduxit, ſed nomen *Cæſareæ* non dedit. *Divus Veſpaſianus,* inquit Paulus *leg. 8. ff. de cenſibus, §. 7.* apud Cellarium & Relandum citatos, *Cæſarienſes colonos fecit, non adjecto ut & juris Italici eſſent, ſed tributum capitis his remiſit: divus autem Titus, etiam ſolum immune factum interpretatus eſt.* Plinius *lib. 5. cap. 13.* de ea urbe ait: *Inde* (ſcilicet ab Joppe) *Apollonia: Stratonis Turris eadem Cæſarea, ab Herode rege condita, nunc colonia prima Flavia à* (Flavio) *Veſpaſiano deducta, finis Palæſtinæ centum octoginta novem millibus paſſuum à confinio Arabiæ. Primam* appellat coloniam Plinius, quia Cæſarea milites primæ legionis accepit.

Porro quod iſta civitas ante Veſpaſiani tempora jam *Cæſareæ* nomine donaretur, habemus ex actibus Apoſtolorum pluribus in locis, *cap. 9. verſ. 30. cap. 10. verſ. 1. cap. 12. verſ. 19. cap. 18. verſ. 22. &c.* De ea urbe mentionem faciunt, Tacitus *lib. 2. annal. cap. 79. Haud dubia deſtinatione diſceſſere, Mucianus Antiochiam, Veſpaſianus Cæſaream: illa Syriæ, hæc Judææ caput eſt.* Et Ammianus Marcellinus *lib. 14. hiſt. cap. 8. Ultima Syriarum* (regionum) *eſt Palæſtina.... civitates habens quaſdam egregias, nullam nulli cedentem, ſed ſibi viciſſim velut ad perpendiculum æmulas: Cæſaream, quam ad honorem Octaviani principis exædificavit Herodes, &c.* Cæſaream diſtare ab Hieroſolymis ſtadiis circiter ſexcentis aſſerunt veteres. Nam Joſephus *lib. 1. de bello Jud. cap. 3. Locus neci ejus* (Antigoni) *fato deſtinatus,* inquit, *Stratonis Turris eſt: eſt autem ea hinc* (id eſt Hieroſolymis) *ſexcentis ſtadiis remota* ἀφ' ἑξακοσίων σταδίων. Idem quoque aſſerit *lib. 13. antiq. cap. 19.* καὶ τῆς χώρας μὲν σταδίους ἀπέχοντα νῦν χ'. (vel ἑξακοσίους) *quoniam locus ille abeſſet* (ab Hieroſolymis) *ſexcentis ſtadiis.* Eumdem ſtadiorum numerum recenſet Zonaras *annal. lib. 5. pag. 219.* In Itinerario tamen veteri Hieroſolymitano legitur, *ab Hieruſalem uſque ad Cæſaream per Nicopolim eſſe milliaria 73.* quæ efficiuut tantum ſtadia 584. Verum, quum exiguus ſit ille 16. ſtadiorum defectus, reſpectu ſexcentorum, poteſt retineri numerus 600. à Joſepho aſſignatus; ſicut nos vulgo dicimus, *ſexcentis annis abhinc,* numero rotundo, *ſexcentis perticis inde,* & his ſimilia, licet aliquid in his numeris interdum deficiat. Ita Relandus citatus *tom. 1. lib. 2. pp. 443. & 444.*

Geographus Scherif Ebn Idris, notus nomine *Nubienſis,* ſic deſcribit Cæſaream, apud eumdem Relandum *to. 2. lib. 3. pag. 675. Cæſarea maximus eſt locus, cui mœnia ſunt integra, & arx munita: diſtat à Japha* (Joppe) *30. milliaribus, à Neapoli ſtatione una, à Ramla ſimiliter ſtationibus duabus exiguis, ab urbe Hepha ad mare ſita duorum dierum itinere.* Abulfeda in geographia mſ. illam appellat *Cæſaream Syriæ,* & mare ipſum, quod ejus littori adjacet, *mare Syriacum,* notatque inter illam & Ramlam eſſe milliaria 32. & rurſus inter illam & Acconem eſſe 36. milliaria. Denique in præfatione ſupra laudata Novellæ 103. hæc leguntur: *Venit autem nobis in mentem & metropolis Cæſarea, quæ in prima Palæſtina principatum tenet, quam præ cæteris majore etiam honore perfrui oportebat: propterea quod & quondam proconſul ipſam tenuit, & præfectus illi talis magiſtratus fuit; licet poſtea ab ampliore dignitate ad minorem tranſierit, nimirum quum una prius tota Palæſtina eſſet, ea deinde in tres diviſa partes, & neque proconſulatum retinente, ſed ad magiſtratum hunc, ut appellant, ordinarium delata.*

Eccleſiam Cæſareæ, Apoſtolorum princeps ſanctus Petrus, per doctrinam Evangelicam primus condidit, Cornelio centurione ejuſque familia ibidem baptizatis: poſtquam vero Hieruſalem, quæ totius Palæſtinæ metropolis habebatur, à Romanis capta, & ſolo æquata eſt, metropolitica jura ad hanc eccleſiam Cæſarienſem ceu nobiliorem tranſlata ſunt, in eaque permanſere uſque ad ſæculum quintum medium, quo Juvenalis Hieroſolymitanus antiſtes ea ſuæ ſedi reſtitui in ſynodo Chalcedonenſi curavit, ut ſupra expoſitum eſt

Digitized by Google

coll. 110. 111. & 168. In ea civitate celebre templum erat in honorem Apoſtoli Thomæ, ideoque *Apoſtolium* nuncupatum, de quo mentionem facit Cyrillus Scythopolit. in vita ſancti Sabæ *num. 75.* apud Coteler. *to. 3. monum. eccl. Græc. pag. 350.* B. Mitto eamdem urbem innumerorum primis eccleſiæ ſæculis Martyrum ſanguine fuiſſe illuſtratam.

ECCLESIA CÆSAREÆ Metropolis.

CÆSAREÆ ARCHIEPISCOPI.

I. ZACCHÆUS.

Si Conſtitutionibus Apoſtolicis, quæ ſub nomine ſancti Clementis Papæ circumferuntur, fides aliqua adhiberi poſſet, *Zacchæum* publicanum primum hujus civitatis à Petro conſtitutum archiepiſcopum adſtrueremus: in illis quippe id legitur *lib. 7. cap. 47.* ubi Petrus ſic loquens inducitur: *De epiſcopis vero, qui à nobis, dum viximus, ordinati ſunt, certiores vos facimus, hos eſſe, Jacobum epiſcopum Hieroſolymitanum fratrem Domini, & huic poſt mortem ſecundum ſucceſſiſſe Symeonem Cleophæ filium; & huic rurſus tertium Judam Jacobi filium: deinde Zacchæum, qui antea fuerat publicanus, primum epiſcopum Cæſareæ Palæſtinæ: huic ſucceſſiſſe Cornelium; & huic rurſus tertium epiſcopum Theophilum: Evodium epiſcopum Antiochiæ à me Petro ordinatum, cui ſucceſſit Ignatius à Paulo ordinatus, &c.* Ita pariter tradit auctor Recognitionum eidem Clementi ſuppoſitarum, *lib. 3. Tom. 2. Bibl. Patr. Lugduni 1678. pag. 418.* B. C. ſcilicet ſanctum Petrum Cæſarea Antiochiam profecturum, Cæſareæ Chriſtianis Zacchæum epiſcopum aſſignaſſe: *Hæc*, inquit, *& his ſimilia quum Petrus dixiſſet, manibus ſuperpoſitis, Zacchæo oravit ut inculpabiliter epiſcopatus ſui ſervaret officium. Poſthæc duodecim preſbyteros ordinavit & diaconos quatuor, & ait: Zacchæum hunc vobis ordinavi epiſcopum, &c.* & inferius 12. horum preſbyterorum nomina recitantur: *Quum multa dixiſſet de ratione baptiſmi, dimiſſis turbis, ad ſolitam domum ſe recepit, ibique adſtantibus ſibi duodecim, id eſt, Zacchæo, & Sophonia, Joſepho, & Michæa, Eleazaro, & Phinees, Lazaro, & Elizæo, me Clemente, & Nicodemo, Niceta, & Aquila.....* Et poſtea rurſus *ibidem* D. hæc ſubdit Petrus: *Et ideo volo, ſi tamen etiam vobis juſtum videtur, ut pro Zacchæo quem hic ordinavimus epiſcopum, ſubjiciatur in numero Benjamin filius Saba, & pro Clemente quem mecum ſemper eſſe decrevi, quia ex gentibus veniens audiendi verbi Dei grande deſiderium gerit, Ananias filius Saphra: pro Niceta vero & Aquila qui nuper converſi ſunt ad fidem Chriſti, Rubelus* (ſeu Ruben) *Zacchæi frater, & Zacharias ſtructor. Iſtis ergo quatuor pro his quatuor ſubſtitutis, expleri volo duodecim numerum.* Hæc auctor ille Recognitionum. Verum, quia libri illi tam Conſtitutionum quam Recognitionum opera ſuppoſititia ſunt & apocrypha, eorum aucto-

A ritati nihil deferendum arbitramur, maxime quum Euſebius, Cæſareæ ipſe archiepiſcopus, ſileat prorſus de Zacchæo in ſua hiſtoria eccleſiaſtica: nullum itaque extabat ejus tempore monumentum authenticum, quo ille Zacchæum ſuæ Cæſarienſis eccleſiæ primum fuiſſe ſtatueret antiſtitem. Clemens Alexandrinus *lib. 4. Strom. pag. 488.* A. de Zacchæo loquens, ait eum ab aliquibus dici fuiſſe *Matthiam*, οἱ δὲ Ματθίαν φασίν. At iſtud falſum eſt de Matthia Apoſtolo, ſiquidem Zacchæus paulo ante Chriſti paſſionem converſus eſt: B Matthias vero unus ex antiquioribus Chriſti diſcipulis fuit. Sanctus Petrus Chryſologus homil. 54. in fine, Zacchæum aſſerit factum fuiſſe epiſcopum, quod de diſcipulo Chriſti creditu non eſt difficile.

II. CORNELIUS.

Beda, Ado, Uſuardus in ſuis Martyrologiis ſcribunt, *Cornelium Centurionem cohortis quæ dicitur Italica* à S. Petro Cæſareæ baptizatum cum tota ſua familia *act. 10.* ordina- C tum poſtmodum fuiſſe Cæſareæ epiſcopum. Idem quoque legitur in Martyrologio Romano ad diem 2. Februar. *Apud Cæſaream, ſancti Cornelii Centurionis, quem beatus Petrus baptizavit, & apud eamdem urbem epiſcopatus honore ſublimavit.* Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum *lib. 7. c. 47.* poſt Zacchæum, recenſet *Cornelium,* ſed non explicat num ſit iſte Centurio. Euſebius Cæſarienſis nullibi eum perhibet fuiſſe hujus eccleſiæ antiſtitem. Origenes hom. XI. in Numeros, illum quidem D ait hujus eccleſiæ fuiſſe primitias, at nihil de illius eo loci adſtruit epiſcopatu. Alia vero Græcorum monumenta produnt Cornelium Centurionem Judæa egreſſum, quarumdam Helleſponti eccleſiarum curam geſſiſſe, Sceptis præſertim, ut extat in ejus vita apud Metaphraſtem, quam refert Bollandus die 2. Februarii. Ilii etiam mentio fit in commentar. qui legitur apud Lipomanum *part. 1. p. 311.* & Surium *to. 2.* die 29. Junii, *pag. 353. n. 5.* ibi enim dicitur Petrum, poſtquam è carcere, E in quem Herodes ipſum conjecerat, eductus ab Angelo eſt, *veniſſe Cæſaream Stratonis, & ex iis qui ipſum ſequebantur preſbyteris epiſcopum ibi conſtituiſſe,* & *pag. 354. num. 6.* poſt annos deinde aliquot, multis luſtratis urbibus, veniſſe *Ilium civitatem Helleſponti,* eoque in loco *Cornelium Centurionem* præfeciſſe. Inde fortaſſis revocatus eſt Cæſaream, Zacchæo,

ECCLESIA CÆSAREÆ Metropolis.

ſeu aliquo alio ejus urbis præſule decedente, ſi reipſa hujus eccleſiæ fuit aliquando epiſcopus Cornelius, quod admodum incertum eſt.

Græci Cornelium ſolemniter venerantur die 13. Septemb. inquit doctiſſ. Bollandus ad diem 2. Februar. *num. 8. pag. 280. col. 2.* ut patet ex Menologio & Menæis, ubi tamen Cæſarienſis cathedræ mentio nulla. Menæa poſtquam retulere ſanctum Petrum ei catecheſi imbuto baptiſma impertiiſſe, ſubdunt: τὴν προεστασίαν τῆς Σκέπσεως πόλεως ἐγχειρίζει, *præfecturam Scepſeos urbis illi committit.* Raderus vertit: *illique (Cæſareæ) urbis curam & præfecturam (in rebus fidei) commiſit: quam Cornelius quum totam idolis addictam inveniſſet, per Chriſti gratiam converſam totam, adeoque ipſum urbis prætorem Demetrium cum tota domo in Chriſtum credentem ſacro fonte luſtravit. Cornelius demum vita apoſtolico more peracta ad Dominum emigravit.* At *Scepſim* ei commiſſam aſſerunt acta. Fuit autem ea urbs epiſcopalis in Helleſponto, uti *Troas* & *Ilium.* Eadem Menæa non Cæſareæ ſubſtitiſſe Cornelium, ſed varia percurriſſe loca tradunt, & quidem cum ſancto Petro Apoſtolo: *Maxima,* inquiunt, *dignatus celebritate nominis, Corneli, cum apoſtolorum principe ac pluribus aliis diſcurriſti, ubique divinum peragens præconium, per quod & ad lumen perducti, ab ignorantiæ tenebris eruti ſumus, &c.* Quin & alia celebrant quæ ab eo Scepſi geſta eſſe in actis dicuntur. Ejuſmodi hæc ſunt: *Totus Deo omnipotenti deditus, ſurdis ſimulacris cultum non exhibuiſti, compellentibus ſanguinariis hominibus. Altiſſimum inviſibilem Deum, Corneli, ferventer invocaſti, & abominandorum idolorum templum funditus evertiſti vehementi hominum admiratione. Omnipotentis ſervans mandata, & ipſe ſervatus es: vincula ſuſtinuiſti, & inſipientes homines vinculis ſuperſtitionum ſolviſti, ô Theoſophe.*

Mortuus eſt Scepſi, ibique ſepultus, ex ejus vita jam citata & à Bollando relata. Hæc enim habentur *ibid. pag. 294. cap. 4. num. 13. Non multo poſt autem* (mortem Cornelii) *è vita etiam exceſſit Demetrius* (Scepſeos præfectus à Cornelio ad Chriſti fidem adductus) *& multi ex iis qui à Cornelio fuerant divino initiati baptiſmo, ipſi quoque partim è vivis deceſſerunt, partim autem profecti ſunt in alias regiones. Itaque cuidam Silvano viro pio, qui..... erat epiſcopus Troadis* (ad Philippopolis quippe eccleſiæ ſedem evectus fuerat, deinde ad Troadenſem tranſlatus à S. Attico cujus mors *Theodoſio juniore XI. & Valentiniano Coſſ.* id eſt anno Chriſti 425. die 8. Januar. contigit,) *quum veniſſet* (ſcilicet Silvanus ille) *aliquando in civitatem Scepſæorum, divinus in ſomnis apparens Cornelius, longo, dixit, tempore hîc habito, & nullus me viſitavit, præter eos ſolos qui à me fuerunt baptizati. Quum itaque interdiu hæc mente conſideraret epiſcopus, & quid ſibi vellet ſomnium non poſſet conjicere; nocte ſequenti ad eum rurſus veniens ſanctus: Ego ſum, inquit, Cornelius Centurio; eſt autem mihi domus prope templum Jovis in rubo: ſed tu ædifica alterum oratorium prope locum Demetrii ſervi Dei. Vocatur autem locus Pandochium* Πανδοχεῖον (id eſt *diverſorium* inquit Bolland. *in not. c. pag. 295. col. 1. A.* eo quod omnes capiat) *quo in loco ſita ſunt multa corpora ſanctorum fratrum jam conſummatorum. Manè ergo epiſcopus, propterea quod in Pandochio eſſent omni ex parte infoſſa multa ſepulcra, in animo habuit templum alibi ædificare; ſed ſanctus non permiſit. Quum ergo clerum, qui ſub eo erat, congregaſſet: Filii, inquit, mihi magnus revelatus eſt theſaurus, ſed, adeſte, eum tollamus. Hoc quum illi audiiſſent, prompto & alacri animo omnes proceſſerunt, & epiſcopum lubenter ſunt ſequuti. Quum autem perveniſſent ad rubum, ſtatim dixerunt clerici epiſcopo: Gratia quædam huc advolat divina, ô Domine, & multos ſcimus huc confluxiſſe, & fuiſſe liberatos à morbis, & malis dæmonibus, & adſcripſiſſe rubo ſanationem: ſed, ſive ſit in rubo, ſeu ſub rubo theſaurus, quis eum poterit excidere, & tollere, quum fieri non poſſit ut ſecetur propter magnitudinem, & alioqui non ſit attrectatu facilis, ut qui ſit multis terribilis propter miraculorum operationem! Quum autem precatus eſſet epiſcopus, & crucem fixiſſet in terram, & manum rubo injeciſſet, ipſas excidit radices. Animo itaque confirmati clerici, opus continuo ſunt aggreſſi; & convellebatur rubus tanquam herba quædam mollis, neque erat amplius rubus, ſed & capſa continuo apparebat, & adhuc valde inſtabat epiſcopus urgens foſſionem. Quum autem jam adventaſſet veſpera, precatus epiſcopus rurſus jubet clero nocturnam cantare pſalmodiam, hymniſque, lampadibus, & ſuffitibus honorabant capſam. Quum vero ſumptuum quoque inopia ad ædificandum templum, ſollicitum & animo perplexum teneret epiſcopum; eam quoque ſolvit ſanctus dubitationem, & cuidam ex divitibus viro pio apparens, cui nomen erat Eugenius, mandat ei templi ædificationem, & deſcribit ei ædificii figuram & magnitudinem. Manè ergo Eugenius veniens ad epiſcopum ei renuntiat viſionem, & operi ſtatim præficit ædificatores, quum eis prius deſcripſiſſet & ſignificaſſet templi altitudinem & longitudinem, & aditum altaris eis juſſiſſet latitudine fieri capſæ æqualem: ei enim viſum fuerat deponere capſam intra aram, &c.* Domus Cornelii, ſancti Hieronymi ævo, Cæſareæ monſtrabatur, ut conſtat ex ejus epiſtola 17. ſive vita ſanctæ Paulæ, ubi maritima Palæſtinæ loca enumerans quæ Paula Hieroſolymam

Digitized by Google

tendens luſtravit, hanc vidiſſe obſervat *Stratonis Turrim ab Herode rege Judææ in honorem Cæſaris Auguſti Cæſaream nuncupatam, in qua Cornelii domum Chriſti vidit eccleſiam. Martyrem* aiunt Menæa Cornelium, fortaſſis propter tormenta quibus ipſum applicatum fuiſſe ejus acta memorant, licet in iis vitam non finierit. Sic die 13. Septemb. *ſancti Martyris Cornelii Centurionis.*

III. Theophilus.

Conſtitutiones Apoſtolicæ, poſt Zacchæum & Cornelium, recenſent *Theophilum* B *lib. 7. cap. 47.* Καισαρείας δὲ τῆς Παλαιστίνης πρῶτος μὲν Ζακχαῖος ὁ ποτὲ τελώνης· μεθ' ὃν Κορνήλιος· καὶ τρίτος Θεόφιλος; id eſt, *Cæſareæ Palæſtinæ primus quidem* epiſcopus fuit *Zacchæus antea publicanus, poſt ipſum Cornelius, tertius vero Theophilus.* At illius non meminit Euſebius Cæſarienſis, niſi hic confundatur cum alio Theophilo, qui in fine ſæculi ſecundi Cæſarienſis eccleſiæ curam gerebat, de quo loquitur Euſebius *lib. 5. hiſt. eccl. c. 23.* Unde non minus dubia eſt, ne quid dicam amplius, hujus Theophili præfectura Cæſa- C rienſis, quæ ſoli Conſtitutionum Apoſtolicarum auctoritati innititur, ac quæ duobus ejus prædeceſſoribus Zacchæo & Cornelio adſcribitur.

Labbeus, qui illos Conſtitutionum Apoſtolicarum libros Græcè & Latinè exhibet *to. 1. concil. edit. Pariſ. anni 1671. hæc annotat ad marg. præfati cap. 47. col. 452.* ubi de Jacobo fratre Domini, Symeone, Juda, Zacchæo, &c. fit mentio: *Hic demum* (Symeon ſcilicet) *ſub Hadriano obiiſſe dicitur annos natus 120. multis poſt Joannem cæteroſque Apoſtolos, ipſum-* D *que adeo Clementem annis. Qui fieri ergo poſſit ut ſucceſſiones iſtas ſanctus Petrus anno Chriſti 67. defunctus commemoret!* Natal. Alexander *hiſt. eccl. to. 3. in-fol. ſæc. 1. diſſert. 19. p. 207.* ait Conſtitutiones Apoſtolicas eſſe apocryphas, ab Apoſtolorum & eccleſiæ doctrina alienas, Apoſtolis ſubinde & Clementi Papæ ſuppoſitas, priorum ſæculorum Patribus vel prorſus ignotas, vel nullius auctoritatis viſas, ut Juſtino, Irenæo, Clementi Alexandrino, Tertulliano, Origeni, Cypriano, Euſebio, Athanaſio, Baſilio, Hieronymo, &c. quippe E qui occaſione data eas nuſquam memorarunt: imò Arianorum ſilentio, ipſorum tempore adhuc eas latuiſſe oſtendi, quandoquidem, licet plurima in iis legantur Arianæ hæreſi faventia, nihil tamen ex iis in illius patrocinium protulerunt, quæ S. Athanaſius, ſicut nonnulla Dionyſii Alexandrini verba ab iiſdem adducta, explicare opus habuerit. Subdit Alexander *ibid. pag. 209. Apoſtolorum conſtitutionem,* cujus meminit S. Epiphan. *lib. de*

A *hæreſib. hær. 70.* de Audianis, lucubrationem eſſe diverſam à Conſtitution. Apoſtolorum, ita ut nonnulla quæ ex illa refert, in iſtis non reperiantur: & *pag. 208.* idem ſentiendum de *doctrina Apoſtolorum* citata à S. Athanaſ. vel potius auctore Synopſis ſcript. ſacræ: liber enim ille, teſte Nicephoro Conſtantinopolitano Patriarcha in ſtichometria, ducentos duntaxat verſiculos continebat, quum è contra Conſtitutiones Apoſtolicæ quas habemus, libris octo conſtent. Præterea auctorem illum, ſynopſis, de eo libro & quibuſdam aliis quos recenſuit, hæc ſubjungere: *Hi omnes cognitionis quidem gratia expoſiti ſunt, cæterum omnino perverſe & falſo ſcripti ſunt, & nothi ac reprobi.*

IV. Zacchæus II.

Si Prædeſtinato à Sirmondo edito aliqua poſſet adhiberi fides, *Zacchæum* quemdam Cæſarienſem epiſcopum recitat auctor ille *capp. 11. & 13.* à quo ait Valentinianos & Ptolemeitas fuiſſe damnatos. Hic Zacchæus Publicano longè poſterior fuit: & ſi reipſa ſedit hujus nominis Cæſarienſis antiſtes ſæculo ſecundo, anſam præbere potuit Conſtitutionum Apoſtolicarum ſcriptori, cur Zacchæum Publicanum huic eccleſiæ præfectum comminiſceretur. At, ut de priore, ſic nec de iſto, quidquam loquitur Euſebius Cæſarienſis, quo pateat illos ab ipſo inter ſuos prædeceſſores fuiſſe agnitos.

V. Theophilus II.

Theophilum hunc appellamus *ſecundum*, ex hypotheſi quod alter ejuſdem nominis illum præceſſerit in ſede Cæſarienſi, quod ſupra diximus eſſe valde incertum. Iſte autem primus eſt de quo nobis conſtet quod hujus eccleſiæ fuerit præſul, licet probabile non ſit, ante illum, ab Apoſtolorum temporibus, urbem ita inſignem ſpeciali ſibi deputato caruiſſe epiſcopo. Verum quinam extiterint, num etiam cenſeri debeant quatuor ſupra recenſiti, tam altum de illis Euſebii Cæſarienſis ſilentium, quam defectus monumentorum veterum alicujus auctoritatis, aſſerere non ſinunt.

Theophilus, quem nunc memoramus, celebris eſt in hiſtoria præfati Euſebii, ubi de quæſtione circa diem quo Paſcha fieri uniformiter in tota eccleſia oporteret. *Lib. 5. cap. 22.* tempus aſſignat quo ille, aliique nonnulli illuſtriorum eccleſiarum antiſtites ſedebant. *Interea,* inquit, *Commodo decimum annum imperii agente* (id eſt anno Chriſti 189.) *quum Eleutherus tredecim annis epiſcopatum adminiſtraſſet, Victor in ejus locum ſucceſſit. Eodemque anno quum Julianus decimum annum*

Digitized by Google

A *expleſſet, eccleſiarum Alexandriæ adminiſtrationem ſuſcepit Demetrius. Per idem tempus Serapio.... Antiochenſis eccleſiæ epiſcopus ſucceſſionis ordine octavus ab Apoſtolis, etiam tum florebat. Cæſareæ vero in Palæſtina præerat Theophilus. Narciſſus item.... Hieroſolymitanæ eccleſiæ ſacerdotio fungebatur. Tunc etiam Corinthi in Achaïa Bacchylus, & Epheſi in Aſia Polycrates epiſcopi fuere. Sed & alii præter hos innumerabiles iiſdem, ut credibile eſt, temporibus enituerunt. Verum nos, ut par erat, eorum duntaxat nomina recenſuimus, qui rectæ fidei doctrinam ſcriptis ſuis proditam nobis reliquerunt. Iiſdem temporibus,* ſubjungit idem Euſebius cap. 23. ſequenti, *gravi controverſia exorta, eo quod omnes per Aſiam eccleſiæ vetuſta quadam traditione nixæ, quarta-decima luna ſalutaris Paſchæ feſtum diem celebrandum eſſe cenſebant, quo die præſcriptum erat Judæis ut agnum immolarent: eaque omnino luna in quemcunque demum diem ſeptimanæ incidiſſet, finem jejuniis imponendum eſſe ſtatuebant: quum tamen reliquæ totius orbis eccleſiæ alio more uterentur, qui ex Apoſtolorum traditione profectus etiamnum ſervatur, ut ſcilicet non alio quam reſurrectionis Dominicæ die jejunia ſolvi liceat. Synodi ob id cœtuſque epiſcoporum convenere: atque omnes uno conſenſu eccleſiaſticam regulam univerſis fidelibus per epiſtolas tradiderunt, ne videlicet ullo alio quam dominico die myſterium reſurrectionis Domini unquam celebretur; utque eo duntaxat die Paſchalium jejuniorum terminum obſervemus. Extat etiamnum epiſtola ſacerdotum qui tunc in Palæſtina congregati ſunt, quibus præſidebant Theophilus Cæſareæ Palæſtinæ, & Narciſſus Hieroſolymorum epiſcopus.*

Fragmentum ſynodi Cæſarienſis extat apud Bedam *to. 2. in libro de Vernali Æquinoctio,* cujus hoc eſt initium: *pag. 232. Papa Victor Romanæ urbis epiſcopus direxit auctoritatem ad Theophilum Cæſareenſis Palæſtinæque antiſtitem, ut quomodo Paſcha recto jure à cunctis catholicis celebraretur eccleſiis, inibi fieret ordinatio, ubi Dominus & Salvator mundi fuerat in carne verſatus. Percepta itaque auctoritate prædictus epiſcopus non ſolum de ſua provincia, ſed etiam de diverſis regionibus omnes epiſcopos evocavit. Ubi quum illa multitudo convenit, tunc Theophilus epiſcopus protulit auctoritatem ad ſe miſſam Victoris Papæ, & quid ſibi operis fuiſſet injunctum oſtendit, &c.* Fragmentum hoc totum refert Labbeus *to. 1. conc. col. 596.* E. Pro genuino quidem ſcripto illud habent Baronius, Binius, & alii; pro ſuppoſito vero & ſpurio Sambovius apud Tillemontium *to. 3. hiſt. eccl. pag. 632.* ipſemet Tillem. *ibid.* & quidam alii viri docti, quod etiam annotant Bolland. ad diem 5. Martii, *pag. 362.* E. ubi referunt partem fragmenti modo deſcriptam. Idem Euſebius, expoſita *cap. 24.* eccleſiarum Aſiæ diſſenſione, ſubdit *cap. 25. Epiſcopi vero Palæſtinæ quos paulo ſupra memoravimus* (cap. 23.) *Narciſſus ſcilicet & Theophilus, & cum illis Caſſius Tyri, & Clarus Ptolemaïdis epiſcopi, & qui ſimul cum illis convenerant, poſtquam de traditione diei Paſchalis, quæ jam inde ab Apoſtolis ad ipſos continua ſucceſſione manaverat, multa in ſuis litteris diſſeruerunt, tandem ad finem epiſtolæ his utuntur verbis. Date operam ut epiſtolæ* B *noſtræ exemplaria per omnes eccleſias mittantur, ne nobis crimen imputent qui animas ſuas à recto veritatis tramite facile abducunt. Illud etiam vobis ſignificamus, eodem quo apud nos die Paſcha Alexandriæ celebrari. A nobis enim ad illos, & viciſſim ab illis ad nos litteræ perferuntur; ita ut uno conſenſu & ſimul ſacroſanctum peragamus diem.*

Euſebius ille ipſe aliquod nobis hic faceſſit negotium, circa initium pontificatus Victoris Papæ, nec ſecum quoad hoc ſatis cohærere videtur; nam ſupra vidimus eum aſſeruiſſe, C *lib. 5. cap. 22.* Eleuthero poſt adminiſtrationis tredecim (alii auctores quindecim & aliquot menſes communius numerant) annos mortuo ſucceſſiſſe Victorem, x. Commodi anno, id eſt Chriſti 189. capite autem 28. ejuſdem libri quinti ait: *ac de Victore quidem ita ſe res habet; qui quum decem annis ſacerdotium adminiſtraſſet, Zephyrinus ei ſucceſſor ſubſtitutus eſt, anno principatus Severi circiter nono,* id eſt Chriſti 202. Neceſſe eſt ergo, vel Victorem pontificatum tenuiſſe duodecim & amplius annos, ab anno nimirum 189. Commodi D decimo, ad annum 202. Severi nono ante menſem Junium, quo incipiebat annus ejuſdem Imperatoris decimus, vel Eleutherium Victoris prædeceſſorem, qui electus eſt Papa anno 177. non obiiſſe ante annum 192. adeoque non tredecim, ſed quindecim annos ſediſſe. Et certe idem Euſebius in chronico Eleuthero *annos quindecim* aſſignat, uſque ad finem ſcilicet imperii Commodi qui interfectus eſt die ultima Decembris anni 192. imò ante narrat Pertinacis Commodi ſucceſſoris necem qui occiſus eſt die 28. Martii E anno 193. quam initium præſulatus Victoris conſtituat, cui imperium Severi ſubjungit. Victor itaque anno duntaxat 192. aut 193. pontificatum exorſus eſt. Hæc obſervant Bolland. ad diem 5. Martii, *pag. 362. col. 2.* D. & Tillem. *to. 3. hiſt. eccl. pag. 616. col. 2.*

Quandiu autem Theophilus poſt ſynodum Hieroſolymitanam vixerit non liquet. S. Hieronymus *lib. de ſcriptorib. eccl. n. 43.* de eo ſic loquitur: *Theophilus Cæſareæ Palæſtinæ, quæ olim Turris Stratonis vocabatur,*

Digitized by Google

epiſcopus, ſub Severo principe adverſus eos qui decima-quarta luna cum Judæis Paſcha faciebant, cum cæteris epiſcopis ſynodicam & valde utilem compoſuit epiſtolam. De eodem Nicephorus Calliſtus *lib. 4. hiſt. eccl. capp. 19. & 36.* mentionem facit. Ejus denique memoriam colit cum iſto elogio Martyrologium Romanum, ad diem 5. Martii: *Cæſareæ in Palæſtina ſancti Theophili epiſcopi, qui ſub Severo principe, ſapientia & vitæ integritate conſpicuus emicuit.*

VI. THEOCTISTUS.

Theoctiſtus eccleſiæ Cæſareenſis curam gerebat anno Chriſti circiter 217. ante Antonini Caracallæ Severi filii mortem, qui eo anno interfectus eſt die 8. Aprilis. Theophilo proximè ſucceſſiſſe videtur: certe nullum inter utrumque nominat Euſebius, qui *lib. 6. hiſt. eccl.* (ante mortem Caracallæ de qua loquitur *cap. 21.*) hæc ſcribit *cap. 19.* *Sub idem tempus, quum Alexandriæ moraretur* (Origenes,) *miles quidam adveniens, Demetrio eccleſiæ epiſcopo, & præfecto Ægypti litteras à duce Arabiæ detulit, quibus poſcebat ut confeſtim ad ſe Origenem mitterent, qui doctrinam ſuam ipſi communicaret. Miſſus igitur ab illis Origenes in Arabiam perrexit, nec multo poſt, perfecto cujus cauſa venerat negotio, Alexandriam regreſſus eſt. Aliquanto poſt tempore quum Alexandriæ graviſſimum bellum excitatum fuiſſet, clam inde aufugiens, ac ne in Ægypto quidem commorari tutum ratus, Palæſtinam petiit, & Cæſareæ domicilium fixit. Ubi etiam ab illius regionis epiſcopis rogatus eſt ut publicè in eccleſia diſſereret, & divinas ſcripturas, tametſi nondum preſbyter ordinatus, exponeret. Atque id manifeſtum fuerit, vel ex iis quæ Alexander Hieroſolymorum & Theoctiſtus Cæſareenſis epiſcopus ad Demetrium pro hujus facti defenſione ſcribunt in hunc modum: Quod vero in litteris tuis adjeciſti, nunquam antea viſum, nec adhuc factum fuiſſe, ut præſentibus epiſcopis laïci concionarentur; in eo neſcio quomodo à veritate longiſſime aberraſti. Nam ſicubi reperiuntur qui fratribus prodeſſe poſſint, eos ſancti epiſcopi ultro adhortantur ut ad populum conciones habeant. Sic Evelpis Larandis rogatus eſt à Neone; Paulinus Iconii à Celſo: Theodorus apud Synnada ab Attico fratribus noſtris beatiſſimis. Idque etiam alibi fieri credibile eſt, quamvis nos ignoremus...... Sed quum Demetrius per litteras eum revocaſſet, miſſiſque eccleſiæ ſuæ diaconis reditum ejus urgere non deſtitiſſet; Alexandriam reverſus conſuetum munus obiit.* Idem Euſebius *ibid. cap. 23.* de Origene pergens loqui, ait: *Hæc dum ita geruntur, Urbanum eccleſiæ Romanæ pontificatu octennio perfunctum excepit Pontianus* (anno Chriſti 230.)

Edit. Valeſ. p.221.D.

A *...... quo tempore Origenes compellente ipſum neceſſitate ob eccleſiaſtica negotia in Achaïam profectus, quum per Palæſtinam tranſiret, preſbyterii gradum per impoſitionem manuum Cæſareæ ab illius regionis epiſcopis accepit.* Ad id porro contuliſſe miniſterium Theoctiſtum Cæſareenſem & Alexandrum Hieroſolymorum præſules ſuperius tradidit *capite 8.* his verbis: *Quippe probatiſſimi & maxime inſignes apud Palæſtinam antiſtites, Cæſarienſis ſcilicet & Hieroſolymitanus, quum Origenem prærogativa & ſupremi honoris apice dignum judi-* B *caſſent, manus ei imponentes preſbyterum ordinaverant. Tunc igitur quum Origenes ingenti gloria floreret, & apud cunctos ubique mortales virtutis ac ſapientiæ cauſa maximum nomen eſſet conſequutus: Demetrius, quando nihil aliud habebat quod ei objiceret, facinus illud quod adoleſcens olim patraverat,* (ſe ipſum faciendo eunuchum) *graviſſime criminatus eſt; illos etiam qui eum ad preſbyterii honorem evexerant, accuſationibus ſuis conatus involvere.* Vivebat adhuc Theoctiſtus anno Chriſti 252. Idem enim Euſebius *ibid. cap. 46.* agens de C Dionyſii Alexandrini epiſtolis, ait: *Scribit præterea ad Cornelium Romanæ urbis epiſcopum, cujus litteras adverſus Novatum ſcriptas acceperat. In qua quidem epiſtola ſignificat ſe ab Heleno Tarſi Ciliciæ epiſcopo, & à cæteris qui cum illo convenerant: Firmiliano ſcilicet Cappadociæ, & Theoctiſto Palæſtinæ provinciæ epiſcopis invitatum fuiſſe, ut ad ſynodum Antiochenam occurreret, in qua quidam Novati ſchiſma confirmare tentabant.* Eumdem ut ſuperſtitem inter alios memorat præfatus Dionyſius Alexandrinus in epiſtola ad ſanctum Stephanum D Papam, qui fuerat electus poſt mortem Lucii anno 253. Fragmentum hujus epiſtolæ extat apud Euſebium *lib. 7. cap. 5.* *Scias autem, frater, cunctas per Orientem & ulterius poſitas eccleſias quæ prius erant diſciſſæ* (ob ſchiſma Novati) *nunc tandem ad unitatem reverſas eſſe; & omnes eccleſiarum ubicunque antiſtites unum idemque ſentire, & ob redditam inſperato pacem incredibili gaudio exultare: Demetrianum ſcilicet epiſcopum Antiochiæ, Theoctiſtum Cæſareæ, Æliæ poſt mortem Alexandri Mazabanem, Marinum Tyri, Laodiceæ vero poſt Thelymidris* E *obitum Heliodorum, Helenum Tarſi, cunctaſque Ciliciæ eccleſias, Firmilianum denique cum univerſa Cappadocia. Solos enim illuſtriores epiſcopos nominavi, ne forte epiſtola noſtra prolixior, & oratio moleſtior redderetur, &c.* Mortuus videtur Theoctiſtus ſub pontificatu Xyſti qui vixit ab anno Chriſti 257. ad annum ſequentem 258. Nam idem Euſebius *lib. 7. hiſt. eccl. cap. 14.* hæc habet: *Eadem tempeſtate Romanæ quidem eccleſiæ adhuc præerat Xyſtus; Antiochenam vero poſt mortem Fabii*

Digitized by Google

ECCLESIA CÆSAREÆ Metropolis.

Demetrianus regebat: apud Cæſaream Cappadociæ Firmilianus: in Ponto Gregorius, fraterque ejus Athenodorus, ambo Origenis diſcipuli, eccleſias gubernabant. Apud Cæſaream autem Palæſtinæ, mortuo Theoctiſto, ſacerdotium ſuſcepit Domnus.

VII. DOMNUS.

Ex verbis Euſebii modo relatis conſtare videtur Theoctiſto Cæſareæ Palæſtinæ epiſcopo proximè ſucceſſiſſe *Domnum*, anno nimirum 257. aut 258. At de eo nihil aliud tradit, niſi brevi ſediſſe: *mortuo Theoctiſto*, inquit, *ſacerdotium ſuſcepit Domnus; quo non multo poſt ex hac vita ſublato, &c.*

VIII. THEOTECNUS.

Domno brevi mortuo, in ejus Cæſarienſem ſedem promotum *Theotecnum* ſcribit idem Euſebius *ibid. lib. 7. cap. 14.* his verbis: *Quo* (Domno) *non multo poſt ex hac vita ſublato, Theotecnus qui ad noſtram uſque ætatem ſuperfuit, in ejus locum ſubrogatus eſt. Hic quoque Origenis auditor fuiſſe dicitur.* Capite ſequenti 15. narrat quomodo quemdam Marinum pro Chriſto jamjam damnandum, ad martyrium fortiter ſubeundum excitaverit. *Interea*, inquit, *pace cunctis ubique eccleſiis reddita, apud Cæſaream Palæſtinæ, Marinus quidam militari dignitate decoratus, ad hæc ſplendore generis atque opibus clarus, ob confeſſionem Chriſti capite truncatus eſt hac de cauſa. Honor quidam eſt vitis* (quaſi inſigne aliquod) *apud Romanos,* Τιμὴ τὶς ἐστὶ παρὰ Ρωμαίοις τὸ κλῆμα, *quam qui adepti ſunt, Centuriones dicuntur. Hic locus quum vacaret, Marinus ordine gradus ſui ad eam promotionem vocabatur. Verum quum honore illo jamjam potiturus eſſet; quidam ad tribunal accedens Marinum accuſare cœpit, aſſerens illi quidem, utpote Chriſtiano homini & Imperatoribus ſacrificare renuenti, Romanam dignitatem capeſſere legibus non licere; ſibi vero gradum illum competere. Ea re commotus judex Achæus nomine, primum quidem Marinum interrogavit cujuſnam eſſet ſententiæ. Cognito deinde quod Chriſtianum ſe eſſe conſtantiſſimè profiteretur, trium horarum ſpatium ad deliberandum ei conceſſit. Proinde quum ex prætorio egreſſus eſſet, Theotecnus civitatis epiſcopus ad illum accedens, & ſermocinando longius eum abſtrahens, prehenſa manu ad eccleſiam perducit: quumque interius ad ipſum altare eum ſtatuiſſet, reducta tantiſper ejus chlamyde, gladium illi quo præcinctus erat oſtendens, mox ſacrorum evangeliorum codicem ex adverſo locat, jubens ut ex duobus utrum mallet, eligeret. Marinus nihil cunctatus protenſa dextra codicem quum apprehendiſſet, his eum verbis Theotecnus compellavit. Adhære*

A *igitur, adhære Deo, ejuſque virtute roboratus, conſequere quod elegiſti. Vade in pace. Poſthæc regredientem illum ab eccleſia præco pro foribus prætorii evocare cœpit. Jam enim præſtitutum tempus effluxerat. Admotus igitur tribunali, quum majorem quam antea alacritatem fidei oſtendiſſet, ſtatim inde, ita ut erat, ad ſupplicium abductus, martyrio coronatus eſt.* Colitur ſanctus Marinus die 3. Martii, ejuſque elogium his verbis exprimitur in Martyrologio Romano. *Cæſareæ in Palæſtina ſanctorum martyrum Marini militis & Aſterii ſenatoris in* B *perſecutione Valeriani: quorum prior accuſatus à commilitonibus quod eſſet Chriſtianus, & interrogatus à Judice, quum Chriſtianum ſe eſſe voce clariſſima teſtaretur, martyrii coronam capitis abſciſſione ſuſcepit: quumque Aſterius corpus martyris capite truncatum, ſubjectis humeris, & ſubſtrata veſte qua induebatur exciperet; honorem quem martyri detulit, continuo ipſe martyr excepit.* Hoc quidem Euſebius capite ſequenti 16. *Aſterii* factum refert quem *Aſtyrium* nuncupat, *virumque* dicit fuiſſe, *ex Romanæ urbis Senatoribus, Imperato-* C *ribus unice carum, & cum ob ſplendorem generis tum propter divitias omnibus notum;* ſed non memorat ideo morte plexum. Euſebio quippe addidit Rufinus ea verba, *honorem quem martyri, &c.*

Anno Chriſti 264. interfuit Theotecnus ſynodo Antiochenæ adverſus errores Pauli Samoſateni ejuſdem civitatis epiſcopi: ſic enim prodit Euſeb. *ibid. cap. 27. & ſeq. Sub idem tempus,* (id eſt anno circiter 260. vel 261.) *defuncto Antiochiæ Demetriano Paulus Samoſatenſis epiſcopatum ſuſcepit. Hic quum* D *adverſus eccleſiæ doctrinam nimis abjecte & humiliter de Chriſto ſentire cœpiſſet, quaſi is nihil ſupra communem hominum naturam habuiſſet; Dionyſius Alexandrinæ eccleſiæ epiſcopus rogatus ut ad concilium veniret, adventum quidem ſuum diſtulit, ſenectutem & infirmitatem corporis cauſatus. Cæterum quid ipſe de hac quæſtione ſentiret, per epiſtolas indicavit. At reliqui eccleſiarum paſtores undique exciti, tanquam adverſus gregis dominici vaſtatorem, ſimul omnes Antiochiam convenerunt.* Et c. 28. *Inter quos maximè eminebant Firmilianus Cæ-* E *ſareæ Cappadocum epiſcopus, Gregorius* (Thaumaturgus) *& Athenodorus fratres eccleſiarum apud Pontum epiſcopi: Helenus quoque Tarſi & Nicomas Iconii antiſtites. Sed & Hymenæus qui eccleſiam Hieroſolymitanam regebat, & Theotecnus qui Cæſarienſem illi finitimam adminiſtrabat. Maximus præterea qui Boſtrenſem eccleſiam ſumma cum laude gubernavit. Sexcentos quoque alios qui una cum preſbyteris & diaconis eo confluxerunt nequaquam difficile fuerit recenſere. Verum hi quos dixi illuſtres*

præ

Digitized by Google

præ cæteris habebantur, &c. Dum hæc aguntur, Dionyſius (Alexandrinus) *extremum diem obiit anno principatus Gallieni duodecimo, quum Alexandriæ epiſcopatum ſeptemdecim annis obtinuiſſet, &c.* Hæc epocha annum Chriſti 264. denotat. Heraclas enim Dionyſii prædeceſſor obiit anno 247. Valerianus autem anno 253. quo Imperator renuntiatus eſt, Gallienum filium ſuum Cæſarem & paulo-poſt Auguſtum creavit. Chronicon Euſebii & ſimile Hieronymi mortem Dionyſii reipſa ſub anno 264. reponunt, adeo ut ſynodus prima Antiochena adverſus Paulum Samoſatenſem, quæ dum celebraretur Dionyſius deceſſit, ad annum Chriſti 264. revocanda merito videatur. Venit rurſus Antiochiam Theotecnus anno 269. vel 270. ubi alia ſynodus habita eſt adverſus præfatum Paulum Samoſatenſem, qui fidem poſt datam errores ſuos à ſe ejurari, eoſdem nihilominus prædicabat. Ex ea epiſtolam ſynodicam ad Dionyſium Romanum Pontificem, cæteroſque totius orbis epiſcopos hujus ſynodi Patres ſcripſerunt, qua denuntiabant ipſis perverſa Pauli, quem ab epiſcopatu ejecerant, dogmata. Sic rem narrat Euſebius *lib. 7. hiſt. eccl. cap. 29. Hujus temporibus* (Aureliani Imperatoris qui imperium capeſſivit anno Chriſti 270.) *poſtrema ſynodus innumerabilium fere epiſcoporum congregata eſt: in qua auctor ille nefariæ apud Antiochiam hæreſeos Paulus, convictus & ab omnibus manifeſtiſſimè deprehenſus falſi dogmatis reus, ab univerſa quæ ſub cælo eſt eccleſia catholica eliminatus eſt, &c.* Et cap. ſequenti 30. *Omnes itaque in unum congregati, unam ex communi ſententia ad Dionyſium Romanæ urbis epiſcopum* (is obierat anno 269. die 26. Decembris, ſed prioribus anni 270. menſibus mors ejus in Oriente veriſimiliter nondum innotuerat) *& ad Maximum Alexandrinum ſcripſerunt epiſtolam: eamque ad omnes deinde provincias tranſmiſerunt, tum ut ſtudium ſuum ac diligentiam omnibus declararent, tum ut perverſum Pauli dogma, confutationes quoque & diſputationes adverſus illum habitas, eunctamque hominis vitam ac mores exponerent...... Dionyſio & Maximo* (initium eſt hujus epiſtolæ) *& omnibus per univerſum orbem comminiſtris noſtris, epiſcopis, preſbyteris, & diaconis, & univerſæ eccleſiæ catholicæ quæ ſub cælo eſt, Helenus & Hymenæus, Theophilus, Theotecnus, &c. & reliqui omnes qui nobiſcum ſunt vicinarum urbium & provinciarum epiſcopi, preſbyteri, ac diaconi, & eccleſiæ Dei,* ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ, *chariſſimis fratribus in Domino ſalutem, &c. Firmilianus vero quum bis Antiochiam veniſſet* (hæc verba innuunt hanc poſtremam ſynodum, cui non interfuit Firmilianus, tertiam fuiſſe Antio-

A chenam adverſus Paulum Samoſatenſem coactam) *damnavit quidem dogmatis ab illo invecti novitatem, ut teſtamur nos qui affuimus, & alii plures perinde ac nos optimè norunt. Sed quum ille mutaturum ſe ſententiam promiſiſſet, credens ei Firmilianus, ſperanſque ſine ullo religionis noſtræ probro atque diſpendio rem optimè poſſe conſtitui, diſtulit ſententiam ſuam, deceptus ſcilicet ab homine qui Deum ac Dominum ſuum negabat, & qui fidem quam antea profitebatur violaverat. Nunc quoque Antiochiam venturus erat Firmilianus, & jam Tarſum uſque pervenerat......* B *Sed quum nos jam conveniſſemus, dum ejus adventum expectamus, abiit è vita, &c.* Exponunt deinde Pauli dogmata & mores: *In fine* (tandem) *epiſtolæ hæc adjiciunt. Hunc igitur Deo bellum indicentem, nec cedere volentem, quum à communione noſtra abdicaſſemus, neceſſe habuimus alium ejus loco eccleſiæ catholicæ epiſcopum ordinare.... Demetriani ſcilicet beatæ memoriæ epiſcopi, qui ante hunc magna cum laude eamdem rexit eccleſiam* (Antiochenam) *filium Domnum, virum omnibus quæ epiſcopum decent dotibus exornatum. Quod* C *quidem idcirco vobis ſignificavimus, ut & ad eum ſcribatis, & ab eo communicatorias litteras accipiatis.... Igitur quum Paulus à recta fide ſimul & epiſcopatu excidiſſet, Domnus, ut dictum eſt, adminiſtrationem Antiochenſis eccleſiæ ſuſcepit. Sed quum Paulus è domo eccleſiæ nullatenus excedere vellet, interpellatus Imperator Aurelianus rectiſſime hoc negotium dijudicavit, iis domum tradi præcipiens, quibus Italici Chriſtianæ religionis antiſtites & Romanus epiſcopus ſcriberent. Hoc modo vir ſupra memoratus* (Paulus) *cum ſummo dedecore per* D *ſæcularem poteſtatem ab eccleſia exturbatus eſt.* Idem Euſebius infra *cap. 32. pag. 288.* A. de Anatolio epiſcopo Laodiceno loquens, ait: *Huic Theotecnus Cæſareæ Palæſtinæ epiſcopus primus manus impoſuit, eumque epiſcopum ordinavit, ſucceſſorem illum eccleſiæ ſuæ deſpondens; ambo certe aliquantiſper eamdem eccleſiam ſimul gubernarunt. Poſtea vero quum eum ſynodus adverſus Paulum congregata Antiochiam evocaſſet* (id proinde contigerat ante poſtremam ſynodum Antiochenam) *per urbem Laodiceam* τὴν Λαοδικέων πόλιν *iter faciens, à fratribus illius* E *loci, mortuo tunc Euſebio* (eorum epiſcopo) *detentus eſt, &c.* Et paulo-poſt *ibid.* C. ſubdit Euſebius: *Apud Cæſaream vero Palæſtinæ, poſt obitum Theotecni, qui eccleſiam illam ſumma cum cura gubernaverat, ſucceſſit Agapius.* To. 1. conc. Philippi Labbei, *col. 843.* extat epiſtola ad Paulum Samoſatenſem ſcripta ante ejus depoſitionem, cujus titulus eſt: *Exemplum epiſtolæ miſſæ Paulo Samoſatenſi ab orthodoxis epiſcopis, priuſquam deponeretur.* Præfert autem hæc nomina: *Hymenæus, Theophilus,*

ECCLESIA CÆSAREÆ Metropolis.

ECCLESIA CÆSAREÆ Metropolis.

Theotecnus, Maximus, Proclus, Bolanus, Initium eſt: *Jam quidem in congreſſum & colloquium inter nos venimus, ac fidem noſtram oſtendimus. Ut vero manifeſtius fiat quid quiſque ſentiat, & ea quæ in quæſtionem ac dubitationem vocantur, certiorem exitum accipiant; decrevimus fidem ſcripto edere & exponere quam à principio accepimus, ac habemus traditam & ſervatam in catholica & ſancta eccleſia uſque in hodiernum diem, &c.* Finis vero eſt: *Scire volumus an eadem nobiſcum ſentias & doceas; & nobis ſignifices an iis quæ ſuperius ſcripſimus aſſentiaris, an non.* Quot annos ſederit, vel quo anno obierit Theotecnus, nos fugit.

IX. Agapius.

Theotecno proximè ſucceſſiſſe *Agapium* prodit Euſebius *lib. 7. hiſt. eccl. cap. 32. pag. 288.* C. D. quamvis non tradat quo anno id acciderit. *Apud Cæſaream Palæſtinæ*, inquit, *poſt obitum Theotecni.... ſucceſſit Agapius, quem quidem plurimum etiam laboraſſe, & populi cui præerat commodis benignè conſuluiſſe, cunctoſque, ac præſertim pauperes liberalitate ſua ſublevaſſe novimus. Hujus tempore Pamphilum virum diſertiſſimum, vitaque & operibus vere philoſophantem, in eadem eccleſia vidimus preſbyteri honore decoratum, &c.* Hæc tantum de eo Agapio Euſebius.

X. Agricolaus.

Agricolai antiſtitis Cæſareæ in Palæſtina nuſquam meminit præfatus Euſebius, qui tamen ejus tempore vivebat, eique probabiliter ſucceſſit. At inter octodecim epiſcopos, qui canonibus ſynodi Ancyranæ an. Chriſti 314. celebratæ ſubſcripſerunt, illius nomen legitur, *tomo 1. conc. Phil. Labb. col. 1475.* D. ſcilicet ſecundo loco *Agricolaus Cæſareæ Palæſtinæ.* Porro nullo monumento nobis innoteſcit, vel Agapium ultra ann. 312. vitam produxiſſe, vel Euſebium eccleſiæ Cæſarienſi ante annum 315. præfuiſſe. Sicut autem ſilet Euſebius de iſto Agricolao, ita ſilet de Vitali Antiocheno Patriarcha, qui ad eam ſedem evectus eſt poſt Tyrannum anno 313. pace eccleſiæ reddita; ita de Romanis Pontificibus qui Marcellino ſucceſſerunt: ita tandem de Alexandro Alexandrino, qui Achillæ ſubſtitutus eſt anno 312. aut 313. licet hi inter epiſcopos iſtius ætatis claruerint. Ex quo ſequi videtur Euſebium non ſibi propoſuiſſe accuratam texere hiſtoriam temporis quod perſecutionem eccleſiæ ſubſequutum eſt. Id obſervat Tillem. *tom. 6. hiſt. eccl. pag. 201.* Subjungit etiam *tom. ſeq. 7. p. 42.* ubi de Euſebio Cæſarienſi agit, ſubſcriptiones quidem epiſcoporum octodecim, quæ extant duntaxat in

A tranſlationibus latinis ſynodi Ancyranæ, non eſſe prorſus indubias: nihil tamen ſuppetere quo falſæ aut ſuppoſitæ demonſtrentur: nec ex ſilentio Euſebii de Agricolao, qui unus fuit ex illis Ancyranis epiſcopis & immediatus ipſius prædeceſſor, ſequi quod ejus notitiam non habuerit Euſebius, quia id fortaſſis ortum eſt quod nihil ſpeciale de eo occurrerit illi dicendum: præterea, quum Euſebius Agapium non aſſerat poſtremum fuiſſe epiſcoporum Cæſarienſium qui tempore perſecutionis vixerunt, ut de Stephano ait Ana-
B tolii in ſede Laodicena ſucceſſore, *ibid. pag. 288.* A. recte cenſebitur mortuus anno circiter 303. Agapius, & Agricolaus ſediſſe uſque ad annum 315. quo Euſebius eccleſiæ hujus curam obtinuit. Valeſius tamen in vita Euſebii initio hiſtoriæ illius eccleſiaſticæ præfixa, eum Agapio immediate ſucceſſiſſe contendit, expuncto Agricolao. *Inter hæc*, inquit, *mortuo Agapio Cæſarienſium epiſcopo, quum perſecutio jam ſedata & pax reddita eſſet eccleſiæ, Euſebius communi omnium conſenſu in ejus locum ſubſtituitur. Alii ſucceſſorem Agapii ponunt*
C *Agricolam, qui Ancyranæ ſynodo interfuit ac ſubſcripſit anno Chriſti 314. Ita Baronius in annal. ad annum Chriſti 314. & Blondellus in apologia pro ſententia S. Hieron.* cap. 19. *ubi Euſebium anno Chriſti circiter 315. adminiſtrationem Cæſarienſis eccleſiæ poſt mortem Agricolæ ſuſcepiſſe ſcribit. Verum ſubſcriptiones illæ epiſcoporum quæ in Latinis canonum collectionibus habentur, parum certæ mihi videntur ac firmæ. Nam neque in Græcis codicibus, nec in Latina verſione Dionyſii Exigui leguntur. Deinde Euſebius* lib. 7. hiſt. eccleſ. *recenſens præ-*
D *cipuarum ſedium epiſcopos, ſub quibus orta & graſſata eſt perſecutio, in Agapio Cæſarienſium epiſcopo deſinit, quem ait in ea perſecutione pro eccleſiæ ſuæ commodis plurimum laboraſſe. Hic ergo ad finem uſque perſecutionis permanſerit neceſſe eſt. Atqui Euſebius ſtatim poſt finem perſecutionis factus eſt epiſcopus, &c.* Huc uſque Valeſius. Videat prudens lector quid de iſto Agricolao ſentiendum duxerit, an retinendus, an expellendus.

XI. Eusebius.

E *Euſebius* ſuis ſcriptis celeberrimus, in Palæſtina ortus creditur: ſaltem ibi morabatur quum Conſtantinus adhuc adoleſcens una cum Diocletiano in Palæſtinam venit. Sic enim ipſemet ſcribit *lib. 1. de vita Conſtantini* c. 19. p. 417. D. *Quumque tranſacta pueritia jam adoleſcentiæ annos ingreſſus eſſet* (Conſtantinus,) *ſummo in honore apud ſupra dictos imperatores erat. Cujuſmodi nos quoque eum vidimus, quum per Palæſtinam provinciam tranſiret una cum ſeniore Auguſto.* Sub extremis

Digitized by Google

Gallieni imperatoris annis, anno circiter 264. A natus colligi poteſt ex eo quod ipſemet de Dionyſio Alexandrino loquens, qui anno XII. Gallieni obiit, Chriſti 264. aſſerat *lib. 3. hiſt. eccl. c. 28. p. 100.* B. *Quin etiam Dionyſius, qui noſtra ætate Alexandrinæ eccleſiæ epiſcopus fuit. Et lib. 7. cap. 26.* B. *Atque hæc ſunt Dionyſii* (Alexandrini) *ſcripta. Verum his jam expoſitis, nunc tandem quæ qualiſque fuerit ætas noſtra, poſterorum notitiæ tradamus.* Deinde *cap. ſeq.* agit de erroribus Pauli Samoſateni, qui in prima ſynodo Antiochena damnati ſunt anno Gallieni XII. ipſo teſte, *cap. 28.* B. C. B (Chriſti 264.) Antiochiæ per aliquod tempus verſatus eſt, ſiquidem *lib. 7. hiſt. eccl. cap. 32. pag. 284.* B. C. ait: *Sub hoc* (Cyrillo Antiocheno Patriarcha) *Dorotheum virum doctiſſimum Antiochenæ tunc eccleſiæ preſbyterum cognovimus:* & quibuſdam interjectis, *hunc nos ſacras ſcripturas in eccleſia non inſcitè exponentem audivimus.*

Dum eccleſiæ Cæſarienſi Agapius præerat, ſanctum Pamphilum martyrem novit, & cum eo ſingularem iniit amicitiam, cujus vitam & virtutes deſcripſit: atque etiam ex eo cogno- C men Pamphili ſibi ſumſit. *Hujus* (Agapii ſcilicet) *tempore,* inquit *ibid. pag. 288.* D. *Pamphilum virum diſertiſſimum, vitaque & operibus verè philoſophantem in eadem eccleſia vidimus preſbyteri honore decoratum.... Verum nos ſingula quæ ad illius vitam, & ad ſcholam ab eodem inſtitutam pertinent; varia quoque confeſſionum certamina perſecutionis tempore ab eo tolerata; ac poſtremo martyrium quo coronatus eſt, peculiari opere complexi ſumus.* Quorumdam martyrum agonem ſe conſpexiſſe Tyri & in Thebaïde teſtatur *lib. 8. cap. 7.* D *pag. 299.* A. *Et quoſdam quidem illorum in Palæſtina claruiſſe novimus, quoſdam vero apud Tyrum urbem Phœnices..... nos ipſi præſentes aderamus ubi & divinam potentiam Servatoris noſtri Jeſu-Chriſti, cui tunc martyres teſtimonium perhibebant, præſentem & ſemetipſam maniſeſtè martyribus exhibentem perſpeximus.* Et cap. 9. pag. 300. D. *Verum omnem dicendi copiam ſuperant cruciatus ac dolores quos apud Thebaïdem martyres pertulerunt.... Nos quoque, quum in illis partibus degeremus, quamplurimos acervatim uno die, alios quidem capite truncatos,* E *alios vero flammis traditos vidimus.*

Agapio vel Agricolao ſucceſſit in ſede Cæſarienſi anno circiter Chriſti 315. Notum non fuiſſe tunc temporis neceſſe eſt, quod aliqui tradunt ipſi objectum fuiſſe in ſynodo Tyria ab epiſcopis & confeſſoribus Ægyptiis, ſcilicet dum pro fide in carcere detineretur, ipſum idolis cultum aliquem detuliſſe ut ſeſe à periculo tormentorum & mortis liberaret. Quomodo enim Cæſarienſis eccleſiæ factus poſtea fuiſſet epiſcopus? Quomodo rurſus ab Antiochenis ad ſuſcipiendum patriarchatum evocatus? Epiphanius quidem narrat *hær. 68. num. 7. pag. 724.* A. in ſynodo Tyria Potamonem Heracleopolitanum epiſcopum, qui cum Athanaſio & aliquot Ægypti ſacerdotibus illuc advenerat, Euſebio Cæſarienſi ſic loquutum: *Te-ne, Euſebi, ſedere, & innocentem Athanaſium ſtare à te judicandum? Quis hæc pati poſſit? Nonne perſecutionis tempore mecum in cuſtodia fuiſti? Atque ego quidem oculum pro veritate perdidi; tu nulla corporis parte mutilatus es, neque martyrium ſubiiſti, ſed vivus integerque conſiſtis. Quanam ratione è carcere evaſiſti? Niſi quod perſecutoribus noſtris ſpopondiſti te rem nefariam admiſſurum, ac fortaſſe etiam admiſiſti.* At his verbis Potamo, ut palam eſt, Euſebium non inſimulavit quod idola veneratus eſſet, ſed tantum ei objecit quod, ſalvus & integer ex carcere dimiſſus, id de ſe ſuſpicandi præbuiſſet anſam; fieri tamen poteſt Euſebium alio modo ſeſe è vinculis expediiſſe.

Quum Arius Alexandrinus preſbyter hæreſim ſuam propalavit, circa annum 319. ejus patrocinium ſuſcepit Euſebius Cæſarienſis, cum quibuſdam aliis epiſcopis, ob id indubiè ab illo in epiſtola ad Euſebium Nicomedienſem quam refert Theodoretus *lib. 1. hiſt. eccl. cap. 5.* recenſitus inter patronos ſuos qui idem cum ipſo ſentirent. Sic porro iſtud explicat Valeſius, in vita Euſebii Cæſarienſis quam ejuſdem hiſtoriæ eccleſiaſticæ præfixit, poſt medium *p. 4.* « Quum (Arius) nova quædam & impia de Dei filio dogmata publicè in eccleſia prædicaret, & ab Alexandro epiſcopo frequenter admonitus, nihilominus in iiſdem aſſertionibus perſeveraret, tandem una cum erroris ſui ſociis damnatus, pulſuſque eccleſia fuerat. Quam damnationem moleſtè ferens, litteras cum exemplo fidei ſuæ ad omnes vicinarum urbium epiſcopos miſit: quibus querebatur immerito ſe depoſitum ab Alexandro, quum eadem ipſe quæ reliqui Orientis antiſtites prædicaret. His artibus decepti plures epiſcopi, & ab Euſebio Nicomedienſi maximè incitati, qui Arii partibus palam favebat, litteras pro Ario ſcripſerunt ad Alexandrum.... orantes ut Arium in priſtinum locum reſtitueret. Ex eorum numero fuit Euſebius noſter, cujus litteræ ad Alexandrum ſcriptæ extant in actis ſeptimæ ſynodi œcumenicæ.... Euſebii Cæſarienſis exemplum mox ſequuti Theodotus ac Paulinus, alter Laodiceæ, alter Tyriorum epiſcopus, pro reſtitutione Arii apud Alexandrum interceſſere. Quorum epiſtolas, utpote dogmatibus ſuis patrocinantes, quum ubique oſtentaret Arius, & tantorum virorum auctoritate multos in ſocietatem erroris ſui

ECCLESIA CÆSAREÆ Metropolis.

»pertraheret, Alexander & ipſe coactus eſt ad reliquos Orientis epiſcopos litteras mittere, quibus palam fieret Arium una cum ſociis jure damnatum ac depoſitum fuiſſe. Extant hodie Alexandri epiſtolæ duæ; altera ad Alexandrum Conſtantinopolitanum epiſcopum, in qua queritur Alexander de tribus epiſcopis Syriæ, qui Ario conſentientes contentionem, quam ſedare potius debuiſſent, magis quam antea inflammaverant. Hi ſunt Euſebius, Theodotus, ac Paulinus, ſicut ex Arii epiſtola ad Euſebium Nicomedienſem ſcripta licet colligere.» Alteram Alexandri epiſtolam ad omnes ubique terrarum epiſcopos datam refert Socrates *in lib. 1.* His Alexandri litteris penè omnes Orientis ſubſcripſerunt epiſcopi: inter quos principem locum obtinebant Philogonius Antiochiæ, Euſtathius Berrhœæ, & Macarius Hieroſolymorum antiſtites. Epiſcopi vero illi qui ab Arii partibus ſtare videbantur, quum Alexandri litteris ſe perſtrictos viderent, acrius multo ac vehementius in defenſionem Arii incubuere: præcipuè autem Nicomedienſis Euſebius. Noſter enim Cæſarienſis Euſebius, una cum Patrophilo ac Paulino, aliiſque Syriæ epiſcopis, id tantum decrevit, ut Ario preſbytero conventus in eccleſia ſua agere liceret; ſubjectus tamen idem eſſet Alexandro epiſcopo, ab eoque flagitaret ut ad pacem & communionem admitteretur.

» Ad hunc modum diſſidentibus epiſcopis; & his Alexandri Alexandrini epiſcopi qui Arium damnaverat, illis Arii partes foventibus, contentio ſupra modum exaſperata eſt.» Cui malo volens mederi Conſtantinus Imperator primam ſynodum generalem Nicææ in Bithynia celebrandam curavit. Ejus definitioni ſubſcripſit Euſebius *tom. 2. conc. Labb. pag. 51.* B. quintus legitur ſubſcriptus ex provincia Palæſtinæ. At minimè ideo Arium ejuſque hæreſis ſectatores dereliquit. *Et quod mirandum eſt,* inquit de illo Athanaſius in epiſtola de decretis ſynodi Nicænæ, apud Valeſium citatum, in veterum teſtimoniis contra Euſebium *pag. 2.* in fine, *Euſebius epiſcopus Cæſareæ Palæſtinæ, quamvis pridie recuſaſſet poſtridie tamen ſubſcripſit, & ad eccleſiam ſuam litteras dedit, aſſerens hanc eſſe eccleſiæ fidem & Patrum traditionem. Omnibuſque manifeſto declaravit illos prius erraſſe & fruſtra de veritate contendiſſe. Etſi enim iis tunc verbis uti præ pudore noluit, & prout ipſe voluit ſatisfecit eccleſiæ; in epiſtola tamen in qua Dei Filium conſubſtantialem & ex ſubſtantia Patris exiſtere non inficiatur, aperte id quod dixi ſignificat. Ac proinde infelix in eo fuit, ut enim ſe ipſum purgaret, accuſavit deinceps Arianos, quod, quum dicerent Filium Dei non exſtitiſſe antequam gigneretur, hoc pacto negarent eum exſtitiſſe ante Incarnationem.*

Hanc Euſebii epiſtolam refert Theodoretus *lib. 1. hiſt. eccl. cap. 12. pag. 36. & ſeqq.* in qua, recenſito ſymbolo Nicæno cui ſubſcripſerat, ſic loquitur *pag. 38.* D. *Quum hæc ab illis dictata eſſet fidei formula; id quod ab illis dictum erat,* ex ſubſtantia Patris, *&* conſubſtantialis, *non prætermiſimus abſque examine. Hinc igitur variæ quæſtiones ortæ ſunt, & reſponſiones: & quænam eſſet eorum verborum ſententia accurate expendebatur. Et has quidem voces,* ex ſubſtantia, *faſſi ſunt hoc ſignificare; Filium quidem eſſe ex Patre, ſed non tanquam partem ipſius Patris. Hunc ſenſum ut nos quoque amplecteremur æquum omnino videbatur, quum pia doctrina prædicet Filium ex Patre eſſe, non tamen partem eſſe illius ſubſtantiæ. Quamobrem & nos huic notioni aſſenſum præbemus. Ac ne ipſam quidem vocem* conſubſtantialis *rejicimus, pacis intuitu, & ne à recta intelligentia excidamus. Pari ratione has etiam voces approbavimus,* genitum non factum. *Nam factum Verbum eſſe dicebant commune reliquis omnibus creaturis quæ per Filium factæ ſunt, quibus nihil ſimile habeat Filius: ac proinde eum non eſſe facturam, his quæ per ipſum facta ſunt ſimilem, ſed longe præſtantioris quam reliquas creaturas eſſe ſubſtantiæ. Quam quidem ex Patre eſſe divina docent oracula, arcano quodam generationis modo, qui nec verbis exprimi, nec intelligentia comprehendi ab ulla poſſit creatura. Sic etiam illud,* conſubſtantialem eſſe Filium Patri, *quum allatis rationibus diſcuſſum eſſet, convenit non juxta corporum modum, neque inſtar mortalium animantium accipi debere. Nam neque per diviſionem ſubſtantiæ, neque per abſciſſionem, nec per mutationem paternæ eſſentiæ atque virtutis, id poſſe conſiſtere: ingenitam enim Patris naturam ab his omnibus alienam eſſe. Verum hoc,* conſubſtantialem eſſe Patri, *nihil aliud ſignificare, quam Filium Dei nullam cum creaturis ab ipſo factis ſimilitudinem habere; ſed ſolius Patris à quo genitus eſt, per omnia ſimilem eſſe: nec ex alia quadam hypoſtaſi aut ſubſtantia, ſed ex Patre eſſe. Quod quidem quum ita expoſitum fuiſſet, jure merito approbandum eſſe cenſuimus: quandoquidem nonnullos ex veteribus inſignes epiſcopos & diſertos ſcriptores in explicanda Patris ac Filii divinitate, hoc vocabulo* conſubſtantialis *uſos eſſe cognovimus.*

Atque hæc dicta ſint de fide quæ Nicææ promulgata eſt: cui quidem conſenſimus omnes, non leviter & inconſulto, ſed juxta ſenſus allatos, qui coram ipſo religioſiſſimo Imperatore diſcuſſi, & ob rationes ſuperius expoſitas ab omnibus comprobati ſunt. Sed & anathematiſmum, qui poſt fidei formulam ab illis eſt promulgatus haud quaquam moleſtè ſuſcepimus, eo quod

Digitized by Google

peregrinis & à ſacra ſcripturâ alienis vocibus uti prohibeat, ex quibus omnis fere diſſenſio ac perturbatio eccleſiarum exorta eſt. Quum igitur nulla divinitus inſpirata ſcriptura iſtis unquam uſa ſit vocibus, de non extantibus, *&,* fuit aliquando tempus quum non eſſet, *& aliis quæ ibidem ſubjiciuntur; viſum eſt nullatenus rationi conſentaneum eſſe, ut hæc vel dicerentur, vel docerentur. Proinde etiam huic recto ac ſalubri decreto conſenſimus, quippe qui nunquam antea hujuſmodi vocibus uti conſueviſſemus. Quin & iſtud,* priuſquam gigneretur non erat, *anathemate damnare haud incongruum duximus, eo* B *quod apud omnes in confeſſo ſit, illum eſſe Filium Dei, etiam ante corporalem nativitatem. Jam vero Imperator noſter Deo chariſſimus ratiocinando adſtruebat, etiam ſecundum divinam ipſius generationem illum eſſe ante omnia ſæcula. Nam priuſquam actu gigneretur, potentia erat in Patre, ingenita quadam ratione: quum pater ſemper ſit pater, rex item ſemper atque ſervator; & omnia ſit potentia, ſemperque eodem modo ac ſimiliter ſe habeat. Hæc vobis neceſſario ſcribenda eſſe duximus, dilectiſſimi, ut vobis liquido demonſtremus, quanto cum judicio, tum dubita-* C *tio, tum aſſenſio noſtra librata ſit: & quod recte atque ordine, primum quidem ad extremam uſque horam reſtitimus, quandiu nonnulla, aliter quam oportuit, ſcripta nos offendebant: tandem vero ea quæ nihil offenſionis habebant, ſine contentione amplexi ſumus, poſtquam nobis verborum ſententiam candide examinantibus apparuit, ea prorſus cum illis convenire, quæ nos ipſi in fide primum à nobis expoſita confeſſi fueramus.*

Superius exhibuerat Euſebius in eadem epiſtola *pag. 37.* A. ſymbolum à ſe oblatum D ſynodo, cui & illud quod ſynodus condidit, & ab epiſcopis, ac à ſe, ſubſcriptione firmatum eſt, recte intellectum, omnino conſonare affirmat: *Neceſſarium putavimus,* inquit, *ad vos mittere, primum quidem eam fidei formulam quæ à nobis propoſita eſt: deinde alteram quam epiſcopi, quibuſdam appendicibus ad noſtram adjectis, promulgarunt. Noſtra igitur formula, quæ in conſpectu Imperatoris Deo chariſſimi lecta, recte ac probe ſe habere omnibus viſa eſt, ſic habet: Fides à nobis expoſita. Sicut ab anteceſſoribus noſtris epiſcopis accepimus, tunc quum* E *primis fidei rudimentis inſtructi, & cum ſalutari lavacro tincti ſumus; ſicut ex ſcripturis divinis didicimus, & quemadmodum ipſi tum in preſbyterio, tum in epiſcopali gradu conſtituti, & credidimus, & docuimus, ita nunc etiam credentes, fidem noſtram vobis exponimus. Eſt autem hujuſmodi. Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, viſibilium omnium & inviſibilium creatorem; & in unum Dominum Jeſum-Chriſtum, Dei verbum, Deum de Deo,* A *lumen de lumine, vitam ex vita, Filium unigenitum, primogenitum omnis creaturæ; ante omnia ſæcula ex Deo Patre genitum; per quem omnia facta ſunt: qui propter noſtram ſalutem incarnatus eſt, &c. Horum unumquemque eſſe ac ſubſiſtere credentes; Patrem vere Patrem; Filium vere Filium, & Spiritum ſanctum vere Spiritum ſanctum, &c. Quum hæc à nobis fides eſſet expoſita, nullus erat contradicendi locus. Sed & Imperator noſter Deo chariſſimus eam rectiſſimè conceptam eſſe primus omnium teſtatus eſt, atque ita ſentire ſe affirmavit, cunctoſque hortatus eſt ut ei aſſentirentur atque ſubſcriberent, utque in hanc doctrinam omnes conſpirarent, una duntaxat voce,* conſubſtantialis, *adjecta. Quam quidem vocem ipſe quoque interpretatus eſt, aſſerens, non juxta corporis affectiones, conſubſtantialem dici, neque per diviſionem aut ſectionem quandam Filium ex Patre ſubſiſtere. Fieri enim non poſſe, ut materiæ expers, & intellectualis atque incorporea natura, corpoream ullam affectionem admittat: ſed divinis arcaniſque rationibus id eſſe intelligendum. Ac ſapientiſſimus quidem & religioſiſſimus Imperator ita tum philoſophatus eſt: epiſcopi vero, occaſione vocis illius,* conſubſtantialis, *hujuſmodi formulam conſcripſerunt. Fides in concilio edita. Credimus in unum Deum, &c.* Hæc itaque geſſit in ſynodo Nicæna, ipſo teſte, Euſebius Cæſarienſis: qui etiam eo circiter tempore, orationem habuit de laudibus Conſtantini Imperatoris, ut ſcribit *lib. 1.* de ejus vita *cap. 1. pag. 45.* A. *Nos quoque ipſi nuper eundem victorem ac triumphatorem, cætu famulorum Dei circumſeptum, laudatione in ejus vicennalibus dicta venerati ſumus.*

Anno 331. interfuit ſynodo Antiochenæ ubi ſanctus Euſtathius hujus ſedis Patriarcha depoſitus eſt ab epiſcopis Arianis, ceu qui Sabellii impietatem adſtrueret, ſed reipſa quod ſtrenuus eſſet fidei Nicænæ aſſertor, quodque *Euſebium Pamphili,* inquit Sozom. *lib. 2. hiſt. eccl. cap. 19. pag. 469.* B. *Paulinum Tyri, ac Patrophilum Scythopoleos.... tanquam Arianos averſaretur, palamque eos accuſaret.* Et paulopoſt ſubdit idem Sozomen. *Porro hi qui Euſtathium depoſuerant, eaque de cauſa Antiochiæ erant congregati, quum apud ſe reputaſſent, ſi ex opinionis ſuæ ſectatoribus aliquem Imperatori probe cognitum, & eloquentiæ ac doctrinæ laude florentem Antiochenæ ſedi præficerent, reliquos deinceps facile ſibi aſſenſuros eſſe, commodum fore exiſtimarunt Antiochenſis eccleſiæ adminiſtrationem Euſebio Pamphili tradere. Scribunt itaque ad Imperatorem ea de re, plebi quoque id gratiſſimum eſſe ſignificantes. Hoc enim poſtulaverant, quotquot, tum ex clero, tum ex plebe, infenſi erant Euſtathio. Verum Euſebius quidem, ſcriptis ad Imperatorem*

Digitized by Google

ECCLESIA CÆSAREÆ Metropolis.

litteris, ſedem illam recuſavit: Imperator vero detrectationem ejus laudans.... ſcripſit ad Euſebium, & conſilium ejus probans, felicem illum vocavit, qui non unius civitatis, ſed totius orbis epiſcopatu dignus haberetur. Euſebius ipſe *lib. 3.* vitæ Conſtantini *capp. 60. 61. & 62. p. 516. & ſeqq.* litteras tres hujus Imperat. ea de re ſcriptas tradit: primam quidem ad populum Antiochenum, tertiam ad ſynodum in ea civitate congregatam, quibus mandabat ne Euſebium Cæſarea abſtraherent, ipſo nolente, ſed alium Euſtathio ſubrogarent; ſecundam vero ad ipſummet Euſebium.

Anno 334. ſynodo Cæſareæ habitæ adverſus Athanaſium præſens fuit, ut narrat Theodoretus *lib. 1. hiſt. eccl. c. 28. Perſuadent igitur* (ſcilicet Euſebiani) *Principi, ut Cæſareæ in Palæſtina ſynodum cogat, ubi plures erant infenſi Athanaſio, ibique cauſam illius jubeat judicari. Imperator vero fidem illis habens ut ſacerdotibus: fraudulenta enim eorum conſilia penitus ignorabat, id fieri præcepit. Verum divinus Athanaſius, quum perſpectam haberet judicum malevolentiam, ad concilium non venit. Hinc validiorem anſam calumniandi arripientes ii qui veritati bellum indixerant, præter alia crimina, tyrannidis etiam & contumaciæ coram Imperatore eum inſimulant. Neque vero ſpe ſua prorſus fruſtrati ſunt. Etenim Imperator, alioqui clementiſſimus, eorum verbis exaſperatus, ſcripſit ad Athanaſium, iram ſuam ſatis ei prodens, & ut Tyrum pergeret, mandavit. Hic enim ſynodum congregari juſſit, conjectans, ut opinor, ſuſpectam eſſe Athanaſio Cæſaream ob illius urbis antiſtitem.* Anno itaque ſequenti 335. congregata eſt Tyri ſynodus, in qua depoſitioni Athanaſii, cum cæteris ejuſdem adverſariis, ſubſcripſit Euſebius Cæſarienſis: quum deinde epiſcopi qui illuc convenerant juſſu Imperatoris Hieroſolymam ſe contuliſſent, ad celebranda encænia magnæ baſilicæ quam ipſe in honorem Chriſti ibidem extruendam magnificentiſſime curaverat, idem Euſebius hanc ſolemnitatem variis concionibus ornavit. Qua abſoluta, ipſe & quinque alii epiſcopi Conſtantinopolim profecti ſunt de geſtis in ſynodo Tyria adverſus Athanaſium rationem Imperatori reddituri, quem ſic in eum commoverunt, ut illum Treviros relegaverit. Tunc vero Euſebius Cæſarienſis orationem coram eodem Imperatore pro ejus tricennalibus pronuntiavit. Obiit circa annum 338. certe ante necem Conſtantini fratris Conſtantii, quæ contigit an. 340. Socrates enim *lib. 2. hiſt. eccl. capp. 4. & 5.* ait: *Inter hæc mortuo Euſebio Cæſareæ Palæſtinæ urbis epiſcopo, cui cognomentum Pamphili, Acacius ejus diſcipulus epiſcopatum ſuſcepit, &c. Nec multo poſt Conſtantii Imperatoris frater patri cognominis, Junior Conſtantinus dum*

A *in partes Conſtantis fratris ſui natu minoris conatur invadere, conſerto cum militibus ejus prælio, interficitur, Conſulatu Acindyni & Proculi.*

Euſebius vir incredibilis eruditionis fuit, inquit Natal. Alexand. *to. 4. in-fol. hiſt. eccl. ſæc. IV. cap. 6. art. 5. p. 104. & ſeq.* ut ejus opera teſtantur, quæ ipſe Nat. Alexander, & adhuc accuratius Tillem. *lib. 7. hiſt. eccl. p. 48. & ſeqq.* enumerant. Sunt autem.... 1.° *Chronicon* à nativitate Abrahami uſque ad annum tertium Olympiadis 276. Æræ Chriſtianæ

B 326. Illud ipſe commemorat *lib. 1. hiſt. eccl. cap. 1.* S. Hieronymus vero Latine reddidit, multiſque auctum ad Romanam hiſtoriam ſpectantibus, ad annum uſque tertium Olympiadis 289. Chr. 379. perduxit . . . . . 2.° Liber *adverſus Hieroclem* Nicomedienſem, qui Apollonium Tyaneum multo plura & majora feciſſe, quam Chriſtum, impie aſſerebat.... 3.° *Apologia quam pro Origene* confecit ſex libris, partim una cum S. Pamphilo martyre, ut ipſe Euſebius teſtatur, & partim ſolus poſt ejus mortem: primus ex illis adhuc

C ſupereſt Latine tranſlatus à Rufino.... 4.° Tres libri *de vita ejuſdem Pamphili martyris,* qui ad nos non pervenerunt.... 5.° *De Evangelica Præparatione*, ad Theodotum epiſcopum libri quindecim, in quibus tum chronici meminit, tum etiam nonnullorum librorum quos non habemus.... 6.° *De Evangelica demonſtratione* libri viginti, è quibus quindecim tantum ſuperſunt. Tillem. *pag. 53.* ait non ſupereſſe ex eo opere niſi decem libros; initium autem primi & finem decimi deeſſe.... 7.° Libri *adverſus Porphyrium,* de quibus hæc

D obſervat Valeſius in vita Euſebii *p. 8. linea 4.* « Quod ſubjicit Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis *edit. ultimæ pag. 250....* tres « poſtremos Evangelicæ demonſtrationis libros, « 18. ſcilicet, 19. & 20. ab Euſebio ſcriptos eſſe « contra Porphyrium, in eo manifeſte hallucinatur: « ſcribit quidem Hieronymus, Euſebium « tribus voluminibus, hoc eſt, 18. 19. & « 20. reſpondiſſe Porphyrio, qui in libro 12. « ac 13. eorum quos contra Chriſtianos edidit, « librum Daniëlis Prophetæ convellere tentaverat: « ſed Hieronymus non libros Euſebii *de* «

E *demonſtratione Evangelica* intelligit, ut putavit « Scaliger, ſed libros ab eo contra Porphyrium « elaboratos; qui ἐλέγχου καὶ ἀπολογίας (id eſt « *Confutatio & Apologia*) inſcribebantur, uti « colligere eſt ex Biblioth. Photii (cod. 13.) » .... 8.° *Eccleſiaſtica hiſtoria*, quam licet decem libris à Chriſto Domino uſque ad xx. imperii Conſtantini annum, id eſt 325. deducat, propriè tamen finit cum libro nono ad finem perſecutionis eccleſiæ poſt obitum Maximini anno 313. ut advertit Tillem. ſupra cit. *p. 55.*

Digitized by Google

Unde liber decimus, appendix potius eſt circa pacem redditam eccleſiæ à Conſtantino, quam vera hiſtoria: in eo enim libro decimo præcipuorum epiſcoporum ſeriem non proſequitur, nihil amplius de conciliis exinde coactis habet, nihil de ipſa ſynodo Nicæna. De hoc Euſebii opere ſic paucis judicium tulit Photius, in Biblioth. cod. 196. *Euſebius cujus gravis eſt in hiſtoria, non item in dogmatibus, fides.* Inter omnes hujus auctoris libros maximè celebratur: « Multi quippe, inquit Valeſius, poſt medium *pag. 8.* ante Euſebium, » pro Chriſtianæ fidei defenſione libros conſcripſerant.... ſed qui rerum eccleſiaſticarum » hiſtoriam poſteris traderet, nemo ante Euſebium extiterat.... Certe quum multi poſt eum » reperti ſint, qui illius exemplo incitati res » eccleſiaſticas ſcriptis prodere aggrederentur: » omnes tamen ab iis temporibus hiſtoriam » ſuam exorſi ſunt, in quibus Euſebius noſter » opus ſuum terminaverat; ſuperiorum vero » temporum hiſtoriam.... integram ei atque » intactam reliquerunt. Quamobrem ſi quis » illum *Eccleſiaſticæ hiſtoriæ patrem & conditorem* appellare voluerit, is profecto non ab» ſurde nec immerito id cognomen illi impoſiturus videtur. » Idem Valeſius, hujus edit. *pag. 319.* tractatum Euſebii *de Martyribus Palæſtinæ, lib. 8. hiſt. eccl.* ſubjunctum, & poſt *cap. 17.* poſitum, ſejunxit ab eo libro, uti ſpecialem librum quem Euſebius ipſe promiſerat *lib. 8. c. 13. p. 308.* D. his verbis: *Nos vero ea quibus ipſi interfuimus, alio in opere poſterorum notitiæ commendabimus.* Novis itaque capitibus tractatum illum, poſt *cap. 17.* inſignivit, præmiſſis, tum poſt illud *cap. 17. pag. 316.* D. his verbis: *Finis libri octavi hiſtoriæ eccleſiaſticæ,* tum ſubjunctis *pag. 317.* A. *& ſeq.* B. duabus appendicibus Græcè & Latinè, quarum tituli ſunt, prioris quidem: *In quibuſdam exemplaribus hoc quaſi ſupplementum libri octavi reperitur:* poſterioris vero; *Hoc quoque in quodam exemplari reperimus in libro octavo.* Subdit autem Valeſius *in annotat. pag. 171. col. 2.* C. » Antequam manuſcriptos codices inſpexiſſem, » exiſtimabam hæc verba (modo allata) addita » eſſe à Roberto Stephano, qui hæc duo ſupplementa octavi libri in quibuſdam codicibus » repeiriſſet. Sed quum in omnibus mſſ. exem» plaribus eadem verba deprehenderim, facile » adducor ut credam, omnes illos codices ex » uno eodemque exemplari deſcriptos fuiſſe ».... 9.° Præfatus Valeſius obſervat in iiſdem *annotationibus pag. 102. col. 2.* C. opus intercidiſſe inſcriptum *Paſſiones Martyrum,* quæ Græcè *μαρτύρια* dicuntur, ab Euſebio collectas, partim ex actis judicialibus, partim ex epiſtolis fidelium, cujus operis mentionem ipſe facit *lib. 4. hiſt. eccl. cap. 15.* poſt Martyrium ſancti

A Polycarpi, *p. 135.* D. aiens, *quam* (epiſtolam) *nos in opere de priſcis Martyribus, quorum paſſiones collegimus, ordine ſuo inſeruimus.* Item in Proœmio *lib. 5. p. 153.* A. *Et acta quidem ipſa, quibus pleniſſima harum rerum narratio continetur, in opere de Martyribus integra à nobis inſerta ſunt.* Et *cap. 21.* ejuſdem *lib. 5.* ad calcem martyrii quod Apollonius Romæ perpeſſus eſt, *pag. 189.* D. *Porro cuncta ab illo in judicio dicta, & quæcunque Perenni interroganti reſpondit, & orationem illam quam pro fidei noſtræ defenſione in ſenatu habuit,*
B *quiſquis noſſe voluerit, ex antiquorum martyrum paſſionibus à nobis collectis poterit percipere,* ἐκ τῆς τῶν ἀρχαίων Μαρτυρίων συναχθείσης ἡμῖν ἀναγραφῆς εἴσεται. Hoc opus inſcriptum erat ἀρχαίων Μαρτυρίων συναγωγή. *Priſcorum Martyriorum collectio: quod* (opus) *poſtea,* ſubdit Valeſius *ibid. Symeon Metaphraſtes in collectionem ſuam transfudit.* Porro, quum nunc non ſuppetat illud Euſebii opus *de Martyribus* per totum orbem, qui ad notitiam ejus venerant, & ad quod ipſe ſæpius remittit, quo etiam uſus eſt Symeon Metaphraſtes in ſua
C compilatione, (ea tamen pro more ſuo interpolando acta) minime ſequi videtur, vel non extitiſſe, vel notos Euſebio non fuiſſe illuſtriores quoſdam martyres, ex eo quod illorum ipſe non meminerit ſive in hiſt. eccl. ſive in tractatu de Martyribus Palæſtinis, ſive in chronico, aut alibi. Hoc ergo ſit Euſebii opus nonum.... 10.° Quinque libri *adverſus Marcellum Ancyranum,* quem Sabellianum contendebat Euſebius, jure ne an immerito non eſt hujus loci explorare, nec vacat. Horum vero tres ultimi libri *de Theologia*
D *Eccleſiaſtica* inſcribuntur.... 11.° *Vita Conſtantini Imperatoris* quatuor libris, qui ſunt poſt ejus hiſtoriam eccleſiaſticam, in eodem volumine edit. Valeſ.

Plura alia protulit Euſebius volumina. Certe Hieronymus in catalogo ſcriptorum illuſtr. *cap. 81.* hæc de ejus operibus prodit: *Euſebius Cæſareæ Palæſtinæ epiſcopus, in ſcripturis divinis ſtudioſiſſimus, & bibliothecæ divinæ cum Pamphilo martyre diligentiſſimus perveſtigator, edidit infinita volumina. De quibus hæc ſunt:* Εὐαγγελικῆς ἀποδείξεως (Evangelicæ de-
E monſtrationis) *libri viginti.* Εὐαγγελικῆς προπαρασκευῆς (Evangelicæ præparationis) *libri quindecim.* Θεοφανείας (Dei apparitionis) *libri quinque. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libri decem. Chronicorum canonum omnimoda hiſtoria, & eorum* ἐπιτομή, *& de evangeliorum diaphonia, in Eſaïam libri decem, & contra Porphyrium.... libri triginta, de quibus ad me viginti tantum pervenerunt.* τοπικῶν *liber unus.* ἀπολογίας *pro Origene libri ſex. De vita Pamphili libri tres. De martyribus alia opuſcula. Et in 150. Pſalmos*

Digitized by Google

eruditiſſimi commentarii: & multa alia. In A procemio libri de locis Hebraïcis, meminit etiam ejus *Topographiæ terræ Judææ.* Legendus Tillemont. ſupra citatus, ab articulo V. vitæ Euſebii, uſque ad articulum XI.

Quod ad fidem ejus attinet; illam profecto non mediocriter labefactant, tum indivulſa ipſius unio cum peſtiferis Arianorum ſigniferis; tum ſuſceptæ cum illis adverſus Euſtathium, Athanaſium, cæteroſque fidei Nicænæ athletas, machinationes, ut eos quibuſcumque artibus, fraudibus, & calumniis, deponendos curarent, inque illorum locum B epiſcopos ſubſtituerent Arianos: tum denique ſexcentæ, ut ſic loquar, quibus ejus opera, ipſa etiam quæ concilio Nicæno poſteriora ſunt, ſcatent expreſſiones Ariano errori faventes, quas profecto accuratiſſime vitare debuiſſet, utpote qui jam de Ariana hæreſi valde ſuſpectus erat, ſi ea revera hæreſi non laboraſſet. Multas hujuſmodi refert Natal. Alexand. *tom. 4. in-fol. hiſt. eccl. diſſert. 17. pag. 240. & ſeqq.* Sed de Euſebio ſatis.

XII. Acacius.

C Euſebio anno circiter 338. mortuo ſucceſſit *Acacius* ejus diſcipulus, *qui quidem,* inquit Socrates *lib. 2. hiſt. eccl. cap. 4. & alios complures edidit libros: & de vita præceptoris ſui Euſebii ſpecialiter ſcripſit.* Idem quoque aſſerit Sozom. *lib. 3. cap. 2. p. 499.* C. *Quum Euſebius Pamphili migraſſet è vita, epiſcopatum Cæſareæ in Palæſtina ſuſcepit Acacius: Qui, utpote ſtudioſus imitator Euſebii, & in ſacris litteris ab eodem inſtitutus, & copioſus in ſententiis, & in dicendo elegans fuit; adeo ut plurimos libros haud quaquam contemnendos reliquerit.* D Multa de eo Cæſarienſi epiſcopo ſupra dicta ſunt, *col. 157. & ſeqq.* ſub Cyrillo Hieroſolymitano, quæ hic repetere neceſſe non eſt. Anno 341. Antiochenæ ſynodo habitæ in encæniis eccleſiæ illic à Conſtantino ædificari cœptæ, & à Conſtantio filio abſolutæ interfuit, præſente ipſo Imperatore, Conſulatu Marcellini & Probini. *Ibi,* inquit Socrat. *lib. 2. hiſt. eccl. cap. 8. pag. 85.* A. *Euſebiani ante omnia Athanaſium calumniari ſtuduerunt; primum quidem quod contra regulam, quam ipſi tum primum conſtituerunt, epiſcopatus ſui locum* E *abſque decreto communis epiſcoporum concilii recuperaſſet. Quippe ab exilio reverſus, ſuopte nutu atque arbitrio eccleſiam occupaverat, &c.*

Anno 347. Sardicam ad concilium quod cogebatur acceſſit, ſtatimque ſeceſſit cum cæteris Euſebianis Philippopolim, eorumque conciliabulo interfuit & ſubſcripſit, *tom. 2. concil. Labb. col. 701.* A. Interim vero cum præcipuis Euſebianorum præſulibus à ſynodo Sardicenſi depoſitus eſt, qua ſententia contemta, munia epiſcopalia nihilominus gerere perrexit, & Arianæ hæreſi totis viribus ut antea patrocinatus eſt. Anno 355. ſynodo Mediolan. adverſus Athanaſium interfuit & ſubſcripſit. Tabellam recitat Baron. ad ann. 355. *num. 22.* Novam edidit fidei formulam, quam in ſynodo Seleucienſi legendam obtulit anno 359. apud Socrat. *ibid. cap. 40. pp. 148. & 149.* Sed quum hæc filium Patri ſimilem enuntiaret, *quærebant inter ſe* (epiſcopi) ſubdit idem Socrates *pag. 151.* B. C. *qua in re Filius eſſet ſimilis Patri. Et Acaciani quidem ſola voluntate ſimilem eſſe dicebant, non autem ſubſtantia: reliqui omnes etiam ſubſtantia ſimilem Patri eſſe Filium aſſerebant. De hac quæſtione inter ſe altercantes, totum diem contrivere; & Acacium confutabant quod in libris quos à ſe ſcriptos ediderat, Filium Patri per omnia ſimilem eſſe dixiſſet. Quomodo, aiebant, negare nunc audes Filii cum Patre ſimilitudinem ſecundum ſubſtantiam! Tum Acacius; neque ex recentioribus, inquit, neque ex vetuſtioribus quiſquam, ex libris ſuis judicatus eſt, &c.* Libellus ille Acacii ſubſcriptus erat à 43. epiſcopis, quorum 39. nomina profert Harduin. *to. 1. conc. col. 725.* ſecundus eſt Acacius in hunc modum *Acacius epiſcopus Cæſareæ ſic fidem expoſui, & profiteor ita me ſentire, ut ſcripſi.* Iiſdem verbis ſubſcripſit primo loco Georgius Alexandrinæ ſedis invaſor. Cæteri nomen ſuum duntaxat & eccleſiæ ſuæ ſcripſerunt.

Præfatus Socrates *pag. ſeq. 152.* B. ait Acacium in ea ſynodo fuiſſe depoſitum, quod accerſitus ſe præſentem ſiſtere recuſaſſet, ut rationem redderet cur Cyrillum Hieroſolymitanum dejeciſſet epiſcopatu. Ipſe poſtea Meletium Sebaſtæ in Armenia antiſtitem ad Antiochenam ſedem transferendum ſategit anno 361. ut ſignificaret, teſte Epiph. hær. 78. ſe à perverſa Arianorum ſententia abhorrere. Quin & conſubſtantialitatis dogmati ſubſcripſit anno 363. in ſynodo Antiochena cui Meletius præerat, ſub Joviano Imperatore. Libellum hac in re editum, Imperatori oblatum, & 27. epiſcoporum ſubſcriptione firmatum, inter quos, ſicut Meletii ita & *Acacii Cæſarienſis* nomen legitur, recitat idem Socrates *lib. 3. hiſt. eccl. pag. 203.* D. *& pag. ſeq. 204.* Quin Philoſtorgius Arianus, *lib. 5. hiſt. eccl.* ad calcem *hiſt. eccl.* Theodoreti & Evagrii, *pag. 498.* D. ait: *Porro Acacius, quum Baſilium quidem* (Ancyranum) *ob privatas inimicitias, Aetium vero ob dogmatum diſcrepantiam depoſuiſſet, & in exilium truſiſſet; Cæſaream rediens* (anno 360.) *in eccleſiis quæ paſtore ſuo viduatæ erant, eos epiſcopos conſtituit, qui conſubſtantialis fidem profiterentur, &c. Et Meletius ex urbe Armeniæ Sebaſtia accitus, in Antiochena ſede ab eodem Acacio collocatus*

eſt

eſt vice Eudoxii. In Semi-arianorum ſynodo Lampſaci in Helleſponto congregata circa annum 365. Acacium damnatum fuiſſe refert Socrates *lib. 4. hiſt. eccl. cap. 4. pag. 213.* B. *Lampſacum convenere,* inquit, ... *anno ſeptimo poſt illam ſynodum quæ Seleuciæ fuerat congregata. Ibi Antiocheni concilii fide denuo confirmata, cui etiam Seleuciæ ſubſcripſerant, illam quæ Arimini edita fuerat ab epiſcopis quibuſcum ipſi prius conſenſerant, anathemate damnarunt. Et contra eos qui cum Acacio & Eudoxio erant, tanquam jure depoſitos, iterum tulere ſententiam.* Obiit Acacius anno circiter 365. aut 366. Ejus autem operum fragmenta tantum ſuperſunt.

XIII. Philumenus.

XIV. Cyrillus *ſenex.*

XV. Euzoius.

Horum trium epiſcoporum, *Philumeni, Cyrilli,* & *Euzoïi,* qui Acacio Cæſareæ in Palæſtina præſuli ſucceſſerunt, meminit Epiphan. *hær. 73. num. 37. pag. 885.* C. ubi ait: *Ex hoc enim grege Cæſarienſis Euzoïus prodiit illorum diſcipulus, qui poſt Acacium ei ſedi præfuit, quum ante Philumenus à Cyrillo Hieroſolymitano in illa conſtitutus fuiſſet: ac deinde Cyrillus ſenior ibidem ab Eutychio collocatus: ac demum Gelaſius à Cyrillo Hieroſolymitano cujus ſororis erat filius, rurſus eſſet impoſitus.* (De *Gelaſio* infra agemus, quia poſt Euzoïum reſtitutus, pluribus annis eccleſiam Cæſarienſem pacifice gubernavit.) *Quum enim hi tres illic ordinati forent, & ob mutuas ſimultates dignitate ceſſiſſent, poſtmodum Euzoïus ſedem illam obtinuit.* De eo Euzoïo Hieronymus in catalogo ſcriptor. eccleſ. *cap. 113.* ſic loquitur: *Euzoïus apud Theſpeſium rhetorem, cum Gregorio Nazianzeno epiſcopo, adoleſcens Cæſareæ eruditus eſt, & ejuſdem poſtea urbis epiſcopus, plurimo labore, corruptam bibliothecam Origenis & Pamphili, in membranis inſtaurare conatus eſt: ad extremum ſub Theodoſio principe eccleſia pulſus eſt. Feruntur ejus varii & multiplices tractatus, quos noſſe perfacile eſt.* Anno itaque 379. quo Theodoſius renuntiatus eſt Imperator à Gratiano, Cæſarienſi eccleſiæ adhuc præerat Euzoïus.

XVI. Gelasius I.

Jam diximus, ex Epiphanio, Philumenum, poſt Acacii mortem, deinde *Gelaſium,* conſtitutos fuiſſe, à Cyrillo Hieroſolymorum antiſtite, Cæſareæ in Palæſtina epiſcopos, ſed utrumque, ac Cyrillum etiam ſeniorem quem Eutychius in eadem ſede ante Gelaſium collocaverat, fuiſſe dejectos, eiſque ſuffectum Euzoïum Arianum, qui ea dignitate potitus

A eſt uſque ad Theodoſii Magni inaugurationem anno Chriſti 379. Scilicet hujus Imperatoris juſſu pulſo Euzoïo, Gelaſius iterum eccleſiæ Cæſarienſis adminiſtrationem ſumſit. Secundæ ſynodo generali Conſtantinopoli habitæ anno 381. interfuit, eique poſt Cyrillum ſubſcriptus legitur hoc modo, *tom. 2. conc. Labb. col. 955.* C. *Cyrillus Hieroſolymitanus. Gelaſius* (ſive Thalaſſius) *Cæſarienſis.* De illius ſynodi epiſcopis loquens Theodoretus *lib. 5. hiſt. eccl. cap. 8.* ait: *Erant autem viri admirabiles & zelo divino ac ſapientia ſin-*
B *gulari præditi, Helladius ſcilicet, &c. Cyrillus item Hieroſolymorum, & Gelaſius Cæſareæ Palæſtinæ vir doctrina ſimul & ſanctitate vitæ conſpicuus.* Idem Theodoretus dialogo 1. *tom. 4. pag. 31.* C. citat quædam ejus verba ex concione de Apparitione Domini: *Si autem etiam veteres Palæſtinos vis audire,* inquit, *præbe aures admirando in primis Gelaſio, qui Cæſarienſem eccleſiam diligenter excoluit.* Leontius quoque Byzantinus *lib. 1.* operis contra Neſtorium & Eutychem, *tom. 9. Bibl. Patr. VI. ſæc. Lugdun. 1677. pag. 684. col. 1.*
C D. quædam verba refert *ſancti Gelaſii epiſcopi Cæſareæ Palæſtinæ & confeſſoris, unius ex Patribus ſynodi Conſtantinopolitanæ 150. ex interpretatione ſymboli.* Vivebat adhuc Gelaſius iſte anno 394. quo affuit alteri ſynodo Conſtantinopoli etiam celebratæ, in qua *cauſa duorum epiſcoporum eumdem Boſtienſem* (Boſtrenſem) *epiſcopatum ſibi vindicantium definita fuit,* ut legitur, tum *to. 2. conc. Labb. col. 1152.* B. tum *lib. 4. Juris Græco-Romani pag. 247. In conſulatu ...... Flavii Arcadii Aug. III. & Honorii II. 3. kal. Octob. in Bap-*
D *tiſterio ſanctiſſimæ Conſtantinopolis eccleſiæ, ſedentibus ſanctiſſimis epiſcopis, Nectario Conſtantinopolis, Theophilo Alexandrino, Flaviano Antiocheno, Palladio Cæſareæ Cappadociæ, Gelaſio Cæſareæ Palæſtinæ, &c.* S. Hieron. in catalogo ſcriptorum eccleſ. *cap. 130.* ejus meminit ut ſuperſtitis: *Gelaſius Cæſareæ Palæſtinæ,* inquit, *poſt Euzoïum epiſcopus, accurati limatique ſermonis, fertur quædam ſcribere, ſed celare.* Huic Gelaſio, non autem Gelaſio Cyziceno qui illo poſterior eſt & ſcribebat ſub Baſiliſco & Zenone Imperatoribus ſæculo
E ſequenti, attribuenda venit tranſlatio hiſtoriæ eccleſ. Ruffini de Latino in Græcum ſermonem, quam Theodoretus, Socrates, & Sozomenus nonnunquam laudant. Nam Photius codice 89. de Gelaſii hujus tranſlatione hæc obſervat: *Gelaſii Cæſareæ Palæſtinæ epiſcopi, Proœmium in additamentum ad eccleſiaſticam hiſtoriam Euſebii Pamphili, &c. Prædicat* (ſcilicet ille ſcriptor) *ſe avunculum habuiſſe Cyrillum Hieroſolymorum epiſcopum, qui & ſibi ad hæc ipſa ſcribenda auctor fuerit. Alibi autem*

Digitized by Google

legendo hoc quidem comperi Cyrillum ipſum, cum hoc Gelaſio, Ruffini Romani hiſtoriam in Græcum vertiſſe ſermonem, non vero propriam ſuam aliquam condidiſſe. Et rurſus: *Hic certe Gelaſius diſerta quoque dicendi formula ab illo* (Cyziceno) *diſcrepat, &c.* Obiit Gelaſius exeunte anno 394. vel initio ſequentis 395. ut modo palam fiet.

XVII. Joannes.

Joannes ad ſedem Cæſarienſem evectus eſt initio anni 395. ſiquidem ſanctus Porphyrius promotus ab eo & ordinatus fuit eo anno episcopus Gazenſis menſe Martio vel Aprili. Id colligit Tillemont. *to. 10. hiſt. eccl. pp. 705. & 850.* ex ejuſdem Porphyrii tempore obitus, quem auctor ejus vitæ Marcus, illius diſcipulus & per 30. annos ſocius, his verbis conſignat, apud Bollandum *tom. 3.* Febr. die 26. *cap. 12. num. 103. pag. 661. col. 2.* D. *In pace dormiit cum ſanctis* (Porphyrius) *ſecundo menſis Diſtri* (id eſt die 26. Febr.) *anno, ut eſt Gazæorum computatio, quadringenteſimo octogeſimo* (Bollandus cenſet eſſe annum Chriſti 421. & Tillem. 420.) *epiſcopatus ab eo geſti vigeſimo-quarto, menſe undecimo* (Græci in Menæis de menſibus undecim ultra 24. annos exponunt.) Bollandus tamen ordinationem Porphyrii in epiſcopum Gazæ adſcribit anno Chriſti 396. ejuſque mortem anno 421. Porphyrium comitatus eſt Joannes Cæſarienſis quum ille Conſtantinopolim perrexit, die 18. Decemb. anni 400. petiturus ab Arcadio Imperatore ut ſibi liceret templa paganorum Gazæ conſtructa deſtruere: reverſus eſt etiam cum illo, obtentis votis, anno ſequenti 401. & poſtquam aliquot dies Gazæ commoratus eſſet, *profectus eſt Cæſaream,* inquit auctor vitæ Porphyrii, *cap. 8. n. 62. col. 2.* D. *quem Chriſtiani omnes & ſanctus epiſcopus* (Porphyrius) *deduxerunt uſque ad duo milliaria.* Obiit Joannes ante elapſum annum 404. Nam ſanctus Joannes Chryſoſtomus ad Eulogium ſcripſit ejus ſucceſſorem illo anno Cucuſo loco ſui exilii, epiſtol. 87.

XVIII. Eulogius.

Eulogius anno 404. ut modo dictum eſt, jam epiſcopus Cæſareæ in Palæſtina erat, quum S. Joannes Chryſoſtomus epiſtolam ſuam 87. ei ſcripſit, quæ extat *to. 4.* operum Græco-Latin. hujus ſancti, Fronton. Ducæi *edit. Par. 1636. pag. 729.* D. *& nov. edit. to. 3. pag. 639.* C. In ea epiſtola ſic loquitur: *Nunc quoque Cucuſi manentes, hoc eſt in deſertiſſimo noſtri orbis loco, benignitatem tuam, ſuavitatem, morum facilitatem, ſinceram animi propenſionem, acrimoniam, zelum quovis igne* A *ferventiorem, cæteras denique omnes tuas virtutes cum animis noſtris reputare, atque ejuſmodi cogitationum memoriam ſumma cum voluptate uſurpare, mentiſque tuæ firmitatem atque conſtantiam, quam adverſus eos qui veritati bellum intulerunt, orbemque tot ſcandalis impleverunt, apud omnes prædicare minime deſinimus; etiamſi alioqui hoc linguæ noſtræ officium minime requiras, quum tu, quavis tuba clarius, apud omnes Orientales, & quam longiſſime diſſitos homines, per res ipſas id promulgaris. Quo quidem nomine gratias tibi agi-* B *mus, teque beatum prædicamus ac ſuſpicimus, atque hortamur ut eumdem zelum præ te ferre pergas, &c.* Et paulo-poſt: *Quod autem pietate tua ad hunc modum ſe gerente, omnes Domini mei reverendiſſimi & religioſiſſimi Palæſtinæ epiſcopi veſtigiis tuis hæſuri ſint minime tibi dubium eſſe credo, &c.*

Verum poſtea ille iſte Eulogius Theophilo Alexandrino, aliiſque Joannis Chryſoſtomi adverſariis ſeſe ita adjunxit, ut unus è præcipuis eſſet qui ſanctiſſimi hujus Patriarchæ amicos inſectati ſunt. Id Palladius diaconus C explicat in dialogo de vita ſancti Chryſoſtomi non multum longe ante finem: *In tantam vero,* inquit, *acerbitatis inſaniam epiſcopi omnes de communione Theophili per totum Orientem, ſicuti monachus rediens retulit, devenerunt, ut ex his plerique non modo debitam humanitatem non exhiberent; verum milites datis muneribus inducerent, ut eos ocius civitatibus pellerent. Sunt autem qui iſta geſſere, Tarſenſis & Antiochenus, & Cæſarienſis* (in edit. Emerici Bigotii Lutet. Pariſ. 1680. pag. 200. *ſunt autem qui hæc præcipuè fecere Tarſi & Antiochiæ epi-* D *ſcopi, atque Eulogius Cæſareæ Palæſtinæ,* καὶ Εὐλόγιος ὁ Καισαρείας τῆς Παλαιστίνης) ...... *partim donis, partim etiam minis militum animos contra eos ita commoventes, ut ne laïcos quidem eos excipere hoſpitio cupientes permitterent.*

Ejus tempore contigiſſe cenſet Tillem. *tom. XI. hiſt. eccl. pag. 518.* ubi de Palladio agit auctore Lauſiacæ hiſt. quod auctor iſte ſcribit in illa hiſtoria *cap. 141. Bibl. Græco-Latin. veter. Patr. edit. Pariſ. 1624. tom. 2. pag. 1042. & ſeqq.* de quodam Euſtathio E lectore quem epiſcopus Cæſareæ in Palæſtina temere depoſuit. Auctor ille ſcribebat anno 419. aut 420. quinquaginta tres annos natus. *Cujuſdam preſbyteri filia virgo in Cæſarea Palæſtinæ lapſa, ab eo qui ei vitium attulerat docta fuerat, ut quemdam civitatis lectorem calumniaretur; & quod corrupta eſſet, in eum culpam conferret..... nominavit lectorem. Hoc quum audiiſſet preſbyter* (pater filiæ ſeductæ) *conturbatus retulit ad epiſcopum.... epiſcopus* (autem) *convocavit concilium ſacerdotum, fecitque vocari*

Digitized by Google

lectorem, deque eo habuit quæſtionem, rem examinans. Rogatus autem ab epiſcopo rem non fatebatur lector: nam quod factum ab ipſo non fuerat quomodo dici poterat! ægrè ergo ferens epiſcopus graviſſima voce ei dicebat: Non fateberis lapſum tuum ut agas pœnitentiam, ô infelix & plene immunditia! Reſpondebat lector: Rogo te, dixi, id quod res eſt, hanc rem ad me nihil pertinere: plane enim culpa careo, ut qui de ea ne cogitaverim quidem: ſin autem vultis audire id quod non eſt, dicam, feci. Hoc quum ipſe dixiſſet, depoſuit eum epiſcopus ab officio lectoris. Poſt hoc cadens ad pedes epiſcopi, rogavit dicens: ſi hoc tibi viſum eſt, Domine epiſcope, ut quoniam dixi, Næ, lapſus ſum, ſim de gradu eccleſiaſtico dejectus, & non ſim dignus eſſe clericus tuæ ſanctitatis, jube ut mihi ab hoc tempore ea detur in uxorem; neque enim ego ſum deinceps clericus, neque illa virgo. Quum hæc audiiſſet epiſcopus, & preſbyter, eam tradidit pater ejus lectori ſperans fore ut juvenis bene eſſet in eam affectus, & alioqui credens non poſſe eum abſtrahi à conſuetudine. Quum eam autem adoleſcens accepiſſet in manus ab epiſcopo, & ejus patre, eamque eſſet conſolatus, abduxit & depoſuit in monaſterio mulierum, rogans eam quæ illic erat prima miniſtra fraternitatis, ut eam illic tolerarent uſque ad partum ejus. Illa vero relicta in monaſterio, lector abiens ſe ipſum incluſit in cella ſordida, vitæ ſummam ſuſcipiens aſperitatem, ad Chriſtum accedens in corde contrito cum multis lacrymis & gemitibus. Tu, Domine, meas actiones noſti, qui ſcis omnia, &c. Eſt ergo tui juſti & immutabilis judicii, jus quoque meum pronuntiare. Efficaciter autem orante adoleſcente, & in jejunio diligenter perſeverante, intra breve tempus adfuerunt dolores ejus (mulieris corruptæ) *partus. Quumque adveniſſet hora, adfuit etiam juſtum Dei judicium, afferens vehementem & intolerabilem dolorem ei quæ fuerat calumniata* (lectorem.) *Gemituum immenſa multitudo, labores partus inenarrabiles, inferni ſuppliciorum viſiones terribiles, hanc miſeram fortiter obſidebant,* (nec poterat parere.) *Præteriit dies primus & ſecundus, & dolores erant intolerabiliores: adventavit tertius & quartus, & ſequutus eſt dolor multis partubus gravior: quintus & ſextus & ſeptimus tenebroſus, & infelix mulier ex multo dolore verſabatur in inferis. In omnibus his diebus manſit, neque omnino cibum ſumens, nec tantillum ſomnum videns, ſed luctibus & graviſſimis dolorum tormentis ſuccedentibus...... lugubri voce exclamat: Hei mihi miſera venio in periculum ne peream, ut quæ in duo mala inciderim, nempe in calumniam & fornicationem...... Et quum mihi ſit ab alio allatum vitium, accuſavi lectorem. Quum hæc autem audiiſſent virgines monaſterii, patri ejus* A *omnia renuntiarunt. Pater autem veritus ne condemnaretur ut calumniator, quum non adhiberet fidem dictis, ſilet duos dies: Rurſus autem miſera, ſe invicem excipientibus acerbis affictabatur doloribus, quum non poſſet deinceps vel vivere, vel mori. Quumque id effugit, oritur dies octavus & rurſus nonus, graviſſimis perpetuarum vertiginum tenebris eam offuſcantes. Quum ergo ejus magnos ejulatus non ferret conventus, hæ curſum feſtinantes renuntiant epiſcopo, jam eſſe nonum diem...... nec poſſe parere, quod lectorem ſit calumniata. Epiſcopus* B *autem quum hæc audiiſſet à virginibus, ad lectorem mittit duos diaconos, ei omnia ſignificans, & ut pro ipſa oraret, ut miſera mulier liberaretur.... Egregius autem adoleſcens, neque eis dedit reſponſum, nec aperuit oſtium, ſed à quo die ingreſſus eſt in cellam, non exiit, implens conſuetam regulam jejunii, & Deo preces fundens. Flexus autem pater, & filiæ ſuæ miſertus, veniens ad epiſcopum eum valde rogavit ut pro ea orationes fierent in eccleſia. Et quum pro ea preces fuſæ eſſent ab omnibus ad Dominum, ne ſic quidem miſera liberata eſt.... Ejus enim qui* C *per calumniam fuerat accuſatus orationes Dominum moventes, arcebant ne eorum preces admitterentur. His ſic geſtis ſurgens epiſcopus ivit ad cellam in qua erat lector, & quum pulſaſſet oſtium, nolebat is aperire. Quum diu autem foris fuiſſet epiſcopus, ille autem intus, jubet epiſcopus tolli oſtium, & ingreſſi invenerunt adoleſcentem in oratione perſeverantem, & humi procumbentem. Quem multum rogans epiſcopus ei dicit, frater Euſtathi lector, in apertum prolata calumnia Dei providentia & exauditis tuis orationibus, miſerere ejus quæ in te* D *peccavit, quæ tormentorum flagellis fuit excruciata, &c. Quum autem inclytus lector intenſe oraret ſimul cum epiſcopo, ſtatim miſera liberata eſt, enixa infantem, rogans omnes ut ei remitteretur iniquitas, ipſius juſti interceſſione: & illum egregium virum habuerunt omnes deinceps loco martyris. Nam quum ſe liberaſſet ab omni ſollicitudine, pervenit ad ſummum vitæ quæ ex virtute agitur, adeo ut is ſit dignus habitus ſpiritali gratia.* Vivebat adhuc Eulogius in fine anni 415. ſynodo quippe Dioſpolitanæ, in qua hæreſis Pelagiana damnata eſt, & ab-E ſolutus Pelagius, præfuit. Certe S. Auguſt. *lib. 1. cont. Julian. cap. 5.* de ea ſynodo ait: *Habemus alios Orientales epiſcopos 14. Eulogium* (Cæſarienſem) *Joannem* (Hieroſolymitanum) *Ammonianum, &c. qui Pelagio judices præſederunt: eumque ut homines, nullo ex altera parte urgente adverſario, putantes catholicum, tanquam catholicum pronuntiaverunt.* Hujus ſynodi acta recenſentur *tom. 2. concil. Labb. col. 1529. & ſeqq.* Obiit, dum Praylius Hieroſolymitanæ eccleſiæ præſidebat, id eſt vel

Digitized by Google

anno 417. vel non multo poſt: nam Praylius paucis annis ſedit.

XIX. Domninus.

De illo *Domnino* nihil aliud nobis compertum eſt, quam eum, licet digamus eſſet, à Praylio, qui ſedem Hieroſolymitanam conſcendit ante medium annum 417. & quibuſdam duntaxat annis illi eccleſiæ præfuit, fuiſſe conſecratum. Id quippe diſcimus ex Theodoreto, qui Domno Antiocheno præſuli pro Irenæo quodam ob ſecundas nuptias ante epiſcopatum initas exauctorato ſcribens *to. 3. edit. Græco-Lat. Pariſ. 1642. epiſt. 110. pag. 980.* B. inter alia exempla, iſtud Domnini commemorat: *Eodemque modo,* inquit, *beatus Praylius Domninum Cæſareæ* (ordinavit) *qui digamus item erat.*

XX. Glycon.

In Indice Latino epiſcoporum qui ſynodo Chalcedonenſi anno 451. per ſe vel per vicarios affuerunt, & ſubſcripſerunt, *to. 4. conc. Labb. col. 788.* C. legitur poſt *Juvenalem Hieroſolymitanum,* inter *epiſcopos Palæſtinæ primæ, Glucon Cæſarienſis per Soſinum epiſcopum Edinenſem.* Hic iſte eſſe videtur Glycon qui extat etiam *ibid. col. 83.* B. Act. 1. ejuſdem ſynodi, hoc modo: *Glycone Cæſarienſi per Sozimum epiſcopum Minoidenſem:* Sozimus proinde vices ejus abſentis geſſit. Ea quidem ſubſcriptio deſideratur in textu Græco, ſed pariter aliorum plurium epiſcoporum deſunt nomina, qui ad iſtam ſynodum nihilominus convenerunt.

XXI. Irenæus.

Irenæum Cæſareæ in Palæſtina præſulem ſediſſe, poſt annos duos à concilio Chalcedonenſi, conſtat ex reſcripto ſynodi Palæſtinæ ad ejuſdem diœceſis monachos, cui ille ſubſcripſit poſt Juvenalem Hieroſolymitanum, *Irenæus epiſcopus Cæſareæ, in Domino valere vos opto.* Latinè tantum ſupereſt *tom. 4. conc. Labb. col. 889.* D.

XXII. Gelasius II.

Photius in Biblioth. cod. 89. operis cujuſdam *Gelaſii* epiſcopi Cæſareæ in Palæſtina adverſus Anomœos mentionem facit, cujus & dictionem laudat, auctorem vero diſtinguit, tum à Gelaſio quem ſupra memoravimus *col. 562.* B. tum à Gelaſio Cyziceno. *Trium,* inquit, *hactenus Gelaſiorum, quos diſcernere nequeas, Cæſareæ Palæſtinæ epiſcoporum, vel certe duorum libros legimus, quorum quidem librorum unus adverſus Anomœos conſcriptus eſt, reliqui duo res continent eccleſiaſticas.* Hi duo ſunt, *Gelaſius I.* Cyrilli ſororis filius de quo nos ſupra, qui tranſtulit de Latino in Græcum ſermonem hiſtoriam eccleſiaſticam Ruffini Aquilegienſis, & *Gelaſius Cyzicenus,* de quo poſt hunc Gelaſium modo dicemus, qui tres libros hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcripſit ſub Baſiliſco qui, Zenone expulſo, tyrannidem arripuit anno Chriſti 476. De his autem duobus ſubdit Photius præfato codice 89. *quanquam uterque longe eſt eo, qui adverſus Anomœos ſcripſit, inferior; qui quidem epiſcopus & ipſe ejuſdem Palæſtinæ inſcribitur, &c.* Citat rurſus codice 102. librum *Gelaſii Cæſareæ in Palæſtina epiſcopi contra Anomœos. Lectus eſt,* inquit, *liber ſingularis Gelaſii Cæſareæ Palæſtinæ epiſcopi adverſus Anomœos. Hujus oratio minime ſuperflua, ſed gravis ac vehemens, Atticis permiſta vocibus, & axiomatis accuratius inſtructa, ne ratiocinationibus quidem indigens, per omnia denique inſignis eſt; tantum putide nimis ac pueriliter, quaſi nuper dialecticorum libros inſpexiſſet, logicæ artis regulis, ipſiſque adeo vocibus abutitur: etſi excuſationem intempeſtivi hujus ſermonis ſcripto ſuo annectat. Verum id, quod excuſatione poſt noverat indigere, nec jam inde à principio ſuſcipiendum illi fuerat. Quanquam neque ipſe libri ordo reprehenſione caret.* Ita Photius. Hujus Gelaſii eo loci meminimus, ex hypotheſi quod revera eccleſiæ Cæſarienſis præſul fuerit: quandonam enim ſederit, neque ex Photio, neque ex aliquo alio monumento eruere valuimus.

XXIII. Gelasius III.

Gelaſius iſte, cognomento Cyzicenus, quod Cyzico urbe Myſiæ in Aſia minori ad Propontidem verſus Æſepi fluvii oſtium oriundus eſſet, ſcripſit ſub tyrannide Baſiliſci, qui, Zenone expulſo, imperium initio anni 476. invaſit, tres libros de hiſtoria concilii Nicæni. Hunc Cæſareæ in Palæſtina fuiſſe epiſcopum legi in quibuſdam hujus hiſtoriæ exemplaribus, teſtatur Photius cod. 88. ſuæ bibliothecæ. *Gelaſii Cæſareæ Palæſtinæ epiſcopi hiſtoriæ eccleſ. libri tres. Legimus* (ſunt verba Photii) *hiſtoriæ forma res in Nicæna ſynodo geſtas, libris tribus. Refert auctor Hoſium Cordubæ epiſcopum, &c. Et hæc quidem liber ille continebat. In alio exemplari, quo eadem prorſus continebantur, hunc titulum libro inſcriptum reperi:* Gelaſii Cæſareæ Palæſtinæ epiſcopi. *Ipſa porro dictio ad humilem vilemque ſtylum plus æquo vergere animadvertitur. Verum quis hic Gelaſius ſit certo non potui cognoſcere. Trium enim hactenus Gelaſiorum (quos diſcernere nequeas) Cæſareæ Palæſtinæ epiſcoporum, vel certe duorum libros legimus. Quorum quidem librorum unus* adverſus Anomœos *conſcriptus eſt: reliqui duo res continent eccleſiaſticas,*

Digitized by Google

alteriuſque horum jam modo eſt à nobis obiter facta mentio: cujus ſane titulus (ubi quidem illum adſcriptum invenimus) is eſt quem antea diximus: Gelaſii Cæſareæ Palæſtinæ epiſcopi, eccleſiaſticæ hiſtoriæ libri tres. *Operis autem ipſius principium ejuſmodi eſt.* Quæ in ſancta, magna & univerſali epiſcoporum ſynodo, &c. *definitque in Conſtantini magni obitu, &c.* Et paulo-poſt: *Affirmat hic ſcriptor, ſub Baſiliſco, qui Zenone pulſo tyrannidem occupavit, vixiſſe ſe ac legiſſe concilii acta in antiquis membranis conſcripta, dum adhuc paternis in ædibus verſaretur: ex horum itaque memoria, & ex aliis præterea ſcriptis, utilia quæque colligendo, hiſtoriam compoſuiſſe.... ſuam patriam eſſe ait Cyzicum, patremque unum de preſbyteris ibidem extitiſſe.* Hæc Photius, qui etiam ſupra dixerat codice 15. *Lecta &* primæ ſynodi actio, *tribus comprehenſa libris.* Gelaſii *titulum opus præfert: nec tam actio, quam hiſtoria eſt. Sermo vilis & humilis, niſi quod minima quæque in ſynodo geſta narret.* Extat *to. 2. conc. Labb. à col. 106. ad col. 283.* De eo opere hoc judicium profert Natal. Alex. *in hiſt. eccl. ſæc. IV. diſſert. 13.* paulo ante finem: *Leviſſimi ponderis Gelaſii Cyziceni authoritas, niſi aliis cum auctoribus conſentiat; ſiquidem tot erroribus* (quorum plures retulit) *ſcatet ejus hiſtoria.* Hanc pari Ludovicus Morerius in Lexico Gallico inurit cenſura. Baronius *to. 6. annal.* ad annum 496. *num. 2. & ſeqq.* Bellarminus de ſcriptor. eccl. & alii, hunc Gelaſium Cyzicenum operis de duabus naturis in Chriſto adverſus Neſtorium & Eutychem auctorem arbitrantur, quod Gelaſio Papæ tribui ſolet, & extat *tom. 6. Bibl. Patr. edit. Lugdun. 1677. pag. 700. & ſeqq.* Conjecturæ à Bellarmino *ibid.* ſubminiſtratæ ſunt.... 1.° Quod non inveniatur alius Gelaſius, cui liber ille aſſignari poſſit (fœtus eſt enim hominis Græci, non Latini)...... 2.° Quod in hoc auctore nomen conveniant, & tempus.... 3.° Quod Gelaſius Cyzicenus in præfat. ſuæ hiſtoriæ de actis Nicænæ ſynodi ſcribat ſe diſputaſſe cum Eutychianis.... 4.° Quod, ſicut in hiſtoria Nicænæ ſynodi hujus auctoris, valde laudatur Euſebius Cæſarienſis, ſic & in eo opere tria ejus proferantur teſtimonia, inter alia SS. Patrum.... 5.° Demum, quod ſtylus in utroque illo opere ſit omnino ſimilis, ſimplex, nuduſque ornamentis. Porro ſi Gelaſius iſte Cyzicenus eccleſiam Cæſarienſem Palæſtinæ aliquando adminiſtraverit, fato functum eſſe neceſſe eſt ante annum 484. quo Timotheus huic eccleſiæ præſidebat.

XXIV. Timotheus.

Hic *Timotheus,* Cæſarienſis epiſcopus erat ſub Zenone Imperat. Auctor enim chronici A Paſchalis ſive Alexandrini hæc habet ad ann. Chriſti 484. *pag. 327.* A. *Hiſce temporibus, arrepta neſcio qua occaſione, Samaritæ in Palæſtina tyrannidem excitavere, Juſtuſa quodam latronum principe Samarita coronato. Is porro Cæſaream ingreſſus, Circenſes* (ludos) *exhibuit, multoſque interfecit, Palæſtinæ imperans. Sed & concremavit eccleſiam ſancti Probi, quum Timotheus Cæſareæ eſſet epiſcopus. Confeſtim vero Aſclepiades Palæſtinæ dux cum ſuo præſidio venit, ut & latrunculator, Cæſareæ magiſtratus, cum Arcadianis: contraque ipſum* B *Juſtuſam profectus, atque cum eo congreſſus, Juſtuſam capite truncavit, ac illius caput cum eo quo cinctum erat diademate, ad Zenonem Imperatorem tranſmiſit. Idem vero Imperator Zeno illorum ſynagogam, quæ in loco Gargaride dicto erat, in ædem ſacram, eamque ingentem, Dominæ noſtræ Deiparæ & ſemper Virginis Mariæ, ſtatim convertit: inſtaurata præterea ſancti Procopii æde. Edixit etiam ne Samaritæ deinceps militarent, bonis potentiorum omnibus proſcriptis: unde & terror eſt inſequutus, paxque firmata.*

C

XXV. Joannes I.

Hic *Joannes* abbas primum fuit ac preſbyter monaſterii Chuſiba, ut ait Evag. *lib. 4. hiſt. eccl. cap. 4.* quod ſitum erat in extremitate vallis ad Septemtrionalem partem viæ publicæ, quæ ab Hieroſolymis ducit Hierichuntem; hinc *Chuzibites* cognominatus. Poſtea vero Cæſarienſis in Palæſtina epiſcopus factus eſt, teſte præter eundem Evagrium citatum, Joanne Moſcho Prati Spiritualis *cap. 24.* Huic cum Sozima hoc tempore vitæ D ſanctitate & miraculis illuſtri anachoreta ſumma neceſſitudo interceſſit, in cujus ſpecimen refert præfatus Evagrius quod ſequitur: *Iiſdem temporibus quibus Sozimas, floruit vir quidam, Joannes nomine, paribus cum Sozima virtutum ornamentis inſignis, qui in Chuziba laura.... vitam monaſticam.... exercuerat, &.... urbis Cæſareæ epiſcopatum obtinuit. Hic igitur Joannes Chuzibita, quum Arceſilai (viri nobilis & eruditi, qui & honoribus quos geſſerat, & reliquis vitæ ornamentis conſpicuus habebatur,* ut ſuperius aſſeruerat idem Evagrius,) *uxorem* E *radio textorio alterum ſibi oculum effodiſſe didiciſſet, curſu ad ejus domum contendit, vulneris inſpiciendi cauſa. Ubi vero animadvertit pupillam excidiſſe, & oculum penitus diffluxiſſe, medico cuidam qui illuc advenerat, præcepit ut ſpongiam afferret, & oculum dilapſum, quoad fieri poſſet, in ſedem ſuam reponeret; ſpongiam denique circumpoſitam faſciis alligaret. Aberat tunc forte Arceſilaus: verſabatur enim eo tempore cum Sozima, in ejus monaſterio, quod ſitum erat in vico Syndenorum, qui ab urbe Cæſarea*

Digitized by Google

ECCLESIA CÆSAREÆ Metropolis.

quingentis circiter ſtadiis diſtat. Statim igitur A *contentiſſimo curſu properant qui hæc Arceſilao nunciarent. Sedebat is juxta Sozimam, ſermonem cum eo conferens. Qui ſimul ac caſum uxoris ſuæ didicit, graviter ejulare cœpit, & capillos vellens ac diſcerpens in aerem projecit. Interroganti autem Sozimæ cauſam tanti luctus, Arceſilaus id quod acciderat expoſuit, lamentis ac fletibus ſermonem crebro interrumpens. Mox igitur Sozimas, relicto illic Arceſilao, ad cubiculum quoddam contendit, in quo ſolus, uti mos eſt hujuſmodi viris, Deum alloqui conſueverat. Aliquanto poſt digreſſus hilari vultu ac modeſte* B *ſubridens, manumque Arceſilai palpans, Abi, inquit, abi lætus: gratia data eſt Chuzibitæ; ſanata eſt uxor tua, utrumque oculum habet incolumem, nullum ex caſu illo detrimentum paſſa, quando ita placuit Chuzibitæ. Idque ita evenit, ambobus illis juſtis ſimul miraculum perpetrantibus.* Hucuſque Evagrius loco citato.

Sedebat anno 518. quo defuncto Anaſtaſio Juſtinus Imperator renuntiatus ſynodum Chalcedonenſem ubique recipi, præſuleſque orthodoxos ob fidem in exilium pulſos ad ſuas eccleſias redire mandavit. Cyrillus Scy- C thopolitanus, in vita ſancti Sabæ, apud Cotelerium *to. 3. monum. eccl. Græc.* geſta Hieroſolymis ea in occaſione ſic refert *num. 60. pag. 326. Quæ Juſtini juſſa poſtquam Hieroſolymam delata fuiſſent, infinita multitudo monachorum & laïcorum congregata eſt; concurrit quoque ſanctus Sabas, & epiſcoporum concilium, celebratoque feſto, ſexta Auguſti menſis, promulgatæ ſunt divinæ juſſiones, & quatuor ſynodi in ſacris diptychis repoſitæ ſunt, &c.* Et num. 61. *Tunc archiepiſcopus Hieroſolymorum Joannes ſuadet ſancto Patri noſtro Sabæ, tranſire uſque* D *in Cæſaream & Scythopolim, una cum aliis quibuſdam eremi hegumenis, ad patefaciendas Imperatoris litteras, & quatuor concilia per urbes ſacris diptychis inſerenda. Quum autem Cæſaream perveniſſent, occurrit iis ſanctus Joannes Chuzibita, qui illius urbis pontificatum eo tempore obtinebat; expletiſque illic quæ mandata fuerant, etiam Scythopolim advenerunt, &c.* Adfuit Hieroſolymitanæ ſynodo quam eodem anno 518. Joannes Hieroſolymitanus Patriarcha celebravit, in qua, recepto Chalcedonenſi concilio, anathema Severo Antio- E chenæ ſedis invaſori, ejuſque aſſeclis pronuntiatum eſt: & ſynodicis ea de re litteris à prædicto Joanne ad Joannem Conſtantinopolitanum miſſis ſubſcripſit cæterorum epiſcoporum primus hoc modo: *Joannes Dei miſeratione epiſcopus Cæſarienſis, me bene valere, & Domino bene placere orate, Domini ſancti, ac Deo amantiſſimi & ſanctiſſimi Patres:* eodem verborum tenore ſubſcripſerunt reliqui 33. epiſcopi: *tom. 2. conc. Labb. col. 190. & ſeq.* Opus aliquod ſcripſiſſe videtur iſte Joannes adverſus eumdem Severum. Nam in ſynodo Lateran. ſub Martino I. anno 649. habita, legitur ſecret. v. *tom. 6. concil. Labb. col. 315.* C. *Item ejuſdem Severi adverſus ſanctæ memoriæ Joannem epiſcopum Cæſareæ Palæſtinæ,* à quo proinde fuerat aliquo ſcripto impugnatus: *τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῶν κατὰ Ἰωάννου τῆς ἁγίας μνήμης ἐπισκόπου Καισαρείας Παλαιστίνης.* Nihil aliud nobis de eo Joanne compertum eſt. Obiit ante annum 536. ſaltem completum.

XXVI. Helias.

Helias iſte ſententiæ in ſynodo Hieroſolymitana latæ adverſus Anthimum anno 536. die 19. Septembris ſubſcripſit, poſt Petrum Hieroſolymitanum Patriarcham, in hunc modum: *Helias epiſcopus Cæſareæ diffinivi & ſubſcripſi.* To. 5. conc. Labb. col. 283. C.

XXVII. Sergius.

Anno 541. Cæſarienſi eccleſiæ in Palæſtina præerat *Sergius*, ut liquet ex Novella 129. Juſtiniani Imperatoris, *data XVI. kal. Jul.* (id eſt die 15. Jun.) *Juſtin. anno 25.* (legendum 15. ut congruat Baſilii Conſulatus) *Baſilio viro clariſſ. conſule.* In ea enim Novella, poſtquam in præfat. dixit: *Nullum ita magnum ſubjectorum noſtrorum delictum eſt, quod non noſtra clementia medeatur, &c. Samaritas enim atroces & elatos contra Chriſtianos.... plurimis quidem pœnis affliximus, una vero maxime quod neque teſtamenta ipſi poſſunt conſcribere, &c.* (Vide ſupra col. 570.) Addit poſtea cap. 1. *Nunc itaque ad moderationem reductos videntes eos, & nobis ipſis indignum eſſe putantes in hiſdem permanere terminis, contra eos qui non ſimilia prioribus languent, præſtantes maxime omnium Sergii ſanctiſſimi Cæſarienſium metropolis epiſcopi juſtis petitionibus quas pro eis facit, teſtimonium quidem perhibentis meliores eos factos, quietem vero eorum futuro tempore promittentis, ad præſentem ſacram noſtram venimus legem, per quam ſancimus licentiam eſſe Samaritis jam ſcribere teſtamenta, &c.* Edit. Atrebat. 1580. Novellar. col. 277. tit. 12.

XXVIII. Joannes II.

Synodo quintæ generali anno 553. Conſtantinopoli congregatæ interfuit *Joannes* Cæſareæ in Palæſtina epiſcopus, qui proinde tunc temporis ſedebat. Hunc inter alios ſynodus ad Vigilium Papam miſit, ut eum ad ſuum cœtum invitaret. *Tom. 5. concil. Labb. collat. 2. col. 430.* B. Actis ſubſcriptus legitur *col. 581.* B. *Joannes miſericordia Dei epiſcopus Cæſareæ Palæſtinæ.*

Digitized by Google

ECCLESIA CÆSAREÆ Metropolis.

XXIX. Anastasius.

A ſæculo ſexto uſque ad undecimum, nullum agnoſcimus præſulum qui eccleſiæ Cæſarienſis curam geſſerunt, & deinceps paucos habemus. Huic itaque ſedi circa finem ſæculi XI. præerat *Anaſtaſius*, cujus tractatus *de jejunio Deiparæ* extat *to. 3.* Cotelerii, *monument. eccl. Græc. pag. 432.* ſub hoc titulo: Ἀναστασίου ἐπισκόπου Καισαρείας τῆς Παλαιστίνης, *Anaſtaſii epiſcopi Cæſareæ Palæſtinæ*. Is in illo tractatu, *ibidem, pag. 436.* C. hæc ait: *Namque Patriarcha Antiochiæ totiuſque Orientis, beatæ memoriæ Domnus Petrus, ipſe hæc obſervabat, tradebatque cæteris; ſimili quoque modo Dominus Theodoſius: prætereaque qui nunc patriarchatum tenet ſanctiſſimus Dominus Joannes, hoc omnibus tradidit jejunium, &c.* Hanc autem notam appoſuit præfatus Coteler. *pag. 650. col. 2.* C. *Ipſe hic dum agit de Patriarchis Antiochenis, indicat ætatem qua vixit, finem videlicet ſæculi undecimi.* Obſervat etiam *ibid.* B. in doctiſſimi Lambecii Cæſarea Biblioth. *lib. 6. part. 1. cod. ult.* mentionem fieri operis *Anaſtaſii epiſcopi Cæſareæ Palæſtinæ de ſeptem hebdomadibus jejuniorum Quadrageſimæ*. Idem quoque fortaſſis auctor fuerit opuſculi, quod ſub nomine *Anaſtaſii Sinaïtæ* legitur, *de ſanctis tribus Quadrageſimis*, apud eumdem Coteler. *ibid. p. 425.* ſic veriſimiliter cognominati, quod monaſticam diſciplinam in monte Sinaï coluerit, priuſquam Cæſarienſem cathedram conſcenderet.

XXX. Dorotheus.

Quum anno mundi 7088. Chriſti 1579. Germanus Hieroſolymitanus Patriarcha, ſenio confectus, adminiſtrationem eccleſiæ A ſuæ dimiſit, ut ſupra retulimus *col. 517.* C. ex Doſitheo *lib. 11. Patriarch. Hieroſ. cap. 7. §. 4.* adfuerunt, præter Silveſtrum Alexandrinum antiſtitem, duo metropolitæ *Dorotheus* & Nectarius, quorum qui prior nominatur, erat veroſimiliter Cæſarienſis epiſcopus, utpote primus metropolita Palæſtinæ, qui proinde tunc temporis ſederit, & Sophronii V. Germani ſucceſſoris electioni interfuerit.

XXXI. Dositheus.

B Anno Chriſti 1660. *Doſitheus* Cretenſis, Cæſareæ Palæſtinæ curam ſuſcepit; qui deinde Hieroſolymorum factus eſt Patriarcha, anno 1672. ut ſupra legere eſt, *col. 522.* E.

XXXII. Chrysanthus.

Chryſanthus Notaras Cretenſis, Doſithei modo memorati fratris filius, Cæſareæ in Palæſtina antiſtes fuit, teſte Nicolao Comneno Papadopoli, in reſponſione qua confutavit epiſtolam hæreticam Joannis Hokſtoni ad ipſum *ſacratiſſimum & ſanctiſſimum præſulem* C *Chryſanthum Notaram, metropolitam Cæſarienſem, & Palæſtinæ primatem,* Venetiis excuſa anno 1702. Ibi etiam *pag. 4.* Chryſanthus dicitur *Græcorum ſapientiſſimus,* & rurſum: *Vir ſagaciſſimus & prudentiſſimus, bis Patriarcharum legatus miſſus ad potentiſſimum Moſchorum Imperatorem, archiepiſcopus primi nominis inter Græcos.* Patruo ſucceſſit in ſede Hieroſolymitana anno 1707. die 8. Februar. Obiit anno 1732. aut 1733. Certe eum mortuum denuntiat epiſtola Gallicè ſcripta ex urbe Tripoli, die 1. Mart. anni 1733.

II. ECCLESIA DORORUM.

Dora, ſive *Dor*, urbs Chananæorum potentiſſima, cujus Regem, ut alios, vicit & interfecit Joſue, *Joſue cap. 12. verſ. 23.* ad littus maris Mediterranei, Cæſaream inter & Carmelum montem ſita eſt. Hæc in ſortem obtigit dimidiæ Tribus Manaſſe cis Jordanem, *Joſue cap. 17. verſ. 11.* Græci veteres Hecatæus, Scylax, & alii, quos Plinius etiam ſequutus eſt, *Doron* dixere. *Memoria urbium,* inquit iſte *lib. 5. cap. 19. Doron, &c.* Joſephus in vita ſua *pag. 1000.* eam vocat *Dora* plurali nomine neutro, τὰ δὲ Δῶρα πόλις ἐστὶ τῆς Φοινίκης, *Dora urbs Phœnices*. Hanc urbem *Phœnices* eſſe dicit, quod ejus ætate ora omnis maritima uſque Gazam *Phœnices* cenſeretur. Eam recentiores feminino genere *Doram* appellant. Stephanus quoque, teſte Cellario *to. 2. geogr. antiq. pag. 521.* femineas formas habet hujus nominis Δῶρος, & Δῶρα, indeque quartum caſum, τὴν Δῶραν πόλιν, *Doram urbem*. De ea hæc certè ſcribit Stephanus ille in fragmento quod operi *de Urbibus & Populis* ſubjunxit, *pag. 747.* (juxta verſionem Latinam Hadr. Reland. *Pal. Illuſtr. tom. 2. pag. 740.*) « Doros » urbs Phœnices. Hecatæus in Aſia (ait:) *Deinde antiquitus Dorus, nunc Dora appellata.* Atque » ita Joſephus eam appellat *lib. 5. Jud. hiſt. A Jordane uſque ad urbem Dora.* Et iterum: *Azoto* » *& Doris terminati....* Et Claudius Jullus Κλαύδιος Ἰόλλας *lib. 3. Phœnicicorum* (ait:) *Poſt* » *Cæſaream ſita ſunt Dora, exiguum oppidulum ab Phœnicibus habitatum, qui propter ſaxoſum* » *inferius littus & purpura fecundum ibi convenerunt, & gurguſtia ſive caſas ſibi ſtruxerunt, &*

Digitized by Google

ECCLESIA DORORUM.

» *circumdederunt foſſis. Ubi vero hoc bene ſucceſſit, ſecuerunt petram & ex lapidibus inde petitis* » *muros fecerunt, & portum navibus commodum, patriaque lingua Dora appellarunt,* (Dor » quippe lingua Hebræa ſeu Chananæa, quæ Sidoniorum propria erat, *habitationem, caſam,* » ſeu *ſtationem* ſignificat).... *Græci autem, facilioris pronuntiationis gratia,* (in fœminino genere) » *Δώραν τὴν πόλιν, urbem nuncuparunt Doram.* Nonnulli narrant Dorum Neptuni filium eam » condidiſſe. Artemidorus quoque in Epitome XI. lib. Doram urbem agnoſcit his verbis: » *Contigua eſt Stratonis turris* (id eſt, Cæſarea) *dein ſequitur Dora, εἶτα ἔνι Δώρα, oppidum in loco* » *peninſulæ formam habente ſitum, ubi incipit mons Carmelus.*» Hucuſque Stephanus Byzantinus. Obſervat Cellarius ſupra citatus urbem *Dor* in textu Hebræo nuncupari interdum *Naphet* vel *Nephet Dor,* Joſue cap. XI. verſ. 2. & *Naphot Dor,* cap. 12. verſ. 23. & 3. Reg. cap. 4. verſ. 11. *omne Naphet Dor:* Non convenire vero interpretes in notione hujus vocis *Nephet* ſive *Naphet:* Symmachus enim, ut docet Hieronymus, *maritimam* expoſuit. Septuaginta, illud vocabulum, quaſi nomen proprium eſſet, reliquerunt in proprio idiomate, εἰς Ναφεθδώρ, Joſ. cap. XI. verſ. 2. & cap. 12. verſ. 23. τοῦ Ναφὰθ Δώρ: Et 3. Reg. cap. 4. verſ. XI. Πᾶσα Νεφθαδώρ: de quo loco Euſeb. & Hieron. *in locis Hebraic.* Νεφὰθ πόλις ἄρχοντος Σολομών: *Nephat civitas unius principis Salomonis.* Nolim negare, inquit Cellar. *pag. 522.* fuiſſe illius tractus oppidum *Nephet,* à quo regio denominationem acceperit; in dictis (tamen) locis *regionem* potius quam *oppidum* ſignificari, ex Joſue *cap. 17. verſ. 11.* videtur evinci poſſe, ubi ſeparatim & interjectis aliis, *Dor* memoratur: & deinde (in textu Hebræo) *tertia Nephetæ,* quod de *oppido* intelligi non poteſt, ſed de *tractu* potius & *regione.* In Vulgata noſtra habetur, *tertia pars urbis Naphet,* ſed vox *urbis* deeſt in Hebræo, nec eam ſuæ verſioni Græcæ inſeruerunt Septuaginta, τὸ τρίτον τῆς Ναφεθά. (Neque enim) in tribuum ſorte definienda, urbes diſſectæ fuerunt, ſed regiones. Vertit Vulgatæ auctor, ad hanc mentem, Joſue cap. XI. verſ. 2. *in regionibus Dor,* & cap. 12. verſ. 23. *Rex Dor, & provinciæ Dor unus.* Tempore Plinii, initio ſecundi ſæculi, non extabant ejus niſi quædam ruinæ, de ea quippe urbe, & quibuſdam aliis ſcribit *lib. 5. cap. 19. Fuit oppidum crocodilon, eſt flumen: memoria urbium Dorôn, Sycaminôn, &c.* Nondum inſtaurata erat in fine ſæculi IV. nam S. Hieron. in Epitaphio S. Paulæ viduæ, ait: *mirata ruinas Dor, urbis quondam potentiſſimæ, &c.* Et in Onomaſtico: *Dor eſt oppidum jam deſertum in nono milliario Cæſareæ, pergentibus Ptolemaïdem.* Hinc fortaſſis nullum epiſcopum novimus, qui in ea urbe ſederit, ante ſæculi V. finem.

EPISCOPI DORENSES.

I. FIDUS.

PRIMUS, quem ſciamus epiſcopatum eccleſiæ Dorenſis adminiſtraſſe, eſt *Fidus* quidam, de quo ſæpius mentionem facit Cyrillus Scythopolitanus monachus, in vita ſancti Euthymii abbatis, apud Cotelerium *to. 2. monum. eccl. Græc.* Nam *n. 60. p. 249.* narrat *Fidum* Fidi Joppenſis epiſcopi nepotem, Anaſtaſium, qui poſtea Hieroſolymitanus evaſit Patriarcha juxta Euthymii prophetiam, comitatum eſſe ad eumdem Euthymium inviſendum euntem: *Quum ergo deſiderium videndi hominis* (Euthymii) *in ſe aleret, Fido Joppes epiſcopo, & Coſmæ Crucum cuſtodi pulchram illam communicat cupiditatem: atque eos aſſumens, quin etiam Fidum alterum epiſcopi Fidi nepotem, (erat autem is adhuc ætate juvenis, & in chorum lectorum cooptatus; qui etiam Cyriaco monacho hæc tradidit & narravit:) cum iis proficiſcitur ad magnum Euthymium, &c.* Id contigit ante Juvenalis Patriarchæ Hieroſolymitani obitum, cui ſucceſſit Anaſtaſius modo memoratus anno 458. qui *ſtatim* (ut refertur *ibid. num. 96. pag. 20.*) *Fidum, qui ad lauram cum ipſo acceſſerat, audieratque prædictiones* (Euthymii,) *ordinat diaconum, & rurſus ad magnum* (Euthymium) *mittit una cum cuſtode Crucis; tum prophetiæ ſignificans* A *eventum, tum rogans ſibi permitti ad eum pergere, &c.* Num. 110. adfuit præſens Euthymii funeribus an. 473. die 20. Januar. defuncti. *Fama celeriter* (mortis Euthymii) *per omnem finitimam regionem ſparſa,* inquit Cyrillus ibid. pag. 294. *monachorum & laïcorum multitudo vix numerabilis congregata eſt: quin etiam Anaſtaſius Hieroſolymorum Patriarcha, aſſumto ſecum clericorum ſimul & militum examine, acceſſit. Aderat quoque Chryſippus, unaque Gabrielius, ſed & diaconus Fidus .... cunctos autem in ſtuporem adducebat continuatio mira-* B *culorum.* Et pag. ſeq. 295. *Fidum autem diaconum* (Patriarcha) *in laura relinquens, ei ædificandi* (ſepulcri Euthymii) *committit negotium .... quo beatæ illæ Euthymii reliquiæ in apto & convenienti loco deponerentur.* Et num. 112. p. 296. *At diaconus Fidus, multa operarum manu collecta, magnoque adhibito ſtudio, ſpeluncam quæ in principio tenuit quietè agentem Euthymium, ædem pulcherrimam & maximam efficit, &c.* Mortuo Anaſtaſio anno Chriſti 478. Martyrius ejus ſucceſſor, ad *Imperatorem Zenonem & Acacium Conſtantinopolitanum epiſcopum ſcribit de Apoſchiſtis,* ibid.

Digitized by Google

ECCLESIA DORORUM.

ibid. num. 113. pag. 298...... *atque Fido diacono litteris traditis, non pauca viro ore etiam dicenda mandat.* Verum quum navigium aſcendiſſet Fidus, certo naufragio ereptus fuit ab Euthymio quem invocaverat, quique illi apparens, dixit, *n. 114. p. 299. Noli timere; Ego ſum Euthymius ſervus Dei: ſcias autem tibi bonum non eſſe hoc iter in conſpectu Dei; nullam enim afferet utilitatem matri eccleſiarum. Quapropter oportet te reverti ad eum qui te miſit, eique meo nomine denunciare, ne ſit ullatenus ſollicitus de disjunctione Apoſchiſtarum: non enim diu abhinc, ſed ſub ejus Pontificatu erit unio, & omnes Hieroſolymitani fient unus grex atque ſub uno Paſtore.* (Veritatem viſionis firmavit vaticinii eventus, de quo vide ſupra *col. 176.*) *Te autem oportet venire ad meam lauram; & fratrum quidem cellas* (diſperſas nempe) *diruere ab ipſis fundamentis, cœnobium vero reædificare illic, ubi meum ædificaſti cœmeterium. Locum enim Deo placet non lauram eſſe, ſed potius cœnobium, &c.* Et num. 116. pag. 301. *Tranſiens poſtea ad Patriarcham, ei omnia renunciavit Fidus. Et ille vehementer admiratus narrationem opinione majorem; profecto, inquit, Dei propheta eſt magnus Euthymius .... quæ enim ad lauram ſpectant, ea coram nobis omnibus prædixit, jam in Chriſto per mortem conſummandus. His dictis, ipſe etiam Fido committit cœnobii ædificationem, conceditque ei ut illò proficiſcatur, ſimul profeſſus ſe quoque omnibus viribus opus una eſſe aggreſſurum.* Et num. 117. *Fidus itaque, accepta magna manu miniſtrorum & ſtructorum, cum uno ex mechanicis ſeu architectis, deſcendit in lauram: quumque ædificaſſet cœnobium, ſeptoque & muro in orbem eſſet complexus, vetus quidem templum attribuit fratribus ad cœnaculum; aliud autem templum ædificat ſuperius. Intra cœnobium vero ſplendide excitat turrim velut quoddam totius eremi propugnaculum, & in medio cœmeterio collocat, &c.* Et n. 119. *Quum itaque hujuſmodi totum cœnobii ædificium ſimul & ornamentum non opus habuiſſet plus quam tribus annis ob multas manus intenſumque miniſterium, volebant quidem divini illi Patres, cum alio ornatu & artificio dedicationem etiam eccleſiæ tribuere; eos autem arcebat rurſus aquæ penuria: nam in illa ſolitudine pluit tantum hyeme.... Itaque Helias præpoſitus, & diaconus Fidus ſignificant Longino inferioris monaſterii præfecto, & Paulo præpoſito monaſterii Martyrii, ut per jumenta eos adjuvent ad aquam ex Pharis* ἀπὸ Φαρῶν *transferendam.* Num. 120. pag. 304. *Sequenti ergo nocte, paratis iis circa diluculum ad iter, jamque congregatis jumentis, apparet nocte illa beato Heliæ magnus Euthymius: Quid hoc ſibi vult, rogans, quod hodie jumenta congregetis? Quum is vero reſpondiſſet: ut aquam ex Pharis afferamus, eo quod nos nunc omnino defecerit; increpavit ille, dicens: Modicæ fidei homines, quanam de cauſa Deum non precati eſtis? Num is qui è prærupta petra inobedientem potavit populum, & aquam ex aſini maxilla Samſoni aliquando fecit ſcaturire, non poterit vobis quoque ad uſum ſuppeditare, dummodo cum fide offeratis petitionem? Deinde eis etiam prohibuit iter ad Pharas* ἐπὶ Φαρὰς, *ut minime neceſſarium. Aqua enim vobis implebuntur, inquit, vel maximæ ciſternæ, ne tribus quidem horis expectatis.* Et n. 121. *Excitatus è ſomno ad viſionem beatus Helias, ſtatimque ea Fido & reliquis annunciata, jumenta à propoſito ſolvit miniſterio: quum nox autem jam tranſiiſſet, & ſol omnem quantam videt terram radiorum illuſtraret jaculis, nubes alicunde aërem ſubito complexa cœnobio incumbentem, erupit protinus in pluviam, & omnia quidem circumcirca ſimile adhuc puniebat flagellum ſiccitatis; ii autem ſoli qui erant in cœnobio, aqua præter opinionem fruebantur: perinde ac ſi aliquis pluviam circumſcripſiſſet, rurſuſque non ſineret ulterius progredi. Poſtquam autem ciſternæ fuerunt aqua plenæ, nec ii amplius indigebant imbribus è cælo, ſtatim nubes diſſipata eſt, & vehemens imbrium procella ad ſerenitatem iterum redacta fuit.* Et num. 122. pag. 305. *Quum vero miraculum brevi totam pervaſiſſet ſolitudinem, atque ad ipſum etiam archiepiſcopum Martyrium jam perveniſſet, deſcendens ille cum multa rerum affluentia ad cœnobium, præclaram agit ſynaxim & vigiliam, cum multis lampadibus & ſuffitibus* καὶ θυμιάμασι: *ſed & ſplendidam magnificamque facit dedicationem; deponens ſub altari quaſdam partes reliquiarum martyrum Tarachi, Probi & Andronici, ſeptimo menſis Maii, anno jam duodecimo poſt Euthymii mortem* (proindeque Chriſti 484.) *Quum aliquod autem tempus tranſiiſſet, diaconus quoque Fidus accipit epiſcopatum civitatis quæ vocatur Dora:* proindeque ordinatus eſt Fidus iſte, vel ſub finem anni 484. vel anno ſeq. 485. Quid in præſulatu egerit, & quonam obierit anno nos latet. Conſtat ſolum exeunte anno 518. eum non fuiſſe amplius ſuperſtitem.

II. BARACHIUS.

Quum, poſt mortem Anaſtaſii Imperatoris anno 518. menſe Julio, Juſtinus I. ejus ſucceſſor ſynodum Chalcedonenſem ubique recipi curaret, Joannes Patriarcha Hieroſolymitanus ea de re concilium eodem anno celebravit, cui adfuerunt 33. epiſcopi, & inter eos *Barachius epiſcopus Dorenſis.* Epiſtolæ enim ſynodicæ hujus concilii, quæ extat *tom. 5. concil. Labb. col. 187.* C. præmiſſo titulo, *Reſcriptum Joannis Hieroſolymitani,*

& epiſcoporum qui ſub eo ſunt, ad Joannem A *Conſtantinopolitanum,* ſubſcripſit cum cæteris, *col. 191.* E. Βαρόχιος ἐπίσκοπος Δώρων ἐῤῥῶσθαί με, καὶ τὰ λοιπά. *Barochius epiſcopus Dororum, valere me, & reliqua:* (id eſt, ut legitur in prima ſubſcriptione Joannis Hieroſolymitani, *col. 190.* E. *Et Domino bene placere orate, Domini ſancti, ac Dei amantiſſimi Patres.*) Tunc itaque eccleſiæ huic Dorenſi Barachius iſte præſidebat. Sed de eo præterea nihil nobis compertum eſt.

III. Joannes.

Sententiæ ſynodali Hieroſolymis latæ, præſide Petro Patriarcha, anno 536. menſe Septembri, adverſus Anthimum alioſque hæreticos concilii Chalcedonenſis hoſtes, ſubſcripſit Ἰωάννης ἐπίσκοπος Δοαρῶν, *Joannes Doarenus, tom. 5. concil. Labb. col. 283.* E. Mendum ſane occurrit in vocabulo Δοαρῶν, & legendum, vel Δόρων *Dororum,* vel Ζοαρῶν *Zoarorum.* Hæc quidem poſtrema lectio arrideret, eo quod illo ipſo anno 536. *Joannes epiſcopus Zoarorum,* concilio Conſtantinopolitano, menſibus Maio & Junio, ſub Menna C hujus urbis præſule, interfuerit: verum obſtare videtur, quod ſynodo Hieroſolymitanæ in eo caſu defuiſſe dicendum eſſet *epiſcopum Dorenſem* primum Cæſareæ metropolis ſuffraganeum, nec adſtitiſſe qui ejus vices geſſiſſet, inter 33. epiſcopos qui ad hanc ſynodum venerunt. Probabilius ergo, dum ſederet Joannes epiſcopus Zoarorum, extitiſſe pariter in Palæſtina alium Joannem epiſcopum Dorenſem qui huic ſynodo Hieroſolymitanæ ſubſcripſerit, Joannem vero Zoarorum abfuiſſe. Vide infra, ubi de eo D epiſcopo, inter Zoaræ antiſtites, in tertia Palæſtina.

IV. Stephanus.

Sub Sophronio I. Hieroſolymitano Patriarcha, qui poſt Modeſtum circa ann. 634. ad hanc ſedem evectus fuit, Dorenſi eccleſiæ præerat *Stephanus,* quem ille Romam ſuppetias poſtulandi gratia adverſus naſcentem Monotheliſmum miſit. Is iterum atque iterum & tertia vice, coram Theodoro Papa ejuſque ſucceſſoribus, & poſtremo coram Martino I. ſynodum Lateranenſem habente anno 649. ſeſe præſentem ſtitit, huicque ſynodo inter alios præſules ſubſcripſit in hunc modum, *tom. 6. concil. Labb. col. 367.* A. *Stephanus epiſcopus ſanctæ Dorenſis eccleſiæ, ut ſupra* (id eſt, ex Martini ſubſcriptione *col. 362.* A. *huic definitioni confirmationis orthodoxæ fidei,* B *& damnationi Sergii Conſtantinopolitani quondam epiſcopi, Cyri Alexandriæ antiſtitis, Theodori item epiſcopi Pharanitani, Pyrrhi, atque Pauli item Conſtantinopolitani epiſcopi, cum hæreticis eorum ſcriptis, & impiæ Ecthefeos, & impii Typi ab ipſis illegitimè promulgatorum, propria manu, ſtatuens ſubſcripſi.*) In Græco textu, *col. 368.* A. Στέφανος ἐπίσκοπος Δώρων, ὁμοίως. De eo plura diximus, tum *col. 129. & ſeqq.* tum *col. 273. & ſeqq.* quæ hic repetere neceſſe non eſt. Quamdiu autem poſt annum 649. ſuperſtes fuerit iſte Stephanus, hactenus aſſequi non licuit.

V. Zacharias.

Extat inter opera S. Joannis Damaſceni novæ editionis Pariſ. 1712. *to. 1. p. 655.* A. *epiſtola ſanctiſſimi Petri Manſur ad Zachariam epiſcopum Doarum* Δοαρῶν, de corpore & ſanguine Chriſti. Pro Δοαρῶν autem legendum arbitror Δώρων *Dororum.* Auctor enim hujus epiſtolæ, qui non fuit ipſe ſanctus Joannes Damaſcenus, cujus nec doctrinam refert, videtur commoratus in Palæſtina, quippe qui *pag. 655.* A. quædam verba recitat ex liturgia ſancti Jacobi ſeu Hieroſolymitana. Quum vero non conſtet quandonam vixerit Petrus ille, pariter etiam hujus Zachariæ ævum definiri accuratè non poteſt. Ejus porro hic meminimus, ex hypotheſi quod reipſa fuerit, aliquo tempore, Dororum in Palæſtina epiſcopus, *Zacharias* nuncupatus.

III. ECCLESIA ANTIPATRIDIS.

Antipatridis mentio habetur Act. Apoſt. *cap. 23. verſ. 23. & 31.* Joſephus *lib. 16. antiq. cap. 9.* conditam tradit hanc urbem ab Herode, in campo qui dicitur Capharſaba, aquoſo & plantis idoneo, etiam amne circumfluente. Vicum ſcilicet ejuſdem nominis jam ibi ſitum, in urbem auxit præfatus Herodes, &, ex nomine patris ſui *Antipatri, Antipatridem* nuncupavit. Id innuit idem Joſephus *lib. 13. cap. 23.* his verbis: *foſſam duxit* (Alexander) *à Chabarzaba* ἀπὸ τῆς Χαβαρζαβᾶ *incipiens, quæ nunc Antipatris vocatur* ἡ νῦν Ἀντιπατρίς. S. Hieron. in Epitaph. Paulæ Vid. *cap. 3.* de ejus peregrinationibus in Palæſtina agens, dicit: *deinde Antipatrida ſemirutum oppidulum, quod de patris nomine Herodes vocaverat.* An tunc ſedes epiſcopalis extiterit nulla monumenta produnt. Certe unum duntaxat ejus præſulem novimus, qui latrocinio Epheſino anno 449. & poſtea Chalcedonenſi concilio anno 451. interfuit.

Digitized by Google

EPISCOPI ANTIPATRIDIS.

POLYCHRONIUS.

IN pſeudoſynodo Epheſina anno 449. A lapſus eſt *Polychronius epiſcopus Antipatridis:* ſed biennio poſt in concilio Chalcedonenſi anno 451. veniam petiit & obtinuit. In hac poſtrema ſynodo nomen ejus pluries invenitur ſubſcriptum. *To. 4. conc. Labb. Act. 1. part. 2. col. 82.* E. *Polychronio Antipatridis.* Item *col. 118.* E. *Et Polychronio Antipatridis civitatis.* Et *col. 788.* D. *Polychronius Antipatridis.* Denique Act. 16. inter cæterorum epiſcoporum ſubſcriptiones, *col. 805.* E. *Polychronius epiſcopus Antipatridis definiens ſubſcripſi,* Πολυχρόνιος Ἀντιπατρίδος ὁρίσας ὑπέγραψα.

IV. ECCLESIA LYDDÆ *ſeu* DIOSPOLIS.

LYDDA, ab Hebræis *Lud,* & à Gentilibus *Dioſpolis* ſive *Jovis civitas* appellata eſt; de qua Theodoretus *lib. 1. hiſt. eccl. cap. 5. pag. 21.* D. edit. Valeſ. Λύδδα δὲ ἐστιν ἡ νῦν καλουμένη Διόσπολις, *Lydda vero civitas eſt quæ nunc Dioſpolis appellatur.* Poſt Judæorum è Babylonia regreſſum à Benjaminitis habitata fuit, ut habetur 2. Eſdr. *cap. XI. verſ. 31. & 34. Filii autem Benjamin à Geba,* (ſeu Gabaa) *Mechmas.... Seboim & Neballat, Lod, &c.* Judææ ſubinde toparchia evaſit, à Samaritide diſtracta, 1. Machab. *cap. XI. verſ. 28. & 34.* Joſephus *lib. 20. antiq. cap. 5.* Lyddam *vicum* dicit *nulli civitati magnitudine cedentem.* Haud procul Joppe diſtabat, ex qua Petrus Apoſtolus accitus Tabitham ſuſcitavit, *Act. cap. 9. verſ. 38. & ſeqq.* Ibidem quoque Æneam ſanavit paralyticum, *verſ. 32. 33. & 34.* Synodo in cauſa Pelagii coacta anno 415. notiſſima facta eſt illa civitas. In notitia Patriarchatuum Nili Doxopatrii, ſcripta anno Chriſti 1151. edita à Le Moine in variis ſacris *pag. 231.* & à Scheltratano *to. 2. antiq. eccl.* quæ apud Hadrianum Relandum in Palæſtina Illuſtrata, edit. Trajecti Batavorum 1714. *to. 1. pag. 220. & ſeq.* legitur, hæc ſunt: *Habet autem* (Patriarcha Hieroſolymitanus) *archiepiſcopatus nemini obnoxios 25. qui nullos ſub ſe habent epiſcopatus, & ſubſunt omnes throno Hieroſolymitano. Primus Dioſpoleos ſive urbis Georgii.* α. τῆς Διοσπόλεως ἤτοι Γεωργίου πόλεως. Addit idem Hadrian. Reland. *to. 2. pag. 960.* templum ſancti Georgii non longè à Rama extitiſſe, ubi olim Lydda fuit, cujus templi pars adhuc ſupereſt: & de illo templo intelligendum cenſet *ibid.* quod ſcribit de Califa Ægypti Joannes Cantacuzenus *lib. 4. hiſtor. cap. 14. pag. 757. Poſt hæc petiit legatus veſter, ut quoddam ruinoſum ædificium veteris templi, ſancti Georgii dicti, vicinum Romanis* (*Ramenſibus,* id eſt, inquit Relandus, incolis Ramæ, puto enim Ῥαμλίων ſcriptum fuiſſe, non Ῥωμαίων ut nunc legitur, voce notiori à librariis ſubſtituta pro ignotiori) *renovaretur, quod etiam conceſſimus.* Urbem hanc *Rama,* quæ & *Ramola* vel *Ramula* ſive *Ramla* dicitur, Abulfeda in Geographia ſua manuſc. ait conditam eſſe à Solimanno filio Abdelmelic, vaſtata urbe Lydda, abeſſe autem ab urbe Hieroſolymitana, itinere unius diei: Sanutus vero in *libro 3.* Secretorum Fidelium Crucis, *part. 6. cap. 4. pag. 152. lin. 46.* eamdem *civitatem Ramam ædificatam ab Arabibus prope Lyddam, quum peregrini primo iverunt ad partes illas, poſt tempora Mahumeti.* Quod Elmacinus confirmat *lib. 1. hiſt. Saracen. cap. 14. pag. 74.* his verbis: *Eodem anno* (98. Hegiræ inchoato die 24. Aug. anni Chriſti 716.) *cœpit Suleiman* (Solimannus) *ædificare Ramlam,* proindeque anno illo 716. vel 717. ante menſem Auguſtum. Ab hiſtoricis bellorum ſacrorum Gallica voce veteri *Sangorge de Rama* nuncupatur. Bernardus Francus monachus qui anno 868. ad loca ſacra Palæſtinæ peregrinatus eſt, ut ſupra retulimus *col. 372.* E. *& ſeqq.* ait in itinerario ſuo: *Deinde venerunt Alarixa, de Alarixa in Ramula juxta quam eſt monaſterium beati Georgii martyris, ubi ipſe requieſcit. De Ramula ad Emmaus caſtellum, de Emmaus ad ſanctam civitatem Hieruſalem.*

EPISCOPI LYDDÆ *ſive* DIOSPOLIS.

I. ZENAS *ſive* ZENO.

DOROTHEUS epiſcopus Tyri, qui tempore B Licinii Imperatoris martyrium ſubiit, ait in ſynopſi de 70. diſcipulis, quæ ipſi attribuitur, *Zenam* unum illorum Dioſpolis epiſcopum fuiſſe. Ita apud Hadrianum Relandum in Palæſtina Illuſtrata *tom. 2. pag. 879.* Ζηνᾶς ὁ Νομικὸς ὃ καὶ αὐτὸς ὁ Ἀπόστολος μέμνηται, ὃς καὶ ἐπίσκοπος Διοσπόλεως γέγονεν. *Zenas legis peritus, cujus meminit quoque Apoſtolus,* (Ad Tit. 3. 13.) *epiſcopus Dioſpolis fuit.* Verum, inquit idem Relandus, *pag. 751.* nulla eſt hujus libelli auctoritas qui nomine Dorothei prodiit. Caniſius *tom. 2. antiq. lect. pag. 760.* hæc ex menologio Græcorum recitat, ad

Digitized by Google

ECCLESIA LYDDÆ ſeu DIOSPOLIS.

diem 27. April. *Zeno hic ille eſt quem Paulus Apoſtolus* νομικὸν *appellat ad Romanos* (ad Tit.) *ſcribens, qui quum à beato Petro in Dioſpoli primus epiſcopus eſſet conſtitutus, docebat prædicans Chriſtum eſſe Deum verum. Hi igitur* (Ariſtarchus ſcilicet, Marcus, & hic Zeno) *quum multas ærumnas ab infidelibus pro ædificatione eccleſiarum, & everſione idolorum paſſi, miraculorumque & ſanitatum effectores eſſent, ad Chriſtum Dominum migraverunt.*

II. Aetius.

Unus patronorum Arii, à quo Ariana hæreſis denominata eſt, extitit *Aetius epiſcopus Lyddæ.* Hunc quippe laudat Arius in epiſtola ad Euſebium Nicomedienſem, quam refert Theodoretus *lib. 1. hiſtor. eccl. cap. 5. edit. Valeſ. pag. 21.* A. *Et quoniam Euſebius frater tuus epiſcopus Cæſareæ, & Theodotus, ac Paulinus, Athanaſius, Gregorius, & Aetius, omnes denique per Orientem epiſcopi aſſerunt Deum principii omnis expertem exiſtere ante Filium, &c.* Subdit Theodoretus paulo inferius. *Porro ex iis quos Arius in hac epiſtola recenſet, Euſebius quidem epiſcopus erat Cæſareæ, Theodotus vero Laodiceæ, Paulinus Tyri, Athanaſius Anazarbi, Gregorius Beryti, Aetius autem Lyddæ. Lydda vero civitas eſt quæ nunc Dioſpolis appellatur. Atque hos quidem opinionis ſuæ fautores habere ſe Arius gloriabatur.* Subſcripſit tamen concilio Nicæno *Aetius Lyddenſis, tom. 2. conc. Labb. col. 51.* C. Imò, ſi Philoſtorgio credimus *lib. 3. hiſt. eccl. cap. 12. pag. 485.* C. partes catholicorum poſtea amplexus eſt, brevique divinitus morte mulctatus. *Athanaſius vero,* inquit.... *per urbes tranſiens, ſingulos epiſcopos ad quos acceſſerat, ad conſubſtantialis fidem ſermonibus ſuis excitabat:* Et ſubjungit *alios quidem epiſcopos verbis Athanaſii non obtemperaſſe: Aetium vero epiſcopum Palæſtinæ qui fornicationis reus delatus fuerat, quum per communionem Athanaſii id probrum occultare vellet, ad ejus ſententiam ſe tranſtuliſſe; verum eumdem brevi pœnas dediſſe* morte turpiſſima *qua ex hac luce, vermibus corroſus, ſublatus eſt.* Obiit Aetius, dum adhuc ſederet Hieroſolymis Macarius qui anno 335. vita functus eſt.

III. Maximus *electus.*

IV. * * *

Sozomenus *lib. 2. hiſt. eccl. cap. 20. edit. Valeſ. pag. 470.* D. & *ſeq.* A. B. hæc narrat: *Eccleſiam Hieroſolymitanam poſt Macarium Maximus ſuſcepit. Hunc Dioſpolitanæ eccleſiæ epiſcopum à Macario conſtitutum eſſe memorant; ſed cives Hieroſolymorum eum apud ſe detinuiſſe. Nam quum confeſſionis gloria clarus, & omni ex parte egregius eſſet, plebis judicio tacitè*

A *deſignabatur, ut poſt obitum Macarii epiſcopatum illic capeſſeret. Proinde quum plebs moleſtè ferret eripi ſibi hominem, cujus virtutem experta eſſet, & ſeditio intentaretur; commodius viſum eſt, ut Dioſpolitanis quidem alius eligeretur epiſcopus: Maximus vero maneret Hieroſolymis, & una cum Macario epiſcopali munere fungeretur, & poſt ejus obitum eccleſiam gubernaret. Cæterum qui res iſtas accurate examinarunt, affirmant ex ſententia Macarii hæc acta eſſe, & à plebe ſummo ſtudio poſtulata. Aiunt enim pœnituiſſe Macarium, quod Maximum*

B *Dioſpoleos epiſcopum ordinaſſet,* φασὶ γὰρ αὐτὸν μεταμεληθῆναι ἐπὶ τῇ Μαξίμου χειροτονίᾳ. *Quippe ordinatione celebrata cogitare cœpit, illum qui & recte de Deo ſentiret, & ob confeſſionem populo acceptus eſſet, neceſſario ſervandum fuiſſe ut ipſi ſuccederet. Etenim verebatur, ne, ſe mortuo, Euſebius & Patrophilus Ariani dogmatis fautores, occaſionem nacti, aliquem ejuſdem dogmatis labe infectum in Hieroſolymitana ſede collocarent. Siquidem Macario adhuc ſuperſtite res novas moliti fuerant; ſed quum ab illo communione privati eſſent,* ἀφο-

C ρισθέντες δὲ ὑπ' αὐτοῦ, *ea de cauſa conquieſcebant.* De eo Maximo qui Macario ſucceſſit, vide ſuperius inter Hieroſolymitanos præſules, *coll. 156. & 157.* Ex illa autem Sozomeni relatione diſcimus, hunc *Maximum* pro eccleſia Dioſpolitana à Macario fuiſſe primitus ordinatum: at deinde *alium qui non nominatur,* in ejus locum Dioſpolitanæ ſedi fuiſſe præfectum.

V. Dionysius.

Subſcriptus concilio ſecundo generali

D Conſtantinopoli celebrato anno Chriſti 381. legitur *to. 2. conc. Labb. col. 955.* C. *Dionyſius Dioſpolitanus.* Ejus ceu *Confeſſoris* meminit Hieronymus epiſt. 61. quæ eſt ad Pammachium, de erroribus Joannis Hieroſolymitani, non longè ante finem, ubi Joannem adloquens hæc interſerit: *An non tu potius ſcindis eccleſiam, qui præcepiſti Bethleem preſbyteris tuis, ne competentibus noſtris in Paſcha baptiſmum traderent, quos nos Dioſpolim ad confeſſorem & epiſcopum miſimus Dionyſium baptizandos!* Hanc epiſtolam ſcripſit Hieronymus, ex ob-

E ſervat. Tillem. *tom. 12. hiſt. eccl. pag. 643. col. 1.* exeunte anno 396. vel initio anni ſequentis 397. quo reconciliatio inter ipſum & Joannem inita eſt. Adhuc itaque vivebat Dionyſius Dioſpolitanus anno Chriſti 396. Paſſum aliquid mali, fortaſſis exilium, fidei orthodoxæ cauſa neceſſe eſt, ſub Valente Imperatore Ariano, quandoquidem ipſum *Confeſſorem* appellat Hieronymus. Annus mortis ejus nos latet, videtur tamen deceſſiſſe ante annum 415. quo Dioſpolitana ſynodus

Digitized by Google

celebrata eſt: nam inter 14. epiſcopos qui huic interfuerunt, & nominantur ab Aug. *lib. 1. cont. Jul. cap. 5. Dionyſius* ſiletur, nec memoratur quis tunc ex illis fuerit Dioſpolitanus antiſtes, niſi is unus ſit ex iis ſex epiſcopis, quorum ſedem ignoramus, ſcilicet *Ammonianus, Zoſimus, Nymphidius, Chromatius, Porphyrius* alter à Gazenſi, demum *Clematius*. Veriſimile quippè non eſt in ſynodo Dioſpolitana abfuiſſe epiſcopum Dioſpolitanum, niſi tunc ſedes illa vacaverit.

VI. PHOTINUS.

In latrocinio Epheſino anno Chriſti 449. Dioſcori Alexandrini Patriarchæ furori ceſſit, ut cæteri fere epiſcopi, *Photinus* Dioſpolitanus præſul: at poſt biennium, in ſynodo Chalcedonenſi anno 451. errorem retractavit, & reconciliatus eſt eccleſiæ, Act. præſertim IV. ubi Leonis Papæ ad Flavianum epiſtolam approbavit, duaſque in una Chriſti perſona naturas confeſſus eſt, *tom. 4. conc. Labb. col. 494*. A. Cæteris demum ſynodi decretis, cum aliis epiſcopis ſubſcripſit hoc modo, *ibidem col. 585*. C. *Photinus minimus epiſcopus Lyddæ, definiens ſubſcripſi*: Φωτεινὸς ἐπίσκοπος ἐλάχιστος Λύδδης, ὁρίσας ὑπέγραψα· & *col. 788*. C. *Photinus Dioſpolitanus*. Baluzius *in nova collect. concilior. col. 1239*. habet *Photinus epiſcopus Lyddæ*.

VII. APOLLONIUS.

Anno 518. ſedebat Lyddæ ſive Dioſpoli *Apollonius*, qui ſynodicæ trium Palæſtinarum epiſtolæ, à Joanne Hieroſolymorum Patriarcha ad Joannem Conſtantinopolitanum antiſtitem directæ, ſubſcriptus legitur *tom. 5. concil. Labb. col. 194*. Ἀπολλώνιος ἐπίσκοπος τῆς Διοσπολιτῶν, *Apollonius epiſcopus Dioſpolitanus*.

VIII. EUSTATHIUS.

Leontius diſcipulus & auctor vitæ ſancti Stephani Sabaïtæ, qui eam ſcribebat initio ſæculi IX. hujus *Euſtathii* meminit, apud doctiſſimos Bollandianos *to. 3. actorum ſanctorum* menſis Jul. ad diem 13. *pag. 585. num. 131*. E. *Alias quoque*, inquit, *pervidenti illuſtratus oculo* (Stephanus Sabaïta) *rem nobis dixit ſingularem, quum in Caſtellii ſpelæis tunc verſaretur per dies, quibus ſancti Patris noſtri Sabæ memoria celebratur, præſente eximio plane, ac ſuis claro virtutibus abbate tum, nunc autem Lyddæ, urbis Chriſto dilectæ, epiſcopo Euſtathio, qui ad viſitandum eum venerat. Quum igitur ſub veſperam exiguum quiddam pomorum cænaſſemus, illico ſenis vultus, ſplendentis inſtar ſolis accenſus, refulſit; dumque oculos in eum intendimus; dico*, inquit, *vobis*, A *abditam hic in terra juxta oſtium ſpeluncæ jacere pelvim; & ſi quidem rem vultis pernoſcere, fodite, & eam invenietis. Surgit extemplo abbas Euſtathius, & ſine ligone terram egerere manibus occipit, quo ardorem illum cito remittente, ita nos mirificus ſenex increpuit: neque fidem, neque patientiam habetis, miſeri. Incepi ergo & ego ſtatim una fodere cum illo. Jam terram ſimul ambo erueramus, alteque penetraveramus in locum, quum, re nulla detecta, incredulitas nobis ſuborta eſt, & ſuperſedere placuit foſſione. Quare ſenex turbari nos con-* B *ſpicatus, atque explicata non nihil fronte ſubridens ait: ſuſtinete adhuc aliquantulum, modicæ fidei. Eruta igitur, ad imperium Senis, paulo altius humo, in pelvim incidimus antiquam, nihilque continentem. Sed eam ut invenimus, dubitatio ſubiit ac ſuſpicio, an non, vel ipſe abſtruſiſſet eam ibi, vel alius quiſpiam qui id ipſi ſignificaſſet: donec illum interrogavi, noſque ſecuros reddere dignatus eſt, dicens: Teſtis profecto ipſa veritas, neque abſcondiſſe me illam, neque de ea indicium mihi quemquam feciſſe, neque reconditam iſtic eam latere vel cogitaſſe me ante* C *horam hanc, qua indicavi vobis. Tum enimvero manifeſte deprehendi, perſpicaci ductum colluſtratumque mentis intuitu aſſequutum hoc eum fuiſſe; ac Deum laudavi glorificantem famulos ſuos*. De hoc ſancto Stephano Sabaïta, & Leontio vitæ ejus ſcriptore, vide quæ ſuperius dicta ſunt, *coll. 305*. D. *342*. E. *& ſeqq.* Quid egerit Euſtathius iſte in epiſcopatu Lyddenſi, quove anno ſæculi noni obierit, nobis ignotum eſt.

IX. * * *

D Anno 1602. vir illuſtriſſimus Dominus Franciſcus de Breves, Chriſtianiſſimi Regis Henrici IV. apud Turcicam Aulam Orator, in Palæſtinam quum appuliſſet, ut ſacra loca inviſeret, Lyddam ingreſſus ab *hujus urbis epiſcopo* multo honore exceptus eſt. Id indicat Itinerarium ejus Gallicè editum *pp. 100. & 101.*

X. DOROTHEUS.

In appendice ad librum Nectarii Patriarchæ Hieroſolymitani περὶ ἀρχῆς τοῦ Πάπα, *de* E *primatu Papæ*, qui anno 1682. typis Giaſienſibus prodiit, narratur Païſium, ejuſdem Nectarii qui obiit anno 1660. die 2. Decembris, deceſſorem Conſtantinopoli Hieroſolymam revertentem, navigationis ſocium inter cæteros habuiſſe *Dorotheum Lyddæ epiſcopum*, Δορόθεος ἐπίσκοπος Λύδδης, qui proinde anno 1660. ſedebat.

XI. ANTONIUS.

Synodo Hieroſolymitanæ, adverſus Calvi-

Digitized by Google

ECCLESIA LYDDÆ ſeu DIOSPOLIS.

nianos errores, à Doſitheo Patriarcha anno 1672. Bethleemi celebratæ interfuit & ſubſcripſit *humilis archiepiſcopus Lyddæ Antonius* ὁ ἐλάχιστος ἀρχιεπίσκοπος Λύδδης Ἀντώνιος, apud Harduin. *to. XI. conc. col. 270.* A.

XII. NICEPHORUS.

Ante annum Chriſti 1733. ſedebat *Nicephorus archiepiſcopus Lyddæ.*

XIII. LEFFRENDIUS.

Duplici epiſtola Gallicè ſcripta ex urbe Tripoli Syriæ anno 1733. una quidem die 1. Martii, altera vero die 25. ejuſdem menſis, moniti fuimus tunc epiſcopum Lyddæ fuiſſe *Leffrendium*, de quo nihil nobis aliud innoteſcit.

V. ECCLESIA JAMNIÆ.

JAMNIA ſive *Jabne,* vulgo *Zania,* urbs eſt antiqua Philiſtiim, cujus muros, ut & Azoti & Geth, Ozias rex Judæ deſtruxiſſe 2. Paral. *cap. 26. verſ. 6.* refertur: *Pugnavit contra Philiſtiim, & deſtruxit murum Geth, & murum Jabniæ, murumque Azoti.* In cenſu urbium Judæ, Joſue *cap. 15. verſ. 45.* juxta tranſlationem 70. Interpr. Ιαμναεὶ poſt Ἀκκαρὼν extat, quæ hæc videtur *Jamnia.* Scriptoribus antiquis Ἰάμνεια, Ιαμνία, & Ἰέμναα, nomen habet. Stephanus Byzantinus ſic de ea ſcribit. *Jamnia oppidum Phœniciæ, vicus Straboni ſic appellatus à Jamno;* ἀπὸ Ἰάμνου· *vel quod* Ἰάμνους *appellabant humidos & floridos locos.* Strabo quippe *lib. 16. pag. 759.* A. Edit. Caſaub. ait: *Locus hic adeo hominibus abundavit, ut ex Jamnia proximo vico, & circumvicinis habitationibus, quadraginta hominum millia armarentur.* Ad recitata autem modo Stephani verba ſubdit Thomas de Pinedo, *annot. 6. pag. 317. col 1. Quærere etymologiam urbis Judææ ſeu Phœniciæ à lingua Græca, deſipere eſt.* Verum, cum bona ejus venia dixerim, ita inſulſum non apparet, civitatem Judææ, nuncupatam Hebraicè *Jabneh,* à Græcis nominatam fuiſſe *Jamniam,* juxta ſibi proprium idioma, ex voce Græca Ἰάμνος, qua *locus humidus & virens* ſignificatur. Portum habebat Jamnia paulo à ſe diſſitum; unde Plinius duas facit Jamnias: unam in terris, alteram ad mare. *Lib. 5. cap. 13.* Portum hunc Judas Machabæus incendit 2. Mach. *cap. 12. verſ. 9.* ubi ab Hieroſolymis legitur ſtadiis 240. abeſſe.

EPISCOPI JAMNIÆ.

I. MACRINUS.

QUo tempore Arius hæreſim ſuam propalare incepit, *Macrinus* Jamniæ epiſcopus erat. Hunc enim & alios, teſte Epiphanio *lib. 2. to. 2. hær. 69. n. 4. pag. 730.* Alexander Alexandrinus Patriarcha de illius impietate per epiſtolam certiorem fecit. Obierat porro ante ſynodum Nicænam.

II. PETRUS.

Inter epiſcopos Palæſtinæ, qui concilio Nicæno interfuerunt anno Chriſti 325. legitur *Petrus Jamnienſis, tom. 2. concil. Labb. col. 51.* C. Legitur etiam ultimus in ſubſcriptionibus ſynodi Sardicenſ. anno 347. inter epiſcopos Palæſtinæ, *Petrus, ibid. col. 679.* D. Item epiſtolæ ſynodicæ quam Maximus Hieroſolymorum antiſtes ad populum Alexandrinum miſit pro Athanaſio, eodem an. 347. aut ſequenti, ſubſcripſit, *ibid. col. 727.* A.

III. ÆLIANUS.

Anno 381. Jamniæ ſedebat *Ælianus,* qui ſecundæ ſynodo generali Conſtantinopoli habitæ ſubſcripſit *Ælianus Jamnienſis, to. 2. conc. Labb. col. 955.* C.

IV. STEPHANUS.

In vita ſancti Euthymii archimandritæ quam accuratè ſcripſit Cyrillus Scythopolitanus, auctor ſuppar, & referunt tum Bollandus *to. 2.* Januar. ad diem 20. tum Cotelerius *tom. 2. monum. eccl. Græc.* frequens eſt mentio de hoc *Stephano.* Sic *num. 41. p. 233.* Cotel. legitur: *Suſcipit etiam* (Euthymius inter diſcipulos ſuos) *alios tres fratres genere, patria Melitenos,* Μελιτηνοὺς, *conſobrinos Synodii illius qui cum Acacio educaverat Euthymium, quorum nomina Stephanus, Andreas, Gaïanus.* Et num. 54. pag. 244. *Quum magna & œcumenica ſynodus Epheſi tunc primum congregaretur, Synodius, qui cum Acacio fuerat magiſter Euthymii .... adhuc pueri, in Palæſtinam ad adoranda loca venerabilia profectus, accedit etiam ad lauram, quinquageſimo-quarto anno ætatis magni Euthymii, partim ut illum ipſum Euthymium viſeret, partim ut ſalutaret conſobrinos ſuos Stephanum, Andream, & Gaïanum. Videns igitur Euthymium, ei narravit de impiiſſima hæreſi Neſtorii, &c. Expoſuit etiam ei de Cyrillo Alexandrino, & Acacio Melitenenſi, quemadmodum ardentem zelum exhiberent pro fide orthodoxa, & quod œcumenica ſynodus eſſet*

Digitized by Google

mox Epheſi congreganda adverſus illum impium. A *His ergo ſic dictis à Synodio, animo lætatus eſt Euthymius, talia diſcens de Acacio.... à quo fuerat inſtitutus in exercitio litterarum. Deinde vero quum ei valedixiſſet Synodius, diſcedit è laura, aſſumens Stephanum conſobrinum, & abit in ſanctam civitatem, atque perſuadet ei cui commiſſa erat eccleſiæ illius gubernatio,* (ſcilicet Juvenali) *ut Stephanum cooptaret in numerum ſuorum diaconorum. Ille autem una cum eo ordinat quoque Coſmam Cappadocem, & utrumque refert in diaconorum chorum.* Et num. 57. pag. 247. *Juvenalis Stephanum* B *Melitenenſem ordinat Jamniæ epiſcopum* (quibuſdam utique annis poſt celebratam Epheſinam ſynodum.) Et num. 72. pag. 260. *Cæterum ſeptuageſimo-quinto anno ætatis magni Euthymii, congregata fuit ſynodus Chalcedonenſis.... Huic ſynodo etiam intererant diſcipuli præcellentis Euthymii, Stephanus Jamniæ, & Saracenorum epiſcopus Joannes....* (qui) *poſtquam fidei decretum* (fuit) *mandatum litteris, eo ſtatim arrepto, quam potuerunt celerrimè ad Euthymium accedunt.... volentes ſcire an ipſe quoque aſſentiretur iis quæ ſcripta fuerant....* C *neque habebant quo modo aut conſentirent, aut differrent, antequam cognoſcerent quo vergeret illius ſententia. Poſtquam vero ille legiſſet, & quæ ſcripta erant inveniſſet rectè ſe habere, & rectæ regulæ veritatis concinere, pervaſit repente fama totam ſolitudinem, quod & magnus Euthymius ſequeretur ſynodum Chalcedonenſem.* Subſcriptus extat *tom. 4. conc. Labb.* in concilio præfato, *actione 1. col. 82.* E. Στεφανȣ Ἰαμνίας, *Stephanus Jamniæ Palæſtinæ.* Act. 2. col. 329. A. Eodem modo, *act. 3. ibid. col. 445.* C. hæc de eo referuntur: *Stephanus epiſcopus civitatis Jamnæorum dixit: His quæ determinata ſunt à ſanctiſſimis Patribus ſuper Dioſcoro Alexandrinorum quondam epiſcopo, conſentio, & alienum eum judico ab omni ſacerdotali miniſterio.* Act. 6. ibid. col. 585. C. *Stephanus epiſcopus Jamniæ definiens ſubſcripſi,* Στέφανος ἐπίσκοπος Ἰαμνίας, ὁρίσας ὑπέγραψα. Denique *act. 16. col. 788.* D. *Stephanus Jamnienſis.* Nihil aliud de eo reperimus.

V. Zenobius.

Inter epiſcopos Palæſtinæ qui ſynodicæ Joannis Hieroſolymitani præſulis ad Joannem Patriarcham Conſtantinopolitanum epiſtolæ ſubſcripſerunt, anno Chriſti 518. legitur *to. 5. conc. Labb. col. 191.* A. *Zenobius epiſcopus Jamnianus me benè valere, & reliqua.* Ζηνόβιος ἐπίσκοπος Ἰαμνίας, ἐῤῥῶσθαί με, καὶ τὰ λοιπά.

VI. Stephanus II.

Anno 536. adfuit ſynodo Hieroſolymis celebratæ contra Anthimum ſub Petro Patriarcha, *Stephanus epiſcopus Jamniæ,* qui & ſententiæ adverſus eum latæ, cum cæteris trium Palæſtinarum præſulibus ſubſcripſit in hunc modum: *To. 5. conc. Labb. col. 286.* D. Στέφανος ἐπίσκοπος τῆς Ἰαμνιτῶν, ὁρίσας ὑπεσημηνάμην, *Stephanus epiſcopus Jamnitanus, diffinivi & ſubſignavi.*

VI.

ECCLESIA NICOPOLIS.

NICOPOLIS, cujus priſcum nomen *Emmaus* ſive *Ammaus* fuit, ab Hieroſolymis viginti duobus milliaribus ſive 176. ſtadiis diſtabat, ut in Itinerario veteri Hieroſolymitano legitur. Unde minime confundenda eſt hæc civitas cum vico *Emmaus* qui ex Evangelio Lucæ *cap. 22. verſ. 13.* erat ſolum *in ſpatio ſtadiorum 60.* Nonnulli tamen, etiam ex veteribus ſcriptoribus, utrumque illum locum pro uno eodemque ſumſere. Diſtinguendos illos Emmaus duos multis oſtendit Hadrianus Relandus in Palæſtina illuſtrata, *to. 1. pag. 426. & ſeqq.* «De *Emmaunte,* inquit, magis ardua eſt diſquiſitio. Si enim *Emmaus* ab Hieroſo-
» lymis non abfuit, niſi per ſpatium 60. ſtadiorum, quomodo ſita dicitur 1. Macch. *cap. 3.*
» *verſ. 40.* in regione campeſtri! campeſtris (enim) regio longius aberat ab Hieroſolymis
» occaſum verſus. Id Itineraria omnia & αὐτόπται uno ore affirmant: (ſcilicet) decem milliarium
» Romanorum ſpatia circiter ab urbe Rama, per quam iter ducit à Joppe Hieroſolymas, (&)
» campis relictis ad montana adſcenditur, (extare,) per (quæ) iter continuum fit uſque ad Hie-
» roſolymas. Notius hoc certiuſque quam ut negari poſſit.... Præterea (illa) Emmaus (quæ)
» poſtea Nicopolis dicta eſt.... aberat Hieroſolymis 22. milliaribus Romanis, id eſt, 176. ſtadiis,
» ut in Itinerario veteri Hieroſolymitano legitur. Quantum differt hoc ſpatium à 60. ſtadiis!
» (Inſuper) multa habentur in ſcriptis veterum, (quæ miror tot viros doctos non advertiſſe,)
» de Nicopoli tradita, quæ nulla prorſus ratione Emmaunti à Luca memoratæ conveniunt....
» Duo (quippe) loca ſunt disjunctiſſima maximeque diverſa: quod ut clarum fiat ad hæc
» velim attendi. Primo, Emmaus à Luca commemorata, erat κώμη, vicus, 60. ſtadiis diſtans
» ab Hieroſolymis. Joſephus idem teſtatur *lib. 7. de bell. Jud. cap. 27.* χωρίον.... Ἀμμαοῦς
» ἀπέχει τῶν Ἱεροσολύμων σταδίους ἑξήκοντα. Emmaus autem, quæ Nicopolis dicta eſt, urbs fuit,

Digitized by Google

ECCLESIA NICOPOLIS.

»& Hieroſolymis aberat 22. milliaribus Romanis, quæ 176. ſtadiis paria ſunt. Deinde,
»Emmaus, dicta Nicopolis, illic erat ſita ubi ſunt campeſtria, & ubi montana Judææ
» incipiunt conſurgere. Ita ſcribit Hieronymus *comment. in Dan. cap. XI. verſ. 44. & 45.*
» *Juxta Nicopolin, quæ prius Emmaus vocabatur, ubi incipiunt Judææ provinciæ montana con-*
» *ſurgere.* Hoccine dici poteſt de loco qui 60. (tantum) ſtadiis Hieroſolymis abeſt?.... At
» ubi Nicopolis erat, 22. milliaribus ab Hieroſolymis, & 10. milliaribus à Lydda, illic inci-
» piunt montana Judææ conſurgere, ubi nunc oſtenditur *Caſtrum boni latronis.* Id omnes
» norunt qui iter illud confecerunt, aut itineraria legerunt recentia, &c. Præterea, Emmaus,
» Nicopolis dicta, jungitur cum Lydda, Joppe, aliiſque locis campeſtribus. Plinius *lib. 5.*
» *cap. 14. Fontibus irriguam* aſſerit *Emmaum, Lyddam, Joppicam, &c.* Hieronymus, (quem
» profecto ſtupendum eſt in Epitaph. Paulæ, & *lib. de locis Hebr.* ſcribere potuiſſe *Emmaunta*
» Lucæ eamdem fuiſſe atque *Nicopolim*) Hieronymus, inquam, *comment. in Abdiæ verſ. 19.* ait:
» *Qui autem habitabant in Sephela, id eſt, in campeſtribus (Lyddam & Emmaus, Dioſpolin ſcilicet*
» *Nicopolinque ſignificans) poſſidebunt Palæſtinos.* Et comment. in Ezech. *cap. 48. verſ. 21. & 22.*
» ita deſcribit regionem Tribus Dan: *Septima Dan uſque Joppen, ubi ſunt Turres Hailon &*
» *Selebi & Emmaus, quæ nunc appellatur Nicopolis.*» Porro perſpicuum eſt.... *Emmaunta,*
vicum à Luca memoratum, qui 60. ſtadiis Hieroſolymis aberat, in portione Tribus Dan non fuiſſe, quæ longius aberat Hieroſolymis.

Joſephus, pergit Relandus *pp. 428. & 429. Ammauntis* meminit pluribus in locis: *lib. 2. de bell. Jud. cap. 25. In toparchiam Thamnæ miſſus eſt qui eam adminiſtraret Joannes Eſſæus. Illi additæ ſunt Lydda, Joppe, & Ammaus.* Ἀμμαοὺς & Ἐμμαοὺς Joſepho idem locus eſt, quippe cui dicitur Ἀμμαοὺς *lib. 2. de bell. Jud. cap. 3.* Ἐμμαοὺς vero *lib. 17. antiq. cap. 12.* Superius etiam *lib. 12. antiq. cap. XI.* poſtquam narravit Gorgiam fuiſſe in Judæam miſſum cum exercitu, addit, οἱ δ᾽ ἄχρις Ἐμμαοῦς πόλεως ἐλθόντες ἐν τῇ πεδινῇ κατεστρατοπεδεύοντο, *Illi autem uſque ad Emmaunta urbem progreſſi in regione campeſtri caſtrametantur.* Regio autem campeſtris longius aberat Hieroſolymis verſus occaſum, quam ſint 60. ſtadia vici *Emmaus:* unde palam eſt Joſephum loqui de *Emmaunte,* dicta poſtea *Nicopoli,* de qua rurſus ſcribit *lib. 5. de bell. Jud. cap. 4.* Veſpaſianum cum exercitu veniſſe Antipatrida, inde in Thamniticam toparchiam, & Lyddam & Jamniam, & εἰς Ἀμμαοῦντα. Quis non videt hanc *Emmaunta* viciniorem fuiſſe Lyddæ, Joppe, & Jamniæ, quam ut credi poſſit eadem ac vicus *Emmaus* Hieroſolymis diſtans 60. tantum ſtadiis! Urbs quoque Emmaus, non vicus, memoratur *lib. 1. Machab. cap. 3. verſ. 40.* his verbis: *Et proceſſerunt cum univerſa virtute ſua, & venerunt, & applicuerunt Emmaum in terra campeſtri.* Et cap. 4. verſ. 1. *Et aſſumſit Gorgias quinque millia virorum, & mille equites electos, & moverunt caſtra nocte, ut applicarent ad caſtra Judæorum, & percuterent eos ſubito.... Et audivit Judas* (Machabæus) *& ſurrexit ipſe, & potentes, percutere virtutem exercituum regis* (Antiochi) *qui erant in Emmaum....* verſ. 14. *& congreſſi ſunt, & contritæ ſunt gentes, & fugerunt in campum. Noviſſimi autem omnes ceciderunt in gladio, & perſequuti ſunt uſque Geſeron, & uſque in campos Idumææ, & Azoti, & Jamniæ, &c.* Ad hanc victoriam reſpicit Hieron. *comment. in Daniel. cap. 8. verſ. 14.* ubi ait: *Judæ Machabæi ſignificat tempora, qui de vico Modin, fratribus ac propinquis ſecum adnitentibus, & multis de populo Judæorum, Antiochi duces ſuperat juxta Emmaus, quæ nunc Nicopolis dicitur.* Idem Joſephus *lib. 13. antiq. cap. 1.* munitam eſſe à Judæis urbem Ἐμμαοῦν ſcribit, & turres in ea ædificatas. Harum turrium & munitionum, inquit Hadrian. Reland. *pag. 429.* aut illarum quas Romani poſtea exſtruxerunt, reliquias ego ſuſpicor rudera quæ nunc ad latus dextrum viæ publicæ ducentis à Joppe conſpiciuntur, & *Caſtrum boni latronis* ſolent dici. Spatium certe decem milliarium Romanorum, quod illa rudera abſunt Dioſpoli, & quod Nicopolis abfuiſſe ſcribitur, eſt idem. Subjungit idem Relandus *to. 2. pag. 758. Tria loca eſſe nomine Emmauntis nota in Palæſtina;* 1.° *Urbem hanc, Nicopolim dictam poſtea.* 2.° *Vicum in Evangelio Lucæ memoratum.* 3.° *Locum vicinum Tiberiadi, qui à thermis nomen videtur traxiſſe.*

De novo nomine *Nicopolis,* urbi Emmaus impoſito hæc ſcribit M. Aurel. Caſſiodorus in chron. ad Conſulatum Alexandri & Auguſti, apud eumdem Reland. *pag. 759. His Coſſ. in Palæſtina Nicopolis, quæ prius Emmaus vocabatur, urbs condita eſt:* adeoque, ſecundum ipſius computum, ante imperium Alexandri Mammææ filii, ſub Elagabalo, ſive Heliogabalo. Chronicon Paſchale ad annum Chriſti 223. habet etiam: *Nicopolis Palæſtinæ, olim Emmaus dicta, condita eſt, legationem pro ea obeunte illius præfecto Julio Africano ſcriptore chronicorum.* Hieronymus, de Julio Africano agens in catalogo ſcriptor. eccleſ. ita rem narrat: *Julius Africanus, cujus quinque de temporibus extant volumina, ſub Imperatore Marco Aurelio Antonino* (id eſt, Heliogabalo) *qui Macrino ſucceſſerat, legationem pro inſtauratione urbis Emmaus ſuſcepit,*

quæ

Digitized by Google

quæ poſtea Nicopolis appellata eſt. Denique Theophanes in chronographia *pag. 41.* fuiſſe tradit fontem propè Emmaus, quem Julianus Apoſtata obturari juſſit: *Nicopoli Palæſtinæ,* inquit, *quæ olim Emmaus vocabatur, fons eſt qui omnibus tam brutorum quam hominum morbis medetur, in eo enim ferunt Deum & Dominum noſtrum Jeſum peracto itinere pedes ſuos laviſſe. Illum* (fontem) *aggeſta terra obſtrui ſceleſtus* (Julianus) *imperavit.* Hucuſque Hadrianus Relandus de Emmaunte ſive Nicopoli. ECCLESIA NICOPOLIS.

EPISCOPI NICOPOLIS.

I. LONGINUS.

IN indice epiſcoporum provinciæ Palæſtinæ, qui ſynodo Nicænæ anno 325. ſubſcripſerunt, legitur: *Longinus Nicopolitanus, tom. 2. concil. Labb. col. 51.* C.

II. RUFUS.

Anno 381. concilio II. generali Conſtantinopoli congregato, ſubſcripſit *Rufus Nicopolitanus,* inter epiſcopos Palæſtinæ, *ibid. col. 955.* C.

III. ZENOBIUS.

Decreto ſynodi Hieroſolymitanæ, ſub Petro Patriarcha anno 536. contra Anthimum, Severum & alios hæreticos, ſubſcriptus habetur inter cæteros trium Palæſtinarum præſules, *Zenobius epiſcopus Nicopolis, tom. 5. concil. Labb. col. 286.* A. Ζηνόβιος ἐπίσκοπος Νικοπόλεως ὁρίσας ὑπεσημηνάμην, *Zenobius epiſcopus Nicopolis diffiniens ſubſignavi.*

IV. JULIUS.

Moyſes Barcepha, id eſt, Cephæ ſive Petri filius, (qui, Maſio teſte in præfat. ad hujus tractatum de Paradiſo, obiit *anno ab Alexandri Magni regno 1224.* (hoc eſt, Chriſti 913.) *die Sabbato, qui tum decimus-tertius erat ejus menſis, quem Syri Sebot, noſtri plerumque Februarii interlunio inchoatum appellant:*) inter auctores quos citat in præfato tractatu, *Julium* recenſet, quem idem Maſius, ut & clariſſimus Fabricius *to. 5. Bibl. Græc. pag. 270. Julium Africanum Emmaus epiſcopum* eſſe putant, cujus commentarios Novi Teſtamenti, & chronicon laudat Hebed-Jeſu in catalogo librorum Chaldæorum *n. 15.* & expoſitiones A ſcripturarum ſubinde in catenis allegantur, ac præſertim in catena Corderiana ſuper Joannem, ubi *Julius epiſcopus* vocatur. Hæc doctiſſimus Joſephus Simonius Aſſemanus, *Biblioth. Orient. Clementino-Vatican. tom. 2. pag. 129. col. 1.* qui ſubdit: «Quanquam fortaſſe dubitare quis poſſit, num diverſus ab *Africano* ſit, quum à Gregorio Bar-hebræo in *Horreo Myſteriorum* frequenter citetur *Julius,* aliquando vero *Africanus,* quaſi duo auctores fuerint, niſi illum utroque nomine indigitare voluerit.» Dionyſius Barſalibi Me- B litenenſis, epiſcopus Amidæ, de grege Jacobitarum, qui obiit initio ſæculi decimi-tertii, teſtimonia affert in ſuis commentariis ſuper libros ſacros, ex *Africano* epiſcopo Emmaus *in Evang. fol. 33. & 37.* apud eumdem Aſſemanum *ibid. pag. 158. col. 1.* Ita quoque modo relatus Gregorius Bar-hebræus, qui vivebat ſæculo decimo-tertio, in Comment. Scripturar. *ibid. pag. 283. col. 1. Africanum* laudat, & rurſus in hiſtoria Dynaſtiarum, *Africanum,* Andronicum, Euſebium, & Jacobum Edeſſenum, quorum chronica citat C *pp. 4. 11. 24. 27. 33. 54. & 80.* ibid. *p. 310. col. 2.* Demum in chronico Syriaco, *Africanum* ſæpè appellat, apud eumdem Aſſemanum *pag. 313. col. 2.* Verum hic, ſive *Julius,* ſive *Africanus,* unus, vel duo homines, quorum unuſquiſque dicitur epiſcopus *Emmaus,* hic, inquam, diverſus eſſe debet à *Julio Africano,* qui florebat initio ſæculi tertii, utpote quem nec Euſebius, nec ſanctus Hieronymus ſcripſerint fuiſſe epiſcopum *Emmaus* ſive *Nicopolis.* Si autem hanc eccleſiam aliquis *Julius Africanus,* ab iis ſcriptoribus recitatus, revera ante ſæculum decimum adminiſtraverit, ejus, quocunque vixerit ævo, hîc meminimus.

VII.

ECCLESIA SOZUSÆ.

SOZUSA, Græcis Σωζούση, urbs Palæſtinæ primæ erat epiſcopatuque inſignis, verba ſunt Hadriani Relandi, in Palæſtina illuſtrata, *to. 2. pag. 1021.* Hujus mentio fit in concilio Chalcedonenſi, & in notitiis eccleſiaſticis veteribus. Stephanus, de ea ait: Σωζοῦσαι, πόλεις τρεῖς; Φοινίκης..... *Sozuſæ, urbes tres, Phœnices, &c.* In notitia Latina, cujus excerptum refert ex Carol. à Sancto Paulo præfatus Hadr. Reland. *to. 1. pag. 222. Sorucis* appellatur. Sozuzam idem Carol. à Sancto Paulo, in mappa ſua Geogr. inter Cæſaream & Samariam collocat.

Digitized by Google

EPISCOPI SOZUSÆ.

I. BARACHIUS *ſive* BARUCHIUS.

BARACHIUS iſte ſedebat anno 449. Adfuit enim latrocinio Epheſino eo anno congregato, ut legitur in actis ejus quæ inſerta ſunt actis concilii Chalcedonenſis, Βαρούχος ἐπίσκοπος Σωζούσης Παλαιστίνης, *Baruchius epiſcopus Oruzæ* (Sozuſæ) *Palæſtinæ provinciæ*, tom. 4. conc. Labb. col. 267. B. Βαρὺχ ἐπίσκοπος Σωζούσης, *Baruchius epiſcopus Sozucenæ civitatis*, col. 312. A. *Baruchius epiſcopus eccleſiæ Oruzæ*, col. 320. D. In Latinis codicibus quibuſdam habetur *Oruxæ* B *civitatis Palæſtinæ*. Acta quidem Epheſina Græca Σωζούσης exhibent, at *Oruxæ* ſive *Oruſæ* quoque vox exprimitur in contextu Latino. Veriſimile eſt eum obiiſſe antequam celebraretur anno 451. ſynodus Chalcedonenſis, quippè quum nullum in ea appareat ipſius præſentiæ veſtigium.

II. LEONTIUS.

Litteris ſynodicis Joannis Hieroſolymitani ad Joannem Conſtantinopolitanum adverſus Severum ſedis Antiochenæ invaſorem & hæ- A reticum Monophyſitam, datis anno 518. ſubſcripſit Λεόντιος ἐπίσκοπος Σωζούσης, *Leontius epiſcopus Sozuſenus, to. 5. conc. Labb. col. 191.* E. In actis etiam concilii Hieroſolymitani, ſub Petro Patriarcha, adverſus Anthimum, convocati anno 536. ſubſcriptus legitur, Λεόντιος Σωζούσης, *ibid. col. 284.* D. Subindeque tunc adhuc ſedebat Leontius ille, niſi alius fuerit ejuſdem nominis epiſcopus.

III. DAMIANUS.

E tribus epiſcopis anno 553. Conſtantinopolim ab Euſtochio Patriarcha Hieroſolymitano ad ſynodum V. generalem miſſis qui in ea vices ſuas ſupplerent, unus fuit, *Damianus epiſcopus Sozuſæ:* id ex ejus ſubſcriptione conſtat, *tom. 5. concil. Labb. col. 580.* E. his verbis: *Damianus miſericordia Dei epiſcopus Sozytanæ civitatis, agens vicem Euſtochii ſanctiſſimi Patriarchæ Hieroſolymitanæ civitatis, una cum Stephano & Georgio religioſiſſimis epiſcopis, ſimiliter.* Vide ſupra, ubi de Euſtochio Patriarcha Hieroſolymorum, *coll. 218. & 219.*

VIII. ECCLESIA GADARORUM.

DUPLEX memoratur *Gadarorum* civitas: una Palæſtinæ primæ, quæ non longè fuit ab Azoto & Jamnia, ut colligere eſt ex Joſepho *lib. 12. antiq. cap. 2.* ubi dicitur Judas perſecutus hoſtes ſuos *uſque ad Gadara* μέχρι Γαδάρων *& campos Idumææ, & Azotum, & Jamniam.* Similiter *lib. 1. Mach. cap. 14. verſ. 34.* legitur, Γαζάρη (quam Joſephus Ζάρα, Γάδαρα & Γαζάρα appellat) ἐπὶ τῶν ὁρίων Ἀζώτου fuiſſe *in finibus Azoti.* Nonnulli exiſtimant hanc urbem eſſe quæ *Gezer* vel *Gazer* nuncupatur in ſcripturis, Joſue *cap. 16. verſ. 3. & 10.* Jud. *cap. 1. verſ. 29.* 2. Reg. *cap. 5. verſ. 25.* & 1. Paral. *cap. 14. verſ. 6.* Idem Joſephus *lib. 8. antiq. cap. 2.* ſcribit de rege Ægypti eum cepiſſe Gazara Γάζαρα urbem regionis Palæſtinorum τῆς Παλαιστινῶν, & filiæ ſuæ Salomoni nuptæ in dotem tradidiſſe. Hæc autem urbs *Gezer* appellatur 2. Reg. *cap. 5. verſ. 25.* & 3. Reg. *cap. 9. verſ. 15.* Altera civitas *Gadarorum*, fuit Palæſtinæ ſecundæ, ad flumen Hieromiacen, teſte Plinio *lib. 5. cap. 18.* Hæc, ex Joſepho *lib. 5. de bell. Jud. cap. 3.* metropolis erat Perææ ad ortum ſita lacus Tiberiadis ab eo diſtans ſtadiis 60. De regione *Gadarenorum* Γαδαρηνῶν γῆ ſive *Gergeſenorum*, mentio occurrit, Matt. *cap. 8. verſ. 28.* Marc. *cap. 5. verſ. 1.* Luc. *cap. 8. verſ. 26.* Thermas Gadarenſes laudat Eunapius Sardianus in libro de vitis Philoſophor. ubi de Iamblicho, *Gadara*, inquit, *Thermæ ſunt in Syria ſecundas tenentes à Romanis quæ Baiis ſunt, quibuſcum nullæ aliæ comparari queunt.* Epiſcopi Gadarenſes in actis conciliorum nominantur, de quibus merito ſubeſt dubium, cujuſnam ex duabus illis urbibus, ſedem unuſquiſque eorum tenuerit. Certè ſynodo Hieroſolymitanæ anno 536. celebratæ contra Anthimum ſub Petro Patriarcha duo epiſcopi *Gadarorum* ſubſcripſerunt, *to. 5. conc. Labb. col. 286.* B. D. Ἀράξιος Γαδάρων *Araxius epiſcopus Gadarenus*, & Θεόδωρος Γαδάρων, *Theodorus epiſcopus Gadarorum.* Propterea hîc epiſcopos conjungimus quicunque *Gadarorum* in ſubſcriptionibus conciliorum nomine inſigniuntur, judicio lectoris relinquentes, ad quam duarum illarum urbium eorum unumquemque aſſignare libeat. Hæc omnia fuſius tradit Hadrianus Relandus, in Palæſtina illuſtrata, *tom. 2. pag. 773. & ſeqq.* uſque ad *780.*

Digitized by Google

EPISCOPI GADARORUM.

I. CAJANUS *ſive* GAIANUS.

CAJANUS *Gadarenſis* ſubſcriptus legitur concilio primo Nicæno anno 325. *tom. 2. conc. Labb. col. 51.* B. Ob loca adjecta, ſubdit præfatus Relandus, *pag. 776.* videretur hic *Gadara* (in plurali neutro) Palæſtinæ primæ eſſe intelligenda.

II. EUSEBIUS.

Euſebius Gadarenſis, ſolus eſt notatus ex epiſcopis Palæſtinæ, qui ſubſcripſerit ſynodo Antiochenæ anno 341. *tom. 2. concil. Labb. col. 559.*

III. THEODORUS.

Theodorus epiſcopus Gadarorum, Θεοδώρου Γαδειρέων, inter illos occurrit qui ſubſcripſere concilio Epheſino anno 431. *Tom. 3. conc. Labb. col. 448.* B.

IV. JOANNES.

Joannes epiſcopus Gadarorum, Ἰωάννης Γαδειρέων, ſubſcripſit actis concilii Chalcedonenſis anno 451. *to. 4. concil. Labb. coll. 82.* E. & *329.* A. *Joanne Gadirorum* Ἰωάννης Γαδειρέων, ad marg. Γαδαρέων. Nec quis exiſtimet, inquit idem Reland. *pag. 777.* (quoniam hîc Γαδειρέων ſcribitur, & in notitiis veteribus Γάδειρα etiam appellatur urbs Palæſtinæ ſecundæ, primæ autem Γάδαρα) oportere epiſcopos qui Γαδαρέων eſſe dicuntur in actis A conciliorum referri ad Gadara (in plurali neutro) Palæſtinæ primæ, & qui Γαδειρέων ad Gadara Palæſtinæ ſecundæ: nam verum nomen urbis hujus Palæſtinæ ſecundæ Γάδαρα fuiſſe, non Γάδειρα, conſtat ex ſcriptoribus antiquis, & hi ipſi epiſcopi qui Γαδειρέων dicuntur, *Gadarenſes* nuncupantur. Ita in Latina verſione actorum hujus ipſius concilii Chalcedonenſis, *col. 82. E.* ubi in Græco legitur Ἰωάννης Γαδειρέων, in Latino eſt *Joanne Gadaræ Palæſtinæ ſecundæ,* & in act. XV. ejuſdem concilii, *to. 4. conc. col. 787.* D. in qua uti B ex codice antiquiſſimo deſcripta ſunt epiſcoporum nomina à Sirmondo, legitur *provinciæ Palæſtinæ ſecundæ epiſcopi IV. Severianus, &c. Joannes Gadarenſis.* Quid! quod in ipſo contextu Græco ejuſdem *to. 4. conc. col. 586.* C. idem epiſcopus appelletur Ἰωάννης ἐπισκόπος τῆς Γαδαρέων. Atque ita etiam in ipſis notitiis veteribus Latinis pro Γάδειρα, legitur *Gadarum.* Hæc præfatus Relandus.

V. ARAXIUS.
VI. THEODORUS.

C Jam diximus *Araxium* & *Theodorum* inſcribi eodem tempore epiſcopos *Gadarorum,* in ſententia lata contra Anthimum, anno 536. ita ut unus quidem illorum fuerit epiſcopus *Gadarorum Palæſtinæ primæ,* alter vero *Gadarorum Palæſtinæ ſecundæ;* ſed quis determinatè prioris urbis, quis poſterioris, definire facile non eſt.

IX. ECCLESIA ASCALONIS.

ASCALON vulgo *Scalona,* urbs antiqua, Satrapiæ unius Philiſtinorum caput, Hieroſolymis 520. ſtadiis diſtabat. Hæc gentiliſmo diu addictiſſima fuit, quum vero Julianus Apoſtata deorum cultum revocare niteretur, *preſbyteros & virgines occiderunt,* teſte auctore chronici Paſchalis ad annum 361. *apertaque eorum corpora hordeo repleta porcis* (devoranda) *expoſuerunt.* Expugnata à Francis & Latinis Palæſtina, Aſcalonis epiſcopatus Bethleem tranſlatus fuit.

EPISCOPI ASCALONIS.

I. LONGINUS *ſive* MONGINUS.

AD *Longinum* hunc Aſcalonenſem epiſco- D pum, quum Arii hæreſis propalari cœpta eſt, epiſtolam ſcripſit Alexander Alexandrinus Patriarcha, de nova ea hæreſi, ut refert Epiphanius *lib. 2. tom. 2. hær. 69. num. 4. pag. 730.* B. Λογγίνῳ ἐν Ἀσκάλωνι, *Monginum Aſcalonis* habet *ibidem* verſio Latina. Obiit Longinus antequam ſynodus Nicæna celebraretur: certè in ſubſcriptionibus præſulum Palæſtinæ nomen ejus non legitur, ſed Sabini.

II. SABINUS.

Sabinus iſte Longino ſucceſſiſſe videtur: nam in indice ſynodi Nicænæ anno 325. celebratæ, extat inter epiſcopos provinciæ Palæſtinæ, *Sabinus Aſcalonitanus, to. 2. conc. Labb. col. 51.* B.

III. AUXENTIUS.

Anno Chriſti 381. ſedebat Aſcalonis epiſcopus *Auxentius;* quippe qui ſynodo ſecundæ generali eo anno Conſtantinopoli habitæ adfuerit & ſubſcripſerit, *Auxentius Aſcalonitanus. Tom. 2. conc. Labb. col. 955.* C.

Digitized by Google

ECCLESIA ASCALONIS.

IV. Jovinus.

Ex diacono eccleſiæ Aſcalonitanæ ad ejus ſedem evectus eſt *Jovinus* Ἰουβῖνος, ante ann. 415. quem *virum pium, & eruditum* appellat Palladius *hiſt. Lauſ. c. 143.* D. *to. 1. Bibl. vet. Patr. Græco-Lat. edit. Pariſ. 1624.* Synodo Dioſpolitanæ interfuit prædicto anno 415. & inter 14. epiſcopos quibus illa conſtitit numeratur ab Auguſtino *lib. 1. contra Jul. cap. 5.* Vid. *to. 2. conc. Labb. col. 1532.* D.

V. Leontius.

Ad latrocinium Epheſinum venit *Leontius* iſte Aſcalonis epiſcopus, ejuſque impiis decretis volens nolenſve ſuffragatus eſt, anno Chriſti 449. Sed biennio poſt in ſynodo Chalcedonenſi anno 451. act. IV. quicquid egerat retractavit, primus aliorum de Palæſtina præſulum nominatus, ejuſque actis ſubſcripſit *Leontius Aſcalonis Palæſtinæ*, Λεοντίου Ἀσκαλῶνος· *to. 4. conc. Labb. coll. 82.* D. *118.* D. *266.* D. *311.* B. *320.* D. *460.* E. ubi habetur Λεόντιος ἐπίσκοπος Ἀσκάλωνος, ὁρίσας ἐπὶ τῇ καθαιρέσει Διοσκόρου ὑπέγραψα· *Leontius epiſcopus civitatis Aſcalonæ definiens in damnatione Dioſcori ſubſcripſi, coll. 494.* A. *570.* C. *585.* A. *788.* C. & *801.* A.

VI. Antonius.

Antonius Marciani epiſcopi Sebaſteni filius, ordinatus eſt epiſcopus Aſcalonenſis ab Elia Hieroſolymitano Patriarcha, qui ad Hieroſolymitanam ſedem, poſt Saluſtium, promotus fuit anno Chriſti 494. De ea ordinatione Antonii hæc habet Cyrillus Scythopolitanus in vita ſancti Sabæ abbatis *num. 37. tom. 3. monum. eccl. Græc.* Cotel. *pag. 277.* C. *Marcianus quidam preſbyter ſanctæ Reſurrectionis, & ſanctæ Sionis præpoſitus, frequentius ad ſanctum patrem noſtrum Sabam accedebat.... cum liberis ſuis Antonio & Joanne.... quem archiepiſcopus Elias amore proſequutus, epiſcopum Sebaſtæ ordinavit, ut & Aſcalonitarum eccleſiæ Antonium* (ejuſdem Marciani filium:) καὶ τῆς Ἀσκαλωνιτῶν ἐκκλησίας τὸν Ἀντώνιον. Id contigit ante annum 513. quo Elias in exilium pulſus eſt ab Anaſtaſio Imperatore propter fidem. Anno 518. Joannes, Antonii frater, qui in locum Eliæ Patriarchæ ſubſtitutus fuerat, exceptum in convivio Sabam, mediumque inter utrumque conſtitutum, ipſe cum fratre ſuo Antonio propriis manibus ingenti ſolertia inſerviebant, ut ſuperius ſcripſimus *col. 187.* B. C. Eodem anno ſubſcripſit ſynodicis Joannis Patriarchæ fratris ſui litteris contra Severum hæreticum ad Joannem Conſtantinopolitanum antiſtitem miſſis, *tom. 5. conc. Labb. col. 192.* C.

A Demum ſub Petro Patriarcha qui Joanni ſucceſſerat, Juſtinianus Imperator anno 532. mandata emiſit, teſte eodem Cyrillo Scythopolitano *ibid. num. 73. pag. 345.* B. C. *ad archiepiſcopum Petrum, & Palæſtinæ rectores, quæ decernebant ut Antonius epiſcopus Aſcalonis* Ἀντώνιον τὸν ἐπίσκοπον Ἀσκάλωνος, *& Zacharias epiſcopus Pellæ inſpicerent villas primæ ac ſecundæ Palæſtinæ à Samaritanis incenſas, atque ex pecunia publica indictionis nonæ & decimæ* (id eſt, annorum 531. & 532.) *juxta damnum unicuique loco obortum, concederent auri centenaria tredecim. Rurſuſque eoſdem inſpicere juſſit oratorias ædes quæ combuſtæ fuerant, & conſiderare quænam danda eſſent ad uniuſcujuſque venerabilis loci inſtaurationem, eaque aut ex ærario, aut ex Samaritarum facultatibus præberi, per Stephanum clariſſimum Comitem, qui etiam juſſus eſt epiſcopos cum eo quo egerent auxilio tueri.* Porro verbis nunc relatis de *Indictione decima*, quæ actu currebat eo ipſo anno 532. uſque ad primam diem Septembris, non parum confirmatur aſſertio noſtra quod obierit S. Sabas eodem C anno 532. die 5. Decembris, Indict. XI. à menſe Septembri inchoata: non vero juxta communiorem ſententiam anno præcedente 531. Vide ſupra *coll. 190.* D. *192.* C. & *195.* B. Nihil aliud de Antonio nobis compertum eſt, niſi quod deſierit vivere ante finem anni 536.

VII. Dionysius.

Dionyſius iſte ſubſcriptus legitur Διονύσιος ἐπίσκοπος Ἀσκάλωνος, ὁρίσας ὑπεσημηνάμην. *Dionyſius epiſcopus Aſcalonis, diffinivi & ſubſignavi*, ſententiæ contra Anthimum hæreticum Monophyſitam latæ in ſynodo Hieroſolymitana, ſub Petro Patriarcha anno 536. menſe Septemb. Dum vero Aſcalonenſem eccleſiam regeret, mirum quiddam accidit quod ſic narrat Joannes Moſchus *in Prato Spirituali cap. 176. tom. 2. Bibl. veter. Patr. Græco-Lat. edit. Pariſ. 1624. pag. 1132. Narravit nobis Palladius*, inquit, *ſe audiviſſe narrantem quemdam patrem, Andream nomine, (in cujus congreſſum & nos venimus,) & dicentem: Quum eſſem juvenis, indiſciplinatus valdè & inquietus fui. Die ergo quadam, perſecutionem paſſi pro noſtra inquietudine, fugimus in Palæſtinam ego & novem alii, inter quos unus quidam erat induſtrius, alius autem Hebræus. Quum ergo veniſſemus in eremum, infirmatus eſt Hebræus uſque ad mortem, & in magno mærore conſtituti eramus, neſcientes quid illi faceremus, &c. Decrevimus cum multis lacrymis illum dimittere in eremo.... metuentes ne nos ipſi quoque ſiti deficeremus. Quum igitur illum in arena plorantes poſuiſſemus, videretque*

To. 5. conc. Labb. col. 285. B.

Digitized by Google

nos abire velle; cœpit nos adjurare per Deum qui fecit cœlum & terram, &c. Nolite pati ut Hebræus moriar, ſed tanquam Chriſtiani facite mecum miſericordiam, & baptizate me, ut Chriſtianus de hac vita exeam, & ad Dominum pergam, &c. Quum ergo (aqua deſtituti) *in magna hæſitatione eſſemus, induſtrius ille, divinitus inſpiratus ait nobis, erigite illum, & exuite. Ereximus itaque cum magno labore illum, erectumque tenentes exuimus. Induſtrius autem ille implens ambas manus ſuas arena, tertio effudit ſuper caput ejus dicens ita:* Baptizatur Theodorus in nomine Patris, &c. *nobis vero .... reſpondentibus* Amen, *Dominus Deus teſtis eſt, fratres, ita continuo ſanavit, & corroboravit eum Chriſtus Deus noſter, ut nullum jam in eo priſtinæ infirmitatis remaneret indicium .... ſed ſanus & valens .... quod reliquum erat itineris per eremum ambulavit, ſemper nos præcedens, &c. Venientes autem Aſcalonem adduximus eum ad beatum ac ſanctum Dionyſium ejus urbis epiſcopum, narrantes quæ fratri in via contigiſſent. Quibus auditis ſanctus admirandusque Dionyſius ſtupens ad tam novum inauditumque miraculum, convocato clero expoſuit ei totum negotium, ut decernerent utrum effuſio illa arenæ reputanda eſſet fratri in baptiſmum, an non. Et alii quidem dicebant; debere reputari illi in baptiſmum, propter inauditam miraculi magnitudinem: alii vero dicebant, Non. Theologus quippe Gregorius omnia baptiſmata dinumerat:* Baptizabat Moyſes, &c. *Quo igitur horum iſte baptizatus eſt, ut etiam ipſius baptiſma roboremus! &c. Hæc igitur & alia plurima quum dicta eſſent, viſum eſt beato Dionyſio epiſcopo mittere fratrem illum ad ſanctum Jordanem, illicque baptizari. Indu-* A *ſtrium autem illum, ordinavit diaconum.* Hæc duntaxat de illo Dionyſio ad notitiam noſtram devenere.

VIII. * * *

Anno 328. Hegiræ, qui incepit die 18. Octob. anni Chriſti 939. ſedebat Aſcalone *epiſcopus* quidam cujus meminit, nomine tamen tacito, Elmacinus *lib. 3. hiſt. Sarac. cap. 1. p. 209. Eodem anno,* inquit, (proinde Chriſti 939. aut 940.) *tumultum excitarunt Muſlimi, Aſcalone, atque irruerunt in templum* B *quoddam magnum quod ibi erat, vocatum templum viride Mairæ* (fortaſſis legendum *Mariæ*) *idque deſtruxerunt, & diripuerunt quæcunque in eo erant, opem iis ad hoc ferentibus Judæis, qui ligna accenſa rotis in tectum traxerunt, ita ut totum deflagaverit. Epiſcopus autem fugit Ramlam,* (propè Lyddam) *atque ibi manſit donec obiit.*

IX. Elias.

Anno 6654. mundi juxta æram Conſtantinopolitanam, id eſt Chriſti 1146. ſedebat C Bethleem, quo ſedes Aſcalonitana à quibuſdam annis tranſlata fuerat, *Elias.* Doſitheus enim Hieroſolymorum Patriarcha, *lib. 7. de Patriarchis Hieroſolymitanis, cap. 22.* §. 4. refert *Eliam* epiſcopum Græcum Bethleem, cujuſdam Geraſimi monachi, inſignis eo tempore viri teſtamento, quod in monaſterio S. Euthymii Hieroſolymitano repertum eſt, ſubſcripſiſſe, una cum Arſenio Patriarcha, de quo nos ſupra *col. 502.* A. B. egimus, & quibuſdam aliis præſulibus, ritus utique Græci, ὁ ἐπίσκοπος Βηθλεὲμ Ἠλίας.

X. ECCLESIA MAJUMÆ ASCALONIS.

MAJUMA ASCALONIS portus fuit urbis Aſcalonis, ab ea aliquatenus diſſitus, qui aliam veluti civitatem conſtituebat. Licet enim ipſa Aſcalon ad mare ſita fuerit, ἐπὶ θαλάττῃ, uti Philo loquitur; littus ipſum tamen urbis Aſcalonis olim aptum portui, lapſu annorum ſic ineptum redditum eſt, ut aliquo inde intervallo portum ſuum Aſcalonitæ conſtituere opus habuerint. Eodem modo portus Cæſareæ maritimæ, quondam optimus, cujus deſcriptionem Joſephus tradit, nunc nullus eſt. Certè civitati hujus portus, dictæ Majumæ Aſcalonis, præfectus fuit epiſcopus ſpecialis. Ita Relandus, *in Palæſt. illuſtr. tom. 2. pp. 530. & 590.*

EPISCOPI MAJUMÆ ASCALONIS.

Stephanus.

Epiſcoporum Majumæ Aſcalonis, unus tantummodo occurrit, ſcilicet in epiſtola ſynodica Joannis Hieroſolymitani Patriarchæ anno Chriſti 518. miſſa ad Joannem Conſtantinopolitanum præſulem, pro condemnatione Severi, aliorumque concilii D Chalcedonenſis adverſariorum, *Stephanus* quidam Στέφανος ἐπίσκοπος τοῦ Μαϊουμᾶ Ἀσκάλωνος, &c. in Latinis codicibus, *Stephanus epiſcopus Majumæ Aſcalonis, &c.* dum ſimul ſederet Antonius epiſcopus Aſcalonis, qui eidem quoque epiſtolæ ſubſcripſit, ut ſupra dictum eſt *col. 599.* E. Vide *to. 5. conc. Labb. col. 192.* B.

BIBLIOTECA
Digitized by Google

XI. ECCLESIA GAZÆ.

GAZA vetuſtiſſima Philiſtinorum civitas fuit. In codice Hebræo veteris teſtamenti *Azza* dicitur, cujus primam litteram, inquit Cellarius *geogr. ant. to. 2. lib. 3. cap. 13. p. 603.* Græci ſæpè, & hos ſequuti Latini per G. expreſſerunt Γάζα *Gaza*, ut in Gomorra, & aliis. Memoratur Gen. *cap. 10. verſ. 19.* Deuter. *cap. 2. verſ. 23.* Joſue *cap. 10. verſ. 41. cap. XI. verſ. 22. cap. 13. verſ. 3.* 1. Mach. *cap. XI. verſ. 61. & cap. 13. verſ. 43.* Tribui Judæ ſorte fuit aſſignata, Joſ. *cap. 15. verſ. 47.* & 1. Reg. *cap. 6. verſ. 17.* In novo Teſtamento ejus tantum ſemel fit mentio, ſcilicet Act. *cap. 8. verſ. 26. via quæ ducit Hieroſolymis Gazam.* Joſephus hujus urbis aliquoties meminit: nam *lib. 5. antiq. capp. 1. & 2.* ſcribit eſſe urbem Tribus Judæ. *Lib. 9. cap. 13.* Hizkiam ait cepiſſe omnes urbes Palæſtinorum à Gaza ad Gath. *Lib. XI. cap. 8.* eam narrat obſeſſam fuiſſe ab Alexandro Magno dum præſidium Perſicum in ea erat. *Lib. 13. cap. 21.* captam rurſus à Ptolemæo; tum ab Alexandro Jannæo qui eam deſtruxit. *Lib. 14. cap. 10.* inſtauratam à Gabinio. *Lib. 15. cap. 2.* Herodi redditam ab Auguſto. Denique *lib. 17. cap. 13.* Archelao regi Judææ non fuiſſe ſubditam. Arrianus *lib. 2. pag. 150.* de Alexandri expeditione, apud Cellarium *to. 2. geogr. antiq. lib. 3. cap. 13. pag. 603.* ſic urbis hujus ſitum deſcripſit: *Diſtat Gaza à mari ſtadiis ſummum viginti, acceſſum ob arenæ altitudinem habens difficilem.... Urbs ampla, & in colle ſita, validoque muro circumdata. Ultima autem colitur, ſi ex Phœnice in Ægyptum tendis, ad initium ſolitudinis poſita.* Strabo de eadem urbe *lib. 16.* ait: *Paulo ſupra portum ad ſeptem ſtadia urbs ſita eſt, illuſtris olim, ab Alexandro autem diruta, manet deſerta.* Spatium Strabo notat, inquit Cellarius citatus, ubi urbs proximè accedit ad mare; Arrianus vero, ubi maximè à mari receſſit, quod pro amplitudine civitatis omnino ad viginti ſtadia patere potuit. Hanc quantumvis Judæi ſibi aliquoties ſubjecerint, nunquam tamen eam à ſuperſtitione ethnica immunem fecerunt, addicta in primis erat cultui Jovis Cretenſis, quem incolæ Marnam, id eſt, Dominum noſtrum nuncupabant. Exiguus fuit in illa primis eccleſiæ ſæculis Chriſtianorum numerus; & quæ ſub Conſtantino Magno erectæ ab iis ibi fuerant eccleſiæ, everſæ ac igne conſumptæ ſunt ſub Juliano, multis martyrio coronatis.

Pag. 759. C. edition. Caſaub.

EPISCOPI GAZENSES.

I. PHILEMON.

DOROTHEUS epiſcopus Tyri, vel potius auctor ſynopſis de Prophetis, Apoſtolis & 72. Chriſti diſcipulis, ejus nomine inſcriptæ, tradit *Philemonem,* ad quem directa extat S. Pauli epiſtola, fuiſſe epiſcopum Gazæ. Legitur ſynopſis iſta, *Magnæ Bibl. vet. Patr. edit. Colon. Agrippinæ 1618. to. 3. à pag. 143. col. 1. ad pag. 150. col. 1.* Verum hanc ut variis fabulis confertam jam pridem Baronius, Poſſevinus, Bellarminus, Rainaudus, Labbeus, aliique obelo nigro fixerunt, inquiunt doctiſſimi Bollandiani *to. 1. actorum ſanctorum* Jun. ad diem 5. §. *3. pag. 436. col. 1. num. 9.* C. Idem Baronius in notis ad hanc diem 5. Jun. aſſerit ſe *in Bibl. Vatic. eumdem Dorotheum* (ſcilicet auctorem ſynopſis) *abbatem inſcriptum inveniſſe, nec illud ignoraſſe Petrum* (à Natal.) *in catalogo, qui dum eum allegat, abbatem appellat.* Joannes Maria Braſichellenſis Ord. Præd. & ſacri Palatii Apoſtolici Magiſter, in Indice librorum expurgandorum *pag. 230.* cenſet, *multa ineſſe huic libello, quæ fide hiſtorica vacillant, indigna prorſus antiquo illo ſancto martyre Dorotheo: quæque paſſim erroris arguuntur ab his qui puritatem hiſtoriæ ex antiquis hiſtoriis eruunt.* Hæc ille, qui, uti & alii, profert varia inepta & abſona ſynopſi illi inſerta; per quæ fit, ut plurima, forſan bona & vera, talia haberi nequeant, niſi aliunde confirmentur. Eundem Philemonem Conſtitutiones Apoſt. *lib. 7. cap. 47.* apud Labbeum *tom. 1. concil. col. 452.* C. referunt ordinatum *epiſcopum Coloſſenſem.* Sed hæ Conſtitutiones, ſancto Clementi Romano Pontifici falſo adſcriptæ, ſunt etiam exiguæ auctoritatis.

II. SILVANUS.

De eo *Silvano* Gazenſi epiſcopo, & martyre ſub Diocletiani Imperio, hæc diſcimus ex Euſebio Cæſarienſi qui tunc vivebat: *Inter martyres autem Palæſtinæ, Silvanus Gazæ urbis epiſcopus* Σιλβανὸς ἐπίσκοπος τῶν ἀμφὶ τὴν Γάζαν ἐκκλησιῶν, inquit *lib. 8. hiſt. eccl. cap. 13. pag. 308.* B. edit. Valeſ. *apud æris metalla quæ ſunt in Phæno* ἐν Φαινοῖ, *cum aliis undequadraginta capite truncatus eſt.* Et rurſus, *in tract. de Martyribus Palæſtinæ cap. 7. ibid. pag. 328.* Prolatis his verbis: *Quum vero quintus jam annus perſecutionis volveretur, die ſecundo menſis Xantici, quod eſt ante diem IV. nonas Apriles, ipſo Dominicæ reſurrectionis die, &c.* quibus indicatur dies ſecunda April. anni Chr. 307. nam perſecutio cœperat anno 303. menſe Martio; ſubjungit ineadem *p. 308.* C.

Digitized by Google

ECCLESIA GAZÆ.

Poſt hæc die v. *menſis Dii, hoc eſt, ut Romani dicunt nonis Novembris* (nimirum die v. hujus menſis) *in eadem urbe Cæſarea Silvanus, qui etiam tum preſbyter & confeſſor erat, ſed paulo-poſt ad epiſcopatus honorem evectus* (anno ſubinde 308.) *martyrium conſummavit, & alii quidam ejus comites; quum pro vera pietate ſingularem conſtantiam oſtendiſſent, ad opus in iiſdem metallis faciendum ab eo quem dixi præſide condemnati ſunt: decretumque ut pedum juncturæ candente ferro prius ipſis debilitarentur.* Demum cap. 13. pag. 343. & ſeqq. *Septimus,* inquit, *jam perſecutionis annus ad exitum vergebat, & res noſtræ ſenſim ſine ſenſu calumniantium moleſtia liberatæ ad octavum uſque annum proceſſerant,* (adeoque Chriſti 310.) Et infra, D. *Silvanus Gaza oriundus epiſcopus, vir qui religionis Chriſtianæ abſolutiſſimum quoddam & venerabile exemplum extitit. Hic quum à primo, ut ita dicam, perſecutionis die, & per totum deinceps illud tempus, variis confeſſionum certaminibus inclaruiſſet, ad id uſque temporis ſervatus fuerat, ut omne illud in Palæſtina certamen poſtremus quaſi ſignaculo clauderet.* Ejus memoria recolitur in Martyrologio Romano die 4. Maii, his verbis. *In metallo Phennenſi Palæſtinæ natalis beati Silvani Gazæ epiſcopi, qui in Diocletiani perſecutione, Galerii Maximiani Cæſaris mandato, cum plurimis clericis ſuis, martyrio coronatus eſt.* In Menologio autem Græco Baſilii Porphyrogennetæ ad eamdem diem ſic legitur, apud doctiſſimos Bollandianos *tom.* 1. *Maii, pag.* 468. *num.* 1. *col.* 1. A. B. *Certamen ſancti martyris Silvani. Silvanus ſacer Chriſti martyr, fuit ex Gazæorum regione, primum quidem miles, poſtea vero propter Chriſtum abdicatis terreni regis caſtris, militiam cæleſtis regis Chriſti aſſumſit. Quare & ſacerdotio magno dignus habitus, primum preſbyter, dein & epiſcopus ordinatus eſt. Quum vero eccleſiæ ſibi creditæ regimini ſumma tolerantia incumberet, & multos ex ethnicis ſua doctrina ad Chriſtum adduceret: deprehenſus ab idololatris, & coram Cæſarienſi populo in medio conſtitutus, crudeliter cæſus eſt, deinde ſuſpenſus & flagellis exceptus, ac poſtea ad æris metalla effodienda damnatus: ubi quum plures ærumnas ſuſtinuiſſet, ac Chriſtum non ſolum profiteri non ceſſaret, ſed etiam aliis, & maxime iis qui cum ipſo erant ejuſdem pœnæ conſortes, Chriſtum verum Deum annuntiaret; una cum aliis quadraginta martyribus, qui ab ipſo fidem Chriſti edocti fuerant, capite obtruncatus fuit.*

III. Asclepas *ſive* Asclepius.
Quintianus *intruſus.*

Inſignis ſæculo quarto catholicæ fidei A adverſus Arianos propugnator fuit *Aſclepas* ſive *Aſclepius* Gazæ epiſcopus. Huic Alexander Alexandrinus Patriarcha, uti & aliis pluribus epiſcopis, ſcripſit de doctrina Arii impia; teſte Epiphanio *lib.* 2. *to.* 2. *hær.* 69. *num.* 4. *pag.* 730. B. Ἀσκληπιῷ ἐν Γάζῃ. Nicænæ ſynodo interfuit anno 325. celebratæ, & ejus ſubſcriptio legitur inter cæteras, *Aſclepius Gazæ, to.* 2. *concil. Labb. col.* 51. C. Exinde ipſum immani odio perſequuti ſunt Arianæ hæreſis ſectatores & fautores. Et primum quidem depoſuerunt eum anno 330. aut 331. B fortaſſis in ſynodo Antiochena ubi Euſtathium hujus urbis epiſcopum exauctorarunt. Nam in epiſtola, quam ex ſua ſynodo Philippopoli habita ſub mendaci nomine ſynodi Sardicenſis, dum legitima Sardicenſis celebraretur, ſcripſerunt anno 347. & legitur apud Hilar. *fragmento* 3. *num.* 9. *col.* 1313. B. *edit. Pariſ.* 1693. aiunt: *Decimus* (dicimus) *autem Aſclepas* (Aſclepam qui) *ante decem & ſeptem annos epiſcopatus honore diſcinctus eſt, &c.* Ei autem *Quintianum* ſubrogaverunt.

Solam adhæſionem fidei Nicænæ, ejus C fuiſſe, ſicut & plurium ſimilium epiſcoporum, veram depoſitionis cauſam teſtatur Athanaſius epiſt. ad Solitar. *pp.* 812. D. & 813. A. *to.* 1. *edit. Græco-Lat. Pariſ.* 1627. *Aſclepas Gazæ,* inquit, *Cyrus Berrææ, &c. epiſcopi, viſi ſunt tantummodo hæreſim odiſſe, & id tanti fuit, ut hos ſub ſpecie alicujus cauſæ, illos prorſus ſine ulla cauſſificatione, diplomate Imperatoris exturbatos è civitate aliò tranſtulerint, ſuffectis in eorum locum quos impios noverant.*

Adfuit concilio Arianorum Tyrio an. 335. id enim tradit Theodor. *lib.* 1. *hiſt. eccl. c.* 29. D in fine: *Quum igitur hoc modo epiſcopi Tyrum conveniſſent,* inquit, *eo acceſſerunt, tum alii quidam qui ob perverſam doctrinam accuſabantur, ex quorum numero fuit Aſclepas epiſcopus Gazæ,* Ἀσκληπᾶς ὁ Γαζαῖος; *tum admirandus Athanaſius.* Nihil tamen legitur in ea ſynodo ulterius actum contra eum. Romam perrexerunt Aſclepas, Athanaſius, nonnullique alii epiſcopi Arianorum factione injuſte oppreſſi, ut ſedis apoſtolicæ, & Orientalium patrocinium implorarent. Ita explicat Socrates *lib.* 2. *hiſt. eccl. cap.* 14. *pag.* 91. edit. Valeſ. *Porro* E *Athanaſius poſt diuturnos labores, ægrè tandem in Italiam pervenit.... Eodem tempore* (anno ſcilicet 340.) *Paulus quoque Conſtantinopolis epiſcopus, Aſclepas Gazæ, Marcellus Ancyræ.... Lucius denique Hadrianopolis; alius aliam ob cauſam accuſati, & eccleſiis ſuis pulſi,* (quamvis enim *Conſtantinus, Conſtantius, & Conſtans,* ut refert Athanaſius ſupra citatus, *p.* 814. C. *poſt obitum patris ſui* Conſtantini anno 337. *juſſerint quemque in ſuam eccleſiam & patriam reverti, ſcribentes quidem de ſingulis ad ſingulas*

Digitized by Google

ECCLESIA GAZÆ.

ipſorum eccleſias: eos tamen pro depoſitis Ariani ſemper habebant, nec deſinebant vexare. Hinc ergo) *in urbem regiam* (id eſt, Romam) *adveniunt. Ubi quum Julio Romanæ urbis epiſcopo cauſam ſuam expoſuiſſent; ille, quæ eſt Romanæ eccleſiæ prærogativa; liberioribus litteris eos communitos in Orientem remiſit, ſingulis ſedem ſuam reſtituens, ſimulque perſtringens illos qui ſupra dictos epiſcopos temere depoſuiſſent. Itaque illi Roma digreſſi, & Julii epiſcopi litteris freti, ſuas quiſque eccleſias occuparunt, & epiſtolas ad eos quibus ſcriptæ fuerant miſerunt. Verum hi acceptis Julii litteris, reprehenſionem contumeliæ loco duxere: & convocata Antiochiæ ſynodo* (anno 341.) *in unum collecti, de communi omnium ſententia conſcriptis litteris, Julium viciſſim acrius inſimulant; ſignificantes non debere ab ipſo diſcuti, ſi quos ipſi eccleſiis ſuis expellere voluiſſent: neque enim ſe contradixiſſe, tunc quum Novatus eccleſia ejectus eſt. Et hæc quidem Orientales epiſcopi Julio Rom. urbis epiſcopo reſcripſerunt.*

Idem confirmat quibuſdam additis Sozomenus *lib. 3. hiſt. eccl. cap. 8. Porro,* inquit, *Athanaſius Alexandria profugus, Romam venit. Eodem tempore Paulus quoque Conſtantinopoleos epiſcopus, & Marcellus Ancyræ: eo acceſſit & Aſclepas Gazæ, qui quum adverſaretur Arianis, à quibuſdam contrariæ factionis hominibus accuſatus quod altare ſubvertiſſet, depoſitus fuerat. In ejus autem locum ſubrogatus Quintianus, Gazæorum eccleſiam rexit.... Epiſcopus igitur Romanus, quum ſingulorum cauſas cognoviſſet, omneſque in Nicænæ fidei doctrinam conſentientes reperiſſet, tanquam idem cum ipſo ſentientes, in communionem recepit. Et quoniam propter ſedis dignitatem omnium cura ad ipſum ſpectabat, ſuam cuique eccleſiam reſtituit, &c.*

Julio Papæ aſſenſit ſynodus Serdicenſis ſive Sardicenſis anno 347. ut enim ſubjungit idem Sozomenus *cap. 12. Ex altera vero parte congregati qui cum Hoſio erant, innocentes pronuntiarunt, primum Athanaſium, eo quod epiſcopi apud Tyrum collecti inſidias ei injuſte ſtruxiſſent: deinde Marcellum, utpote qui profeſſus eſſet ſe non ita ſentire ut accuſatores ejus inſimulabant: Aſclepam item eo quod Euſebii Pamphili,* (proindeque ante annum 339. quo circiter Euſebius ille obierat) *aliorumque multorum judicum ſententia epiſcopatum ſuum recuperaſſet, & hæc vera eſſe actis judicialibus comprobaſſet.... Et ad ſingulorum eccleſias ſcripſerunt ut eos pro epiſcopis ſuis haberent, ac propediem expectarent. Gregorium vero Alexandriæ, Baſilium Ancyræ, & Quintianum Gazæ, ne nominarent quidem epiſcopos, nec ullam cum iis communicationem haberent, nec omnino Chriſtianos cenſerent.* Conſtantius Imperator tunc annuit ut epiſcopi, quos

A ſynodus Sardicenſis reſtituerat, ad ſuas eccleſias libere redirent. *Imperatorem* (Ariani) *paſſi ſunt ea agere quæ vellet,* inquit Socrates *lib. 2. hiſtor. eccl. cap. 23. pag. 111.* D. *Ille igitur Athanaſio, Paulo atque Marcello, Aſclepæ item ac Lucio, quorum alter Gazæ, alter Hadrianopolis erat epiſcopus, ſedes ſuas reſtituit. Nam & iſti à Serdicenſi concilio ſuſcepti fuerant: Aſclepas quidem quum acta exhibuiſſet, ex quibus conſtabat Euſebium Pamphili una cum pluribus aliis de ipſius negotio cognoſcentem priſtinum dignitatis gradum ipſi reddidiſſe.*

B Accuſatio fuerat, ea nempe quam memorant Euſebiani in epiſtola ad Africam, ex ſynodo ſua adverſus Sardicenſem Philippopoli coacta an. 347. apud S. Hilarium *fragm. 3. ſupra cit. col. 1313.* B. *Sed in civitate Gaza,* inquiunt, *provinciæ Palæſtinæ, poſt reditum ſuum* (mortuo Conſtantino Magno, adeoque anno 337. aut 338. ſanè ſuperſtite adhuc Euſebio Cæſarienſi) *Aſclepas altare comminuit, multaſque ſeditiones effecit.* Cæterum de ea calumnia hæc nos docet Athanaſius in apolog. ad Conſtantium Imperat. *to. 1. ſupra*

C *cit. pag. 762.* D. *Lectæ enim ſunt litteræ quas Theognius in fraudem Athanaſii, Marcelli & Aſclepæ adulteraverat, ut Imperatores in hos viros concitaret, & hoc ita eſſe, ii qui Theognio per id tempus diaconi fuere, commonſtrarunt* (in ſynodo Sardicenſi.) Et rurſus *p. 764.* D. *Aſclepas autem comminiſter noſter in ſacris, prolatis actorum monumentis Antiochiæ confectis, docuit, quum ibi ſimul & accuſatores, & ipſe Euſebius Cæſarienſis adeſſent, judiciis epiſcoporum qui huic cauſæ præſidebant, ſe innocentem pronuntiatum eſſe.* Ex his porro ſancti

D Athanaſii pro Aſclepa teſtimoniis patet quid ſentiendum ſit de relatione Euſebianorum, qui conciliabulum ſuum Sardicæ celebrare ſe mentientes, dum Philippopoli illud revera agerent, aiunt in epiſtola ſupra citata, inde ſcripta ad Africam, *col. 1314.* E. *Etenim quum adhuc eſſet epiſcopus Athanaſius, Aſclepam depoſitum ſua ſententia ipſe damnavit.* Ut enim annotant doctiſſimi hujus editionis S. Hilarii auctores, *ibid. condemnationis hujus nullum eſt, aut apud Athanaſium, aut apud alios ſacræ hiſtoriæ ſcriptores veſtigium: hunc nuſquam*

E *reprehendit Athanaſius, paſſim laudibus extollit.*

Ipſi quoque Patres Sardicenſes, in ſua epiſtola ſynodica ad totius orbis epiſcopos, apud Theodoretum *lib. 2. hiſt. eccl. cap. 8. edition. Valeſ. Pariſ. 1673. pag. 74.* pro Aſclepæ innocentia omnimoda, id eſt, tam in fide quam in moribus hæc declarant: *pag. 75.* C. *Nam quum in urbem Serdicam adveniſſent* (Euſebiani) *conſpicati fratres noſtros Athanaſium, Marcellum, Aſclepam, & reliquos, in judicium venire ſunt veriti. Et vocati non ſemel atque iterum,*

iterum, ſed ſæpius, citationibus minime obtemperarunt: quamvis univerſi qui convenerant epiſcopi.... ipſos expectarent, hortarenturque ut ad judicium venirent, ut ea quæ adverſus abſentes collegas noſtros ſcripſerant & divulgaverant, ipſis præſentibus poſſent convincere, &c.

Et pag. 76. C. *Recitatæ ſunt enim litteræ Theognii, ejuſque conſortium, adverſus collegas noſtros Athanaſium, Marcellum, & Aſclepam ſcriptæ, ut Imperatorum animos in illos concitarent: & hoc ita eſſe demonſtrarunt ii qui tunc diaconi fuerant Theognii, &c.* Et pag. 79. D. *Idcirco dilectos quidem fratres & collegas noſtros, Athanaſium epiſcopum Alexandriæ, Marcellum epiſcopum Ancyræ Galatiæ, Aſclepam Gazæ, & eos qui cum illis miniſtri ſunt Domini, innocentes ac puros eſſe pronuntiavimus: ſcriptis litteris ad uniuſcujuſque eccleſiam, ut cujuſque eccleſiæ populus innocentiam epiſcopi ſui cognoſcat; & hunc quidem habeat atque expectet epiſcopum: eos vero qui luporum inſtar in eorum eccleſias invaſerunt; Gregorium ſcilicet Alexandriæ, Baſilium Ancyræ, & Quintianum Gazæ, nec epiſcopos omnino, nec Chriſtianos appellent, nec cum illis ullam habeant communionem; & neque litteras ab illis accipiant, neque ad illos ſcribant.*

Ut autem huic ſynodo ſubſcripſit Aſclepius in hunc modum: *Aſclepius à Palæſtina de Gaza. Tom. 2. concil. Labb. col. 658.* D. & *col. 662.* D. ſic & Quintianus pſeudo-ſynodo Philippopolitanæ eodem tempore ab Euſebianis celebratæ, *ibid. col. 711.* A. *Quintianus epiſcopus à Taxe* (mendum eſt interpreti attribuendum, qui ἀπὸ Τάξης legit in Græco, pro ἀπὸ Γάζης, litterarum Τ & Γ, necnon ξ & ζ ſimilitudine deceptus, unde legendum *à Gaza*) *opto vos in Domino bene valere.*

Reverſus eſt ergo Aſclepas ad ſuam eccleſiam eo anno 347. aut ſequenti 348. Ipſum *Gazæi*, inquit Socrates loco ultimum citato *pag. 112.* A. *libenter ſuſceperunt.* Quantum poſtea vixerit nos latet. Eccleſiæ ab eo conſtructæ in occidentali civitatis ſuæ parte fit mentio in vita S. Porphyrii Gazenſis epiſcopi, apud Bollandum die 26. Febr. *n. 20. p. 648. col. 2.* E. his verbis: *Quum fuiſſet autem mane, accepto ſigno venerandæ Crucis, quod nos præcedebat, egreſſi ſumus cum hymnis ad antiquam eccleſiam, quæ eſt à parte occidentali civitatis, quam aiunt ædificaſſe ſanctiſſimum & beatiſſimum Aſclepam epiſcopum, qui multas ſuſtinuit afflictiones pro fide orthodoxa: cujus vita & facta ſcripta ſunt in paradiſo deliciarum.*

IV. Irenio *ſive* Irenæus.

Irenio eccleſiæ Gazenſis adminiſtrationem gerebat anno 363. quum ſynodus Antiochiæ celebrata eſt initio imperii Joviani, Juliani

ECCLESIA GAZÆ.

A Apoſtatæ ſucceſſoris, ſub Meletio Patriarcha, in qua fides Nicæna confirmata eſt: ſubſcriptus enim legitur inter cæteros epiſcopos, *Irenio Gazæ*, Ειρηνίων Γάζης, *tom. 2. concil. Labb. col. 828.* E. Marcus auctor vitæ S. Porphyrii Gazenſis epiſcopi apud Bollandum die 26. Febr. *num. 11. p. 647.* C. de eo ait: *Irenion, qui ipſe quoque fuit civis angelicarum poteſtatum, cujus laudes fieri non poteſt ut ſcribantur in digreſſione: ſed opus eſſet opere ſeparato ad hoc, ut conſcriberemus vitam hujus dicti inclyti Irenionis.* Et num. 18. pag. 648. B. *Profecti* B *autem ſumus ad ædes epiſcopi quas ædificaverat prius nominatus ſanctus Ireneon epiſcopus, ſimul cum ſancta eccleſia quæ vocatur Irenes.... Hunc locum quum inveniſſet beatus Irenion coli à Gazæis, in eo conſtruxit eccleſiam.* Ejus memoria colitur in Martyrologio Romano die 16. Decembris his verbis: *Gazæ in Palæſtina ſancti Irenionis epiſcopi.* Obiit anno circiter 392. aut 393. ut ex modo dicendis patebit.

V. Æneas.

Irenioni ſucceſſit *Æneas*, teſte Marco C ſancti Porphyrii epiſcopi Gazenſis diſcipulo & vitæ ſcriptore, apud Bollandum *tom. 3.* Febr. ad diem 26. *n. 11. pag. 647. col. 1.* C. *Tribus autem annis*, inquit, *poſtquam fuerat ordinatus* (preſbyter Porphyrius) *accidit ut epiſcopus prædictæ civitatis Gazæ è vita excederet. Is erat Æneas, qui minimo tempore geſſerat epiſcopatum. Ante Æneam autem Irenion, &c.* Obiit exeunte an. 394. aut ineunte ſequenti 395.

VI. Porphyrius.

D «Vitam *ſancti Porphyrii* Gazenſis epiſcopi, inquit doctiſſimus Bollandus modo citatus, « commentarii prævii *n. 7. pag. 644. col. 2.* F. « proximis ab ejus obitu annis ſcripſit Marcus « ejus diſcipulus, ab eo diaconus ordinatus, & « familiaris omnium laborum atque itinerum « per ultimos triginta aut circiter annos ſocius « ac comes. Eſt is diligens & veritatis cultor, « & illorum temporum gnarus hiſtoricus, vir « admodum eruditus, pius etiam ac ſanctus, « uti ex tota vitæ ejus ſerie accurate deducta « conſpicitur.» Eam vitam Latinè redditam ex E Græco à Gentiano Herveto exhibet *ibidem* Bollandus à *pag. 645.* ad *pag. 661.* Acta hujus vitæ pluris facit Tillem. *tom. 10. hiſtor. eccl. pp. 703. & 843.* licet fateatur in iis nonnulla occurrere, quæ non modicum negotium faceſſunt, & ipſe explicare conatur. Analyſim hujus Porphyrii vitæ exhibet idem Bollandus *pag. 644. n. 3. col. 1.* A. B. quam hic deſcribimus, quibuſdam in ea correctis vel illuſtratis ex diligenti præfati Tillemont. critica. Quot annis vixerit ſanctus Porphyrius, inquit, ac

Digitized by Google

ECCLESIA GAZÆ.

Gazæis epiſcopus præfuerit, & tandem ad A laborum ſuorum præmium moriens abierit, hoc fere calculo colligimus. Natus eſt Theſſalonicæ, ex inſigni genere, circiter annum Chriſti 353. (Tillem. *pag. 850. not. 2. col. 2.* ait: 352. aut 353.) qui annus, uti & proxime ſequentes, ex poſterioribus colliguntur.

Abſolutis dein humanæ divinæque ſapientiæ ſtudiis, anno ætatis circiter 25. Chr. 378. *Divinus eum amor ſubiit* (vitæ ejus *num. 4. pag. 646. col. 1. A.*) *relinquendi patriam, & ſplendorem generis, & opes infinitas, & vitam amplectendi monaſticam. Quumque navigaſſet* B *Theſſalonica, venit in Ægyptum. Recta autem profectus in ſceten, & paucis poſt diebus dignatur venerando habitu. Et quum illic eſſet verſatus quinque annos cum ſanctis Patribus, alius divinus amor eum ſubiit adorandi ſancta & veneranda Dei loca. Quumque illic fuiſſet & adoraſſet, abiens in partes Jordanis, habitavit in ſpelunca. Quum illic autem eſſet verſatus quinque annos cum multa afflictione, ex magna ſiccitate & inæqualitate locorum illorum, incidit in magnum morbum. Videns vero ſe adductum in extremum periculum, Dei providentia accerſit* C *quemdam ex ſuis notis, ut eum duceret Hieroſolyma. Morbus autem erat ſcirrus hepatis cum continua febre tenuiſſima. Hoc ergo morbo invaleſcente .... ipſe non ceſſabat quotidie obire ſancta loca incurvatus .... innitens baculo.*

Et n. 5. *Accidit autem illo tempore ut ego ex Aſia navigarem ad adorandum loca veneranda. Quumque in eis eſſem, diu ibi ſum verſatus, me alens operando manibus: callebam enim pulchrè ſcribendi artem. Adſpiciens vero ſanctum continenter vadentem ad Chriſti reſurrectionem, & ad alia oratoria, mirabar quod in tanta corporis* D *imbecillitate, non dubitaret ſe ſic cruciare. Quodam autem die quum ei occurriſſem in gradibus Martyrii* (Martyrium Μαρτύριον, baſilica eſt ſanctæ Reſurrectionis, quæ *Martyrii* nomine etiam inſignitur à S. Cyrillo Hieroſolymitano in catech. 14. quod ſit teſtimonium & fidele præcipui hujus fundamenti fidei noſtræ monumentum) *quod fuerat conditum à Conſtantino Imperatore, non valenti progredi accurrens, & ei manum meam porrigens, rogavi ipſum, ut ei inniteretur, & gradus aſcenderet. Ille vero nolebat.... morbum enim adeo contemnebat, ut exiſtimares* E *ipſum habere morbum in aliena corpore ....*

Et n. 6. *Hoc autem eum ſolum male habebat & mordebat, quod remanſiſſent facultates, & non .... venditæ eſſent & diſtributæ pauperibus. Cauſa autem hujus impedimenti fuit, quod eſſent ei fratres pueri, quando exceſſit è patria. Hoc ergo ægrè ferens petit à me, qui jam ei eram familiaris, (ei enim miniſtrabam propter ejus infirmitatem) ut navigarem Theſſalonicam, & dividerem facultates cum ſuis fratribus; & quum dediſſet mihi ſcriptum mandatum ...... dimiſit præbitis mihi minimis impenſis: neque enim opes ſuppetebant, &c. Oſtenſo quod in ſcriptis habebam mandato, diviſi bona cum ejus fratribus. Vendidi autem quæ mihi obtigerant poſſeſſiones ter mille aureis. Veſtes vero & argentum mecum tuli, & alios mille quadringentos aureos: & quum omnia collegiſſem, poſt tres menſes renavigavi. Quum autem ſpatio duodecim dierum veniſſem in emporium Aſcalonis, & illic jumenta conduxiſſem, & ea oneraſſem, aſcendi in ſanctam civitatem. Quum me autem adſpexiſſet vir beatiſſimus, me eſt amplexus cum gaudio & lacrymis.... ego vero ipſum non cognoſcebam; habebat enim corpus valde honeſtum, & faciem rubicundam: volvebam autem meos oculos, frequenter ipſum intuens.* Et num. 7. *Ipſe vero quum animadvertiſſet & ſubriſiſſet, placide dixit: ne mireris, frater Marce, me videns ſanum & robuſtum, ſed diſce cauſam ſanitatis, & tunc admirere Chriſti benignitatem ineffabilem, &c.*

Ego vero rogavi ipſum ut mihi diceret ..... quemadmodum talem morbum propulſaverit. Ille autem mihi reſpondit: Quadraginta abhinc diebus, quum ego eſſem in vigilia ſanctæ Dominicæ, me invaſit dolor, quem quum non poſſem ferre, ivi & recubui propè ſanctam Calvariam, & quum præ magno dolore eſſem veluti in ecſtaſi, video Servatorem clavis affixum in cruce, & unum ex latronibus cum ipſo pendentem in alia cruce, & incipio clamare & dicere vocem latronis: Memento mei, Domine, quando veneris in regnum tuum. *Reſpondens autem Servator, dixit latroni pendenti: Deſcende de cruce, & ſerva illum qui recumbit, quomodo tu quoque fuiſti ſervatus. Latro vero deſcendens de cruce, me complexus fuit, & deoſculatus, & porrecta dextera me fecit ſurgere dicens: Veni ad Servatorem. Et ſtatim ſurrexi, & cucurri ad eum, & video ipſum deſcendiſſe de cruce, & mihi dicere: Accipe hoc lignum & ſerva. Quumque accepiſſem & portaſſem hoc pretioſum lignum, ſtatim ad me redii ab ecſtaſi: & ab ea hora nullus dolor mihi fuit amplius, neque apparuit locus morbi.*

Et n. 8. *Ego autem his auditis valde ſum admiratus, & Deum glorificavi: & de cætero fui in virum magis affectus, & ei inſervii diligentius. Revera enim quum renumeraſſem Dei ſervo pecuniam, & quum ei reſtituiſſem quæcunque attuleram, manſi apud eum, ei inſerviens, & fruens ſpiritualibus ejus orationibus, &c.* Et num. 9. *Quum autem accepiſſet à me pecunias, & alia quæ attuli, & vendidiſſet veſtes, & conflaſſet plurimum pecuniæ, reliquam omnem pretioſam ſupellectilem parvo tempore dedit egentibus, non ſolum in ſancta civitate, ſed etiam in aliis civitatibus, vicis, & monaſteriis, & maxime iis quæ erant in Ægypto:*

Digitized by Google

erant enim valde egena illic monaſteria...... Quamobrem breviſſimo tempore diſtribuit omnes ſuas facultates, adeo ut ipſe egeret alimento quotidiano: ſeipſum ergo dedit arti ſutoris coriarii, pelles lavans & conſuens, & in omnibus imitans divinum illum Apoſtolum, qui nolebat panem gratis comedere, &c.

Poſtea, pergit Bollandus, Porphyrius *circiter XL. annos natus,* ut *n. 10.* ejus vitæ dicitur *pag. 647.* B. preſbyter ordinatus eſt, (non tamen à Praylio qui poſt 25. exinde annos ſedem Hieroſolymitanam conſcendit, ſed à Joanne Praylii deceſſore,) qui etiam ei credidit cuſtodiam venerandi ligni crucis, juxta quod illi dictum fuerat *in ecſtaſi.... Accipe & ſerva mihi hoc lignum.* Id contigit anno Chriſti 392. *Hunc autem honorem adeptus,* inquit Marcus ejus diſcipulus *num. 10. cit. non mutavit mores priores, ſed manſit in illa afflictione exercitationis. Erat vero illi alimentum panis ſordidus & olera, idque poſt occaſum ſolis: aliis autem ſanctis diebus hora ſexta comedebat, accipiens oleum & caſeum & madefacta legumena. Sumebat autem etiam unum poculum vini temperati, idque propterea quod ſe male haberent ejus viſcera. Hanc vivendi rationem & regulam perpetuo ſervavit toto tempore vitæ ſuæ.* Poſt tres annos Joannes Cæſareæ archiepiſcopus, qui circa finem an. 394. vel initio ſequentis 395. Gelaſio ſucceſſerat, eum ad ſe accerſitum, epiſcopum Gazæ conſecravit, menſe Martio vel Aprili ejuſdem anni 395. Porphyrius epiſcopus factus ad fidem Chriſti exhortationibus & nonnullis miraculis, 232. idololatras Gazæos convertit; ſed quum cæteri reſiſterent veritati, ac Chriſtianos, ipſumque epiſcopum & ejus miniſtros injuriis non parum afficerent, Marcum, quem diaconum ordinaverat, miſit Conſtantinopolim anno 398. ſcriptis ad ſanctum Joannem Chryſoſtomum litteris, ut auctoritate Arcadii Imperatoris templa falſorum numinum Gazæ diruerentur. Edictum obtinuit quo jubebatur ut ea clauſa manerent, nec ullus ſimulacra conſuleret. Sed quum Gentilium furor cohiberi non poſſet, Porphyrius volens epiſcopatum dimittere Cæſaream petivit: à Joanne tamen archiepiſcopo Cæſarienſi deterritus, ſimul Conſtantinopolim perrexere (die 18. Dec. anni 400. ex Tillem. *pp. 709. & 846.*)

Ibi Eudoxiæ Imperatricis opera, cui maſculam prolem jamjam edendam ex pii anachoretæ vaticinio prænuntiarant, res pro voto ceſſit; paucis abhinc diebus filium peperit anno 401. qui Theodoſius junior fuit, ſtatim vero atque baptizatus eſt infans, menſe Aprili ejuſdem anni, Arcadii & ipſius quoque Theodoſii nomine, edictum duobus epiſcopis conceſſum fuit, ut deſtruerentur Gazæ A cuncta idolorum templa, ipſum quoque Marnæ fanum: eccleſia autem in medio Gazæ & xenodoxium conſtruerentur, pro quorum impenſis Arcadius & Eudoxia magnas pecuniarum ſummas erogarunt.

ECCLESIA GAZÆ.

Conſtantinopoli egreſſi duo præſules die 18. Aprilis, ejuſdem anni 401. pervenerunt prima die Maii in maritimam partem Gazæorum, quæ Majuma appellatur, *nn. 54. 55. 56. & 57.* Erant tunc Gazæ octo falſorum numinum delubra, nempe *Solis, & Veneris, & Apollinis, & Proſerpinæ, & Hecates, & quod dice-* B *batur Hierion ſeu ſacerdotum, & Fortunæ civitatis, quod vocabant Tycheon, & Marnion, quod dicebant eſſe Cretigenæ,* id eſt è Creta oriundi, *Jovis, quod exiſtimabant eſſe glorioſius omnibus templis quæ ſunt ubique: erant autem alia quoque plurima ſimulacra in ædibus & pagis, &c. num. 64.* Templa hæc omnia diruta ſunt, idolaque igne conſumpta, & nova eccleſia ædificata, Eudoxiana appellata, quam poſt quinque annos Porphyrius ſolemniter dedicavit anno ſubinde 406. die Reſurrectionis Domini, à *num. 64.* ad *93.* Idololatræ autem ex eo magis C furentes ſtuduerunt malis afficere Chriſtianos, & ante omnes Porphyrium, qui quæſitus non ſemel ad necem, Deo protegente, per fugam evaſit, à *num. 95.* ad *n. 100.*

Interfuit anno 415. Dioſpolitanæ ſynodo, in qua Pelagiana hæreſis damnata eſt & Pelagius abſolutus. Nam ſanctus Auguſtinus *lib. 1. contra Jul. cap. 5.* quatuordecim epiſcopos enumerans quibus ea ſynodus conflata eſt, duos *Porphyrios* nominat, quorum quidem unius ſedes non eſt comperta, ſed alter fuit veriſimillime Gazæus noſter ea ætate & in D Palæſtina degens. Unde *tom. 2. concil. Labb. col. 1532.* D. in notis ad hanc ſynodum, unus ex illis dicitur *Porphyrius Gazæus.* Tandem obiit ſanctiſſimus anno ætatis circiter 68. antiſtes, die 26. Febr. anno 420. ut cenſet Tillem. *pp. 716. & 849.* Bollandus tamen *pag. 644. num. 5.* D. aſſignat annum 421.

De Porphyrii morte hæc ſcribit Marcus *n. 103. Beatiſſimus autem epiſcopus Porphyrius, quum regulam conſtituiſſet eccleſiaſticam, & omnem conſequentiam, & alios paucos annos* (ab ultima gentilium perſecutione ſibi ſuiſque illata) E *fuiſſet ſuperſtes, poſtquam ſanctam ſanctificaſſet eccleſiam, in morbum incidens, pium fecit teſtamentum: in quo quum multis legaſſet, & omnes Chriſtum amantis populi Deo commendaſſet, in pace dormiit cum ſanctis, ſecundo menſis Dyſtri, anno, ut eſt Gazæorum computatio, quadringenteſimo-octogeſimo: epiſcopatus ab eo geſti vigeſimo-quarto, menſe undecimo,* (dubitat Tillem. *pag. 849.* an menſes iſti undecim comprehendantur in vigeſimo-quarto anno, an vero illum excedant: ſi primum, aſſerendum ait

Digitized by Google

ECCLESIA GAZÆ.

illum obiiſſe anno 419. Si ſecundum, anno A 420.) *& præclaro peracto certamine adverſus idololatras uſque ad diem ſuæ dormitionis. Et nunc eſt in paradiſo deliciarum, intercedens pro nobis cum omnibus ſanctis: quorum precibus noſtri miſerebitur Pater & Deus cum Filio & ſancto Spiritu; cui gloria & potentia in ſæcula ſæculorum, Amen.* In Martyrologio Romano ejus memoria his verbis celebratur, die 26. Februar. *Gazæ in Palæſtina, ſancti Porphyrii epiſcopi, qui tempore Arcadii Imperatoris Marnam idolum, ejuſque templum evertit, ac multa paſſus quievit in Domino.*

VII. NETORAS.
Idem, vel alius qui VIII. NATIRAS.
MARINIANUS.
Idem, vel alius NATIRAS *ſive* NETIRAS.
PETRUS IBERUS, *intruſus.*

Anno Chriſti 431. Gazæ ſedebat, proximus fortaſſis ſancti Porphyrii ſucceſſor *Netoras.* Præfato enim anno 431. ſynodo Epheſinæ adverſus Neſtorium hoc modo ille ſubſcripſiſſe legitur, *tom. 3. concil. Labb. col. 541.* A. *col. 692.* E. *& col. 694.* Νετόρας ἐπίσκοπος C Γάζας ὑπέγραψα, &c. *Netoras epiſcopus Gazæ ſubſcripſi, &c.* Anno 449. *Natiras* qui fortaſſis idem eſt epiſcopus ac modo nominatus *Netoras,* adfuit ſynodo Conſtantinopoli coactæ menſe Aprili ad diſcutiendum, num acta ſynodi anno præcedenti 448. coactæ in qua Eutyches damnatus fuerat, eſſent falſata, ut contendebat Eutyches: initio enim ſic inſcriptus legitur *to. 4. conc. Labb. col. 236.* A. Νατίρα τοῦ εὐλαβεστάτου ἐπισκόπου τῆς Γαζέων πόλεως. *Natiras reverendiſſimus epiſcopus Gazenæ civitatis.* In concilio quoque Chalce- D donenſi anno 451. ſubſcripſit *Natiras, ibid. col. 436.* E. Νατίρας Γάζης, *Natiras Gazæ.* Et act. VI. *col. 585.* B. Νατιρᾶς ἐπίσκοπος πόλεως τῆς κατὰ Γάζαν ὁρίσας ὑπέγραψα. *Natiras epiſcopus civitatis ad Gazam, &c.* Notanda hæc ſubſcriptio, quaſi Gaza tunc temporis non fuerit ſita in loco ipſo, ſed prope locum ubi prior Gaza ſteterat. Et certe ſanctus Hieronymus de locis Hebraïc. ait, *Gazæ civitatis locum vix fundamentorum præbere veſtigia, hanc vero quæ nunc cernitur, in alio loco, pro illa quæ corruit, ædificatam.* Item *col. 801.* B. Νατίρας E ἐπίσκοπος τῆς κατὰ Γάζαν ἐκκλησίας ὁρίσας, &c. *Natiras epiſcopus eccleſiæ Gazæ, ſive quæ eſt ad Gazam, &c.* Hic *Natiras* alius eſſe potuit à *Netora* qui ſynodo Epheſinæ interfuerat, nam ab anno 431. quo huic ſynodo ſubſcripſit *Netoras,* ad annum 449. quo *Natiras* in ſynodo Conſtantinopolitana primum legitur inſcriptus, intervallum fluxit octodecim annorum, non computatis undecim annis, qui jam ab anno 420. quo deceſſit

Porphyrius, ad annum 431. quo ſynodus prima Epheſina celebrata eſt, elapſi fuerant. Obſervat Hadrianus Relandus, Palæſtinæ illuſtratæ *tom. 2. pag. 796.* in act. XV. concilii Chalced. *to. 4. conc. Labb. p. 788.* E. ſic legi inter epiſcoporum Palæſtinæ tertiæ nomina *Niz Tiras, Marcianus Gazes:* at in nova collectione concilior. edita à Baluzio *col. 1453.* Νετίρας ἐπίσκοπος Γάζης: unde *Marcianus* ille epiſcopus fuit, non *Gazæ,* ſed Γεράρων *Gerarorum* in Palæſtina, *to. 4. conc. Labb. col. 585.* C.

Inter ſubſcriptiones epiſcoporum qui acta B latrocinii Epheſini anno 449. coacti, præſide Dioſcoro Alexandrino Patriarcha, approbarunt, extat Latinè ſolum *Mariniani* cujuſdam ſubſcriptio iis verbis, *tom. 4. concil. Labb. col. 322.* D. *& to. 2. conc. Harduini col. 272.* B. *Marinianus epiſcopus Gazæ definiens ſubſcripſi.* Circa quod *Mariniani* nomen, ſi mendum aliquod non occurrit, dicendum eſt: 1.° *Marinianum* hunc, Natiræ mortuo vel depoſito poſt ſynodum Conſtantinopolitanam anno 449. & ante ſynodum Epheſinam ſecundam eodem anno habitam ſucceſſiſſe. 2.° Eumdem *Marinianum* obiiſſe ante ſynodum Chalcedonenſem anno 451. congregatam. 3.° demum *Natiram,* qui eidem ſynodo Chalcedonenſi pluries ſubſcripſit, alium fuiſſe ab eo *Natira* qui an. 449. concilio Conſtantinopolitano interfuit: niſi hic depoſitus ut locum *Mariniano* daret, poſtea, & ante quam ſynodus præfata Chalcedonenſis celebraretur, mortuo vel depoſito iſto *Mariniano,* ſedem ſuam recuperaverit. Verum hæc omnia, utpote obſcura, prudentis lectoris relinquimus judicio.

Zacharias Meletinenſis epiſcopus, *Malela* ſive *Rhetor* ab Evagrio dictus, qui ſub Juſtiniano Imperatore circa annum Chriſti 550. vivebat, loquens de Theodoſio quodam monacho qui poſt terminatum concilium Chalcedonenſe anno 451. ſedem Hieroſolymitanam, pulſo Juvenale invaſit, de quo vide ſupra *coll. 116. & 169.* ait, teſte doctiſſimo Aſſemano *to. 2. Bibl. Orient. pag. 56. col. 1.* hunc ſtatim poſt ordinationem ſuam, plures in urbibus trium Palæſtinarum intruſiſſe epiſcopos, inter quos fuit *Petrus* quidam *Iberus* cui *Gazæ* epiſcopatus commiſſus eſt. Eum quidem præfatus Evagrius *lib. 2. hiſt. eccl. c. 5.* non Gazæ ſed *Majumæ* epiſcopum conſecratum affirmat, at calami certe lapſu, inquit Aſſemanus, nam idem poſtea, *lib. 3. cap. 33.* ubi meminit monaſterii Gazam inter & Majumam ſiti, ſubdit: *Petrus quoque Iberus, qui ejuſdem Gazæ epiſcopus fuit, &c.* Juvenale reſtitutò ope Marciani Imperatoris anno 453. & epiſcopis à Theodoſio ordinatis ſuis ſedibus deturbatis, ſolus Petrus Iberus pro quo Imperatrix Eudoxia interceſſerat, relictus fuit:

Digitized by Google

ECCLESIA GAZÆ.

verum angeli monitu, ut comminiſcitur Zacharias, exules cæteros ſponte ſequutus eſt. Is probabiliter in locum ſubrogatus fuit Natiræ epiſcopi Gazenſis orthodoxi adhuc viventis, ſed qui fortaſſis jam obierat an. 453. quando Juvenalis aliique epiſcopi catholici reſtituti ſunt, propter quod obtinuerit Eudoxia ut in eccleſia Gazenſi conſervaretur.

Evagrius *lib. 2. hiſt. eccl. c. 8.* Petrum Iberum memorat adfuiſſe anno 457. ordinationi Timothei Æluri. *Alexandrini,* inquit, *captato tempore, quo Dionyſius dux rei militaris, in ſuperiore Ægypto morabatur, Timotheum quemdam cognomento Ælurum, Alexandrinæ urbis epiſcopum eligunt, qui prius quidem monaſticam vitam excoluerat, poſtea vero in numerum preſbyterorum Alexandrinæ eccleſiæ fuerat adſcriptus. Hunc ergo ad majorem eccleſiam quæ Cæſaris dicitur, quum duxiſſent, epiſcopum ſibi conſtituunt, Proterio* (Patriarcha Alexandrino) *adhuc ſuperſtite & epiſcopale munus obeunte. Interfuerunt autem ordinationi, Euſebius epiſcopus Peluſii, & Petrus ex Hiberia oriundus, epiſcopus Majumæ* (legendum *Gazæ*) *quemadmodum commemorat is qui vitam Petri litteris mandavit.* Et lib. 3. cap. 23. *Illico* (Severus hæreticus) *monaſticam vitam amplexus eſt in quodam monaſterio quod inter civitatem Gazam & oppidum Majumam in medio itineris poſitum eſt. Quo in loco Petrus quoque Iberus* Πέτρος ὁ Ἴβηρ, *qui ejuſdem Gazæ epiſcopus fuit, & qui cum Timotheo Æluro in exilium miſſus eſt,* (anno 460.) *monaſticum vivendi genus excoluit, crebriſque hominum ſermonibus celebratus eſt.* In vivis adhuc erat anno 512. quo ſancto Flaviano Antiocheno Patriarcha in exilium miſſo ab Anaſtaſio Imperatore, Severus hæreticus in ejus ſedem intruſus eſt menſe Novembri. Libellus enim monachorum orthodoxorum ad Mennam Conſtantinopolitanum antiſtitem anno 536. oblatus: hæc de Severo aſſerit, *tom. 5. concil. Labb. col. 122.* D. *Iterum ergo* (Severus) *& Petrum Iberum eodem tempore* (quo ſedem invadit Antiochenam) *ſuſcipit, & communicat cæteris hæreticis, &c.*

IX. Joannes.

In Kalendario Æthiopum Habyſſinorum, die ſexta Aprilis cenſetur inter ſanctos quidam *Joannes epiſcopus Gazæus,* cujus cæterum ætas & geſta ignorantur.

X. Timotheus.

Ex Doſitheo Patriarcha Hieroſolymitano, *lib. 4. Patr. Hieroſ. cap. 18. §. 1. Timotheus Gazæ epiſcopus,* ad Anaſtaſium Imper. miſſus eſt ab Hieroſolymitis, ut ab eo obtineret abolitionem tributi quod *Chryſargyrum* dicebatur, & reipſa ſublatum eſt. De eo tributo hæc

A ſcribit Evagrius *lib. 3. hiſt. eccl. cap. 39. edit. Valeſ. pag. 368. Res præterea eximia ac plane divina ab eodem Imperatore* (Anaſtaſio) *geſta eſt, vectigalis ſcilicet quod Chryſargyrum dicebatur abolitio.... Romanorum reipublicæ tam longè lateque diffuſæ impoſitum erat vectigal miſerabile prorſus, Deoque inviſum, & barbaris ipſis indignum, nedum Chriſtianiſſimo Romanorum imperio conveniens. Quod ad Anaſtaſii uſque tempora neſcio quamobrem neglectum atque toleratum, ipſe regali magnificentia ſuſtulit. Impoſitum autem erat, tum aliis compluribus qui ſtipe* B *collaticia victitabant, tum mulierculis quæ corpore quæſtum faciebant, & per abdita atque obſcura urbis loca in cellis meritoriis ad ſtuprum proſtabant, maſculis præterea qui muliebria paſſi fuerant, nec naturam ſolum ipſam, verum etiam rempublicam ignominia afficiebant. Adeo ut collatio iſta vice legis proclamaret, licere cuivis inceſtam illam libidinem perpetrare. Porro impium illum ac deteſtandum quæſtum, qui ex hoc vectigali percipiebatur, exactores, qui illud ubique colligebant, quarto quoque anno deferebant ad ſummum magiſtratum imperii Romani: ita* C *ut non minima pars hæc eſſet magiſtratus, & propria, ut vocant, ſcrinia haberet, & numerarios qui ratiociniis hujuſmodi præerant, viros non obſcuros, qui iſtud munus, perinde ac reliqua, militiam eſſe cenſerent. Quod quum didiciſſet Anaſtaſius, & ad ſenatum retuliſſet, ſcelus hoc eſſe, & novum quoddam atque inſolens piaculum jure merito pronuntians, lege lata ſanxit ut penitus aboleretur, & chartas quæ exactionis hujus notitiam continebant, incendio conſumpſit, &c.* Porro, ſi Anaſtaſius, opera præſertim & hortatu Timothei Gazenſis D epiſcopi, illud tributum ſuſtulit, ut aſſerit præfatus Doſitheus, nulli dubium eſt quin ex ea abolitione ille Timotheus plurimum laudis apud omnes pios promeruerit, & reportaverit.

XI. Cyrillus.

Synodicis litteris Joannis Patriarchæ Hieroſolymitani ad Joannem Patriarcham Hieroſolymitanum adverſus Severum Antiochenum ejuſque hæreſis aſſeclas anno 518. datis, ſubſcriptus legitur inter alios Palæſtinæ præſules Κύριλλος ἐπίσκοπος Γαζαίων, *Cyrillus epiſcopus Gazæ, to. 5. conc. Labb. col. 191.* E.

XII. Marcianus.

Decreto ſynodi trium Palæſtinarum adverſus Anthimum hæreticum congregatæ Hieroſolymis ſub Petro Patriarcha anno 436. *Marcianus* ſubſcripſit, cum aliis trium Palæſtinarum epiſcopis, in hæc verba: Μαρκιανὸς ἐπίσκοπος Γάζης ὁρίσας ὑπεσημηνάμην, *Marcianus epiſcopus Gazenus diffiniens ſubſcripſi. To. 5. conc. Labb. col. 288.* A.

Digitized by Google

ECCLESIA GAZÆ.

XIII. Aurelianus.

In bibliotheca Coiſliniana olim Segueriana Pariſ. 1715. dicitur *pag. 393.* in codice 281. olim 197. membranaceo XIII. circiter ſæculi foliorum 237. extare fol. 186. verſo, liber ſub hoc titulo: *Doctrina ſancti Barſanuphii, ſub Aureliano, vel ad Aurelianum epiſcopum Gazæ, de Origenis, Evagrii & Didymi ſententiis.* Initium Ἀδελφὸς ἠρώτησε τὸν ἅγιον γέροντα τὸν ἀββᾶν Βαρσανούφιον. *Frater quidam interrogavit ſanctum ſenem abbatem Barſanuphium, &c.* refertur Græcè & Latinè opuſculum illud *ibid.* à *pag. 394.* ad *pag. 399.* Titulus illius Græcè eſt Διδασκαλία τοῦ ἁγίου Βαρσανουφίου ἐπὶ Αὐρελιανοῦ ἐπισκόπου Γάζης περὶ τῶν Ὠριγένους, Εὐαγρίου, καὶ Διδύμου φρονημάτων. *Doctrina ſancti Barſanuphii ſub Aureliano epiſcopo Gazæ circa opiniones Origenis, Evagrii & Didymi.* Florebat autem Barſanuphius ſeculo VI. medio. Hæc enim narrat Evagrius *lib. 4. hiſt. eccl. cap. 33. Iiſdem temporibus* (ſub Juſtiniano Imperatore) *viri plane divini, & admirabilium operum effectores, in variis orbis terrarum locis vixerunt; ſed quorum gloria ubique inclaruit, hi fere ſunt. Barſanuphius Ægyptius genere, qui in carne vitam carnis expertem tranſegit in quodam monaſterio juxta oppidum Gazam, adeo ut plurima miracula perpetraverit, quæ recenſere difficile eſt; credaturque ab omnibus etiamnum vivere in cellula recluſus, quamvis quinquaginta & amplius anni jam exceſſerint, ex quo nec viſus eſt à quoquam, nec terrenum quidquam deguſtavit. Quæ quum falſa eſſe crederet Euſtochius Hieroſolymorum antiſtes, & cellulam in qua vir Dei ſeſe incluſerat perfodi juſſiſſet, ignis inde exiliens univerſos propemodum qui aderant combuſſit.* Hæc Evagrius, ex quo, quia finiit ſuam hiſtoriam anno Mauricii Imperatoris duodecimo, Chriſti 594. quinquaginta & amplius annis poſtquam Barſanuphius deſiverit hominibus eſſe viſibilis, intelligendum datur, Aurelianum epiſcopum Gazæ, ſub quo opuſculum præfatum Barſanuphius ſcripſit, ante illos quinquaginta & amplius annos, anno circiter 540. ſediſſe, ſubindeque probabiliter Marciani proximum fuiſſe ſucceſſorem.

XIV. Matus.

Doſitheus Patriarcha Hieroſolymorum refert *lib. 7. hiſt. Patriarc.* hujus ſedis, *cap. 22. §. 4.* teſtamento Geraſimi cujuſdam monachi, viri utique illuſtris, ſubſcripſiſſe anno mundi 6654. id eſt, Chriſti 1146. una cum Arſenio Patriarcha, aliquos ritus Græci præſules, inter quos ab eo nominatur *Matus epiſcopus Gazæ,* Μᾶτος Γάζης ὁ ὑπέρτιμος. Vid. ſupra *col. 502.* B. ubi de Arſenio, & *col. 602.* C. ubi de Elia A epiſcopo Aſcalonis. Gazenſem itaque eccleſiam adminiſtrabat Matus iſte an. Chr. 1146.

XV. * * *

Ante annum 1569. ſedebat *epiſcopus Gazæ* Germani Patriarchæ Hieroſolymitani conſanguineus. Id enim David Cytræus ſibi à Michaele Libadario Theſſalonicenſi narratum indicat, *oratione de ſtatu eccleſiarum in Græcia, &c.*

XVI. Paysius *ſeu* Païsius.

B Joannes de Lilienthal ſacræ Regiæ Majeſtatis Sueciæ ad latus magni Ruthenorum ducis conſtitutus Reſidens in aula Suecica Moſcoviæ, epiſtolam ſcripſit die 22. Septembris anno 1666. ad reverendiſſimum *Payſium metropolitam Gazæ,* de fide Græcorum ab eccleſia Romana ſeparatorum, circa præſentiam realem Chriſti in Euchariſtia, & tranſubſtantiationem: cui reſpondit Païſius epiſtola data *in Alexiano Muſæo eodem anno ſalutis 1666. octavo Novembris.* Titulus eſt: *Humillimus metropolita Gazæ Payſius Ligaridius* C *illuſtriſſimo atque generoſiſſimo Domino Reſidenti Joanni de Lilienthal ſalutem plurimam dicit.* Initium eſt: *Iſocratis Atticæ Aicpulæ melleum extat pronunciatum* ἐὰν ἧς φιλομαθὴς ἔσῃ καὶ πολυμαθής, *ſi eris diſcendi ſtudioſus multa quoque perdiſces, &c.* Subſcriptio autem: *Tuæ illuſtriſſimæ dominationi devotiſſimus ac humillimus cliens Païſius Ligaridius Chius metropolita Gazæ Hieroſolymitanus manu propria ſubſcripſi.* Extat utraque hæc epiſtola Latinè, in volum. de Perpet. fidei eccleſiæ univerſalis circa Euchar. adverſus Claudium Calviniſtam D miniſtrum Charenton. edit. Pariſ. anno 1669. *lib. 12.* prima quidem, *pag. 58.* altera vero, à *pag. 59.* ad *p. 72.* ex quibus diſcimus hunc Païſium ſediſſe anno Chriſti 1666.

XVII. Christodulus.

Anno 1672. concilio in encœniis Bethleemitani templi habito ſub Doſitheo II. Patriarcha, *Chriſtodulus* Gazæ archiepiſcopus, qui probabiliter Païſio ſucceſſerat; hujuſque ſynodi decretis adverſus Calvinianos Cyrilli Lucaris articulos ſubſcripſit, tam ſuo nomi- E ne, quam vices inſuper gerens Joannicii Dei amantiſſimi archiepiſcopi ſanctæ Speluncæ, ſive Hebron. Acta hujus ſynodi extant Græcè & Latinè *to. XI. conc. P. Harduini Societ. Jeſu.* Subſcriptio autem Chriſtoduli his verbis exprimitur *col. 267.* E. ὁ ταπεινὸς ἀρχιεπίσκοπος Γάζης Χριστόδουλος, καὶ τῶν τόπων (lege τὸν τόπον) ἐπέχων Ἰωαννικίου τοῦ θεοφιλεστάτου ἀρχιεπισκόπου τοῦ ἁγίου σπηλαίου ὁρίσας ὑπέγραψα, *Chriſtodulus humilis archiepiſcopus Gazæ, & Joannicii ſanctiſſimi archiepiſcopi ſanctæ Cavernæ locum*

Digitized by Google

tenens, definiens ſubſcripſi. De ea ſynodo Hieroſolymitana vide quæ ſupra dicta ſunt, ſub Nectario & Doſitheo II. Patriarchis, *col. 520.* D. Præfatus Doſitheus, in ſuorum deceſſorum hiſtoria, teſtatur ſe, hujus Chriſtoduli Gazenſis opera, Eutychii Alexandrini chronicon Arabicum tranſtuliſſe.

XVIII. Pantaleo.

Ex Urbani Cerry relatione de Romanæ eccleſiæ per univerſum orbem ſtatu, *Pantaleo* Romæ in Græcorum collegio ſacras litteras A edoctus in Moſchoviam perrexit, ubi de illius regionis eccleſia cum Romana concilianda egit: poſtmodum vero ab Hieroſolymorum Patriarcha, circa finem ſæculi elapſi, vel initium præſentis, Gazenſis eccleſiæ metropolita conſtitutus eſt.

XIX. Parthenius.

Præſenti ſæculo decimo-octavo ſedebat *Parthenius archiepiſcopus Gazæ,* ὁ Γάζης Παρθένιος, de quo nihil aliud ad notitiam noſtram devenit.

XII. ECCLESIA MAJUMÆ *juxta* GAZAM.

MAJUMÆ nomen Palæſtinis idem ſonabat quod *portus* ſeu *navale* Latinis, ſuumque Majuma Aſcaloni erat, ſuum Jamniæ, ſuum quoque Azoto, ſuum denique Gazæ: verum in hoc differebant Majuma Aſcalonis & Majuma Gazæ à cæteris Majumis, quod ſpeciales eccleſias conſtituerent proprioſque haberent epiſcopos; unde ſicut ſupra *col. 601.* C. Majumam Aſcalonis ab Aſcalone ſecrevimus, ita & nunc à Gaza ſecernimus Majumam Gazæ. Septem duntaxat ſtadiis à Gaza diſſitam fuiſſe Majumam ſcribit Strabo *lib. 16.* Verum Arrianus ſupra recitatus *col. 603.* ubi de Gaza, & Sozomenus modo referendus, aiunt Gazam & Majumam ſive portum intervallo viginti ſtadiorum ſeparari. De ea hæc Sozomenus *lib. 2. hiſt. eccl. cap. 5. pag. 450. edit. Valeſ.* B. *Quo quidem tempore* (Conſtantini Imperatoris) *navale urbis Gazæorum, quod Majuma nuncupatur,* ὃν Μαϊουμᾶν, *quod ſuperſtitioni admodum deditum erat; & veteres cæremonias antea ſemper ſuſpexerat, univerſum repente ad Chriſti fidem ſe tranſtulit. Imperator vero eorum pietati vicem rependens, maximo honore illos affecit; & locum illum, qui antea urbs non erat, civitatem eſſe juſſit, & Conſtantiam cognominavit: ejus quem ex filiis chariſſimum habebat nomine locum illum cohoneſtans ob religionem.* Et rurſus *lib. 5. cap. 3. pag. 597.* C. loquens de impietate Juliani Imperatoris, qui Conſtantio ſucceſſerat. *Conſtantienſibus quoque in Palæſtina,* inquit, *idem crimen* (religionis Chriſtianæ) *objiciens, urbem eorum Gazæis contribuit. Hanc enim Conſtantiam, uti ſupra retulimus, quum navale eſſet Gazæorum, & Majuma prius diceretur* Μαϊουμᾶν, *Conſtantinus Chriſtianæ religioni impenſe deditam eſſe intelligens, civitatis jure donaverat, & filii ſui Conſtantii nomine appellatam, ſeparatim rempublicam habere præceperat, iniquum eſſe ratus, ut Gazæis Græcorum ſuperſtitioni ſupra modum addictis contributa eſſet* (ſive ſubdita.) *Verum ubi Julianus ad imperium pervenit, Gazæi adverſus Conſtantienſes litem moverunt. Ipſe vero in ea cauſa judex ſedens, Gazæis Conſtantiam adjudicavit viginti circiter ſtadiis ab ea diſſitam. Atque exinde priore ſpoliata vocabulo, maritima pars urbis Gazæ appellatur. Ac civiles quidem magiſtratus, & duumviri, & reſpublica ambabus communis eſt. Quod vero ad eccleſiam pertinet, ea ſolum parte duæ urbes etiamnum videntur. Utraque enim ſuum ſeorſum habet epiſcopum, ſuum clerum: dies item feſtos martyrum ſuorum, & commemorationes epiſcoporum qui ipſis præfuerunt: vicinorum denique agrorum limites, quibus eccleſiæ ad utrumque epiſcopatum pertinentes diſtinguuntur. Noſtra igitur ætate quidam epiſcopus urbis Gazæ, mortuo epiſcopo Majumitanorum utrumque clerum adunare ac ſibi ſubjicere conatus eſt, nefas eſſe dicens ut unius urbis duo eſſent epiſcopi. Sed quum Majumitani contradicerent; ſynodus provinciæ, cauſa cognita, alterum epiſcopum ordinavit: prorſus æquum eſſe judicans, ut qui pietatis cauſa jus civitatis adepti fuiſſent, ſed pagani principis ſententia eo jure excidiſſent, in iis ſaltem quæ ad ſacerdotium & eccleſiaſticum ordinem ſpectant, conceſſis ſibi præmiis nequaquam ſpoliarentur.* Hucuſque Sozomenus. Quamvis autem vix dubitandum ſit, quin Majumenſi eccleſiæ, à tempore ſuæ converſionis ad Chriſtum ſub Conſtantino Magno, uſque ad Theodoſium per quinquaginta circiter annos aliquot præfuerint epiſcopi, nullius tamen illorum notitiam adepti ſumus, ante Zenonem, quem ideo primum ſtatuimus.

EPISCOPI MAJUMÆ *prope* GAZAM.

I. Zeno.

ZENO iſte natus eſt Gazæ, vel in regione adjacente. De eo hæc narrat Sozomenus, B qui eumdem, jam ſenem centum annorum, vidit. Scribebat autem ſub Theodoſio juniore ſæculo quinto: *Celebres eodem tempore,* (quo ſcilicet Epiphanius & Acacius Berrœæ

ECCLESIA MAJUMÆ *juxta* GAZAM.

florebant ſæculo quarto) inquit *lib. 7. hiſt. eccl. cap. 28. pag. 751.* C. *fuere Zeno & Ajax fratres, qui initio quidem non in ſolitudine philoſophati ſunt, ſed in urbe Gaza juxta mare, qui locus etiam Majuma vocatur. Cæterum ambo catholicæ fidei aſſertores acerrimi fuere, Deumque forti animo confeſſi ſunt, adeo ut ſæpenumero à paganis graviſſime* & *crudeliſſime verberati ſint. Et Ajax quidem, &c. At Zeno, quum adhuc juvenis ſæculo & nuptiis renuntiaſſet, in miniſterio Dei diligentiſſimus fuit. Aiunt certe, imò nos quoque ipſi vidimus, eum quum Majumæ eccleſiam gubernaret, jam ſenem, ac centum circiter annos natum, nunquam à matutinis aut veſpertinis hymnis, aut à reliquo officio divino abfuiſſe, niſi morbus ipſum detineret. Porro quum in monaſtica philoſophia vitam traduceret, lineam veſtem texebat ſuper unica tela: hoc artificio, & ſibi ipſi neceſſaria comparabat, & aliis ſubminiſtrabat. Nec ceſſavit uſque ad exitum vitæ id opus exercere, tametſi reliquos omnes provinciæ illius epiſcopos antiquitate ſuperaret, & eccleſiam tum populi magnitudine, tum divitiis præcellentem regeret.*

Sanctorum martyrum Euſebii, Neſtabi & Zenonis fratrum, qui tempore Juliani Apoſtatæ, irruente in eos turba gentilium, Gazæ in Palæſtina diſcerpti atque necati ſunt, ut refertur in Martyrologio Romano, die 8. Septembris, conſobrinum fuiſſe Zenonem hunc noſtrum prodit idem Sozomenus *lib. 5. hiſt. cap. 9. pag. 606.* B. *Sed tamen non latuerunt diu* (oſſa illorum martyrum) *etenim mulier quædam Chriſtiana .... quæ illic* (Gazæ) *domicilium fixerat, Deo jubente, noctu ea collegit, & in ollam conjecta, Zenoni eorum conſobrino cuſtodienda tradidit. Sic enim Deus in ſomniis præceperat, & locum ubi vir iſte degeret, mulieri indicaverat, ac priuſquam illum vidiſſet ei oſtenderat. Erat enim ignotum mulieri, & ob recens excitatam perſecutionem occultus latebat. Parum ſiquidem abfuerat, quin & ipſe comprehenſus à Gazæis occideretur. Sed dum populus conſobrinorum ejus cædibus intentus eſſet, ipſe opportunitatem nactus, Anthedonem aufugit, urbem maritimam, viginti circiter ſtadiis Gaza diſtantem: quæ quidem eo tempore ſuperſtitioni Gentilium perinde addicta, & ſimulacrorum cultui ſupra modum dedita erat. Ibi quum indicio quorumdam Chriſtianus eſſe proditus fuiſſet, tergo virgis graviter cæſus eſt ab Anthedoniis, & urbe ejectus. Quumque ad Gazæorum navale ſe contuliſſet, illic abditus deliteſcebat. Ibi mulier ei occurrens reliquias tradidit: eas ille domi abditas aliquamdiu ſervavit. Poſtea vero epiſcopatum illius eccleſiæ ſortitus (id autem contigit principatu Theodoſii) baſilicam extra urbem ædificavit, & altare ſublime erexit, & martyrum reliquias depoſuit, juxta Neſtorem confeſſorem, qui cum conſobrinis ſuis, dum viverent, familiariter verſatus, & una cum illis à populo comprehenſus, vincula ac flagella ſimul cum iis pertulerat. Sed inter trahendum ii qui eum raptabant, conſpecta illius pulcritudine, juvenem miſerati ſunt, & extra urbis portas projecerunt, adhuc quidem ſpirantem, ſed qui brevi moriturus ſperabatur. Inde quidam eum tollentes ad Zenonem deportarunt, apud quem dum ulceribus ejus ac plagis medicina adhiberetur, animam exhalavit.* Hujus martyris memoria colitur in Martyrol. Rom. præfata die octava Septemb. *Ibidem* (Gazæ ſcilicet) *ſancti Neſtoris martyris qui ſub eodem Juliano ab iiſdem gentilibus furentibus ſæviſſime cruciatus, emiſit ſpiritum.* Zenonis quoque nomen eidem Martyrologio inſcribitur die 26. Decembris, his verbis: *Majumæ ſancti Zenonis epiſcopi.* Obiit probabiliter ineunte ſæculo quinto.

II. PAULIANUS.

In actis ſynodi Epheſinæ primæ anno 431. *tom. 3. conc. Labb. col. 468.* B. legitur: Παυλιανὸς ἐπίσκοπος Μαϊουμᾶ Παλαιστίνης τῆς πρώτης εἶπε, *Paulianus epiſcopus Majumæ primæ Palæſtinæ dixit, &c.* Idem recenſetur etiam *ibid. coll. 500.* A. *541.* A. & *694.* A. In nonnullis Latinis hujus concilii actis, & apud Marium Mercatorem, *Paulinianus* appellatur.

III. PAULUS. *Petrus Iberus.*

In latrocinio Epheſino anno 449. pro Dioſcoro ſtetit, ac ſancti Flaviani depoſitioni ſubſcripſit *Paulus* epiſcopus Majumæ, ut ejuſdem acta lecta in concilio Chalcedonenſi act. 1. fidem faciunt. Illius nomen habetur *tom. 4. concil. Labb. col. 118.* D. καὶ Παύλου Μαϊουμᾶ, *& Paulo Majumenſis civitatis.* Item *col. 311.* E. Παῦλος ἐπίσκοπος Μαϊουμᾶ, *Paulus epiſcopus Majumæ.*

Petrum Iberum, de quo ſupra inter epiſcopos Gazæ *col. 616.* D. egimus, epiſcopum Majumæ propè Gazam fuiſſe ſcribit Evagrius *lib. 2. hiſt. eccl. cap. 5. pag. 296.* C. *edit. Valeſ.* & *cap. 8. p. 299.* D. At hallucinatus videtur, tum quia Zacharias Malela ſive *Rhetor* quem primo loco deſcribit, *Petrum* hunc ait epiſcopum *Gazæ,* tum etiam quia Evagrius ipſe infra *lib. 3. cap. 33.* præfatum *Petrum* aſſerit epiſcopum *Gazæ.*

IV. PROCOPIUS.

Epiſcopum *Majumæ* ſive portus Gazæorum, alium fuiſſe ab epiſcopo *urbis Gazæ,* clarè indicat hic utriuſque epiſcopi diſtincta ſubſcriptio *Procopii* ſcilicet *epiſcopi Majumæ Gazæ,* Μαϊουμᾶ Γάζης, *tom. 5. concil. Labb. col. 191.* C. & *Cyrilli* epiſcopi *urbis Gazæ,* Γαζαίων, *ibidem* E. uni eidemque epiſtolæ ſynodicæ

ſynodicæ Joannis Hieroſolymitani præſulis A ad Joannem Conſtantinopolitanum Patriarcham, adverſus Severum Monophyſitam, anno 518. Hoc modo enim ſubſcriptus legitur huic epiſtolæ *Procopius:* Προκόπιος ἐπίσκοπος Μαϊουμᾶ Γάζης, &c. *Procopius epiſcopus Majumæ Gazæ.*

V. Cosmas.

Sæculo eccleſiæ octavo medio florebat *Coſmas epiſcopus Majumæ.* Huic ſiquidem nuncupavit ſanctus Joannes Damaſcenus tractatum ſuum Dialecticæ, qui extat *tom. 1.* B ejus operum *recentior. edit. Pariſ. anno 1712. pag. 3.* ſub iſto titulo: τῷ ὁσιωτάτῳ καὶ θεοτιμήτῳ Πατρὶ Κοσμᾷ, ἁγιωτάτῳ ἐπισκόπῳ τοῦ Μαϊουμᾶ, ἐλάχιστος μονάχὸς καὶ πρεσβύτερος, ἐν κυρίῳ χαίρειν, *religioſiſſimo & venerabili in Deo Patri Coſmæ, ſanctiſſimo epiſcopo Majumæ, Joannes minimus monachus & preſbyter, in Domino ſalutem.* Vita item ſancti Joannis Damaſceni à Joanne Patriarcha Hieroſolymitano Græcè & Latinè conſcripta, quæ ibidem refertur ante opera ejuſdem ſancti, hæc de eo Coſma habet, *pag. 20. num. 34.* C *Porro ad ejuſmodi labores arripiendos fraterno more adhortatorem habuit, quem in ſpiritu Dei fratrem acceperat, Coſmam ſcilicet virum illum ornatiſſimum, ſermonum ſuorum, inſtitutioniſque & religioſæ exercitationis participem: qui & ipſe ſpirituales Joannis in condendis carminibus labores ingenioſe imitando, concinnos concentus in cithara & voce pſalmi eccleſiæ ſuccinit. Proprium ſiquidem corpus per affectionum compreſſionem, ad inſtar tympani, Deo exhibuerat, ſeque totum uti novum aliquod decachordum pſalterium aptarat, quintuplicem ſenſum, & totidem animi facultates multa arte & ſapientia intendendo. Verum Coſmas quidem ab Hieroſolymitarum Patriarcha Majumæ epiſcopus* Κοσμᾶς ἐπίσκοπος τῆς Μαϊουμᾶ *ordinatur, non ſponte, ſed vi adactus ut cederet: qui quum gregem ſuum præclare, utque Deo gratum erat, rexiſſet, in ſenectute bona migravit ad patres ſuos, imò potius conceſſit ad Deum.* Superius vero *num. 10. pag. 7.* legitur hunc Coſmam à ſancti Joannis Damaſceni patre fuiſſe adoptatum, & cum eodem Joanne in ejus domo quaſi illius fratrem enutritum & eruditum. *Hoc unum te rogo,* inquiebat pater ille ad alium Coſmam monachum quem è Saracenorum vinculis liberari & ſibi tradi ab eorum principe impetrarat, *hoc unum te rogo, vir honorande, ut meum hunc quem à natura ſuſcepi filium, iſtumque alterum, cui idem ac tibi nomen eſt, quemque Hieroſolymis oriundum, & tenera adhuc ætate parentibus orbatum in filium ſpiritualem adoptavi, omni tam peregrina, quam ea qua Spiritus ſancti gratia dignos imbuit, eruditione omni & philoſophiæ, cujus ſcientiam tenes, perquam diligenter inſtituas.* Legenda ad calcem ejuſdem paginæ annotatio 2. in qua obſervatur Coſmam iſtum, (quem Græci, à divinorum qui in eccleſiis ipſorum canuntur hymnorum compoſitione, Μελῳδὸν *Melodum* vocant) adoptatitium fuiſſe Joannis Damaſceni fratrem, etiam teſtimonio Conſtantini Acropolitæ, in paraphraſtico ſermone ſuo.

ECCLESIA MAJUMÆ juxta GAZAM.

XIII. ECCLESIA JOPPES.

JOPPE urbs & navale ſive portus Palæſtinæ. In ſcripturis *Japho* dicitur, Joſue *cap. 19. verſ. 46.* 2. Paral. *cap. 2. verſ. 16.* Jon. *cap. 1. verſ. 3.* 1. Eſd. *cap. 3. verſ. 7.* & alibi. Strabo *lib. 16. pag. 759. edit. Caſauboni,* de ea ait: *Poſtea Joppe eſt, juxta quam littus Ægyptiacum, ante in ortum ſolis porrectum, notabiliter in Septemtrionem flectitur. Ibi quidam fabulati ſunt Andromedam ceto fuiſſe expoſitam.* Et S. Hieron. in *cap. 1.* Jonæ: *Joppen portum eſſe Judææ, in Regnorum & Paralipp. libris legimus, ad quem Hiram quoque rex Tyri ligna de Libano ratibus transferebat, quæ Hieruſalem terreno itinere perveherentur. Hic locus eſt in quo uſque hodie Saxa monſtrantur in littore, in quibus Andromeda religata Perſei quondam ſit liberata præſidio. Scit eruditus lector hiſtoriam. Sed & juxta regionis naturam de montanis & arduis ad Joppen & campeſtria veniens Propheta* (Jonas) *recte dicitur deſcendiſſe.* Joſephus etiam lib. 3. de bello Jud. cap. 29. *Ibi adhuc Andromedæ vinculorum ſigna oſtenduntur, quæ fidem faciunt antiquitati fabulæ.* Cæterum Joppe nomen *ſpeculum gaudii* Hebraïcè ſignificat, ex mente Greg. Naz. apolog. orat. 1. pag. 42. *Et ſpecula lætitiæ relicta,* inquit, *id enim Joppe Hebræis notat.* In lexico Origeniano legitur Ἰόππη, καλλονή, κατασκοπή, *Joppe, pulcritudo, ſpecula.* Idem Hieron. in lib. nom. Hebræor. *Joppe pulcritudo.* Nunc vulgo *Jaffa* dicitur. De ejus antiquitate Pomponius Mela *lib. 1. cap. 11.* ita loquitur: *Eſt Joppe ante diluvium, ut ferunt, condita: ubi Cephea regnaſſe eo ſigno accolæ affirmant, quod titulum ejus, fratriſque Phinei, veteres quædam aræ cum religione plurima retinent. Quin etiam rei celebratæ carminibus ac fabulis, ſervatæque à Perſeo Andromedæ clarum veſtigium, belluæ marinæ oſſa immania oſtentant.* Et Plinius *lib. 5. cap. 13. Joppe Phœnicum, antiquior terrarum inundatione,*

Digitized by Google

ECCLESIA JOPPES.

ut ferunt: inſidet collem præjacente Saxo, in quo vinculorum Andromedæ veſtigia oſtendunt. De Joppe pluries ſermonem habet Joſephus, ut *Antiq. lib. 9. cap. 11. lib. 11. cap. 4. lib. 13. capp. 8. & 23. lib. 14. cap. 17. lib. 5. de bello Jud. cap. 14.* Plinius *loco citato cap. 14. Joppicam toparchiam* memorat in Judæa, & à Samaria diſtinguit. Quod res Chriſtianas attinet, Petrus Apoſtolorum princeps in illa urbe aliquandiu moratus eſt, ut conſtat ex *Act. Apoſt. cap. 9. verſ. 43. & cap. 10. verſ. 5.*

EPISCOPI JOPPES.

I. Fidus.

INter epiſcopos Palæſtinæ qui ſynodo Dioſpolitanæ Pelagiani erroris cauſa habitæ interfuerunt anno 415. *Fidus* quidam memoratur ab Auguſt. *lib. 1. cont. Jul. cap. 5.* Hic enim cenſetur epiſcopus Joppes *to. 2. conc. Labb. col. 1532.* D. Synodo etiam Epheſinæ primæ anno 431. adverſus Neſtorium ſubſcriptus legitur Φεῖδος ἐπίσκοπος Ἰόππης, *Fidus epiſcopus Joppes, tom. 3. conc. coll. 468.* A. *497.* D. *540.* E. *692.* A. Fit etiam mentio de Fido Joppenſi, in vita ſancti Euthymii, *num. 60.* apud Coteler. *to. 2. monum. eccl. Græc. p. 249.* ubi narratur Anaſtaſium vaſorum ſanctæ Reſurrectionis cuſtodem, cum Fido Joppenſi, altero Fido hujus Fidi nepote, & Coſma ſanctæ Crucis cuſtode, adiiſſe ſanctum Euthymium, qui hunc Anaſtaſium fore Patriarcham ſanctæ civitatis prænuntiavit: nec fefellit eventus: Anaſtaſius enim Juvenali anno 458. ſucceſſit. Vide ſupra *coll. 172.* C. & *575.* A.

Notandum porro in ſupra dicta *col. 172.* C. dici, hunc Fidum fuiſſe Jamniæ antiſtitem, *cum Fido epiſcopo Jamniæ,* quia ſcilicet ſic legeram verba Cyrilli Scythopolitani, apud Papebrochium *to. 3. actorum ſanctorum Maii, in hiſt. Chronol. Patr. Hieroſ. pag. 24. n. 104. col. 1.* B. Verum Cotelerius modo citatus, expreſſe habet, juxta textum Græcum, in ſua verſione Latina, *Fidum* fuiſſe *epiſcopum Joppes* Φείδῳ τε τῷ ἐπισκόπῳ Ἰόππης, *Fido Joppes epiſcopo.* Hinc eſt quod eum ſupra inter *Jamniæ* epiſcopos non recenſuerim. Et certe tunc temporis Jamniæ epiſcopus erat *Stephanus* patria Melitinenſis, à Juvenale ordinatus, ex eodem Cyrillo *ibid. n. 57. p. 247.* Vide quæ de eo Stephano relata ſunt *col. 588.* B. C.

Neſcio an Fidus iſte Joppenſis, alius non fuerit à Fido illo qui adſtitit ſynodo Dioſpolitanæ anno 415. & jam tunc forſitan à pluribus annis eccleſiam Joppenſem adminiſtrabat. Fidus enim, de quo in vita Euthymii, non multum ante ſynodum Chalcedonenſem, quæ anno 451. celebrata eſt, vivebat.

II. Theodotus.

Quum in ſubſcriptionibus epiſcoporum ſynodi Chalcedonenſis, nullius epiſcopi Joppenſis reperiatur nomen, aſſerere non auſim, an Fidus de quo ſupra, adhuc eſſet ſuperſtes
A necne. Refert Evagrius, inter plures epiſcopos, qui à Theodoſio monacho, ſedis Hieroſolymitanæ adverſus Juvenalem ſtatim poſt ſolutam ſynodum Chalcedonenſem invaſore, ordinati ſunt, *Theodotum* conſecratum epiſcopum Joppes. Ex quo manifeſtum fit Theodotum hunc fidei Chalcedonenſis tunc fuiſſe impugnatorem: ſed aliquis ſuſpicandi locus eſt ipſum poſtea reſipuiſſe. Ait enim Evagrius *lib. 3. hiſt. eccl. cap. 6. pag. 339.* D. *edit. Valeſ.* ex Zacharia Rhetore: *illinc* (id eſt, Epheſo) *profectus* (Timotheus Ælurus) *venit*
B (ſub imperio Baſiliſci, ſubindeque ante ann. 477. quo imperium Zeno eo victo recuperavit) *& à cunctis ipſum adeuntibus, ut Chalcedonenſem ſynodum ſub anathemate damnarent exigere perſeveravit. Receſſerunt tamen ab eo, tum alii complures ejuſdem factionis, ſicut à Zacharia proditum eſt, tum Theodotus epiſcopus Joppæ, unus ex eorum numero qui ordinati fuerant à Theodoſio illo qui Hieroſolymorum epiſcopus à quibuſdam factus fuerat, quum Juvenalis Conſtantinopolim profectus eſſet.* Quid exinde egerit Theodotus iſte, & quandonam obierit,
C ignoramus.

III. Elias.

Elias iſte eccleſiam Joppenſem conſtantiſſimè regebat ab anno 518. ad 536. Duplici enim ſynodo Hieroſolymitanæ interfuit his annis habitæ; priori quidem, ſub Joanne, cujus epiſtolæ ad Joannem Conſtantinopolitanum Patriarcham, adverſus Severum & ejus aſſeclas, ſubſcripſit, apud Labb. *tom. 5. conc. col. 191.* D. Poſteriori vero, ſub Petro, cujus ſententiæ contra Anthimum pariter
D ſubſcripſit, *ibid. col. 283.* C. Ἡλίας ἐπίσκοπος Ἰόππης, *Helias epiſcopus Joppes.* Nihil aliud nobis de eo antiſtite compertum eſt.

IV. Sergius.

Antequam Sophronius in locum Modeſti Hieroſolymorum Patriarchæ, circa finem anni 633. mortui, ſubrogaretur, & iterum poſt ejuſdem Sophronii mortem, *Sergius Joppenſis epiſcopus,* non eccleſiaſtica, ſed Imperatoris Heraclii auctoritate fretus, Hieroſolymitanæ ſedis vices gerens, epiſcopos, preſbyteros, & diaconos paſſim in Palæſtina ordinavit. Hæc ſupra explicata ſunt *col. 282.* quæ hic repetere neceſſe non eſt. Vide etiam

Digitized by Google

ECCLESIA JOPPES.

tom. 6. concil. Labb. col. 109. B. In concilio Hieroſolymitano ſeu Bethleemitano, quod anno 1672. celebravit Doſitheus II. Patriarcha adverſus errores Calvinianos Cyrilli Lucaris, ſedit & ſubſcripſit *Germanus* hieromonachus, & exarchus archiepiſcopatus Joppes.

XIV. ECCLESIA RAPHIÆ.

RAPHIA, quibuſdam *Rhama,* urbs eſt Palæſtinæ, ſita in tractu maritimo inter Anthedona & Rhinocolura. De ea mentionem faciunt, Joſephus *lib. 13. antiq. capp. 21. & 23. lib. 14. cap. 10. lib. 1. de bello Jud. cap. 3. & lib. 5. cap. 14.* S. Hieron. ad Dan. *cap. 11.* Strabo *lib. 16. pag. 522.* Polybius *lib. 5. capp. 80. 82. & ſeqq.* ubi deſcribit prælium initum propè illam civitatem, inter Ptolemæum quartum dictum *Philopatorem,* & Antiochum Magnum, quorum iſte victus eſt, magna exercitus ejus ſtrage facta.

EPISCOPI RAPHIÆ.

I. ROMANUS.

TEmpore ſynodi Epheſinæ primæ, ſcilicet anno 431. ſedebat Raphiæ epiſcopus, *Romanus,* qui ſic in ejus actis legitur, Ῥωμανὸς Ῥαφείας, *Romanus epiſcopus Raphææ* ſive *Raphiæ. To. 3. conc. Labb. coll. 449.* A. *540.* E. *& 691.* E.

II. EPIPHANIUS.

Anno 518. *Epiphanius* epiſcopus Raphiæ ſubſcripſit ſynodicis litteris Joannis Hieroſolymitani Patriarchæ adverſus Severum ad Joannem Conſtantinopolitanum præſulem datis. *Tom. 4. concil. Labb. col 191.* D. Subſcripſit quoque anno 536. ſententiæ adverſus Anthimum latæ in ſynodo Hieroſolymitana ſub Petro hujus urbis antiſtite, *ibid. col. 283.*
A C. Ἐπιφάνιος Ῥαφίας, *Epiphanius epiſcopus Raphiæ.*

III. STEPHANUS.

Stephanus epiſcopus Raphiæ, unus ex tribus Palæſtinæ epiſcopis fuit, qui Euſtochii Patriarchæ Hieroſolymorum vices gerens anno 553. in ſynodo quinta generali, ejus actis ſubſcripſit in hunc modum, ut jam ſupra relatum eſt, ubi de Euſtochio, *col. 219.*
B C. *Stephanus miſericordia Dei epiſcopus Rapheotanæ civitatis, vicem agens Euſtochii ſanctiſſimi Patriarchæ Hieroſolymitanæ civitatis, una cum Georgio & Damiano religioſiſſimis epiſcopis.* Similiter Stephani hujus nomen legitur *to. 5. conc. Labb. coll. 416.* B. *430.* A. *509.* A. *& 979.* E.

XV. ECCLESIA SARIPHÆÆ.

SARIPHÆA, in vicinia Gazæ & Aſcalonis ſita erat: nam in actis viginti martyrum Sabaïtarum à Saracenis occiſorum die 20. Martii, anno 796. apud Bollandum ad hunc diem, *tom. 3. Mart.* De Saracenis legitur, *num. 4. pag. 167.* E. *Diverſas urbes, eaſque incolis refertas, depopulati ſunt. Eleutheropolim enim plane deſertam & inhabitatam reddiderunt: & præterea Aſcalona, Gazam, & Sarephæam* Σαρεφάιαν, *necnon alias urbes diripuerunt.* Vide quæ de iis actis ſupra obſervata ſunt *col. 313. & ſeqq.* Hadrianus Relandus in Palæſtina illuſtrata, *tom. 2. pp. 987. & 988.* ait hanc Sariphæam, nunc eſſe vicum *Serphend,* inter Joppen & Ramam, quas inter nulli vici ſunt præter Jazur ac Serphend: & Jazur quidem abeſſe tribus quadrantibus horæ itineris à Joppe, Serphend vero, una hora à Jazur, & dimidia hora à Rama. *Hæc,* inquit, *mihi ſignificavit vir integerrimus Henricus Lub, qui Ramæ diu habitavit. In notitiis veteribus de Sariphæa nihil: quare videtur eo tempore quum illæ conſcriptæ ſunt, nondum habuiſſe epiſcopum.*

EPISCOPI SARIPHÆÆ.

STEPHANUS.

INter epiſcopos trium Palæſtinarum, qui ſubſcripſerunt decreto ſynodi Hieroſolymitanæ, præſide Petro Patriarcha, menſe Septembri, anno 536. adverſus Anthimum; legitur Στέφανος ἐπίσκοπος Σαριφαίας. In Latino habetur *Stephanus epiſcopus Scarphienſis & Sariphæenſis. To. 5. conc. Labb. col. 283.* C.

Digitized by Google

XVI. ECCLESIA ANTHEDONIS.

ANTHEDON, urbs eſt Palæſtinæ primæ, ſita ad mare, viginti circiter ſtadiis à Gaza. Ptolemæus *cap. 16. geogr.* in deſcript. Palæſtinæ Judææ, *tab. 4.* Aſiæ, Anthedona recenſet inter urbes littorales, & diſtinguit à Gaza, Jamnia, Lydda, ac Antipatride, in ora quidem maritima ſitis, ſed non ad mare. Stephanus Byzant. *de urbib. & pop. Anthedon,* inquit, *urbs vicina Gazæ in parte maritima,* & Plinius *lib. 5. cap. 13. Rhinocolura & intus Raphæa. Gaza & intus Anthedon.* Urbs hæc dicta eſt *Agrippias* ab Herode, uti Joſephus tradit *lib. 13. antiq. cap. 21.* quem locum ante oculos habuit eruditus ſcholiaſtes Lycophronis Joannes Tzetzes; quamvis vulgo, ſed male, Iſacio Tzetzæ fratri ejus hic liber tribuatur, quod Joannes amore ſingulari fratris ductus, nomen ejus fœtui huic ſuo præpoſuerit, ut ipſe fatetur in epiſtola, quam primus edidit Ludolphus Kuſterus, plurimis veteris ævi monumentis editis atque illuſtratis optime de re litteraria meritus, in notis ad Suidam, *to. 2. pag. 473.* Sic itaque de Anthedone Tzetzes, ad *verſ. 754. Joſephus urbem quæ nunc Agrippias dicitur, olim Anthedona nuncupatam fuiſſe teſtatur.* Hæc omnia erudite exponit Hadrian. Reland. Palæſtinæ illuſtratæ *to. 2. pp. 566. & 567.* Joſephus hujus urbis meminit, non ſolum *lib. cit. 13. ant. cap. 21.* ſed etiam *lib. 14. cap. 10. & lib. 1. de bello Jud. cap. 16.* de Herodis operibus. Obſervat Cellarius *to. 2. geogr. ant. lib. 3. cap. 13. pag. 609.* nomen *Agrippiæ* vel *Agrippei,* Anthedoni inditum ab Herode, non diu ſubſtitiſſe, ſaltem communius, poſt ejus mortem: ſiquidem Ptolemæus & Plinius eam *Anthedonem* dixerunt; & in nummo Caracallæ apud Patinum *pag. 306.* ΑΝΘΗΔΟΝΟC legitur.

EPISCOPI ANTHEDONIS.

I. PAULUS.

ANNO 431 ſynodo generali Epheſinæ interfuit, & ſubſcripſit *Paulus epiſcopus Anthedonis* Παῦλος ἐπίσκοπος Ἀνθηδόνος. *To. 3. concil. Labb. coll. 473.* A. *500.* B. *541.* A. *691.* A. Legitur quoque initio actorum ſynodi Conſtantinopoli habitæ anno 449. menſe Aprili. *Tom. 4. col. 236.* A. Extat demum pluries nomen ejus in actis ſynodi Chalcedonenſis anno 451. celebratæ, *ibid. coll. 82.* E. *329.* A. *458.* D. *494.* A. *585.* C.

II. EUSTATHIUS.

Epiſtolæ ſynodicæ Joannis Hieroſolymitani ad Joannem Conſtantinopolitanum adverſus Severum ſubſcripſit anno 518. Εὐστάθιος ἐπίσκοπος Ἀνθηδόνος, *Euſtathius epiſcopus Anthedonis. To. 5. conc. col. 192.* A.

III. DOROTHEUS.

Sententiæ adverſus Anthimum anno 536. in ſynodo Hieroſolymitana, præſide Petro Patriarcha, editæ ſubſcripſit Δωρόθεος ἐπίσκοπος Ἀνθηδόνος, *Dorotheus epiſcopus Anthedonis. To. 5. conc. col. 286.* E.

XVII. ECCLESIA ELEUTHEROPOLIS.

DE urbe *Eleutheropoli* hæc obſervat Cellarius *geogr. antiq. to. 2. lib. 3. cap. 13. p. 579.* Origo ejus ignota eſt (id eſt) à quonam & quando fuerit condita, aut novum hoc nomen ſortita: nulla ſiquidem ejus extat mentio, quantum cognitum habemus, ante tempora Chriſtianorum principum: ſed tum urbs florens erat & celebris adeo, ut Euſebius ac Hieronymus, ex illa & Ælia, fere omnium oppidorum vicorumque diſtantias ac poſitiones metiantur. Joſephus & Ptolemæus (ejus) nuſquam meminerunt, quod argumento eſt, illorum ætate poſteriorem eſſe. Haud dubiè tamen ſub ethnicis Imperatoribus fuit conſtituta; in Nicæna quippe ſynodo ſubſcripſit Eleutheropolitanus epiſcopus Macrinus. Hadr. Reland. *tom. 1. Palæſt. illuſtr. pag. 208.* hæc de ea urbe obſervat: « Carolus à Sancto Paulo » *in geogr. ſac. (p. 316.)* ſcribit Eleutheropolim quibuſdam *Hebron* credi. Ita quoque Petavius » ad Epiphanium. Sed quum ex Euſebii Onomaſtico, ubi urbes aliquas deſcribit inter Eleu- » theropolim & Chebronem (ſive Hebronem) liqueat non poſſe eſſe eandem cum Chebrone; » & ex Itinerario veteri, quod Antonini dicitur, appareat alio loco ſitam fuiſſe Eleutheropolim » quam Chebronem, voluiſſem hoc illic à viris doctiſſimis monitum fuiſſe, ne videretur illa » opinio ferri poſſe, eandem eſſe Eleutheropolim & Chebronem: quæ, ſi quæ alia, falſiſſima eſt.»

Eleutheropolis patria fuit ſancti Epiphanii, qui natus in vita dicitur inter Phœnices, *in agro Eleutheropoleos, tertio ab illa lapide.* Phœnices autem urbs dicitur ea ratione, qua

Digitized by Google

multi ſcriptores, Phœnicen ad Ægyptum uſque protendunt, non ſolum quoad ea quæ in littore, ſed & in iis quoque quæ littori ſunt propinquiora. Fuit enim procul à mari, ſed minori diſtantia, quam à lacu Aſphaltite.... Sanctus Hieronymus in Abdiæ *verſ. 1. & 5.* Eleutheropolim cum Idumæa conjunxit, ſed laxè Idumæam intelligit, ut omnem auſtralem Judæam comprehendat, &c. Hæc præfatus Cellarius, qui ſubdit *p. 580.* male à quibuſdam Eleutheropolim cum Hebrone confundi, à qua ipſe Hieronymus diſerte (eam) ſeparavit *lib. de locis Hebr.* aiens poſt Euſebium: *In Ceila, nunc villula Ceila, ad Orientalem plagam Eleutheropoleos, pergentibus Chebron* (Hebron) *quaſi octavo milliario,* atque ita in tribu Juda Eleutheropolis fuit, &c. Dictum eſt ſupra *coll. 629. & 630.* ubi de Sariphæa, Eleutheropolim, cum aliis multis urbibus, à Saracenis fuiſſe vaſtatam, anno 796. qui eam *deſertam & inhabitatam reddiderunt.* In Martyrologio Romano, die 25. Januar. legitur de Anania qui ſanctum Paulum baptizavit: *Hic quum Damaſci & Eleutheropoli, alibique evangelium prædicaſſet, ſub Licinio Judice......* (Damaſci) *martyrium conſummavit.*

EPISCOPI ELEUTHEROPOLITANI.

I. JUSTUS.

SI qua poſſet adhiberi fides auctori ſynopſis de prophetis, apoſtolis, & 72. diſcipulis, Dorotheo martyri ſub Licinio attributæ, quæ extat *magnæ Biblioth. veter. Patr. edit. Colon. Agrippinæ 1618. to. 3. à pag. 143. col. 1. ad pag. 150. col. 1. Juſtus* quidam, unus ex 72. diſcipulis Chriſti Domini, dicendus foret primus Eleutheropolis civitatis epiſcopus, *p. 150.* A. *col. 1. Jeſus* (Joſeph) *qui & Juſtus, dicitur & Barſabas, cujus Lucas meminit quod in ſorte cum Mathia conjunctus fuerit, Eleutheropolis epiſcopus factus eſt,* verba Græca ſic refert Hadrianus Relandus *Palæſt. illuſtr. to. 2. pag. 751.* Ἰησοῦς ὁ λεγόμενος Ἰοῦστος, οὗ καὶ αὐτοῦ μέμνηται ὁ Ἀπόστολος ἐν ταῖς πράξεσιν τῶν Ἀποστόλων, ὃς καὶ ἐπίσκοπος γέγονεν ἐν Ἐλευθεροπόλει. Verum, ut ratiocinatur idem Hadrianus Relandus *ibid.* ſi jam tum fuiſſet (primo nimirum eccleſiæ ſæculo) eo nomine (Eleutheropolis) nota (iſta civitas) & epiſcopatu inſignis, feciſſet certe uſpiam (illius) mentionem Joſephus. Subdit idem Relandus, à Dorotheo ſcriptum, (quod tamen in edit. Latina ſupra cit. non inveni) Simonem unum ex duodecim Apoſtolis Eleutheropoli evangelium prædicaſſe. Σιμὼν δὲ ὁ ἐπικληθεὶς Ἰούδας ἐν Ἐλευθεροπόλει, καὶ ἀπὸ Γάζης ἕως Αἰγύπτου κηρύξας τὸν Χριστὸν θάπτεται ἐν τῇ Ὀστρακίνῃ πόλει τῆς Αἰγύπτου. *Simon, cognomine Judas, Eleutheropoli, & à Gaza ad Ægyptum uſque prædicato Chriſto, ſepultus eſt Oſtracinæ, urbe Ægypti.* Vide *ſupra col. 603.* A. ubi de Philemone inter epiſcopos Gazenſes, quid de ſynopſi Dorotheo martyri ſuppoſita ſentiendum ſit. Menæa Græcor. manuſc. de Juſto D eadem habent, apud Bollandianos, *tom. 4. Jun. pag. 67.* ad diem 21. hujus menſis *n. 2. col. 1.* C. *Et Jeſu appellati Juſti epiſcopi Eleutheropolis,* καὶ Ἰησοῦ λεγομένου Ἰούστου ἐπισκόπου Ἐλευθεροπόλεως. Et *n. 3. col. 2.* D. *Memoria.... Jeſu dicti Juſti epiſcopi Eleutheropolis.* Et *n. 4.* F. *Juſtus vero qui & Jeſus appellatus, Eleutheropoli epiſcopus creatus, &c.* Quæ ex ſynopſi Dorothei fere ſunt accepta. Demum aiunt *num. 7. pag. 68. col. 2.* E. ſuſpicari quis poſſet *Eleutheropoli* fuiſſe aliquem epiſcopum nomine *Juſtum,* qui occaſionem dederit eodem trahendi *Jeſum* cognomento *Juſtum* quem *ex circumciſione* fidelem ſibi ſocium laudat Paulus, Roma Coloſſenſibus ſcribens *(cap. 4. verſ. XI. Salutat vos .... & Jeſus qui dicitur Juſtus.... ex circumciſione, &c.)* Quidni libere quo vellet abire permiſſus Paulus, Jeſum iſtum à ſe dimiſerit in Syriam, epiſcopum B ordinatum; & ille Eleutheropoli ſibi ſedem ſtatuerit? Quod autem hic Jeſus in catalogo diſcipulorum (Domini) relatus ſit.... non poteſt aliter factum fuiſſe, quam ex vicinia nominum Ἰησοῦς & Ἰωσῆς: unde nata confuſio anſam præbuerit iſtum Pauli diſcipulum faciendi quoque unum ex 70. diſcipulis Domini. Hæc doctiſſ. Bollandiani. Ex his proculdubio Græcis fontibus hauſit Doſitheus Patriarcha Hieroſolymorum, in hiſtoria deceſſorum ſuorum, *lib. 1. cap. 2. §. 12. Joſephum* ſeu *Joſen* Jacobi minoris fratrem, è C ſeptuaginta duobus diſcipulis unum, quem, inquit, apoſtoli ſtatuerunt cum Matthia, ut Judæ proditoris locum ſortiretur, epiſcopum fuiſſe Eleutheropolis.

II. MACRINUS.

In Indice epiſcoporum de provincia Palæſtinæ qui ſynodo primæ Nicænæ interfuerunt anno 325. legitur *Macrinus Eleutheropolitanus epiſcopus. Tom. 2. concil. Labb. col. 51.* C.

III. AETIUS.

Epiphanius, in tractatu adverſus hæreſes, hæreſi 40. quæ eſt Archonticorum, meminit cujuſdam *Aetii* epiſcopi, quem veriſimile eſt fuiſſe *Eleutheropolitanum* præſulem. *In Armenia minore,* inquit *to. 1. lib. 1. pag. 291.* A. *lolium iſtud certo ab homine diſſeminatum eſt, qui paulo ante Conſtantii Imperatoris obitum*

Digitized by Google

ECCLESIA ELEUTHEROPOLIS.

(anno 361.) *ex Armenia in Palæſtinam profectus eſt, Eutactus nomine, ſive Atactus potius, hoc eſt moribus perturbatus. Qui quum infelix illud dogma combibiſſet in patriam reverſus profiteri cœpit quod didicerat. Ejuſmodi porro velut ab aſpide venenum, à ſene quodam hauſerat, nomine Petro, ſed minime hac appellatione digno, qui in Eleutheropolis & Hieroſolymorum finibus habitabat, tertio ab Hebrone lapide oppido quod Cabarbaricha nominant. Huic porro ſeni veſtitus erat initio aſperitate ipſa horribilis, & ad ſimulationem affectatus, ac quum extrinſecus ovis pelle eſſet indutus, lupus erat intus rapaciſſimus & occultus. Anachoreta quippe eſſe videbatur in ſpelunca degens. Qui quidem pleroſque abdicatis fortunis omnibus ad ſeſe pertraxit, Paterque vulgo cum ob ætatem, tum ob habitum ipſum appellari ſolebat. Idem quidquid habebat in egenos diſtribuere, ac quotidie ſtipem erogare* (conſueverat.) *Sed ab ineunte ætate variis ſe hæreſibus addixerat. Poſtea ad Aetium epiſcopum delatus* (utique hujus loci, ac ſubinde Eleutheropolitanum,) *ac Gnoſticorum hæreſis convictus, à ſacerdotio exauthoratus eſt: illius quippe loci creatus olim fuerat preſbyter. Deprehenſus itaque, & ab Aetio pulſus in Cochaben Arabiæ oppidum profectus eſt, &c.* Is ipſe videtur fuiſſe Aetius ille, qui in concilio Sardicenſi anno 347. Athanaſii, cæterorumque præſulum ab Arianis ſuis ſedibus dejectorum, cauſam adjuvit *to. 2. conc. coll. 678.* E. *& 679.* D. Nam inter quindecim epiſcopos Palæſtinæ, poſt Maximum (Hieroſolymitanum) *Aetius* legitur. Μάξιμος, Αἴτιος, &c. Hic rurſus eodem anno 347. aut ſequenti 348. epiſtolæ ſynodicæ ad Alexandrinos pro reſtitutione Athanaſii, in concilio Hieroſolymitano à Maximo celebrato directæ ſubſcripſit, *ibid. col. 727.* A. Μάξιμος, Αἴτιος, &c. Omnes quidem ſexdecim, addito Macrino illis quindecim qui ſynodo Sardicenſi interfuerunt: ſed in utroque loco eorum ſedes reticentur.

IV. THEOPHILUS.

Ad ſedem Eleutheropolitanam evectus eſt *Theophilus* iſte ante annum 359. quo Eutychius ejus ſucceſſor, ut hujus eccleſiæ præſul, ſubſcripſit ſynodo Seleucienſi. Ex Eleutheropolitana eccleſia ad Caſtabalenſem in Cilicia tranſtulerat Theophilum Silvanus Tarſi epiſcopus, propter quod etiam Acaciani Silvanum ipſum depoſuerunt in conciliabulo Conſtantinopolitano anno 360. Ita refert Sozomenus *lib. 4. hiſt. eccl. cap. 24. edit. Valeſ. pag. 579.* C. *Porro Acaciani, quum aliquandiu ſubſtitiſſent Conſtantinopoli, epiſcopos ex Bithynia evocarunt... quumque eſſent numero 50. in unum collecti, formulam fidei quæ Arimini*

A *recitata fuerat* (anno præcedenti 359.) *ſuffragiis ſuis comprobarunt, hoc tantum adjecto, ne quis in poſterum ſubſtantiam in Deo aut hypoſtaſim diceret τῦ λοιποῦ ὐσίαν ἢ ὑπόστασιν ἐπὶ Θεοῦ ὀνομάζειν μηδ᾽ ὅλως: utque præter hanc formulam reliquæ omnes, tam quæ antea ſcriptæ, quam quæ poſtea ſcribendæ eſſent, condemnarentur, &c.* Et pag. 582. A. *Poſt hæc iterum convenientes Silvanum deponunt epiſcopum Tarſi, &c. Ac Silvanum quidem depoſuerunt propterea quod veſaniæ auctor ac ſignifer cæteris extitiſſet, tum Seleuciæ, tum Conſtantinopoli: &*
B *quod Caſtabalenſi eccleſiæ Theophilum quemdam præfeciſſet, qui prius ab epiſcopis Palæſtinenſibus Eleutheropolis epiſcopus fuerat ordinatus, juramentoque ſeſe obſtrinxerat nunquam ſe alium epiſcopatum ſuſcepturum abſque illorum conſenſu.* Vix dubitandi locus quin Theophilus quoque in eo conciliabulo epiſcopatu Caſtabalenſi dejectus fuerit: ſed veriſimile eſt eum, ineunte imperio Juliani, ad ſuam eccleſiam rediiſſe anno 362. Certe hic Theophilus Caſtabalenſis Θεόφιλος Κασταβάλων, una cum Baſilio Ancyræ, Silvano Tarſi, & quibuſdam
C aliis epiſcopis qui voci *conſubſtantialis, ſimilem in ſubſtantia* de Filio Dei ſubſtitui volebant, Joviano libellum anno 363. in hujuſce ſuæ opinionis gratiam porrexerunt: quem quum accepiſſet Imperator, ipſos ſine reſponſo dimiſit, inquit Socrates *lib. 3. hiſt. eccl. cap. 25. pag. 203.* C. *hoc tantum proloquutus: ego contentionem averſor; eos vero qui concordiæ ſtudent, diligo, atque obſervo. Quæ quum ad aures reliquorum perlata eſſent, impetum eorum qui altercari cupiebant, fregere.* Nihil aliud nobis de illo Theophilo compertum eſt.

D

V. EUTYCHIUS.

Tranſlato, ut dictum eſt, ad eccleſiam Caſtabalorum in Cilicia Theophilo ſuffectus videtur *Eutychius,* qui jam anno 359. in ſynodo Seleucienſi, Semiarianorum formulæ, inter epiſcopos 43. tanquam Eleutheropolis epiſcopus, teſte Epiphanio *lib. 3.* adverſus hæreſes, *hær. 73. to. 1. num. 26. pag. 874.* A. ſubſcripſit, Εὐτύχιος ἐπίσκοπος Ἐλευθεροπόλεως *Eutychius epiſcopus Eleutheropolis.* Hunc catholicum fuiſſe aſſerit idem Epiphanius, ſed
E aliquando fidem ſuam diſſimulaſſe. *Eutychius Eleutheropolitanus,* inquit *ibid. n. 23. p. 871.* B. *utpote à B. Maximona* (Maximo) *Hieroſolymitano epiſcopo ac confeſſore catholicæ fidei inſtitutis edoctus, propter Cyrilli odium, ad Acacium ſeſe non adjunxit* (in ſocietatem ſcilicet erroris,) *qui quidem aliquanto tempore catholicam fidem amplectens, dignitatis ſuæ retinendæ gratia diſſimulavit, ut & alii Palæſtinæ complures epiſcopi, propter quos Acacius cum ſuis eadem rabie & infidelitatis furore*

Digitized by Google

ECCLESIA ELEUTHEROPOLIS.

perciti, nihil ad tempus de hiſce dogmatibus movere voluerunt, neque aut affirmando aut negando pronuntiarunt. Sed Seleuciæ, &c. In ea nihilominus ſynodo Seleuciana Eutychius excommunicationis pertulit ſententiam, teſte Athanaſio *lib. de Synodis to. 1. vet. edit. Græco-Lat. p. 881.* B. C. ubi ait: *Acacium quidem.... abdicarunt: nonnullos item ex Aſia, Leontium, Theodoſium .... communione vero ſpoliaverunt Aſterium.... Eutychium & Magnum, eo quod citati ad cauſam dicendam de criminibus quibus accuſati erant, non comparuerint, cenſueruntque eos incommunicabiles habendos, donec ſe legitima defenſione puros oſtenderent.* Videtur tamen ipſemet Epiphanius Eutychium ad aliquam Arianarum factionum partem interdum revocaſſe, *ibid. num. 27. pag. 875.* C. D. ait enim: *Jam diximus tres in partes Arianorum ſectam eſſe diviſam.... nam quum à ſe invicem opinione non diſcreparent, nihilominus certas in factiones divulſi ſunt, dum privatas inter ſe ſimultates exercent; veluti quod Cyrillus Hieroſolymitanus, & Eutychius mutuas inimicitias foverent.* Ex ea ſcilicet diſſenſione Eutychii à Cyrillo ortum obſervat *num. 23. pag. 870.* quod Acacio Cæſarienſi eidem Cyrillo infenſo ſe conjunxerit. *Acacius Palæſtinus Cæſareæ epiſcopus,* inquit, *cum Meletio, & Uranio Tyrio, & Eutychio Eleutheropolitano, pro eo quo in Cyrillum Hieroſolymitanum odio & invidia flagrabat, ſe ipſum oppoſuit Baſilio, Georgio Laodiceno, &c.*

Eutychius anno 363. epiſtolæ ſynodali concilii Antiocheni ſub Meletio celebrati pro conſubſtantialitate Verbi admittenda, juxta fidem Nicænam, cum ipſo etiam Acacio Cæſarienſi, & pluribus aliis epiſcopis, omnibus numero 27. ſubſcripſit. *To. 2. conc. Labb. col. 828.* E. Εὐτύχιος Ἐλευθεροπόλεως, *Eutychius Eleutheropolis.* Mortuo Acacio, Cyrillum ſeniorem ejus ſedi præfectum Eutychii opera tradit idem Epiphanius, *ibid. pag. 885.* C. *Ex hoc grege* (Arianorum) *Cæſarienſis Euzoïus prodiit illorum diſcipulus, qui poſt Acacium ei ſedi præfuit, quum ante Philumenus à Cyrillo Hieroſolymitano in illa conſtitutus fuiſſet, ac deinde Cyrillus ſenior ibidem ab Eutychio collocatus.* Sanctus Hieronymus, in epiſtola 61. quæ eſt ad Pammachium, de erroribus Joannis Hieroſolymitani, Epiphanium laudat, quod, *vel preſbyter,* inquit, (ſubindeque ante annum circiter 368. quo ad epiſcopatum evectus eſt) *in monaſterio ab Eutychio audiebatur* (magni utique nominis aliquo.... epiſcopo aut abbate, necdum tamen aliunde noto, inquit Papebrochius *tom. 3. actorum ſanctorum Maii,* ad diem 12. ubi de S. Epiph. *pag. 38. n. 11. col. 2.* F.) *vel poſtea epiſcopus Cypri à Valente non tangebatur: tantæ* A *enim venerationis ſemper fuit, ut regnantes hæretici ignominiam ſuam putarent, ſi talem virum perſequerentur.* Hunc porro Eutychium, ipſum fuiſſe Eleutheropolitanum epiſcopum de quo agimus, ſuadent, tum nomen, tum dignitas, Eutychius enim eo tempore erat Eleutheropolitanus antiſtes; tum denique circumſtantia loci, quum in ſynopſi ad Epiphanii ancoratum, ex eodem Papebr. *ibid. num. 10. col. 2.* D. legatur quod Epiphanius *primam monaſtici inſtituti exercitationem in Ægypto ſuſcepit, ibique ad vigeſimum uſque* B *ætatis annum permanſit, donec ad Eleutheropolitanam regionem reverſus monaſterium in ea condidit.* S. Hieron. in catal. ſcript. eccl. ubi de Lucifero Calarit. eum ſcribit, *quum nollet ſub nomine Athanaſii Nicænam damnare fidem, in Palæſtinam relegatum.* Tertium hoc Marcellinus & Fauſtinus, in ſuo libello precum ad Theodoſium Imp. fuiſſe ejus exilium aſſerunt in Palæſtinam, ſcilicet *primam ac ſalutarem,* ad quam pertinet *Eleutheropolitana civitas,* cujus tunc fuiſſe indicant epiſcopum *Eutychium hæreticum, ſub quo B. Lucifer patiebatur* C *exilium.* (Sunt eorum verba, apud doctiſſimos Bollandianos, *to. 5. Maii,* ad diem 20. *n. 8. pag. 199.* col. 1.* B.) *qui & ipſum fidem libere vindicantem, multis atrocitatibus afflixit. Sunt adhuc hodie, qui illo tempore pœnas graviſſimas dederunt, eo quod cum catholicæ fidei epiſcopo Lucifero convenirent.* Verum monent iidem Bollandiani, *num. 35. pag. 203.* col. 2.* F. hunc libellum precum Marcellini & Fauſtini, nonniſi cum cautela legendum eſſe, propter graves calumnias in Damaſum Papam, alioſque nonnullos catholicos epiſcopos, quorum D facta vel invidioſius traducuntur, vel malitioſe aggravantur adjunctis Arianorum facinoribus, catholicam fidem externa ſolum profeſſione ſimulantium. Quandonam fato functus fuerit Eutychius nos latet.

VI. TURBO.

Præfati Marcellinus & Fauſtinus Luciferiani, addunt in eodem ſuo libello, *Turbonem,* qui Eutychii diaconus erat, dum ille Luciferum orthodoxoſque ei conſentientes tam immaniter Eleutheropoli perſequebatur, *ex* E *tunc,* quum nempe ipſi ſcriberent, Theodoſio nimirum imperante, *ſe catholicum* dixiſſe, quamvis nihilominus *in catholicos,* hoc eſt Luciferianos, ſævire non deſtiteret. De ea vexatione fides ſit penes auctores illos, ea in cauſa non parum ſuſpectos: nos autem ex illorum narratione eruimus duntaxat, Turbonem Eleutheropolitanæ eccleſiæ ſub Eutychio diaconum, ad illam ſedem, & probabiliter quidem poſt illius mortem immediate fuiſſe aſſumtum, & tempore Theodoſii

Digitized by Google

ECCLESIA ELEUTHEROPOLIS.

Magni, hanc eccleſiam adminiſtraſſe. Obiit ſub eo Imperatore, ut ex modo dicendis patebit.

VII. Zebennus.

Sozomenus *lib. 7. hiſt. eccl. cap. 29. p. 752.* C. D. refert, ſub finem imperii Theodoſii Magni, *Zebenno Eleutheropoleos epiſcopo* revelata fuiſſe divinitus corpora Prophetarum Abacuc & Michææ: *Abacuc,* inquit, *nec multo poſt eum Michæas, ex primis illis Prophetis, circa id tempus reperti. Amborum autem corpora per divinam in ſomnis viſionem, ſicut accepi, oſtenſa ſunt Zebenno, qui tunc Eleutheropolitanæ eccleſiæ pontificatum gerebat. Locus porro in quo repertus eſt Abacuc vocabatur Cela, olim vero Ceila civitas dicebatur. Berathſatia vero locus eſt decem circiter ſtadiis diſtans ab urbe, juxta quem locum erat ſepulcrum Michææ: quod quidem incolæ, ignorantes quid dicerent, monumentum fidelium appellabant, Nephſameemana patrio ſermone nominantes. Atque hæc quidem ad Chriſtianæ religionis gloriam amplificandam idonea, hujus Imperatoris* (Theodoſii) *temporibus contigerunt. Cæterum poſt partam de Eugenio victoriam, Imperator Theodoſius, dum Mediolani degeret, morbo correptus eſt, &c.* Hunc Zebennum, Theophanes in chronico ad annum Theodoſii 15. Chr. 393. *p. 63.* A. A *Bezenum* nuncupat. *Eodem anno,* inquit, *Abacum & Michææ Prophetarum reliquiæ Bezeno epiſcopo Eleutheropolis Palæſtinæ* Βεζένῳ τῷ ἐπισκόπῳ Ἐλευθεροπόλεως τῆς Παλαιστίνης divinitus revelatæ, *in duobus pagis Eleutheropolitani agri inventæ ſunt.* Vivebat adhuc Zebennus anno 415. quo ſynodo Dioſpolitanæ adverſus hæreſim Pelagianam celebratæ interfuit, & unus fuit 14. epiſcoporum quos nominat Auguſtinus *lib. 1. cont. Jul. cap. 5. To. 2. conc. Labb. col. 1532.* D.

VIII. Gregorius.

Ex ſubſcriptionibus epiſcoporum Palæſtinæ, epiſtolæ ſynodicæ Joannis Patriarchæ B Hieroſolymorum, anno 518. ad Joannem Conſtantinopolitanum, adverſus Severum hæreticum, miſſæ, nobis innoteſcit *Gregorius Eleutheropolitanus epiſcopus,* Γρηγόριος Ἐλευθεροπόλεως. *To. 5. conc. Labb. col. 192.* B.

IX. Anastasius.

Anno 536. ſynodo Hieroſolymitanæ menſe Septembri habitæ contra Anthimum & alios heterodoxos, ſub Petro Patriarcha, adfuit *Anaſtaſius Eleutheropolitanus epiſcopus,* Ἀναστάσιος Ἐλευθεροπόλεως. Eodem *tom. 5. col. 284.* D.

XVIII. ECCLESIA HEBRONIS *ſive* CHEBRONIS.

HEBRON, urbs antiquiſſima fuit, quæ ante Moyſis tempora dicta fuerat *Arbee,* ut legitur Gen. *cap. 23. verſ. 2.* Arbe autem fuit pater τοῦ Enac, Joſue *cap. 15. verſ. 13. Hebronis* nomen invaluit, quod ſeptuaginta interpretes Χεβρὼν *Chebron* ſine flexione caſuum ſcripſere. In Vulgata communius *Hebron* appellatur: *Chebron* tamen 1. Mach. *cap. 5. verſ. 65.* Septem annis ante Zoan ſeu Tanim urbem Ægypti condita eſt, *Num. cap. 13. verſ. 23.* Juxta eam in ſpelunca duplici ſepultos eſſe Abrahamum, Saram, Iſaac, Jacob, alioſque veteres ſanctitate celebres tradit ſcriptura: propter quod etiamnum eccleſia Hebronis nuncupatur ἅγιον σπήλαιον, *ſancta ſpelunca.* Sita erat Hebron in Chananæa auſtrali, non longè à lacu Aſphaltide. Euſebius *lib. de locis Hebraïcis,* ad vocem Ἀρκώ, hanc docet Hieroſolymis diſtare verſus auſtrum 22. milliaribus. Eam in Orientem, ab Hieroſolymorum meridiano declinaſſe aſſerit poſt Lighfootum Cellarius *geogr. ant. tom. 2. lib. 3. cap. 13. pag. 566.* At Hadrianus Relandus Palæſtinæ illuſtratæ *to. 2. lib. 3. p. 710.* illam exiſtimat ad Occidentem potius, quam ad Orientem declinaſſe, quia via per eam Gazam tendit, nimiſque vicina mari mortuo ſtatuitur. Haud procul ab ea urbe oſtendebatur *locus,* Græcè ἡ δρῦς *quercus* Mamre ſive Mambre juxta quem Abrahamus habitavit, Gen. *cap. 13. verſ. 18. & cap. 23. verſ. 19.* Ibi quoque terebinthus, de quo Joſephus *lib. 4. de bello Jud. cap. 31. Cernitur ſexto ab urbe* Hebron *ſtadio terebinthus maxima, quam dicunt à creatione mundi uſque hæc tempora permanere.* Et Sozom. *lib. 2. hiſt. eccl. cap. 4. p. 447.* B. *Locus hic eſt quem hodie terebinthum vocant, à Chebron quidem, quæ ſita eſt ei ad meridiem, quindecim ſtadiis diſtans, ab Hieroſolymis vero ducentis circiter ſtadiis & quinquaginta.* Addit ibi quotannis Palæſtinos & finitimos conventum agere, non modo mercatus cauſa, verum etiam religionis, quia ille locus & Judæis ſacer fuit, & Chriſtianis, ipſis quoque ethnicis, propter Angelos qui ibi Abrahamo apparuiſſe pari omnium conſenſu tenebantur. Hunc locum à prophanorum rituum & ſacrificiorum ſpurcitiis expurgari, ibique eccleſiam Deo conſtrui juſſit Conſtantinus Magnus, ex eodem Sozom. *ibid. p. 448.* B. C. Sanutus, in Secretis Fidelium Crucis, *pag. 148.* ait: *Ibi ilex quæ uſque ad tempora Theodoſii Imperatoris permanſit, teſte Hieronymo, & ſuum eſſe dilatavit,*

Digitized by Google

dilatavit, & ex illa hæc fuiſſe perhibetur, quæ in præſenti (ſcribebat ſæculo 12.) *ab illic præſentibus videtur, & chara tenetur, quæ licet arida, medicinalis tamen probatur: ſi enim equitans de ea ſecum portaverit, animal ſuum non infunditur.* Hieroſolymis ab exercitu Chriſtianorum Cruce ſignatorum expugnatis anno Chriſti 1099. vicinaque regione ſubacta, Hebron ſedes epiſcopalis facta eſt, cui Latini ſui ritus præſulem aſſignarunt, de quibus Hebronis antiſtitibus Latinis ſuo loco poſtea ſermo erit. Poſt ejectos vero è Palæſtina Latinos, eidem Hebronis eccleſiæ epiſcopos Græci præfecerunt, quorum unus duntaxat ad notitiam noſtram venit. Hebronem à paucis annis ſedem deſtitiſſe eſſe epiſcopalem colligitur ex notitia illuſtriſſimi Chryſanthi Patriarchæ Hieroſolymitani, in qua Hebron omittitur. ECCLESIA HEBRONIS *ſive* CHEBRONIS.

EPISCOPI HEBRONIS.

JOANNICIUS.

ANno 1672. eccleſiam Hebronis adminiſtrabat *Joannicius*. Actis enim ſynodi eo anno in encœniis Bethleemitani templi habitæ ſub Doſitheo II. Patriarcha Hieroſolymorum, in qua adverſus Calvinianos Cyrilli Lucaris articulos pronuntiatum eſt, Chriſtodulus Gazæ archiepiſcopus, tam ſuo, quam Joannicii hujus præſulis nomine ſubſcripſit in hunc modum, *to. XI. concil. P. Hard. Societ. Jeſu, col. 267.* E. ὁ ταπεινὸς ἀρχιεπίσκοπος Γάζης Χειςόδουλος, καὶ τῶν τόπων (lege τὸν τόπον) ἐπέχων Ἰωαννικίου τοῦ θεοφιλεστάτου ἀρχιεπισκόπου τοῦ ἁγίου σπηλαίου ὁρίσας ὑπέγραψα, id eſt, *Chriſtodulus humilis archiepiſcopus Gazæ, & Joannicii ſanctiſſimi archiepiſcopi ſanctæ Cavernæ locum tenens, definiens ſubſcripſi.* Ibid *col. 271.* A. legitur Γεώργιος ἱερεὺς καὶ Ἐφημέριος τοῦ ἁγίου σπηλαίου, *Georgius ſacerdos & Ephemerius ſanctæ Speluncæ.* Et rurſus *ibid.* Ἰσας ἱερεὺς καὶ Ἐφημέριος τοῦ ἁγίου σπηλαίου, *Iſas ſacerdos & Ephemerius ſanctæ Speluncæ.* De ea ſynodo vide ſupra *coll. 523. & 524.*

XIX. ECCLESIA BETHLEEM.

BETHLEEM prius nominabatur *Ephrat* ſive *Ephrata*, ut Gen. *cap. 35. verſ. 19. & cap. 48. verſ. 7.* clare proditum eſt: *Ephrata, hæc eſt Bethleem:* utrumque nomen conjungitur Mich. *cap. 5. verſ. 2.* & tanquam ſynonyma alterum alteri reſpondet ita ut videatur Ephrata oppidi potius quam regionis nomen fuiſſe, niſi quis velit ab oppido, regiunculam quoque in qua illud ſitum erat, eamdem appellationem ſortitam: ſic enim, poſt Euſebium, ejus interpres Hieronymus *lib. de locis Hebraïcis*, ait: *Ephrata, regio Bethleem civitatis David.* Dicitur etiam *Bethleem Juda*, Jud. *cap. 17. verſ. 7. cap. 19. verſ. 1.* & Matth. *cap. 2. verſ. 5.* ad diſtinctionem alterius *Bethleem* in tribu Zabulon, cujus mentio fit Joſue *cap. 19. verſ. 15.* De Bethleem Ephrata ſive Juda hæc habet præfatus Hieronymus loco ſupra allegato: *Bethleem civitas David in ſorte tribus Judæ, in qua Dominus noſter atque Salvator natus eſt, in ſexto milliario ab Ælia, contra meridianam plagam, juxta viam quæ ducit Chebron, ubi & ſepulcrum Jeſſe & David oſtenditur.* In verſione Græca ſeptuaginta interpr. Joſ. *cap. 15. verſ. 60.* legitur *Bethleem* cum aliis decem oppidis tribui Judæ aſſignatis, quæ undecim deſunt in textu Hebræo, ut monet idem Hieron. in Mich. *cap. 5. verſ. 2. Legimus,* inquit, *juxta ſeptuaginta duntaxat interpretes, in Jeſu Nave, ubi tribus Judæ urbes & oppida deſcribuntur, inter cætera etiam hoc ſcriptum:* Theco, & Ephrata, hæc eſt Bethleem, & Phagor, & Ætham, & Culon, & Tatami, & Soris, & Carem, & Gallim, & Bæther, & Manocho, civitates undecim, & viculi earum; *quod nec in Hebraïco, nec apud alium invenitur interpretem: & ſive de veteribus libris eraſum ſit malitia Judæorum, ne Chriſtus de tribu Juda ortus videretur; ſive à ſeptuaginta additum, nequaquam liquido cognoſcentes, certum quid novimus.* Eraſum ex ſacro codice à Judæis oppidum Bethleem præfractè negat Hadrianus Relandus, Palæſtinæ illuſtratæ *to. 2. lib. 3. pag. 644.* rationeſque affert quas lectori injucundum non fore arbitror hîc ipſius judicio ſubjici. Major eſt, inquit, eorum veneratio & ſuperſtitio erga ſacrum codicem, quam ut illum vitiaſſe conſulto & de induſtria cenſeri poſſint, tantum ut hoſtibus ſuis, id eſt, nobis nocerent. Ideone illi unicum gentis ſuæ κειμήλιον ſacrilegè corrupiſſent damno nunquam reſarciendo, & ſe iræ divinæ expoſuiſſent ſcientes volentes! Non puto. Quod ſi vel maximè illos credamus eò ſtultitiæ & impietatis devenire potuiſſe, apertiora de Chriſto teſtimonia quæ adhuc leguntur in codicibus eorum inde eraſiſſent, & quibus jam Chriſtiani contra eos utebantur; uti de gloria templi ſecundi Agg. *cap. 2. verſ. 10.* de 70. hebdomadibus Danielis, de ſtatu Meſſiæ abjecto Iſaïæ *cap. 53.* de Bethleem patria Meſſiæ futura Mich. *cap. 5. verſ. 2.* Adde quod quidam inter ipſos in Gem. Hieroſ. Beracoth *fol. 5. 1.* fateantur Bethleem Meſſiæ fore patriam, uti in Echa Rabbati *fol. 72. 1.* legitur Meſſiam

ECCLESIA BETHLEEM. naſciturum *in Birath Arba in Bethleem Judæ.* De Birath Arba gloſſator notat eſſe nomen loci in Bethleem Judæ. Profecto pluris intererat rei Judaïcæ eraſum eſſe Micheæ vaticinium de Bethleem ex qua egreſſurus eſſet dominator in Iſrael, quam comma illud (verſiculum) 60. in *cap. 15.* Joſue, ubi ſolum recenſetur Bethleem inter urbes Judæ, & unde Chriſtiani nihil cauſæ ſuæ præſidii quærere poſſunt: nam ſi quis dicat, inde demonſtrari poſſe Bethleem ſitam fuiſſe in Juda, adeoque Chriſtum ex Juda fuiſſe: Primo quidem ex loco nativitatis non ſequeretur illum ex Juda fuiſſe: ſed quum hiſtoria Evangelica nos doceat Mariam, quia erat de familia Davidis, atque adeo Judæ, aſcendiſſe Bethleemum urbem Davidis, inde docemur Chriſtum ex Juda fuiſſe. Deinde Bethleem in Juda fuiſſe non erat neceſſe ut ex hoc loco edoceremur, quia Jud. *cap. 17. verſ. 7.* Bethleem Judæ appellatur, ſicut & Mich. *cap. 5. verſ. 2.* Et ſi vel maxime voluiſſent Bethleem ex illa ſerie tollere, quid commeruerant decem urbes adjectæ? Cur illæ quoque exturbari debuere? Dices, quia numerus ſubjunctus undecim urbium detegeret ſacrilegium, ſi ſola Bethleem ejiceretur, quum ſic decem tantum remanerent. Verum qui audet nomen Bethleem tollere ex codice ſacro, an non auderet pro undecim ſubſtituere decem? Maximè quum intereſſet ſummo opere gentis Judaïcæ urbes omnes noſſe quæ olim in terra eorum fuerant. Hæc Relandus, qui etiam ait *ibid. initio pag. 644.* In manuſcripto codice bibliothecæ noſtræ Trajectinæ legitur, *Theco, & Ephrata hæc eſt Bethlem, & Fagor, & Ethan, & Caulon, & Dathan, & Sores, & Corem, & Salim, & Tether, & Manocho, civitates undecim, & viculi earum.* Ex quibus omnibus colligitur nos æquè latere, ſive cur in codice Hebræo libri Joſue *cap. 15.* à primis eccleſiæ ſæculis totus verſiculus deſideretur, in quo de civitate Bethleem, & decem aliis, fit mentio; ſive undenam ſeptuaginta interpretes illum eruerint, ut in ſua tranſlatione reponerent. Oppidum Bethleem epiſcopali ſede caruit ad tempora uſque belli ſacri quod Franci noſtri & Latini in Palæſtina Godefrido Bullonio duce geſſerunt. Eo autem defuncto, Balduinus frater ejus epiſcopum in eo conſtitui curavit, qui Hieroſolymorum Patriarchæ obnoxius ſeu ſuffraganeus eſſet. Latinos hujus eccleſiæ præſules nunc mitto.

EPISCOPI BETHLEEM.

I. RAGUEL.

MANUELE Comneno Imperatore, & Amalrico Hieroſolymorum rege, *Raguele itidem ſanctiſſimo epiſcopo Bethleem,* anno mundi (æræ Conſtantinopolitanæ) 6677. Chriſti 1169. inſtauratum templum ſancti præſepis, opera Ephraim monachi & hiſtoriographi, fert inſcriptio quæ in eadem ſancta æde etiamnum legitur; teſte Doſitheo Patriarcha Hieroſ. *in hiſt. pag. 1213.*

II. ATHANASIUS.

Temporibus Theophanis (IV.) Patriarchæ Hieroſolymitani, ſubindeque ante ann. 1646. quo ille obiit, ſedebat *Athanaſius* metropolita Bethleem ſanctæ ſedis (Hieroſolymorum) illo abſente procurator. Ita Doſitheus Patriarcha *lib. 12. hiſt. Patr. Hieroſ. cap. 1. §. 6.*

III. NEOPHYTUS.

Anno 1660. quo exeunte, poſt mortem Païſii Patriarchæ Hieroſolymitani, Nectarius A Conſtantinopoli electus eſt qui illi ſuccederet, vel anno ſequenti 1661. quo ordinatus eſt die 9. Aprilis, metropolita Bethleem *Neophytus* erat, ab eo inſtitutus eccleſiæ ſuæ curator, dum mox Conſtantinopolim profecturus abeſſet. Anno 1672. ſynodo Bethleemi coactæ à Doſitheo II. Patriarcha Hieroſolymorum, ad proſcribenda Calviniana dogmata, interfuit, & in hunc modum ſubſcripſit *to. XI. conc. Hard. col. 267.* E. ὁ ταπεινὸς Μητροπολίτης ἁγίας Βηθλεὲμ Νεόφυτος ἀποφαίνομαι, *Neophytus humilis metropolita ſanctæ Bethleem, ita affirmo.*

B

IV. MALACHIAS.

Præſenti ſæculo ante annum 1733. ſedebat *Malachias,* de quo nihil aliud ſcimus.

V. ANNANIA.

Epiſtola gallicè ſcripta die 1. Martii anno 1733. ex urbe Tripoli Syriæ, nos certiores fecit, eccleſiæ Bethleemitanæ actu epiſcopum eſſe quemdam nomine *Annaniam,* qui reſidebat in vico Valachiæ.

XX. ECCLESIA DIOCLETIANOPOLIS.

DIOCLETIANOPOLIS urbs fuit Palæſtinæ primæ, cujus mentio fit in notitiis veteribus eccleſiaſticis, & in conciliis. Quodnam fuerit priſcum illius nomen, vel quo Palæſtinæ loco ſteterit, mihi hactenus incompertum. Doctiſſimus Harduinus Soc. Jeſu *to. XI. concil. in indice geograph. epiſcopatuum, col. 714.* tres urbes hujus nominis diſtinguit, quarum

Digitized by Google

epiſcopi in variis conciliis leguntur.... 1.° *Diocletianopolis in Thracia*, ex notitiis Græcis, in quibus eſt Διοκλητιανούπολις ſub metropolita Philippopolitano: hujus Diocletianopolis epiſcopi, *Baſſus* in concilio Sardicenſi anno 347. *Cyriacus* in conciliabulo Epheſino ſub Joanne Antiocheno anno 431. & *Epictetus* in concilio Chalcedonenſi anno 451. ſubſcripſere.... 2.° *Diocletianopolis in Palæſtina prima*, ex notitia Græca, in qua eſt ibi Διοκλητιανούπολις ἀρχιεπισκοπή· hujus epiſcopi *Eliſſæus* in conciliabulo Seleucienſi anno 359. & *Elias* in conc. V. generali anno 553. ſubſcripſerunt.... 3.° demum, *Diocletianopolis in Phrygia Pacatiana*. In notitia Græca ibi Διοκλία eſt: & in Echteſi ὁ Διοκλείας. *Conſtantinus* Diocletianopolis conc. Epheſino anno 431. interfuit. Κωνσταντίνως ἐπίσκοπος τῆς Διοκλητιανῶν πόλεως *Conſtantinus Diocletianopolitanus epiſcopus*. Hanc urbem omiſit Carolus à Sancto Paulo in indice urbium epiſcopalium Palæſtinarum.

ECCLESIA DIOCLETIANOPOLIS.

EPISCOPI DIOCLETIANOPOLIS.

I. ELISSÆUS *ſive* ELISÆUS. EPICTETUS.

INter epiſcopos 43. ab Epiphanio *lib. 3.* adverſus hæreſes, *hær. 73. n. 26. p. 874.* D. recenſitos, qui anno 359. formulæ Semi-arianorum ſubſcripſerunt, legitur Ἐλισσαῖος ἐπίσκοπος Διοκλητιανουπόλεως, *Eliſſæus epiſcopus Diocletianopolis*.

Hadrianus Relandus, Palæſtinæ illuſtratæ *to. 2. pag. 736.* hujus Diocletianopolis cenſere videtur epiſcopum fuiſſe *Epictetum* illum, qui interfuit ſynodo Chalcedonenſi an. 451. ut videre eſt *tom. 2. concil. Labb. coll. 82.* E. Ἐπικτήτῳ Διοκλητιανουπόλεως, *Epicteto Diocletianopolis, 329.* A. *373.* C. *436.* D. Ἐπίκτητος Διοκλητιανουπόλεως, *Epictetus epiſcopus Diocletianopolis, 451.* E. & *585.* C. Verum, quia Epictetus iſte aliquot annis poſtea epiſtolæ Valentini epiſcopi Philippopolis, ad Leonem A Imperat. pro concilio Chalcedonenſi, ſubſcripſit; probabiliorem reor P. Harduini ſupra citati opinionem, hunc ſcilicet Epictetum, non Diocletianopolis in Palæſtina eccleſiam adminiſtraſſe, ſed Diocletianopolis in Thracia ſub Philippopolitana metropoli. Epiſtola illa Valentini extat *to. 4. conc. Labb. col. 909.* B. ſubſcriptiones autem *col. 910.* C. in hunc modum: *Valentinus epiſcopus Philippopolitanæ metropolis ſanctiſſimæ eccleſiæ, manu mea ſub-* B *ſcribens, his quæ ſunt ſcripta, conſentio. Epictetus epiſcopus Diocletianopolis, ſimiliter.*

II. ELIAS.

Anno 553. ſynodo quintæ generali adſuit *Elias* epiſcopus Diocletianopolis, cujus nomen legitur *tom. 5. conc. Labb. col. 583.* A. *Elias miſericordia Dei epiſcopus Diocletianopoleos, ſimiliter.*

XXI. ECCLESIA NEAPOLIS.

LICET *Neapolim* in Palæſtina & *Sichem* multi etiam veterum pro eadem urbe habeant, & modo *Sichem*, modo *Neapolim* appellent, ut Epiphan. *lib. 3.* adverſus hæreſes *to. 1. pag. 1055.* ἐν Σικίμοις, τοῦτ᾽ ἔστιν, ἐν τῇ νυνὶ Νεαπόλει. *Sicimis, id eſt, Neapoli, uti nunc dicitur:* & *pag. 1068.* ἐν Σικίμοις ἐν τῇ νυνὶ καλουμένῃ Νεαπόλει, *Sicimis, quæ nunc appellatur Neapolis:* alii tamen, veteres quoque, Sichem à Neapoli diſtinguunt, ut Euſeb. Cæſarienſ. in Onomaſtico ad vocem τερέβινθος, qui ſcribit illam eſſe ἐν Σικίμοις, πλησίον Νέας πόλεως, *Sicimis, prope Neapolim*. Et in voce Συχέμ: Δείκνυται ὁ τόπος ἐν προαστείοις Νέας πόλεως, *Locus* (urbis Sychem) *monſtratur in ſuburbanis Neapolis*. Et in voce Λοῦζα: παρακειμένη Συχὲμ ἀπὸ ΄θ σημείου Νέας πόλεως, ubi Hieronymus rectius videtur legiſſe, *juxta Sichem in tertio lapide Neapoleos*. Ita obſervat Hadrian. Reland. Palæſt. illuſtr. *to. 2. pp. 1004. & 1005.* qui addit: lapſu temporis aliæ partes urbis *Sichem* periiſſe potuerunt, ad alias (vero) nova acceſſio facta, ut tandem ipſa urbs *Neapolis* ab loco antiquæ *Sichem* aliquo intervallo diſtaret. Quod illuſtrari poſſet, inquit, ex urbis Trajecti ad Rhenum ſitu, quæ olim propior fuiſſe vico, nunc *Veehten* dicto, creditur, ubi arcis Romanæ veſtigia conſpiciuntur, & nummi veteres, gemmæ, urnæ, tegulæ, annuli, fibulæ, aliaque antiquitatis Romanæ monumenta quotidie eruuntur.

Sichem occurrit mentio, Gen. *cap. 12. verſ. 6. cap. 37. verſ. 12.* Joſ. *cap. 24. verſ. 1. 25. & 32.* Jud. *cap. 8. verſ. 31. cap. 9. verſ. 1. & 49.* 3. Reg. *cap. 12. verſ. 25.* Joa. *cap. 4. verſ. 5.* *Sichar* nuncupatur: ad quod nomen *Sichar*, ait Hieron. in Epitaph. Paulæ *cap. 4. Tranſivit* (Paula) *Sichem, non, ut plerique errantes legunt, Sichar, quæ nunc Neapolis appellatur:* & Quæſtion. in Gen. *cap. 48. num. 22. Sicima juxta Græcam & Latinam conſuetudinem declinata eſt; alioquin hebraïce Sichem dicitur, ut Joannes quoque Evangeliſta teſtatur: licet vitioſe, ut*

ECCLESIA NEAPOLIS. *Sichar legatur, error inolevit.* Cellarius tamen *geogr. ant. tom. 2. lib. 3. cap. 13. pag. 515.* ait codices omnes, interpreteſque antiquiſſimos Sirum & Arabem, non M, ſed R, in fine hujus dictionis habere: & ſubjungit *pag. ſeq. 516.* novum nomen *Neapolis* ei fuiſſe inditum à Veſpaſiano vel Tito poſt Hieroſolymorum excidium. Plinius enim, qui ſub Tito deceſſit, *lib. 5. cap. 13.* eam hoc nomine donat. *Intus Samariæ oppida: Neapolis quod antea Mamortha dicebatur: Sebaſte in monte.*

Nomen iſtud *Neapolis* diutiſſime perſeveravit, ſic ut neglecto vetuſtiori *Sichem, Neapolim* nuncupaverint Judæi, Chriſtiani, Græci, Latini, ipſique Mohammedani qui nunc Palæſtina potiuntur & *Naplouſam* illam appellant. In nummis antiquis *Flavia Neapolis* nominatur: Titi nummo, & ſimili Domitiani, inſcriptum legitur ΦΛΑΟΥΙ. ΝΕΑΠΟΛ. ΣΑΜΑΡ. *Flaventium Neapolitanorum Samariæ.* Et in Fauſtinæ junioris nummo ΦΛ. ΝΕΑΣ. ΠΟΛ. ΣΥΡ. ΠΑΛΕΣΤΙ. hoc eſt, Φλαουίας Νέας πόλεως Συρίας Παλαιστίνης, *Flaviæ Neapolis Syriæ Palæſtinæ.* Ex hac urbe S. Juſtinus martyr ſe fatetur oriundum, etſi genere Samaritanus non erat, *Apol. 2. pag. 41.* Ἰουστῖνος.... ἀπὸ Φλαουΐας Νέας πόλεως τῆς Συρίας Παλαιστίνης: *Juſtinus.... ex Flavia Neapoli Syriæ Palæſtinæ. Salem* dicitur eadem urbs Gen. *cap. 33. verſ. 18.* ubi refertur Jacob veniſſe *Salem oppidum Sichem, & ad faciem urbis* tabernaculum fixiſſe: unde Hieron. de locis Hebr. ait: *Salem civitas Sicimorum, quæ eſt Sichem.* Verum, ut animadvertit ſupra citatus Cellarius *pag. 516.* certum non eſt, imò maximè dubium, ibi *Salem* urbis nomen eſſe, quum & uterque Chaldæus, & Judæi interpretes omnes, illud *Salem,* non pro nomine proprio, ſed appellativo habeant, ut ſenſus ſit Jacob venit *Salem,* id eſt, *Salvus & incolumis* ad urbem Sichem.

Locus quem hæc urbs tenere debet in mappa geographica, juxta laudatum Hadrianum Relandum *pag. 1007.* & ſitus ejus inde colligitur, quod Euſebius & Hieronymus ſcribant Schilo abeſſe à Sichem ſive Neapoli decem milliaribus. Schilo autem erat inter Bethel & Sichem Jud. *cap. 21. verſ. 19.* Porro diſtabat Sichem ab urbe Hieroſolymitana milliaribus quadraginta: In itinerario enim veteri Hieroſolymitano hæc diſtantia ponitur; *Inde* autem à puteo Samaritanæ, *millia viginti octo euntibus Hieruſalem: in ſiniſtra parte viæ eſt Bethan,* (Bethel) *& inde duodecim millia uſque ad Hieruſalem.* Ita quoque Euſebius & Hieronymus dicunt Bethel abeſſe à Hieruſalem milliaribus duodecim. Sæculo ſexto Antonius martyr in Itinerario ſuo hæc refert: Vidimus *civitatem quæ nuper appellata eſt Samaria* (Sichem) *nunc vero Neapolis, in qua puteus eſt ubi Dominus à muliere Samaritana aquam petiit, ibique facta eſt baſilica in honorem ſancti Joannis, & ipſe puteus ante cancellos altaris, & ſitula de qua dicitur quod de ea bibit, multique ægri veniunt, & ſanantur.* Codinus *de orig. Conſtantin.* tradit eum lapidem, cui Chriſtus fatigatus inſedit, allatum fuiſſe Conſtantinopolim tempore Juſtiniani Imperat. Phocas qui loca ſacra inviſit anno 1185. ita hujus urbis ſitum deſcribit: *Metropolis Samaritanorum Sichar poſtea dicta Neapolis, ſita inter duos colles quorum pedibus ipſa fundamentis ſuis qua ſe longius extendit inhæret....* Et mox: *Ad radices montis* (Garizim) *eſt ager quem Jacob Joſepho filio ſuo dedit, in quo eſt puteus Jacob.* Nullam mentionem facit eccleſiæ ſupra puteum. Neapolis antiſtes nunc archiepiſcopi titulo ornatur, necnon præſulis Sebaſtiæ, quæ Samaria vetus eſt, & in eumdem epiſcopatum coaluit.

EPISCOPI NEAPOLIS.

I. GERMANUS.

GERMANUS hic ſubſcriptus legitur ſynodo Ancyranæ anno 314. *to. 1. conc. Labb. col. 1475.* E. *Germanus Neapolis Palæſtinæ.* Eodem quoque anno ſynodo Neocæſarienſi, *ibid. col. 1488.* C. & Nicænæ I. anno 325. *to. 2. col. 51.* B.

II. TEREBINTHUS.

Procopius *lib. 5. de ædificiis Juſtiniani, cap. 7.* narrat, imperante Zenone, Neapolitanos Samaritas impetum feciſſe in Chriſtianos Pentecoſten celebrantes, & epiſcopum *Terebinthum* ſacræ menſæ adſtantem manuum digitis truncaſſe: qui ad Imperatorem confugiens ejus opem imploravit. Huic annuens A Zeno Samaritanos monte Garizim expulit, & in culmine ejus eccleſiam ſanctæ Mariæ condidit à Chriſtianis adeundam. Et templo illi murum ſpecie, ſed maceriam tantum revera circumdedit. Infra autem in urbe præſidium conſtituit validum, ad murum vero ſuperiorem nonniſi decem milites poſuit. Samaritani tunc quidem quieverunt, ſed poſtea, imperante Anaſtaſio, montem vi occuparunt, B per prærupta aſcendentes; quum enim via quæ illuc ex urbe duceret, ab altera parte præſidio militum defenderetur, non poterat adſcenſus ibi tentari. Præſes provinciæ plures illorum morte mulctavit: Juſtinianus vero muro eccleſiæ Garizimitanæ alterum addidit planè inexpugnabilem, & quinque templa Chriſtianorum in eadem urbe incenſa

Digitized by Google

reſtituit. Regnavit Zeno ab anno 475. uſque ad annum 491. Hæc Hadrianus Relandus *pp. 1009. & 1010.*

III. Procopius.

Anno 518. epiſtolæ ſynodicæ Joannis Hieroſolymitani Patriarchæ ad Joannem Conſtantinopolitanum præſulem, adverſus Severum hæreticum, ſubſcripſit Πϱοκόπιος ἐπίσκοπος τῆς Νεαπολιτῶν, *Procopius epiſcopus Neapolis. To. 5. conc. Labb. col. 192.* B.

IV. Ammonas *ſive* Sammonas.

Cyrillus Scythopolitanus, in vita S. Sabæ abbatis *num. 70.* apud Cotel. *tom. 3. monum. eccl. Græc. pag. 339.* ſcribit, *quarto poſt Theodoſii abbatis obitum menſe,* qui ad Deum migraverat die 11. Januar. anno 529. Palæſtinæ Samaritanos multa nefaria in Chriſtianos perpetraſſe, epiſcopum inſuper Neapoleos *Ammonam* ſive *Sammonam* jugulaſſe τότε δὴ τὸν μετ' ἐπίσκοπον Νεαπόλεως Ἀμμωνᾶ (aliàs Σαμμωνᾶ) κατέσφαξαν. Id ſubinde contigit eo anno, circa menſem Maium. Vide *ſupra col. 190.* D. E. ubi de Petro Patriarcha Hieroſolymitano.

V. Joannes.

Anno 536. *Joannes* Neapolis in Palæſtina epiſcopus interfuit ſynodo Hieroſolymitanæ, quam Petrus Patriarcha convocavit adverſus

A Anthimum hæreticum, menſe Septembri, & ſententiæ excommunicationis contra eumdem latæ ſubſcripſit in hunc modum: Ἰωάννης ἐπίσκοπος Νέας πόλεως, *Joannes epiſcopus novæ civitatis,* id eſt, *Neapolis. To. 5. concil. Labb. col. 286.* C. qui addit ad margin. *Moreæ* ſive *Famagoræ.*

VI. Christophorus.

Chriſtophorus iſte ſubſcriptus legitur in actis ſynodi Hieroſolymitanæ Bethleemi celebratæ, ſub Doſitheo II. Patriarcha, anno 1672.
B ad condemnanda Calviniana dogmata Cyrilli Lucaris. *Tom. XI conc. P. Hard. col. 270.* A. Χριστόφορος ἁμαρτωλὸς ἀρχιεπίσκοπος Νεαπόλεως, καὶ πρόεδρος Σεβαστείας, ὑπέγραψα, *Chriſtophorus peccator archiepiſcopus Neapoleos, & Sebaſtæ præſul, ſubſcripſi.*

VII. Leontius.

Præſenti ſæculo ſedebat *Leontius* eccleſiæ Neapolis in Palæſtina archiepiſcopus ὁ Νεαπόλεως Λεόντιος, de quo nihil aliud ſcimus, niſi eum obiiſſe ante menſem Martium anni
C 1733.

VIII. Levendius.

Ex epiſtola gallicè ſcripta die prima Martii 1733. ex urbe Tripoli Syriæ, didicimus eum qui tunc *Naplouſæ* ſive *Neapolis* in Palæſtina eccleſiæ præerat, nominari *Levendium.*

XXII. ECCLESIA SEBASTES *ſive* SAMARIÆ.

Samariæ nomine donata fuit, tum urbs quædam ſpecialis Palæſtinæ, tum tota ipſa regio cujus urbs illa caput erat. Hæc regio, una è tribus terræ cis Jordanem ſitæ partibus Σαμαρεῖτις, *Samaritis* dicitur 1. Mach. *cap. 10. verſ. 30.* Sic vero eam deſcribit Joſephus *lib. 3. de bello Jud. cap. 2. Samarienſis regio inter Judæam quidem & Galilæam ſita eſt: incipiens enim à vico in planicie* (ſive *Campo magno*) *poſito, cui nomen eſt Ginæa, in Acrabatenam deſinit toparchiam: ſed natura nihil à Judæa diſcrepat; nam utræque montoſæ ſunt & campeſtres, &c. Harum confinium eſt Anvath vicus, qui etiam Borceos appellatur, Judææ limes à Septemtrione. Meridiana vero pars ejus, ſi in longitudinem metiare, adjacenti vico Arabum finibus terminatur, cui nomen eſt Jarda. Latitudo ſanè à Jordane flumine uſque ad Joppen explicatur.*

De Samaria urbe, Procopius Gazæus *comment. ad lib. 3. Reg. cap. 16.* ait: ἀπὸ τοῦ Σεμὴρ τὸ ὄρος ἐκλήθη Σομόρων, ἀπὸ δὲ τοῦ ὄρους ἡ πόλις Σαμάρεια, ἡ νῦν Σεβάστη προσηγορευομένη: id eſt, *à Schemer dictus eſt mons Schomrom, & à monte Samaria, quæ nunc Sebaſte appellatur,* Σεβάστη ἡ Παλαιστίνης, *Sebaſte Palæſtinæ* dicitur ab Epiphan. *lib. 3. adverſus hæreſes pag. 874.* Eadem quoque eſſe videtur Σεβαστόπολις quam in Samaria collocat, *in lib. de vitis Prophetar. to. 2. pag. 238.* A. Apud Joſephum varia leguntur de illa urbe; ſcilicet *lib. 8. antiq. cap. 7.* hanc olim dictam fuiſſe Μορεών: poſtea de nomine Σαμάρου à quo Omri (Amri, & Amarinus Joſepho) montem in quo urbs ſita eſt emerat, appellatam *(Samariam.)* Addit *lib. 13. cap. 18. Sebaſtem* deinde fuiſſe nuncupatam, urbemque munitiſſimam extitiſſe, hanc tamen poſtmodum ſic vaſtatam fuiſſe ab Hircano, inductis eo torrentibus, ut ne veſtigium quidem hujus urbis remanſerit. Et *lib. 14. cap. 10.* à Gabinio de novo reſtitutam. Et *lib. 15. cap. XI.* munitam fuiſſe ab Herode, qui *Sebaſten* appellavit. In ea urbe fuiſſe condita ſancti Præcurſoris oſſa tradit Hieron. *comment.* in Ozeæ *cap. 1. verſ. 5. Samaria, quæ & ipſa altera urbs fuit metropolis decem tribuum, quæ poſtea ab Auguſto Cæſare appellata eſt Auguſta, id eſt,*

ECCLESIA SEBASTES *ſive* SAMARIÆ.

Σεβαςῇ, *in qua oſſa Joannis-Baptiſtæ condita ſunt.* Et rurſus *comment.* in Abdiam *cap.* 1. *verſ.* 1. *Sepulcrum ejus* (Abdiæ) *uſque hodie cum mauſolæo Elizæi Prophetæ, & Baptiſtæ Joannis in Sebaſte venerationi habetur, quæ olim Samaria dicebatur. Hanc Herodes rex Judææ Antipatri filius, in honorem Auguſti Cæſaris Græco ſermone vocavit Auguſtam.* Theodoretus *lib.* 3. *hiſt. eccl. cap.* 7. refert Paganos, ſub Juliano Apoſtata, *Sebaſtæ.... Joannis-Baptiſtæ arcam aperuiſſe, & oſſibus igne conſumptis, cineres hac & illac diſperſiſſe.* A Chriſtianis tamen plura ſacrorum illorum oſſium fuiſſe præſervata ab incendio, colligitur ex verbis Hieronymi modo adductis, necnon ex epitaphio Paulæ, *cap.* 6. ubi ait: *Inde* (Neapoli) *divertens, vidit duodecim Patriarcharum ſepulcra, & Sebaſten, id eſt, Samariam, quæ in honorem Auguſti ab Herode Græco ſermone Auguſta eſt nominata. Ibi ſiti ſunt Heliſæus & Abdias prophetæ, & quo major inter natos mulierum non fuit, Joannes-Baptiſta: ubi multis intremuit conſternata mirabilibus, &c. Et ſicut erat invalida, aſcendit pedibus montem;* in cujus duabus ſpeluncis, *perſequutionis & famis tempore, Abdias propheta centum prophetas aluit pane & aqua.* Philippus diaconus *Act. Apoſt. cap.* 8. *verſ.* 5. *& ſeqq.* multos in hac urbe ad Chriſtum convertit, quos ſubinde Petrus & Joannes Spiritus ſancti ſignaculo confirmarunt. De Samaria tam urbe, quam regione, vide quæ ſupra dicta ſunt *coll.* 121. *&* 122.

EPISCOPI SEBASTENI.

I. NICOLAUS.

HIPPOLYTUS Thebanus tradit à *Nicolao* illo, qui ex ſeptem primis diaconis unus fuit, & Nicolaïtarum hæreſim fertur condidiſſe, eccleſiam Sebaſtenam fuiſſe gubernatam. At viris eruditis ſcriptoris hujus qui poſt Metaphraſten vixit futilis eſt auctoritas. A

II. MARIUS *ſive* MARINUS.

In indice epiſcoporum de provincia Palæſtinæ qui ſynodi primæ Nicænæ anno 325. celebratæ actis ſubſcripſerunt legitur *Marius Sebaſtenus.* Alii eum appellant *Marinum. To.* 2. *conc. Labb. col.* 51. B

III. EUSEBIUS.

Inter epiſcopos qui Semi-arianorum formulam ſua ſubſcriptione firmarunt in ſynodo Seleucienſi anno 359. recenſet Epiphan. *lib.* 3. *adverſus hæreſes hær.* 73. *to.* 1. *num.* 26. *pag.* 874. C. *Euſebium epiſcopum Sebaſtæ Palæſtinæ,* Εὐσέβιος ἐπίσκοπος Σεβαςῆς τῆς Παλαιςίνης, qui proinde eo anno ſedebat.

IV. PRISCIANUS.

Anno 381. concilio generali Conſtantinopolitano interfuit & ſubſcripſit *Priſcianus Sebaſtenſis, tom.* 2. *concil. Labb. col.* 955. C. Is etiam delegatus eſt ab hujus concilii patribus eodem anno cum Cyriaco epiſcopo Adanorum Ciliciæ & Euſebio epiſcopo Epiphaniæ Syriæ ad Damaſum Papam. Ibidem enim *col.* 964. A. epiſcopi qui Conſtantinopoli convenerant ad concilium, ſcribentes Damaſo, Ambroſio, aliiſque præſulibus Romæ convocatis, aiunt.... *Oravimus reverendiſſimos honoratiſſimoſque fratres & collegas noſtros epiſcopos Cyriacum, Euſebium & Priſcianum, ut laborem ad vos proficiſcendi ſuſcipere non gravarentur.* C

V. ELEUTHERIUS.

Inter epiſcopos quatuordecim ab Auguſtino nominatos *lib.* 1. *cont. Jul. cap.* 5. quos profeſſione fidei ſuæ ſubdola deluſit Pelagius in Dioſpolitana ſynodo anno 415. legitur *Eleutherius. To.* 2. *conc. Labb. col.* 1532. D. Hunc enim fuiſſe *epiſcopum Sebaſtes,* & eodem anno una cum Joanne Hieroſolymitano præſule, & Eleutherio altero ſive Eutonio Hierichuntis epiſcopo, S. Stephani Protomart. reliquias in civitatem ſanctam tranſtuliſſe teſtatur Lucianus preſbyter in epiſt. quam ſcripſit de revelatione ſibi facta. *To.* 10. *edit. vet. operum ſancti Auguſtini Pariſ.* 1586. *pag.* 631. D. *Statim ergo renuntiavi epiſcopo, quum eſſet in Lydda, quæ eſt Dioſpolis, ſynodum agens. Qui aſſumſit ſecum duos alios epiſcopos, Eleutherium de Sebaſte, & Eleutherium de Hiericho, & venerunt ad locum, &c.*

VI. CONSTANTINUS *ſive* CONSTANTIUS.

In concilio prædatorio Epheſino anno 449. pro Eutychiana hæreſi ſtetit *Conſtantinus* ſive *Conſtantius epiſcopus Sebaſtes,* Κωνςαντῖνος Σεβαςῆς: *To.* 4. *conc. Labb. col.* 118. D. Κωνςάντιος ἐπίσκοπος Σεβαςείας. *Ibid. col.* 312. E.

VII. MARCIANUS.

Marcianus iſte epiſcopus Sebaſtes conſtitutus eſt ab Elia I. qui Hieroſolymitanæ eccleſiæ poſt mortem Saluſtii ſuffectus anno 494. ei præfuit uſque ad finem anni 513. quo in exilium propter fidem ejectus fuit ab Anaſtaſio Imperatore. Cyrillus Scythopolitanus hæc de hujus Marciani ordinatione prodit in vita ſancti Sabæ abbat. *num.* 37. apud Cotel. *to.* 3. *mon. eccl. Græc. p.* 277. C. *Marcianus* Μαρκιανὸς *quidam preſbyter ſanctæ Reſurrectionis & ſanctæ Sionis præpoſitus frequentius ad ſanctum patrem Sabam accedebat,*

Digitized by Google

tum multa ei afferens, tum propriis manibus, A *qui fide ageretur, cum liberis ſuis Antonio & Joanne laborans, laboranteſque adjuvans in* (cœnobii ſpeluncæ).... *ædificiis; tanta erat viri fides: quem archiepiſcopus Elias amore proſequutus epiſcopum Sebaſtæ ἐπίσκοπον ἐχειροτόνησε Σεβαςῆς ordinavit, ut & Aſcalonitarum eccleſiæ Antonium; Joannem vero ſanctæ Reſurrectionis diaconum fecit.*

VIII. Pelagius.

Sententiæ adverſus Anthimum, & alios hæreticos latæ anno 536. in ſynodo Hieroſolymitana, Petro Patriarcha præſide ſubſcri- B pſit *Pelagius epiſcopus Sebaſtenſis,* Πελάγιος ἐπίσκοπος Σεβαςῆς. *To. 5. conc. Labb. col. 286.* C.

IX. Christophorus.

De eo *Chriſtophoro,* qui *Neapolis* ſimul & *Sebaſtes* in Palæſtina præſul erat anno 1672. jam ſupra diximus inter epiſcopos Neapolitanos, *col. 650.* B.

X. Nastri.

ECCLESIA SEBASTES ſive SAMARIÆ.

In nuntiis publicis gallicè exaratis anno 1731. die 7. April. narratur *pag. 164.* ex urbe Roma ſcriptum die 15. Martii, reverendiſſimum *Samariæ* archiepiſcopum Græcum, nomine *Naſtri,* qui tunc Romæ commorabatur, poſtquam diutiſſimè miſſionarium egiſſet in Oriente; uno ex curribus, quibus ſtipatus ſupremi equitum Melitenſis ordinis magiſtri legatus ſolemnem ingreſſum in urbem conficiebat, proſtratum fuiſſe, ſicque graviter vulneratum, ut die ſequenti obierit. Quum autem corpus ejus per quatuor dies expoſitum in baſilica collegii *de propaganda fide* ſudore diceretur perfundi ſuavem odorem ſpirante, Romanum Pontificem Clementem XII. eo ſuos medicos atque chirurgos miſiſſe, quorum relatione audita, corpus illud in eadem baſilica ſepultum eſt juxta tumulum Cardinalis Turnonii.

XXIII. ECCLESIA HIERICHO.

HIERICHO, Ἱεριχὼ ſive *Hierichus* Ἱεριχοῦς, urbs eſt Palæſtinæ antiquiſſima, cujus ſæpè ſcriptura utriuſque teſtamenti meminit. Hæc prima civitas fuit quam Iſraelitæ Jordanem tranſgreſſi expugnaverint, Joſ. *cap. 6. verſ. 20.* eam autem penitus deſtruxerunt *verſ. 24.* necniſi longo poſtmodum tempore, gravi ipſius inſtauratoris damno, de novo ædificata eſt ab Hiel de Bethel ſub rege Achab 3. Reg. *cap. 16. verſ. 34.* Exinde diſcipulis prophetarum hoſpitium præbuit, 4. Reg. *cap. 2. verſ. 4. 5. 15. &c.* Ipſique Chriſto Domino apud Zacchæum publicanum venienti, Luc. *19. verſ. 6.* Diſtat ab urbe Hieroſolyma 150. ſtadiis, & à Jordane fluvio 60. ut Joſephus tradit *lib. 5. de bello Jud. cap. 4.* qui & ait hanc urbem eſſe in planitie ſitam cui mons nudus ac ſterilis imminet qui à borea ad agros Scythopolitanos; à meridie uſque ad terram Sodomiticam, & Aſphaltitis lacus terminos, extenditur.... tractum vero Hierichuntinum irrigari fonte largiſſimo.... & proferre mel, opobalſamum, Cyprum & myrobalanum *μυροβάλανον*, ſic quod θεῖον χωρίον *divina regio* mercatur appellari. De Hierichunte hæc ſcribit Strabo *rerum geographicar. lib. 16. p. 763.* B. *edit. Caſauboni Pariſ. 1620. Hierichus* Ἱεριχοῦς *eſt planities montibus circumdata quæ in theatri ſpeciem ad ipſam alicubi declinat. Ibi eſt palmetum cui aliæ ſtirpes hortenſes permixtæ ſunt, locus ferax palmis abundans, centum ſtadiorum ſpatio, totus irriguus eſt & habitationibus plenus. Ibi & regia eſt, & balſami paradiſus* καὶ ὁ τοῦ βαλσάμου παράδεισος, *quæ planta aromatica eſt fruticoſa cytiſo & terebintho perſimilis: hujus corticem ſcindentes, ſuccum in vaſis ſuſcipiunt tenaci lacti perſimilem, &c.* Succinit Juſtinus *lib. 36. hiſt. cap. 3. Eſt namque vallis, quæ continuis montibus, velut muro quodam, ad inſtar caſtrorum clauditur; ſpatium loci ducenta jugera: nomine arcus* (ſive Hierichus) *dicitur. In ea* (valle) *ſylva eſt & ubertate & amœnitate inſignis, ſiquidem palmeto & opobalſamo diſtinguitur.* Ex eo haud dubie palmeto Hiericho *civitatis palmarum* nomen habet Deut. *cap. 34. verſ. 3.* & 2. Paral. *cap. 28. verſ. 15.* Ambitum ejus fuiſſe pluſquam 20. ſtadiorum narrat Epiph. *lib. 2. adverſus hæreſes to. 1. p. 702.* qui dicit etiam *tom. 2. lib. de ponderib. & menſur. pag. 174.* in Hiericho ἐν Ἱεριχῷ ſeptimo anno imperii Caracallæ (id eſt Chriſti 217.) inventam eſſe, in doliis quibuſdam, quintam editionem Græcam veteris teſtamenti, quam ſuis Hexaplis Origenes inſeruit.

EPISCOPI HIERICHO.

I. Januarius.

IN indice Patrum ſynodi Nicænæ I. anno C 325. celebratæ legitur *Januarius Hierichuntinus. To. 2. conc. Labb. col. 51.* C.

II. Macer.

Anno 381. concilio generali ſecundo interfuit & ſubſcripſit *Macer Hierichuntinus. To. 2. conc. Labb. col. 955.* C.

Digitized by Google

III. Eleutherius.

Synodo Dioſpolitanæ anno 415. celebratæ, & ſtatim poſtea reliquiarum ſancti Stephani protomartyris inventioni ac tranſlationi præſens fuit *Eleutherius epiſcopus Hierichuntis*, ut jam ſupra obſervatum eſt *col. 652.* A. ubi de Eleutherio Sebaſtenſi.

IV. Joannes.

Epiſtolæ ſynodicæ Joannis Hieroſolymitani ad Joannem Conſtantinopolitanum Patriarcham, adverſus Severum hæreticum ſedis B Antiochenæ invaſorem, ſcriptæ anno 518. ſubſcriptus inter alios legitur *Joannes epiſcopus Hierichuntinus*, Ἰωάννης ἐπίσκοπος Ἱεριχοῦντων. *To. 5. conc. Labb. col. 191.* B.

V. Gregorius. Basilius.

Gregorius iſte anno 536. ratam ſua ſubſcriptione habuit condemnationem Anthimi & aliorum hæreticorum in ſynodo Hieroſo- A lymitana peractam, præſide Petro Patriarcha, Γρηγόριος ἐπίσκοπος Ἱεριχοῦντων, *Gregorius epiſcopus Hierichuntis. Tom. 5. concil. Labb. col. 283.* D.

Baſilius, de quo infra inter epiſcopos Tiberiadis, exeunte ſæculo octavo, vel initio noni, eccleſiæ Hierichuntinæ aliquandiu curam ſuſcepit, priuſquam epiſcopus Tiberiadis conſtitueretur. Aſſerere non auſim, an hanc Hierichuntis eccleſiam adminiſtraverit, ceu qui verus eſſet ejus antiſtes, ut poſtea Tiberiadi præfuit, necnè: non enim hujus eccleſiæ nuncupatur *epiſcopus*, ſicut Tiberiadis: id tamen refert hanc in rem Leontius vitæ S. Stephani Sabaïtæ ſcriptor accuratus, *num. 55.* apud Bollandianos *tom. 3. Jul.* ad diem 13. *pag. 554.* A. *Baſilius .... prævisione hac* (epiſcopatus à præfato Stephano ſibi denuntiati) *ad apicem impleta, eaque pluribus narrata, Hierichuntinæ eccleſiæ adminiſtranda ſuſcepit negotia: atque inde ſanctum eundem ſenem* (Stephanum) *inviſit Tiberiadis dilectæ Chriſto civitatis per id tempus epiſcopus, &c.*

XXIV. ECCLESIA LIBYADIS.

Libyas ſive *Livias*, vel etiam corruptè *Regium Lutas*, olim *Batharampta*, & *Bethara*, ut colligitur ex Euſebio Cæſarienſi & ſancto Hieronymo de locis Hebraïcis: *Bethara, civitas tribus Gad juxta Jordanem, quæ à Syris dicitur Betramthaphta* (Euſebius Βηθραμφθὰ) *& ab Herode in honorem Auguſti* (ex ſecunda ejus uxore *Livia*) *Libias cognominata eſt. Urbis Betharan* fit mentio Num. *cap. 32. verſ. 36.* & Joſ. *cap. 13. verſ. 27.* Ille locus, inquit Cellar. *tom. 2. geogr. antiq. lib. 3. cap. 13. pag. 651. & ſeq.* ex ſeptemtrione, ubi vulgares tabulæ habent, in auſtrum deducendus eſt. Ptolemæo latitudinem habet quindecim ſcrupulis majorem quam Hieroſolyma, quod auſtralem ejus poſitionem confirmat. Hanc etiam Hieronymus tradit *comment. in Joel. cap. ult. verſ. 18. Pro torrente funiculorum, ſive ſpinarum, Symmachus interpretatus eſt vallem ſpinarum. Eſt autem* (hic) *locus juxta Liviadem trans mare mortuum, ſexto ab ea diſtans milliario, ubi quondam cum Madianitis fornicatus eſt Iſrael.* Poſitionem denique Libyadis in auſtro ſtabilit maris mortui, montium Abarim, Nebo, Piſga, ac urbis Eſbon vicinitas: ait ſiquidem idem Hieronymus *de locis Hebr. in Abarim: Abarim mons, in quo mortuus eſt Moſes. Dicitur autem & mons eſſe Nebo* (ſive Nabo) *in terra Moab contra Hiericho ſupra Jordanem in ſupercilio Phaſga, oſtenditurque aſcendentibus de Libyade in Eſbum.* Hanc Libyadem Joſephus appellat *Juliadem*, Ἰουλιάδα, *lib. 5. de bello* *Edit. Genev. 1611. p. 890. A.* *Jud. cap. 3.* ut & Liviam Auguſti conjugem nominat ſemper *Juliam:* nullibi tamen aſſerit hanc urbem ab Herode in honorem Auguſti fuiſſe ita nuncupatam.

EPISCOPI LIBYADIS.

I. Letoius.

Anno 431. ſynodo Epheſinæ generali interfuit & ſubſcripſit Λητόϊος ἐπίσκοπος Λιβυάδος, *Letoïus epiſcopus Libyadis. Tom. 3. conc. Labb. coll. 475.* A. *500.* C. *545.* C. & *to. 4. col. 283.* D.

II. Pancratius.

Synodo alteri Epheſinæ dictæ prædatoriæ, ſub Dioſcoro Alexandrino Patriarcha, convocatæ anno 449. adfuit, & ad ejuſdem C Dioſcori voluntatem pro Eutychiana hæreſi, & adverſus Flavianum cæteroſque epiſcopos orthodoxos ſententiam dixit Παγκράτιος ἐπίσκοπος Λιβυάδος, *Pancratius epiſcopus Libyadis. To. 4. conc. Labb. coll. 118.* E. (nomen *Pancratii Libyadis* hîc deeſt in Græco textu, tam apud Labb. quam apud Harduin. *to. 2. conc. col. 85.* C.) *268.* C. & *313.* C. Erratum tamen ſuum agnovit poſtea, & cum multis aliis epiſcopis, qui pariter lapſi fuerant in eo latrocinio, retractavit anno 451. in ſynodo Chalcedonenſi, ubi veniam obtinuit. *Tomo* eodem

Digitized by Google

eodem 4. concil. col. 82. D. *330.* A. (ubi habetur Παγκράτιυ Λιϐιάδος: & ad marg. legitur, non Λιϐυάδος, nam in eo conſtanter mendoſa ſunt exemplaria. Idem obſervat Hard. *to. 2. conc. col. 277.* A.) *494.* B. *585.* B. *& 808.* E.

III. Zacharias.

Sedebat Libyadis epiſcopus anno 536.

A *Zacharias,* qui ſententiæ in Anthimum alioſque hæreticos latæ à Petro Hieroſolymorum Patriarcha in ſynodo trium Palæſtinarum, ſubſcriptus legitur in hunc modum, Ζαχαρίας ἐπίσκοπος τῆς Λιϐισιών, *Zacharias epiſcopus Libyſianus,* id eſt, *Libyadis, to. 5. concil. Labb. col. 286.* C.

ECCLESIA LIBYADIS.

XXV. ECCLESIA SYCAMAZONIS.

De eo oppido hæc monet Hadrianus Relandus in Palæſtina illuſtrata, *tomo* quidem *1. pag. 212.* «Certi nihil liquet de ſitu hujus urbis: fuiſſe in Palæſtina prima patet ex notitia Græca Patriarchatuum.» *Tomo* autem *2. pag. 1023.* «Non invenio hujus urbis mentionem „ factam ante annum 431. quo concilio Epheſino interfuit & ſubſcripſit epiſcopus hujus urbis.» *Et pag. ſequenti:* «In notitiis veteribus eccleſiaſticis hæc inter urbes Palæſtinæ primæ memoratur. Errant qui Palæſtinæ ſecundæ attribuunt.» Oppidi cujuſdam Συκαμίνου *Sycaminon* in Judæa Joſephus meminit *lib. 13. antiq. cap. 20.* Euſeb. Cæſarienſis ad vocem Γαφέθ ſcribit vicum, cui nomen ἡ Συκάμινος, eſſe maritimum inter Cæſaream & Ptolemaïdem prope montem Carmelum, & Ἡφὰ *Epha* dici ipſius tempore: Strabo *lib. 16.* D. *pag. 758. edit. Caſauboni,* locum hunc appellat Συκαμίνων πόλιν *urbem Sycaminorum,* ſitamque tradit inter Ptolemaïdem, & Turrim Stratonis ſive Cæſaream. *Poſt Acam* Ἄκην (id eſt, Ptolemaïdem) *eſt Stratonis Turris, quæ ſtationem habet: in medio eſt Carmelus mons, & oppidula, quorum præter nomina nihil reſtat, ut Sycaminorum urbs, & Bubulcorum, & Crocodilorum, & hujuſmodi alia.* Quibus verbis innuit Strabo prædicta oppida non amplius ſuperfuiſſe ſua ætate, ſcilicet ſub imperio Tiberii. Inſtaurata poſtmodum fuit Sycaminon civitas, ſiquidem in Itinerario Antonini dicitur diſtare à Ptolemaïde 24. milliaribus paſſuum, & à Cæſarea 20. In Itinerario autem Hieroſolymitano, à Ptolemaïde 15. & à Cæſarea 16. Hæc porro vox *Sycaminon* arborem *morum* ſignificat, qua abundabat Judæa, ut & ſycomoris: nam idem Joſephus *lib. 8. ant. cap. 2.* de Salomone ſcribens ait: τῶν κεδρίνων ξύλων οὐ πρότερον ὄντων ὥσπερ καὶ τῶν δένδρων τῶν Συκαμίνων πλήθει τὰ τῆς Ἰουδαίας πεδία, hoc eſt, *cedros arbores antehac nunquam in Judæa viſas in campis ejus adeo multiplicavit, ut moros numero æquarent.* Et Theodoretus *comment. in Eſai. pag. 45.* τὰς δὲ Συκαμίνους Συκομόρους ἔφασαν οἱ λοιποὶ, καὶ λίαν εἰκότως: τούτων γὰρ ἡ Παλαιστίνη πεπλήρωται, καὶ ἐκ τῶν ξύλων τῶν τοιούτων ὀροφοῦσι τὰς οἰκίας. *Pro Sycaminis* (id eſt *moris*) *reliqui dixerunt Sycomoros, & valde probabiliter: his enim plena eſt Palæſtina, & lignis iſtiuſmodi domos tegunt.* Hæc Hadrian. Reland. *tom. 2. pag. 1024.* qui tamen non ait *Sycaminon* idem fuiſſe oppidum ac *Sycamazon:* nec aliunde quicquam occurrit ex quo id adſtruam. Certè *Sycaminon* ſedes non videtur exſtitiſſe epiſcopalis; ſaltem nullus reperitur qui illius fuerit antiſtes: at *Sycamazonis* nonnulli epiſcopi in actis conciliorum generalium ſubſcripſere.

EPISCOPI SYCAMAZONIS.

I. Aianes *ſive* Joannes.

In actis Græcis ſynodi Epheſinæ primæ B anno 431. celebratæ, *to. 3. concil. Labb. col. 448.* B. legitur Ἀϊηνοῦ Συκαμαζόνος, *Aieno epiſcopo Sycamazonis,* & *col. 540.* E. Ἀϊάνης *Ajanes, &c.* Baluzius in nova collectione conciliorum *col. 452.* hunc appellat *Joannem.* In ſerie epiſcoporum, quæ ex codice manuſcripto regio deſcripta eſt, quamque idem Baluzius inſeruit collectioni ſuæ *col. 511.* habetur Ἀϊάννις ἐπίσκοπος Συκαμιζῶνος ὑπέγραψα, *Aiannes epiſcopus Sycamizonis ſubſcripſi.* In actis ejuſdem ſynodi quæ idem Baluzius recenſet, Latinè legitur ſeſſione ſexta *col. 528. Joanne Sycamazonis,* & *ibid. col. 539. & tom. 3. concil. Labb. col. 692.* A. *Joannes epiſcopus Sycamazonis ſubſcripſi.* Item eodem modo *Joannes* ſcribitur in concilio Chalcedonenſi, ubi hæc nomina relecta ſunt, *tom. 4. conc. Labb. col. 283.* D. *Joanne Sycamazonenſi.* Sed quum nomina illa hîc nonniſi Latine tradantur, facile potuit nomen notum *Joannis,* pro ignotiori *Ajane* uſurpari. Hæc Hadr. Reland. Palæſt. illuſt. *to. 2. pag. 1023.*

II. Dionysius.

Anno 449. latrocinio Epheſino interfuit, & Dioſcoro Alexandrino Patriarchæ adhæſit pro hæreſi Eutychiana *Dionyſius epiſcopus Sycamazonis,* Διονυσίου ἐπισκόπου Συκαμαζόνος. *Tom. 4. concil. Labb. col. 118.* D. In

ECCLESIA SYCAMAZONIS.

col. quidem 267. E. habetur Διονύσιος ἐπίσκοπος Συσαμαζόνος, ſed legendum Συκαμαζόνος, ut ſupra, & ut *col.* 312. D.

III. Alphius.

Alphius Sycamazonis epiſcopus ſubſcripſit anno 518. epiſtolæ ſynodicæ Joannis Patriarchæ Hieroſolymitani ad Joannem Conſtantinopolitanum antiſtitem, adverſus Severum hæreticum. Ἀλφειὸς Συκαμαζόνος. *To.* 5. *conc. Labb. col.* 192. C.

IV. Basilius.

Anno 536. ſententiæ adverſus Anthimum alioſque hæreticos latæ, in ſynodo Hieroſolymitana, ſub Petro Patriarcha ſanctæ civitatis, ſubſcripſit Βασίλειος Συκαμαζόνος, *Baſilius epiſcopus Sycamazonis. Ibid. col.* 286. C.

XXVI.

ECCLESIA AZOTI.

AZOTUS urbs fuit antiquiſſima & celeberrima. In Hebræis codicibus *Aſchdod* ſive *Aſdod* nuncupatur, quod nomen per *Azotum* Ἄζωτος à Græcis interpretibus ubique redditur, quos etiam Hieronymus imitatus eſt, & vetus interpres Latinus. Tribui Judæ fuit aſſignata Joſ. *cap.* 15. *verſ.* 47. ſed diu fuit una ex quinque Philiſtæorum ſatrapiis. Stephanus Byzantinus de urbibus & populis ſic urbem illam deſcribit: *Azotus urbs Palæſtinæ. Hanc ædificavit unus è profugis qui rediere à mari rubro, & de nomine uxoris ſuæ Azam nuncupavit, id eſt Capram, quam Azotum interpretati ſunt.* Herodotus *lib.* 2. *cap.* 157. ſingulare quidpiam de ea narrat: *Pſammitichus,* inquit, *in Ægypto regnavit annos* 54. *è quibus per annos novem & viginti magnam Syriæ urbem obſedit, quam tandem expugnavit. Hæc eſt Azotus, quæ diutiſſimè inter urbes omnes quas novimus obſidionem ſuſtinuit.* Eam dicit *Syriæ* urbem, quia, ut norunt eruditi, olim ſub *Syria* comprehendebatur Palæſtina, Judæa, Phœnicia, & Idumæa: *Syriæ partes,* inquit Strabo *geogr. lib.* 16. *pag.* 749. B. *edit. Caſauboni, ab Cilicia & Amano incipiendo ponimus Commagenam, & eam quæ Seleucis Syriæ appellatur: poſtea Cæleſyriam, ſive cavam Syriam in mediterraneis, ultimam Judæam in ora Phœnices. Nonnulli totam Syriam in Cæleſyros & Phœnices partiuntur, hiſque dicunt quatuor nationes eſſe permixtas, Judæos, Idumæos, Gazæos, & Azotios, qui agriculturæ quidem, ut Syri & Cæleſyri: mercaturæ* (vero) *ut Phœnices, operam navant.* Hieronymus *comment. in Joel. cap.* 2. *verſſ.* 18. 19. & 20. ait Azotum ſitam eſſe in littore maris: *mare autem noviſſimum, hoc quod ad Occidentem eſt, & quod ducit in Ægyptum; in cujus littore Gaza, & Aſcalon, Azotuſque, & Joppe, & Cæſarea, & cæteræ urbes maritimæ ſitæ ſunt.* Verum ut Gaza paulo remotior erat à ſuo portu, qui dicebatur Majuma Gazæ; ſic & de Azoto ſentiendum videtur Hadriano Relando *Palæſt. illuſt. to.* 2. *pag.* 606. Nam duplex erat Azotus, ex notit. Græc. patriarchat. apud eumdem Hadrian. Reland. *tom.* 1. *pp.* 215. & 216. una, quæ παράλιος ſive πάραλος (id eſt, *maritima*) altera, quæ Ἱππινὸς, (in tranſlat. Lat. *Azotus Hippinus*) cognominabatur. Sita autem erat Azotus hæc mediterranea inter Jamniam & Aſcalonem, ſic ut Jamnia fuerit Azoto ſeptemtrionalior. Nunc vicus eſt nuncupatus Arabicè *Eſdud* & vulgo *Azdot,* inter *Lod* & *Jebna,* id eſt Dioſpolim & Jamniam, propior tamen Dioſpoli quam Jamniæ. Hæc ſibi narrata teſtatur præfatus Hadrianus Relandus *to.* 2. *pag.* 608. ab Henrico Lub, qui in Palæſtina annos ſeptemdecim commoratus eſt. Inter Azotum & Jamniam, ſubdit idem Relandus *ibid.* decem milliaria collocantur in tabula veteri Peutingeriana: verum huic opponimus Diodorum Siculum, Itinerarium Antonini & Hieroſolymitanum, ex quibus liquet 34. milliaria fuiſſe inter Gazam & Azotum, & 36. à Gaza (uſque ad) Jamniam, ſic ut decem milliaria poni non poſſint inter Jamniam & Azotum, niſi Azotus nimium removeatur à mari ortum verſus, & extra viam quæ Jamnia duceret Gazam. Sic etiam nimis longè abeſſet à portu, vel Azoto maritima.

EPISCOPI AZOTI.

I. Silvanus.

IN indice epiſcoporum qui ſynodo Nicænæ primæ interfuerunt anno 325. exſtat inter præſules de Palæſtina, *Silvanus Azotius. To.* 2. *conc. Labb. col.* 51. C. Idem quoque videtur fuiſſe epiſcopus ille hujus nominis qui cum aliis 14. de Palæſtina, in concilio Sardicenſi anno 347. Athanaſii, cæterorumque præſulum ab Arianis ſuis ſedibus dejectorum, innocentiam approbavit, *to.* 2. *conc. Labb. col.* 679. D. Et rurſus eodem anno aut ſequenti, cum iiſdem epiſcopis Palæſtinis, quibus adjunctus eſt Macrinus, epiſtolæ ſynodicæ ad Alexandrinos, pro reſtitutione ejuſdem Athanaſii, à Maximo Hieroſolymitano directæ ſubſcripſit, *ibid. col.* 727. A. in Græco textu. Nominantur quidem in utroque loco illi epiſcopi *Palæſtini,* ſed ſedes illorum in neutro exprimuntur. Si tamen

Digitized by Google

Silvanus iſte alius fuit à Silvano Azotio, hujus A hîc meminimus, quæcunque fuerit illius in Palæſtina ſedes. Quindecim cæterorum nomina ſunt: *Maximus* Hieroſolymitanus, *Aëtius, Arius, Theodoſius* ſive *Theodorus* (Θεοδόσιος enim in Sardicenſi concilio legitur, Θεόδωρος vero in Hieroſolymitano,) *Germanus, Paulus, Claudius, Patricius, Elpidius, Germanus* alter, *Euſebius, Zenobius, Paulus* alter, *Petrus, &* *Macrinus*.

II. Charisius.

Anno 359. formulæ Semiarianæ ſynodi Seleucienſis ſubſcripſit Χαρίσιος ἐπίσκοπος Ἀζώτου, *Chariſius epiſcopus Azoti;* apud Epiphanium *lib. 3. adverſ. hæreſ. hær. 73. n. 26. pag. 874.* D.

III. Heraclius.

In Epheſino latrocinio anno 449. ſedit & iniquis Dioſcori Alexandrini Patriarchæ auſibus ſuffragatus eſt Ἡράκλειος ἐπίσκοπος Ἀζώτου *Heraclius epiſcopus Azoti*, ut conſtat ex hujus C ſynodi actis in ſynodo Chalcedonenſi relectis anno 451. *to. 4. conc. Labb. coll. 118.* D. *&* *312.* B. Sed in ea ipſa ſynodo Chalcedonenſi erratum confeſſus eſt, & veniam obtinuit: *ibid. coll. 82.* E. *329.* A. *494.* A. *585.* C. *& 808.* A. Animadvertit Hadrian. Reland. *Palæſt. illuſtr. to. 2. pag. 550.* ubi de Agathopoli, in actis concilii Chalcedonenſis, act. XV. inter nomina epiſcoporum Palæſtinæ primæ, uti illa à Sirmondo ex codice manuſcripto antiquiſſimo Maffæi traduntur, extare hæc duo vocabula, *Prælius Agathopolitanus*. Sed non dubito, inquit, corruptum eſſe utrumque, & legendum *Heraclius Azatopolitanus*. Et ut perſpici poſſit quam certa ſit conjectura, videamus primum indicem epiſcoporum ex codice Maffæano. Ibi ſic legitur: *Provinciæ Palæſtinæ primæ epiſcopi IX. Juvenalis Hieroſolymitanus. Glucon Cæſarienſis per Sozimum epiſcopum Edinenſem*, lege *Minoïdenſem*. Nam in actis hujus concilii *to. 4. concil. Labb. pag. (col.) 80. & ſeqq.* legitur in verſione Latina B *Glycone Cæſarienſi per Zoſimum epiſcopum Minoïdenſem. Leontius Aſcalonitanus. Photinus Dioſpolitanus. Paulus Anthedonenſis. Prælius Agathopolitanus. Pancratius Enodenſis*, in aliis *Abiadenſis:* propius ad veram lectionem, nam legendum eſt *Libyadenſis. Polychronius Antipatridenſis. Stephanus Jamnienſis.* Conferamus hæc cum ſerie epiſcoporum quæ legitur in nova collectione conciliorum Baluzii *pag. 1239.* ubi hoc ordine recenſentur: *Leontius epiſcopus Aſcalonis. Photinus epiſcopus Lyddæ. Paulus Anthedonis. Heraclius Azoti.* (Non *Prælius Agathopolitanus.*) Conſtans itaque videtur hîc mendum irrepſiſſe, & legendum *Heraclius Azotopolitanus*.

IV. Lazarus.

Synodo trium Palæſtinarum Hieroſolymis celebratæ anno 536. ſub Petro Patriarcha, adverſus Anthimum & alios hæreticos, adfuit & ſubſcripſit *Lazarus epiſcopus Azoti*, Λάζαρος ἐπίσκοπος Ἀζώτου. *To. 5. conc. Labb. col. 283.* D.

XXVII.

ECCLESIA GERARORUM.

GERARA vetus civitas Palæſtinorum, quæ temporibus Abraham & Iſaac metropolis fuit, ac ſedes regia Abimelech, Gen. *cap. 20. verſ. 1. & 2.* Hieronym. poſt Euſeb. *de locis Hebr.* de ea urbe hæc tradit: *Gerara, ex cujus nomine nunc Geraritica vocatur regio trans Daromam, procul ab Eleutheropoli viginti millibus, & quinque ad meridiem. Erat autem olim terminus Chananæorum ad auſtralem plagam, & civitas metropolis Palæſtinæ* (id eſt Philiſthææ:) *Scriptura commemorat fuiſſe eam inter Cades & Sur, hoc eſt, inter duas ſolitudines, quarum una Ægypto jungitur, ad quam populus trans fretum rubri maris pervenit: altera vero Cades uſque ad Saracenorum eremum extenditur.* Poſterioribus ſæculis ſub poteſtatem regis Æthiopum venerat, ſiquidem 2. Paral. *cap. 14. verſ. 14.* refertur, ab Aza rege Juda, qui Zaram regem Æthiopum fuſo ejus grandi exercitu devicit, omnia circa Geraram vaſtata fuiſſe. Idem Hieron. *comment. in* Gen. *cap. 22. verſ. 3.* ait: *Notandum quod de Geraris uſque ad montem Moria, id eſt, ſedem templi, iter dierum trium ſit.* Et Theodoret. *in lib. 2.* Paral. *cap. 14. verſ. 13. Eſſe hæc Gerara* (in neutro plurali) *Palæſtinæ ſi dixerim, nemo, opinor, contradicet: circa enim urbem nuncupatam Eleutheropolim eſt Salton* Σάλτον (frequens eſt ea vox in notitiis eccleſiaſticis) *Gerarenorum in hunc uſque diem appellatum.* Eſt autem in Palæſtina prima tractus (ſive Saltus) Gerariticus, inquit Hadrian. Reland. *Palæſt. illuſtr. to. 2. pag. 804.* In Talmude pro *Gerar*, legitur aliquando *Gericu*. Id videtur natum illo tempore quo Salton Gerariticon Σάλτον Γεραριτικὸν dixere (illud oppidum.) In Bereſchit Rabba, ſectione 65. *Geradike* legitur pro *Gerar*. Adde Reſch, quod in Talmude geminatum exſtat, & veram ſcriptionem Γεραριτικὸν habebis. Hæc præfatus Hadr. Reland. *ibid.* qui etiam *to. 1. p. 215.* in nota XI. ſuper hæc verba notitiæ Græcæ, Σάλτων Γεραριτικὸς ἤτοι Βαρσάμων, *Salton Geraiticus*

Digitized by Google

ECCLESIA GERARORUM.

ſive *Barſamorum*, ſcribit: lege Γεραριτικὸς ἤτοι Βαρσάβων, *Tractus Geraritic**us* ſive *Berſchabæ*. De qua re non ſinunt nos dubitare hæc verba Theodoreti *quæſt. 1. in lib. 2. Parap.* περὶ γὰρ τὴν καλουμένην Ἐλευθερόπολιν Γεραρηνῶν Σάλτον μέχρι τοῦ παρόντος ὠνόμασται. *Circa Eleutheropolin eſt Salton Gerarenorum uſque in hunc diem appellatum.*

EPISCOPI GERARORUM.

Marcianus.

Actionibus prima & ſexta ſynodi Chalcedonenſis anno 451. celebratæ, inter Jamniæ & Azoti epiſcopos *Marcianus Gerarorum*, Μαρκιανὸς Γεράρων recitatur. *Tom. 4. concil. Labb. coll. 82.* E. *329.* A. *&* *585.* C. In hoc ultimo loco quidam codices Latini habent *Gerrhæ*, ſed in textu Græco legitur Γεράρων A *Gerarorum*. Actione XV. ejuſdem ſynodi, *col. 688.* E. exſtant inter epiſcoporum Palæſtinæ tertiæ nomina *Niz Tiras, Marcianus Gazes:* ſed non dubito legendum, inquit ſupra relatus Hadrianus Relandus *pag. 796.* *Netiras Gazæ, Marcianus Geraron* Μαρκιανὸς Γεράρων. Vide ſupra, ubi de Netira Gazæ, *col. 616.* A.

XXVIII.

ECCLESIA PETRÆ.

Duplicem fuiſſe urbem hujus nominis exiſtimant nonnulli, unam in Palæſtina, in Arabia alteram. His aſſentitur Cellarius *geogr. ant. to. 2. lib. 3. cap. 14. pp. 679. & 683.* Loco tamen ultimum citato, huic ſententiæ non parum ineſſe difficultatis agnoſcit, & S. Hieronymum ait utramque illam civitatem confundere. « An vero inquit *pag. 683.* etiam » nobilis illa *Petra* metropolis Arabiæ, Edomitarum fuerit, & in ſacris æquè ſcripturis me- » morata, in quæſtionem ſolutu non facillimam adducitur. Utramque quæſtionis partem » Hieronymus affirmat. *Petra*, inquit, *civitas Arabiæ in terra Edom, quæ cognominata eſt* Jectaël, *& à Syris* Recem *dicitur.*» (Scilicet qui duplicem *Petram* diſtingunt, illi eam quam in Palæſtina collocant, volunt fuiſſe quæ cognominata eſt *Jectaël*, & differre à Petra in Arabia ſita, quæ *Recem* ſive *Rekem* dicebatur.) Pergit Cellarius: « Confundit Hieronymus » *Petram Amalechitarum* ad fines Judææ poſitam, cum hac metropoli Arabiæ longè ab illa » in auſtrum reducta. Ea enim *Sela*, ſive, ut Græci vocant, *Petra*, quam rex Amaſias (*lib. 4.* » *Reg. cap. 14. verſ. 7.*) devictis Idumæis in valle *Salinarum* expugnavit, eique nomen indidit » *Jectaël* (Jectehel,) non procul à valle illa, ſede victoriæ, fuit: vallis autem *Salinarum* ſive *Salis* » (erat) propè mare *Salis* ſive *Salſiſſimum*, (quod in) ſacris litteris *mare mortuum* ſeu *Aſphaltites* » appellatur. Nec vero inficiamur illam *Petram* (Jectaël) tum temporis etiam *Edomitarum* fuiſſe, qui deletis Amalechitis in Judæam uſque fines (ſuos) protulerunt.» Superius dixerat idem Cellarius *pag. 679.* «*Petra* autem illa Amalechitarum videtur Jud. *cap. 1. verſ. 36.* » notari, *(fuit autem terminus Amorrhæi ab aſcenſu Scorpionis, Petra, & ſuperiora loca,)* quia » fuit *ad adſcenſum Scorpionis* .... (&) etiam (fuiſſe quæ memoratur) 4. Reg. *cap. 14. verſ. 7.* » ubi *Jectaël* (Jectehel) cognominatur. Diverſa ergo eſt à celebriore illa urbe *Petra*, quæ *Petrææ Arabiæ* nomen dedit, à *Scorpionis adſcenſione* longius remota.» Hæc, inquam, Cellarius.

Verum, ut obſervat Cornelius à Lapide, *in cap. 1. Judic. verſ. 36. p. 104. col. 2.* ea verba explicans *ab aſcenſu Scorpionis*, ſeptuaginta, & alii, *Acrabbim*, (ſcribunt) id eſt, *locum Scorpionum*. Eſt enim, inquit, nomen loci ita dicti, quod *Acrabbim*, id eſt, *Scorpionibus* abundaret, juxta Lyran. Abulenſ. Dionyſium Ariam, & alios. Ab hoc *Acrabbim*, id eſt, *loco Scorpionum*, dicta eſt *Acrabatena* urbs, & *Acrabatenæ* regio, quæ fuit una ex undecim Judææ Toparchiis, eratque terminus Samariæ, & confinium Amorrhæorum. Vide de ea S. Hieronymum *in locis Hebr.* Joſeph. *lib. 2. de bello Jud. cap. XI.* Adricom. & alios Chyrographos Terræ Sanctæ. In ſynopſi quoque Criticor. *tom. 1. col. 744.* in Numeror. *cap. 34. verſ. 4.* legitur: *Per aſcenſum Scorpionis:* (Hic) variant (interpretes) 1.° Similitudo eſt: q. d. flectentur termini veſtri ſicut flectuntur in gyrum Scorpiones. 2.° Aliis eſt nomen loci: ita Lyran. Eſtius, Menochius, Tirinus, Paulus Fagius, Vatablus, Toſtatus qui & Abulenſis, David Kimhi, Arias Montanus, Mercerus, & alii: & patet ex *lib. Judic. cap. 1. verſ. 36.* ſic dictus (autem) erat (locus ille *Acrabin*,) vel à Scorpionum multitudine, ut indicatur Deut. *cap. 8. verſ. 15.* nam *Acrab* Hebraïcè *Scorpionem* ſignificat; vel à collium & cacuminum curvitate; vel à ſpinis qui acritate Scorpionum aculeos referunt. Et *col. 1069. in Judic. cap. 1. verſ. 36.* *Aſcenſus Scorpionis* locus erat in auſtrali parte Chananææ, ut patet ex Numer. *cap. 34. verſ. 4.* & Joſue *cap. 15. verſ. 3.* In Hebr. habetur Judic. *cap. 1. verſ. 36.*

Digitized by Google

ECCLESIA PETRÆ.

Et terminus Emoræi ab aſcenſu Scorpionum (Acrabin) *à Petra, & ſupra.* Septuaginta verterunt Græcè καὶ τὸ ὅριον τοῦ Ἀμαῤῥαίου ἀπὸ ἀναβάσεως Ἀκραβὶν ἀπὸ τῆς Πέτρας καὶ ἐπάνω, id eſt, *& terminus Amorrhæi ab aſcenſu Acrabin* (hoc vocabulum ut nomen proprium ſumſerunt) *à Petra & ſupra.* Paraph. Chald. *Et terminus Æmorrhæi in aſcenſu Ghakrabim à Petra & ſupra.* Verſio Syr. *ab acclivi Acron, à rupe & ſupra.* Verſio demum Arab. *ab acclivi Acron, ab radice rupis ſurſum tendendo.* Aſcenſus itaque Scorpionis locus quidam fuit, juxta quem erat *Petra,* non *urbs,* ſed *rupes.* Petra illa, fatente Cellario, ea ipſa fuit, quam poſtea cœpit Amaſias, & appellavit *Jectaël* ſive *Jectehel*, 4. Reg. *cap. 14. verſ. 7. Ipſe* (Amaſias) *percuſſit Edom in valle Salinarum, decem millia, & apprehendit Petram* (in Hebræo *Selah*) *in prælio, vocavitque nomen ejus Jectehel uſque in præſentem diem:* porro *Petram* hanc *rupem* duntaxat fuiſſe, aut, ad ſummum, *arcem* in rupe ſitam, non vero *urbem* aliquam in Palæſtina, liquet ex *lib.* 2. Paral. *cap. 25. verſſ. 11. & 12.* ubi narratur eadem Amaſiæ expeditio: *Amaſias confidenter eduxit populum ſuum, & abiit in vallem Salinarum, percuſſitque filios Seir decem millia: & alia decem millia virorum ceperunt filii Juda, & adduxerunt ad præruptum cujuſdam Petræ, præcipitaveruntque eos de ſummo in præceps, qui univerſi crepuerunt.* In Hebræo exſtat: *Et Amaſiahu roboratus eſt, & eduxit populum ſuum, & abiit* (in) *vallem Salis, & percuſſit filios Sehir decem millia, & decem millia vivos captivos duxerunt filii Jehudah, & adduxerunt eos ad caput Petræ, & projecerunt eos à capite Petræ, & omnes hi rupti ſunt.* Septuaginta autem verterunt.... *Et ducebant ſuper ſummitatem præcipitii, & præcipitabant eos à ſummitate præcipitii, & omnes diſrupti ſunt.* Verſio Syriaca fert.... *Et adduxerunt eos ad caput lapidum.* Verſio demum Arabica: *Cœpitque decem millia captivorum quos omnes catenis vinctos adduxerunt Judæi ad caput lapidis.* En genuinam hujus *Petræ* notionem. Profecto intellectu arduum eſt, ſi hæc fuit civitas aliqua, nullam de illa reperiri mentionem in urbium enumeratione quas vel Moyſes vel Joſue Tribubus Iſrael diſtribuerunt. Jam laudatus Cornelius à Lapide *in lib. 4.* Reg. *cap. 14. verſ. 7. pag. 449.* ait de præfato Amaſiæ facto: *Cœpit rupem hoſtium celſam & munitam, ex qua præcipitavit alia decem millia Idumæorum, ut dicitur* 2. Paral. *cap. 25. verſ. XI. & ſequenti.* Subdit tamen à nonnullis exiſtimari hanc *Petram,* fuiſſe urbem hujus nominis in Arabia. Verum, ut recte arguit Cellarius, vallis Salinarum, in qua vel propè quam erat *Petra* quæ cognominata eſt *Jectaël,* longe aberat ab Arabia. Ex his autem ſequi videtur, adverſus ſententiam ejuſdem Cellarii de duplici urbe Petra, quarum una fuerit in Palæſtina, altera in Arabia; nec *Scorpionem* qui memoratur Jud. *c. 1. v. 36.* & alibi, fuiſſe conſtellationem hujus nominis, nec *Petram* loco Jud. cit. & 4. Reg. *cap. 14. verſ. 7.* necnon 2. Paral. *cap. 25. verſ. 12.* enuntiatam, aliud fuiſſe quam rupem, collem, aut montem aliquem excelſum & præruptum, vicinum loci illius qui appellabatur *Acrabim,* ſive *Scorpionum.*

Huic Cellarii, quem tamen non nominat, opinioni adverſatur Hadr. Reland. Poſtquam enim retulit *to. 1. Palæſt. illuſtr. pag. 210.* ſententiam Caroli à Sancto Paulo abbat. Fulienſ. de duplici urbe Petra, ſubdit: « Ego autem non video duas Petras ſtatuendas eſſe; ſed illam Petram in finibus Moab (ſitam) commentum eſſe puto. » Et *tom. 2. pag. 926. & ſeqq.*
» (Petra Arabiæ) « appellatur etiam urbs *Palæſtinæ* in notitiis veteribus eccleſiaſticis. Ita
» (quoque) Stephanus Byzantinus Πέτρα, πόλις νῦν τῆς τρίτης Παλαιστίνης, *Petra, urbs nunc*
» *Palæſtinæ tertiæ.* Suidas: Πέτρα, πόλις τῆς Παλαιστίνης, *Petra, urbs Palæſtinæ.* Euſebius in
» Onomaſt. ad voces Κάδδης βαρνὴ, *in Petra urbe Palæſtinæ,* Πέτρα πόλει τῆς Παλαιστίνης, quod
» (Παλαιστίνης) mutandum eſſe in Ἀραβίας exiſtimat in notis ſuis ad hunc locum Joannes
» Clericus, *quia,* inquit, *conſtat Petram fuiſſe, non Palæſtinæ, ſed Arabiæ urbem.... Itaque hoc*
» *fuerit mendum oſcitantis librarii; notior enim fuit hæc urbs quam ut ſitus ejus Euſebio ignotus*
» *eſſet.* Idem de Hieronymo circa urbem *Ailam* in Arabia juxta *Petram,* habet Bonfrerius in
» Onomaſt. *pag. 18. Illud mirum,* inquit, *quomodo Ailam Hieronymus ponat* in extremis finibus
» Palæſtinæ: *Satis enim conſtat eam ad Palæſtinam nihil pertinuiſſe, & ab ea ſatis procul abſuiſſe*
» *deſerto interjecto: crediderim ab Hieronymo ſcriptum,* in extremis finibus Idumææ. Ego autem,
» proſequitur Relandus *pag. 927.* in Euſebio aut Hieronymo nihil eſſe mutandum cenſeo, &
» recte eos ſcripſiſſe *Petram* & *Ailam* fuiſſe urbes *Palæſtinæ.* Palæſtina (ſcilicet) ætate Euſebii
» & Hieronymi uſque ad Sinum Arabicum fuit porrecta. (Certe) in ipſo concilio Nicæno I.
» (anno 325.) cui interfuit Euſebius, *Aila* inter urbes *Palæſtinæ* recenſetur: (&) *Petra,*
» urbs *Palæſtinæ* nuncupatur ab Euſebio in eodem libro (jam laudato) ad vocem Ἀρκὲμ:
» Πέτρα πόλις ἐπίσημος τῆς Παλαιστίνης, *Petra, urbs clara Palæſtinæ:* & ad vocem Πέτρα, eamdem
» *Arabiæ* dicit; ut & Suidas ad vocem Θεὺς ἄρης, ἐν Πέτρᾳ τῆς Ἀραβίας *apud Petram Arabiæ*
cultum ait fuiſſe Martis ſimulacrum. »

Quibuſdam deinde interpoſitis, ſubjungit idem Relandus, « *Petram Palæſtinæ* eſſe
» diſtinctam à *Petra Arabiæ* metropoli, (quæ) poſtea tertiæ etiam Palæſtinæ metropolis evaſit,

ECCLESIA PETRÆ.

» perſuaſum eſt nonnullis, propter verba Athanaſii in epiſt. ad Solitarios *to. 1. pag. 635.* E. » *(vet. edit. Græco-Lat. anni 1600.)* ubi ait: καὶ Ἄρειον μὲν, καὶ Ἀστέριον τὸν μὲν ἀπὸ Πέτρων τῆς » Παλαιστίνης, τὸν δὲ ἀπὸ τῆς Ἀραβίας, ἐπισκόπους, τοὺς ἀποπηδήσαντας ἀπ' αὐτῶν: *Et Arium quidem* » *& Aſterium, illum Petrarum Palæſtinæ, hunc ex Arabia, epiſcopos, qui ab ipſis deſciverant.*» Notandum in verſione Latina, quæ exſtat ibidem, legi: *alterum in Petra Palæſtines, alterum in Petra Arabiæ epiſcopum:* licet in textu Græco vox *Petra* ſemel legatur: ex ea autem repetitione male poſita adducti fuere multi ut adſtruerent *Petram Palæſtinæ* diſtinctam à *Petra Arabiæ* expreſſe reperiri apud Athanaſium. Id profitetur Thomas de Pinedo Luſitanus, in notis ad Stephanum Byzantinum, ubi de urbe *Petra pag. 546. not. 52. Duas,* inquit, *fuiſſe hujus nominis urbes, Petram Arabiæ, & Petram Palæſtinæ, eluceſcit ex Athanaſio in epiſt. ad ſolitar. vitam agentes: alterius enim epiſcopum Arium, alterius Aſterium nominat: at Petræ Palæſtinæ, apud neminem alium, quod ſciam, ſit mentio.* Eamdem Athanaſii auctoritatem urget Carolus à Sancto Paulo, *geogr. ſac. pp. 316. & 317. edit. Pariſ. 1641.*

Sed ſic rem explicat præfatus Relandus *pag. 928.* «Fateor (quidem) in hoc loco non » memorari duas *Petras,* (ut inde jure inferatur *Aſterium* fuiſſe epiſcopum *Petræ in Arabia,*) » ſed (iſtud) aliunde liquet: nam idem Athanaſius in epiſt. ad Antiochenſes ſcribit *pag. 452.* A. » *Aſterius Petræ Arabæorum* Ἀστέριος Πέτρων τῆς Ἀραβίας: Apologia autem ſecunda *pag. 595.* A. » ubi *Arium* appellat *Macarium* (quod procul dubio duplici hoc nomine nuncuparetur) ait: » Μακαρίου ἀπὸ Παλαιστίνης, καὶ Ἀστερίου ἀπὸ Ἀραβίας, *Macarii ex Palæſtina, & Aſterii ex Arabia:* » (hic nempe de illorum ſedibus ſilet.) .... Certe mirum eſſet, ſi in *Palæſtina* urbs *Petra* fuiſſet » (Athanaſii ævo) epiſcopatu inſignis & diſtincta à *Petra Arabiæ,* nullam plane ejus mentionem » in tot ſubſcriptionibus conciliorum fieri, aut in notitiis veteribus eccleſiaſticis ſcriptiſve » Euſebii, Hieronymi, ac aliorum qui Athanaſii temporibus proximi fuere. Adeoque unicum » hunc locum Athanaſii non arbitror ſufficere, ut ſtatuamus *Petram* aliquam ab illa notiſſima » urbe Arabiæ, vel metropoli Palæſtinæ tertiæ quæ eadem eſt, diſtinctam. Crediderim, (verba » ſemper ſunt Relandi) illud Πέτρων (in epiſtola ad Solitarios) loco ſuo motum (id eſt, poſitum » eſſe à librario ante τῆς Παλαιστίνης, quum eſſe debuerit ante τῆς Ἀραβίας) & legendum τὸν μὲν » ἀπὸ τῆς Παλαιστίνης, τὸν δὲ ἀπὸ Πέτρων τῆς Ἀραβίας, *illum quidem ex Palæſtina; hunc vero Petrarum* » *in Arabia:* vel, omiſſa utrobique urbis *Petrarum* mentione, uti in apolog. 2. τὸν μὲν ἀπὸ τῆς » Παλαιστίνης, τὸν δὲ τῆς Ἀραβίας; *illum quidem ex Palæſtina, hunc vero ex Arabia.* Quorſum » enim unum ab urbe denominaſſet, & alterum non! maximè quum in epiſtola ad Antio- » chenſes ſcribat Aſterium epiſcopum eſſe *Petrarum in Arabia* Πέτρων τῆς Ἀραβίας. (Itaque, ſi » Arium præmiſiſſet Athanaſius in epiſtola ad Solitarios epiſcopum eſſe Petrarum in Palæſtina, » addidiſſet de Aſterio, eum eſſe epiſcopum *alterius urbis Petrarum ſitæ in Arabia,* nedum » nomen hujus urbis in ſuo textu Græco reticeret.) Sed, opinor aliquem ad marginem (textus » Græci Athanaſii) appoſuiſſe Πέτρων (quod utrobique aberat) quum legiſſet apud (eumdem) » Athanaſium (in epiſt. ad Antioch.) Aſterium fuiſſe epiſcopum Πέτρων, ut jungeretur cum » τῆς Ἀραβίας, (ſive ut intelligeretur cujuſnam urbis, juxta eumdem Athanaſium, Aſterius hic » epiſcopus fuiſſet) & (quemdam) alium id junxiſſe (perperam) cum τῆς Παλαιστίνης: quod eo » facilius fieri potuit quod *Petra* (Arabiæ) ſequentibus ſæculis *Palæſtinæ tertiæ* metropolis » fuerit. Adde apud Hilarium *in fragmento operis hiſtoriæ col. 1288.* D. *edit. Pariſ. 1693.* appellari » eoſdem *Arium ex Palæſtina & Stephanum de Arabia.* Pro (voce) *Stephanum* legi debere » *Aſterium* certum eſt. Sic (rurſus) *ibid. pag. 1293.* C. *Arius à Palæſtina, Aſturus* (Aſterius) *ab Arabia. Petræ* nulla illic mentio, nedum duarum.» Hucuſque Hadrianus Relandus, ex cujus erudita diſſertatione colligitur valde incertum eſſe, num *Arius* ſive *Macarius,* cujus meminit Athanaſius, epiſcopus fuerit alicujus *Petræ in Palæſtina,* profecto non fuit *Petræ in Arabia.* Quia tamen, ex eodem Athanaſio, epiſcopus fuit alicujus loci in Palæſtina, qui nos latet, ideo hic de illo mentionem faciendam ducimus.

ARIUS *ſive* MACARIUS,

dictus epiſcopus Petræ in Palæſtina.

ARIUM hunc Patres Sardicenſes, in epiſtola ſua ſynodica ad totius orbis epiſcopos, Sardicæ ſcripta anno 347. quam refert Theodoretus *hiſtor. eccl. lib. 2. cap. 8. Macarium* appellant, ut & Athanaſius in apolog. 2. ad Conſtantium Imperat. *Et quum Serdicam venirent* (epiſcopi Euſebiani) *ſynodos certis* A *in locis & pacta inter ſe fecerunt* (verba ſunt hujus epiſtolæ *p. 79.* A. *edit. Valeſ.*) *adjectis comminationibus, ut quum Serdicam veniſſent, nec omnino ad judicium accederent, nec ſimul & in eumdem locum cum ſacroſancta ſynodo convenirent: ſed ut poſtquam urbem ingreſſi eſſent, ac dicis cauſa* (id eſt, ut apud ſanctum Athanaſium legitur loco infra citando *p. 595. lin. 4. pro perfunctoria ſpecie purgationis,* ſive *purgationis ſuæ gratia,* ut habetur operum

Digitized by Google

Theodoreti *edit. Græco-Lat. Pariſ. 1642.* A *tom. 3. pag. 593.* D.) *præſentiam ſuam tantummodo oſtendiſſent, ſtatim ſe fuga proriperent. Hæc enim ad notitiam noſtram perlata ſunt per collegas noſtros,* Μακαρίου ἀπὸ Παλαιστίνης, καὶ Ἀστερίου ἀπὸ Ἀραβίας, *Macarium Palæſtinæ, & Aſterium Arabiæ epiſcopos,* (omittuntur urbium nomina) *qui cum ipſis quidem advenerunt, ſed ab ipſorum perfidia receſſerunt. Hi quum ad ſanctam ſynodum veniſſent, & vim quam paſſi fuerant conqueſti ſunt: & nihil rectè atque ordine apud illos geri affirmarunt; illud* B *quoque adjicientes, multos illic eſſe qui rectam fidem retineant, ſed prohiberi ab illis ne huc veniant, partim pollicitationibus, partim minis adverſus eos qui ab ipſorum partibus vellent recedere. Hujus rei cauſa omnes in una domo ſimul manere ſtuduerunt, ne modico quidem tempore cuiquam permittentes privatim degere, &c.* Eamdem ſynodi Sardicenſis epiſtolam & adducta nunc ex ea verba, legere etiam eſt apud Athanaſium *tom. 1. vet. edit. Græco-* C *Lat. 1600. pp. 594.* E. *& 595.* A. qui & addit in epiſt. ad ſolitariam vitam agentes, *ibid. pag. 634.* A. B. *Cæterum, ubi jam reipſa experiebantur eccleſiaſticum morem* (in ſynodo Sardicenſi) *tantummodo obſervari, & ex ſingulis eccleſiis civitatibuſque accuſatores ibi præſto eſſe, & documenta, rerumque probationes adverſus ſe in promptu eſſe, conſpicatique ibidem Arium & Aſterium venerabiles epiſcopos, una quidem ſecum ex Oriente profectos, ſed diverſo itinere ingreſſos, nobiſque in veniendo comites factos, eoſdemque memorantes vafriciem ipſorum.... inter ſe conſuſurrarunt.... prorſus futurum eſt ut condemnemur, &c.* Et *pag. 635.* E. *Imperatore vero prompto ad omnia quæ ipſi vellent, effecere, ut ab Alexandria in Armeniam duo preſbyteri & tres diaconi relegarentur. Arium porro & Aſterium, alterum in Petra Palæſtines, alterum in Petra Arabiæ* (jam ſupra obſervavimus *coll. 667. 668.* in textu Græco deeſſe iſtud ſecundum *in Petra*) *epiſcopum, qui ab ipſis deſciverant, non ſolum in ſuperiorem Africam relegarunt, ſed ut contumelias paterentur operam dedere.* Unus fuit *Arius* ille, ex quindecim iis Palæſtinæ epiſcopis, qui, tum actis ſynodi Sardicenſis, tum eodem anno 347. vel ſequenti, epiſtolæ ſynodicæ Maximi Hieroſolymitani præſulis ad populum Alexandrinum, pro reſtitutione Athanaſii, ſubſcripſerunt. *To. 2. conc. Labb. coll. 659.* A. *663.* A. *679.* D. *& 727.* A. Memoria ejus colitur in Martyrol. Rom. ad diem 20. Jun. his verbis: *Petræ in Palæſtina, ſancti Macarii epiſcopi, qui ab Arianis multa paſſus, & in Africam relegatus, quievit in Domino.*

XXIX. ECCLESIA MENOIDIS.

EUSEBIUS de locis Hebraïcis ad vocem Μηνεβηνὰ, *Menoïdem* notat oppidum ſive Caſtrum propè Gazam, ἔστι νῦν κώμη Μηνοῒς πλησίον Γάζης, πολίχνη; quæ Hieronymus vertit: *Et nunc eſt Menois oppidum juxta civitatem Gazam.* Urbem hanc in Palæſtina prima ſitam prætererunt Carolus à Sancto Paulo, & Holſtenius in notitia epiſcopatuum hujus Palæſtinæ, & collocarunt in Palæſtina ſecunda. Holſtenius quidem credidit eam fuiſſe eamdem cum urbe *Mennith* trans Jordanem. Sed alia eſt *Minois* urbs vicina Gazæ.... alia *Mennith.* Id liquet ex Euſebii Onomaſtico. Vide notitias Imperii. Carolus autem à Sancto Paulo *pag. 312.* ulterius vagatur ad quærendam Minoïda, conjicitque eſſe Minoam urbem in Creta vel Inſula quadam ante Megaram. Sed nihil eſt certius quam Minoïda propè Gazam fuiſſe. Hæc Hadr. Reland. *Palæſt. illuſtr. to. 1. pag. 209.* Cellarius *to. 2. geogr. antiq. lib. 3. cap. 14. pag. 673.* Mennith reponit in Arabia Petræa, & ait dici Jud. *cap. XI. verſ. 33. Mennith viginti civitates* quaſi proprio nomine, (ut *Decapolis*) quia in regione illa erant viginti civitates. In notitia dignitatum Imperii Romani memorantur *Equites promoti Illiriciani Menoïdæ,* ſub diſpoſitione ducis Palæſtinæ, apud eumdem Relandum *to. 1. pag. 229.* Cellarius *geogr. ant. to. 2. lib. 3. cap. 13. pp. 587. & 608.* cenſet *Menoin* eſſe *Mœnænum caſtrum* illud quod lege 30. codicis Theodoſiani, *de erogatione militaris annonæ* exprimitur: jungitur enim cum caſtro *Verſabini,* id eſt, *Berſabe* in Palæſtina. V. autem & B. in legibus frequenter permutantur. Menois fuit ſedes epiſcopalis, cujus aliquot epiſcopi in actis concil. leguntur.

EPISCOPI MINOIDIS.

I. ZOSIMUS.

IN ſynodo prædatoria Epheſina anno 449. Dioſcoro Alexandrino Patriarchæ adverſus Flavianum Conſtantinopolitanum, alioſque præſules orthodoxos adhæſit *Zoſimus Me-* D *noïdis epiſcopus,* Ζωσίμου Μινοΐδος & Μηνοειδής, ut teſtantur ejuſdem ſynodi acta in concilio Chalcedonenſi, anno 451. relecta, *tom. 4. concil. Labb. coll. 118.* D. *267.* A. *311.* E. Verum in eodem concilio Chalcedon. cum multis aliis præſulibus ſimiliter lapſis, erratum

Digitized by Google

ECCLESIA MENOIDIS.

retractavit, & non ſolum pro ſe *col. 494.* B. ſed & pro Glucone Cæſarienſi, ſubſcripſit, *ibid. coll. 83.* B. *& 788. Glycon Cæſarienſis per Zoſimum epiſcopum Menoïdenſem.* Vide ſupra, ubi de Heraclio epiſcopo Azoti, *col. 662.* A.

II. Joannes.

Epiſtolæ ſynodicæ Joannis Hieroſolymitani ad Joannem Conſtantinopolitanum, adverſus Severum aliosque hæreticos Monophyſitas, ſubſcripſit anno 518. *Joannes epi-* A *ſcopus Menoïdis,* Ἰωάννης Μονοΐδος (legendum Μηνοΐδος.) *To. 5. conc. Labb. col. 192.* C.

III. Stephanus.

Decretum ſynodi trium Palæſtinarum ſub Petro Patriarcha Hieroſolymitano anno 536. adverſus Anthimum & alios hæreticos ſua ſubſcriptione approbavit *Stephanus Meniatenus* vel *Menytanus* procul dubio *Menoïdis*, Στέφανος τῆς Μηνλωτῶν, id eſt, Μηνωΐδων vel Μηνοΐδος. *To. 5. conc. Labb. col. 283.* E.

XXX. ECCLESIA BETHELIÆ *ſive* BETYLII.

OPPIDUM *Bethelia*, quod *Eſtomaſon* ſive *Eſtilion* corruptè aliquando dictum, pro *Betilion*, obſervat Hadr. Reland. *to. 1. Palæſt. illuſtr. pag. 223.* non longe ab urbe Gaza videtur fuiſſe ſitum: de eo enim hæc tradit Sozomenus *lib. 5. hiſt. eccl. cap. 15. pag. 617.* A. *edit. Valeſ. Licet ille* (Julianus Imperator) *palam non perſequeretur* (Chriſtianos,) *per vicos tamen & civitates paſſim fugiebant, cujus fugæ tum alii ex majoribus meis conſortes fuere, tum avus meus: nam quum patre gentili natus eſſet, ipſe cum univerſa domo, omneſque ſimul qui ex gente erant Alaphionis, primi fidem Chriſti ſuſceperunt Betheliæ,* Χριϛιανοὶ πρῶτοι ἐγένοντο ἐν Βηθηλίᾳ κώμῃ Γαζαίᾳ, *qui vicus eſt Gazæorum, abundans incolarum multitudine, templaque habet tum ob vetuſtatem, tum ob ſtructuram, indigenis veneranda: præcipuè vero Pantheon, colli cuidam manufacto, velut arci, impoſitum, & ſupra univerſum pagum undequaque eminens. Unde etiam hunc locum nomen accepiſſe conjicio, & ex Syrorum lingua in Græcam converſum, deorum domicilium vocari ob illud fanum Pantheon. Porro familias eorum quos ſupra dixi, ad Chriſtianam religionem converſas eſſe perhibent ab Hilarione monacho. Nam quum Alaphion ille dæmonio vexaretur, Pagani quidam & Judæi, incantamentis & magicis quibuſdam maleficiis diutius uſi, nihil profecerunt. Sed quum Hilarion ſolo Dei nomine invocato dæmonem expuliſſet, illi ad Chriſtianam religionem ſe tranſtulerunt. Et avus quidem meus in exponendis ſacris voluminibus excelluit, &c.* *Libro 7. præced. cap. 32. pag. 689.* D. dixerat de quatuor fratribus inter monachos claris: *quo quidem tempore* (ſub Valentis imperio) *Salamones, Phuſcon, Malchio, & Criſpio fratres, in illis monaſteriis inclaruerunt. Degebant autem juxta Betheleam* Βηθηλέαν, *qui vicus eſt in agro Gazæorum.... Magiſtrum porro hujus diſciplinæ* (monaſticæ) *habuerant Hilarionem.* Eſtne (Bethelia iſta ſive Bitulion aut Betelion) inquit Hadr. Reland. *Palæſt. illuſtr. to. 2. pag. 664.* notiſſima urbs *Bethel!* nam Ælia & Neapolis, inter quas duas urbes media ſita fuit Bethel, urbes fuere Palæſtinæ primæ, adeoque & Bethel videtur ſub Palæſtina prima fuiſſe cenſita: an vero *Betulia* Hieronymi, & *Bethelia* Sozomeni prope Gazam!.... Βιτέλιος ſcribitur in notitia veteri eccleſiaſtica, recenſeturque inter urbes Palæſtinæ primæ. Idem Hadr. Reland. de *Bethel* & *Bethelia,* nihilominus, tanquam de duobus locis diverſis, ſigillatim diſſerit *to. 2. pp. 636. & 638. Betuliæ* vero, ut ipſe animadvertit *pag. 639.* meminit & Hieronymus in vita præfati Hilarionis, quem narrat *cum infinito agmine proſequentium veniſſe Betuliam; & inde quinto die Peluſium.* P. Harduin. Soc. Jeſu, *to. XI. conc. col. 680.* ait oppidum *Bithilii in Palæſtina,* locum fortaſſis eſſe *qui* Βιτυλιός *in Palæſtina prima ſcribitur in notitia Græca.*

EPISCOPI BETHELIÆ *ſive* BETYLII.

I. Ajax.

QUum prædicatione ſancti Hilarionis oppidum præſertim *Betheliæ* ſive *Betylii* fidem Chriſtianam receperit tempore Juliani Imperatoris, id eſt, circa annum 362. ut modo ex Sozomeno didicimus, qui ſe ſatis innuit hujus territorio oriundum: *Ajax* videtur primus fuiſſe illius loci epiſcopus: de eo autem hæc tradit idem Sozomenus *lib. 7. hiſt. eccl. cap. 28. pag. 751.* C. *edit. Valeſ. Celebres* B *eodem tempore* (ſub Theodoſio Magno) *fuere Zeno & Ajax fratres, qui initio quidem, non in ſolitudine philoſophati ſunt,* Ζήνων καὶ Ἄιας ἀδελφοὶ, οἱ δὲ τὸ πρὶν ἐφιλοσόφουν (hoc eſt ſtudio ſapientiæ & virtutis incubuerunt) *ſed in Gaza juxta mare, qui locus etiam Majuma vocatur. Cæterum ambo catholicæ fidei aſſertores acerrimi fuere, Deumque forti animo confeſſi ſunt, adeo ut ſæpenumero à Paganis graviſſime & crudeliſſime verberati ſint. Et Ajax quidem.... uxorem duxiſſe dicitur.... treſque ex ea liberos*

ſuſtuliſſe;

Digitized by Google

ECCLESIA BETHELIÆ ſive BETYLII.

ſuſtuliſſe; poſthac vero ab uxore .... ſeparatus A zomeno (ſupra recitato,) *Deorum domus. monaſticam duxiſſe vitam: atque ex filiis, duos quidem ad ſtudium rerum divinarum & ad cœlibatum inſtituiſſe, tertium vero ad matrimonium. Ipſe præclare admodum & moderate eccleſiam Botolii gubernavit*, τὴν τοῦ Βοτυλίου ἐκκλησίαν ἐπιτρόπευσε. Illud Βοτυλίου ex Βηθηλία natum ſuſpicatur Hadr. Reland. *Palæſt. illuſtr. to. 2. pag. 800.* hoc enim nomen, inquit, magis exprimit ſignificationem ei attributam à So-

II. MANUEL.

Sententiæ adverſus Anthimum latæ in ſynodo Hieroſolymitana anno 536. ſub Petro Hieroſolymorum antiſtite, ſubſcripſit, inter cæteros trium Palæſtinarum epiſcopos, Μηνουήλιος ἐπίσκοπος τοῦ Βητυλίου, *Manuel epiſcopus Bitylii. To. 5. conc. Labb. col. 286.* A.

XXXI. ECCLESIA ZABULONIS.

DE *Zabulone,* quæ Græcè Ζαβουλὼν ſcribitur, hæc tradit Hadrian. Reland. *Palæſt. illuſt. to. 1. pag. 129. & to. 2. pag. 1062. & ſeq.* Urbs eſt munita Galilææ, quæ Ptolemaïdem dirimit à gentium terris. Joſephus *lib. 2. de bello Jud. cap. 22.* ait: Κέστιος ὥρμησεν ἐπὶ πόλιν καρτερὰν τῆς Γαλιλαίας Ζαβουλὼν, ἣ καλεῖται ἀνδρῶν· διορίζει δὲ ἀπὸ τοῦ ἔθνους τὴν Πτολεμαΐδα. *Ceſtius in validiſſimam Galilææ civitatem contendit Zabulon, quæ appellatur virorum, & à Judæorum* (videtur interpres Latinus τῶν Ἰουδαίων legiſſe) *finibus Ptolemaïda diſcernit:* Et ibidem notat oppidum hoc domos habuiſſe θαυμαστοῦ κάλλους, &c. *admirabili pulcritudine, & ſimili modo quo Tyriæ, Sidoniæ, & Berytiæ erant, exſtructas.* Et rurſus *lib. 3. cap. 2. inferioris Galilææ longitudinem* ducit *à Tiberiade uſque ad Zabulon, cui in tractu maritimo vicina eſt Ptolemaïs.* Μέχρι Ζαβουλὼν, ἧς ἐν τοῖς παραλίοις γείτων τὸ μῆκος ἐκτείνεται. Ita quidem legendum cenſeo, quum in editis codicibus male legatur Χαβουλώνης. Videlicet pro Χαβουλώνης ſubſtituendum eſt Ζαβουλὼν, uti liquet ex altero teſtimonio Joſephi ſupra allato, & verſione Rufini qui *Zabulon* legit. Nam Χαβουλώνη, ut pro regione accipiatur, huc non pertinet, ſita in finibus Tyriorum, licet & Χαβαλὼν γῆ *in antiq.* & Ζαβουλὼν *lib. 1. cont. Appion.* ab eo, vel potius à librariis ſcribatur. Deinde vox Χαβουλώνης in duas dividenda eſt Χαβουλὼν ἧς, & ἧς referenda ad ſequentia ἧς ἐν τοῖς, &c. Atque hinc obiter diſcimus Ptolemaïdis & Tiberiadis fere eamdem latitudinem geographicam eſſe, quum illa ad occaſum, hæc ad ortum, terminus fuerit Galilææ inferioris.... Urbs *Zebulun* in *Aſcher* (Aſer) de qua Joſ. *cap. 14. verſ. 27.* poſſet eſſe eadem. Hactenus Hadr. Reland. *tom. 2. pp. 1062. & 1063.* Carolus à Sancto Paulo Fulienſ. *geogr. ſac. pag. 316.* Zabulonem, de qua Joſephus *lib. 2. de bello Jud. capp. 21. 22.* meminit, ipſe collocat in Palæſtina prima. Verum dubitat idem Hadr. Reland. *to. 1. p. 212.* an ad eam pertineat, quia Ptolemaïs ipſa non ad Palæſtinam, ſed ad Phœnicen pertinuit. Hæc vicinitas Ptolemaïdis facit, inquit Cellarius *geogr. ant. to. 2. lib. 3. cap. 13. pag. 506.* ut (urbem Zabulon) etiam *Chabulonem* ſive *Chabolonem* dictam fuiſſe credamus, niſi (apud Joſephum) in alterutra voce (Zabulonis & Chabulonis) error ſit: nam in vita ſua *pag. 1015. edit. Genev. 1611.* legitur εἰς Χαβουλὼ κώμην Πτολεμαΐδος μεθόριον οὖσαν, *in vicum Chabulonem Ptolemaïdi conterminum:* & ibi ex caſtrorum ſitu colligitur Chabulonem à Ptolemaïde 60. circiter ſtadiis abfuiſſe. Hadr. Reland. *tom. 2. pag. 701.* legendum putat in eo loco Joſephi, pro Χαβουλὼ vel Χαβωλὼ, *Ζαβούλων.* Fatetur tamen apud eumdem Joſephum *ibid. pag. ſeq. 1016.* legi Χαβαλὼ & Χαβαλὼν, cui affine eſt nomen *Cabul,* de qua urbe dicitur in Talmude Echa Rabbati 75. 4. quod vaſtata fuerit propter contentiones. Hæc idem Reland. *ibid. pag. 668.*

EPISCOPI ZABULONIS.

HELIODORUS.

IN indice Latino epiſcoporum qui anno 325. ſynodo Nicænæ primæ interfuerunt de provincia Palæſtinæ, legitur *Heliodorus Zabulonites.* Quidam codices habent *Diabulonites* vel *Diaboliternites:* ſed mendum eſſe videtur librarii Latini, qui pro *Za* ſcripſit *Dia. To. 2. conc. Labb. col. 51.* C.

XXXII. ECCLESIA ARCHELAIDIS.

ARCHELAIS inter urbes Syriæ Palæſtinæ ſive Judææ, ab occaſu Jordanis fluvii, recenſetur à Ptolemæo *geogr. lib. 4. cap. 16.* Condita eſt ab Archelao Herodis filio, de quo Joſephus *lib. 17. antiq. cap. 15.* ait: *vicum ædificiis ornat, & Archelaïdis nomen ei imponit,*

Digitized by Google

ECCLESIA ARCHELAIDIS. Ἀρχελαΐδα ὄνομα ἀυτῇ ἔθετο. Convallem adjacentem Plinius *lib. 13. cap. 4.* Archelaïdem quoque appellat, his verbis: *nobilitas* (Caryotis) *in Judæa, nec in tota, ſed Hierichunte maxime: quanquam laudatæ & Archelaïde, & Phaſelide, atque Liviade, gentis ejuſdem convallibus.* In tabulis Peutingerianis collocatur Hierichunta inter & Scythopolim, *Archelaïde:* in ſexto enim caſu, ſive ablativo, vetuſta itineraria locorum nomina efferunt: & ſæpe etiam in aliis ſcriptoribus ſic ea leguntur, ut videre eſt apud Salmaſium ad Vopiſcum *pag. 434.* Hæc Cellar. *to. 2. pag. 551.* & Hadr. Reland. *to. 2. p. 576.* Addit autem iſte *pag. ſeq. 577.* inter urbes quæ ſedes epiſcoporum fuerunt in Palæſtina non haberi nomen *Archelaïdis.* Eam quoque cenſet *tom. 1. pag. 208.* fuiſſe, quam *Aracleam* vel *Heracleam* appellat Carolus à Sancto Paulo Fulienſ. *geogr. ſac. p. 316.* his verbis: *Araclia ſive Haraclea Palæſtinæ* (primæ) *urbs in limitibus Phœniciæ, Tyri archiepiſcopo ſubdita apud Guillelmum Tyrium, olim forte ſub Cæſarea, quum hujus nulla memoria ſit in notitiis antiquis Phœniciæ. Procopius Heracleotanus qui dicto concilio Hieroſolymitano* (anno 536. ſub Petro Patriarcha) *ſubſcripſit, fortè hujus antiſtes erat.* Sed quo fundamento id prædictus Carolus à Sancto Paulo afferat, neſcio. Crediderim hoc nomen *(Araclia)* in quibuſdam codicibus legi, ſed depravatum pro nomine *Archelaïdis.* Procopius quidem epiſcopus Helenopolis in Palæſtina ſecunda, ſubſcripſit in ſynodo Hieroſolymitana præfata: hunc vero probabile eſt eſſe *Procopium* illum quem memorat Carolus à Sancto Paulo, quique per mendum dictus fuerit in aliquibus codicibus, *Heracleotanus.* Hæc Relandus laudatus.

EPISCOPI ARCHELAIDIS.

I. Timotheus.

In duabus ſynodis Conſtantinopoli convocatis quarum prior anno 448. ſub Flaviano Patriarcha, poſterior vero anno ſequenti 449. præſide Thalaſſio Cæſareæ Cappadociæ epiſcopo pro reviſione actorum in cauſa Eutychis hæreſiarchæ confectorum, ſedit *Timotheus reverentiſſimus epiſcopus Saracenorum civitatis provinciæ Palæſtinæ,* Τιμοθέε τε εὐλαβεςάτε ἐπισκόπου τῆς Ἀρκινῶν πόλεως ἐπαρχίας Παλαιςίνης. *Tom. 4. concil. Labb. col. 233.* D. Licet autem in Latina tranſlatione legatur *Saracenorum civitatis* in Palæſtina, quia tamen nulla extitit hujus nominis in Palæſtina civitas; probabilius videtur hunc Timotheum Archelaïdis, quæ interdum appellatur *Arce,* ut modo dicetur, fuiſſe epiſcopum; idque confirmat textus Græcus modo recitatus Ἀρκινῶν.

II. Antiochus.

Synodo Chalcedonenſi anno 451. celebratæ adfuit *Antiochus epiſcopus Archelaïdis* A *Palæſtinæ, tom. 4. conc. Labb. col. 82.* D. ut legitur in actis hujus ſynodi Latinis. In Græcis tamen habetur hîc & *coll. 327.* E. & *586.* B. Ἀντιόχου & Ἀντίοχος Ἀρκης, *Antiochus Arces* ſive *Arcenſis.* Et *col. 460.* B. *Antiochus epiſcopus Arcæ civitatis.* Verum eo ipſo quod ſynodo huic una cum Antiocho ſubſcripſerint *Heraclitus* ſive *Heraclius Arces in Phœnice prima,* Palæſtinæ adfini, *col. 787.* E. & *Joannes Arcæ* ſive *Arces in Armenia ſecunda,* ibid. *col. 592.* A. videtur ſequi hunc *Antiochum Arces,* illum ipſum fuiſſe qui in Latinis co- B dicibus dicitur *Antiochus Archelaïdis, coll. 82.* D. & *585.* B. In eodem concil. Chalced. *to. 2. conc. P. Harduini, col. 375.* D. E. legitur Ἀντιοχος ἐπίσκοπος Ἀλκηνῶν, &c. *Antiochus epiſcopus Alcenenſis civitatis, &c.* Sed, ut obſervat idem Hard. *tom. XI. col. 628. Alcenenſis,* videtur eſſe pro *Arcenſis* è Phœnicia, quum ibi *Byblon* (ſive epiſcopum Byblenſem) antecedat. At, inquam ego, nonne probabilius diceretur *Alcenenſem* ſive *Arcenſem* hic poni pro *Archelaïde!* ſiquidem *Arcenſi* eccleſiæ in Phœnicia tunc Heraclius præerat.

XXXIII.

ECCLESIA ELIÆ.

De ea urbe hæc animadvertit Hadrianus Relandus *to. 1. Palæſt. illuſtr. pag. 207. Aelia* nonnunquam ſcribitur *Elia,* unde Hieronymus ait *comment. in Iſai. cap. 64. verſ. XI. Templum in toto orbe celebratum verſum in ſterquilinium urbis novæ quæ à conditore appellabatur Elia.* Eſt porro hæc eadem cum *Hieroſolyma,* quam Hadrianus Imperator Αἰλίαν Καπιτωλίναν ὠνόμασε *Aeliam Capitolinam appellavit,* teſte Xiphilino in epitome Dionis *pag. 262.* Si quis de ea re dubitet, ex hoc ipſo libro plura veterum teſtimonia colligere poterit. Putavit tamen Carolus à S. Paulo Fulienſis eam urbem ab *Hieroſolyma* diverſam eſſe: nam quum, inter urbes Patriarchatus Hieroſolymitani, *Hieruſalem* recenſuiſſet *p. 315. geogr. ſacræ,* mox *pag. 316.* inter urbes Palæſtinæ primæ *Eliam* memorat his verbis: *Elia, Antonino Palæſtinæ oppidum inter Neapolin & Aſcalonem. Teoctiſtus diaconus pro epiſcopo Eliæ*

Digitized by Google

ſubſcripſit dicto concilio Hieroſolymitano (ſcilicet ſub Petro Patriarcha anno 536.) Holſtenius in notis ſuis ad hunc locum nihil habet. Eſt tamen meo judicio, verba ſunt Relandi, inſignis error, & eo magis indicandus, quod in libro iſtius argumenti, quemque aliquis incertus de ſitu alicujus loci in re dubia inter primos conſideret, inveniatur. Quid! quod in mappa geographica patriarchatus Hieroſolymitani, ab eodem ſcriptore (Carolo à Sancto Paulo) oppidum aliquod *Elia* legatur inter Hieroſolymam & Lyddam; nec tamen ignoravit is ſcriptor Hieroſolymam *Aeliam* dictam fuiſſe, nam *pag. 309. num. 3.* id fatetur, ſed neſcio qua ratione inductus credidit aliam fuiſſe *Eliam* vel *Aeliam* in Antonini itinerario, & concilio Hieroſolymitano memoratam, aliam *Hieroſolymam*. Hæc porro annotanda duximus, ne urbs *Elia* à nobis prætermiſſa cenſeretur. Morari autem non debet ſubſcriptio Theoctiſti à Carolo Fulienſi adducta: ſubſcripſit enim Theoctiſtus iſte pro epiſcopo nominato *Æia* qui immediate ante recenſetur, non vero pro epiſcopo loci alicujus dicti *Eliæ. Tom. 5. concil. Labb. col. 283.* E. *Elias epiſcopus Hadrianopolis* (ſive Ariopolitanus) *diffinivi & ſubſcripſi.* Deinde: *Theoctiſtus minimus notarius & diaconus ſanctiſſimi epiſcopi Eliæ, ſubſcripſi pro ipſo, juxta ejus mandata in ſcriptis data.* Θεόκτιστος ἐλάχιστος διάκονος καὶ νοτάριος τοῦ ὁσιωτάτου ἐπισκόπου Ἡλία ἔγραψα ὑπὲρ αὐτοῦ, κατ' ἔγγραφος ἐντολὰς αὐτοῦ. Elias ſcilicet quamvis præſens ſubſcripſit per manum Theoctiſti. Ἡλίας ἐπίσκοπος Ἀρεοπόλεως, ὁρίσας ὑπεσημηνάμην, aliàs Theoctiſtus nomen epiſcopi tacuiſſet pro quo ſubſcribebat, quod inſolitum.

XXXIV.

ECCLESIA ONUS.

IN notitiis Græcis Patriarchatus Hieroſolymitani extat inter cæteras ſedes Palæſtinæ primæ, Ὀνοῦς *Onus* ſive *Ono,* ut legere eſt apud Hadrian. Reland. *Palæſt. illuſtr. tom. 1. pag. 215.* qui addit *tom. 2. pp. 912. & 913.* hanc urbem conditam fuiſſe à Benjaminitis, 1. Paral. *cap. 8. verſ. 12.* ubi legitur de Samad hujus tribus, *hic ædificavit Ono, & Lod, & filias ejus.* A Lydda ad *Ono* ſunt tria milliaria. In Talmude narratur Rabbi Jacobum Ben Doſthai ante diluculum aliquando eo profectum ad talos uſque in melle ficuum ambulaſſe. In notitiis antiquis *geograph. ſacræ* Caroli à Sancto Paulo ſubjunctis, inter Palæſtinæ primæ eccleſias recenſetur *Onus*, tum *pag. 5.* tum etiam *pag. 73.* Verum nullus epiſcoporum hujus eccleſiæ nobis hactenus innotuit.

XXXV.

ECCLESIA APATHOS *ſive* PATOS.

DE ea eccleſia, hæc tantum occurrunt: 1.° In notitia Græca Patriarchatuum *edita à Luca Holſtenio ex manuſcripto Vaticano, & ſubjuncta geographiæ ſacræ Caroli à S. Paulo Fulienſis Amſtelodami anno 1704. pag. 6. inſerta quoque corpori Hiſtoriæ Byzantinæ, editaque anno 1648. Pariſ. una cum Codino Curopalata de officiis & officialibus Curiæ Conſtantinopolitanæ,* cujus excerptum tradit Græcè & Latinè Hadrianus Relandus *tom. 1. Palæſt. illuſtr. pag. 214. & ſeqq.* inter eccleſias Palæſtinæ primæ, recenſetur Ῥεγεὼν Ἀπαθῶς, *Regeon Apathos* (Ῥεγεὼν, inquit Reland. *ibid. pag. 215.* in nota 5. eſt *Regio,* & in nota 4. Ἀπαθῶς, an eſt Ἀμαθοῦς? At illa videtur ad ſecundam Palæſtinam potius referenda.) 2.° In notitia Latina, cujus excerptum refert idem Reland. *ibid. p. 222.* legitur *Regium Patos.* 3.° Ab eodem Relando *ibid. pag. 208. Apathus* appellatur. 4.° Ab eodem rurſus Relando, *tom. 2. pag. 571.* de eo loco ſcribitur: Ῥεγεὼν Ἀπαθῶς. Mentio ejus fit inter Sebaſten & Hierichunta in notitiis veteribus eccleſiaſticis. Erat in Palæſtina prima. 5.° In notitiis antiquis *geographiæ ſacræ* Caroli à Sancto Paulo ſubnexis habetur inter ſedes Palæſtinæ primæ *Regium Apathos, pag. 5.* & *Regium Patos, pag. 73.* Cæterum nullus nominatur ex ejus epiſcopis.

XXXVI.

ECCLESIA TRICOMIÆ.

TRICOMIAS urbs fuit Palæſtinæ primæ, cujus mentio fit in notitiis veteribus eccleſiaſticis, Τρικομίας, *tom. 1. Palæſt. illuſtr.* Hadriani Relandi *pag. 215.* Si ex ordine, quo recenſetur, aliquid colligere liceat, videtur circa Gazam quærenda. Memoratur etiam Tricomia in notitia Imperii ſub diſpoſitione ducis Arabiæ. Hæc idem Relandus *to. 2. p. 1046.* *qui pag. præcedenti 1045. Tricomim* laudat, quam tamen non dicit fuiſſe *Tricomiam*. Tricomis, inquit, urbs Palæſtinæ, cujus meminit Cedrenus in compend. *hiſt. pag. 135.* A. & Τρικωμις

ECCLESIA TRICOMIÆ. τῆς Παλαιςίνης appellat, *Tricomin Palæſtinæ*. Et mox *ibidem* C. *Poſtquam Tricomin* Τρίκωμιν *perveniſſent* (Scythæ, qui Iphigeniam perſequebantur) *& intellexiſſent eos quos inſequebantur jam inde abiiſſe, ibi remanſerunt, & urbe, cui Scythopolis nomen eſt, condita, domum reverſi non ſunt*. Nullum quoque habemus, ſive *Tricomiæ*, ſive *Tricomis* epiſcopum.

XXXVII. ECCLESIÆ TOXI, ARACLEÆ, BASCHAT, &c.

TOXUS urbs fuit Palæſtinæ primæ, cujus meminit Hadrian. Reland. tum in notitia Græca, *tom. 1. Palæſt. illuſtr. pag. 215*. Τόξος Σαλτών, *Toxus Salton* (*Salton* in notitiis eccleſiaſticis ſæpius legitur, & videtur ſignificare territorium,) tum etiam *tom. 2. pag. 1045*: ubi ſcribit *Quintianum* epiſcopum *à Taxe* recenſeri ab Hilario *edit. Pariſ. 1693. col. 1323.* qui concilio Sardicenſi ſubſcripſerit. Verum hic *Quintianus* Arianus fuit, & in ſedem *Gazæ* intruſus pro Aſclepa hujus ſedis orthodoxo epiſcopo, quem Ariani depoſuerant: nec *Quintianus* ſubſcripſit legitimo concilio Sardicenſi, ſed pſeudo-ſynodo Philippopolitanæ: vox autem *à Taxe* mendum eſt. Unde editores Hilarii ibidem in nota b. ſic obſervant: leg. *à Gaza*: is enim eſt qui Aſclepæ ſedem uſurparat, & de quo fragmentum (2. loquitur) ſuperius, *num. 8. col. 1289*. C. id eſt, epiſtola concilii Sardicenſis ad univerſas eccleſias in eo fragmento relata, ubi legitur, *Gregorium in Alexandria, Baſilium in Ancyra, & Quintianum in Gaza, neque nomen habere epiſcopi, neque communionis omnino eorum habere participatum, &c.* Vide ſupra, inter epiſcopos Gazenſes, *col. 607*. D. E. Nullus itaque etiam ſedis Toxi in Palæſtina ſuppetit epiſcopus.

Nonnullæ adhuc occurrunt ſedes epiſcopales Palæſtinæ primæ, in notitiis eccleſiaſticis apud Carolum à Sancto Paulo, & Hadrianum Relandum: videlicet *Araclea* ſive *Heraclia*, *Baſchat*, *Aſſur*, *Regium Lutas*, *Parabas* ſive *Paliternum*, *Eſtomaſon* ſive *Eſtilion*, *Eucomazon*, *Saltium*, *Conſtantiniaquis* ſive *Salton Conſtantiniaces*, & *Salton Gerariticus Barſamorum*. At obſervare eſt, hæc eſſe, vel vocabula corrupta quorumdam locorum nomina, de quibus jam ſupra mentionem fecimus: vel oppida ſive oppidula nunc prorſus ignota. Nam 1.° *Araclea* ſive *Heraclia*, quam memorat Carolus à Sancto Paulo *geogr. ſac. pag. 316*. videtur Relando *to. 1. Palæſt. illuſtr. p. 208*. nomen eſſe depravatum *Archelaïdis*, de qua nos ſupra *col. 674*.

2.° *Baſchat*, repoſita in prima Palæſtina à Carolo à Sancto Paulo, *p. 316*. eſt *Bacatha* urbs Arabiæ, de qua inferius agetur inter ſedes Palæſtinæ tertiæ.

3.° *Aſſur*, apud eumdem Carolum *in notit. antiq. pag. 73*. alia non eſt ab *Apollonia*, ut Hadrian. Reland. *to. 2. pag. 569*. monet his verbis: « Dicitur vulgo (Antipatris) eſſe *Aſſur* » vel *Arſuf*, oppidum maritimum in loco ſylvis condenſis amœno & paſcuis herboſis fœcundo, » uti ſcribit Jacob. de Vitriac. *hiſt. Hieroſol. cap. 23*. & Guillelmus Tyrius. Sed nauci non eſt hæc traditio ſtatuens Antipatrida fuiſſe urbem maritimam,» &c. *& pag. ſeq.* «Si in loco *Aſſur* rudera urbis antiquæ conſpiciuntur, crederem potius eſſe illa *Apolloniæ*.» Hæc autem *Apollonia* Palæſtinæ, (quam Cellar. *geogr. ant. to. 2. lib. 2. cap. 13. p. 524*. inter Cæſaream & Joppen fuiſſe ait, propiorem tamen Joppe) non recenſetur in notitiis veteribus eccleſiaſticis. Addit idem Hadr. Reland. *ibid. pag. 596*. ubi de *Aſcher*, quæ ex itinerario veteri Hieroſolymitano extat inter Scythopolin & Neapolin: « An hæc ſit urbs *Aſſur*, cujus mentio in notitia eccle- » ſiaſtica Latina, quæri poſſet: verum putem nomine *Aſſur* indicari urbem *Arſuf* dictam ab aliis, haud longè ab Jamnia, poſt quam recenſetur *Aſſur*.» Et in indice, qui ad calcem *tomi 2*. extat: *Aſſur*, inquit, nomen (eſt) corruptum loci.

4.° *Regium Lutas*, eſt *Livias* ſive *Libyas*, ex eodem Relando, *tom. 1. pag. 223. in not.* f. De Libyade vide ſupra *coll. 655. 656*.

5.° *Parabas* ſive *Paliternum* locus eſt, de quo nihil aliud quam quod hoc nomen habeat tradunt Carolus à Sancto Paulo *notit. antiq. pag. 73*. & Hadr. Reland. *to. 1. p. 223*.

6.° De *Eſtomaſone* vel *Eſtilione* ſcribit idem Reland. *ibid. in annot.* h. *& Betilion*, ſignificans hanc urbem eſſe *Betilion* ſive *Betheliam*, de qua nos ſupra *coll. 671. 672*.

7.° Pro *Eucomazon*, legendum Συκομάζον *Sycomazon* aſſerit idem Reland. *ibid. pag. 215. in not. 9*. De *Sycomazone* vide ſupra *coll. 657. 658*.

8.° Ad *Saltium*, *Conſtantiniaquis*, habetur apud Carolum à Sancto Paulo, *in notit. antiq. pag. 73. ad marg.* Pro his duabus urbibus, unam legit (Guillelmus) Tyrius, quam vocat *Salton Conſtantiniaces*. Porro nos quid locus iſte fuerit ignoramus.

9.° Tandem de *Saltone Gerariticо* ſive *Barſamorum*, vide ſupra, ubi de eccleſia *Gerarorum*, *coll. 661. 662*.

Digitized by Google

II. PROVINCIA PALÆSTINÆ SECUNDÆ.

I. ECCLESIA SCYTHOPOLIS, METROPOLIS.

De *Scythopoli*, olim *Beſthchean* ſive *Bethſan*, mentio fit Jud. *cap. 1. verſ. 27. Manaſſes quoque non delevit Bethſan.* Huic autem voci *Bethſan* Græcè Βαιθσὰν ſeptuaginta interpretes addiderunt ἥ ἐστι Σκυθῶν πόλις, *quæ eſt Scytharum urbs.* Hadrianus Relandus *tom. 2. Palæſt. illuſtr. pag. 992.* de ea additione ſuſpicatur, hanc ex margine in contextum irrepſiſſe: *Nec enim*, inquit, *ab antiqua illa Scytharum irruptione in Palæſtinam, cujus meminit Herodotus lib. 1. illud nomen* (Scythopolis) *arceſſendum eſt, quæ planè ficta multis videtur.* Ipſe autem probabilius putat, ex celebriori loco *Succoth* ſive *Soccoth*, de quo legitur Gen. *cap. 33. verſ. 17. Et Jacob venit in Socoth; ubi ædificata domo, & fixis tentoriis, appellavit nomen illius Socoth, id eſt tabernacula:* regionem, in qua extabat locus ille, idem nomen *Succoth* eſſe ſortitum; urbem pariter *Bethſan* in ea regione ſitam, ex eodem nomine *Succoth*, dictam eſſe *Succothopolim*, & exinde *Scuthopolim* ſive *Scythopolim*, quaſi urbem primariam regionis *Succoth*.

Verum, quia nomen *Scythopolis* urbi *Bethſan*, non à Judæis impoſitum fuit, ſed à Græcis, teſte Joſepho *lib. 12. antiq. cap. 12. pag. 418.* A. *edit. 1611. Trajecto Jordane in magnum Campum veniunt, qua ſita eſt urbs Bethſana, à Græcis dicta Scythopolis*, πόλις Βεθσάνη, καλουμένη παρὰ Ἑλλήνων Σκυθόπολις: quia etiam narratio Herodoti, de irruptione Scytharum in Palæſtinam, duobus ferè ſæculis præcedit tempus quo ſeptuaginta interpretes verſionem ſuam Græcam ſcripturarum confecerunt; ſcilicet 277. annis circiter ante æram noſtram, nihil obſtare videtur, quominus, tum additionem laudatam ipſiſmet ſeptuaginta interpretibus apud quos ſimiles non raro occurrunt tribuamus: tum nomen *Scythopolis*, à Scythis qui eam urbem aliquandiu occupaverint, cenſeamus derivatum.

Et certe Herodotus, patria Halicarnaſſenſis, antiquiſſimus fuit hiſtoricorum Græcorum, utpote quem tradit Voſſius *lib. de hiſtoricis Græcis*, anno 3. Olympiadis 84. id eſt annis ante Chriſtum natum 442. quum ipſe jam eſſet 42. annorum, libros ſuos Athenis in Panathenæorum panegyri recitaſſe. Ita refert Nat. Alexander *in hiſt. eccl. vet. teſt. tom. 2. in-fol. pag. 273. col. 2. num. 12.* Idem etiam aſſerit Georg. Matthias Konigius *Biblioth. vet. & nov. edit. Altdorfienſis anno 1678. pag. 398. col. 1.* ubi addit: « Eum Tullius *lib. 1.* de legibus,
» *hiſtoriæ parentem* appellat. Inſigni injuria optimum hiſtoricum afficiunt qui *patrem fabularum* vocant: quod ipſum convitium facundiſſimo dialogo refutavit Henricus Stephanus. » Citat inſuper pro Herodoto Konigius Gerh. Joh. Voſſium *de nat. Rhet. p. 67.* Jonſium *de S. H. P. pag. 335.* & Thomaſium de Plagio, §. 458.

De nomine *Scythopolis* obſervat itidem Cellarius *to. 2. geogr. antiq. lib. 3. cap. 13. p. 518.* nihil in hiſtoriis reperiri, quod huc referri poſſit, niſi illud Scytharum in Aſia imperium, quod Herodotus *lib. 1. cap. 105. p. 45. edit. Genev. anno 1618.* deſcripſit; nimirum *Scythas*, victis Medis, omnem Aſiam occupaſſe: indeque profectos adverſus Ægyptum, *quum veniſſent in Palæſtinam Syriam* ἐπεὶ ἐγένοντο ἐν τῇ Παλαιστίνῃ Συρίῃ, *Pſammiticum Ægyptiorum regem obvium habuiſſe, qui muneribus precibuſque ne ulterius progrederentur effecerit.* Licet autem poſt 28. annos expulſi fuerint (trucidatis eorum principibus) ex Media, & reliqua cultiori Aſia, à Cyaxare rege Mediæ, ut idem Herodotus prodit *cap. ſeq. 106.* in Palæſtina tamen, & in una ejus urbe videntur remanſiſſe qui forte debiles ac vulnerati inibi collocati fuerant de exercitu. Hæc, inquam, Cellarius.

Porro, quas de hac Scytharum irruptione in Palæſtinam fabulas ſuis immiſcuerunt hiſtoriis nonnulli auctores Herodoto poſteriores, eas profecto illi apud Herodotum ipſum non hauſerunt, in quo prorſus deſiderantur; ut quod habet Plinius *lib. 5. cap. 18. Scythopolim, antea Niſam, à Libero Patre ſepulta nutrice ibi Scythis deductis*, ſic fuiſſe nuncupatam.

Digitized by Google

ECCLESIA SCYTHOPOLIS.

Quodque non minus leviter Cedrenus in compendio *hiſtor. pag. 135.* C. *Poſtquam Tricomim Palæſtinæ perveniſſent* (Scythæ qui Iphigeniam perſequebantur) *& intellexiſſent eos quos inſequebantur, jam inde abiiſſe, ibi remanſerunt, & urbe cui Scythopolis nomen eſt condita, domum reverſi non ſunt.* Hæc Cedreni verba refert Hadrian. Reland. *tom. 2. pag. 1045.* ubi de urbe Tricomi, & propter illa fortaſſis Herodoti narrationem ut ſuſpectam fictionis ſprevit: ſed, ut dictum eſt, id non ſcripſit Herodotus. Euſebius vero *lib. 1. chronic. citato* à Thoma de Pinedo *annot. 95.* ad Steph. Byzant. *pag. 610. col. 1.* ait: *Scythæ Palæſtinam depopulabantur, & Baſan* (Bethſan) *poſſederunt, ex eiſdem vocatam Scythopolim* Σκυθόπολιν. Stephanus quoque *Scythopolis Palæſtinæ urbs, vel Niſſæ* (Niſſa) *Cœleſyriæ, Scytharum urbs* Σκυθῶν πόλις. Ante eos auctor *lib. 2.* Machab. *cap. 12. verſ. 29. & ſeqq.* ſcripſit de Juda Machab. & ejus copiis: *Inde ad civitatem Scytharum abierunt, quæ ab Hieroſolymis ſexcentis ſtadiis aberat. Conteſtantibus his, qui apud Scythopolitas erant, Judæis, quod benigne ab eis haberentur, etiam temporibus infelicitatis, quod modeſte ſecum egerint: gratias agentes eis, & exhortati etiam de cætero erga genus ſuum benignos eſſe, venerunt Hieroſolymam.* Item *lib. Judith. cap. 3. verſ. 14.* juxta textum Græcum 70. interpretum *Scythopolis* appellatur *Scytharum urbs* Σκυθῶν πόλεως. Denique Georgius Syncellus *pag. 214.* C. ſub tempore regis Joſiæ, ait: *Scythæ Palæſtinam incurſionibus populantur, & Baſan* (Bethſan) *occupant, de eorum nomine dictam Scythopolim* Σκυθόπολιν· Hæc verba Relandus adducit *pag. 993.* quæ profecto ipſius opinioni non favent. Non malè itaque, nî fallor, ex iis omnibus teſtimoniis colligitur nomen *Scythopolis* potius à *Scytharum* nomine, quam à loco *Succoth* eſſe repetendum.

Joſephus urbis *Bethſan* ſive *Scythopolis* meminit, non ſolum *lib. 12. ant. cap. 12.* ſupra laudato, ſed etiam *lib. 3. de bello Jud. cap. 4. Galilæam,* inquit, *à meridie diſterminat Samaritana regio & Scythopolis:* & *cap. 16. Scythopolim* (mittit) *quæ eſt maxima Decapoleos, & Tiberiadi vicina.* Item *lib. 5. antiq. cap. 1.* hanc tradit terminum eſſe regionis Manaſſis ad boream. *Lib. 13. cap. 18.* Judæis fuiſſe proditam ab Epicrate. *Lib. 14. cap. 10.* inſtauratam à Gabinio. Et in vita ſua *p. 1025. edit. Genev. 1611.* ait Tiberiadem abfuiſſe ab Hippo 30. ſtadiis, à Gadaris 60. à Scythopoli 120. & ſitam ad lacum Genneſareth. Adeoque niſi Tiberias ad unum extremum lacus collocetur, quum is tantum habuerit longitudinem 100. aut, ut alii volunt, 140. ſtadiorum, Scythopolis ad lacum hunc non poteſt collocari, uti à quibuſdam fit; & ita collocanda eſt, ut diſtantiæ Tiberiadis ab Hippo & Gadaris conveniat. Situm longe alium & à vero quam maxime diverſum urbi huic dedit Bochartus, qui in mappa geographiæ Syriæ & Ægypti, non tantum ad ortum Jordanis eam collocat, ſed & *lib. 3. geogr. ſac. cap. 13.* ſcribit: *numquid ea eſt Scythopolis urbs in Aulone ſeu Scythopolitana valle nobilis, ad Orientem lacus Tiberiadis, quem Syri vocant mare Ginnoſar! &c.* Ita præfatus Relandus *pag. 994.* qui ſubdit *pag. 995.* «Non exiſtimo multis mihi laborandum eſſe ut hunc » errorem refutem, quum ex ſacro codice liqueat Bethſan ad Occidentem Jordanis fuiſſe, & « (Joſephus) hunc ſitum adeo confirmet, ut nihil in univerſa geographia Palæſtinæ certum, ſi hoc non ſit, Scythopolim ad Occidentem Jordanis eſſe collocandam.» Urbs porro fuit Palæſtinæ ſecundæ epiſcopatu inſignis ſæculo quarto, ſed ejus incolarum multitudo magna ſic ſuperſtitioni idololatriæ diutius addicta fuit, ut Chriſtiani ſæpè in ea gravioribus perſecutionibus afflicti memorentur: unde plurimorum martyrum ſub Imperatoribus ethnicis triumpho decorata eſt. Quo autem tempore Franci & Latini Palæſtinam occupaverunt ſæculo XI. Scythopolis jura ſua metropolitica amiſit, quæ *Nazareth* patriæ Domini conceſſa ſunt; ea tamen poſtmodum à Græcis Hieroſolymorum Patriarchis recuperavit.

EPISCOPI SCYTHOPOLIS.

I. PATROPHILUS.

PATROPHILUS Scythopolis epiſcopus, interfuit concilio Palæſtino anno 318. juxta Baluzium in nova collectione conciliorum *pag. 23.* teſte Hadriano Relando *Palæſt. illuſtr. tom. 2. pag. 996.* Inter ſubſcriptiones epiſcoporum ſynodi Nicænæ I. legitur *Patrophilus Scythopolis, to. 2. conc. Labb. col. 51.* C. Hic, & Euſebius Cæſarienſis, dicuntur à Nicæta *in theſauro fidei orthodoxæ V. T.* ex Philoſtorgio, ſoli epiſcoporum Palæſtinæ qui pro Ario ſteterint. Eum ſane Theodoretus *lib. 1.* A *hiſt. eccl. cap. 7. pag. 26.* A. *edit. Valeſ.* inter Arii defenſores huic concilio præſentes recenſet: *Pauci vero,* inquit, *quorum ſuperius mentionem feci, & præter illos.... Patrophilus Scythopolitanus* καὶ ὁ Σκυθοπολίτης Πατρόφιλος, *Theognius ipſius Nicææ epiſcopus, &c. Apoſtolicæ doctrinæ adverſabantur, Ario patrocinantes.* Antiochiam cum cæteris Euſebianis venit anno 331. ad depoſitionem Euſtathii illius urbis epiſcopi conficiendam. Id refert idem Theodoret. *ibid. cap. 21. pag. 52.* A. *Profectus eſt una cum illo* (Euſebio Nicomedienſi) *etiam Theogonius* Θεογόνιος *epiſcopus Nicææ....*

Digitized by Google

Qui quum Antiochiam veniſſent, amicitiæ ſpeciem præferentes, ſummo cultu atque honore excepti ſunt. Veritatis enim defenſor magnus ille Euſtathius omnem illis fraternam charitatem exhibuit. Inde quum ad ſacra loca perveniſſent, & eos qui idem cum ipſis ſentiebant vidiſſent, Euſebium videlicet Cæſarienſem, Patrophilum Scythopolitanum καὶ τὸν Σκυθοπολίτην Πατρόφιλον, &c. *& alios Ariana labe contaminatos; conſilium ſuum eis aperiunt, & una cum illis Antiochiam contendunt, &c. Libro etiam 5. cap. 7. pag. 205.* D. Patrophilum inſignioribus Arianæ hæreſis propugnatoribus accenſet: *Orientalis vero imperii portio multis in locis hanc labem contraxit. Primo enim Arius, &c. Euſebius deinde* (Cæſareenſis) *& Patrophilus* Πατρόφιλος *atque Aëtius Palæſtini, &c. male jactis ſeminibus incrementum præbuere, &c.* Adfuit Patrophilus ſynodo Tyrienſi adverſus Athanaſium anno 335. *tom. 2. concil. Labb. col. 436.* B. Inde cum cæteris epiſcopis Hieroſolymam ſe tranſtulit dedicandæ cauſa novæ ſanctæ reſurrectionis eccleſiæ. Quum autem ibi litteras à Conſtantino recepiſſent ſibi non admodum gratas: *complures quidem ex illis,* inquit Socrates *lib. 1. hiſt. eccl. cap. 35. pag. 71.* A. *edit. Valeſ. ad proprias civitates reverſi ſunt. Euſebius vero & Theognis ac Maris atque Patrophilus cum Urſacio & Valente Conſtantinopolim profecti, non amplius de calice confracto, nec de menſa ſubverſa, nec de cæde Arſenii inquiſitionem fieri permiſerunt: ſed ad aliam converſi ſunt calumniam, imperatori ſuggerentes comminatum eſſe Athanaſium prohibiturum ſe ne annona mitteretur, quæ quotannis ex urbe Alexandria Conſtantinopolim vehi conſueverat, &c.* Qua calumnia circumventus Imperator *Athanaſium in exilium relegavit, & Gallias incolere præcepit.* Euſebium Vercellenſem epiſcopum Scythopolim in exilium miſſum anno 355. indigniſſime habuit Patrophilus, ut legere eſt in ejuſdem Euſebii epiſtola, apud Baronium ad annum 356. *num. 92. & ſeqq.* Anno 359. depoſitionis ſententiam perpeſſus eſt in ſynodo Seleucienſi; *Patrophilum quoque epiſcopatu abdicarunt,* inquit præfatus Socrates *lib. 2. hiſt. eccl. cap. 40. pag. 152.* C. *eò quod à Dorotheo preſbytero accuſatus, & ab ipſis ad cauſam dicendam citatus, non obtemperaſſet.* Fato functus fuerat anno 361. quo furentes gentiles, ut refertur in chronico Paſchali *edit. D. Du Cange Pariſ. 1688. pag. 295. Patrophili quoque Scythopolitanæ eccleſiæ epiſcopi* (in textu Græco ἐπὶ δὲ τοῦ ἁγίου Πατροφίλου ἐπισκόπου τῆς ἐν Σκυθοπόλει ἐκκλησίας) *aperto tumulo, corporis alia quidem diſperſerunt, calvam vero* κράνιον *in uſum veluti lichni ſuſpenſam contumelioſe infixerunt.*

A

ASTERIUS.

II. PHILIPPUS.

III. ATHANASIUS.

Hieronymus *Aſterium* quemdam *Scythopolitanum* laudat *epiſt. 84. ad Magnum vet. edit.* non longe ante finem, his verbis: *Quid in illis* (ſcriptoribus) *indoctum, imò quid non è media philoſophia eſt! Hunc* (Clementem Alexandrinum) *imitatus Origenes decem ſcripſit Stromateas, &c. Extant & Julii Africani libri, &c. Euſebii quoque Emiſeni,* B *& Triphillii Cyprii, & Aſterii Scythopolitæ, & Serapionis confeſſoris, &c.* Et epiſt. 89. ad Auguſtinum: *Porro quod dicis non debuiſſe me interpretari poſt veteres, & novo uteris ſyllogiſmo: aut obſcura fuerunt quæ interpretati ſunt Septuaginta, aut manifeſta, &c. tuo tibi ſermone reſpondeo. Omnes veteres tractatores, qui nos in Domino præceſſerunt, & qui ſcripturas ſanctas interpretati ſunt, aut obſcura interpretati ſunt, aut manifeſta. Si obſcura; quomodo tu poſt eos auſus es diſſerere, quod illi explanare non potuerunt! Si manifeſta, ſuperfluum eſt te voluiſſe* C *diſſerere, quod illos latere non potuit, maxime in explanatione pſalmorum, quos apud Græcos interpretati ſunt multis voluminibus, primus Origenes, ſecundus Euſebius Cæſarienſis, tertius Theodorus Heracleotes, quartus Aſterius Scythopolitanus, quintus Apollinarius Laodicænus, ſextus Didymus Alexandrinus.* Eam epiſtolam ſcripſit Hieronymus exeunte anno 404. Verum incertum eſt num Aſterium iſtum Hieronymus *Scythopolitanum* nuncupet ex præſulatu hujus urbis, quem geſſerit, an ex loco originis ejus, ſive domicilii, uti Cle- D mentem *Alexandrinum* dicit, & Didymum *Alexandrinum,* qui tamen nunquam fuerunt *Alexandriæ* epiſcopi: non enim expreſſe aſſerit Aſterium illum fuiſſe epiſcopum. Aliunde negotium non modicum faceſſit, quandonam epiſcopatum Scythopolitanum capeſſiverit: ſiquidem Epiphanius *to. 1. lib. 3. adverſus hæreſes, hær. 73. num. 24. pag. 872.* A. *edit. Colon. 1682.* Patrophilo aſſerit Philippum ſucceſſiſſe. *Erant enim inter illos,* inquit, *Patrophilus Scythopolitanus, & Philippus qui hujus ſucceſſor conſtitutus illic fuerat.* E Philippus autem iſte ſic recens deceſſerat, quum hunc librum de hær. Epiphanius anno circiter 376. aut 377. ſcripſit, ut de eo quaſi adhuc viveret, licet ſucceſſorem ejus etiam recenſeat, loquatur, *ibid. num. 37. p. 885.* D. *Ex eiſdem & illis Gemellinus extitit. Indidem & Philippus Scythopolitanus: necnon & Athanaſius Scythopolitanus. Qui quidem non occultè, ſed palam & audacter, velut bonitatis omnis expertes, non Arii ſolum decreta docent, ſed & ſuam ipſorum propugnant hæreſim, ac veritatis*

Digitized by Google

ECCLESIA SCYTHOPOLIS.

profeſſores inſequuntur. Tillemontius *tom. 10.* A *monument. ad hiſt. eccl. pp. 407. & 799.* difficultatem ſenſit, ad quam enucleandam ait Aſterium factum fortaſſis fuiſſe epiſcopum Scythopolitanum poſt Athanaſium Patrophili ſucceſſorem, imò poſt Saturninum qui anno 381. concilio generali Conſtantinopolitano interfuit. Sed quia Hieronymus hunc Aſterium, ceu antiquiorem prodit, utpote quem reponat inter Theodorum Heracleotem qui non exceſſit annum 355. & Apollinarium Laodicænum de quo nihil reperimus poſt annum 382. eumdemque Aſterium *quar-* B *tum* computet libri Pſalmorum interpretem, *quintum* vero Apollinarium, & *ſextum* Didymum; conjicit præfatus Tillemontius, ſub Joviano Imperatore, qui Juliano ſucceſſit anno 363. & fato functus eſt anno ſequenti, hunc Aſterium, qui probabiliter orthodoxus erat, ab orthodoxis Scythopolitanis ſuum fuiſſe conſtitutum epiſcopum, dum ſimul Philippus Arianus ſuos Arianos regeret. At iſtud ariolari eſt, quum Epiphanius, qui Patrophilum, Philippum & Athanaſium Arianos epiſcopos Scythopolitanos memorat, Aſterii C ejuſdem urbis illo ipſo tempore antiſtitis orthodoxi nullatenus meminerit. Satius itaque duco Aſterium hunc *Scythopolitanum* dici ab Hieronymo, non quod illius eccleſiæ epiſcopus fuerit; ſed quod vel ex urbe Scythopoli oriundus eſſet, vel in ea urbe diutius commoratus ſit.

De *Philippo* & *Athanaſio* Scythopolitanis præſulibus Arianis nihil aliud nobis notum eſt, quam quod ſupra retulimus ex Epiphanio, ex cujus verbis colligendum datur priori circa ann. 376. aut 377. mortuo ſucceſſiſſe poſte- D riorem. Hic autem jam obierat anno 381. ut modo patebit.

IV. Saturninus.

In indice Latino Patrum ſynodi ſecundæ generalis anno 381. Conſtantinopoli celebratæ ſub Theodoſio Magno, extat *Saturninus Scythopolitanus,* qui probabiliter Athanaſio Ariano, ſive mortuo, ſive depoſito ſucceſſerat. *To. 2. conc. Labb. col. 955.* C.

V. Theodosius.

Inter epiſcopos Orientis qui Joannis Chry- E ſoſtomi amicitiam coluerunt, etiam dum exilio mulctaretur, è præcipuis fuit *Theodoſius Scythopolitanus epiſcopus,* ad quem anno 404. ille ſcripſit epiſtolam 89. Θεοδοσίῳ Σκυθοπόλεως, eumque laudat ceu præſulem magni meriti, eccleſiiſque valde utilem iis difficillimis temporibus. Legitur hæc epiſtola *tom. 4. operum Græco-Lat. Joan. Chryſoſt. Fronton. Ducæi edit. Pariſ. 1636. pag. 730.* B. & *nov. edit. tom. 3. pag. 640.* D.

VI. Acacius.

Dum Cyrillus Alexandrinam eccleſiam adminiſtraret, ſedebat Scythopoli *Acacius,* ſive ante ſynodum Epheſinam I. anno 431. habitam, cui non videtur interfuiſſe, ſive poſt hujus ſynodi celebrationem: Acacio enim epiſcopo Scythopolis Ἀκακίῳ Σκυθοπόλεως ſcripſit epiſtolam Cyrillus *de Capro emiſſario.* Extat hæc epiſtola Græcè & Latinè, operum Cyrilli Alex. *to. 5. part. 2. edit. Pariſ. 1638.* inter ejus epiſtolas *pag. 121. ad Acacium epiſcopum* πρὸς τὸν Ἀκάκιον ἐπίσκοπον, non dicitur cujus loci; ſed Photius *in biblioth. cod. 169. pag. 379. edit. Rothom. 1653.* ait: *Erat & hic epiſtola ad Acacium Scythopolitanum de emiſſario Capro* πρὸς Ἀκάκιον ἐπίσκοπον Σκυθοπόλεως. Ephræmius quoque Patriarcha Antiochenus citat, apud eumdem Photium *ibid. cod. 229. pag. 796.* aliud ſcriptum Cyrilli Alexandrini *ad Acacium Scythopolitanum epiſcopum,* πρὸς Ἀκάκιον Σκυθοπόλεως ἐπίσκοπον.

VII. Severianus *Martyr.*

Inter epiſcopos Palæſtinæ ſecundæ qui ſubſcripſerunt concilio Chalcedonenſi anno 451. commemoratur in indice Latino *Severianus Scythopolitanus, tom. 4. conc. Labb. col. 788.* D. ſed nulla in actis Græcis de eo mentio occurrit. Hunc Theophanes ad ann. 5945. æræ Conſtantinopolitanæ, Chr. 452. Imperatoris Marciani tertium, interfectum refert ab impio Theodoſio ſedis Hieroſolymitanæ adverſus Juvenalem, peracta ſynodo Chalcedonenſi, invaſore: *Severianum autem,* inquit *pag. 92.* B. *edit. Pariſ. 1655. Scythopoleos epiſcopum,* Σευηριανὸν δὲ τὸν ἐπίσκοπον Σκυθοπόλεως, *quum ipſius pravis erroribus aſſentiri nollet, civitate expulſum interfecit.* Ipſe quoque Imperator Marcianus in epiſt. 8. ad Alexandr. monachos, *to. 4. conc. col. 852.* E. ait: *Severianus piæ memoriæ epiſcopus Scythopolis, una cum aliis pro illo* (id eſt, in locum Juvenalis) *nefarie interemptus, veſaniæ Theodoſii fuit parergon:* Σεβηριανὸς δὲ ὁ τῆς εὐλαβοῦς μνήμης ἐπίσκοπος τῆς Σκυθοπολιτῶν, ἅμα ἑτέροις ἀντ᾽ ἐκείνου δυσσεβῶς ἀναιρεθεὶς, πάρεργον τῆς Θεοδοσίου κατέστη μανίας. Et in epiſtola 9. ad Aeliæ monachos, *ibid. col. 857.* B. *Proficientibus autem ad pejora .... Juvenalem ſanctiſſimum epiſcopum, & alios reverentiſſimos ſacerdotes per quendam ad hoc deſtinatum interficere voluiſtis. Quum vero is qui miſſus fuerat, fuiſſet ſpe ſua deceptus, ſine effectu ſuam veſaniam & eorum à quibus miſſus fuerat eſſe non ſinens, Severianum ſanctæ memoriæ epiſcopum gladio percutiens, neque his qui erant cum eo pepercit.* Denique in epiſt. 15. ad ſanctam ſynodum in Palæſtina congregatam, *col. 880.* A. *Severinum* Σευηρῖνον *ſanctiſſimum*

Scythopolitarum

Digitized by Google

ECCLESIA SCYTHOPOLIS.

Scythopolitarum epiſcopum, una cum iis qui cum ipſo erant, interfecit (Theodoſius.) De eo Theodoſio vide ſupra *coll. 116.* B. *& 165.* C. D. In Martyrol. Rom. colitur Severiani memoria die 21. Febr. his verbis: *Scythopoli in Palæſtina S. Severiani epiſcopi & martyris.*

VIII. Olympius.

Severiano anno 452. pro fide Chalcedonenſi, ut ſupra dictum eſt, occiſo, ſuffectum fuiſſe ab orthodoxis in ſede Scythopolitana *Olympium* iſtum veriſimile eſt. Ad eum, ut ad plures alios metropolitanos & epiſcopos, eamdem epiſtolam ſcripſit Leo Imperator anno 457. poſt necem Proterii Alexandrini Patriarchæ, de concilio Chalcedonenſi, quam legere eſt cum nominibus præſulum ad quos miſſa fuit, tum apud Labbeum *tom. 4. concil. col. 889.* E. tum apud Harduinum *tom. 2. col. 689.* C. Notandum tamen, præterquam quod in ſerie epiſcoporum quam recenſet Labbeus tres deſunt epiſcopi qui exſtant in ſerie Harduini, inſuper in ſerie Labbeana haberi: *Baſilio epiſcopo Seleuciæ Iſauriæ. Olympio epiſcopo Conſtantiæ Cypri. Joanni epiſcopo Patrenſi.* In Harduina vero, *Baſilio, &c. Olympio epiſcopo Scythopoleos. Savino epiſcopo Conſtantiæ Cypri. Joanni epiſcopo Patrenſi.* Ex quibus colligitur in ſerie Labbeana, ex duobus epiſcopis unum conflatum fuiſſe, ita ut nomen prioris conjunctum ſit cum ſede poſterioris. Obiit Olympius circa finem anni 466. paulo-poſt beati Theoctiſti in Palæſtina abbatis mortem: ſic enim refert Cyrillus Scythopolitanus in vita ſancti Euthymii *tom. 2. monument. eccleſ. Græc.* Coteler. *num. 100. pag. 284.* B. C. *Quum vero Patriarcha* (Anaſtaſius) *cognoviſſet apud Theoctiſtum aſſidere Euthymium, idque exiſtimaſſet occaſionem eſſe non inopportunam ad eum veniendi, jam beato Theoctiſto ad Deum profecto, tertia die menſis Septembris, accedit ad eum, & communiter ab iis facta eſt corporis ſepultura.* Et num. 103. p. 286. C. *Statim autem poſt magni Theoctiſti obitum, quum Olympius Scythopolitanus epiſcopus vitam reliquiſſet, Coſmas quidem cuſtos crucis pro illo ordinatur epiſcopus.*

IX. Cosmas.

Olympio menſe Septembri vel Octobri anni 466. mortuo ſucceſſit *Coſmas* modo memoratus, de quo hæc ſcribit præfatus Cyrillus in vita citata ſancti Euthymii, ſcilicet *num. 40. pag. 231.* C. *Accedunt ad eum* (Euthymium) *quidam numero tres, fratres ſecundum carnem; qui germina quidem erant Cappadocum regionis, in Syriæ autem tractu educati, illic in virtute & doctrina ſe exercuerant, Coſmas, Chryſippus, & Gabrielius. Is* A *autem faciens ut conſueverat, nec eos admiſit, ætatem cauſans juvenilem, mutuumque naturæ amorem, qui etiam ſolet, ut plurimum, avocare à contentione exercitationis; & maxime quod eſſet Gabrielius adhuc adoleſcens ac imberbis.... Ea vero nocte venit ad ipſum in ſomnis aliquis, mandans tum ut fratres exciperet, ſunt enim, inquit, ab ipſo Deo ad te miſſi: tum ut deinceps paratus eſſet ad ſuſceptionem cujuſlibet accedentis & volentis. Manè igitur præclaram illam fraternitatem & cognationem ſuſcipiens, ut ei juſſerat viſio, ait Coſmæ, qui primus erat ætate* B *inter fratres: ſic ego jam feci, juxta ea quæ mihi à Deo mandata fuerunt, atque vos in hanc domum admiſi, &c. verum non puto te longo tempore hîc vitam acturum; ſed eccleſiæ Scythopolitanæ præfecturam propediem accipies. Num. 54. pag. 245.* C. refert idem Cyrillus Coſmam à Juvenale Patriarcha Hieroſolymitano ordinatum fuiſſe diaconum, circa tempora ſynodi Epheſinæ primæ, quæ anno 431. celebrata eſt. *Et num. 57. pag. 247.* C. ab eodem in ordinem preſbyterorum fuiſſe aſcitum, eique mandatam ſanctæ Crucis C cuſtodiam. Denique *num. 103. pag. 286.* C. conſtitutum eſſe ab Anaſtaſio Patriarcha Juvenalis ſucceſſore epiſcopum eccleſiæ Scythopoleos poſt mortem Olympii, juxta Euthymii prædictionem. *Et quidem B. Coſmas,* inquit, *quum totos triginta annos in eo principali munere permanſiſſet, magnis in ſecunda Palæſtinorum provincia claruit meritis. Chryſippus autem frater ejus, ubi duodecim annos obiiſſet miniſterium cuſtodiendæ crucis* (quod ipſi poſt Coſmam præſtitum fuerat) *ſcriptis relictis & numero multis, & ob tractationem* D *laudabilibus, vita excedit. Horum* tandem *frater Gabrielius, preſbyter,* (factus) *& monaſterii* (S. Stephani. Protom.) *per 24. annos præfectura functus, poſtea breve ſibi ædificavit monaſterium in valle venerabilis templi ad orientem, quod nomine ſanctæ Aſcenſionis donatum fuerat, &c. moritur autem octogeſimo ætatis anno in* (illo) *monaſterio: & illic fit viro ſepulcrum in ſignis maximis illuſtri.* Deceſſerit oportet ex hac vita Coſmam Scythopolitanum antiſtitem anno 496. aut ſequenti, utpote qui à fine anni 466. per 30. annos ſederit.

E

X. Joannes.

Coſmam probabiliter excepit circa annum 496. *Joannes,* quem Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus in epiſtola ſynodica ad Honorium, teſte Photio *codice 231. col. 890. edit. Rothomag. 1653.* inter varios Patres citat contra Monothelitas: *& beatus Joannes antiſtes Scythopolitanus, qui doctè & piè de ſynodo Chalcedonenſi ſcripſit.* Idem Photius *cod. 95. col. 250.* recenſet *Joannis Scythopolitæ*

Digitized by Google

lib. 12. contra Eutychianos. *Lectus eſt*, inquit, *Joannes Scythopolita ſcholaſticus*, Ἀνεγνώσθη Ἰωάννου Σκυθοπολίτου σχολαστικοῦ, *adverſus eccleſiæ deſertores, ſive contra Eutychen & Dioſcorum, ejuſdemque ſectæ aſſeclas.* Quum hunc Joannem *epiſcopum* non appellet Photius, neſcio an non ſit *Joannes* ille *ſcholaſticus Scythopolita Expelleutæ filius*, cujus meminit Cyrillus Scythopolitanus in vita ſancti Sabæ *num. 61. tom. 3. monum. eccl. Græc.* Coteler. *pag. 327.* B. C. qui confundendus non eſt cum *Joanne epiſcopo Scythopolitano*, ſi quidem vivebat ille ſub Theodoſio Joannis epiſcopi ſucceſſore. Porro Joannes grammaticus Scythopolita, diverſus à Joanne epiſcopo, is eſſe videtur qui calamum ſtrinxit adverſus Baſilium Cilicem Neſtoriano errori nimium indulgentem, & à quo ipſe viciſſim multis ſcriptis exagitatus eſt, ut narrat idem Photius *cod. 107. col. 282.* Agatho Papa in epiſtola ad Conſtantinum Pogonatum, quæ lecta eſt in ſynodo VI. generali act. IV. *tom. 6. concil. Labb. col. 664.* Joannem epiſcopum Scythopolitanum laudat: *Non deſunt autem*, inquit, *& aliorum venerabilium Patrum probatiſſima teſtimonia .... beatæ memoriæ Joannes Scythopolitanus epiſcopus, Eulogius Alexandrinus, &c.* Fato functus fuerat Joannes iſte an. 518. ut modo patebit.

XI. THEODOSIUS.

Anno 518. ſedebat *Theodoſius* Scythopolitanus antiſtes, quum Juſtinus Imperator litteras encyclicas ubique miſit pro concilio Chalcedonenſi; ſic enim refert Cyrillus Scythopolitanus in vita S. Sabæ *num. 61. Tom. 3. monum. eccl. Græc. pag. 327.* A. *Tunc archiepiſcopus Hieroſolymorum Joannes ſuadet ſancto Patri noſtro Sabæ tranſire uſque in Cæſaream & Scythopolim, una cum aliis quibuſdam eremi hegumenis, ad patefaciendas illas Imperatoris litteras, & quatuor concilia per urbes ſacris diptychis inſerenda, &c. Etiam Scythopolim advenerunt: atque in occurſum eorum cuncti cives, una cum ſanctiſſimo metropolita Theodoſio prodiere ad ſancti Thomæ apoſtolium ſive templum, &c. Erat porro quidam Scythopoli ſcholaſticus Joannes Expelleutæ filius, vir bonus & animo illuminatus, qui accedens ad ſanctum Sabam in epiſcopalem domum, ſermonem multum de quodam Silvano Samarita habuit .... quibus auditis, ſanctus Pater noſter Sabas Spiritu ſancto repletus, dixit tum epiſcopo, tum iis qui aderant: Ecce veniunt dies, ait Dominus, & complementum in Silvano accipiet Pſalmus Davidis quinquageſimus primus, ut ipſe in media civitate igne comburatur.* Quod tredecim aut quatuordecim annis poſtea, anno ſcilicet 531. aut ſequenti completum fuit, ut legere eſt ſupra *col. 191.* A. Subſcripſit Theodoſius eodem anno 518. epiſtolæ ſynodicæ Joannis Hieroſolymitani adverſus Severum Antiochenum, Θεοδόσιος ἐπίσκοπος τῶν Σκυθοπολιτῶν, *Theodoſius epiſcopus Scythopolitanus, tom. 5. conc. Labb. col. 191.* A. Hunc rogavit ſanctus Sabas anno 532. paulo ante ſuam mortem, ut Cyrilli ipſius vitæ ſcriptoris, qui adhuc puer erat, curam gereret. Vide ſupra *col. 193.* E. Anno 536. ſynodo Hieroſolymitanæ, ſub Petro Patriarcha, adverſus Anthimum & alios hæreticos interfuit: ejus ſubſcriptio exſtat *tom. 5. conc. Labb. col. 283.* C. his verbis: Θεοδόσιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Σκυθοπόλεως, *Theodoſius.... epiſcopus Scythopolitanus.* Quandonam abhinc obierit nos latet, ſed mortuus videtur ante Petrum Patriarcham, quem deceſſiſſe communius aſſerunt ſcriptores anno 544.

XII. THEODORUS.

Theodorus hic Theodoſio probabiliter ſucceſſit. In Origeniſtarum monachorum tumultibus poſt mortem S. Sabæ exortis, de quibus vide ſupra *col. 196. & ſeqq.* Origeniſtis ſe adjunxit, unde Theodoro Aſcidæ factus acceptiſſimus, Scythopolitanus præſul creatus eſt. Audiendus Cyrillus Scythopolitanus in vita ſancti Sabæ *num. 89. to. 3. monum. eccl. Græc. pag. 373.* A. *Quum ergo Theodorus* (Aſcidas) *.... ſtaret à partibus Iſochriſtorum, eoſque tueretur, multoſque ipſorum epiſcopos Palæſtinæ ac hegumenos conſtitui feciſſet; necnon Theodorum novæ lauræ præpoſitum procuraſſet fieri crucis cuſtodem, & Scythopolitanorum metropolitam, procellæ atque tempeſtates comprehenderunt non ſolum noſtrum gregem, ſed etiam eum qui impiiſſimo Protoctiſto dogmati adhærebat, quique præfectum habebat Iſidorum, &c.* Id refert Cyrillus ante Petri Patriarchæ Hieroſolymitani obitum, de quo *ibid.* loquitur *num. ſequenti 90.* C.

In bibliotheca Coiſliana olim Segueriana, *pp. 86. & 94.* legitur ex codice 34. olim 43. membranaceo, ſæculo circiter XII. ſcripto, conſtante fol. 212. *fol. 22.* opuſculum hujus Theodori. Initium eſt: *Libellus Theodori epiſcopi Scythopoleos, religioſiſſimo Domino Juſtiniano, & beatiſſimis Patriarchis Eutychio, Apollinario, Domnino, & Euſtochio; Theodorus miſericordia Dei epiſcopus Scythopolitanum. Quoniam nuper, utpote homo, quædam ſentiebam ab atheo & impio Origene prolata circa præexiſtentiam & reſtitutionem: nunc autem lectis accuratius divinis ſcripturis, & ſanctis deiferiſque patribus, clarè edoctus ejuſmodi impia dogmata cum Græcorum ſtultitiis, & Manichæorum fabulis conſentire, imò etiam cum Arianicis blaſphemiis, & Judaïcis quæ à Neſtorio, ſive ab impio Theodoro* (Mopſueſteno) *excogitatæ ſunt; quumque compererim vos*

Digitized by Google

piiſſimos, ſanctiſſimos, beatiſſimos archiepiſcopos A *& Patriarchas, Eutychium hujuſce imperialis urbis antiſtitem, Apollinarium Alexandrinorum, Domninum Theopolitarum ſeu Antiochenorum, & Euſtochium Hieroſolymitanorum, ejuſmodi dogmata, utpote execranda, jure abhorrere ac omnino ejicere; ac in more ſit eos qui pœnitentiam agunt ac errorem confitentur ſuum, à ſancta Dei catholica & apoſtolica eccleſia recipi; ideoque ego gratiam maximam profiteor Deo, veſtræque piiſſimæ ſerenitati, necnon memoratis beatiſſimis Patriarchis, qui mihi procurarunt ut ab hoc animæ pernicioſo damno liberarer & omnino* B *eruerer*, &c. *Quamobrem imperio veſtro, ac præfatis beatiſſimis Patriarchis obtemperans profiteor ea quæ ſubjiciuntur.* (Sunt duodecim anathematiſmi Juſtiniani Imperat. adverſus errores Origeni adſcriptos, tacito tamen ubique ejus nomine.) Deinde ſic concludit: *Anathema Origeni Adamantio, qui hæc expoſuit, cum deteſtandis & maledictis ejus dogmatibus; omnique perſonæ hæc ſentienti, aut docenti, aut prædicanti, aut quæ ſecundum quidpiam quovis tempore hæc defendere auſa ſit, aut quæ à præſenti tempore hæc non deteſtata fuerit.* C *Theodorus miſericordia Dei epiſcopus Scythopolitanorum præſentem libellum feci, & totum manu mea deſcripſi.*

Porro obſervandum diligenter, Theodorum in eo libello, quem, Eutychio Conſtantinopolitano, Apollinario Alexandrino, Domnino Antiocheno, & Euſtochio Hieroſolymitano Patriarchis, qui omnes anno 553. actis v. ſynodi generalis, tres quidem manu propria, Euſtochius vero per tres vicarios ſubſcripſerunt, adhuc ſedentibus edidit, (ſubindeque intra illud ſpatium temporis quod D fluxit ab an. 552. quo, menſe Aug. exeunte, Mennæ defuncto Eutychius ſuffectus eſt, ad annum 559. quo Domninus obiit illorum primus menſe itidem Auguſto,) nihil omnino eloqui de Origenis damnatione in illa quinta ſynodo generali peracta; nec Didymum & Evagrium vel leviter nominare, quos vulgo ſcriptores una cum Origene in ea ſynodo v. perhibent damnatos. Numquid ſolemnem hanc tacuiſſet Theodorus Origenis proſcriptionem, ex qua tantum laudis redundaſſet in Juſtinianum Imperatorem, præfatoſque Patriarchas, ſi latam fuiſſe noviſſet! Hæc certe mentio præſenti materiæ nec extranea erat, nec à Theodoro negligenda: præſertim quum ea proſcriptio plurimo dedecore dogmata Origeniana quæ ejurabat, aſpergeret. Scriptum autem hoc opuſculum Theodori poſt quintam ſynodum generalem palam fit ex ſilentio Cyrilli Scythopolitani, qui licet lucubrationem ſuam de vita ſancti Sabæ ultra tempus hujus ſynodi generalis cujus meminit, producat; nihil tamen dicit de reditu Theodori Scythopolitani præſulis ad ſanam doctrinam, iis rejectis Origenianis erroribus, propter quorum profeſſionem, ipſo teſte, Theodorus Aſcidas maximus Origeniſtarum monachorum protector, eumdem ad illam ſedem promoveri curaverat. Poſterior itaque fuit retractatio illa Theodori, nondumque facta fuerat quando Cyrillus opus ſuum de vita ſancti Sabæ abſolvit. Hinc vero non parum corroborari videtur aſſertio ſupra ventilata, *col. 210. & ſeqq.* qua ſtatuimus gravioribus momentis, in ſynodo v. generali nihil reipſa de Origene, Didymo & Evagrio damnandis propoſitum, tractatum, aut definitum fuiſſe. Tillemont, *to. 10. monument. ad hiſt. eccl.* in Didymo, ait *pag. 397.* de damnatione ejus cum Origene & Evagrio per ſynodum quintam generalem, *non ignorari multa ſuppetere dicenda*, quæ ad ſæculum ſextum pendenda remittit: his utique verbis innuens damnationem illam Origenis, Evagrii & Didymi, ſummis involvi difficultatibus, nec certam ſibi videri. In indice epiſcoporum hujus ſynodi quintæ, Theodorus iſte Scythopolitanus non legitur, nec aliud quicquam de eo nobis compertum eſt.

ECCLESIA SCYTHOPOLIS.

XIII. GERMANUS.

Geraſimi monachi teſtamento, quod in monaſterio ſancti Euthymii Hieroſolymitano aſſervatur, ſubſcripſit anno mundi juxta æram Conſtantinopolitanam 6654. id eſt Chriſti 1146. poſt Arſenium Patriarcham, *Germanu* metropolitas *Baſan*, ſeu *Bethſan* ὁ Βάσων, id eſt *Scythopolis* (notat ſcilicet Hadr. Reland. *to. 2. Palæſt. illuſtr. pag. 997.* nomen *Bethſan* ab Hebræis conſtanter uſurpari.) Ita habet Doſitheus Patriarcha, *lib. 7. hiſt. Patr. Hieroſ. cap. 22. §. 4.* Vide ſupra ubi de Arſenio, *col. 502.* B.

II. ECCLESIA NAZARETH.

DE *Nazareth* Domini noſtri Jeſu-Chriſti patria, hæc tradit Hieronymus, in locis Hebr. *Nazareth, unde & Dominus noſter Salvator Nazaræus vocatus eſt...... eſt autem uſque hodie in Galilæa viculus contra Legionem in quinto decimo ejus milliario ad Orientalem plagam juxta montem Thabor, nomine Nazara.* Recentiores ab occaſu montis Thabor oppidum iſtud Nazareth aiunt ſitum duabus aut tribus ab eo leucis, 16. aut amplius à Capharnaum milliaribus,

Digitized by Google

ECCLESIA NAZARETH.

colli impoſitum eſt, ex quo Chriſtum præcipitare volebant impii cives, Luc. *cap. 4. verſ. 29.* Addit Hadr. Reland. *to. 1. Palæſt. illuſtr. pp. 497. & 498.* Nazareth dici ab Hieronymo eſſe *contra Legionem,* quamvis ſat magno intervallo inde remota ſit, quia per planitiem interjectam urbem illam reſpicit.

Poſt ſubactam Latinorum armis Palæſtinam, Nazareth epiſcopali ſede ab ipſis donata eſt, metropoliticiſque pro Scythopoli, quæ tunc fere deſerta erat, juribus ornata. A Græcis itidem, poſtquam receſſiſſent Latini, inter metropoles conſervata eſt, licet nihilominus ſua Scythopoli reddita jura videantur.

EPISCOPI NAZARETH.

I. Pachorus.

Pachorus poſt medium ſæculum proximè elapſum antiſtes fuit *Nazareth,* ex qua aſſumtus fuit ad Alexandrinam ſedem occupandam. Obiit Smyrnæ anno 1685. terræ motu obrutus. An ante vel poſt Parthenium eccleſiæ Nazareth præfuerit, ignoramus.

II. Parthenius.

Anno 1672. metropolita Nazareth ſedebat *Parthenius,* quo ſynodo Bethleemitanæ à Doſitheo II. congregatæ adfuit, erroreſque Calvinianos damnavit die 16. Martii: ὁ ἁγίας Ναζαρὲθ μητροπολίτης Παρθένιος, *Parthenius metropolita ſanctæ Nazareth. Tom. XI. concil. P. Harduin. col. 267.* E.

III. Dorotheus.

Dorotheus iſte regebat eccleſiam Nazareth anno 1733. ut certiores nos fecerunt epiſtolæ duæ Gallicè ſcriptæ eo anno, menſe Martio, ex urbe Tripoli Syriæ.

III. ECCLESIA MONTIS THABOR.

Mons *Thabor* memoratur Joſ. *cap. 19. verſ. 22. Jud. 4. verſ. 6. & Pſ. 88. verſ. 13.* In tribus quidem his locis ſeptuaginta interpretes Θαβὼρ *Thabor,* ut in Hebræo eſt, ſcripſerunt: at Ozeæ *cap. 5. verſ. 1.* mutarunt nomen in Græcam formam Ἰταβύριον *Itabyrion.* Unde Hieronymus in hunc locum ait: *Expanditis rete ſuper montem Thabor, quem ſeptuaginta* Ἰταβύριον *tranſtulerunt, hanc habentes conſuetudinem, ut Hebræa nomina Græco ſermone declinent; ſicut Edom, hoc eſt, Eſau; & Seir ſemper Idumæam interpretantur. Eſt autem Thabor mons in Galilæa, ſitus in campeſtribus, rotundus atque ſublimis, & ex omni parte finitur æqualiter.* Ex hac verſione habemus *Itabyrion* Joſephi *lib. 4. de bell. Jud. cap. 6.* (2.) eſſe montem Thabor, de quo ſic loquitur: *Veſpaſianus autem inter curas obſidionis* (Gamalenſis civitatis) *ſubciſivum opus adgreditur adverſus eos qui montem Itaburium* Ἰταβύριον *occupaverant, inter campum magnum & Scythopolim medium: cujus altitudo 30. ſtadiis aſſurgit, Septemtrionali latere inacceſſa: in vertice planities 26. ſtadiorum patet, tota muro circumdata.* Euſebius in Onomaſtico, juxta tranſlationem Hieronymi, hæc de eo monte ſcribit: *Thabor, terminus Zabulon; eſt autem mons in medio Galilææ, mira rotunditate, ſublimis, diſtans à Diocæſarea decem millibus contra Orientalem plagam, qui confinium quoque inter tribum Iſſachar & Nephtalim fuit.* In colle quindecim & amplius ſtadiis alto, propè montem Thabor, urbs quædam fuit ejuſdem nominis, cujus mentio fit 1. Paral. *cap. 6. verſ. 77.* Illam Polyb. *lib. 5. cap. 70. Atabyrion* appellat, de Antiocho rege narrans: *Cæteris quæ ceperat præſidio firmatis ad Atabyrium acceſſit* παρῆν ἐπὶ Ἀταβύριον. *Id in colle ſitum eſt leniter ſe attollente, adſcenſum habens pluſquam 15. ſtadiorum. Uſus vero tum inſidiis & ſtratagemate, oppidum occupavit.* Ita refert Cellarius *geogr. antiq. to. 2. lib. 3. cap. 13. pag. 500.* qui & hæc ſubdit *pag. ſequenti.*

« An *Thabor* ſive *Itabyrius* ſit mons ille excelſus in quo Chriſtus cœleſtem claritatem ad-
» ſumſerit, licet plurimi affirment, ſunt tamen etiam eruditi viri qui negatum eant. Antiqua
» traditio eſt hunc ipſum montem *Thaborem* eſſe, in quo ſanctiſſimi viri Moſes & Elias
» colloquuti cum Servatore ſunt. Hieronymus epiſt. 17. ad Marcellam Paulæ & Euſtochii
» nomine: *Pergemus ad Itabyrium, & tabernacula Salvatoris, non ut Petrus quondam voluit, cum*
» *Moſe & Helia, ſed cum Patre cernemus & Spiritu ſancto.* Idem rurſus Epitaph. Paulæ, ſive
» epiſt. 27. *ſcandebat montem Thabor, in quo transfiguratus eſt Dominus.* Ita Cyrillus, Beda, &
» alii: unde conſtans nata opinio. Nec vero defuerunt qui aliter ſentirent, ſed rationibus
» deſtituti: (His vero momentis) Lightfootus in Marc. *cap. 9.* vulgarem opinionem adgreditur.
» *Chriſtus,* inquit, *in hiſtoria proxime antecedente fuit in finibus Cæſareæ Philippi,* Matt. *cap. 16.*
« *verſ. 13.* Marc. *cap. 8. verſ. 27.* Luc. *cap. 9. verſ. 18. nec, quod ex Evangeliſtis elici poteſt, locum*
» *mutavit ante hanc hiſtoriam. Interceſſerunt quidem ſex dies, in quibus, in quies, proficiſci potuit*

Digitized by Google

ECCLESIA MONTIS THABOR.

» *Chriſtus à Cæſarea Philippi ad Thaborem. Potuit quidem, ſed nullam loco mutationem innuunt* » *Evangeliſtæ, tantum dicentes, quod tres ex diſcipulis ſuis duxerit in montem. Quum deſcenderet* » *de monte, ſanavit puerum dæmoniacum*, Marc. cap. 9. verſ. 26. *Inde in domum introïvit*, verſ. 27. » *ex qua profectus cum diſcipulis prætergrediebantur Galilæam*, verſ. 29. *& venerunt Capharnaum*, » verſ. 32. quam in via reliquiſſet ſi ex Cæſarea illa ad Thaborem montem fuiſſet profectus. » Tandem colligit Lightfootus *conſonantius videri hiſtoriæ evangeliſtæ Chriſtum transfiguratum* » *fuiſſe in monte aliquo propè Cæſaream Philippi, iſto forſan, qui teſte Joſepho altiſſimus ipſiſſimis* » *fontibus Jordanis imminebat, atque ad pedem cujus ſita erat illa Cæſarea.* Hæc ſpecioſe ita » differuntur, ſubjungit Cellarius *pag. 502.* neque improbabiliter: nec vero propterea exploſam velim vulgarem opinionem, quam nominati Patres utique ab antiquioribus acceperant.» Hadr. Reland. qui *tom. 1. Palæſt. illuſtr. pag. 334.* in ſententiam vulgari contrariam ſe propendere indicat, nihil tamen occurrere fatetur quod vulgarem evellere atque evertere queat.

Adamnanus ſcriptor ſæculi ſeptimi, ait de ſitu hujus montis, *lib. 2. de locis Sanctis*, apud eumdem Hadr. Reland. *ibid. pag. 333. Mons Thabor in Galilæa tribus millibus à lacu Chenereth diſtat, mira rotunditate ex omni parte collectus, à parte boreali reſpiciens ſupra dictum ſtagnum, herboſus valde & floridus. In cujus amœna ſummitate ampla planities ſilva prægrandi circumcincta habetur, cujus in medio campo monachorum ineſt grande monaſterium, & plurimæ eorumdem cellulæ, nam illius montis campeſtris vertex non in anguſtum coarctatur cacumen, ſed in latitudinem dilatatur ſtadiorum 24. altitudo autem ejus 30. ſtadiis ſublimatur.* In ſancti Willibaldi itinerario, fœtu ſæculi octavi, legitur: *Ibi eſt nunc monaſterium monachorum, & hæc eccleſia Domino eſt conſecrata, & Moyſi, & Heliæ, & illi cives nominant illum locum, montem age,* (id eſt ſanctum.) Duos tantum hujus eccleſiæ archiepiſcopos novimus.

EPISCOPI MONTIS THABOR.

I. Leontius.

Præſenti ſæculo, ante annum 1733. ſedit quidam *Leontius epiſcopus Montis Thabor*, ὁ Θαβωρίου ὄρους Λεόντιος.

II. Levendius.

Epiſtola Gallicè ſcripta ex urbe Tripoli Syriæ, menſe Martio, anno 1733. tradit epiſcopum *Montis Thabor* qui tunc ſedebat, *Levendium* nominari.

IV. ECCLESIA PELLÆ.

Pellam urbem Decapolis & aquis divitem eſſe ſcribit Plinius *lib. 5. cap. 18.* Hieronymus & Euſebius in *Aſtroth* & *Jabes Galaad*, aliquid de ſitu ejus produnt, nimirum Jabes eſſe *prægrandem villam à civitate Pella ſex millibus diſtantem pergentibus Geraſam:* ſed neutro loco addunt, inquit Cellarius *to. 2. geogr. antiq. lib. 3. cap. 13. pp. 643. & ſeq.* in quam plagam, Orientem an Septemtrionem: quo fit ut in dubio poſitio ejus maneat, præſertim quod nec certiſſima ipſius ſit Geraſæ. Si fides Ptolemaïcis numeris eſſet, confici res facile poſſet: ſed nimis hic diſcrepant Latini à Græcis.... His ergo ſi ſtare licet Geraſa à Pella 35. millibus in ortum recedit, quinque autem ab eadem in Septemtrionem inclinat. Pellam *diruit* Alexander Jamnæus, teſte Joſepho *lib. 13. antiq. cap. 23. eo quod ejus incolæ recuſarent Judæorum ritus recipere.* Idem *lib. 2. de bello Jud. cap. 19.* jungit Geraſa, Pellam & Scythopolim. Euſeb. *lib. 3. hiſt. eccl. cap. 5. pag. 75. A. edit. Valeſ.* hæc narrat de fuga Chriſtianorum verſus Pellam, inſtante obſidione Hieroſolymorum à Veſpaſiano: *quum univerſa plebs fidelium eccleſiæ Hieroſolymitanæ ex oraculo quod viris quibuſdam ſanctiſſimis divinitus editum fuerat, ante initium belli ex civitate migrare, & oppidum quoddam trans Jordanem, Pellam nomine,* Πέλλαν αὐτὴν ὀνομάζουσιν, *incolere juſſa fuiſſet; jamque omnes qui in Chriſtum crediderant, relictis Hieroſolymis, ſedes ſuas Pellam tranſtuliſſent, &c.* Idem tradit Epiph. *lib. 1. adverſus hæreſes, hær. 29. num. 7. pag. 123.* B. *& lib. de ponder. & menſ. n. 15. pag. 171.* A. Ea itaque primordia fuerunt eccleſiæ Pellenſis, cujus tamen præſules nulli ſuppeditantur ante ſæculum quintum.

EPISCOPI PELLÆ.

I. Zebennus.

Prædatoriæ ſynodo Epheſinæ interfuit *Zebennus* anno 449. Ζέβεννος ἐπίσκοπος πόλεως Πέλλης, *Zebennus epiſcopus civitatis Pellæ, tom. 4. conc. Labb. coll. 118.* D. *268.* C. *& 313.* A. Erratum duobus abhinc annis, anno ſcilicet 451. retractavit & eccleſiæ reconciliatus eſt in ſynodo Chalcedonenſi, cujus actis ſubſcripſit, *ibid. coll. 82.* D. *328.* E.

Digitized by Google

ECCLESIA PELLÆ.

* 2.° Quia bis ponuntur *nn. 459 & 460.* in hoc tomo Labb.

460. B. * *494.* B. *585.* B. *& 808.* D.

II. Paulus.

Anno 518. epiſtolæ ſynodicæ Joannis Hieroſolymitani præſulis adverſus Severum Antiochenum nomen ſuum appoſuit Παῦλος ἐπίσκοπος Πέλλης, *Paulus epiſcopus Pellius* ſive *Pellæus. To. 5. conc. Labb. col. 191.* C.

III. Zacharias.

Pellenſem eccleſiam adminiſtrabat *Zacharias* iſte anno 532. Quum enim eo anno S. Sabas Conſtantinopolim miſſus fuiſſet à Petro Patriarcha Hieroſolymorum ad Juſtinianum Imperat. ut miſerum ei Palæſtinæ ſtatum exponeret, Zacharias Pellæ epiſcopus ab Imperatore nominatus eſt cum Antonio epiſcopo Aſcalonis, qui regionem illam luſtrarent: vide ſupra, ubi de Antonio epiſcopo Aſcalonis, *col. 600.* A. Superſtes adhuc erat Zacharias anno 536. quo ſubſcripſit ſententiæ contra Anthimum & alios hæreticos ab eodem Petro Patriarcha latæ menſe Septembri in ſynodo Hieroſolymitana. Ζαχάριας ἐπίσκοπος τῶν Πελλαίων, *Zacharias epiſcopus Palleonus* ſive *Pellæorum. To. 5. conc. Labb. col. 283.* E.

V. ECCLESIA GERASÆ.

Plinius *lib. 5. cap. 18.* in Decapoli *Galaſam* numerat prope Pellam, quod *Galaſæ* nomen, quia aliis ſcriptoribus ignotum eſt, depravatum videtur ex *Geraſa.* Quibus enim oppidis Plinius ſuam *Galaſam* conjunxit, cum iiſdem Joſephus & Ptolemæus *Geraſam* compoſuerunt. Joſephus quidem *lib. 1. de bello Jud. cap. 5. vicos Syrorum,* & his finitimas regiones vaſtaverunt, *Philadelphiam & Geraſam* Γέρασαν, *& Pellam ac Scythopolim: deinde in Gadaram & Hippon irruerunt.* Ptolemæus vero *lib. 5. cap. 15. Hippus.... Scythopolis, Geraſa* Γέρασα, *Pella, Dium, Gadora, Philadelphia, Canatha.* De ſitu hujus oppidi gravis eſt controverſia, quum ad Arabiam alii in Orientem illud tranſponant, alii propinquum mari Galilæo conſtituant. Hieronymus de locis Hebraïc. *in Gargaſi,* cum Euſebio: *Geraſa,* inquit, *urbs inſignis Arabiæ.* Et in Abdiæ *verſ. 19. Benjamin poſſidebit Arabiam, quæ prius vocabatur Galaad, & nunc Geraſa nuncupatur.* Hic regionis nomen eſt, ſed ab urbe *Geraſa* ſubortum. Quod ſi ita eſt, longius remota fuit à mari *Galilæo:* mons quippe Galaad non contingebat proxime mare illud, neque limes erat Arabiæ deſertæ. Alii credunt eſſe *Gergeſenorum* oppidum, cujus Matt. *cap. 8. verſ. 28.* fit mentio; vicinum *Gadaræ,* quoniam Marcus *cap. 5. verſ. 1.* & Lucas *cap. 8. verſ. 26. Gadarenorum* agrum dicunt qui Matthæo eſt *Gergeſenorum:* hiſque favet vulgatus interpres, *Geraſenorum,* ut in Matthæo, ſic & in cæteris Evangeliſtis ſcribens. Verum oppidum iſtud *Geraſenorum* idem non fuiſſe videtur ac *Geraſa* illa Arabiæ: quod etiam poſt Euſebium, in *Gargaſi* ſive *Gergeſa,* non obſcure innuit Hieronymus: *Hæc* (Gergeſa) *eſſe nunc dicitur Geraſa, urbs inſignis Arabiæ* λέγεται, inquit, quaſi aſſerere velit; *dicitur eſſe eadem, ſed revera non eſt:* quia *Gergeſa* eſt mari finitima, *Geraſa* autem ad fines Arabiæ, atque ita extra limitem Judaïcæ regionis. Et certe, teſte Joſepho *lib. 2. de bello Jud. cap. 35.* quum aliæ Judæis extraneæ civitates ipſos interficerent, *Geraſeni* Judæis qui apud ſe manere delegerant nihil intulerunt mali, & egredi volentes *uſque ad fines ſuos deduxerunt.*

Quod ſpectat ad *Gergeſenos* de quibus Matt. *cap. 8. verſ. 29.* fit mentio, fuerunt quidem inter Chananæos *Gergeſæi,* at incertum eſt an reliquiæ illorum ſingulare oppidum trans Jordanem incoluerint & ſuo nomine *Gergeſam* appellaverint. Quidam apud Matthæum non *oppidum* ſed *regionem Gergeſenorum* memorari putant, in qua urbs *Gadara* fuit; verum adverſatur quod ſubulci dicantur *cap. 8. verſ. 33.* εἰς τὴν πόλιν in *oppidum Gergeſenorum* fugiſſe. Euſebius ſupra citatus, de *Gargaſi* ſive *Gergeſa,* hanc ait à nonnullis ipſam eſſe *Gadaram* exiſtimari: quæ duplici proinde nomine deſignaretur. Et certe eadem regio & *Gadarenorum* reperitur dicta, & *Gergeſenorum:* probabilius tamen eſt *Gergeſam* aliquod fuiſſe ſingulare oppidum, ſubjectum *Gadaræ,* eique vicinum ac finitimum, & Galilæo mari æquè aut magis propinquum, in quod impulſu dæmonum grex porcorum ſeſe præcipitaverit. Hæc habet Cellarius *to. 2. geogr. antiq. lib. 3. cap. 13. pag. 645. & ſeqq.*

Oppidulum *Gergeſæ* non videtur ſedes fuiſſe epiſcopalis, ſed ad eccleſiam *Gadarorum* pertinuiſſe, unde nec in notitiis trium Palæſtinarum legitur. *Geraſſa* vero ſive *Geraſa,* (cujus epiſcopus *Placo* in actis concilii Chalcedonenſis legitur) exſtat quinta numero in notitiis provinciæ Arabiæ. Græcè quidem Ἐπαρχία Ἀραβίας ... 5. Γέρασα. Latinè vero *provincia Arabiæ .... Geraſſa*: Apud Hadr. Reland. *to. 1. Palæſt. illuſtr. pp. 217. & 219.* Juris itaque non eſt eccleſiarum Palæſtinæ.

Digitized by Google

VI. ECCLESIA GADARORUM.

JAM ſupra diximus *coll. 595. 596.* duplicem fuiſſe in Palæſtina civitatem *Gadara* in plurali dictam: unam in Palæſtina prima, alteram in ſecunda: quia vero in actis conciliorum non exprimitur cujuſnam præciſe utriuſque hujus ſedis fuerint epiſcopi *Gadarenſes,* qui illis ſubſcripſere, de utraque ea eccleſia & earum præſulibus, ibi loquuti ſumus. Quare hîc nihil amplius de iis dicendum ſupereſt.

VII. ECCLESIA GABARUM *ſeu* GABORUM.

HADRIANUS Relandus *to. 2. Palæſt. illuſtr. pag. 772.* tradit *Gaben* fuiſſe urbem parvam diſtantem à Cæſarea 16. milliaribus, & adjacentem magno campo Legionis. Nulla *Gabe* legitur inter ſedes epiſcopales Palæſtinæ, ſed Γαδὰ *Gadæ:* quum tamen nullus epiſcopus Γάδων in actis conciliorum exſtet, Γαδὰ fortaſſis irrepſit pro Γάβαι. Certe epiſcopus Γάβων in Palæſtina ſubſcripſit in concilio Hieroſolymitano, ut modo patebit. Obſervat idem Hadr. Reland. *ibid. pag. 768. & ſeq.* fuiſſe quoque in tribu Benjamin urbem *Gabee,* de qua Joſ. *cap. 18. verſ. 24.* quam multi putant eſſe eamdem ac *Geba lib. 2.* Eſdr. *cap. 7. verſ. 30.* exſtare etiam nummos inſcriptos Γαβηνῶν *Gabenorum,* quos ad Gaben nonnulli referunt. Verum & in Cœleſyria (diſtincta à Palæſtina) erant *Gabeni,* quorum epiſcopus Γαβηνῶν ſubſcripſit concilio Nicæno primo anno 325.

EPISCOPI GABORUM.

I. RUFFINUS.

INter epiſcopos Palæſtinæ qui Epheſinæ ſynodo anno 431. interfuerunt, legitur *Ruffinus Taborum,* Ῥουφῖνον ἐπίσκοπος Τάβων: *to. 3. concil. Labb. coll. 497.* E. *540.* E. Sed quum nulla fuerit in tribus Palæſtinis hujuſce nominis epiſcopalis ſedes, palam eſt T. emendandum in Γ. & legendum Γάβων, *Gaborum.* Sic etiam habent index Latinus *ibid. col. 691.* E. aliique codices Latini in collectione concil. A Baluzii, *coll. 539. 609. & 632. Ruffinus epiſcopus civitatis Gabarum, Gabon, & Gaborum.*

II. ANASTASIUS.

Anno 536. ſententiæ in ſynodo trium Palæſtinarum Hieroſolymis, præſide Petro Patriarcha, adverſus Anthimum & alios hæreticos latæ, ſubſcripſit *Anaſtaſius epiſcopus Gabenorum, Gaborum,* Ἀναστάσιος ἐπίσκοπος Γαβῶν. *To. 5. conc. Labb. col. 283.* C.

VIII. ECCLESIA ABELÆ *ſive* ABILÆ.

IN notitiis eccleſiaſticis inter Palæſtinæ ſecundæ epiſcopales ſedes recenſetur Ἄβιλα, *Abila,* apud Hadrianum Relandum *to. 1. Palæſt. illuſtr. pp. 215. & 216.* quæ civitas apud eumdem *to. 2. pag. 529.* nuncupatur etiam in litteris ſynodicis Palæſtinæ Ἀβίλη & Ἀβέλη. Ubi autem fuerit, inquit ille in loco ultimum citato, non patet, niſi ſit eadem ac *Abila Batanææ,* de qua Hieronymus loca Hebraïca exponens ait: *alia quoque eſt civitas nomine Abela vini fertilis, in duodecimo à Gadaris milliario contra Orientalem plagam.* Polybius ejus meminit *lib. 5. hiſt. pag. 414. edit. Caſauboni Pariſ. 1609.* ubi ait *Abila* (in plurali numero neutrius generis) capta fuiſſe ab Antiocho κλέιος γίνεται Ἀβίλων. Hanc urbem omiſit Carolus à Sancto Paulo.

Non eſt autem confundenda hæc *Abila Batanææ,* ſive cum *Abila Perææ,* ſive cum *Abila ad Libanum.* Nam prior, quam Joſephus *lib. 5. de bello Jud. cap. 3.* jungit cum *Liviade* ſive *Libyade* & *Beſimoth,* à Jordane 60. ſtadiis aberat, ex eodem Joſepho *lib. 4. antiq. cap. 7. & lib. 5. cap. 1.* Poſterior vero in Libano vel ad Libanum ſita erat, ad plagam ſeptemtrionalem Damaſci urbis Syriæ. In tabula itineraria veteri, quæ vulgo Peutingeriana dicitur, urbs iſta Abila inter Heliopolim & Damaſcum collocatur. Suidas Phœnices fuiſſe ſcribit. Hieronymus *Abela vinearum* nuncupat & ab Abila Batanææ ſecernit his verbis: *Abela vinearum, ubi dimicavit Jephte in terra filiorum Ammon; nam & uſque in præſentem diem in ſeptimo lapide Philadelphiæ villa Abela cernitur vinetis conſita: alia quoque eſt civitas nomine Abela vini fertilis, &c.* ut ſupra. Abela Peræ veriſimiliter perierat temporibus Euſebii &

BIBLIOTECA DERECHO
Digitized by Google

ECCLESIA ABELÆ ſive ABILÆ. Hieronymi, ſiquidem nulla ejus mentione facta urbes tantum duas nomine *Abila* commemorant, unam 12. milliaribus à Gadaris diſtantem, quam cenſemus eſſe Abilam Batanææ, & alteram inter Paniadem & Damaſcum, quæ eſt Abila ad Libanum. Hujus poſtremæ epiſcopus fuiſſe videtur *Jordanes* ille qui in ſynodo Chalcedonenſi inter alios Phœnices epiſcopos poſt Heliopoleos præſulem recenſetur, *Jordanes* ſive *Jordanus Abilæ Syriæ. Tom. 4. concil. Labb. coll. 83.* D. *&* 329. E. Hæc monet Hadr. Reland. *tom. 2. pp. 524. 527. 528. & 529.*

EPISCOPI ABILÆ.

I. SOLOMON.

EPiſtolæ ſynodicæ Joannis Hieroſolymitani antiſtitis ad Joannem Conſtantinopolitanum Patriarcham, adverſus Severum Antiochenum an. 518. ſubſcripſit *Solomon epiſcopus Abilæ*, Σολόμων ἐπίσκοπος Ἀβήλης. *To. 5. conc. Labb. col. 192.* E.

II. NICOSTRATUS.

Synodo trium Palæſtinarum Hieroſolymis convocatæ, ſub Petro Patriarcha, adverſus Anthimum anno 536. interfuit & ſubſcripſit *Nicoſtratus epiſcopus Abilæ*, Νικόστρατος ἐπίσκοπος Ἀβίλης. *To. 5. conc. Labb. col. 283.* D.

III. ALEXANDER.

Nicoſtrato veriſimile eſt ſucceſſiſſe circa annum 538. *Alexandrum* iſtum, qui ſub Juſtiniano Imperatore, quum à Menna Byzantino præſule ejuſque ſynodo proſcripti fuiſſent A multi Origenis errores, huic damnationis ſententiæ, aſſentiri recuſavit, unde & depoſitus eſt. Sic rem narrat Cyrillus Scythopolitanus in vita S. Sabæ *num. 85.* apud Cotel. *to. 3. monument. eccl. Græc. p. 365. Imperator edictum adverſus Origenis errores tulit, cui ſubſcripſit Mennas.... una cum ſynodo ſua, &c.* Et num. 86. pag. 366. *Ubi ergo edictum adverſus Origenem latum, evulgatum fuit Hieroſolymis, cunctique Palæſtinæ epiſcopi & ſolitudinis abbates eidem ſubſcripſere, uno excepto Alexan-* B *dro epiſcopo Abilæ.* Et num. 90. pag. 374. *Poſtquam vero Imperator acta ſynodi Hieroſolymam miſiſſet, omnes per Palæſtinam epiſcopi manu & ore ea confirmarunt, præter Alexandrum Abilæ, qui ideo ab epiſcopatu dejectus eſt, ac* (poſtea) *Byzantii* (quo ſe receperat) *à terræ motu obrutus fuit.* Vide ſupra, ubi de Petro & Euſtochio Hieroſolymorum Patriarchis, *coll. 198.* D. E. *&* 210. B. C.

IX. ECCLESIA MAXIMIANOPOLIS.

HANC urbem ſic appellant Hieronymus, notitia vetus eccleſiaſtica, aliique, quam tamen nonnulli *Maximinianopolim* dici præferunt. Olim dicta fuit *Hadadrimmon*, ſita juxta Jezraëlem. *Adadremmon*, inquit Hieronymus *comment. in Zach. cap. 12. verſ. 11. pro quo Septuaginta tranſtulerunt* Ῥοῶνος, *urbs eſt juxta Jezraëlem, quæ hoc olim vocabulo nuncupata eſt, & hodie vocatur Maximianopolis in campo Mageddon:* & adhuc clarius comment. in Oz. cap. 1. verſ. 5. *ſupra diximus Jezraëlem, quæ nunc juxta Maximianopolim eſt,* ex quibus poſterioribus verbis palam fit *Maximianopolim* eſſe quidem propè *Jezraëlem*, ſed non eſſe ipſam Jezraëlem. In itinerario Hieroſolymitano Maximianopolis abeſſe dicitur 17. millibus à Cæſarea, & 10. à Jezraële, quæ eſt Eſdraëla. Ita Hadr. Reland. *to. 2. pag. 891.*

EPISCOPI MAXIMIANOPOLIS.

I. MAXIMUS. II. PAULUS.

IN indice Latino Patrum Nicænæ ſynodi anno 325. celebratæ, recenſetur inter epiſcopos de provincia Palæſtinæ, *Maximus Maximianopolitanus*, & ſtatim poſt ipſum *Paulus Maximianopolis, tom. 2. concil. Labb. col. 51.* C. quamvis duplex non exſtet in Palæſtina hujus nominis epiſcopalis ſedes: unde conjectu pronum, vocem *Maximianopolitani*, vel *Maximianopolis* in alterutro loco pro alia voce mendoſe fuiſſe poſitam, vel alterum ex duobus illis præſulibus alteri in perſequutionibus priſtinis exulanti ſubrogatum fuiſſe. In C ſynodo Sardicenſi anno 347. inter 15. epiſcopos Palæſtinæ ſubſcripti leguntur, non deſignatis eorum ſedibus, duo *Pauli. To. 2. conc. Labb. col. 679.* D. & in ſynodo Hieroſolymitana eodem anno vel ſequenti habita pro reſtitutione Athanaſii, duo item *Pauli* cum cæteris epiſcopis Palæſtinæ qui ſynodo Sardicenſi adfuerant, & Macrino qui ſupervenit, epiſtolæ ſynodicæ Maximi Hieroſolymitani ad populum Alexandrinum ſubſcripſerunt, *ibid. col. 727.* A. Fortaſſis unus ex illis *Paulis* idem fuit qui ad ſynodum Nicænam acceſſerat. Nomina horum 16. præſulum exſtant ſolum in Græco.

III. MEGAS.

Digitized by Google

ECCLESIA MAXIMIANOPOLIS.

III. MEGAS.

Maximianopolis in Palæſtina epiſcopus erat A *Megas* anno 518. quo epiſtolæ ſynodicæ Joannis Hieroſolymitani præſulis ad Joannem Conſtantinopolitanum Patriarcham, adverſus Severum Antiochenum, initio imperii Juſtini Anaſtaſii ſucceſſoris, ſubſcripſit in hunc modum Μέγας ἐπίσκοπος τῆς Μαξιμιανουπόλεων, *Megas epiſcopus Maximianopolis. To.5. conc. Labb. col. 192.* E.

IV. DOMNUS.

Anno 536. *Domnus epiſcopus Maximianopolis* interfuit, tum ſynodo Conſtantinopolitanæ ſub Menna, *to.5. conc. Labb. coll.51.* B.*59.*E.*&74.*A. tum ſynodo Hieroſolymitanæ ſub Petro Patriarcha, ſententiamque in Anthimum utrobique latam ſua ſubſcriptione approbavit. Δόμνος ἐπίσκοπος Μαξιμιανουπόλεως, *ibid. col. 286.* C.

X. ECCLESIA TIBERIADIS.

TIBERIAS urbs ultima eſt ad oram lacus hujus nominis in auſtrali parte ſita. Hanc *Herodes* Antipas *Tetrarcha,* teſte Joſepho *lib.18. ant. c.3. edit. Genev. 1611. p. 619.* D. *in amicitiam Tiberii receptus condidit, & de ipſius nomine Tiberiadem nominavit, electo ad hoc optimo agro Galilææ in ora lacus Genneſarethici.* Idem Joſephus in vita ſua *p. 1025.* E. Juſtum Tiberienſem æmulum & hiſtoricum adloquens, ait: *Tua vero, Juſte, patria ſita ad lacum Genneſarethicum, & diſtans ab Hippo 30. ſtadiis, 60. à Gadaris, & à Scythopoli centum & viginti.* Ex quibus intelligitur non longè à Jordane ubi in lacum effluit, diſtare Tiberiadem, quia Hippos trans flumen, ſed prope illud, ſita erat. Plinius *lib.5. cap.15.* de oppidis lacum *Geneſaram,* ut ipſe vocat, cingentibus, eum *ab Oriente* ſcribit circumſeptum *Juliade* (id eſt Libyade) *& Hippo: à meridie Tarichæa, quo nomine aliqui & lacum appellant; ab Occidente Tiberiade aquis calidis ſalubri.* Fueritne de novo condita Tiberias, an reparata & inſtaurata ex veteri oppido, diſputatur inter eruditos. Hieronymus in Ezech. *cap. 48. verſ.21.* ait: *Tiberias olim appellabatur Chenereth.* Si id ab aliquo fide digno accepit, certiores erimus de nomine maris *Cinereth* ſive *Chenereth,* & de ipſo ejuſdem nominis oppido, quod utrumque in obſcuro latere videbatur. Talmud codice Megillah *fol.5. col.2.* ſcribit: *& certum nobis eſt Rakkath eſſe Tiberiadem:* porro *Rakkath* illa Joſ. *cap.19. verſ.35.* cum *Chinereth* conjungitur: potuerunt itaque *Rakkath* & *Chenereth* oppida ſic olim fuiſſe deleta, ut novam in loco eorum Herodes Antipas urbem condiderit, quæ non tam inſtaurata vetus, quàm plane nova ædificata cenſeretur. Ita monet Cellarius infra citandus. Verum refragatur Relandus infra pariter citandus, his verbis: « Sunt qui illam Tiberiadem olim *Kinnereth* dictam » putent, aut *Raccath,* aut *Chammath:* ſed quum *Raccath, Chammath,* & *Kinnereth* urbes fuerint » Naphtaliticæ, & Capernaum urbs Tiberiade ſeptemtrionalior in confiniis Zebulonis & » Naphtali ſita fuerit, Tiberias non potuit eſſe *Chammath, Raccath,* aut *Kinnereth. Tiberiada* eſſe » urbem *Kinnereth* hinc puto fuiſſe creditum, quia lacus cui adjacet dicebatur *mare Tiberiadis,* » & *mare Kinnereth,* unde ſibi perſuaſerunt multi *Tiberiada* & *Kinnereth* fuiſſe urbem eamdem.»

A Judæis ſolum, maximè Galilæis, excluſis Samaritanis, ethnicis, & Chriſtianis, habitabantur Tiberias, nonnullæque aliæ urbes, uſque ad tempora Conſtantini magni. At poſtquam Ellel ſeu Hillel Patriarcha ipſorum, ut modo dicetur, baptizatus fuit, Joſephque Comes Chriſti fidem publicè profeſſus eſt, is à Conſtantino impetravit permitti ſibi eccleſias iis in urbibus conſtruere, in quibus nullæ antea fuerant, & præſertim Tiberiade, Diocæſareæ, Nazarethi, & Capharnaumi. Quocirca Tiberiade vetuſtum templum, quod ab Hadriano Imperatore inceptum Ἀδριανεῖον dicebatur, in eccleſiam Chriſtianorum commutari curavit. Hæc refert Epiph. *to.1. lib.1. adv. hær. pp. 128. 136. & 137. edit. Colonienſ. 1682.* Quibus elucidatur quod memorat Lampridius in Alexandro Severo: ſcilicet *Chriſto templum facere voluiſſe* (Alexandrum iſtum) *eumque inter Deos recipere: quod & Hadrianus cogitaſſe fertur, qui templa in omnibus civitatibus ſine ſimulacris juſſerat fieri: quæ hodie, idcirco quia non habent numina, dicuntur Hadriani,* ſive *Hadriania.* Tiberiade, doctorum Judæorum ſcholam diu perſeveraſſe omnes norunt. Lege Cellarium *tom. 2. geogr. antiq. lib.3. cap.13. pp. 496. & 497.* & Hadr. Reland. *to.1. Palæſt. illuſtr. pag. 161. & to.2. p. 1036. & ſeqq.*

EPISCOPI TIBERIADIS.

I. * * *

SUb Conſtantino Magno, qui obiit anno 337. Imperii 32. quidam erat *Tiberiadis epiſcopus,* cujus nomen nobis ignotum eſt. Is videtur non Tiberiade habitaſſe, ubi ſolis Judæis commorari licebat, ſed in aliquo vico propè Tiberiadem, ubi Chriſtianorum in

Digitized by Google

ECCLESIA TIBERIADIS.

regione adjacente degentium curam gerebat. A
Accerſitus autem ab Hillel Judæorum Patriarcha in extremis agente, eum baptizavit. Sic rem narrat Epiphanius ſupra citatus *pag. 127.* D. *num. 4. & pag. ſeq.* A. B. C. *Fuit Joſephus quidam, non hiſtoriæ ille ſcriptor antiquus, ſed Tiberiadenſis alter, qui beatæ memoriæ Conſtantini ſenioris Imperatoris ætate vixit, à quo etiam Comitivam* (id eſt, dignitatem Comitis) *accepit, cum ea poteſtate, ut cum in urbe ipſa Tiberiadis, tum Diocæſaræa, Capharnaumi, ac vicinis aliis in oppidis eccleſias in Chriſti honorem exſtrueret, &c. Hic Joſephus* B
ex illorum erat ordine qui apud Judæos principem locum dignitatis obtinent, quos quidem ſecundum Patriarcham apoſtolos nominant. Aſſident hi Patriarchæ, &c. Erat tum Patriarchæ nomen Ellel, &c. Moriens Ellel vicinum epiſcopum Tiberienſem arceſſit, τελευτῶν δὲ ὁ Ἐλλὴλ ἠξίωσε τὸν κατ᾽ ἐκεῖνο καιροῦ ἐπίσκοπον πλησιόχωρον τῶν Τιβερίων ὄντα, *ab eoque lotione ſacra ſub vitæ exitum, per medicinæ ſpeciem expiatur. Quum enim epiſcopum, per Joſephum, velut medicum evocaſſet, faceſſere juſſis omnibus,* καὶ ποιήσας πάντας ἔξω γενέσθαι, *ſupplex illum inter-* C
pellat his verbis: Quæſo te mihi ut Chriſti ſignum impertias. Tum acciitis miniſtris aquam inferri jubet, tanquam ægrotanti Patriarchæ morbi quoddam ex aqua remedium parare vellet. Illi quid ſtrueret ignari imperata faciunt. Inde verecundiam ſimulans, & univerſos abire jubens Patriarcha ſacro baptiſmate ac divinis myſteriis initiatus eſt, &c. Num. 6. pag. 129. D. & 130. A. *Quum itaque Patriarcha baptiſmo hunc in modum initiaretur, ego, inquiebat* (Joſephus) *per januæ commiſſuram furtim intro ſpectans, omnia quæ ab epiſcopo Patriarchæ fierent obſer-* D
vabam... ubi inter cætera Patriarcha vim quandam auri non mediocrem tenens hanc epiſcopo porrexit, & pro me, inquit, offerto: Scriptum eſt enim (quæcunque) *à ſacerdotibus Dei alligari ſolvique in terris* (contigerit) *omnia & eadem in cœlo ſoluta fore vel alligata. Poſthæc apertis foribus, ſciſcitantibuſque de Patriarcha qui aderant, quemadmodum ex eo remedio valeret, percommode ſe habere reſpondit: quid enim diceret præclare noverat. Biduo dehinc vel triduo, adeunte ſæpius per medici ſpeciem epiſcopo, felici ex hac vita exitu Patriarcha deceſſit,* E
quum prius Joſepho & alteri cuidam honeſtiſſimo viro tenerrimæ adhuc ætatis filium commiſiſſet. Mihi vero, inquit Epiphanius *ibid. n. 5. pag. 128.* D. *hæc, uti dixi, omnia Joſephus ipſe narrabat. Hæc non aliunde quam ex ipſomet illius ore didici, quum affecta jam ætate foret, ac ſeptuageſimum plus minus annum ageret,* (circa annum 355. juxta Tillemont. *tom. 7. monument. ad hiſt. eccl. pag. 298.*)

II. Joannes I.

Synodo ſecundæ Epheſinæ prædatoriæ dictæ interfuit & cum multis aliis epiſcopis lapſus eſt, anno 449. *Joannes epiſcopus Tiberiadis, to. 4. conc. Labb. coll. 118.* D. *267.* D. *& 312.* C. Sed erratum agnovit biennio poſt in conc. Chalced. anno 451. ejuſque definitionibus adverſus Eutychen & in Dioſcorum ſubſcripſit. *Tom. eodem 4. concil. coll. 82.* D. *328.* E. *460.* B. *494.* B. *585.* B. *& 808.* E. Ἰωάννης ἐπίσκοπος πόλεως Τιβεριάδος, *Joannes epiſcopus Tiberiadis civitatis.*

III. Joannes II.

Anno 518. *Joannes* alter epiſcopus itidem Tiberiadis ſubſcripſit epiſtolæ ſynodicæ Joannis Hieroſolymitani ad Joannem Conſtantinopolitanum Patriarcham contra Severum Antiochenum, Ἰωάννης ἐπίσκοπος Τιβεριάδος, *Joannes epiſcopus Tiberiadis, to. 5. conc. Labb. col. 191.* A. Superſtes adhuc erat anno 536. Sententiæ enim adverſus Anthimum hæreticum, & alios, in ſynodo Hieroſolymis eo anno præſide Petro celebrata latæ ſubſcripſit Ἰωάννης Τιβεριάδος, *Joannes epiſcopus Tiberiadis. Ibid. col. 283.* C.

IV. Georgius.

Synodo v. generali anno 553. habitæ interfuit, & cum duobus aliis præſulibus Palæſtinis Euſtochii Patriarchæ Hieroſolymitani vices in ea geſſit *Georgius epiſcopus Tiberiadis,* ut conſtat ex ejus ſubſcriptione in hunc modum: *Georgius miſericordia Dei epiſcopus Tiberiadis, agens vicem Euſtochii ſanctiſſimi Patriarchæ Hieroſolymitanæ civitatis, una cum Stephano & Damiano religioſiſſimis epiſcopis, ſimiliter. To. 5. conc. Labb. col. 579.* E. Legitur etiam *ibid. coll. 416.* B. *430.* A. *509.* A. *& 549.* B. Vide ſupra ubi de Euſtochio, *col. 219.* C.

V. Basilius.

Baſilius iſte vivebat exeunte ſæculo octavo: fuit primum monachus, cellamque habebat Hieroſolymis, propè templum ſanctæ Reſurrectionis, in loco dicto *Spudæo* ἐν τῷ σπουδαίῳ à σπουδάζω ſtudeo, quod ibi ſtudium eſſet ad cleri monachorumque inſtructionem erectum. Hunc Theodorus, qui ſedem Hieroſolymitanam, ſua opera dejecto & in exilium pulſo Helia II. invaſit ante celebratam anno 787. ſeptimam ſynodum generalem, comitem ſumſit ad inviſendum ſanctum Stephanum Sabaïtam, ut ab illo diſceret num intento propoſito correſponderet eventus. Id ſupra explicatum eſt *col. 306. & ſeqq.*

Leontius vitæ ejuſdem Stephani diligentiſſimus ſcriptor, quæ exſtat Græcè & Latinè

Digitized by Google

apud doctiſſimos Bollandianos *tom. 3.* Julii ad diem 13. hæc addit de eo Baſilio, *num. 53. pag. 552.* B. C. *Rurſum alio tempore abbas, cujus paulo ante memini, Baſilius, fatuo Theodoro quondam familiariter uſus, deinde vero propter ejus audaciam impiamque præſumptionem proſcribendo à ſe illum ac faceſſere jubendo, ſapienter adverſatus; ex quo nempe vaticinantem de eo præſcium futuri ſenem audierat: hic, inquam, Baſilius deiferum ſenem adiit, orans ac dicens: Sanctiſſime Pater Stephane, obſecro te ut expedias mihi quanam huc de cauſa acceſſerim; tum quid illa pertendat: novi etenim, novi, quidquid à Deo poſtulas, dari tibi. Ac primo quidem tergiverſabatur ſenex; poſtmodum tamen bona ejus propenſaque voluntate exorari ſe paſſus, duorum ab eo dierum intervallum dari ſibi petiit: poſt quod revertenti ait ſanctus preſbyter: Ad epiſcopatum rogaris, eoque huc jam recurris, quod ſcire aveas numnam id expediat; qua propter edico tibi:* Num. 54. *Epiſcopatum quidem ingentem ac ſublimem, ſupraque mundi dignitates poſitum, ſupernis æternorum bonorum remunerationibus eos honorare, qui ad miniſterium ſuum caſtè integreque obeundum incumbunt, & concreditam ſibi navim prudenter tranquillum in portum dirigunt, ac præſtant incolumem. Rerum omnium nihil eſt ſummo ſacerdotio melius; nimirum quod ad ſupremum virtutum apicem eos attollit, qui religioſe ac ſanctè com-*

A *miſſa ſibi eccleſiaſtica gubernacula moderantur. Veruntamen, ſi me audis, cavebis illos ſequi qui te requirunt, graviſſimoque hoc premendam jugo inclinare cervicem; ſed leve illud, quod geſtas modo, ſervare in perpetuum perges; nam epiſcopum agere non expedit tibi. Scio tamen, quantumvis inhibeam, nequaquam acquieſces, ſed ultro admittes epiſcopatum: quippe nec imponitur tibi neceſſitas, nec vis affertur, ſed honor volenti oblatus eſt.* Num 55. pag. 553. *Demiratus hæc itaque abbas Baſilius ait: Quid hoc*
B *ſibi velle dicam, pater ſanctiſſime, quod edoctus à Deo epiſcopum omnino fore me, prohibes tamen hortariſque ne fiam? Cui ſenex repoſuit: quodcunque divinitus oſtenſum eſt mihi, non te celavi, quum te dixi, neque vi, neque neceſſitate ad honores, ſed tua voluntate adductum eſſe, & ſignificavi vitam iſtam, quam agis modo, magis tibi, quam epiſcopatum expedire, &c.* Et n. 58. pag. 554. *Quibus quidem perculſus Baſilius bonorum datori, ac Deo nunquam ſat laudando Euchariſticum carmen direxit, ſtupendam ſenis*
C *virtutem extollens: nam prævifione hac ad apicem impleta, eaque pluribus narrata, Hierichuntinæ eccleſiæ adminiſtranda ſuſcepit negotia, atque inde ſanctum eundem ſenem inviſit, Tiberiadis dilectæ Chriſto civitatis, per id tempus epiſcopus, deiferi ſenis indigno me tunc agente diſcipulum, &c.* Nihil aliud de eo Baſilio novimus.

XI.

ECCLESIA HIPPI.

HIPPOS, Græcè Ἵππος, triginta ſtadiis à Gadaris diſtabat, & totidem à Tiberiade; propè ripam Jordanis lacu egredientis in Decapoli. Lighfootus chorogr. Matt. *c. 77.* conjicit hanc eſſe eam urbem quam Hebræi *Suſitham* appellarunt. Nulla Hippi in ſacris paginis occurrit mentio, niſi nomen aliud olim habuerit ſub quo recenſeatur. Joſephus tamen Hippi multis in locis meminit. Narrat quippe *lib. 14. antiq. cap. 8.* Herodi redditas fuiſſe urbes Hippos, Gadara, & Samariam. *Lib. 17. cap. 13.* Gadara, Hippon, & Gaulanitida vaſtata à Judæis. *Lib. 3. de bello Jud. cap. 2.* urbes *Hippenen*, Gadara & Gaulanitida, eſſe terminos Galilææ ad ortum. In vita ſua *pag. 1001. edit. Genev. 1611.* Gadarenorum & Hippenorum vicos qui in confiniis Tiberiadis & agri Scythopolitani ſiti erant, incenſos à Juſto Tiberiade egreſſo, quam ob cauſam, *pag. 1030.* ille à primatibus Decapolitanis apud Pompeium accuſatus fuit. *Et pag. 1010.* ſe per lacum Tiberiadis navi aſſumpta in confinia Hippenorum trajeciſſe. Hippus in notitiis veteribus eccleſiaſticis inter ſedes epiſcopales ſecundæ Palæſtinæ recenſetur, cujus nonnulli in actis conciliorum ſuppetunt præſules.

EPISCOPI HIPPI.

I. PETRUS.

COnciliabulo Seleucienſi anno 359. interfuit & ſubſcripſit Πέτρος ἐπίσκοπος Ἵππου Παλαιστίνης, *Petrus epiſcopus Hippi in Palæſtina.* Ita Epiphanius *tom. 1. hæreſ. 53. pag. 874.* Non dubitat Hadr. Reland. *tom. 2. Palæſt. illuſtr. p. 821.* quin idem fuerit qui concilio Antiocheno ſubſcripſit anno 363. teſte Socrate *lib. 3. hiſt. eccl. cap. 25. pag. 204. edit.*
D *Valeſ.* ubi nunc legitur, poſt Titum epiſcopum Boſtrenum, Πέτρος Σίππων, *Petrus Sipporum.* Legendum ſcilicet ait Ἵππων, *Petrus Hippenorum* ſive Hipporum.

II. CONON.

Litteris ſynodicis Joannis Hieroſolymorum epiſcopi ad Joannem Conſtantinopolitanum præſulem contra Severum Antiochenum ſubſcripſit anno 518. *Conon epiſcopus*

ECCLESIA HIPPI.

Hipponius, Κόνων ἐπίσκοπος Ἵππων. *To. 5. conc. Labb. col. 192.* E.

III. Theodorus.

Sententiæ adverſus Anthimum latæ in ſynodo Hieroſolymitana, ſub Patriarcha Petro, an. 536. ſubſcripſit Θεόδωρος ἐπίσκοπος Ἱππηνῶν, *Theodorus epiſcopus Iptenorum. Tom. 5. concil. Labb. col. 286.* E. Ait autem Hadr. Rel. *to. 2.* A *Palæſt. illuſtr. pag. 534. In quibuſdam Latinis* (indicibus legitur) Ipſenorum, *puto pro* Hippenorum Ἱππηνῶν. Harduinus quoque *to. XI. conc. col. 749.* de illa eccleſia Hippi hæc habet: *Hipponius in Palæſtina ſecunda, ex notitia Græca, in qua eſt ibi* Ἵππος, Plinio *lib. 5. c. 15. In Judæa eſt Hippos.... Theodorus Iptenorum, (pro Hippenorum) in conc. Hieroſ. anno 536.*

XII. ECCLESIA JOTABÆ *ſive* JOTABES.

JOTABÆ, Græcè Ἰωτάβη, urbs Palæſtinæ epiſcopatu inſignis, quæ tamen in notitiis veteribus eccleſiaſticis non recenſetur. Vox affinis eſt *Jotape* Ἰωτάπη, cujus Joſephus meminit in vita ſua *pag. 1024. edit. Genev. 1611.* ſed hæc *Jotape* Joſephi, videtur eſſe *Jotapata,* urbs ſita in Galilæa, & omnium munitiſſima, quæ fere tota rupes vallibus profundiſſimis cincta, nonniſi à ſeptemtrione adiri poterat. Hanc expugnavit arcem Veſpaſianus, non obſtante valida ejuſdem Joſephi qui eam defendebat reſiſtentia, & deſtruxit. Vide Joſephum ipſum *lib. 3. de bello Jud. à cap. XI. ad 24.* At nullum ſuppetit momentum ex quo eruamus Jotaben, de qua hîc agitur, fuiſſe Jotapen ſive Jotapatam Joſephi.

EPISCOPI JOTABÆ.

I. Marcianus.

IN actis ſynodi Chalcedonenſis anno 451. B celebratæ, refertur act. IV. *to. 4. conc. Labb. col. 494.* C. ſexdecim epiſcopos Palæſtinæ ibidem nominatos, quorum ultimus erat *Marcianus epiſcopus Jotapæ,* ſubinde, ut alii, etiam ipſe in Palæſtina epiſcopus, ex charta quam dictaverant per Anianum epiſcopum Capitoliadis in Palæſtina, ſignificaſſe ſe aſſentiri tribus præcedentibus conciliis generalibus, & epiſtolæ Leonis ad Flavianum, C καὶ Μαρκιανὸς ὁ εὐλαβέστατος ἐπίσκοπος Ἰωτάπης, *& Marcianus reverendiſſimus epiſcopus Jotapæ, ex charta quum dictaſſent per Anianum epiſcopum Capitoliadis dixerunt, &c.* Idem videtur fuiſſe, qui poſt act. XV. legitur ſubſcriptus inter epiſcopos Palæſtinæ tertiæ, *ibid. col. 788.* D. In indice Latino, *Marcianus Diotanus* pro *Jotabenus,* errore codicis ſive librarii.

II. Anastasius.

Anno 536. concilio Conſtantinopolitano ſub Menna, menſe Maio, interfuit, & poſt Domnum Maximianopolitanum ſecundæ Palæſtinæ legitur, *Anaſtaſius Jotapæ,* Δόμνε Μαξιμιανουπόλεως τῆς δευτέρας Παλαιστίνης, Ἀναστάσιος Ἰωτάβης. *To. 5. conc. Labb. coll. 51.* B. *59.* E. *& 74.* A. Item *ibid. col. 99.* A. *col.* autem *259.* C. ſubſcripſit Ἀναστάσιος ἐπίσκοπος νήσου Ἰωτάβης, *Anaſtaſius epiſcopus Inſulæ Jotabæ,* ante Domnum Maximianopolitanum. Subſcripſit etiam libello qui refertur in eodem concilio Conſtantinopolitano *ibid. col. 43.* D. Ἀναστάσιος ἐπίσκοπος Ἰωτάβης, *Anaſtaſius epiſcopus Jotabæ,* ante eumdem Domnum. Item inter epiſcopos trium Palæſtinarum, qui eodem an. 536. menſe Sept. ſententiæ adverſus Anthimum hæreticum & alios latæ Hieroſol. in ſynodo ſub Petro Patriarcha ſubſcripſere, exſtat Ἀναστάσιος ἐπίσκοπος Ἰωτάβης, *Anaſtaſius epiſcopus Jotapæ* ſive *Jotabæ. Ibid. col. 286.* A.

XIII. ECCLESIA HELENOPOLIS.

HELENOPOLIS, ſic nuncupata fuit de nomine *Helenæ* matris Conſtantini Magni, ut tradit Sozomenus *lib. 2. hiſt. eccl. cap. 2. pag. 443.* D. *edit. Valeſ.* his verbis: *Habent etiam tempora ventura perenne pignus memoriæ ejus* (Helenæ) *urbes duas de nomine ejus dictas, alteram in Bithynia, alteram in Palæſtina.* Hanc omiſere Carolus à Sancto Paulo Fulienſis, & Holſtenius in notitia epiſcopatuum Palæſtinæ ſecundæ. Recenſetur tamen in notitia Græca patriarchatuum. At quod prius nomen urbis illius fuerit, ignotum eſt.

EPISCOPI HELENOPOLIS.

Procopius.

ANno 536. Helenopolitanæ eccleſiæ in Palæſtina præerat *Procopius:* quandoquidem interfuit ſynodo Hieroſolymitanæ ſub Petro Patriarcha contra Anthimum. *Tom. 5. conc. Labb. col. 286.* B. Προκόπιος ἐπίσκοπος Ἑλενουπόλεως, *Procopius epiſcopus Helenopolitanus.*

Digitized by Google

XIV. ECCLESIA DIOCÆSAREÆ.

DIOCÆSAREA, etiam *Sepphoris* appellata eſt, & à Rabbinis *Zippori*. Fuit Galilææ primaria & munitiſſima in medio illius regionis. Diſtabat 10. milliaribus à monte Thabor, & 18. milliaribus à Tiberiade. Joſephus tradit *lib. 13. antiq. cap. 21. & lib. 17. cap. 12.* Sepphori adfuiſſe unum ex quinque Synedriis totius terræ Judaïcæ: quatuor vero reliqua Hieroſolymis, Hierichunte, Gadaris & Amathunte. *Et lib. 18. cap. 3.* Captam hanc urbem à Varo: deinde caput Galilææ conſtitutam ab Herode Antipa. Ejus etiam meminit *lib. 2. de bell. Jud. cap. 37. & lib. 3. c. 3.* Quum autem Judæi Diocæſareæ habitatores adverſus Romanos arma ſumpſiſſent, Conſtantius Gallus, quem Conſtantius Imperator ornaverat Cæſaris dignitate, miſſo exercitu eos profligavit, civitatemque Diocæſaream ſolo æquari præcepit: ita referunt Socrat. *lib. 2. hiſt. cap. 33. pag. 128.* B. *edit. Valeſ.* & Sozom. *lib. 4. hiſt. cap. 7. p. 545.* B. Id contigit anno 353. At non multo poſt fuiſſe reædificatam colligitur ex epiſtola Petri Alexandrini S. Athanaſii ſucceſſoris apud Theodoret. *lib. 4. hiſt. eccl. cap. 22.* Narrat enim *pag. 185.* A. B. *edit. Valeſ.* à Lucio Ariano ſedis Alexandrinæ invaſore, agente magno Comite largitionum, epiſcopos undecim Ægypti orthodoxos & virtute celeberrimos Diocæſaream relegatos fuiſſe, *urbem quæ à Judæis Domini interfectoribus colitur.* In *Midras Schir Haſſchirim* hæc legi *fol. 35. num. 2.* de ſartore quodam nomine Juſto, teſtatur Hadr. Reland. *tom. 2. Palæſt. illuſtr. pag. 1001. & ſeq. Juſtus, ſartor Sepphorienſis, ad Romanos abiit, & eo uſque favorem Imperatoris impetravit, ut juberet eum petere quodcunque vellet. Petiit Juſtus ut præficeretur ditioni patriæ: quod quum obtinuiſſet, rediit Sepphorim. Populares ejus, qui vix ſibi perſuadere poterant Sartorem ad hanc dignitatem eſſe evectum, contendebant inter ſe, eſſetne hic Juſtus ipſe, necne. Tandem alicui hoc venit in mentem: videamus, inquit, quum in publico procedit an tranſiens illum locum, ubi olim conſidens Sartorem egit, reſpiciat. Si reſpiciat, ſignum erit hunc eundem eſſe. Quid fit! eò tranſiens Juſtus reſpexit locum, & pro eo agnitus eſt, & dixit illis: an vos miramini fortunam meam! Ego magis eam ipſam miror.* Recenſetur Diocæſarea, in notitia Græca patriarchatuum, inter ſedes epiſcopales Palæſtinæ ſecundæ. Eam tamen Carolus à Sancto Paulo in ſua ſerie omiſit.

EPISCOPI DIOCÆSAREÆ.

I. MARCELLINUS.

ANno 518. epiſtolæ ſynodicæ Joannis Patriarchæ Hieroſolymitani ad Joannem Conſtantinopolitanum præſulem adverſus Severum Anthimum & alios hæreticos, ſubſcripſit *Marcellinus*, Μαρκελλῖνος ἐπίσκοπος Νεοκαισαρείας, legendum certe Διοκαισαρείας, quum nulla fuerit in Palæſtina urbs *Neocæſarea*, ſed *Diocæſarea*, *Marcellinus epiſcopus Diocæſareæ.* Sic obſervat Hadrianus Reland. *Palæſt. illuſtr. to. 2. pp. 530. & 1001.* Vide A *tom. 5. conciliorum Labb. col. 192.* B.

II. CYRIACUS, *ſive* DOMINICUS.

Quum epiſcopi trium Palæſtinarum ſynodum Hieroſolymis celebrarunt contra Anthimum & alios heterodoxos, præſide Petro Patriarcha, anno 536. Diocæſarienſis eccleſiæ præſul *Cyriacus*, interfuit & ſubſcripſit in hunc modum: Κυριακὸς ἐπίσκοπος Διοκαισαρείας, in Latina ſerie *Dominicus epiſcopus Diocæſarienſis. To. 5. conc. Labb. col. 286.* B.

XV. ECCLESIA EXALENSIS.

EXALUS, Græcè Ἐξαλοὺς, videtur eſſe Ἐξαλοὺς Euſebii in Onomaſtico ad vocem ἀχσὰφ, ſicque apud eum, (non vero Ἐξαδοὺς, ut nunc) legiſſe Hieronymum, qui vertit..... *Appellatur hodie villula Chaſalus in octavo lapide Diocæſareæ ad radicem montis Thabor in campeſtribus* verſus ortum. De Caſaloth mentio fit Joſ. *cap. 19. verſ. 18.* Non exſtat quidem Exalus ſive Chaſalus in notitiis veteribus eccleſ. ei tamen præerat epiſcopus ſæculo ſexto.

EPISCOPI EXALENSES.

PARTHENIUS.

INter ſubſcriptiones ſynodi Hieroſolymitanæ ſub Petro Patriarcha ex epiſcopis trium Palæſtinarum anno 536. congregatæ legitur Παρθένιος ἐπίσκοπος Ἐξάλους, *Parthenius epiſcopus Epalanus*, ſic quidem in indice Latino, *to. 5. conc. Labb. col. 286.* D. Sed legendum

Digitized by Google

ECCLESIA EXALENSIS.

eſt *Exalenſis*, vel *Exalanus*, juxta textum Græcum Ἐξάλους. Pro illo ſubſcripſit, Theodorus epiſcopus, (nî fallor, Gadarorum, qui ſtatim pro ſe ſubſcripſit:) nam immediate poſt verba modo recitata Παρθένιος, &c. *Parthenius, &c.* ſubſequitur: Θεόδωρος ἐπίσκοπος ἔγραψα ὑπὲρ αὐτοῦ, διὰ τὸ ἀσθενεῖν αὐτόν. *Theodorus epiſcopus ſubſcripſi pro ipſo, eò quod ipſe infirmaretur.*

XVI. ECCLESIA AMATHUNTIS.

AMATHUS, Græcè Ἀμαθοῦς, urbs fuit munita in regione trans Jordanem. Euſebius de locis Hebr. ad vocem *Æmath*, & ex illo Hieronymus: *Et nunc Amathus villa dicitur* (addit Euſebius *in Peræa inferiore*) *in viceſimo primo milliario Pellæ ad meridiem.* Joſephus *lib. 13. antiq. cap. 21. & lib. 1. de bell. Jud. cap. 3.* ſcribit Theodorum Zenonis Philadelphiæ tyranni filium Amathunte theſauros ſuos condidiſſe, ex quo infertur Amathuntem non longè fuiſſe ab urbe Philadelphia.

EPISCOPI AMATHUNTIS.

I. THEODOSIUS.

INter epiſcopos Palæſtinæ qui anno 449. ſynodo Epheſinæ prædatoriæ dictæ adſtiterunt, recenſetur *Theodoſius epiſcopus Amathuntenus. To. 4. conc. Labb. coll. 270.* C. *&* *320.* D. Θεοδοσίῳ Ἀμαθοῦντος.

II. SERGIUS.

Cyrillus Scythopolitanus in vita S. Sabæ abbatis, *num. 27. tom. 3. monum. eccl. Græc.* Coteler. *pp. 257.* C. *& 258.* A. mentionem facit de *Sergio* quodam Theodori abbatis fratre, qui ad eccleſiæ Amathuntis regimen aſſumptus eſt. *Paulo autem mortuo,* inquit, (quem Sabas monaſterio Caſtellii præpoſuerat) *gubernationem tenuit Theodorus, propriumque fratrem Sergium & Paulum patruum* (ſive avunculum) *ſuum admiſit genere Meli-*
A *tinos, qui poſtquam Caſtellio per aliquod tempus præclare præfuiſſent, Amathuntis & Ailæ epiſcopatum exceperunt.* Id contigit ſæculo quinto exeunte, vel ſæculo ſequenti.

III. PROCOPIUS.

Epiſtolæ ſynodicæ Joannis Hieroſolymitani antiſtitis ad Joannem Conſtantinopolitanum Patriarcham, adverſus Severum Antiochenum ſubſcripſit anno 518. *Procopius*
B *epiſcopus Amathuntis*, Προκόπιος ἐπίσκοπος Ἀμαθοῦντων. *To. 5. conc. Labb. col. 191.* E.

IV. DIONYSIUS.

In ſubſcriptionibus libelli ſynodi trium Palæſtinarum anno 536. exſtat *Dionyſius epiſcopus Amathuntis*, Διονύσιος ἐπίσκοπος Ἀμαθοῦντων. *To. 5. conc. Labb. col. 286.* E.

XVII. ECCLESIA CAPITOLIADIS.

PTOLEMÆUS tradit urbem Ἱεροσόλυμα Hieroſolymam eamdem eſſe quæ Καπιτωλιὰς *Capitolias* dicitur: ſed quum antea inter Hippon & Gadara urbem Capitoliada collocaverit, videtur librariis potius quam ipſi adſcribendum eſſe errorem, & legendum Hieroſolymam dici *Capitolinam* Καπιτωλίναν, uti & Dioni-Caſſio nuncupatur. Certe hanc Capitoliadem differre ab Ælia Capitolina ſive Hieroſolymis palam eſt, tum ex nummis ubi Capitolias αὐτόνομος, id eſt, *ſuis legibus utens* profertur, ad diſcrimen Æliæ Capitolinæ, quæ, ut-pote colonia Romana, legibus non ſuis ſed Romanis utebatur, tum ex actis conciliorum Nicæni I. & Chalcedonenſis, ubi recenſentur epiſcopus Hieroſolymorum & præſul Capitoliadis. *Capitolias, Capetoliſſa* & vulgo *Sunete* appellatur. Conſtituitur quidem in itinerario Antonini inter Gadara & Damaſcum; at in tabula Peutingeriana, inter Gadara & Adraa. Ita Hadr. Reland. *to. 2. Palæſt. illuſtr. p. 693.*

EPISCOPI CAPITOLIADIS.

I. ANTIOCHUS.

IN indice Latino Patrum ſynodi Nicænæ, inter epiſcopos Palæſtinæ recenſetur *Antiochus epiſcopus Capitolienſis* vel *Capitoliadis*, qui ſubinde anno 325. ſedebat. *To. 2. conc. Labb. col. 51.* C.

II. ANIANUS *ſive* ANANIAS.

Synodo Chalcedonenſi anno 451. cele-
C bratæ adfuit *Anianus epiſcopus Capitoliadis*, Ἀνιανὸς ἐπίσκοπος Καπιτωλιάδος, & interdum Ἀνανίας, ut act. IV. ubi chartam ſive libellum ſcripſiſſe dicitur, nomine ſexdecim epiſcoporum Palæſtinæ, quo rectam de duabus Chriſti Domini naturis fidem profitebantur, & Leonis Papæ ad Flavianum epiſtol. approbabant. *To. 4. conc. Labb. col. 494.* B. In tranſlat. tamen Lat. dicitur *Anianus*. Subſcripſit demum, cum

Digitized by Google

ECCLESIA CAPITOLIADIS.

cæteris hujus ſynodi præſulibus, cunctis ejuſdem decretis, *ibid. coll. 82.* D. *328.* E. *459.* A. *494.* B. *585.* A. *788.* D. *& 808.* D.

III. BASSUS.

In ſubſcriptionibus epiſcoporum Palæſtinæ epiſtolæ ſynodicæ Joannis Hieroſolymitani antiſtitis ad Joannem Conſtantinopolitanum Patriarcham anno 518. miſſæ adverſus Severum Antiochenum, legitur Βάσσος ἐπίσκοπος Καπετωλιάδος, *Baſſus epiſcopus Capitolianus. To. 5. conc. Labb. col. 192.* C.

IV. THEODOSIUS I.

Synodo trium Palæſtinarum, quæ, Petro Patriarcha præſide, habita eſt menſe Septembri anni 536. contra Anthimum & alios hæreticos, interfuit & ſubſcripſit *Theodoſius epiſcopus Capitolienſis,* Θεοδόσιος ἐπίσκοπος Καπιτωλίου. *To. 5. conc. Labb. col. 286.* E.

V. THEODOSIUS II.

Sæculo ſexto exeunte, vel ſæculo ſequenti, epiſcopus Capitoliadis fuit *Theodoſius* alter, à quo nonnulla de geſtis quorumdam abbatum ſe accepiſſe teſtatur Joannes Moſchus in Prato Spirituali, dum ipſe in cœnobio ſancti Theodoſii archimandritæ monachus degeret. *To. 2. Bibl. Patr. Græco-Lat. edit. Pariſ. 1624. Narravit nobis in cœnobio ſancti Patris noſtri* A *Theodoſii,* inquit *cap. 104. pag. 1099. abbas Theodoſius, qui fuit epiſcopus Capituliadis, de abbate Nonno preſbytero, &c.* Et *cap. 9. ibid. pag. 1104. De abbate Sergio, Patre monaſterii abbatis Theodoſii, narravit nobis abbas Theodoſius ejus diſcipulus, bonus ac mitis & humilis, qui fuit epiſcopus Capitoliadis, quod duodecim annos obſervaſſet eum, ſi vel ſemel turbaretur, & nunquam turbatum vidit.*

VI. PETRUS.

Synaxarium Baſilii Imperat. ad diem 4.
B Octob. *Petrum* martyrem memorat, qui ex Gentili Chriſtianus factus, & poſtea *Capetolii* ſive *Capitoliadis epiſcopus ordinatus,* quum multos ad Chriſti fidem converteret, à præfecto, erutis primum oculis, naribus amputatis, manibus ac pedibus nervo fractis, in crucem tandem actus, pro tortoribus Deum deprecari non ceſſabat. Aliud menologium vetus, quod Henricus Caniſius *tom. 2. antiq. lect.* edidit, eodem die meminit *ſancti Petri Capitolii* preſbyteri, qui Damaſcum ductus ab Hagarenis, ſeu Saracenis, effoſſis oculis, cruci affixus, capite demum truncatus, in ignem projectus eſt. In utroque illo menologio eumdem Petrum deſignari palam videtur: at non ita clarum, num Capitoliadis reipſa epiſcopus fuerit, & quandonam martyrium ſubierit.

Vid. Ughellum *tom. 6. Ital. ſac. vet. edit. col. 1091. n. 84.* C.

XVIII. ECCLESIA CAPARCOTIÆ *ſive* CAPHARCOTIÆ.

C*APHARCOTIA* urbs Galilææ eſt, Ptolemæo dicitur Καπαρκότια. De ea loquitur Hadr. Reland. *tom. 1. Palæſt. illuſtr. pag. 461. & to. 2. pag. 687.* In hoc ſecundo loco addit: *Caparcotani* legitur inter Scythopolim & Cæſaream Palæſtinæ in tabula veteri Peutingeriana. Supra dixerat *tom. 1. pag. 211.* Caparcotiam, juxta Carolum à Sancto Paulo *geogr. ſac. pag. 316.* eſſe Ptolemæi interpretibus *Caparnaum,* hancque ab ipſo collocari in mappa ſua geographica patriarchatus Hieroſolymitani ad latus ſeptemtrionale maris Galilææ. Verum urbs (illa) fuit inter Scythopolin & Cæſaream, nec quidquam eſt quod ſuadeat (id) de *Capernaum* eſſe cogitandum, præſertim quum plurima Palæſtinæ loca nomen *Caphar* (quod *vicum* ſignificat) præpoſitum habeant. *Caparcotiam* Palæſtinæ ſecundæ idem Carolus à Sancto Paulo adſcribit, quæ tamen non memoratur in notitiis veteribus eccleſiaſticis: ejuſque præſulem fuiſſe tradit *Demetrium* quemdam, qui ſynodo Hieroſolymitanæ anno 536. interfuit & ſubſcripſit in hunc modum Δημήτριος ἐπίσκοπος Καραχμώβων, *Demetrius epiſcopus Chartnianus,* vel *Carpathenus,* pro quo legendum ipſe cenſet *Caparcotenus.* Verum hic Demetrius epiſcopus fuit *Characmobæ* in tertia Palæſtina, ut infra dicetur. Unde nullum novimus Caparcotiæ epiſcopum.

XIX. ECCLESIA MYRI.

IN notitia Patriarchatuum Nili Doxopatrii, ſcripta anno æræ Chriſtianæ 1151. edita à le Moine in variis ſacris *pag. 231.* & à Schelſtratano *tom. 2. antiq. eccl.* cujus excerptum refert Hadr. Reland. *tom. 1. Palæſt. illuſtr.* Græcè quidem *pag. 219. & ſeq.* Latinè vero *pp. 220. & 221.* exſtat ſedes decima-quarta τὴν Μύρου (ſive Μύρων) *Myri.* Item in notitia Latina, ſub Scythopoli metropoli ſecundæ Palæſtinæ, legitur *ibid. p. 223. Mirum.* Cæterum nihil aliud de ea urbe mihi notum eſt.

Digitized by Google

ECCLESIA MYRI.

EPISCOPI MYRI.

SERENIANUS, *ſive* HERENNIANUS, *vel* BERENNIANUS.

IN actis ſynodi Epheſinæ I. anno 431. celebratæ adverſus Neſtorium, poſt *Suidam epiſcopum Phœnûs in Palæſtina* ſubſcripſit Σερενιανὸς ἐπίσκοπος Μυρέων πόλεως, *Serenianus epiſcopus civitatis Myreorum. Tom. 3. concil. Labb. col. 541.* B. & *col. 690.* C. *Herennianus epiſcopus Myrôn.* In ſubſcriptionibus tamen Græcis quas clariſſimus Baluzius edidit *in nova collect. concilior. col. 511.* legitur Βεῤῥενιανὸς ἐπίσκοπος τῆς Μυρέων πόλεως, *Berrenianus epiſcopus civitatis Myrenſis.* Ita etiam in codicibus quibuſdam Latinis. Carolus à S. Paulo in notitia epiſcopatuum Patriarchatus Conſtantinopolitani *pag. 242.* recenſet ex ea notitia, quandam urbem *Myrum,* in provincia Phrygiæ ſalutaris, & Megalum (vel potius Philippum) *Myrenorum* epiſcopum ſubſcripſiſſe ait concilio quintæ generali. Nam exſtat *to. 5. conc. Labb. col. 416.* E. *Philippo religioſiſſimo epiſcopo Myrorum.* Et *col. 581.* C. *Philippus miſericordia Dei epiſcopus Myrenſium metropoleos Lydiæ provinciæ.* Fortaſſis hujus Myri in Phrygia *Serenianus* epiſcopus fuit, non *Myri* in Palæſtina.

XX. ECCLESIA TETRACOMIÆ.

TETRACOMIA, Græcè Τετρακωμία, urbs vel vicus fuit in Palæſtina ſecunda. Hujus quidem fit mentio in notitiis veteribus eccleſiaſticis; ſed nullus memoratur qui ei præfuerit epiſcopus. Vide Hadr. Reland. *to. 1. Palæſt. illuſtr. pag. 215. & to. 2. pag. 1029.* Eam omiſit Carolus à Sancto Paulo.

XXI. CLIMA GAULAMES.

IN notitiis veteribus patriarchatuum, ſedibus epiſcopalibus Palæſtinæ ſecundæ *Clima Gaulames* inſeritur, apud Hadrian. Reland. *tom. 1. Palæſt. illuſtr. pag. 215.* Κλίμα Γαυλάμης, qui de hac urbe nihil aliud ait *ibid. in nota 15.* niſi in *hiſt. Byzant.* de ea mentionem fieri. Eam omiſit Carolus à Sancto Paulo in ſua epiſcopatuum ſerie Palæſtinæ ſecundæ. Nullus nominatur ex ejus epiſcopis.

XXII. NAÏS, &c.

KΩμη Ναῒς *vicus Naïs* inter urbes Palæſtinæ ſecundæ recenſetur in notitia veteri eccleſiaſtica, ut tradit Hadr. Reland. *to. 1. Palæſt. illuſtr. pag. 215. & to. 2. pag. 905.* qui *pag. præced. 904.* ait eſſe vicum Samaritidis ſitum in magno campo, cujus Joſephus meminit *lib. 20. antiq. cap. 5.* quem etiam *lib. 2. de bell. Jud. cap. 2.* Γηνὰν appellat. Hunc vicum omiſit Carolus à Sancto Paulo in ſua ſerie epiſcopatuum Patriarchatus Hieroſolymitani. Nullum habemus ex epiſcopis qui ei præfuerunt. Inter ſubſcriptiones archimandritarum, & aliorum in dignitate aliqua conſtitutorum qui ſynodo Bethleemiticæ adfuerunt anno 1672. adverſus dogmata Calviniana Græcis imputata à Claudio Miniſtro Charentonenſi ſubſcripſit ὁ ἐφημέριος τοῦ ἁγίου ὄρους Θαβώρ, καὶ διοικητὴς τῆς κώμης αὐτοῦ, καὶ κώμης Ναῒν, καὶ τῶν πέριξ, ἤτοι Πασχάλης ἱερεὺς ὑπέγραψα. *Paſchalis ſacerdos ephemerius ſancti montis Thabor, & adminiſtrator oppidi ejuſdem nominis, & oppidi Nain, necnon & adjacentium, ſubſcripſi. Tom. XI. conc. Harduini col. 272.* A.

In notitia Latina ſubjuncta geographiæ ſacræ ejuſdem Caroli à Sancto Paulo, *pag. 59.* cujus quoddam excerptum refert præfatus Hadr. Reland. *to. 1. pag. 223.* legitur de ſedibus ſecundæ Palæſtinæ: *Sedes ſecunda Scythopolis, id eſt, Bethſan: ſed hodie tranſlata eſt ſedes ad Nazareth ob reverentiam Annunciationis Dominicæ & Nativitatem beatæ Mariæ Virginis. Sub hac ſunt epiſcopatus novem, Capitoliadis* ſcilicet, *Mirum, Gadarum, Pelonvillus, Ypopopulus & Wilippus, Terratomias, Clima Gaulanis, Comanas, Tiberias. Ibi ſunt adhuc Bethſaida, Naun, & Capharnaum, ſed alio nomine vocitantur, nec habent epiſcopos.*

III. PROVINCIA

Digitized by Google

III. PROVINCIA PALÆSTINÆ TERTIÆ.

I. ECCLESIA PETRÆ METROPOLIS.

JAM ſupra *coll. 663. 664.* de epiſcopis primæ Palæſtinæ diſſerentes, diximus urbem quandam *Petram* à nonnullis ſcriptoribus in illa Palæſtina prima reponi, & diſtingui à *Petra* metropoli tertiæ Palæſtinæ; oſtendimus autem ex Hadriano Relando, *Petram* hanc eſſe probabiliſſime ipſammet *Petram* Arabiæ, de qua nunc agendum ſuſcipimus: unde etiam epiſcopos alterutri adſcriptos hic recenſebimus, ut hujus ſolius Petræ, quæ tertiæ Palæſtinæ metropolis fuit, veros præſules, excepto duntaxat *Ario* ſive *Macario*, de quo, ut-pote alicujus quidem loci in Palæſtina nobis ignoti, ſed non hujus Petræ epiſcopo, loquuti ſumus *ibid. coll. 667. & 669.*

Petra itaque, vulgo dicta *Krach* & *Arach*, urbs eſt Arabiæ celeberrima, ex qua tota regio illa *Petrææ* nomen ſuſtulit. De ea Euſebius & Hieronymus in locis Hebr. ad vocem *Petra*, aiunt, *Petra civitas Arabiæ in terra Edom.* Et ad vocem Ῥεκὲμ, *illa eſt Petra urbs Arabiæ.* Scilicet Arabiæ nomen tunc dabatur regioni quæ olim *Edom* dicta eſt. Hinc poſt Euſebium idem *Hieronym.* apud Hadr. Reland. *tom. 1. Palaſt. illuſtr. pag. 71. & ſeqq. Idumæa regio Eſau, quæ ex eo quod ille Edom vocabatur, nomen accepit. Eſt autem circa urbem Petram, quæ nunc dicitur Gebalene,* ſive Gabalene (*Gebalene* nomen eſt regionis iſtius, & ſignificat *regionem montanam.*) Et *pag. 84.* ex eodem Hieron. *Regio Idumæorum, quæ nunc Gabalene dicitur, vicina Petræ civitatis.* Joſephus *lib. 2. antiq. cap. 1. pag. 36.* D. *edit. Græc. Lat. Genev. 1611.* loquens de filiis Eſau hæc habet: *Hi habitaverunt Idumææ regionem, quæ Gobolitis* Γοβολῖτιν *dicitur, & eam quæ de Amaleci nomine Amalecitis eſt appellata: quondam enim late patentem terram Idumææ nomen complectebatur.* Et *lib. 3. cap. 2. p. 74.* B. ait de urbe Petra: *Præcipui vero hujus expeditionis inſtigatores erant qui Gobolitidem* Γοβολῖτιν *regionem & urbem Petram* Πέτραν *incolunt, vocanturque Amalecitæ, inter eas gentes pugnaciſſimi.* Et *lib. 4. cap. 4. pag. 110.* B. *Quumque veniſſet* (Moyſes) *in agrum urbis Arabum primariæ, quæ olim Arce* Ἄρκην, *nunc Petra* Πέτραν *nominatur, &c.* & infra *cap. 7. pag. 117.* E. *Tanta Madianitarum multitudo eſt cæſa.... ne regibus quidem ſervatis. Hi fuere Ochus, Sures, Robeas, Ubes, & quintus Recemus, à quo deductum nomen primaria urbs Arabum & hodie retinet, Receme* Ἀρεκέμη *dicta, quam Græci Petram* Πέτρα *vocare malunt.* Porro, licet *Petra* in Arabia ſita fuerit, eam nihilominus aſſerit poſt Euſebium Hieronymus, commentario in Eſayæ *cap. 42. verſ. XI.* urbem eſſe Palæſtinæ: *Et habitatores Petræ, quæ & ipſa urbs Palæſtinæ eſt.* Quia ſcilicet Palæſtina Euſebii & Hieronymi temporibus uſque ad ſinum Arabicum ſeſe extendebat. Palæſtinæ tertiæ metropolim eam recenſet notitia vetus Græca, apud Hadr. Reland. *tom. 1. pag. 215.* Ἐπαρχία Παλαιστίνης Γ'. Πέτρας μητρόπολις, *Provincia Palæſtinæ tertiæ, Petræ metropolis.*

Petræ ſitus ut diſtinctius cognoſcatur, (verba ſunt ejuſdem Hadr. Reland. *to. 2. pag. 929.*) notandum ab Aila vel Elath, portu ſinus Arabici, abfuiſſe tantum decem milliaria Romana. Vicinam certe Petram Ailæ fuiſſe etiam ex eo colligimus quod Hieronymus *comm. in Abd. verſ. 5.* Idumæorum regionem ab una parte Eleutheropoli, ab altera Petra & Aila terminet: *Omnis,* inquit, *auſtralis regio Idumæorum de Eleutheropoli uſque ad Petram & Ailam, (hæc eſt enim poſſeſſio Eſau) in ſpecubus habitatiunculas habet.* Unde in mappis noſtris ſpatium terræ inter ſinum Arabicum & lacum Aſphaltiten multo eſt anguſtius quam in aliis mappis geographicis. A lacu autem Aſphaltite remota fuit Petra ſtadiis 300. uti liquet ex Diodoro Siculo *lib. 19. cap. 108.* Sed tamen incertum manet an ad Orientem, an vero ad auſtrum lacus ſita fuerit. Videtur ad Orientem, vel certe inter Orientem & auſtrum, collocanda, quia Joſephus *lib. 5. de bell. Jud. cap. 4.* ſcribit montem, cingentem τὸ μέγα πεδίον *campum magnum* ab Oriente, protendi à Juliade, ſive Libyade, uſque ad Somorram in finibus Petræ. Præterea ducimur huc à Strabone *lib. 16. pag. 779.* C. *edit.*

Digitized by Google

ECCLESIA PETRÆ.

Caſaub. tradente à Petra, metropoli Nabatæorum (ita hanc appellat) uſque ad Hierichuntem breviſſimum iter eſſe trium dierum aut quatuor. Quia (enim) ad ſitum Petræ declarandum urbem Hierichunta eligit Strabo, videtur illa inter urbes Judææ celebres proxima Petræ fuiſſe. Quod ſi verſus occidentem lacus Aſphaltitis, aut etiam recto ductu ad auſtrum lacus ſita fuiſſet, dixiſſet eam ab Hieroſolymis, vel Gaza, aliiſve urbibus vicinis disjunctam fuiſſe per tot vel tot ſtadia: ſed quum à Hierichunte ejus ſitum ſuſpendat, tuto creditur illam inter urbes celebres Judaïcas Petræ proximam fuiſſe. Inſuper non plane negligenda ſunt quæ Strabo addit de itineris trium aut quatuor dierum ſpatio quod reponit inter Hierichuntem & Petram; hinc quippè patet non ad orientem recta via Petram remotam fuiſſe à lacu Aſphaltite, ſed ita ut ad auſtrum quoque ejus lacus fuerit, id eſt, plagam euro-auſtralem. Nam extremitas auſtralis lacus Aſphaltitis aberat Hierichunte præter propter ſexcenta ſtadia. Trium vero dierum iter eſt ſtadiorum ſexcentorum & quadraginta; quatuor autem dierum ſtadiorum octingentorum & quinquaginta, ſi ſequamur rationes Procopii Cæſarienſis, qui iter unius diei tradit eſſe ſtadiorum ducentorum & decem. Atque adeo colligimus Petram ab Hierichunte remotiorem fuiſſe extremitate auſtrali lacus Aſphaltitis, &c. Strabo *ibid.* Petram deſcribit ſitam in regione plana, & hortis fontibuſque inſtructam, cinctam tamen rupibus undequaque; ultra quas deſerta ſunt maximam partem, præcipuè verſus Judæam, ad cujus φοινικῶνα *Palmetum* iter eſt dierum quinque. Id Palmetum ſinui Arabico adjacet, & diſtinguendum eſt à Phœnicone ſeu palmeto Hierichuntino cujus ante Strabo meminerat.*

* Hadr. Relandus *to. 2. pag. 929. & ſeqq.*

Petram olim Ἄρκην *Arce* dictam fuiſſe ſupra vidimus ex Joſepho *lib. 4. antiq. cap. 4.* qui tamen poſtea *cap. 7.* eam aſſerit Ἀρεκέμην *Araceme* appellatam de nomine Ῥεκέμου: unde vel Ἄρκη capitis quarti mendum eſt pro Ἀρακέμη; vel idem eſt Ἄρκη & Ἀρεκέμη, ut tradit Bochartus *lib. 1. cap. 45.* & Ἄρκη ex Ἀρεκέμη per apocopen fit. Euſebius, & etiam poſt ipſum Hieron. *Recem* Joſephi aiunt eſſe *Petram:* ſic enim uterque habet in Onomaſtico Locorum, Ἀρκέμ. καὶ Ἰώσηπον αὕτη ἐστὶ Πέτρα πόλις ἐπίσημος τῆς Παλαιστίνης. *Arcem. Refert Joſephus hanc eſſe Petram urbem nobilem Palæſtinæ.* Joſephus, quia hæc pars regionis, ubi Petra ſita erat, *Arabia* dicebatur, Petram *Arabiæ* tribuit, uti *lib. 14. ant. cap. 2. p. 469.* F. Cæterum nomen priſcum Petræ Ἀρεκέμη eſt, ſive *Recem,* quo nomine eam notari in ſcripturis multi Hebræorum exiſtimant, ut *Num. cap. 31. verſ. 8. Reges.... Evi, & Recem, &c.*

Plinius *lib. 6. cap. 28.* de Petra urbe hæc obſervat: *Nabatæi oppidum incolunt Petram nomine in convalle, paulo minus duorum millium paſſuum amplitudinis, circumdatum montibus inacceſſis, amne interfluente: abeſt à Gaza oppido littoris noſtri ſexcentis millibus, à ſinu Perſico 122. millibus. Huc convenit utrumque bivium, eorum qui Syriæ Palmyram petiere, & eorum qui ab Gaza venerunt.* Numeros eſſe corruptos clarum eſt, quum Petra multo propior fuerit Gazæ quam ſinui Perſico: videturque permutatio numerorum inſtituenda, quod rectè advertit Cellarius *to. 2. geogr. antiq. pag. 418. (pag. eſt 684. edit. Lipſiæ 1706.)* Atque ita melius convenit cum iis quæ ipſe Plinius de Gazæ & ſinus Elanitici diſtantia 150. millibus paſſuum dixerat. Videtur itaque à ſinu Elanite abſuiſſe 15. milliaria. Hieronymus dicit Elath regionem & civitatem à Petra decem milliaribus abſuiſſe. Hactenus præfatus Reland. *to. 2. pp. 931. & 932.* qui etiam addit *pag. 933.* nomen hodiernum hujus urbis, illudque vetus, eſſe Ἄγρα *Agra,* ex quo nomen *Hagarenorum* dimanavit. *Agræorum* certè Arabum meminit Strabo *lib. 16. pag. 767.* D. *propter adjacentes Arabum gentes, Nabatæos ſcilicet, Chaulotæos, & Agræos.* Διὰ δὲ τῶν παρακειμένων Ἀραβίων ἐθνῶν Ναβαταίων τε, καὶ Χαυλοταίων, καὶ Ἀγραίων. Petram Arabiæ metropolim fuiſſe, & dictam olim *Hadrianam* ex nomine Hadr. Imper. indicant, tum quidam nummi veteres in quibus ΑΔΡΙΑΝΗ ΠΕΤΡΑ ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ legitur; tum Dio-Caſſius qui ſcribit *lib. 68.* hanc Romanis à Palma præfecto Syriæ, imperante Trajano, ſubjectam, & *Hadrianam* appellatam. Id refert idem Hadr. Reland. *pag. 931.* Porro eam urbem ſtatuunt tertiæ Palæſtinæ metropolim notitiæ veteres eccl. & plures ejus præſulum in actis conciliorum memorantur.

EPISCOPI PETRÆ.

I. ASTERIUS.

GERMANUS *intruſus.*

De eo *Aſterio Petræ in Arabia* epiſcopo jam plura ſuperius dicta ſunt *coll. 667. & 669.* quæ hic repetere neceſſe non eſt. Hujus Aſterii ſæpius meminit ſanctus Athanaſius *to. 1. edit. Commel. an. 1600.* ut *pp. 447.* E. *448.* A.B. A *451.* D. *452.* A. *595.* A. *596.* B. *634.* A. *635.* E. Primum quidem adhæſerat Aſterius iſte Euſebianis contra Athanaſium; ſed in concilio Sardicenſi anno 347. ab iis diſceſſit, illorumque fraudes ipſe & Arius ſive Macarius epiſcopus in Palæſtina declaravere, & tandem ſententiæ quam pro Athanaſio ac cæteris præſulibus orthodoxis tulerunt Sardicenſes Patres

Digitized by Google

ECCLESIA PETRÆ.

ſubſcripſerunt. Quia autem Petra tunc nondum recenſebatur inter ſedes epiſcopales Palæſtinæ, nomen Aſterii legitur in ſubſcriptionibus hujus concilii, non cum epiſcopis Palæſtinæ, apud Athanaſ. *pag. 597.* B. ſed cum aliis epiſcopis *pag. 596.* B. Ἀςέριος.

Porro Euſebiani, Aſterium & Arium, auctoritate Conſtantii, in Africam relegarunt. Redierintne ab illo exilio, vel ærumnis in Africa confecti vitam præſentem in æternam commutaverint, definire non audent doctiſſ. Bollandiani *to. 4.* Jun. ad diem 20. *num. 3. pag. 11. col. 1.* eo quod, inquiunt, nihil ultra B de illis ſcripſerit Athanaſius, nec in Græcorum Synaxariis ullo uſpiam die illorum memoria fiat, ſicut nec in Latinorum antiquis Martyrologiis. Recens quippe Martyrologio Romano nomen Aſterii Baronius inſeruit ad diem 10. Junii, his verbis: *Petræ in Arabia, ſancti Aſterii epiſcopi, qui ob fidem Catholicam ab Arianis multa perpeſſus, & à Conſtantio Imperatore in Africam relegatus, confeſſor glorioſus occubuit.* Attamen conſtat, ſaltem Aſterium, poſt Conſtantii mortem, ex Africa reverſum, concilio Alexandriæ habito anno C 362. interfuiſſe. Id ſiquidem teſtatur jam ſupra laudatus Athanaſius in epiſtola ad Antiochenſes ex illo ipſo concilio exarata, *pag. 447.* E. *neceſſarium viſum eſt ut ea, quæ à nobis noſtriſque dilectis ſcripta eſſent Euſebio* (Vercellenſi) *& Aſterio* Εὐσεβίος τε καὶ Ἀςέριος, *veſtræ bonitati inſinuare, &c.* Et paulo ante finem, *p. 452.* A. *Ego Athanaſius cæterique in hoc conventu præſentes epiſtolæ ſubſcripſimus, &c. Epiſcoporum nomina ad quos epiſtola conſcripta eſt* (id eſt, ad quos ejus executio commiſſa eſt) *ſunt hi.... Aſterius Petræ Arabæorum,* D Ἀςέριος Πετρῶν τῆς Ἀραβίας, *Cymatius Palti Cœloſyriæ, Anatolius Eubœæ. Cæterum qui epiſtolam ſcripſerunt, ſunt iſti: Papa Athanaſius, & qui cum illo Alexandriæ fuerunt, ipſe quoque Euſebius inter eos eſt, Aſterius item,* Ἀςέριος, καὶ οἱ λοιποὶ, &c. *His etiam Euſebius latinè ſubſcripſit, quorum hæc interpretatio: ego Euſebius epiſcopus, &c. Ego Aſterius ſuperioribus ſcriptis adſtipulor, & vos in Chriſto benè valere precor.* Veroſimile eſt Aſterium, ſynodo Alexandrina ſoluta, Antiochiam, cum E Euſebio Vercellenſi, perrexiſſe, tum ut decreta hujus ſynodi promulgarent, tum etiam ut ſchiſma Antiochenum ad finem perducere conarentur. Quid exinde Aſterius egerit, & quandonam obierit nos latet.

Vivente adhuc Aſterio, & probabiliter quando in exilium ab Imperatore Conſtantio miſſus eſt, Ariani ejus ſedi Petrarum *Germanum* quemdam præfecerunt. Anno enim 359. in conciliabulo Seleucienſi, formulæ fidei cum aliis 42. epiſcopis ab Epiphanio A nominatis ſubſcripſit penè ultimus, in hunc modum: Γερμανὸς ἐπίσκοπος Πετρῶν, *Germanus epiſcopus Petrarum.* Epiphan. *lib. 3. adverſus hæreſes, hær. 73. to. 1. num. 26. p. 874.* D. *edit. Colon. 1682.*

II. Joannes.

In indice metropolitanorum Orientis, ad quos Leo Imperator poſt necem Proterii Alexandrini Patriarchæ anno 457. ſcripſit, legitur *Joannes* Petrenſis. *Joanni reverendiſſimo epiſcopo Petrenſi. To. 4. conc. Labb. col. 891.* A.

III. Theodorus.

Theodorus iſte ſancti Theodoſii archimandritæ, qui obiit anno 529. die 11. Januarii, diſcipulus fuit, ejuſque vitæ ſcriptor. Petrarum autem epiſcopus erat anno 536. quo ſynodo trium Palæſtinarum Hieroſolymis congregatæ adverſus Anthimum, alioſque hæreticos, præſide Petro Patriarcha, interfuit, & ſubſcripſit Θεόδωρος Πετρῶν, *Theodorus epiſcopus Petrarum. Tom. 5. concil. Labb. col. 286.* A. Obſervat Hadr. Reland. *tom. 2. Palæſt. illuſtr. pag. 933. Germanum* & hunc *Theodorum* ſe ſubſcripſiſſe epiſcopos Πετρῶν *Petrarum,* quia ſcilicet nomen hujus urbis ſcribitur Græcè Πέτραι in plurali & Πέτρα. Unde Suidas, ad vocem Γενέθλιος ait: Γενεθλίου, Παλαιςῖνος ἐκ Πετρῶν, σοφιςὴς, &c. *Genethlius, Genethlii filius, Palæſtinus, ex urbe Petrarum, Sophiſta.* Et Malala *in chronico pag. 116.* ἐξωρίσθη εἰς Πέτρας, πόλιν οὕτω καλουμένην, οὖσαν τῆς τρίτης Παλαιςίνης, *relegatus eſt Petras, urbem ſic appellatam, quæ eſt tertiæ Palæſtinæ.* Sic quoque Πέλλα & Πέλλαι, *Pella:* Ἄρκη & Ἄρκαι *Arce:* Ῥαφανέα & Ῥαφανέαι *Raphanea,* in ſingulari utique & plurali numero exarantur.

IV. Athenogenes.

Hic *Athenogenes* Damianæ abbatiſſæ filius, Petræ epiſcopus fuit circa finem ſæculi ſexti vel initium ſequentis. Ab ejus ſiquidem matre Damiana, Joannes Moſchus qui obiit ſæculo ſeptimo non multum adulto, ſe ea didiciſſe ſcribit quæ ipſe refert, *in Prato ſpirituali capp. 127. 128. & 129. Narravit nobis,* inquit, *cap. 127. to. 2. Bibl. Veter. Patr. Græco-Lat. edit. Pariſ. anni 1624. pag. 1111.* A. *Abbatiſſa Damiana ſolitaria, mater abbatis Athenogenis, epiſcopi Petrenſis, dicens, &c.* Διηγήσατο ἡμῖν ἡ Ἀμμὰ Δαμιανὴ ἡσυχάςρια, ἡ μήτηρ τοῦ ἀββᾶ Ἀθηνογένους τοῦ ἐπισκόπου Πετρῶν, λέγουσα, &c. Et *cap. 128. pag. 1112.* A. *Audivi, referente abbate Athenogene epiſcopo Petræ, filio abbatiſſæ Damianæ, &c.* Et *cap. 129. p. 1113.* A. *Abbas idem Athanaſius narravit nobis audiviſſe ſe narrantem abbatem Athenogenem epiſcopum*

Digitized by Google

ECCLESIA PETRÆ.

Petræ, &c. ὅτι ἀκήκοεν τῦ ἀϐϐᾶ Ἀθηνογένες τῦ ἐπισκόπου Πέτρ8, &c. Nihil aliud de eo epiſcopo nobis compertum eſt.

V. DOROTHEUS.

Anno 1672. actis ſynodi Bethleemi celebratæ ſub Doſitheo II. Patriarcha, ad proſcribenda Calviniana dogmata, quæ Cyrillus Lucaris Patriarcha Conſtantinopolitanus propugnaverat, ſubſcripſit *Dorotheus* in hunc modum: ὁ Πέτρας Δωρόθεος ὁρίσας ὑπέγραψα, *Dorotheus epiſcopus Petræ definiens ſubſcripſi. To. XI. conc. Hard. col. 267. E.*

II. ECCLESIA AUGUSTOPOLIS.

AUGUSTOPOLIS inde nobis duntaxat innoteſcit, quod in notitiis eccleſiaſticis recenſeatur inter ſedes epiſcopales Palæſtinæ tertiæ, & quod aliqui ejus epiſcopi in actis conciliorum memorentur. Quocirca, nec quando urbs illa nomen iſtud acceperit, nec an aliud vetuſtius nomen habuerit, aſſerere ullatenus auſim.

EPISCOPI AUGUSTOPOLIS.

I. JOANNES I.

ANno 431. ſynodo Epheſinæ I. adfuit, & ſubſcripſit *Joannes epiſcopus Auguſtopolis,* Ἰωάννης ἐπίσκοπος Αὐγουστουπόλεως. *To. 3. conc. Labb. coll. 473.* B. *500.* B. *540.* E. *692.* E. *& to. 4. coll. 283.* E.

II. JOANNES II.

Libello ſynodico Petri Patriarchæ Hieroſolymitani contra Anthimum & alios hæreticos, ſubſcripſit anno 536. *Joannes epiſcopus Auguſtopolis,* Ἰωάννης ἐπίσκοπος Αὐγουστουπόλεως. *To. 5. conc. Labb. col. 283.* D.

III. ECCLESIA ARINDELÆ *ſive* ARINDELORUM.

NOTITIÆ veteres, *Arindela* in neutro plurali, inter ſedes epiſcopales Palæſtinæ tertiæ, recenſent Ἀρίνδηλα. Stephanus Byzantinus, de urbibus & populis, ejus meminit: Ἀρίνδηλα τρίτης Παλαιστίνης. Γλαῦκος δὲ κώμην αὐτὴν καλεῖ. *Arindela* (urbs) *tertiæ Palæſtinæ: Glaucus vero eam vicum appellat.* Thomas de Pinedo Luſitan. ait in hunc Stephani locum *nota 29. pag. 107. col. 1. Sed de ea urbe nulla apud alios* ſcriptores, *quod ſciam, ſit mentio.* Hi occurrunt ejus epiſcopi.

EPISCOPI ARINDELORUM.

I. THEODORUS.

SYnodo Epheſinæ primæ anno 431. adverſus Neſtorium celebratæ interfuit, & ſubſcripſit Θεόδωρος ἐπίσκοπος Ἀριϐήλων, vel etiam Ἀρϐδήλων & Ἀρϐήλων, pro Ἀρινδήλων, *Theodorus epiſcopus Aribelorum, Arbelorum, Aribdilæ, Aribdelenſi,* id eſt, *Arindelorum:* Non (enim) puto, inquit Hadr. Reland. *tom. 2. Palæſt. illuſtr. pag. 581.* hic de *Arbelis* eſſe cogitandum, (de quo nihil in notitiis) ſed eſſe.... urbem.... Ἀρινδήλων, Arindelorum. Vide *to. 3. conc. Labb. coll. 472.* E. *497.* D. *541.* A. *694.* C. *& to. 4. col. 283.* D.

II. MACARIUS.

Anno 536. ſententiæ contra Anthimum & alios hæreticos latæ Hieroſolymis in ſynodo epiſcoporum trium Palæſtinarum, præſide Petro Patriarcha, ſubſcripſit Μακάριος ἐπίσκοπος Ἀρινδήλων, *Macarius epiſcopus Arindelorum. To. 5. conc. Labb. col. 286.* C.

IV. ECCLESIA ARAD.

PROCOPIUS Gazæus *comment. ad lib. Judic.* ait, teſte Hadr. Reland. *to. 1. Palæſt. illuſtr. pag. 501. Arad urbs Amorrhæorum eſt vicina deſerto Cades, hoc eſt, Pharan. Hac autem tempeſtate vicus eſt ad quartum lapidem à Malathis, ab Chebrone vero ad viceſimum.* Eadem leguntur apud Euſebium & Hieronymum, quibus auctoribus eum uſum fuiſſe patet ex eo quod ſæpe illos nomine citet, uti & Ἑϐραϊκῶν ὀνομάτων ἑρμηνείαν. Addit autem Hieronymus abeſſe Arad ſive Arath, ſi de eadem urbe, uti videtur, inquit idem Reland. *ibid. pag. 482.* ſermo eſt, ab Chebrone millibus viginti *ad meridiem.* Hujus oppidi meminit ſcriptura Num. *cap. 21. verſ. 1. Quod quum audiſſet Chananæus rex Arad, qui habitabat ad meridiem,*

Digitized by Google

veniſſe ſcilicet Iſraël.... pugnavit contra illum, & victor exiſtens duxit ex eo prædam. At Iſraël voto ſe Domino obligans.... Exaudivitque Dominus preces Iſraël, & tradidit Chananæum, quem ille interfecit ſubverſis urbibus ejus. Item Joſue *cap. 12. verſ. 14.... rex Hered unus.* Et *cap. 15. verſ. 3. Aſcendens ad Addar. Addar* hic ſcriptum eſt pro *Arad*, propter ſimilitudinem litterarum *Daleth* & *Reſch*. Verterunt ſeptuaginta Ἀρὰδ, & Ἀρὲδ. Et Judic. *cap. 1. verſ. 16. Filii autem Cinæi cognati Moyſi, aſcenderunt.... cum filiis Juda in deſertum ſortis ejus, quod eſt ad meridiem Arad.* Hæc porro civitas exulat à notitiis.

EPISCOPI ARAD.

STEPHANUS.

INter ſubſcriptiones epiſcoporum Palæſtinæ quæ exſtant ad calcem epiſtolæ ſynodicæ Joannis Patriarchæ Hieroſolymitani adverſus Severum Antiochenum, anno 518. legitur Στέφανος Ὀράων, *Stephanus Oranus*. Item inter ſimiles inſcriptiones epiſcoporum trium Palæſtinarum, qui ſententiam adverſus Anthimum in ſynodo Hieroſolymitana pronuntiatam anno 536. præſide Petro Patriarcha, approbant, exſtat Στέφανος Ἀράδων, in Latino indice *Stephanus Aradorum*. Unde Hadr. Rel. *tom. 2. Palæſt. illuſtr. pag. 574.* ubi de *Arad*, ſic loquitur: Hanc ſuſpicor eſſe urbem cujus epiſcopus Stephanus in actis concilii Hieroſolymitani an. 536. appellatur Στέφανος Ἀράδων. Latini (quidem) codices habent *Aradorum*. (At) *Aradus* huc nil facit, aut Ἄδραα, *Adraa:* nam ſeries illa epiſcoporum, in qua Stephanus *Aradorum* epiſcopus legitur, non

A complectitur niſi epiſcopos Palæſtinarum, & *Aradus* non erat in Palæſtinarum ulla, ſed in ἐπαρχίᾳ Φοινίκης, *in provincia Phœnices;* Adraa (vero) in ἐπαρχίᾳ Ἀραβίας, *in provincia Arabiæ*. Carolus à Sancto Paulo Fulienſis qui *geogr. ſac. p. 317. Arad* reponit in tertia Palæſtina, ait pariter: *Stephanus Aradorum eſt in eodem concilio* (ſcilicet Hieroſolymitano.) Idem fortaſſis conjiciendum de Stephano *Orano,* qui ſubſcripſit epiſtolæ ſynodicæ Joannis Hieroſolymitani anno 518. pro *Orano* videlicet, à loco in Palæſtina ignoto,
B legendum fore *Aradano* ab *Arad,* librariorum errore, ΟΡΑΩΝ poſito pro ΑΡΔΩΝ. Porro ſi *Stephanus* iſte qui ſedebat anno 518. non eſt idem ac *Stephanus* qui ſubſcripſit anno 536. duo erunt Stephani hujus ſedis Aradenſis præſules, quorum probabiliter priori ſucceſſerit poſterior. Vide *to. 5. conc. Labb. coll. 192.* E. *& 283.* D. Item præfatum Reland. *to. 2. pag. 531. nota 6.*

V. ECCLESIA CHARACMOBÆ.

CHARACMOBA, Græcè Χαρακμῶβα, urbs fuit Palæſtinæ epiſcopatu inſignis. De ea urbe Theodoretus in Eſai. *cap. 15. verſ. 1. tom. 2. edit. Pariſ. 1642. pag. 66.* D. ad illud: *Verbum quod contra Moabitidem,* ait: *Hi genus ducunt à Loth; metropolim autem olim habebant eam quæ nunc dicitur Charachmoba,* μητρόπολιν δὲ εἶχον πάλαι τὴν νῦν καλουμένην Χαραχμωβά. Recenſetur inter urbes Arabiæ Petrææ à Ptolemæo, & Palæſtinæ tertiæ adſcribitur in notitia Græca, ſive Diatypoſi Leonis Auguſti, ut eam appellat Jacobus Goar, qui illam corpori hiſtoriæ Byzantinæ inſeruit, & cum manuſ. contulit, teſte Hadr. Reland. *tom. 1. Palæſt. illuſtr. pag. 216.* ubi legitur Græcè quidem *p. 217.* Ἐπαρχία Παλαιστίνης Γ..... 4. Χαραγμοῦχα. Latinè vero *pag. 218. Provincia Palæſtinæ tertiæ.... Charagmucha.* Qui etiam paulo ſupra *pp. 212. & 213.* ſic notat: *Characmoba. Fuiſſe in Palæſtina tertia, patet ex notitia Græca ſecunda* (ea ſcilicet quæ modo relata eſt) *& epiſcopum habuiſſe ex concilio Hieroſolymitano liquet: quare inter urbes epiſcopales hujus Palæſtinæ recenſeri debuiſſet à Carolo à Sancto Paulo in geographia ſacra pag. 309.* Addit idem Hadr. Reland. *to. 2. pag. 705.* in notitiis veteribus eccleſiaſticis hanc urbem nuncupari Παραχμοῦχου, ſed in aliis rectius Χαραγμοῦχα, quod idem eſt ac *Characmoba*. Stephanus Byzant. *de urbib. & popul* hæc habet: *Characmoba,* Χαράκμωβα, *urbs tertiæ nunc Palæſtinæ, quam celebrat Ptolemæus in geographicis lib. 5. in Arabicis cap. 17. Fide ille dignus eſt in talibus. Laborem enim poſuit in deſcribenda accurate Arabia. Dicunt & Mobocharax,* καὶ Μωβουχάραξ φησίν. Hujus oppidi etiam meminit M. Niger Aſiæ *comment. 4.* qui nunc Caſtellum, olim urbem fuiſſe tradit. Ita refert Thomas de Pinedo Luſitanus in notis ad Stephanum, *pag. 716. edit. Amſtelodam. 1678. not. 52.*

EPISCOPI CHARACMOBÆ.

I. DEMETRIUS.

SEntentiæ latæ contra Anthimum in ſynodo trium Palæſtinarum Hieroſolymis congregata an. 536. ſub Petro Patriarcha ſubſcripſit Δημήτριος ἐπίσκοπος Χαρακμώβων, *Demetrius*

Digitized by Google

ECCLESIA CARACMOBÆ.

epiſcopus Carpathenus (ad marg. Charachmobeus) *tom. 5. conc. Labb. col. 283.* In indice Latino, apud P. Hard. *to. 2. conc. col. 1418.* E. legitur *Demetrius epiſcopus Charthnianus:* Et ad marg. *Ita mſ.*

II. Joannes.

Exeunte ſæculo octavo, vel ineunte nono eccleſiæ Characmobæ curam ſuſcepit *Joannes* quidam ſancti Stephani Sabaïtæ diſcipulus, de quo Leontius in vita hujus ſancti, apud doctiſſ. Bollandianos, *to. 3. Jul. ad diem 13.* nonnulla memorat. Quam fidem mereatur hic Leontius ſupra indicatum eſt *col. 305.* D. Is itaque ſcriptor, *cap. 4. num. 35. pag. 544. & ſeqq.* hæc de eo Joanne tradit: *Fratres Deo chari tres ex eorum numero, quorum teſtata religio eſt, Damaſcum .... incolebant. Horum unus, quum ſæculo vale dicens in hac maxima laura habitaret, hæc mihi commemoravit: quod vir quidam inſignis, Joannes dictus, qui & multa edebat miracula, quorum viri complures, ſtudioſiſſimi veritatis, fecere periculum, huic beatæ memoriæ Seni* (Stephano Sabaïtæ qui obiit anno 794.) *diſcipulus fuiſſet, ac deinde illuſtris glorioſæque Characmoborum,* πόλεως Χαραχμωβῶν, *urbis creatus eſt epiſcopus. Vir ſublimis, probatæque, ut erat, virtutis habebatur, & ob negotia quædam neceſſaria, cum politica, tum eccleſiaſtica ad Symbolum* Σύμβολον, id eſt præfectum *Damaſci, atque ad judicem frequenter itans, domi noſtræ hoſpitium ſibi delegerat. Multum vero ex ſermonibus ejus ac relationibus utilitatis ac beneficentiæ ſpiritualis percepimus. Die autem aliqua ſub multam veſperam, ſuperque menſam, cui tres fratres una cum ipſo accumbebamus, recenſuit nobis quod ſibi à magiſtro contigerat prodigii.*

Num. 36. pag. 545. *Quum ſub viri hujus divini diſciplina, inquit, eſſem, accidit ad monaſterium proficiſci me, quod Churam appellant. Iter emenſus, valens iſtuc integerque perveneram, quando ægritudo me aliqua invaſit, & gravis admodum & plena periculi.... Aliquantò poſt reparatis.... confirmatiſque viribus, viam, quæ per ſolitudinem ad lauram ducebat, arripui, pauculis, iiſque ſiccis, panibus onuſtus. At æſtu vehementer ingraveſcente.... ſolaribus radiis ac ſiti oppidò fatigabar.... in anguſtiis multis conſiliique inopia, Deum & ſancti Senis* (Stephani) *invocabam preces, donec divina miſericordia in iſtis me ærumnis ope ſua præveniens, eò.... paſtores aliquot Arabes deduxit, qui contemplati me rogitabant ecquid haberem. Ubi vero panes illis exhibui, queſtuſque ſum ſitim, panes quidem abſtulerunt ſibi; aquam autem aiebant hic inpromptu non eſſe, cæterum mittemus qui viam te doceat, locumque aſſignet ubi rivus decurrit non longè admodum diſſitum.* Num. 37. *Mittunt ergo truculentum ac terribilem Æthiopa.... &, ſi mores ſpectares, nihil à diabolo diverſum.... Hunc ergo, urente ſiti, volens nolens ducem ſequebar. Dum ad juſtum una ſpatium proceſſiſſemus, ſiſtit me ad alveum torrentis, aquas continentem, & ait: bibe, homo Dei, & ſecurè quantum lubet, quantumque opus habes, te ſatia. Labore itaque feſſus, parvum quod geſtabam epirriptarium* ἐπιρριπτάριον, id eſt mantellum, *depoſui, ac bibere tentavi per otium & minimè propere. Vix fonti caput ſubjeceram, quum injecta eſt mihi ſuſpicio, exitialem illum Æthiopa* B *ſiniſtri aliquid in me cudere ac machinari; & ſublato nonnihil capite, hominem.... ſaxo, quantum capere manus poterat, armatum conſpicor, oculiſque torvis ac ſanguineis, & ignis inſtar collucentibus, in fatalem clam mihi ictum ſuſpenſum. Verum ego erectus extemplo, ſpirituque illicò ac præter mentem inflammatus; quam ob cauſam, aiebam, iſtuc facere meditaris, miſer! Fac ſane periculum, ſi quid penitus vales: nam & robore equidem te ſum ſuperior, & magis ad dimicandum accinctus. At ille ſimul hæc audiit, lapidem tremebundus abjecit è manu,* C *arreptoque furtim, quod jacebat humi, epirriptario, feſtinato ſe atque ingenti cum trepidatione proripuit.*

Num. 38. pag. 546. *Perſoluta Deo gratiarum actione, ad Arabes unde abieram reverti metuebam.... Tandem ſtatui inviam ſolitudinem facere perviam, per eamque, ſi quomodo poſſem, ad lauram penetrando ſaluti vitæque conſulere.... Per horas ita complures conſilio deſtitutus & animis, Deo opitulante vocem exaudio, quaſi ex remoto longè ſpatio quodam ad me delatam, & me nomine compellantem, quaſique viam ſuo* D *ſonitu commonſtrantem; audere vero jubentem & nihil quicquam extimeſcere, imò dicentem: Pater Joannes,* Ἀββᾶ Ἰωάννη. Num. 39. *Principio commovebar quidem, ac dæmonis phantaſma audire me ſuſpicabar. Ergo pia precatione, ut par eſt, inſtituta, recitataque oratione Dominica, nihilominus perſiſtebat vox & reſonabat diſtinctius, & tanquam ex propinquo audiebatur, illudque iterabat: Pater Joannes, huc accede, & timorem omnem omitte; adeo ut ſonum diſcernere jam poſſem, & ſenem eſſe, qui me appellabat, conjicere. Incredibilis mihi res* E *videbatur & nequaquam cohærens: nam quî hucuſque, aiebam, veniſſe is poteſt! Et terror me revera corripuit & mentis abalienatio in caſu tam paradoxo, quoad ipſum per ſe hominem divinum conſpexi, animos addentem mihi, & ad rectam me viam reducentem, conſuetaſque monachis auſpicantem preces. Dicto Amen, me alloquitur. Quid, fili Joannes, etiam terrere te potuit infelix ille & parricida Æthiops, quum diffindere tibi caput volebat! Uſque adeo id male te habuit quod epirriptarium ſuffuratus eſt*

Digitized by Google

ECCLESIA CARACMOBA.

tibi! Neutiquam id tibi ſit curæ; ſic enim habeo, ipſa hora qua manus afferre tibi violentas ſceleratus ille tentabat, pro te Chriſto Salvatori me ſupplicaſſe.... Conſide igitur, nec quicquam verere, ſed ad heſychaſterium ἡσυχαστήριον (locus erat arctiſſimæ ſolitudinis) *pergamus. Hic admiratio me perculit major: lætus itaque cum eo proceſſi donec ad ejus heſychaſterium perventum eſt.*

Num. 40. *Quod autem rurſus me dicere neceſſe eſt, non celabo, ſed ad Dei gloriam veſtramque utilitatem ediſſeram. Quum eo, quem dixi, morbo tentatus, in monaſterium Chura dictum, veniſſem, ægrotavi; tum vehemens quædam & ardens ſuborta eſt mihi appetitio elixo piſce ſalſo cum ſinapi ad ſatietatem veſcendi.... ſed quoniam per illud tempus nihil iſtic eſſet ejuſmodi, affectioni huic indulgere intra me, ac æſtuare impotentius deſiderio perrexi. Verum ubi venerabile illud, ut dixi heſychaſterium attigimus, elapſa prima quidem, vel etiam ſecunda vigilia, poſt fuſas præterea, ad quas antiqua traditaque à Patribus conſuetudine tenebamur, preces; ſedeto, Pater Joannes, infit ſenex. Dum ſedeo, intrat ipſe in interiorem, quæ iſtic erat, heſychaſterii ſpeluncam: quum, ecce, mihi nec opinanti, adeſt patrator mirabilium Pater lancem afferens piſce ſale macerato, addito inſuper ſinapi inſtructam, &: En tibi, inquit, frater, quod appetis: paravi enim iſtud tibi, dum rediiſſes. Quin comede ac ſatura te; neque Dei unquam impoſterum auxilio ſubſidioque diffide. Dum autem rem tam inopinatam obſtupeſcens mecum ipſe recogito, unde tali hora iſtiuſmodi apud eum repertum eſſet obſonium, aliud nihil incidit, niſi Chriſtum, qui ſanctis Apoſtolis poſt reſurrectionem apparuit apud mare, prunaſque & pulmentarium impoſitum ac panem vere ipſis præbuit, eumdem, inquam, Chriſtum famulo ſuo ac diſcipulo appetitum revelaſſe meum, & quod deſiderabatur, attuliſſe. Comedi itaque, & ſaturatus ſum* (id eſt appetitum replevi ut deinceps quieſceret) *ac..... Euchariſticum Deo etiam ex hoc capite carmen accinui.* Numeris 41. 42. & 43. pp. 547. & 548. quædam alia mirabilia à Deo per ſanctum Stephanum Sabaïtam patrata quorum ipſe teſtis fuerat, refert. Ex quibus colligitur hunc quoque Joannem inſignem fuiſſe ſervum Dei. At quid in epiſcopatu ſuo Characmoborum geſſerit nos latet.

VI. ECCLESIA AREOPOLIS.

AREOPOLIM, Sozomenus *lib. 7. hiſt. cap. 15. pag. 725.* C. *edit. Valeſ.* Arabiæ attribuit ſecundum morem illorum temporum, quibus tota Palæſtina tertia, *Arabia* appellatur: *Adhuc tamen,* inquit, *in aliquot urbibus, Pagani pro templis ſuis acriter dimicabant,* ſcilicet imperante Theodoſio Magno, *in Arabia quidem Petræi & Areopolitæ: in Palæſtina Raphienſes & Gazæi, &c.* Nomen Areopolis compoſitum videtur ex vocabulo *Ar,* quod ipſum nomen fuerit hujus urbis, & vocabulo πόλις, urbs, id eſt *urbs Ar:* hanc olim *Ariel* appellatam tradit Theodoretus *comment. in Iſai. cap. 15. verſ. 9. tom. 2. edit. Pariſ. 1642. pag. 67.* D. Ἀριὴλ τοίνυν ἐστὶν ἡ νῦν καλουμένη Ἀρεόπολις, *Ariel ea eſt quæ nunc Areopolis nuncupatur.* Et rurſus *ibid. cap. 29. verſ. 1. p. 84.* B. Ἀριὴλ ἡ Ἀρεόπολις καλεῖται, τῆς δὲ Μωαβίτιδος ἐστὶν αὕτη ἐπίσημος, *Ariel appellatur Areopolis, eſt autem urbs inſignis Moabitidis.* Cenſet Hadr. Reland. *tom. 2. Palæſt. illuſtr. pag. 577.* illam ſitam fuiſſe ad latus auſtrale fluvii Arnon, quia Ar filiis Loth (Moabitis) à Deo fuit data: Deut. *cap. 2. verſ. 9. Dixitque Dominus ad me* (Moyſen): *Non pugnes contra Moabitas, nec ineas adverſus eos prælium; non enim dabo tibi quidquam de terra eorum, quia filiis Loth tradidi Ar in poſſeſſionem.* At Iſraëlitarum regio erat uſque ad eumdem fluvium ex ea parte: unde ſubdit eos errare qui urbem *Aroër* Iſraëlitis aſſignatam *ibid. verſ. 36. cap. 3. verſ. 12. & cap. 4. verſ. 48.* eamdem eſſe ac urbem *Ar* exiſtimant. Et *pag. ſeq. 578.* ait: ſitus ejus haud ita certus eſt, ut in mappa geographica locari queat. Euſebius & Hieronymus in Onom. ad vocem Ἀρνῶν ſcribunt ad ſeptemtrionem Areopolis oſtendi *locum vallis in prærupta demerſæ, in quo & militum præſidia diſtributa ſunt.* Atque inde eſt quod in notitia dignitatum imperii legatur: *Cohors tertia Alpinorum apud Arnona.* Et *Cohors tertia felix Arabum in ripa vadi Apharis fluvii in caſtris Arnonenſibus.* Et *Equites Mauri Illyriciani Areopoli.* Et forſitan id quod ſequitur: *Equites promoti indigenæ ſpeluncis* fuit præſidium in iſto *ſatis horribili loco vallis in prærupta demerſæ,* cujus Euſebius & Hieronymus modo citati meminerunt. Iidem, in voce Μωάβ hæc loquuntur: Μωὰβ πόλις τῆς Ἀραβίας, ἡ νῦν Ἀρεόπολις· καλεῖται δὲ Μωὰβ καὶ ἡ χώρα, ἡ δὲ πόλις Ῥαββὰθ Μωάβ: *Moab civitas Arabiæ, quæ nunc Areopolis dicitur; vocatur autem Moab* (ex nomine urbis) *& regio, & ipſa civitas Rabbath Moab.* Verum refragatur Cellarius *to. 2. geogr. antiq. lib. 3. cap. 14. pag. 675.* ubi urbs (aliqua) inquit, ſimpliciter *Moab* dicatur, ut Euſebius aſſerit, exemplum, quod clarè probet, non occurrit, ſed *Moab gentis* nomen eſt, & *regionis:* probabilius alterum nomen

Digitized by Google

ECCLESIA AREOPOLIS. *Areopolis,* quod idem Euſebius ſcribit ſuo tempore *νῦν* obtinuiſſe, quo & ipſe uſus eſt in Ἀρνῶν & Λουεὶθ. Eadem ergo urbs *Ar, Areopolis,* & *Rabbath Moab,* dicta eſt, adeo ut vox *Moab* addita fuerit, ne cum Rabbath Ammonitarum confunderetur. Hanc *Rabathmoma* appellat Stephanus Byzant. *de urbib. & popul. pag. 571.* Ῥαβάθμωμα πόλις τρίτης Παλαιςίνης, ἡ νῦν Ἀρεόπολις, *Rabathmoma, urbs tertiæ Palæſtinæ, quæ nunc Areopolis.* Ad quæ verba ſic obſervat Thomas de Pinedo Luſit. *ibid. not. 1.* Pro Ῥαβάθμωμα puto legendum Ῥαμάθμωβα, *Ramathmoba,* quæ, ut ipſe ait, *Areopolis* dicitur. Tertia Palæſtina huic auctori vocatur *Arabia Petræa.* Memoratur Ptolemæo *lib. 5. cap. 17.* Rhabathmoba vero videtur nomen deflexum ex Hebræo *Rhabathmoab,* id eſt, *magna urbs Moabitidis:* ejus nomen erat *Armoab,* ut apparet ex *lib. Num. cap. 21. verſ. 28. Ignis egreſſus eſt de Heſebon, flamma de oppido Sehon, & devoravit Ar Moabitarum, & habitatores excelſorum Arnon.* Unde Græcis factum eſt *Areopolis.* Idem Stephan. *pag. 481.* ubi de *Moba: Moba,* inquit, *pars Arabiæ. Uranius Arabicor. lib. 2. Habitantes Mobeni* dicuntur *& fœmin. gen. Mobenæ. Videtur vero deeſſe primum* (A.) *Erat enim Moaba* Ἦν τὸ Μώαβα. *Gentile Moabites. fœm. Moabitis.* Thomas autem de Pinedo, *ibid. not. 32. Moba* contractè, ut videtur, pro *Moabia....* Hebraïcè dicitur *Moab,* ac ſi diceres *Meab,* id eſt, *ex Patre:* ob inceſtum ſcilicet filiarum Loth cum patre ſuo.

EPISCOPI AREOPOLIS.

I. ANASTASIUS.

SEcundæ ſynodo Epheſinæ anno 449. interfuit Ἀναςάσιος ἐπίσκοπος Ἀρεοπόλεως ſive Ἀρειόπόλεως, *Anaſtaſius epiſcopus Areopolitanus,* qui & ejuſdem ſynodi prophanis decretis ſubſcripſit. *Tom. 4. conc. Labb. coll. 118.* D. *311.* C. *320.* D.

II. POLYCHRONIUS.

In ſubſcriptionibus epiſtolæ ſynodicæ Joannis Hieroſolymorum Patriarchæ ad Joannem Conſtantinopolitanum antiſtitem,
A adverſus Severum & alios hæreticos an. 518. legitur Πολυχρόνιος ἐπίσκοπος Ἀρεοπόλεως, *Polychronius epiſcopus Areopolis. Tom. 5. concil. Labb. col. 191.* A.

III. HELIAS.

Synodo trium Palæſtinarum Petro Patriarcha Hieroſolymitano præſide, anno 536. adfuit, & ſententiæ adverſus Anthimum latæ ſubſcripſit Ἡλίας ἐπίσκοπος Ἀρεοπόλεως, *Helias epiſcopus Hadrianopolis* ſive *Areopolitanus. To. 5. conc. Labb. col. 283.* E.

VII.

ECCLESIA ELUSÆ.

ELUSA tribuitur tertiæ Palæſtinæ in notitia Græca & à Stephano Byzant. *de urbib. & popul. pag. 261.* Ἔλουσα πόλις τῆς νῦν μὲν Παλαιςίνης τρίτης, πάλαι δὲ Ἀραβίας. *Eluſa urbs nunc quidem tertiæ Palæſtinæ, olim vero Arabiæ.* In verſione tamen Latina act. primæ ſynodi Chalced. *tom. 4. conc. Labb. col. 82.* D. dicitur eſſe *ſecundæ Palæſtinæ.* At in textu Græco ſolum legitur Ἀρέτα Ἐλούσης, *Areta Eluſæ* epiſcopo. Sanctus Hieronymus ejus meminit in vita ſancti Hilarionis: *Vadens,* inquit, *in deſertum Cades ad unum de diſcipulis ſuis viſendum cum infinito agmine monachorum pervenit Eluſam, eo forte die, quo anniverſaria ſolemnitas omnem oppidi populum in templum Veneris congregaverat. Colunt autem illam ob Luciferum, cujus cultui Saracenorum natio dedita eſt. Sed & ipſum oppidum ex magna parte ſemibarbarum eſt propter loci ſitum.* Eluſam Ptolemæus collocat inter urbes Idumææ ad occidentem Jordanis.

EPISCOPI ELUSÆ.

I. * * *

SAnctus Nilus monachus, quem *in utraque philoſophia magno Chryſoſtomo uſum præceptore* aſſerit Nicephor. Calliſt. *lib. 14. hiſtor. eccleſ. cap. 53.* deſcribit in hiſtoria cædis monachorum montis Sinai à Saracenis occiſorum ſuo tempore, quorum memoria colitur in Martyrologio Romano die 14. Januar. quomodo filium ſuum Theodulum, à Barbaris quidem captum, & venditum, ſed ab *epiſcopo Eluſæ*
B redemptum, qui eum ad quoſdam ordines promoverat, apud eumdem epiſcopum repererit, à quo uterque, licet invitus, ſacerdotio poſtmodum initiatus fuit. Vide Bollandum *to. 1.* Januar. ad diem 14. præſertim à *n. 51. pag. 964. col. 1.* uſque ad finem. *Eorum autem qui illic erant,* inquit *num. 61. pag. 966. coll. 1. & 2. vere pius & religioſus epiſcopus quum nos diu curaſſet, & à priori afflictione nos non parum recreaſſet, rogabat non mediocriter ut nos apud eum maneremus, benigneque pollicebatur ſe noſtri*

Digitized by Google

ſe noſtri curam habiturum in omnibus. Ne videretur autem vim afferre, quod reputaret pretium datum pro filio, nec nimis jure domini exigere ut maneremus, permiſit ut faceremus quidquid videretur ex noſtra animi ſententia: in hoc ſolo in nos exercens tyrannidem, quod ſacri ordinis jugum vel invitis nobis impoſuerit, &c. Et num. 62. *Volentes autem diſcedere, & domum proficiſci, liberali viatico proſequutus, ut-pote quod longa eſſet via, & ut Dei gratia nos comitaretur precatus quæ deinceps nobis pacem conciliaret, ſic dimiſit: quum nec de dominio ſe arroganter jactaſſet, ut aliquis fortaſſe alius,* B *ejus quem emerat, auctoritatem prædicans; ſed etiam quod videbatur fuiſſe infortunium, levaſſet multa conſolatione; & opinionem inſolentiæ vitaſſet moderatione.* Id videtur Tillemontio *tom. 14. monum. ad hiſt. eccl. pag. 205.* contigiſſe initio ſæculi v. ſed definiri non poſſe ait quonam præcisè tempore: Saraceni enim ſolitudines regionis Thecuæ in Palæſtina peragrarunt, ibique plures occiderunt monachos circa annum 395. & rurſus an. 411. Hic proinde Eluſæ præſul, cujus nomen ignoratur, florebat, vel exeunte ſæculo IV. C vel ſæculo ſequenti quinto.

II. THEODULUS, *ſive* ABDELLAS.

Inter epiſcopos Palæſtinæ qui ſynodo Epheſinæ anno 431. interfuerunt, recenſetur Θεόδουλος ἐπίσκοπος Ἐλούσης Παλαιστίνης, *Theodulus epiſcopus Eluſæ. To. 3. conc. Labb. coll. 456.* B. *457.* A. *465.* E. & *540.* D. *Ampellas* quidem ſcribitur Ἀμπέλλας Ἐλούσης. *Act. 1. col. 448.* C. Sed legendum prorſus eſt Ἀβδέλλας, *Abdellas,* ut ferunt Latinæ tranſlationis codices, apud Baluzium *pag. 452.* Vox autem *Abdellas* idem Arabicè & Syriacè reſonat atque Θεόδουλος, id eſt *Dei ſervus.* Hic

A unus trium epiſcoporum fuit quos Patres Epheſini ad Neſtorium accerſendum ſecunda vice delegarunt, *col. 456.* B. Vide inſuper *col. 694.* C.

III. ARETAS.

Synodo Chalcedonenſi anno 451. adfuit *Aretas* epiſcopus Eluſæ, qui act. IV. *tom. 4. conc. Labb. col. 494.* C. ſuo, & aliorum quindecim præſulum Palæſtinæ nomine, chartam obtulit tunc lectam, in qua rectam de duabus in Chriſto naturis fidem profitebantur, necnon Leonis Papæ epiſtolam ad Flavianum ſuſcipiebant. Ἀρέτας Ἐλούσης, *Aretas epiſcopus Eluſæ.* Act. 1. *col. 82.* D. dicitur in Latina verſione epiſcopus *Eluſæ Palæſtinæ ſecundæ,* ſed mendum eſt: nam in notitiis veteribus eccleſiaſticis *Eluſa* Palæſtinæ *tertiæ* adſcribitur, non *ſecundæ.* Item act. XV. ejuſdem ſynodi Chalcedonenſis, *col. 788.* D. *Aretas Eluſitanus* recenſetur inter epiſcopos *Palæſtinæ tertiæ.* De eo vide inſuper *coll. 570.* C. *585.* B. & *800.* E.

IV. PETRUS.

Epiſtolæ ſynodicæ Joannis Hieroſolymorum antiſtitis adverſus Severum Antiochenum, alioſque hæreticos, ſubſcripſit anno 518. Πέτρος ἐπίσκοπος Ἐλούσης, *Petrus epiſcopus Eluſæ. To. 5. conc. Labb. col. 192.* B.

V. ZENOBIUS.

Anno 536. ſynodo epiſcoporum trium Palæſtinarum Hieroſolymis coactæ adverſus Anthimum & alios hæreticos interfuit Ζηνόβιος ἐπίσκοπος Ἐλούσης, *Zenobius epiſcopus Eluſæ,* qui & ſubſcripſit ſententiæ ibidem latæ à Petro Patriarcha. *Tom. 5. conc. Labb. col. 286.* A.

ECCLESIA ZOARORUM *ſive* SEGOR.

ZOARA olim *Bela* ſive *Bala* & *Segor* nuncupabatur, *Gen. cap. 14. verſ. 8.... necnon & rex Balæ, quæ eſt Segor.* Unde Hieron. in Iſai. *cap. 15. verſ. 5.* ait: *Appellatur Bala, id eſt, abſorpta, tradentibus Hebræis quod tertio terræ motu proſtrata ſit: ipſa eſt quæ hodie Syro ſermone vocatur Zoora, Hebræo Segor, utroque parvula. Zoara* dicitur tum in ſingulari fœm. gen. tum etiam in plur. neutr. gen. Euſebius ad vocem Βαλὰ, *Bala,* de locis Hebr. teſtatur eam ſuo tempore habitatam fuiſſe, & præſidio militum Romanorum munitam, imminere autem mari mortuo. Meminit etiam ejuſdem oppidi ad vocem Βηλὰ, ſcribens illud eſſe in limite Orientali *Judææ,* non *Idumææ:* ita enim legit Hieronymus: Ζώαρα à Græcis ſcribitur & Ζώορα, uti & Σεγὼρ vel Σηγὼρ; *Zoara* ſcilicet *Zoora* & *Segor,* ab Hebræis vero *Tſoar.* Joſephus *lib. 1. antiq. c. 12.* de ea dicit Ζόωρ ἔτι καὶ νῦν λέγεται, καλοῦσι γὰρ οὕτως Ἑβραῖοι τὸ ὀλίγον, *Zoor nunc uſque vocatur, ſic parvum Hebræorum lingua ſignificante.* Eamdem *lib. 5. de bell. Jud. cap. 5.* Ζόαρον τῆς Ἀραβίας, *Zoara Arabiæ* appellat, & eo uſque tradit ſe extendere lacum Aſphaltitem. Præfatus Euſebius ad vocem Θαλάσσα ἡ ἁλυκὴ ſcribit mare mortuum eſſe inter Hierico & Zoaram: & ad vocem Λουείθ *Luith,* hanc eſſe inter Areopolin & Zoaram, μεταξὺ Ἀρεοπόλεως καὶ Ζοορῶν. Et ad vocem Νεμηεὶμ (ita enim pro Νεκνεὶμ legendum eſt) Βενναμαρὴμ *Bennamarem* ſive *Benamerium,* vicum Moabitidis eſſe ad ſeptemtrionem

ECCLESIA ZOARORUM SEGOR.

Zoaræ. Quum autem Moabitis fuerit ad ortum maris mortui, etiam Zoara, ad cujus ſeptemtrionem loca Moabitica fuerunt, eò vergere cenſenda eſt. Idem Hieronymus in Iſai. *cap. 15. verſ. 5.* ſcribit *Segor in finibus Moabitarum ſitam eſſe, & dividere ab iis terram Philiſthiim.* Stephanus Byzant. *de urbib. & popul. pag. 290. edit. Amſtelod. 1678.* ait: *Eſt etiam vicus magnus, Caſtellum in Palæſtina juxta Aſphaltitem mare, Zoara neutro genere* Ζόαρα οὐδετέρως. *Significat vero Hebræorum lingua* parvum, *quò Lot fugit, ac ſalvus evaſit à Sodomitica ira.* Idem Stephanus *pag. 612.* ubi de *Sodoma* Segor vicina: *Sodoma,* inquit, *metropolis erat decem urbium* (quinque tantum nominat ſcriptura, nempe cum *Sodoma, Gomorram, Adamam, Seboim* & *Balam* ſive *Segor,* Gen. *cap. 14. verſ. 8.* ipſaque regio *Pentapolis* dicitur, Sap. *cap. 10. verſ. 6.* niſi fortaſſis alia quinque minora oppida his quinque ſubjecta fuerint) *quæ in Aſphaltite lacu ſubverſæ ſunt.* Joſephus *lib. 5. de bell. Jud. cap. 5.* hæc habet de ea regione: *Vicina eſt Sodomitis* Σοδομῖτις (id eſt urbs *Sodoma*) *ipſi* (paludi Aſphaltiti) *olim quidem terra felix, tum propter fructus, tum propter civitatum abundantiam, nunc autem tota exuſta. Aiunt vero quod ob habitatorum impietatem fulminibus combuſta fuerit. Sunt denique etiamnum reliquiæ divini ignis, & quinque civitatum umbras videre licet, necnon in fructibus renaſcentes cineres, qui colorem habent edulibus ſimilem, carpentium autem manibus in fumum diſſolvuntur & cinerem.* Adſtipulatur Cornelius Tacitus *lib. 5. hiſt. cap. 7. Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes, magniſque urbibus habitatos, fulminum jactu arſiſſe; & manere veſtigia, terramque ſpecie torridam, vim frugiferam perdidiſſe: nam cuncta ſponte edita, aut manu ſata, ſive herba tenus aut flore, ſeu ſolitam in ſpeciem adolevere, atra & inania velut in cinerem vaneſcunt. Ego ſicut Judaïcas quondam urbes igne cœleſti flagraſſe conceſſerim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi ſuperfuſum ſpiritum, eoque fœtus ſegetum & autumni putreſcere reor, ſolo cœloque juxta gravi.* Strabo *lib. 16. geogr. pag. 764.* C. *edit. Caſauboni Pariſ. 1620.* ſimilia fere tradit de Sodoma & adjacentibus terris: *Ab indigenis prædicantur, in hoc loco tredecim urbes olim habitatas fuiſſe, quarum caput Sodoma adhuc ſexaginta ſtadiorum habeat ſuperſtitem ambitum: terræ autem tremoribus, & ignis aquarumque calidarum, & bituminoſarum ac ſulphurearum eruptione extitiſſe lacum, ſaxa ignem concepiſſe, urbium alias abſorptas, alias ab iis quicunque fugere potuerunt, derelictas. Eraſthothenes contra ſentit, regionem ſtagnis intus conceptis ſubductam, maxima ejus parte factis eruptionibus retectam fuiſſe, quemadmodum & mare, &c.*

Vulgo creditur lacum Aſphaltiten natum eſſe eo tempore, quo Sodoma, Gomorra, Adama, & Seboim à Deo ſubverſæ ſunt, ita ut aquis illius lacus textæ & immerſæ fuerint. Verum ea opinio Hadriano Relando *tom. 1. Palæſtinæ illuſtr. pag. 254. & ſeqq.* firmis non videtur rationibus niti. « Scio, inquit, huc referri quod de regibus Sodomorum, Gomorræ, » Adamæ, Seboim, & Balæ ſive Segor ſcribitur Gen. *cap. 14. verſ. 3.* ipſos ſcilicet *conveniſſe,* » *in vallem Silveſtrem,* (Hebraice *Siddim*) *quæ nunc eſt mare ſalis.* Sed hic nihil dicitur niſi » hanc vallem, olim appellatam *Siddim,* poſtea factam fuiſſe *mare ſalis* ſive *mare mortuum;* quod » (aſſerit quidem Hieronymus *lib. Quæſtionum Hebraicarum in Gen. cap. 14. verſ. 3. Vallis autem ſalinarum,* inquit, *in qua fuerunt ante putei bituminis, poſt Dei iram & ſulphuris pluviam, in mare mortuum verſa eſt, quod à Græcis* λίμνη Ἀσφαλτῖτις, *id eſt, ſtagnum bituminis, appellatur.* Et ego) « non inficior: potuit enim illa vallis vicini maris aquis inundata fuiſſe, » aut exuberante fluvio Jordane, aut aquis ſubterraneis, aliiſve, de quibus, quia incertum eſt » quomodo & quando contigerit, nihil addere neceſſe eſt. (Verum) non dicit ſcriptor » ſacer, urbes illas quinque ſitas fuiſſe in valle *Siddim;* imò contrarium poteſt ex eo colligi, » quod reges illarum quinque urbium, exercitu coacto, ſe contulerint *verſus vallem Siddim,* » ut fert textus hebræus. Quod ſi quis *in valle* interpretari velit, eodem nihilominus redibit » res. Erit enim vallis Siddim, in qua congregati ſunt quinque Reges, diverſa ab illa regione » in qua eorum urbes quinque erant ſitæ.... Præterea in toto ſacro codice nulla plane fit mentio » ſubmerſionis harum quinque urbium, nec eo ipſo loco ubi narratur ipſa hiſtoria, Gen. *cap. 19.* » nec alibi. Gen. quippè *cap. 19. verſ. 24. & ſeq.* dicitur *Deus pluiſſe ſuper Sodomam & Go-* » *morram ſulphur & ignem de cœlo, & ſubvertiſſe civitates has, & omnem circa regionem, univerſos* » *habitatores urbium, & cuncta terræ virentia.* Et verſ. 28. *Intuitus eſt* (Abraham) *Sodomam* » *& Gomorrham, & univerſam terram regionis illius; viditque aſcendentem favillam de terra quaſi* » *fornacis fumum.* Nihil hic de eluvie, nihil de inundatione: ſed contraria omnia, *ſulphur,* » *ignis, fumus, ſubverſio.*

» Ad id elucidandum maxime facit quod legitur Deut. *cap. 29. verſ. 23. Sulphure & ſalis* » *ardore comburens, ita ut ultra non ſeratur, nec virens quippiam germinet, in exemplum* (id eſt, » ad inſtar) *ſubverſionis Sodomæ & Gomorrhæ, Adamæ & Seboim, quas ſubvertit Dominus in* » *ira & furore ſuo.* Minatur hic Deus ſe urbes Iſraëlitarum (ſi ad idololatriam diverterint)

Digitized by Google

ECCLESIA ZOARORUM ſive SEGOR.

» ſubverſurum, & terras adjacentes redditurum ſimiles regioni Sodomorum, ita ut ſulphure
» & ſale multo combuſtæ, non producant ultra herbas. Si planities Sodomitica & circum-
» jacens aquis obruta fuiſſet, non dixiſſet, opinor, Moyſes, de regione quæ facta illi foret
» ſimilis, hanc non amplius ſerendam, nec germinaturam, ea præcisè cauſa addita quod
» ſulphure & ſale inepta impoſterum culturæ & productioni efficeretur. Quid enim planius,
» quam terram aquis ſubmerſam, & in vaſtum lacum quaſi mare mutatam, non poſſe de
» cætero ſeri, nec ex ea fructus ullos decerpendos? Eumdem in modum vaticinatur Sophonias
» *cap. 2. verſ. 9.* in nomine Dei: *Propterea vivo ego, dicit Dominus exercituum Deus Iſraël, quia*
» *Moab ut Sodoma erit, & filii Ammon quaſi Gomorha, ſiccitas ſpinarum, & acervi ſalis, &*
» *deſertum uſque in æternum.* Quid clarius, ſi Sodoma aquis immerſa eſt, cur hîc nihil de aquis,
» ſed contra *ſiccitas* prædicitur? Item Amos *cap. 4. verſ. XI.* legitur: *Subverti vos, ſicut ſubvertit*
» *Deus Sodomam & Gomorrham, & facti eſtis quaſi torris raptus ab incendio.* Quid, urbes aquis
» obrutæ, ſunt ne titioni ſimiles? Eadem minatur Deus, adducto exemplo de Sodoma &
» Gomorrha, Jerem. *cap. 49. verſ. 17. & erit Idumæa deſerta.... verſ. 18. Sicut ſubverſa eſt*
» *Sodoma & Gomorrha, & vicinæ ejus, ait Dominus: non habitabit ibi vir, & non incolet eam*
» *filius hominis.* Et cap. 50. verſ. 35. *Gladius ad Chaldæos, ait Dominus, &c.* verſ. 38. *Siccitas*
» *ſuper aquas ejus erit, & areſcent, quia terra ſculptilium eſt, & in portentis gloriantur.*
» verſ. 39. *Propterea habitabunt dracones cum faunis ficariis: & habitabunt in ea ſtruthiones; &*
» *non inhabitabitur ultra uſque in ſempiternum, nec extruetur uſque ad generationem & generatio-*
» *nem.* verſ. 40. *Sicut ſubvertit Dominus Sodomam & Gomorrham, & vicinas ejus, ait Dominus:*
» *non habitabit ibi vir, & non incolet eam filius hominis.* Hîc tantum abeſt ut, in ſimilitudinem
» Sodomæ, enatis aquis ſubmergendam terram Babyloniorum prænuntiet Propheta, quin
» potius exſiccandas fore eorum aquas minetur. In libris novi teſtamenti nulla pariter inun-
» dationis memoria occurrit. Chriſtus Dominus Luc. *cap. 17. verſ. 29. Qua die autem exiit*
» *Lot à Sodomis, pluit ignem & ſulphur de cælo, & omnes perdidit.* S. Petrus 2. epiſt. cap. 2.
» v. 6. *Et civitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens.* Judas quoque Apoſtolus,
» ſuæ epiſt. verſ. 7. *Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ civitates .... factæ ſunt exemplum,*
ignis æterni pœnas ſuſtinentes.» Confirmant omnino hanc ſententiam Joſephus & Cornelius Tacitus, quorum teſtimonia ſupra allata ſunt. Idem etiam videtur ſenſiſſe Baſilius citatus ab Anaſtaſio Sinaïta *in quæſtionibus de variis argumentis, quæſt. 17. to. 9. Biblioth. Patrum. edit. Lugdun. 1677. pag. 985. col. 2.* H. ubi ait: *Sodomitarum gens, quum malitia eorum ſummum apicem attigiſſet, deleta eſt, atque ita & Ægyptiorum & Chananæorum; illa quidem igne exuſta, altera aquis obruta, tertia in bello hoſtibus tradita.* Hæc præfatus Hadrianus Relandus, nec improbabiliter, ut videtur; de cujus tamen rationibus judicium eſto penes lectorem.

Lacus vicinus Sodomæ cæterarumque urbium igne cæleſti ſubverſarum, appellatur *Aſphaltites* à bitumine quod in eo reperitur diciturque bitumen Judaïcum, ex eodem Hadr. Reland. *pag. 240. & mare mortuum;* mare quidem, *quod omnis congregatio aquarum,* (verba ſunt Hieronymi lib. quæſt. Hebraic. in Gen. cap. 1.) *ſive ſalſæ ſint, ſive dulces, juxta idioma linguæ Hebraïcæ, maria nuncupentur.* Mortuum vero, quia piſces non alit. Facit enim, inquit idem Reland. *p. 243.* eximia aquarum ſalſedo, ut piſces eum (lacum) fugiant. Unde rurſus Hieronymus *comment. in Ezech. cap. 47. verſ. 8.* ait: *Mare mortuum in quo nihil poterat eſſe vitale, & mare amariſſimum, quod Græcè Λίμνη Ἀσφαλτῖς, id eſt, ſtagnum bituminis vocatur....* Et paulo-poſt: *Re vera, juxta litteram, hucuſque nihil quod ſpiret, & poſſit incedere, præ amaritudine nimia in hoc mari reperiri poteſt: nec cochleolæ quidem parvique vermiculi & anguillæ, & cætera animantium ſive ſerpentium genera, quorum magis corpuſcula poſſumus noſſe, quam nomina. Denique ſi Jordanis auctus imbribus piſces illuc influens rapuerit, ſtatim moriuntur, & pinguibus aquis ſupernatant.* Maundrellus tamen αὐτόπτης obſervavit conchylia quædam ſive cochleolas ad littus ejus nunc reperiri, quæ à Jordane eo deferri non potuere, quia nimis longè inde locus eſt ubi Jordanes in hunc lacum influit. Addit idem Hadr. Reland. *p. 244.* alium eſſe lacum Aſphaltiten circa Babylonem, quem cum lacu Aſphaltite Palæſtinæ confundunt ſcriptores multi, uni tribuentes quod alteri convenit. *Babylone,* inquit Vitruvius lib. 8. cap. 3. *lacus ampliſſima magnitudine, qui Limne Aſphaltitis appellatur, habet ſupernatans liquidum bitumen; quo bitumine & latere teſtaceo ſtructo muro Semiramis circumdedit Babylonem.* De eo lacu Xiphilinus ait in Trajano *pag. 252. Ibi Trajanus vidit lacum bituminis unde mœnia Babylonis ædificata ſunt: cujus tanta vis eſt, ut permixtum cum lateribus aut minutis lapidibus quovis ferro aut ſaxo ſit durius. Oſtium quoque ejus ſpectavit, unde tam gravis halitus ſurgit, ut eum nulla animantia terreſtria aut volatilia ferre poſſint, ſed ſolo olfactu intereant.* Joſephus ſitum lacus Aſphaltitis ſic deſcribit *lib. 5. de bell. Jud. cap. 5. Hujus lacus longitudo eſt quingentorum & octoginta ſtadiorum ſecundum quam uſque ad Zoara Arabiæ extenditur, latitudo*

Digitized by Google

ECCLESIA ZOARORUM *ſive* SEGOR.

autem centum & quinquaginta. Maundrellus in itinerario ſcribit longum eſſe 24. leucis, & ſex latum; quod cum Joſepho congruit, modo leucam ſtatuamus tria milliaria Romana complecti, ſive 72. ſtadia. Nam ſtadia octo efficiunt mille paſſus ſive unum milliare Romanum: atque adeo 150. ſtadia efficiunt milliaria Romana 18. & paulo plus, non tamen 19. milliaria. Ita explicat Hadr. Reland. *to. 1. pp. 442. & 451.* Eumdem lacum diſtare ab Hieroſolymorum finibus trecentis ſtadiis tradit præfatus Joſephus *lib. 15. antiq. cap. 9.*

Mirum profecto quod *Severus* epiſcopus *Sodomorum* commemoretur in ſubſcriptionibus Patrum concilii Nicæni I. inter præſules Arabiæ, *to. 2. conc. Labb. col. 52.* A. Vecors eſſet, inquit idem Hadr. Reland. *tom. 2. pag. 1120.* qui hic Sodoma à Deo everſa & nunquam poſtea habitanda intelligi poſſe ſibi perſuaderet. Quem ergo locum hic latere ſuſpicabimur? Non *Zoara,* quæ Palæſtinæ urbs fuit, non vero Arabiæ; non etiam Sycamazona, quæ & ipſa non urbs Arabica, ſed Palæſtinarum erat. In indice Arabico, poſt *Gennadium Iabrudorum,* legitur: *Severus Zuzumaon,* quæ potuit eſſe urbs aliqua Arabiæ ſub metropoli Boſtris, puta quæ *Zozoyma* aut *Zoraima* in quibuſdam notitiis eccleſiaſticis ſcribitur. Porro in notitiis Græco-Latinis quas exhibet P. Goar ad calcem operis Georgii Codini Curopalatæ *de officiis magnæ eccleſiæ & aulæ Conſtantinopolitanæ, edit. Pariſ. 1648.* exſtat ſub provinciæ Lyciæ, *pag. 344. n. XI. Sitymorum* ὁ Σιτύμων & ad marg. *Sidymorum: Item p. 388.* ſub throno 20. Myræ totius Lyciæ metropolis, *num. 10.* Myra non computata, *Sydemorum* ὁ Συδήμων. Et ſuperius ſub provincia 19. Lyciæ *num. XI. pag. 374. Sidymorum* ὁ Σιδύμων. Hæc fortaſſis eſt eccleſia, quæ per mendum ſcripta fuerit *Sodomorum.* Circa fines autem auſtrales lacus Aſphaltitis urbem *Sodomorum* ſitam fuiſſe veriſimile eſt. Certe non longe diſtabat ab urbe *Segor* ſive *Zoara,* ſiquidem Loth ſurgente aurora Sodoma egreſſus, ſole oriente Segor ingreſſus eſt, Gen. *cap. 19. verſſ. 15. & 23.*

EPISCOPI ZOARORUM.

I. MUSONIUS.

Synodo Epheſinæ ſecundæ anno 449. interfuit *Muſonius* iſte Μυσώνιος ἐπίσκοπος Ζοώρων, fidemque prodidit, Dioſcori Alexandrini Patriarchæ partes amplexus. At biennio poſt, in concilio Chalcedonenſi anno 451. ipſe, multique alii epiſcopi ejuſdem Dioſcori factione ſimiliter in errorem inducti, ad eccleſiam redierunt, delicti veniam poſtulantes, & actis hujus ſynodi ſubſcripſerunt. *To. 4. conc. Labb. col. 82.* D. dicitur *Muſonius epiſcopus Zoaræ ſecundæ Palæſtinæ.* Mendum eſt, corrigendum tum ex textu Græco, ubi legitur ſolum Μυσωνίυ Σηγώρ: tum etiam ex act. XV. ubi Muſonius epiſcopus Zoroanenſis inter Palæſtinæ tertiæ antiſtites recenſetur. Vide *ibid. coll. 118.* D. *267.* D. *312.* C. *328.* E. *494.* C. *788.* D. *809.* A.

II. ISIDORUS.

In ſubſcriptionibus epiſtolæ ſynodicæ Joannis Hieroſolymorum præſulis ad Joannem Conſtantinopolitanum Patriarcham miſſæ anno 518. initio Imperii Juſtini, adverſus Severum quem ille Antiochena ſede exturbaverat, ſubſcripſit cum aliis multis Palæſtinarum epiſcopis Ἰσίδωρος ἐπίσκοπος τῆς Ζωορηνῶν, *Iſidorus epiſcopus Zoorenus. To. 5. conc. Labb. col. 192.* D.

III. JOANNES.

Joannes iſte Zoarorum eccleſiæ præerat anno 536. ut-pote qui eo anno *epiſtolæ ſive* A *libello orthodoxorum epiſcoporum Orientalium contra Anthimum, Severum, alioſque Acephalos, oblato Agapeto* Papæ, ſubſcripſit poſt Domnum epiſcopum Maximianopolis, Ἰωάννης ἐπίσκοπος Ζωοέρων ἀξιώσας ὑπέγραψα, *Joannes epiſcopus Zoororum ſupplicando ſubſcripſi. To. 5. conc. Labb. col. 43.* E. Rurſus eodem anno interfuit ſynodo Conſtantinopolitanæ, præſide Menna Patriarcha, menſibus Maio & Junio congregatæ, adverſus præfatos hæreticos, ejuſque ſingulis actionibus ſubſcripſit: primæ quidem, ſexto Nonas (id eſt, die ſecunda) Maii. *Ibid. col. 6.* A. Secundæ vero, B pridie Nonas (id eſt, die 6.) Maii. *col. 51.* B. Tertiæ, ſexto Idus (id eſt, die 10.) Maii. *col. 59.* E. Quartæ, duodecimo kalendas Junii (id eſt, 21. Maii.) *coll. 74.* A. *& 95.* A. Quintæ demum, pridie Nonas (id eſt, die 4.) Junii. *coll. 99.* A. & *259.* D. In eo ultimo loco legitur, Ἰωάννης ἐπίσκοπος Ζωοέρων τῆς τρίτης Παλαιστίνης ἐπαρχίας ὁρίσας ὑπέγραψα, *Joannes epiſcopus Zooranus tertiæ Palæſtinæ provinciæ diffiniens ſubſcripſi.*

In actis ſynodi Hieroſolymitanæ eodem C anno 536. menſe Septembri, contra eoſdem hæreticos, à Petro Patriarcha, ex epiſcopis trium Palæſtinarum coactæ, exſtat ſubſcriptio *Joannis Doareni* Ἰωάννης ἐπίσκοπος Δοαέρων, *Joannes epiſcopus Podaleanus,* in ind. Latino, *tom. 5. conc. Labb. col. 283.* E. ubi ad marg. notatur *Doarenus. Tom.* autem 2. *concilior. Hard. col. 1418. E.* legitur in Latino indice, *Joannes Poſdonus,* & ad marg. *Ita manuſc. at Græcè Doarenus.* Idem Harduinus *tom. XI.*

Digitized by Google

col. 715. & *ſeq.* de epiſcopatu Doareno hæc A obſervat: *Doarenus* (epiſcopus) *in Cappadocia, ex notitiis Græcis, in quibus eſt ibi* Δώαρα *&* Ῥεγιόδαρα, *hoc eſt, Regio Doara. Baſilio in epiſt. 10. & 395.* Δώαρα κώμη (Doara vicus.) Et paulo-poſt: *Joannes Doarenus. In concilio Hieroſolymitano anno 636. To. 2.* (edit. ſuæ) *col. 1418.* E.

Procul dubio vocabula Δωάρων, *Podaleanus, Poſidonus,* & *Doarenus,* mendum ſunt, pro quibus legendum videtur, in Græco quidem textu vel Δώρων, vel Ζοάρων, ſive Ζωορῶν: In Latina autem verſione, *Dororum* vel *Zoa-* B *rorum* ſive *Zoororum. Dororum* lectionem ſuadet, quod alias epiſcopus hujus eccleſiæ, poſt Cæſaream primæ Palæſtinæ metropolim primariæ, huic ſynodo Hieroſolymitanæ non interfuiſſet, nec alius vices ejus geſſiſſet. *Zoarorum* vero lectioni favet, quod epiſcopus *Joannes* nuncupatus, ex ſupradictis, eo anno præfuerit huic Zoarorum ſedi, qui aliàs eidem ſynodo Hieroſolymitanæ non ſubſcripſerit, licet plures alii præſules Palæſtinarum, ut Domnus Maximianopolis, & Anaſtaſius Jotabæ, qui ſimiliter concilio Conſtantinopolitano ſub Menna adfuerant, ſynodo etiam Hieroſolymitanæ quæ quarto poſtea menſe celebrata eſt, nihilominus interfuerint: Sed nullo modo probabile eſt, loco epiſcopi, ſive *Dororum,* ſive *Zoarorum in Palæſtinis,* legendum eſſe *Joannem epiſcopum Doarorum* in Cappadocia, cujus eccleſia patriarchatui Hieroſolymorum minimè ſubjiciebatur. Δοάρων manere poſſet, inquit Hadr. Reland. *tom. 2. Palæſt. illuſtr. pag. 532. in annot. 5.* ſi non conſtaret hos omnes fuiſſe epiſcopos Palæſtinarum; nam in Cappadocia ſecunda urbs eſt Δόαρα, (cujus) epiſcopus, (dictus) Δοάρων, nuncupatur in concilio (VI. generali anno 680.) *To. 6. conc.* (Labb.) *coll. 1042. 1068. & 1202.* (quum) tunc (etiam) eſſet epiſcopus Δόρων. Verum, ſi ex ſubſcriptione *Joannis* epiſcopi, qui vel *Dororum* vel *Zoarorum* eccleſiæ præfuerit tempore concilii Hieroſolymitani anno 536. colligi certè non poſſit *Joannem* Zoarorum præſulem, de quo hîc agimus, ei concilio interfuiſſe, conſtat nihilominus, ex concilio Conſtantinopolitano ſub Menna, eo ipſo anno 536. *Joannem* hunc Zoarorum eccleſiam adminiſtraſſe: quod autem ſimul ſederint *Joannes* Dororum, & *Joannes* Zoarorum in Palæſtina, quorum alteruter ſynodo Hieroſolymitanæ adfuerit, profecto nullatenus repugnat. Vide ſupra, ubi de epiſcopis Dororum, *col. 579.* B. C.

ECCLESIA ZOARORUM *ſive* SEGOR.

IX. ECCLESIA PHÆNUS *vel* PHÆNON.

PHÆNUS ſive *Phænon,* Græcè Φαινῶν, olim urbs Idumææ, poſtea vicus fuit inter urbem Petram & Zoaram, teſte Euſebio *de locis Hebr.* ad vocem Φινῶν, unde Hieronymus: *Phænon.... Fuit quondam civitas principum Edom, nunc viculus in deſerto ubi æris metalla damnatorum ſuppliciis effodiuntur inter civitatem Petram & Zoaram.* Ex Cellar. *tom. 2. geogr. antiq. lib. 3. cap. 14. pag. 682.* Idem Euſebius ad vocem Δαιδὰν, juxta tranſlationem Hieronymi, *Dedan in regione Idumææ, ſuper qua ſcribit Hieremias* (cap. 49. verſ. 8.) *eſt in quarto milliario à Metalloſeno contra Aquilonem Metalloſenon* hîc appellat Hieronymus vicum quem Euſebius *Phanam* nuncupat τῇ Φαινᾷ. Porro « ſi originis Græcæ (Phænon) vox eſſet,
» inquit Hadr. Reland. *to. 2. Palæſt. illuſtr. pag. 951.* poſſet credi aliquid commune habere
» cum Γεωφάνιον, quo nomine Græci locum nuncupant è quo metalla effodiuntur, (vide
» Harpocrationem & Heſychium) aut cum Φαύνῳ. *Faunus* enim Pici filius primus fodinas
» auri & argenti, vel metalla auraria & argentaria, ut Plinii verbis utar *lib. 34. cap. 18.* invenit.
» Vide Suidam ad vocem Μεταλλεῖς, Heſychius φεροσταυῆ, Θεοφεάστος ἐν μεταλλικῷ. (Vide de hoc Meurſ. *in comm. ad Apollonium Dyſcolum pag. 147.*) Χρυσοῦ συῤῥόας.» S. Athanaſ. *in epiſt. ad Solitar. vitam agentes pag. 658.* A. *edit. Græco Lat. Ex officina Commelin. 1600.* ait de Eutychio. *In metalli fodinam eum mitti curaverunt* (Euſebiani,) *nec in metalli fodinam ſolum, ſed illam ſpeciatim quæ Phæno nuncupatur, in qua homicida damnatus nonniſi ad paucos dies ſupereſſe poteſt.* Tempore perſecutionis Maximini II. Imperatoris multi martyres ad metalla eruenda damnati ſunt à præſide provinciæ, ut narrat idem Euſebius *lib. de Martyribus Palæſt. cap. 7. poſt lib. 8. hiſt. eccl. pag. 328.* B. *edit. Valeſ. Inde* (præſes) *ad reliquos Chriſti Confeſſores ſe transferens,* inquit, *omnes ad æris metalla quæ ſunt apud Phænum Palæſtinæ damnavit:* τοῖς κατὰ Φαινὼ τῆς Παλαιστίνης χαλκοῦ μετάλλοις τοὺς πάντας παραδίδωσιν. Petrus Alexandrinus Athanaſii ſucceſſor, in epiſtola quam ſcripſit de his quæ Alexandriæ geſta ſunt, dum Lucius hujus ſedis invaſor, tyrannidem ſuam in orthodoxos ipſius communionem repudiantes exerceret, apud Theodoretum *lib. 4. hiſt. eccl. cap. 22.* hæc refert *p. 183.* D. *edit. Valeſ. Omnes poſthæc in media urbe publicè & privatim ſinguli gementes.... ne flere quidem permiſſi ſunt, vetante id Palladio præfecto urbis Alexandriæ, qui dæmonum cultui erat addictiſſimus.*

Digitized by Google

ECCLESIA PHÆNUS. *vel* PHÆNON.

Multi enim ex flentibus rapti, ac prius cuſtodiæ mancipati, deinde verberati, lacerati, torti, ad Phennenſia τοῖς Φεννησίοις *& Proconneſia metalla damnati ſunt, viri qui pro eccleſiæ defenſione divino zelo incenſi pugnaverant. Plerique enim erant monachi, accuratioris ac diſtrictioris vitæ ſtudio ſolitudinem incolentes, tres ac viginti numero. Cum quibus paulo-poſt diaconus quoque.... manibus poſt tergum revinctis publicè à carnificibus ductus eſt.... Qui.... lapidibus ac plumbatis cervice diu verberata, navigium in mari conſcendit ſicut cæteri, divinæ crucis ſigno frontem ſuam conſignans, omnique cura & ſolatio deſtitutus, ad æris metalla datus eſt quæ ſunt in Phenne,* τοῖς κατὰ Φεννὴς παρεδόθη μετάλλοις. Epiphanius *lib. 2. adverſ. hæreſ. pag. 719.* Φαινήσια μέταλλα commemorat. In notitia veteri eccleſiaſtica Græca urbs Phænon non legitur inter urbes Palæſtinarum: ſed inter urbes provinciæ Arabiæ *to. 1. Palæſt. illuſtr.* Hadr. Reland. *p. 218.* ubi undecima exſtat Φένουτος, *Phenutus,* quam ipſe non dubitat *tom. 2. pag. 952.* eſſe hanc *Phænon,* cujus nonnulli in actis conciliorum recenſentur epiſcopi.

EPISCOPI PHÆNON *ſive* PHÆNUS.

I. Saidas.

SYnodo generali Epheſinæ anno 431. adfuit, & pro Cyrilli ad Neſtorium litteris ſententiam dixit Σαΐδας ἐπίσκοπος Φαίνους τῆς Σαλουταρίας Παλαιστίνης, *Suidas epiſcopus Phænus Salutaris Palæſtinæ,* qui & ejuſdem ſynodi decretis omnibus ſubſcripſit. *Tom. 3. concil. Labb. coll. 473.* B. *500.* C. *541.* A. & *692.* D. In actis ſynodi Chalcedon. idem Saidas epiſcopus Phænenſis nominatur *tom. 4. conc. col. 283.* E.

II. Cajumas.

Alteri ſynodo Epheſinæ, prædatoriæ dictæ, anno 449. interfuit, & Dioſcoro Alexandrino Patriarchæ adſtipulatus eſt *Cajumas epiſcopus Phænus;* Καΐουμος ἐπίσκοπος Φαίνους, Καιούμου Φαίνους *Cajumo Phænus, tom. 4. concil. Labb. coll. 118.* D. *268.* A. *312.* D. & *320.* E.

A Legitur in ſubſcriptionibus Latinis: *Cajumas epiſcopus Phænicenſis* (ſive *Phænenſis*) *definiens ſubſcripſi per coepiſcopum meum Dionyſium* (Sycamazonis) *propterea quod litteras ignorem,* Græcas ſcilicet. *Ibid. col. 320.* E.

III. Petrus.

Anno 518. epiſtolæ ſynodicæ Joannis Hieroſolymorum Patriarchæ adverſus Severum Antiochenum ſubſcripſit *Petrus epiſcopus*
B *Phænus* Πέτρος ἐπίσκοπος Φαίνους. *Tom. 5. conc. Labb. col. 191.* D.

IV. Joannes.

Sententiæ adverſus Anthimum & alios hæreticos latæ in ſynodo Hieroſolymitana, præſide Petro Patriarcha, ſubſcripſit cum cæteris trium Palæſtinarum epiſcopis Ἰωάννης ἐπίσκοπος Φαίνους, *Joannes epiſcopus Phænus. To. 5. conc. Labb. col. 286.* B.

X. ECCLESIA PHARAN *ſive* MONTIS SINAI.

NOTISSIMUM eſt ex divinis paginis deſertum Pharan, Hebraïcè *Paran* in Arabia Petræa. Iſraëlitæ poſt tranſitum maris rubri primum in ſolitudinem *Sur* venerunt, Exod. *cap. 15. verſ. 22.* Hieronymus *de locis Hebr.* ait: *Sur, ubi invenit Angelus ancillam Saræ Agar inter Cades & Barad: extenditur autem deſertum Sur uſque ad mare rubrum, quod ad Ægypti confinia pervenit.* Deinde Iſraëlitæ profecti ſunt in deſertum *Sin,* Exod. *cap. 16. verſ. 1. & cap. 17. verſ. 1.* Poſtea in deſertum *Sinaï,* Exod. *cap. 19. verſ. 1.* Ex *Sinaï* vero in deſertum *Paran* ſive *Pharan,* Num. *cap. 10. verſ. 12.* & *cap. 13. verſ. 4.* In ejus extremitate ad terram Chanaan ſitum erat *Cadeſbarne,* quod videtur fuiſſe oppidum. Atque hinc exploratores terræ Chanaan, nunc ex deſerto *Pharan* dicuntur emiſſi, Num. *cap. 13. verſ. 3.* nunc ex *Cadeſbarne, cap. 32. verſ. 8.* & Deut. *cap. 9. verſ. 23.* Hoc oppidum *Cadeſbarne* in terminum auſtralem terræ promiſſæ incidebat, Num. *cap. 34. verſ. 4.* & Joſ. *cap. 15. verſ. 3.* & dicitur aliquando *Cades* ſimpliciter, Gen. *cap. 16. verſ. 14.* & *cap. 20. verſ. 1.* nec confundi debet cum altero *Cades* in deſerto *Zin,* Num. *c. 20. verſſ. 1.* & *16.* Sinus Arabicus in ſummitate ſua in duos alios ſinus fiſſus eſt, quorum unus, *Heroopolitanus* dictus, altero latere per Ægyptum fluit, & in vertice urbem *Heroum* habet, unde & denominatur, & per hunc ſinum Iſraëlitæ ex Ægypto ſuſpenſis utrimque aquis pertranſierunt: alter vero ſinus hinc in ortum ſolis recedens *Elaniticus* nuncupatur. Uterque, hic totus, ille in parte, Arabiam Petræam alluit. Prior Straboni *lib. 16. p. 759.* C. ὁ πρὸς Αἰγύπτῳ κατὰ τὴν Ἡρώων πόλιν κόλπος, *ſinus ad Ægyptum juxta Heroum civitatem:* Ptolemæo *lib. 5. cap. 17.* κόλπος ὁ Ἡρωοπολίτης, *ſinus Heroopolites:* Plinio *lib. 5. cap. XI. Heroopoliticus ſinus;* in cujus ora Arabica nihil eſt memorabile uſque in angulum fiſſionis ſeu initium ſinus Elanitici. Angulus enim promontorium habet ſupra

Digitized by Google

quod in plano ſitum eſt *Phara* Ptolemæi, qui lineam terminalem duxit *μέχρι τοῦ κατὰ Φαρὰν ἀκρωτηρίου*, *uſque ad promontorium juxta Pharan*, quæ ibidem, ex Palatino codice, ἡ Φαρὰ κώμη, *Phara vicus* dicitur, ut fere Arabum oppida fuerunt. Stephano Byzantino *de urbib. & popul.* eſt Φαρὰν *Pharan* primo caſu: Φαράν πόλις μεταξὺ Αἰγύπτου καὶ Ἀραβίας, *Pharan eſt oppidum inter Ægyptum & Arabiam,* videlicet ſecundum Ptolemæi lineam ad promontorium, qua ſinus Heroopolitanus Ægypto relinquitur. Salmaſius *in Solin. p. 344.* dicit, ab Iſmaëlitis conditum, Hieronymi auctoritate. Rem non negabo, quia latè habitarunt Iſmaëlitæ: at de conditu nihil Hieronymus, ſed tantummodo Iſmaëlem *habitaſſe in deſerto Pharan*, ex Gen. *cap. 21. verſ. 21.* Hæc Cellarius *to. 2. geogr. antiq. lib. 3. cap. 14. pp. 685. 686. 691.* & *692.* Hieronymus de *Pharan* ait in locis Hebr. *Pharan, nunc oppidum eſt trans Arabiam contra auſtralem plagam junctum Saracenis qui in ſolitudine vagi errant. Per hoc iter fecerunt filii Iſraël, quum de monte Sina caſtra moviſſent. Eſt ergo, ut diximus, trans Arabiam contra auſtralem plagam, & diſtat ab Aila contra* (id eſt, verſus) *Orientem itinere 3. dierum.* Nec quiſquam exiſtimet celebrem illam lauram quæ *Pharan* dicebatur, ex oppido *Pharan,* de quo nunc ſermo, nomen habuiſſe: nam laura hæc in Palæſtina prima ſita erat, ſex duntaxat ſtadiis ab urbe Hieroſolyma, ut expreſſe tradit Cyrillus Scythopolitanus in vita S. Euthymii, *num. 10. tom. 2. monument. eccleſ. Græc.* Cotel. *pag. 209.* A. *Pharan* vero Arabiæ in tertia Palæſtina fuit.

ECCLESIA PHARAN *ſive* MONTIS SINAI.

In notitia excerpta ex Nili Doxopatrii, ſcripta anno 1151. & edita à D. Le Moine in Variis Sacris *pag. 231.* & à Schelſtratano *to. 2. antiq. eccl.* apud. Hadr. Reland. *to. 1. Palæſt. illuſtr. pag. 219.* & *ſeqq.* Græcè & Latinè, mentio fit montis Sinaï. His enim præmiſſis, *pag. 220. Poſtea autem novo honore mactatus eſt* (id eſt, ad nobiliorem gradum erectus) *thronus Hieroſolymitanus, avulſus à diœceſi ac poteſtate Alexandrini* (id falſum videtur) *& ipſe caput evaſit, ad eamdem dignitatem cum tribus aliis thronis promotus. Sancitum tamen eſt, ut ordine inferior eſſet Antiocheno & poſt illum honoraretur, referretur in diptychis, & ſedem occuparet. Patriarcha etiam vocatus eſt epiſcopus Hieroſolymitanus, licet antea epiſcopus eſſet ſub Cæſarienſi Palæſtinæ, quum illius metropolis eſſet Cæſarea, & Hieroſolyma Cæſareæ ut epiſcopatus metropoli ſubeſſet. Habuit vero & alias metropoles quæ varios epiſcopos ſub ſe habebant, nempe ſecundam Scythopolin ſive Baſan* (Bethſan,) *tertiam Petram, quartam Boſtram ſive Arabiam. Habet autem archiepiſcopatus nemini obnoxios viginti quinque, qui nullos ſub ſe habent epiſcopatus, & ſubſunt omnes throno Hieroſolymitano.* Obſervat autem Hadrianus Relandus *ibid. pag. 219. annot.* a. Nilum hunc explicare ſuperius *pag. 228.* quo ſenſu epiſcopatus illi dicantur archiepiſcopatus: nempè *ſi urbes eſſent in eadem provincia in qua metropolis erat, magnitudine præſtantes, & parum ab illa differentes,* ἐποίουν ταύτας ἀρχιεπισκοπὰς, αἵτινες οὐκ εἶχον ἐπισκοπὰς ὑφ᾽ ἑαυτὰς, conſtituerunt eas archiepiſcopales, quæ nullos epiſcopatus ſub ſe haberent. Illorum archiepiſcopatuum ultimus eſt *montis Sinaï.* Scilicet *p. 221.* 1. *Dioſpoleos, ſive urbis Georgii.* 2. *Aſcalonis.* 3. *Joppes.* 4. *Gazæ.* 5. *Anthedonis.* 6. *Diocletianopoleos.* 7. *Eleutheropoleos.* 8. *Neapoleos.* 9. *Sebaſtes.* 10. *Jordanis.* 11. *Tiberiadis.* 12. *Diocæſareæ.* 13. *Maximianopoleos.* 14. *Capitoliadis.* 15. *Myri.* 16. *Gadari.* 17. *Nazareth.* 18. *Montis Thabor.* 19. *Cyriacopoleos.* 20. *Adriæ.* 21. *Gabalorum.* 21. *Æliæ.* 23. *Pharæ.* 24. *Helenopoleos.* 25. demum *Montis Sina.* Recolendum notitiam hanc opus eſſe duodecimi ſæculi medii. Cæterum in notitiis anterioribus, nec Pharan recenſetur, nec mons Sinaï: ſuppetunt nihilominus aliquot, tum Pharan, tum montis Sinaï præſules; ſedes quippe quæ primum Pharan extabat, videtur poſtea (vaſtato nempe eo oppido) tranſlata fuiſſe ad *monten Sinaï:* hincque fortaſſis contigiſſe præpoſitum hujus celebris monaſterii, à pluribus ſæculis in epiſcopum eſſe ordinatum, & *epiſcopi* imò *archiepiſcopi* nunc temporis titulo ornari. Certe montem Sinaï, ſæculo ſexto, ditionis fuiſſe eccleſiæ Pharan colligitur ex libello *Mariani monachi & archimandritæ monaſterii beati Dalmatii ac primatis venerabilium monaſteriorum urbis regiæ, & ipſius archimandritarum, necnon & archimandritarum & monachorum Hieroſolymitanorum & ſancti montis Sinaï, ac ſecundæ Syriæ in ipſa congregatorum* ad Juſtinianum Imperatorem, lecto Conſtantinopoli, in ſynodo anno 536. habita ſub Menna præſule, act. 1. die 2. Maii. Inter ſubſcriptiones enim huic libello legitur, *tom. 5. concil. Labb. col. 15.* E. *Theonas Dei miſeratione preſbyter & legatus ſancti montis Sina, & eremi Rhaithu, ac ſanctiſſimæ eccleſiæ de Pharan faciens pro omnibus ſupraſcriptis, ſupplicavi, & ſubſcribens porrexi.* Θεώνας ἐλέῳ Θεοῦ πρεσβύτερος, καὶ ἀποκρισιάριος τοῦ ἁγίου ὄρους Σινᾶ, καὶ τῆς ἐρήμου Ῥαϊθοῦ, καὶ τῆς κατὰ Φαρὰν ἁγιωτάτης ἐκκλησίας. In Menologio Græcorum juſſu Baſilii junioris Imperat. Conſtantinopolitani ante annum 984. conſcripto, quod Latinè verſum à Petro Arcudio, primus edidit Ughellus ad calcem *to. 6. Ital. ſac. vet. edit. col. 1049. & ſeqq.* extat die 18. Febr. *col. 1223. n. 397.* B. commemoratio cujuſdam *Agapiti epiſcopi Sinaï,* de quo dicitur, quod Diocletiano & Maximiano Impp.

Digitized by Google

ECCLESIA PHARAN *ſive* MONTIS SINAI.

Cappadox Chriſtianis parentibus natus monaſticam diſciplinam amplexus fuerit, clarueritque miraculis, ſed à Licinio Imperatore invitus & reluctans militiæ adſcriptus, poſt ejus obitum, ab *epiſcopo Sinay* preſbyter ordinatus ſit, eique mortuo ſucceſſerit in ea ſede. Verum eſto fides penes illos qui hæc primitus ſcripſerunt.

EPISCOPI PHARAN *ſive* MONTIS SINAI.

I. NETRAS *ſive* NATERAS.

EX monacho montis Sinaï *Netras* iſte epiſcopus Pharan evaſit. De eo enim refertur in libro qui *Verba Seniorum* ſeu *Apophthegmata Patrum* inſcribitur, apud Cotel. *to. 1. monum. eccleſ. Græc. pag. 579.* A. B. *Narraverunt de abbate Netra* Νέτρᾶ, aliàs Νατῆρα *diſcipulo abbatis Silvani, quod quando in cella ſua ſedebat in monte Sina, moderate ſe ipſum regebat ad corporis neceſſitatem, poſtquam vero factus eſt epiſcopus in Pharan,* ὅτε δὲ ἐγένετο ἐπίσκοπος εἰς Φαρὰν, *multum ſe auſteriori vita conſtrinxit. Quocirca dicit ei diſcipulus ejus; abba, quum eſſemus in eremo non adeo aſceticè vivebas. Excepit ſenex, illic ſolitudo erat, quies, ſilentium, paupertas: placebatque moderari corpus, ne in infirmitatem inciderem, & ea quærere cogerer quibus carebam. Nunc vero mundus adeſt, occaſiones adſunt: quod ſi hic ægrotavero, eſt qui ſuccurrat mihi. Ne monachi propoſitum amittam.* Nihil aliud de eo nobis compertum eſt, nec quo ſæculo vixerit.

II. MACARIUS.

Macarium hunc fuiſſe epiſcopum Pharan, circa ann. 451. aut aliquo ex proxime ſequentibus, colligendum videtur ex ſacris litteris Marciani Imperatoris ad ſanctam ſynodum à Juvenali Patriarcha, poſt recuperatam ſedem Hieroſolymorum, congregatam anno 454. in quibus Imperator ſignificabat ſe ſcripſiſſe ad Macarium reverendiſſimum epiſcopum, & ad archimandritas qui in ſancto monte Sinaï degunt, de ejiciendo Theodoſio impiiſſimo monacho ſedis Juvenalis invaſore. *Tom. 4. conc. Labb. col. 880.* B. *Quod quum ſenſiſſet,* inquit (Theodoſius) *Hieroſolymis aufugit, ac vitat Palæſtinam univerſam, quam multis malis affecerat, ſicuti ipſis oculis ſanctitas veſtra accepit: ſe ipſum vero in Sina monte* ἐν δὲ τῷ Σινᾷ ὄρει, *una cum quibuſdam ſceleſtorum conſiliorum participibus occultat, eo ſe quaſi in latibulum, inque ferarum cubicula abdens, ac comparans ſe adverſus veritatem. Quumque vellet conatus ſuos ad exitum adducere, ſimpliciorumque illic animas mendaciis ſuis captivare, obtrectans ſanctæ ſynodo* (Chalcedonenſi) *quædam contra eam effutivit, vel potius contra ſalutem ſuam, quæ impiæ ipſius ſolius menti & linguæ conſentanea ſunt. Quamobrem ſtudio ſanctiſſimæ noſtræ fidei invigilans pietas noſtra.... ad Macarium reverendiſſimum epiſcopum,* πρὸς A Μακάριον τὸν εὐλαβέστατον ἐπίσκοπον, *& ad archimandritas, monachoſque omnes qui in præfato monte degunt, ſacras litteras miſit, ſcelerati Theodoſii veſaniam & impietatem redarguens, exhortans fugere ejus commenta, falſoſque ſermones, ſimplicem vero & inculpatam fidem colere.... & eum ejicere è prædictis venerabilibus locis, ne ipſa quoque polluantur Theodoſii ſcelere: vel etiam eum tradere una cum ipſius ſatellitibus provinciæ præfecto, &c.* Palam eſt Macario huic cœnobium montis Sinaï, ut B ſuo epiſcopo ſubjacuiſſe, qui ſubinde fuerit epiſcopus Pharan, vel ejuſdem montis. De Theodoſio illo nefario monacho, vide ſupra *coll. 116.* B. *& 165.* C. D.

III. PHOTIUS.

Ante ſæculi ſexti medium, imperante Juſtiniano, eccleſiæ Pharan vel montis Sinaï, curam gerebat *Photius,* de quo hæc habet Joannes Moſchus *in Prato ſpirituali cap. 127. to. 2. Bibl. Græco-Lat. vet. Patr. edit. Pariſ.* C *1624. p. 1111. Narravit nobis abbatiſſa Damiana ſolitaria mater abbatis Athenogenis epiſcopi Petrenſis dicens: Erat quidam abbas in ſancto monte Sina, nomine Georgius, magnæ virtutis & abſtinentiæ vir. Huic abbati Georgio magni Sabbati die ſedenti in cellula ſua venit deſiderium faciendi ſacrum diem Reſurrectionis in ſancta civitate, & ſumere veneranda myſteria in ſancta Chriſti Dei noſtri reſurrectione. Per totam ergo diem ſenior hujuſmodi cogitatione ſollicitabatur & orabat. Quum itaque ſero factum eſſet,* D *venit diſcipulus ejus dicens ei: jube, pater, ut eamus ad ſynaxim. Senex autem reſpondit ei: vade, & tempore ſanctæ communionis veni ad me, & pergam. Manſit itaque ſenex in cellula. Quum autem adveniſſet tempus ſanctæ communionis in ſancta reſurrectione inventus eſt ſenex prope archiepiſcopum beatum Petrum, qui præbuit illi cum preſbyteris ſanctam communionem. Videns igitur eum Patriarcha, dixit Menæ aſſeſſori ſuo: Quando venit abbas montis Sinaï! Reſpondit ille: Per orationes veſtras, Domine, non vidi* E *illum niſi nunc ſolummodo. Tunc ait Patriarcha: Dic illi ut non recedat; volo enim ut mecum ſumat cibum. Ille vero profectus id dixit ſeni. Qui ait: voluntas Dei fiat. Quum ergo ſenex dimiſiſſet ſynaxes, adorato ſancto monumento, inventus eſt in cellula ſua, & ecce diſcipulus ipſius pulſavit, & dixit: Pater, veni ut communices. Senex vero profectus in eccleſiam cum diſcipulo ſuo, iterum ſumpſit veneranda myſteria.*

Petrus

Petrus autem archiepiſcopus contriſtatus quod illi inobediens fuiſſet, poſt ſolemnitatem miſit ad epiſcopum Phari abbatem Photinum, καὶ πρὸς τὸν ἐπίσκοπον Φαρὰν τὸν ἀββᾶ Φώτιον Photium, *& ad Patres Sina, ut abbatem ad ſe mitterent. Quum ergo veniſſet qui attulerat litteras, dediſſetque illas, miſit & ſenex tres preſbyteros, abbatem ſcilicet Stephanum Cappadocem.... & abbatem Zoſimum .... & abbatem Dulcitium Romanum ad Patriarcham, purgavitque ſe ipſum ſenior ſcribens.... Abſit à me, mi Domine ſanctiſſime, ut ſanctum angelum veſtrum contempſerim. Scripſit etiam & hoc ad eum: ut* B *ſciat beatitudo veſtra, poſt ſex menſes Chriſto Domino ac Deo noſtro ſimul occurſuri ſumus, & illic adorabo vos,* κἀκεῖ ὑμᾶς προσκυνῆσαι. *Egreſſi itaque preſbyteri dederunt Patriarchæ litteras. Dixerunt autem & hoc ei: quoniam ſenex multos annos habebat, ex quo non venerat in Palæſtinam. Oſtendebant quoque litteras epiſcopi Phari* τοῦ Φαρὰν, *ſimul conteſtantes, quod ferme ſeptuaginta annos haberet ſenex, ex quo de ſancto monte Sina non exierat. Sanctus vero ac mitiſſimus Petrus aſſerebat teſtes eos qui tunc aſſuerant epiſcopos & cle-* C *ricos, dicentes: Vere nos ſenem vidimus, & omnes oſculo ſancto illum ſalutavimus. Poſtquam igitur impleti ſunt ſex menſes, requieverunt in pace ſenex & Patriarcha, juxta ſcilicet ipſius ſenis prophetiam.* Petrus Patriarcha Hieroſolymorum, obiit, ut tradunt communiùs ſcriptores, anno 544. licet Baronius ejus mortem differat ad annum 546. & Cyrillus Scythopolitanus in vita ſancti Sabæ abbatis, eam memoret quibuſdam narratis quæ anno 548. contigerant. Vide ſupra *coll. 195.* E. *196.* A. *203.* A. *207.* E. & *208.* B.

IV. Theodorus.

Sæculo ſeptimo ſedebat epiſcopus Pharan *Theodorus* qui anteſignanus fuit unuſque ex præcipuis hæreſis Monotheliticæ aſſertoribus, propter quam proſcriptus eſt & anathemati ſubjectus, tum in ſynodo Lateran. anno 649. ſub Martino Papa, *to. 6. conc. Labb. col. 355.* E. tum etiam in ſynodo ſexta generali anno 680. *Ibid. col. 1117.* B. & primus utrobique nominatur.

V. Simeon.

Inter codices Arabicos, ſub Innocentio XIII. in bibliothecam Vaticanam tranſlatos, quadrageſimus ſextus extat, Antiochi monachi lauræ ſancti Sabæ pandecte divinæ ſcripturæ; ſive compendium totius religionis Chriſtianæ & ſacrarum ſcripturarum doctrinæ capitibus 130. comprehenſum in-fol. parvo bomb. 258. Arabicis litteris & ſermone exaratus pro *Simeone epiſcopo montis Sinaï.* A Apud doctiſſimum Joſephum Simonium Aſſeman. *to. 2. Bibl. Orient. pag. 511. col. 1.* Nos latet quandonam Simeon iſte vixerit.

ECCLESIA PHARAN *ſive* MONTIS SINAI.

VI. Jorius.

Tom. 1. Annalium Belgicorum idiomate Hiſpano exaratorum, quorum titulus, *Anales de Flandes, dedicados a la Catholica Magd. del Señor Rey Don Phelipe IV. nueſtro Señor, Compueſtos por Emanuel Sueyro Cavallero del habito de Chriſto, &c. En Anvers. En caſa de Pedro, y Juan Beleros, 1624.* mentio fit, B ſub regimine Balduini de la Barba Hermoſa, ſive Barbati, ad annum Chriſti 1033. de *Jorio* quodam epiſcopo montis Sinaï. Sic enim legitur *p. 73. col. 2.* paulo ante medium: *Llegò à Boloña Jorio Obiſpo del monte Sinay, facilitando ſu devocion los trabajos del largo viaje: cumplio il voto, haviendo venerado en eſta ciudad la imagen milagroſa de la Virgen, paſſo à Bethuna; pero la miſma noche murio en la caſa de un amigo, que por conocerle le aloiò; eſte, por haver ſuccedido la muerte tan de repente, temio alguna moleſtia del Juez, y enterro ſecretamente* C *el cuerpo; deſcubrioſe la ſepultura por muchas apariciones, y aſſi le dieron ſepulchro mas digno en la Igleſia de ſan Bartholome, dedicandoſe à ſu nombre la capilla aunmas adornada por los milagros.* Id eſt, latinè vertendo: *Bononiam venit Jorius epiſcopus montis Sinaï, cui itineris difficultates devotio ſua explanaverat: ſoluto voto, quum veneratus eſſet in illa civitate miraculoſam Virginis Imaginem, Bethunam ivit. Verum eadem nocte vita functus eſt apud quemdam amicum à quo hoſpitio fuerat receptus. Veritus hic ne iam ſubita mors moleſtiam ſibi* D *apud Judices crearet, corpus ſecreto inhumavit. At ſepultura per multas apparitiones in cognitionem hominum venit, unde ſepulchrum illi dignius aſſignatum eſt in eccleſia ſancti Bartholomæi, in qua etiam dedicatum ejus nomini ſacellum, quod poſtmodum ob miracula ibi perpetrata magis ac magis ornatum eſt.*

Doctiſſimi Bollandiani, ad diem 26. Julii, *tom. 6.* hujus menſis *pag. 340. col. 2.* F. hæc referunt de eo Jorio, ex Joanne Molano, vel potius Petro Louvio, qui ex Molani jam vita defuncti ſchedis Natales ſanctorum Belgii E collegit: *Die 26. Julii, de S. Jorio epiſcopo, ex iis, quæ contulit Jacobus Franchus, Bethunienſis, Sac. Theol. Baccalaureus. Bethuniæ Natalis B. Jorii peregrini, qui montis Sina epiſcopatum tenuit: cujus feſtum in choro canonicorum ſancti Barptolomæi eſt magnum duplex, &c. In parvo lapide albo, qui cum ſacris oſſibus reconditus fuit, inſculptum eſt, beatum epiſcopum veniſſe ex Armenia majore, parentes habuiſſe Stephanum & Helenam; fratres ſeptem, inter quos Macarius fuit,* (&) *obiiſſe anno 1033.*

Digitized by Google

ECCLESIA PHARAN *ſive* MONTIS SINAI.

Perantiquus autem codex habet ſolum, teſtibus canonicis Bethunienſibus ea de re conſultis, *ibid. pag. 341. col. 1.* C. *Obiit beatus VII. KL.* (Kal.) *Auguſti. Venit de Armenia majore; & fuit epiſcopus de monte Sinaï. Pater ejus Stephanus, & mater ejus Helena: VII. fratres fuerunt Macarius. Ab Incarnatione mill. trigeſimus III.* Ex ea porro differentia utriuſque hujus inſcriptionis colligunt Bollandiani nunc citati, *col. 2. num. 5.* D. E. interpolatam eſſe apud Molanum inſcriptionem lapidis; & pro genuinis hiſce vocibus, *VII. fratres fuerunt Macarius,* ſuggeſtas à Franco non ſatis fideliter eſſe has, *fratres VII. inter quos Macarius fuit, &c.* « Mihi certè, pergunt Bollandiani, non probatur inſcriptio illa ſic explicata, ut eam offert Molanus, ita ut *Macarius* referatur ad *fratres VII.* tanquam unus ex illis: quis enim hunc ſenſum extundat ex his verbis, *ſeptem fratres fuerunt Macarius!* Imò, niſi aliquid accedat, voces illæ ſic conjunctæ nullum omnino vel ſenſum vel ſyntaxim exhibent. Exiſtimo igitur, (quandoquidem nefas eſt interpolare quidquam) legenda eſſe ſeparatim hæc verba ad hunc modum: *Obiit B. Jorius, &c. Pater ejus Stephanus, & mater ejus Helena: VII. fratres fuerunt. Macarius, ab Incarnatione, &c.* ita ut *Macarius,* quiſquis demum ille fuerit, non cenſeatur ad inſcriptionem pertinere, ſed ad inſcriptionis ſubſcriptionem; quaſi dicat: *Ego Macarius teſtor, hanc inſcriptionem eſſe veram;* vel: *Ego Macarius beatum ſepeliri, ejuſque ſepulcro hunc lapidem ad æternam ejus memoriam exculptum imponi curavi.* Hic ſenſus planus eſt & plenus, atque in ejuſmodi inſcriptionibus uſitatiſſimus, nec aliam exigit mutationem, quam ſolius interpunctionis, quæ paſſim in vetuſtis inſcriptionibus vel omnino non adhibetur, vel ſolis punctis, quibus voces ſingulæ inter ſe diſtinguantur, exprimi ſolet.... aut certe punctum illud, quod inter vocem *Macarius* & eas quæ hanc præcedunt ſenſus exigit, vel in ipſo lapide detritum eſſe (oportet,) vel ab exſcribente non obſervatum.»

Advertunt præterea iidem Bollandiani *n. 6.* F. *ſanctum Macarium epiſcopum Antiochenum,* de quo nos ſupra *col. 466.* E. *& ſeqq.* quique Gandavi obiit anno 1012. & ibidem colitur, non fuiſſe *Macarium* illum qui in lapidis hujus inſcriptione legitur, tum quia prioris parentes nuncupantur in ejus vita anno circiter 1067. compoſita, *Michaël & Maria,* ita ut Jorii *frater* haberi non poſſit; tum etiam quia viginti & amplius annis ante Jorium defunctus, ejus epitaphio ſubſcribere non valuit. Cæterum Molanus, quem appellant quotquot de B. Jorio mentionem aliquam fecere, ſic de eo loquitur, apud eoſdem Bollandianos, A *n. 7. pag. 342. col. 1.* A. *Bethunienſium traditio habet, eum voti & religionis cauſa inviſiſſe Boloniæ memoriam Deiparæ Virginis; inde propter viciniam loci divertiſſe Bethuniam, ad quemdam, qui ei aliquando famulatus fuerat. Apud quem, nemine conſcio, nocturno tempore ad lucem æternam migravit. Famulus morte deprehenſa* (Jorii,) *& ſibi ex ea metuens à judice moleſtiam, corpus* (ejus) *intra domeſticos parietes ſepelivit: ſed res per crebras apparitiones detecta fuit. Unde viro ſancto dignior data eſt ſepultura, quæ adhuc cernitur intra eccleſiam* B *ſancti Bartholomæi, in ſacello quod poſtea in honorem ipſius Jorii Deo dicatum eſt. Quum autem eo etiam in loco memoria ejus miraculis crebreſceret, caput, decenter ornatum, repoſitum eſt in ſacrario: reliqua ſacra pignora in ſummum altare. In hujus autem rei memoriam utriuſque ſepulturæ locus religioſe colitur. Nam & privatæ illæ ædes annuè exornantur in die Natali: caput ſacrum eò defertur, & ad ſepulcrum piè concurritur; circa quod multam lucem divinitus apparentem ſeſe conſpexiſſe teſtantur multi ſuperſtites. Conſervantur ibidem inter eccleſiæ* C *ſacra vaſa, duæ ejus ciſtulæ, & duo fulcra pedum equeſtria.*

VII. EUGENIUS.

Sæculo decimo-ſexto labente, ad Maximilianum Imperat. & Carolum Auſtriæ archiducem ſupplices litteras ſcripſit *Eugenius* eo titulo inſcriptas: *Potenti ac divinitus coronato Regi* (ſive Imperatori Βασιλεῖ) *Domino noſtro, Domino Maximiliano, cum ſumma reverentia Viennam; Eugenius epiſcopus & antiſtes ſancti montis Sinaï,* τῷ κραταιῷ καὶ Θεοστέπτῳ Βασιλεῖ D Μαξιμιλιανῷ Εὐγένιος ἐπίσκοπος καὶ καθηγούμενος τοῦ ἁγίου ὄρους Σινᾶ, *cum omnibus ſuis hieromonachis, & monachis, in Domino ſalutem. Ignoſce Imperator, &c. Data in monte Sinæo, anno, ab Incarnata Chriſti diſpenſatione, 1569. die Martii 20. Ind. XII. Humilis epiſcopus Eugenius montis Sinaï & Rhaithi,* ὁ ταπεινὸς ἐπίσκοπος τοῦ ἁγίου ὄρους Σινᾶ, καὶ Ῥαϊθοῦ. In ea ſubſidium ab Imperatore poſtulabat, quo poſſent Imperatori Turcarum ingentem pecuniarum ſummam ſuis monaſteriis impoſitam ſolvere. Extat illa epiſtola Græcè cum E tranſlat. Latina, apud Martinum Cruſium in Academia Tybingenſi Græcum & Latinum profeſſorem, *Turco-græciæ lib. 3. pp. 261. & 262.* qui etiam ita annotat ad iſtam epiſtolam, *p. 263.* « Acceperam (hanc) 16. Mart. 1579. à D. D. Chytræo, Reſtochio. Monaſterium montis Sinaï magnum eſt.... Situm eſt ad radicem illius montis. Conditor ejus Imperator Juſtinianus (hallucinatur Cruſius, ſiquidem ſæculo quinto medio jam ſubſiſtebat, ex ſupra dictis, ubi de Macario epiſcopo Pharan.) In

Digitized by Google

» montis vertice, ubi Deus tabulas Moyſi dedit, » reliqui (maceriæ) templi, ab eodem Imperatore extructi, cernuntur. In eo monaſterio » ſunt plus centum Græci monachi. Eugenius » ἀρχιεπίσκοπος, καὶ ἡγούμενος τοῦ Σιναίου ὄρους, τῷ » Ἱεροσολύμων πατριάρχῃ ὑποτεταγμένος. E re- » gione montis Sinaï, eſt alter mons τὸ Ἀικα- » τερίνης ὄρος, ſanctæ Catharinæ mons: ubi & » templum ejuſdem Martyris. Rhaithi, anti- » quitus Ἐλὶμ, locus eſt, aut κώμη (vicus): » diſtans bidui à monte Sinaï. Ibi eſt S. Georgii » templum. Sic audiviſſe ſe D. Theodoſius ὁ Ἱερομονάχων Σιναῖ τῶν ait.» Hæc præfatus Martinus Cruſius. Superſtes adhuc erat anno mundi 7087. Chriſti 1579. Eugenius epiſcopus montis Sinaï, quum Germanus Patriarcha Hieroſolymitanus hanc ſedem dimiſit, teſte Doſitheo, *lib. XI. de Patr. Hieroſol. c. 7. §. 4.* (Vid. ſupra *col. 517.* C. ubi pro 7088. lege 7087.) Idem Cruſ. *p. 234.* dixerat de S. Catharina: « In montis Sinaï monaſterio 120. » monachi Græci ſunt: in quod, ex monte » ſanctæ Catharinæ, hujus corpus, metu Arabum, tranſlatum eſt: cujus adhuc reſtant » ambæ manus integræ propè chorum templi.»

VIII. JOASAPH.

IX. NECTARIUS *electus.*

Joaſaph iſte, ex Renaudotio, obiit in extrema ſenectute circa annum 1661. ſiquidem eo anno ei ſucceſſor electus eſt in ſede montis Sinaï *Nectarius*, qui eodem tempore Conſtantinopoli nominabatur Patriarcha Hieroſolymitanus poſt Païſii obitum. Unde conſecratus eſt, non in epiſcopum montis Sinaï, ſed in Hieroſolymorum præſulem, die 10. Aprilis ejuſdem anni. Vide ſupra *col. 520.* E. De eo loquitur Doſitheus *lib. 12. Patriarch. Hieroſ. cap. 3. §. 1.*

X. ANTONIUS.

In Nectarii locum probabiliter ſuffectus eſt epiſcopus montis Sinaï *Antonius*, qui certè ſedebat anno 1665. Eo enim anno, cum Macario Antiocheno, & Païſio Alexandrino præſulibus, in Moſchoviam petiit ad Imperatorem Baſilium, ut gentis illius Patriarcham ad ordinem redigeret. Ita refert D. de la Croix, *Turchie Chreſtienne, pag. 181.*

XI. JOANNICIUS I.

Reſponſioni Nectarii quondam Patriarchæ Hieroſolymitani adverſus miniſtrum Claudium Calviniſtam anno 1672. menſe Junio ſubſcriptus legitur Ἰωαννίκιος ἀρχιεπίσκοπος τοῦ ἁγίου ὄρους Σιναῖ, *Joannicius archiepiſcopus S. montis Sinaï.* Quatuor poſt annis, id eſt anno 1676. hæc Nectarii reſponſio è monte Sinaï, D. Carolo Franciſco Olier de Nointel Chriſtianiſſimi regis apud Turcarum Imperatorem oratori miſſa eſt, teſte doctiſſ. Renaudot. *to. 4. Perpet. fid.* circa Euchar. *pag. 128.*

XII. COSMAS.

Coſmas, qui fuit renuntiatus Patriarcha Conſtantinopolitanus poſt Cyrillum hujus nominis V. erat archiepiſcopus montis Sinaï quum eam ſedem conſcendit. Qua deinde abdicata, ad montem Sinaï rediit, ibique procul à vitæ tumultibus cibum ſuaviſſimaſque delicias habuit divinarum ſcripturarum meditationem, ut refert Demetrius Procopius. Vide ſupra *tom. 1. col. 348.* D. E. Præerat eccleſiæ montis Sinaï ante annum 1720. quo ejus ſucceſſorem in ſede Conſtantinopolitana Hieremiam III. à paucis diebus exauctoratum fuiſſe tradiderunt Amſtelodamenſes publici commentarii ad diem 14. Maii ejuſdem anni 1720. ex litteris Conſtantinopoli datis die 26. Febr. Vide rurſus ſupra *ibid. col. 349* A.

XIII. JOANNICIUS II.

Hoc eodem ſæculo decimo-octavo præſul montis Sinaï perhibetur *Joannicius* alter, de quo nihil aliud novimus.

XI. ECCLESIA AILÆ.

AILA, quæ & *Ailath* ſive *Elath* appellatur, Deut. *cap. 2. verſ. 8.* & 4. Reg. *cap. 14. verſ. 22.* fuit urbs Idumæorum, quibus devictis à Davide, in poſſeſſionem Judæorum venit, 3. Reg. *cap. 9. verſ. 26.* & 2. Paral. *cap. 8. verſ. 17.* Eam poſtea ab Idumæis recuperatam Azarias rex Juda ſuæ ditioni iterum adjunxit, 4. Reg. *cap. 14. verſ. 22.* uſquequo à Rezin rege Syrorum capta eſt, 4. Reg. *cap. 16. verſ. 6.* De ea Hieronymus in locis Hebr. ait: *Ailath in extremis finibus Palæſtinæ, juncta meridianæ ſolitudini, & mari rubro: unde ex Ægypto Indiam, & inde ad Ægyptum navigatur. Sedit autem ibi legio Romana cognomento decima: & olim quidem Ailat à veteribus dicebatur, nunc vero appellatur Aila.* Porro ex ea urbe ſinus maris in quo ſita eſt dicitur *Elaniticus.* Meminit quoque hujus Theodoretus *quæſt. 44. in lib. 4.* Reg. *Quænam civitas eſt Ailon* Αἰλών? Et reſpondet: *Quæ nunc nominatur Aila* Αἰλὰν, *ſita eſt autem in oſtio ſinus Arabici, quem mare rubrum nuncupant.* Et in Jerem. *cap. 49. verſ. 35. Ailam urbs eſt in ore maris rubri ſita: olim erat emporium inſigne, unde nunc*

Digitized by Google

ECCLESIA AILÆ. *etiam ſolvunt qui navigant ad Indos.* Ante eos obſervaverat Euſebius ad vocem *Elath,* hanc urbem *decem milliaribus abeſſe à Petra verſus ortum.* Petra autem aberat à lacu Aſphaltite trecentis ſtadiis. Ab Elath vero uſque ad Gazam 150. milliaria Romana numerari teſtatur Plinius *lib. 5. cap. 17.* imò 1260. ſtadia, Strabo & Marcianus Heracleota, quæ efficiunt 157. milliaria Romana. Tradit Epiphanius *lib. 2. adverſ. hæreſ. pag. 618.* Ailam unum eſſe è tribus Portubus maris rubri: *Portus,* inquit, *mare rubrum varios habet, quibus ad Romanum limitem aditus diverſe patet. Horum unus Aelam* Αἰλᾶν *ſpectat, quam ſacræ litteræ Aelon* Αἰλὼν *appellant.... Alius eſt portus ad Caſtrum Clyſmatis obverſus* ἐπὶ τὸ Κάστρον τοῦ Κλύσματος. *Tertius in ſuperioribus Ægypti partibus ad Berenicen* ἐπὶ τὴν Βερνίκην *pertinet, qua ad Thebaïdem pervenitur.* Id elucidatur ex Philoſtorgio *hiſt. eccl. lib. 3. cap. 6. pag. 478.* D. *edit. Valeſ. poſt hiſt. eccl. Theodoreti & Evagrii.* Dicit enim: *Rubrum quidem mare* (intellige ſinum Arabicum) *maxime in longum porrectum, in duos ſinus dividitur. Et alter quidem eorum verſus Ægyptum tendit, & Clyſma ſecundum nomen loci in quo deſinit, appellatur* Χωρεῖ Χλύσμα. *Per hunc ſinum Iſraëlitæ quondam fugientes Ægyptios, ſicco pede tranſgreſſi ſunt. Alter vero in Palæſtinam fertur, juxta urbem quæ jam inde à priſcis temporibus Aila* Αἰλὰ *vocatur.* Procopius item *lib. 1. de bell. Perſic. cap. 19.* ſcribit: *Fines Orientales Palæſtinæ pertingunt ad mare rubrum, quod ab India quidem incipit, in ea vero Romanæ ditionis ora terminatur. Eſt littori urbs appoſita, nomine Ailas* Αἰλὰς, *ubi mare.... deſinens, in ſinum arctatur anguſtiſſimum; quem qui intrant ex illa parte, à dextra montes Ægyptiorum verſus meridiem procurrentes habent, à læva ſolitudinem quæ ad ſeptemtrionem longiſſime patet. Porro introrſum vectis apparet utrinque tellus, donec pervenerint ad inſulam Jotaben, ſtadiis haud minus mille ab urbe Aila diſſitam; cujus incolæ Hebræi, quum ſui jam inde olim juris fuiſſent, Juſtiniani principatu Romanum jugum acceperunt.* Vide Cellar. *tom. 2. geogr. antiq. pp. 686. & 687.* & Hadr. Reland. *to. 2. Palæſt. illuſtr. pp. 554. & ſeqq.*

EPISCOPI AILÆ.

I. Petrus.

Inter epiſcopos Palæſtinæ qui Nicænæ ſynodo anno 320. ſubſcripſerunt, legitur in indice Latino, *Petrus Ahilæ. Tom. 2. concil. Labb. col. 51.* C. Ex quo inferimus, jam tempore Euſebii, urbem Ailam ad Palæſtinam pertinuiſſe, quæ poſtea, diviſis in tres Palæſtinis, tertiæ adſcripta eſt, ut patet ex notitiis veteribus eccleſiaſticis: Ἐλὰς ſive Αἰλὰ ad ſinum Arabicum.

II. Beryllus.

In ſynodo Chalcedonenſi anno 451. ſedit Βήρυλλος ὁ εὐλαβέστατος ἐπίσκοπος Αἰλὰ τῆς Παλαιστίνης τρίτης, *Beryllus reverendiſſimus epiſcopus Ailæ Palæſtinæ tertiæ. To. 4. conc. Labb. col. 494.* B. In codicibus Latinis legitur *Alalæ civitatis,* in aliis *Aili, Ahilæ & Elienſis.* Item in Græcis quibuſdam Ἀλοῦ, Ἀἴλου, Ἀΐλα: ſic ut non videatur dubitandum quin ſit ipſa urbs *Aila.* Id fortaſſis Carolum à S. Paulo Fulienſ. in errorem induxit, ut *geogr. ſac. p. 316. Eliam* ab urbe *Hieroſolymorum* dicta olim *Aelia* diſtingueret, & in prima Palæſtina reponeret. Vide ſupra *col. 675.* De eo Beryllo in eadem ſynodo mentio fit, *coll. 82.* D. *328.* E. *585.* B. *788.* D. & *800.* E.

III. Paulus I.

Paulus iſte frater patris vel matris fuit A Theodori, quem ſanctus Sabas monaſterio ſuo Caſtellii præpoſuerat abbatem exeunte circiter ſæculo quinto. Hic poſtea renuntiatus eſt epiſcopus Ailæ, ſubindeque vel ſub finem ejuſdem ſæculi, vel ſequenti ſæculo non admodum adulto. Ita refert Cyrillus Scythopolitanus in vita ſancti Sabæ *num. 27.* apud Cotelerium *tom. 3. monum. eccl. Græc. pp. 257.* C. & *258.* A. *Paulo autem mortuo,* inquit, (Caſtellii abbate) *gubernationem tenuit Theodorus, propriumque fratrem Sergium &* B *Paulum patruum* (ſive avunculum) *ſuum admiſit, genere Melitinos, qui poſtquam Caſtellio per aliquod tempus præclare præfuiſſent, Amathuntis & Ailæ epiſcopatum exceperunt. De* Sergio epiſcopo Amathuntis, vide ſupra *coll. 715. 716.* De Paulo nihil aliud ſupereſt dicendum.

IV. Paulus II.

Anno 536. ſententiæ contra Anthimum & alios hæreticos latæ in ſynodo Hieroſoly- C mitana, præſide Patriarcha Petro, ſubſcripſit Παῦλος ἐπίσκοπος τοῦ Αἰλᾶ, *Paulus epiſcopus Ailæ, to. 5. conc. Labb. col. 286.* D. Ibidem etiam legitur *coll. 116.* D. & *141.* E. Joannes quidam preſbyter & monachus, qui ſubſcripſit in concilio Conſtantinopolitano, eodem anno 536. ſub Menna, pro omnibus monaſteriis *in Aila tertiæ Palæſtinæ,* ἐν τῷ Αἰλᾷ τῆς τρίτης Παλαιστίνης.

Digitized by Google

XII. ECCLESIA METROCOMIAS *ſive* BACATHORUM.

ΜΗΤΡΟΧΩ'ΜΗΣ, in notitiis veteribus Græcis, memoratur ut ſedes epiſcopalis, tertiæque adſcribitur Palæſtinæ: iſtud nomen Μητροκώμις, unde Latinum *Metrocomes* & *Metrocomia,* ſignificat *præcipuum vicorum.* Uti enim *metropolis,* inquit Hadrian. Reland. *tom. 1. Palæſtinæ illuſtr. p. 215.* caput eſt urbium alicujus provinciæ, ita *Metrocomia* caput eſt vicorum. Hîc autem eo nomine denotari *Bacatha* in neutro plurali colligitur ex Epiphanio, qui hunc locum *Metrocomiæ* appellatione donat, his verbis, *tom. 1. in Synopſi lib. 2. adverſ. hæreſ. pag. 397.* D. & *tom. 2. in Anacephalæoſi pag. 145.* D. Οὐαλήσιον.... οἱ τὴν Βακάθον κατοικοῦντες, Μητροκωμίαν τῆς Ἀραβίας τῆς Φιλαδελφίας, *Valeſii Bacathum incolunt, vicum primarium Arabiæ Philadelphienſis.* Intelligit autem per *Arabiam Philadelphiæ* eam regionem quæ circa illam urbem ſita erat, & cujus eadem urbs erat præcipua, quemadmodum Arabiam Petræam à Petra, Syriam Antiochenam ab Antiochia, & Galliam Narbonenſem à Narbone, nuncupamus. *Bacatha* in plurali nominat *lib. 2. adverſ. hæreſ. pag. 489.* C. ἐν Βακάθοις τῆς Φιλαδελφηνῆς χώρας πέραν τοῦ Ἰορδάνου, *qui in Bacathis Philadelphenæ provinciæ trans Jordanem habitant.* Quum itaque nonnulli epiſcopi in actis conciliorum extent *Bacathorum,* nulli vero *Metrocomiæ:* & aliunde non *Bacatha,* ſed *Metrocomiam* ferant notitiæ veteres, probabiliſſimum videtur his nominibus unum & eumdem locum ſignificari. Poſſet objici *Bacatha* vicum fuiſſe, adeoque ineptum ut ibi epiſcopus præeſſet: ſed reſpondet Sozomenus *lib. 7. hiſt. eccl. cap. 19. pag. 734.* C. *edit. Valeſ.* Apud alios populos *etiam vici habent conſecratos epiſcopos, uti in Arabia & inſula Cypro animadverti. Bacatha* porro erant in Arabia, ſecundum communem loquendi modum illorum temporum, & ipſius Sozomeni, qui *Areopolin Palæſtinæ tertiæ urbem Arabiæ* appellat, *ibid. cap. 15. pag. 725.* C. Ita præfatus Hadrian. Reland. *to. 2. pp. 612. & 613.* Carolus à Sancto Paulo Fulienſis *geogr. ſac. pag. 316.* inter urbes Palæſtinæ primæ quoddam oppidum *Baſchat* recenſet: *Baſchat,* inquit, *Palæſtinæ primæ locus, cujus memoria eſt in Joſue cap. 15. Gregorius Baſchatanus ſubſcriptus legitur in reſcripto Joannis Hieroſolymitani & epiſcoporum Palæſtinæ qui ſub eo erant, ad Joannem Patriarcham Conſtantinopolitanum.* Verum illud *Baſchat* aliud non fuit à vico *Bacathorum* ſito trans Jordanem, qui proinde ad primam Palæſtinam non pertinebat, nec eſt urbs illa Baſchat in Tribu Juda conſtituta, quæ memoratur Joſue *cap. 15. verſ. 39.* Hæc rurſus Hadr. Reland. *tom. 1. pag. 208.*

EPISCOPI BACATHORUM.

I. ALYPIUS.

In ſecunda ſynodo Epheſina anno 449. inter Palæſtinæ epiſcopos ſedit, ſententiamque pro Eutyche dixit *Alypius* epiſcopus Bacathorum, per Auxilium epiſcopum gentis Saracenorum. In actis quidem hujus ſynodi lectis in Chalcedonenſi concilio, nominatur Ἀλύπιος Βάκτρων, *Alypius epiſcopus Bactrorum, tom. 4. concil. Labb. coll. 118.* D. *313.* B. & *321.* A. At ſubſtituendum eſſe Βακάθων, nec *Bactra* hîc locum habere poſſe liquet, tum ex iis ipſiſmet actis *col. 268.* D. ubi appellatur Ἀλύπιος ἐπίσκοπος Βακάθων: tum etiam ex nonnullis codicibus Latinis, in quibus legitur Alypius epiſcopus *Bacatenſis, Bacnatenſis,* & *Bacantenſis.* Ita Hadr. Reland. *to. 2. p. 612.*

II. GREGORIUS.

Synodicis litteris Joannis Hieroſolymitani præſulis adverſus Severum Antiochenæ ſedis invaſorem, alioſque concilii Chalcedonenſis hoſtes anno 518. initio imperii Juſtini, ſubſcripſit Γρηγόριος ἐπίσκοπος Βακάθης, *Gregorius*

A *epiſcopus Bacathanus, tom. 5. conc. Labb. col. 192.* E. Hic eſt Gregorius epiſcopus Baſchat cujus meminit Carolus à Sancto Paulo, ut paulo ſupra dictum eſt.

III. BARACHUS.

Sedebat Bacathorum epiſcopus *Barachus* anno 532. quo Juſtinianus Imperator ad preces ſancti Sabæ mandatum dedit ut Hieroſolymis conſtrueretur eccleſia in honorem beatæ Virginis Deiparæ, cui operi præfecit hunc Barachum. Sic enim refert Cyrillus
B Scythopolitanus in vita ſancti Sabæ *num. 73.* apud Cotelerium *tom. 3. monum. eccl. Græc. pag. 346.* B. *Multum quoque,* inquit, *adhibuit ſtudium* (Imperator) *in exequendo quarto ſenis* (Sabæ) *poſtulatu, miſitque Hieroſolymam Theodorum quemdam machinarium & architectum, qui novam beatæ Deiparæ ſemperque Virginis Mariæ eccleſiam ædificaret, ac præcepit Palæſtinæ tractatoribus uti aurum ad ædificium ſubminiſtrarent. Tum Petro archiepiſcopo* (Hieroſolymorum) *ſummam ea in re auctoritatem tribuit, Barachum autem Bacathorum epiſcopum,*

Digitized by Google

ECCLESIA METROCOMIAS, *ſive* BACATHORUM.

Βαράχῳ δὲ τῷ ἐπισκόπῳ Βακάθων, *ædificationis operibus præeſſe mandavit: atque ita multa manu & diligentia, ſpatio annorum duodecim conſtructa fuit eccleſia laudatiſſimæ Dei Genitricis, omnique ornatu inſtructa. Cujus venerandæ ædis magnitudinem, ac reſplendentem gloriam, ornamentorumque magnificentiam enarrare ſuperfluum eſt, quum noſtris pateat oculis, cunctaque ſuperet vetera ſpectacula & monumenta quæ mirantur homines, quæ Græci in hiſtoriis conſcripta reliquere, &c.* De eccleſia illa conſulendus Procopius Cæſarienſis, *lib. 5. de ædif. cap. 6. pag. 102.* C. *edit. Pariſ. anni* B *1663.* Interfuit idem Barachus ſynodo totius Palæſtinæ Hieroſolymis congregatæ ſub præfato Petro anno 536. contra Anthimum & alios hæreticos Monophyſitas, eique ſubſcripſit in hunc modum: Βάραχος τῆς Βακάνων (videtur legendum Βακάθων) *Barachus epiſcopus Bacenorum,* legendum *Bacathorum. To. 5. conc. Labb. col. 286.* B. Nihil aliud de eo epiſcopo ſcimus.

IV. Antonius.

Anno 649. Bacathorum eccleſiæ regimini C invigilabat *Antonius* iſte, ut diſcimus ex epiſtola v. Martini I. Papæ ſub finem hujus anni, vel initio ſequentis 650. ſcripta ad Joannem Philadelphiæ epiſcopum, *tom. 6. conc. Labb. col. 20.* A. in qua, ait *ibid. col. 24.* B. *Ecce vero in auxilium, ut magno ſtudio, ac ſine* A *ullo impedimento, charitas tua miniſterium impleat, à noſtra apoſtolica auctoritate tibi commiſſum; hortati ſumus Deo amabiles epiſcopos... dico Theodorum Eſbuntiorum, & Antonium Bacathorum* Βακάθων *adeſſe in omnibus, ac pro viribus inſervire hujuſmodi ſpirituali voluntati tuæ, &c.* Specialem ad hunc Antonium ea de re ſcripſit Martinus epiſtolam, quæ ſeptima eſt, *ibid. col. 31.* C. Vide ſupra *col. 284.* E. *& ſeqq.* ubi de Patriarchis Hieroſol. Ex ea autem poſtrema epiſtola palam fit Antonium illum à Monothelitarum errore reſipuiſſe, B ipſi enim gratulatur de reditu ad orthodoxam fidem. Incipit: *Decipi quidem & falli commune eſt propriumque humanæ infirmitatis; at in melius commutari ſolius opus eſt gratiæ.... quod in vobis cum omni ſatisfactione eveniſſe, religioſiſſime frater, veſtræ litteræ ſignificarunt, aſſerentes, per veram de Domino confeſſionem, bonam veſtram bonique odoris fidem: quam in ſpiritu ſuſcipientes, & ſecundum Deum ea delectati, ſacerdotalis dignitatis unguentum ei* (fidei) *retribuimus ex auctoritate apoſtolica ſignatum: vos ſemper hortantes, ut in verbo gratiæ* C *permaneatis, ut exemplo aliis eſſe ſtudeatis, eorum excitetis ſtudium, & veſtro zelo ad meliorem mentem omnes convertatis, qui ſuper inductam novitatem ſequuti, in Domino reſurgunt, &c.* Quandonam obierit Antonius iſte, & quinam ei ſucceſſerint, nos latet.

XIII. ECCLESIA PAREMBOLES, *ſive* CASTRI SARACENORUM.

VOx Græca Παρεμβολαί, Latinè *Caſtra* ſonat. Hîc nobis ſermo eſt, non de civitate quapiam eo nomine deſignata; ſed de Caſtris Saracenorum quorumdam, qui, quum nullas urbes incolerent, nullaſque ſedes haberent fixas, ſed hinc inde vagantes per Arabiam deſertam, in tentoriis habitabant, *Nomades* ſive *Scenitæ* appellabantur. De iis Strabo *lib. 16. pag. 765.* B. *edit. Caſaub. Pariſ. 1620.* ait: *Ulterior Euphratis regio, quæ ad ejus oſtia eſt, à Babyloniis &* (Chaldæis) *incolitur: quæ* (vero regiones) *Meſopotamiæ ſuccedunt uſque in Cœleſyriam flumini propinqua, & Meſopotamiæ, Arabes Scenitæ obtinent, perparvas quaſdam ditiones in ſterilibus locis propter aquarum inopiam nacti. Agriculturam aut parum aut nihil exercent, omnis generis pecus, præſertim camelos paſcunt.* Plinius quoque *lib. 5. cap. 16. Proſpicit eum* (Aſphaltiten lacum) *ab Oriente Arabia Nomadum.* Et cap. 24. de regione circa Euphratem loquens à Syriæ latere: *Oppida Europum, Thapſacum quondam,* (quæ) *nunc Amphipolis, Arabes Scenitæ* (incolunt,) Et lib. 6. cap. 28. *Nomadas, infeſtatoreſque Chaldæorum, Scenitæ claudunt, & ipſi vagi, ſed à tabernaculis cognominati, quæ ciliciis metantur, ubi libuit.*

Quoddam iſtorum Scenitarum agmen ad Palæſtinæ plagam meridionalem deveniens, religionem Chriſtianam ſuſcepit circa initia ſæculi v. Quam novæ hujus eccleſiæ inſtitutionem ſic refert Cyrillus Scythopolitanus in vita ſancti Euthymii *num. 18.* & *ſeqq. tom. 2. monum. eccl. Græc.* Coteler. *pag. 216.* B. C. *& ſeqq. Nobis autem jam deinceps incipit oratio pergere ad res antiqui Terebonis; quas cuncti quidem ſeniores Patrum mihi concordi voce narrarunt: accuratius vero Terebon ille, veteris iſtius Terebonis nepos, qui Tribui apud Saracenos præfuit, & in eis maximum nomen reliquit ad claritatem. Oportet autem ab alto ordiri principium narrationis, ut ſic perſpiciatur facilius ſermo noſter. Erat apud Perſas quidam Græcus, nomine Aſpebetus, qui factus fuerat princeps Tribus Saracenorum. Mota* (interim) *per magos, circa finem regis Iſdegerdis, perſecutione adverſus Chriſtianos, illi ducentes opus eſſe ſummo ſtudio*

Digitized by Google

contendendum, ut cunctos venarentur Chriſtianos, omnes Tribuum præfectos ditionis ſuæ, ipſumque etiam Aſpebetum, in diligentes viarum cuſtodes ubique conſtituunt, quo nullus Chriſtianus poſſet clanculum confugere ad imperium Romanorum. Is itaque Aſpebetus videns ingentem hanc in Chriſtianos incurſionem & inſaniam, motus miſericordia eorum calamitatis, non modo non prohibuit fugam, ſed & manum potius præbuit non mediocriter adjutricem. Qua de cauſa accuſatus apud regem Iſdegerdem, & illius veritus crudelitatem, aſſumptis protinus ſuis facultatibus, cum cognatis ac Terebone puero, ad Romanos transfuga venit. Quos excipiens Anatolius (is enim tunc erat præfectus Orientis) collocat in Arabia; & Saracenorum præfecturam, quæ illic Romanis ſuberat, tradit Aſpebeto; ſic exhibens illi ſecuram omniſque doli expertem ſuſceptionem. ECCLESIA PAREMBOLES, ſive CASTRI SARACENORUM.

Num. 19. pag. 217. *Quum is ergo ſic ad Romanos acceſſiſſet, puer quidem Terebo.... percuſſus erat flagello dæmonis, ut qui partem corporis ex dimidio dexteram haberet ſiccam, mortuiſque ſimilem.... à capite uſque ad pedes; adeo ut licet pater multum facultatum conſumpſiſſet in medicorum manus, nullum Terebon ex arte illorum acceperit adjumentum. Poſtquam vero migrarunt in Arabiam, videt puer in ſomnis aliquid; & ad viſionem expergefactus eam patri narrat, qui citra moram ullam aſſumens puerum multoſque ex ei ſubjectis Barbaris, pergit ad Euthymii & Theoctiſti ſpeluncam: eò enim ut veniret præcipiebat quæ apparuerat viſio. Atque fratres quidem, tantam multitudinem videntes, invaſit anxietas & metus, nec compertum habebant quidnam eſſet. At beatus Theoctiſtus, ejecto ex eorum animis timore illo, deſcendit fidenter ad barbaros, & rogat quænam neceſſitas eos adduxiſſet! Reſponderunt illi: Venimus ad videndum Euthymium. Tum beatus Theoctiſtus: ille, inquit, nunc in ſeceſſus quiete degit, neque omnino uſque ad Sabbatum in cujuſquam conſpectum venturus eſt.... Tunc Aſpebetus manum Theoctiſti prehendens, oſtendit ei filium ſemiaridum, & dextera parte veluti mortuum; deinde puero annuit ſuperciliis. Et ille incipiens rem omnem narrat ordine.*

Num. 20. pp. 218. & 219. *Ego, inquit, in Perſide afflictus hac plaga, multiſque medicis & magicis artibus contritus, nihil amplius fructus percepi, niſi ſolum ut damnarem, & non haberem valde illis confidere. Deinde ubi in hanc Arabum venimus regionem, hîc quoque rurſus cum priori luctabar calamitate, & malis vexabar ſimilibus. Noctu autem aliquando attendens mihi ipſi, & conſiderans an uſquam à morbo aliquam invenirem liberationem, quia nullam ex noſtris cernebam mali curationem.... Deum ardentiſſime precatus ſum, & ab eo petii à morbo liberationem: atque viciſſim ipſe pollicitus ſum repenſurum me vitæ mutationem, & Chriſtianum fore.*

Num. 21. pp. 219. & 220. *Dum vero.... talem ad Deum deferrem ſupplicationem, paulatim in ſomnum deductus, mihi videbar quemdam cernere monachum promiſſa denſaque barba jam ſeneſcentem.... qui interrogabat me quiſnam eſſet morbus! quidnam mali nos invaſiſſet! Quumque ego ei morbum oſtendiſſem; ille, implebiſ-ne, inquit, tu, quæcunque Deo es pollicitus! Quum ego iterum promiſiſſem me prompto & alacri animo omnia impleturum: ego, inquit, ſum Euthymius, qui ad Orientalem ſolitudinem habito in torrente, ad auſtralem partem viæ quæ Hierichuntem ducit, ſito, decem millibus diſſitus à Hieroſolymis. Si vis ergo invenire mali ſolutionem, veni ad me, ait, & per nos ſanabit te Deus. Hæc in ſomnis poſtquam vidiſſem, eſſemque excitatus, patri ſtatim narravi. Et ecce omnibus poſtpoſitis, huc, ut juſſit viſio, venimus nunc, teque valde & enixe rogamus, ut nobis oſtendas vere divinum & admirabilem illum medicum qui per viſionem nobis indicatus fuit.*

Num. 22. pp. 220. & 221. *Hæc audiens beatus Theoctiſtus, & quomodo viſio apertum Dei gratiæ eſſet indicium, admiratus, Euthymio interrumpit quietem, eique omnia ordine, pueri morbum, neminem qui curaret inventum, promiſſa communi Domino ab eo facta, ſomnum illum, viſionem oſtenſam, uno verbo nihil non ſingulatim recenſet. Qui ipſe quoque perſuaſus rem illam divino geri conſilio, ſtatim deſcendit ad Barbaros, & ardentibus pro puero fuſis precibus, factaque ſuper illum crucis figura, non aliquo opus habuit tempore, non majore in orando perſeverantia, ſed eum valentem & omnino ſanum ſtatim efficit.*

Num. 23. pag. 221. *Percellit Barbaros id quod factum fuerat, & citius quam ægroti corpus, eorum quoque curantur animæ, ſeu magis animæ ſanitatem communiter accipiunt, fiuntque ſtatim fideles. Quocirca proni in ſolum projicientes ſe, rogant ſanctam illam animam, ut Chriſti obſignentur ſignaculo, partemque ac nomen Chriſtianorum conſequantur.*

Num. 24. pp. 221. & 222. *Non erat autem omnino viri pii & Deum amantis cunctari in rebus hujuſmodi. Neque ergo fuit Euthymio ulla cunctatio: ſed videns eos corde magis quam ore ſacrum baptiſma poſtulare, jubet parvam piſcinam in quodam ſpeluncæ angulo ex tempore fieri; quæ quidem uſque in hunc diem ſubſiſtit: & conſuetas orationes pronuntians, ac cunctis quæ lex præcipit ſuper illos peractis, primo quidem Aſpebetum baptizat, Petrum transnominans; deinde autem Marim fratrem uxoris Aſpebeti, ambos claros genere, & ampliſſimis divitiis inſtructos, ſeu potius qui prudentia & virtute ornarent divitias, aut etiam qui ipſas opes facerent materiam*

Digitized by Google

virtutis: poſtea vero Terebonem, dein reliquos; quos utique & quadraginta dies apud ſe retinuit, & multa monuit, piumque religionis cultum accurate docuit, atque omni modo firmis tutiſque redditis quæ ad ſalutem pertinent, dimiſit in pace, &c.

Num. 25. pag. 222. *At Maris, Terebonis avunculus, non amplius voluit .... diſcedere à monaſterio, ſed ei conſecratis omnibus facultatibus.... ſoli Deo adhæret, & per totam ætatem ſub eo vivere ſtatuit, magno utens ductore.*

Num. 26. pp. 222. & 223. *Ubi autem miraculum diſperſum eſt per multas partes ſolitudinis, multi morbis & ægritudinibus correpti ad divinum Euthymium undequaque confluebant, ſicque curationem ſine mercede ac facilem colligentes, revertebantur læti, &c.*

Numeris ſequentibus uſque ad 36. refert Cyrillus Scythopolitanus Euthymium, quod humanam adverſaretur gloriam, prioriſque meminiſſet ſuæ ſolitudinis & quietis, Domitiano uno ex diſcipulis ſuis ſecum aſſumpto, clam fugiſſe, diverſaſque ſolitudines adiiſſe. Quum autem eſſet in Ziphorum deſerto, quoſdam Manetis erroribus infectos propè degentes, ab ipſo ad rectam fidem fuiſſe adductos, ex quo factum eſt ut multi ad eum quotidie confluerent. Aſſumto itaque rurſus Domitiano Euthymium ad fratres quos reliquerat rediiſſe. His narratis pergit Cyrillus.

Num. 36. pp. 228. & 229. *Quum autem ejus* (Euthymii) *adventus neſcio quomodo fuiſſet ſignificatus Aſpebeto, qui fuit cognominatus Petrus, licebat ſtatim videre examen Agarenorum* (ſive Saracenorum) *congregatum. Ille enim multis eorum omni ex genere & ætate collectis, ut qui ipſe primus bonum guſtaſſet, & ſtuderet ut illi quoque eſſent participes dulcedinis, adducit eos ad Euthymium: qui adductione valde delectatus, viroſque hilaribus oculis intuitus, pronuntiatis ſuper eos ſolitis precibus, deduxit ad fratres & monaſterium. Deinde quum eos illic baptizaſſet ac inſtituiſſet, atque ex illo tempore ſeptem dies cum eis eſſet verſatus .... ad conſuetam iterum redit ſolitudinem, &c.*

Num. 38. pp. 229. & 230. *Agarenorum vero multitudo, quæ, ut prius dixi, fuit ab eo baptizata.... non amplius, ne minimum quidem, ab eo diſcedere ſuſtinebat; ſed acriter precabatur ut apud ipſum maneret .... Ille vero, qui ſibi conſervabat indivulſum quietis bonum, eos non ſivit hic verſari; ſed alio eos ducens, quum templum & tabernacula eis circumſcripſiſſet, (eſt autem locus inter duo monaſteria) juſſit ut exſtruant juxta deſcriptionis figuram & magnitudinem, atque inibi habitent. Quo quidem in loco poſtquam ſibi ædificarunt domos, & in eis deinceps aſſiduè perſeverarunt, frequenter magnus ventitabat Euthymius, & quemadmodum ſe haberent ſemper viſebat. Sciebat enim quantum ex eo lucri ſibi compararet. Nec prius deſtitit hoc facere donec illorum animas purgavit & exercuit, effecitque ut preſbytero ac diaconis ſubeſſent. Quamobrem illic lubenter manſerunt, non ii ſoli qui fuerant priores baptizati, ſed etiam multi alii ex iis qui quotidie ad eum veniebant & baptizabantur.*

Num. 39. pp. 230. & 231. *Quum ergo uſque adeo multiplicarentur filii Agar, & ad veram traducerentur nobilitatem, inque diverſa increſcerent caſtra, mittit divinus Euthymius ad Juvenalem Hieroſolymorum Patriarcham, poſtulans ut eis ordinaretur epiſcopus. Ille vero ad eum mittit Petrum patrem Terebonis, ut-pote idoneum qui præeſſet animabus, eaſque deduceret ad ſalutem. Sic itaque Petrus epiſcopus Caſtrorum* (ſive *Paremboles* Παρεμβολῶν ἐν Παλαιστίνῃ) *in Palæſtina primus ordinatur. Saracenorum autem multitudo, non ſecùs ac fluviorum perennium fluenta, affluebat; & qui accedebant adjiciebantur prioribus: iique omnes, ſignati ſignaculo baptiſmi, connumerabantur cum grege Chriſtianorum.* Hæc fuere exordia hujus eccleſiæ.

EPISCOPI PAREMBOLES *ſive* CASTRI SARACENORUM.

I. PETRUS.

MOdo diximus *Petrum* iſtum, illum fuiſſe A qui prius Aſpebetus nominabatur, pater Terebonis ab Euthymio ſanitate donati. Hunc, poſtquam à Juvenale epiſcopus conſecratus eſt, rogavit Euthymius, ut quibuſdam ſuis diſcipulis recens admiſſis *parvas cellas conſtrueret, & templum ſcite admodum adornaret,* unde factum eſt ut *brevi illic* nova *laura conſtitueretur, illa quæ erat in Pharan nullatenus inferior.* Ita Cyrillus Scythopolitanus citatus, *num. 41. pag. 233.* C. qui etiam ſupra *n. 37. p. 229.* B. eundem Petrum narrat priuſquam fieret epiſcopus, quum videret Euthymium *ſine tecto & inopem ſedere in loco deſerto, pro maximis beneficiis* ab illo ſuſceptis, *baptiſmo* ſcilicet *& ſalute, ut mediocrem referret gratiam, ædificatoribus multis mercede arceſſitis, magnam ciſternam duo habentem oſtia fodiſſe in horto.... ad quam conſtrui curavit paniſicii officinam, & cellas tres cum oratorio: adeo ut nullius eorum, quæ ad uſum neceſſarium pertinebant, egeret Euthymius.* Interfuit Petrus an. 431. ſynodo Epheſinæ, quem ad eam proficiſcentem hortatus eſt Euthymius, *ibid. num. 55. p. 246.* A. *ut adjungeret ſe ad Cyrillum Alexandriæ & Acacium Melitenes* epiſcopos, *& quæ eis viderentur,*

ECCLESIA PAREMBOLES, ſive CASTRI SARACENORUM.

viderentur, ea quoque comprobaret. Quod ille præſtitit: quin unus è tribus præſulibus fuit, quos delegarunt Patres, tum ad Neſtorium *tom. 3. conc. Labb. col. 453.* D. tum etiam ad Joannem Antiochenum, *ibid. col. 639.* A. ut illos ad ſynodum invitarent. Omnibus tandem decretis hujus ſynodi ſubſcripſit: Πέτρος ἐπίσκοπος Παρεμβολῶν ὑπέγραψα, *Petrus Parembolarum epiſcopus ſubſcripſi, ibid. coll. 541.* A. & *692.* E. *Peracta ſynodo reverſus ad Euthymium ei omnia narravit quæ in ea evenerant, & quonam proceſſerint,* inquit præfatus Cyrillus Scythopolitanus loco mox citato. Obiit autem ante ſynodum Epheſinam II. quæ anno 449. coacta fuit.

II. AUXILAUS *ſive* AUXOLAUS.

Petro ſucceſſit, ex eodem Cyrillo Scythopolitano, *num. 72. pag. 260.* B. *Auxolaus* Αὐξολάου, qui in ſynodo ſecunda Epheſina *Dioſcoro adhæſit* anno 449. nec multo poſt *inviſus Euthymio vitam finivit.* In actis hujus ſynodi in concilio Chalcedonenſi relectis, Αὐξίλαος ἐπίσκοπος Σαρακηνῶν τῶν ὑποσπόνδων, *Auxilaus epiſcopus Saracenorum fœderatorum* inſcribitur. *Tom. 4. concil. Labb. coll. 118.* E. *268.* D. *313.* D. & *321.* A.

III. JOANNES.

Auxilaum excepit *Joannes,* ante ſynodum Chalcedonenſem anno 451. celebratam, in qua damnavit quæcunque deceſſor ſuus Epheſi male geſſerat; cunctis vero Chalcedonenſibus decretis ſubſcripſit. *Tom. 4. conc. Labb. coll. 83.* E. *332.* A. & *788.* B. Ἰωάννης ἔθνους Σαῤῥακηνῶν, *Joanne gentis Sarracenorum.* Sedebat quoque in eadem ſynodo, *ibid. col. 458.* B. *Euſtathius* aliorum Saracenorum epiſcopus, de quo dictum eſt in Patriarchatu Antiocheno, & provincia Oſroëna. Terminata autem ſynodo Joannes iſte cum Stephano epiſcopo Jamniæ, *fidei decreto arrepto, quam potuerunt celerrime ad Euthymium accedunt,* inquit præfatus Cyrillus Scythopolit. *num. 72. pag. 260.* C..... *volentes ſcire an ipſe quoque aſſentiretur iis quæ ſcripta fuerant. Non mediocriter enim terrebat eos, quod Auxolao contigerat: neque habebant quomodo aut conſentirent, aut differrent, antequam cognoſcerent quo vergeret illius ſententia. Poſtquam vero ille legiſſet, & quæ ſcripta erant inveniſſet recte ſe habere, & rectæ regulæ veritatis concinere, pervaſit repente fama per totam ſolitudinem, quod magnus Euthymius ſequeretur ſynodum Chalcedonenſem. Hoc autem omnes prope modum monachos ad eam attraxiſſet, niſi Theodoſius* (impius ille monachus de quo ſupra dictum eſt, *coll. 116.* B. *165.* C. D. & *688.* C. D.) *omnia ſuis calumniis perturbaſſet.*

IV. PETRUS II.

Alterum Saracenorum Scenitarum in Arabia Petræa epiſcopum, *Petrum* nomine, exhibet Malchus Rhetor Philadelphienſis in hiſtoria. Hunc enim ait ab Amorceſa Perſa delegatum fuiſſe ad Leonem Imperatorem, anno ejus decimo-ſeptimo, Chriſti 473. ut pacta fœderis cum Romanis feriret, & Saracenis qui Arabiam Petræam incolebant, Phylarchia concederetur. Mittit igitur, inquit, ad Leonem Romanorum Imperatorem, Petrum tribus ipſius epiſcopum, qui, ſi qua ratione poſſet, hæc ab Imperatore impetraret. Petrus Leonem convenit à quo perhonorifice receptus cuncta pro voto obtinuit.

V. VALENS.

Synodicis litteris Joannis Patriarchæ Hieroſolymorum, adverſus Severum hæreticum Monophyſitam, ejuſque ſocios, ſubſcripſit anno 518. Οὐάλης ἐπίσκοπος τῶν Παρεμβολῶν, *Valens epiſcopus Parembolanus. Tom. 5. conc. Labb. col. 192.* D.

VI. PETRUS III.

Anno 536. ſententiæ, adverſus Anthimum & alios hæreticos Monophyſitas, in ſynodo trium Palæſtinarum Hieroſolymis habita latæ ſub Petro Patriarcha, ſubſcripſit Πέτρος ἐπίσκοπος τῶν Παρεμβολῶν, *Petrus epiſcopus Parembolanus. To. 5. conc. Labb. col. 286.* C.

XIV. ECCLESIA MEDABÆ.

MEDABA ſive *Medba,* urbs in portione Tribus Ruben, & quidem regione ejus auſtrali, nam Joſ. *cap. 13. verſ. 16.* ad Medabam ejus fines eſſe dicuntur: *Fuitque terminus eorum ab Aroër, quæ ſita eſt in ripa torrentis Arnon, & in valle ejuſdem torrentis media: univerſa planities quæ ducit Medaba, & Heſebon.* Ex quibus verbis colligit Cellarius *to. 2. geogr. antiq. lib. 3. cap. 13. pag. 659.* (quoniam Aroër ad Arnonem ſita erat in tribu Gad, atque ita in ortum hibernum ab Heſbon;) oppoſitam Medbam ab eadem in occaſum æſtivum receſſiſſe. Ptolemæus *lib. 5. cap. 17.* habet Μήδαυα *Medava* in Arabia Petræa, quæ ipſa eſt *Medaba:* hanc enim urbem cum Eſbunta, id eſt Eſbon ſive Heſebon, conjungit, quam etiam in eadem Arabia poſuerat: & Hieronymus de locis Hebr. *Medaba uſque hodie urbs Arabiæ antiquum nomen retinens juxta Heſebon.* Arabes quippe auſtralia Petrææ loca poſteriori ævo

Digitized by Google

ECCLESIA MEDABÆ.

tenuerunt. Unde 1. Mach. *cap. 9. verſſ. 35. & 36.* Μηδαβᾶ *Medaba* ſive *Madaba* dicitur eſſe juxta *Nabatæos:* & Stephano Byzantino Μήδαβα πόλις τῶν Ναβαταίων, *Medaba urbs Nabatæorum eſt.* At Straboni *lib. 16. p. 776.* D. *edit. Caſaub.* Nabatæi *Arabes* erant. Ex Plinio itidem *lib. 6. cap. 28. Nabatæi oppidum incolunt Petram nomine in convalle.* Ex Diodoro quoque Siculo *lib. 3. cap. 43. ſinus Aelanites circa quem vici ſunt Arabum qui Nabatæi dicuntur.* Medaba celebris fuit victoriâ quam de Ammonitis Joab apud eam obtinuit 1. Paral. *cap. 19. verſ. 7.* necnon nece Joannis Judæ Machabæi fratris, ex Joſepho *lib. 13. antiq. cap. 1.* qui etiam ſcribit *cap. 17.* eam captam fuiſſe ab Hircano, & *cap. 23.* traditam fuiſſe Judæis quum eſſet ſub Moabitarum poteſtate, & *lib. ſeq. 14. cap. 2.* Arabibus fuiſſe ereptam à Judæis. Ejus mentio fit in Scripturis *lib. Num. cap. 21. verſ. 30.* Joſ. *cap. 13. verſ. 16.* 1. Paral. *cap. 19. verſ. 7.* & Iſai. *cap. 15. verſ. 2.* In notitiis nulli trium Palæſtinarum adſcribitur: ſed in ea quæ ex diatypoſi Leonis Auguſti excerpta eſt, quamque refert Hadr. Reland. *tom. 1. Palæſt. illuſtr. pag. 216. & ſeqq.* Græcè quidem Μεδάυα recenſetur ſub provincia Arabiæ *num. 4. p. 217.* & Latinè *Medava pag. 219.* Ejus rurſum meminit idem Hadr. Reland. inferius *pag. 464.* ubi notat apud Ptolemæum *lib. 5. cap. 17. tab. 4.* Aſiæ, legi Μηδύνα *Meduna,* ſed Μηδάυα *Medava* eſſe in cod. mſ. quo uſus eſt Hudſonus, nec dubitandum eam eſſe veram lectionem, quia & ita habetur Μηδάυα inter Πέτραν & Βόσρα, *Petram* & *Boſtra* in tabula Ptolemaïca urbium inſignium ab eodem edita *pag. 36.* Et *to. 2. p. 893.* addit: « πόλις Μηδάβων appellatur in concilio Chalcedonenſi, & epiſcopatu erat inſignis. » Ait etiam Carolus à Sancto Petro, *geogr. ſac. pag. 305.* ſub Arabia Petræa, *num. 3. Medava. Ptolem. ibid.. vulgo Medavon Guillelmo Tyrio: aliis vero Medbad. Cajanus hujus epiſcopus in concil. Chalced. nuncupatur.* Cyrillus Scythopolitanus in vita ſancti Euthymii, ſcribit Gaïanum quemdam, unum ex hujus Sancti diſcipulis, factum fuiſſe epiſcopum *Medaborum.* Itaque

EPISCOPI MEDABÆ.

GAIANUS.

GAIANUS iſte patria Melitinus fuit: hæc autem de eo narrat præfatus Cyrillus Scythopolitanus *num. 41.* apud Cotel. *to. 2. monum. eccl. Græc. pag. 233.* A. B. *Poſt eos* (quos jam ſuſceperat Euthymius) *ſe ipſum permiſit ingredi cupientibus, eratque deinceps ad excipiendum paratiſſimus. Etenim excipit quemdam Domnum, ex Antiochena quidem civitate oriundum, Joannis vero qui illi præerat* (& poſtea pro Neſtorio ſeorſim à patribus Epheſinis conventus ſuos cum triginta epiſcopis anno 431. tenuit) *ex ſorore nepotem. Suſcipit etiam alios tres fratres genere, patria Melitenos, conſobrinos Synodii illius qui cum Acacio* (Melitenenſi epiſcopo) *educaverat Euthymium; quorum nomina, Stephanus, Andreas, & Gaïanus,* καὶ Γαϊανός.... *Quum ergo eos admiſiſſet, Petrum adhortatur epiſcopum* (Paremboles, ſive Saracenorum recens ad fidem Chriſti converſorum) *ut eis parvas cellas conſtruat, & templum ſcite admodum adornet. Atque ita brevi illic lauram conſtituit, illa quæ eſt in Pharan nihilo inferiorem.* Et n. 54. pp. 244. & 245. *Quum magna & œcumenica ſynodus Epheſi... congregaretur, Synodius, qui cum Acacio* (Melitenenſi) *fuerat magiſter Euthymii adhuc pueri, in Palæſtinam ad adoranda loca venerabilia profectus, accedit etiam ad lauram, 54. anno ætatis* (ejuſdem) *Euthymii, partim ut illum ipſum Euthymium viſeret, partim* (quoque) *ut ſalutaret conſobrinos ſuos Stephanum, Andream, & Gaïanum, &c.* Et *n. 97. p. 281.* B. C. *Terebon*

A *Saracenorum tribus præfectus,* de quo ſupra *coll. 763. 764. quum aliqua de cauſa veniſſet Boſtras, & à quodam compræfecto delatus eſſet ad eum cui commiſſa fuerat regionis adminiſtratio, comprehenſus fuit & carcerem habitare condemnatus per longum quod interceſſit tempus. Cognito autem calumniæ actu magnus Euthymius ſcribit ad Antipatrum, qui tunc Boſtrenſem regebat eccleſiam, una cum litteris mittens Gaïanum fratrem Stephani Jamniæ epiſcopi, ut omnem adhiberet diligentiam quo à vinculis Terebon eriperetur. Hic vero acceptis litteris,*

B *ſuſceptoque Gaïano, quum Terebonem ab omni liberaſſet accuſatione, eique ſumptum ad profectionem neceſſarium ſuppeditaſſet, eum mittit ad magnum,* ἐπὶ τὸν μέγαν (puto ſubintelligi Euthymium.) *At Gaïanum veluti ſcintillas quaſdam doctrinæ Euthymii, ſtatuit retinere, & epiſcopum Medaborum* Μηδάβων *civitatis ordinat.* Quid in præſulatu geſſerit Gaïanus, & quandonam obierit, incertum eſt. In actis concilii Chalcedonenſis ad calcem act. VI. *to. 4. conc. Labb. col. 605.* B. C. ita legitur: *Conſtantinus epiſcopus metropolis Boſtrorum, &*

C *pro religioſiſſimis epiſcopis ſub me conſtitutis, Placo civitatis Geraſæ, Zoſio civitatis Eſbuntorum, &c. Cajano* (ſive *Gaïano*) *civitatis Medaborum* Γαϊανοῦ πόλεως Μηδάβων, *Severo Maximianopolis, &c. conſentiens ſubſcripſi.* Ex quibus verbis colligitur hunc Gaïanum anno 451. ſuperſtitem fuiſſe, non tamen iviſſe ad ſynodum Chalcedonenſem, & tunc temporis eccleſiam Medabenſem metropoli ſubjacuiſſe Boſtrorum.

Digitized by Google

QUÆDAM ALIÆ ECCLESIÆ MINUS NOTÆ, vel recentius additæ.

IN notitiis veteribus eccleſiaſticis aliquot occurrunt urbes, veluti ſedes epiſcopales Palæſtinarum, de quibus tamen nulla alibi mentio extat: quædam quoque poſterioribus temporibus in ſortem Patriarchatus Hieroſolymitani tranſierunt. De his nunc breviter agimus.

Parochmuchi. Locus hic in notitia Græca, cujus excerptum refert Hadr. Reland. *tom. 1. pag. 215.* tertiæ Palæſtinæ adſcribitur, Παρωχμούχου *Parochmuchi.* De ea autem urbe ſic ipſe annotat *ibidem: Puto eſſe* Χαραχμῶβα *Characmoba,* & tom. 2. pag. 705. *Recenſetur inter urbes Arabiæ Petrææ à Ptolemæo, & Palæſtinæ tertiæ in notitiis veteribus eccleſiaſticis* Παραχμούχου, *ſed in aliis rectius* Χαραγμούχα, *quod idem eſt ac Characmoba.* De *Characmoba,* vide ſupra *coll. 729. 730.*

Mapſes, Græcè Μάψις. Legitur in notitia veteri Græca, apud præfatum Hadr. Reland. *to. 1. pag. 215.* qui ſubdit *to. 2. pag. 887.* Μάψις *inter urbes Palæſtinæ tertiæ recenſetur in notitia veteri eccleſiaſtica.* Μάψις *alii, alii denique* Νάψις *legunt. Sed Ptolemæus confirmat lectionem priorem: ibi enim* Μάψη *legitur, diciturque eſſe urbs Idumææ ad occidentem Jordanis.* Nihil aliud de ea mihi compertum eſt.

Sodoma. Idem Hadr. Reland. *to. 2. pag. 1120.* ait hanc urbem, quæ à Deo ſubverſa eſt una cum Gomorrha, Adama, & Zeboim, ſive Seboim, circa fines auſtrales lacus Aſphaltitis fuiſſe ſitam, prope Zoara ſive Segor, ad quod oppidum Loth ſe tranſtulit: *Severum* autem, qui dicitur epiſcopus *Sodomorum* in indice Latino ſynodi Nicænæ, *to. 2. conc. Labb. col. 52.* At fuiſſe profecto epiſcopum alterius loci, pro quo ſubſtitutum fuerit vocabulum *Sodomorum.* Vide ſupra, ubi de eccleſia *Zoarorum coll. 743. 744.*

Biroſabon. Hoc ſolum de ea urbe reperi apud Hadr. Reland. *to. 1. pag. 217.* hanc ſcilicet recenſeri nonam in Palæſtina tertia. 9. Βιρόσαβων.

Pentacomia. Una eſt ex ſedibus epiſcopalibus tertiæ Palæſtinæ, in notitia Græca, quam refert idem Hadr. Reland. *tom. 1. pag. 215.* Græcè Πεντακόμια. Item *pag. 218.* inter ſedes Arabiæ in alia notitia extat altera Πεντακόμια, *Pentacomia.*

Mamopſora, tertiæ etiam Palæſtinæ attribuitur in notitiis veteribus eccleſiaſticis, apud præfatum Hadr. Reland. *to. 1. pp. 215. 217. & 218.* qui inſuper *to. 2. pag. 886.* obſervat in quibuſdam legi Μαμώ & dein Ψορὰ, ac ſi duæ urbes eſſent: *Sed ſiquidem,* inquit ipſe hoc poſtremo loco, *Palæſtinæ tertiæ tribui debent urbes epiſcopales 14.* (addita Petra metropoli,) uti dicitur (tom. 1.) *p. 223.* Μαμώ & Ψορὰ *unam vocem debent conſtituere, nam ſi divellantur, erunt 15.* Et certe Μαμόψορα legitur uno verbo in Græca notitia, quam idem Relandus *pag. 215.* refert, ubi quoque urbes 14. Palæſtinæ tertiæ aſſignantur: ſic & *Mamapſon* legitur, (in indicibus Latinis, &, ut quidem videtur, pro *Mamopſora.*) *ibid. pp. 223. & 226.*

Salton Ieraticon ſive *Saltus Hieraticus,* Græcè Σάλτον Ἱερατικὸν, in notitia veteri Græca, inter ſedes epiſcopales tertiæ Palæſtinæ recenſetur, *tom. 1.* ejuſdem Hadr. Reland. *pp. 215. & 217.* qui nihil addit amplius.

Cyriacopolis, Græcè Κυριακούπολις, extat in notitia Græca Nili Doxopatrii anno 1151. ſcripta, cujus excerptum habet Hadr. Reland. *to. 1. pag. 219.*

Adria, Græcè Ἀδρία ſive Ἀδράα, in eadem notitia Nili Doxopatrii loco 20. recenſetur, *ibid. pp. 220. & 221.* Verum ad provinciam Boſtrorum pertinebat, ut colligitur ex præfato Relando *tom. 2. pp. 547. 548. & 549.*

Phara, Græcè Φαρὰ, *ibid.* nominatur loco 23. nec quidquam de ea addit Relandus.

In indice epiſcoporum qui ſynodicæ Joannis Patriarchæ Hieroſolymitani, contra Severum & alios hæreticos Acephalos anno 518. ſubſcripſere, extat locus vacuus unius epiſcopi Palæſtinæ, cujus ſcilicet deſiderantur, tum nomen proprium, tum ſedes. In Græco quippe textu una linea prorſus deeſt, in ſequenti vero linea legitur duntaxat: καὶ τὰ λοιπὰ διὰ Ρωμαϊκῶν γραμμάτων. In Latina autem verſione, prima linea habet: *Pres .... epiſcopus ....* deinde *valere me, & reliqua, per litteras Latinas.* Ita extat *tom. 5. conc. Labb. col. 191.* D. & apud Harduin. *to. 2. conc. col. 1346.* C. Ignoratur ſubinde quis fuerit ille epiſcopus Palæſtinus, qui tamen eo anno 518. vivebat & ſubſcripſit.

Digitized by Google

Si quis diſcere aveat hodiernum ſedium epiſcopalium in tribus his Palæſtinis ſtatum, legat ea quæ obſervarunt doctiſſimi actorum Sanctorum editores Antuerpienſes, *tom. 2.* menſis Maii *p. 805.* ubi aiunt: *Nunc gementibus ſub Turcarum jugo qualibuſcunque Chriſtianis; & Conſtantinopolitanis Imperatoribus, à quibus ſolebant epiſcopi peti, pridem extinctis; eò res devenit, ut quum nuper præterito anno 1672. congregari ſynodum placuiſſet adverſus Calviniſtas pro reali Chriſti præſentia in Euchariſtia, exemplo aliarum quæ fuerant ſuper eadem cauſa Conſtantinopoli celebratæ anno 1637. & 1642. (quarum omnium acta Græco-Latina recenter accepimus impreſſa Pariſiis) ſoli ſeptem reperti ſint qui ad Doſitheum tunc Patriarcham convenire poſſent, ſcilicet metropolitæ Petræ, Ptolemaïdis & Poliſidonis (qui etiam Cæſareæ præſulem ſe dicebat,) Nazareth, Bethleem, cum archiepiſcopo Gazæ (qui etiam locum tenebat abſentis archiepiſcopi ſancti Spelæi) & archiepiſcopo Neapoleos atque Sebaſtæ, necnon cum epiſcopo Lyddæ; ſubſcripſeruntque decreto fidei ibidem conſtitutæ, una cum 60. hegumenis monaſteriorum, eccleſiarum œconomis, hieromonachis, preſbyteris, ac diaconibus, cæteriſque eccleſiæ Hieroſolymitanæ miniſtris, aliquam tituli dignitatem habentibus.*

Michaël Antonius Baudrand *tom. 1. geogr. edit. Pariſ. anni 1682. pag. 180. col. 1.* ſcribit urbem Boſtram, nunc eſſe Patriarchatus Hieroſolymitani: *Boſtra,* inquit, *Arabiæ Petrææ urbs, Ammiano, Stephano, & in libro notitiæ, Colonia Boſtra olim dicta, & Boſtra Legio, Philippi Imperatoris patria, unde ab eo Philippopolis dicta fuit, teſte Zonara, nunc Buſſereth, Guillelmo Tyrenſi, Bochardo, & aliis, urbs archiepiſcopalis ſub Patriarcha Hieroſolymitano quum prius eſſet ſub Antiocheno. 60. mill. paſſ. à mari Tiberiadis diſtat in ortum. Dicta fuit etiam Colonia Alexandrina in nummis Alexandri Severi Imperat. & matris* (ejus) *Mammææ.* Inter ſubſcriptiones epiſcoporum & aliorum plurium in dignitate aliqua eccleſiaſtica conſtitutorum, ſynodo Bethleemitanæ ad proſcribenda Cyrilli Lucaris dogmata Calviniana celebratæ anno 1672. legitur: ὁ Φιλήμων ἱερομόναχος καὶ ἀρχιμανδρίτης, καὶ διοικητὴς τῆς ἁγιωτάτης μητροπόλεως Βοςρῶν, ὁρίσας ὑπέγραψα, *Philemon hieromonachus & archimandrita, & procurator ſanctiſſimæ metropoleos Boſtrorum, definiens ſubſcripſi. Tom. XI. concil. Harduin. col. 269.* E.

Ex iiſdem actis liquet epiſcopatus *Ptolemaïdis* & *Poliſidonis,* nunc ſedi Hieroſolymitanæ eſſe ſubjectos: nam *col. 268.* E. extat hæc ſubſcriptio: ὁ Ἰωάσαφ ἐλάχιςος μητροπολίτης Πτολεμαΐδος, καὶ Πολυσιδῶνος, καὶ πρόεδρος Καισαρείας Παλαιςίνης, ὑπέγραψα· *Joaſaph humillimus metropolita Ptolemaïdis & Poliſidonis, & præſul Cæſareæ Palæſtinæ, ſubſcripſi.* De *Poliſidone* nihil aliud novimus: at de *Ptolemaïde* tradit Hadr. Reland. *to. 2. pag. 534. & ſeqq.* nomen urbis hujus antiquum fuiſſe *Acco,* in regione tribus Aſer: ut colligitur ex Jud. *cap. 1. verſ. 31. Aſer quoque non delevit habitatores Accho, & Sidonis, &c.* In Græca verſione inſeritur etiam Dor: Ἀκχὼ, Δὼρ, Σιδὼν. Inter urbes Aſcheriticas Joſ. *cap. 19. verſ. 25.* nulla fit mentio urbis Acco; verum in Græca verſione video (verba ſunt Hadriani Relandi) *verſ. 30.* poſt Ecdippam, ſcriptum Ἀρχὸβ, & in aliis codicibus Ἀκχὼμ, quæ non multum abeunt ab Ἀκχώ. Et *pag. 536.* « Græci, quamvis nomen recens Ptolemaïdis frequentaverint, non ignorarunt
» nomen priſtinum *Acco,* quod Ἄκη pronuntiarunt, more ſuo Græcam originem huic voci
» tribuentes. Ita (enim) legitur in Etymologico magno: Ἄκη, πόλις Φοινίκης, ἡ νῦν καλουμένη
» Πτολεμαΐς, &c. *Ace, urbs Phœnices, quæ nunc Ptolemais appellatur: quidam dicunt arcem*
» *Ptolemaïdis appellatam eſſe Acem* Ἀκὴν, *quod Hercules à ſerpente ictus, & illic ſanatus à voce*
» ἀκεῖσθαι *eum locum ita nuncupaverit.* Stephanus Byzant. ad vocem Ptolemais: *Ptolemais urbs*
» *Phœnices, olim Ace appellabatur à curatione plagæ Herculi inflictæ à ſerpente.* (Et *pag. 537.*)
» Harpocration in Lexico, & (ex illo) Suidas...... *Demetrius propriè arcem Ptolemaïdis olim*
» *Acen dictam ſcribit.* A ſcriptoribus Romanis *Ptolemais* dici conſuevit. (Hieron. *comment. in*
» *Amos cap. 1. verſ. 2. Carmelus juxta Ptolemaïdem, quæ prius vocabatur Acho, mari imminens.*)
» In nummis (autem) appellatur *Colonia Ptolemais.* Erat enim colonia Claudii Cæſaris, teſte
» Plinio (*lib. 5. cap. 19. Colonia,* inquit, *Claudii Cæſaris Ptolemais, quæ quondam Ace.*) Poſtea,
» (idem Reland. *pag. 538.*) neglecto nomine *Ptolemaïdis,* poſtliminio vetus nomen *Acconis*
» (huic) urbi reſtitutum eſt. Solent (quippe) Mohammedani vetuſtiſſima urbium nomina pro
» recentibus ſubſtituere, uti *Aeliam* pro *Hieroſolymis, &c.* Tempore belli ſacri *Acra* nuncu-
» pata eſt, & *Accaron,* & *ſancti Joannis de Acra.* Arabes nunc illam *Acca* nominant.... Sita
» vero eſt ad latus ſeptemtrionale ſinus quem mare mediterraneum efficit, ſic ut ad latus
» occidentale & meridianum mari cingatur. Sinus hic vulgo nunc nautis noſtris dicitur *de*
» *baay van S.t Jan d'Acre,* & inter montem Carmelum atque urbem Acco eſt, olimque videtur totus in regione tribus Aſcher fuiſſe. » Hæc Relandus *p. 539.* qui etiam hanc ejus deſcriptionem refert *pag. 541.* ex Joſepho deſumptam *lib. 2. de bello Jud. cap. 9. Adjacet*

Digitized by Google

hæc urbs Galilææ, ad mare ſita, & in magno campo exſtructa. Cingitur autem montibus; ad plagam quidem Orientalem montibus Galilææ, ad auſtralem Carmelo inde remoto 120. ſtadiis, ad ſeptemtrionalem altiſſimo monte qui Scala Tyriorum vocatur, 100. inde ſtadiis disjunctus. Duorum ſtadiorum intervallo ab urbe amnis Belus labitur, exiguus omnino, ad quem ſepulcrum eſt Memnonis vicinum, habens locum qui nonniſi centum cubitorum ſpatium occupat, & admiratione dignus eſt: eſt enim rotundus & cavus, egerens arenam vitriariam, quam licet plurimæ naves exhauriant, denuò locus repletur. Ptolemais olim ſub Tyro metropoli erat.

Auctor cujuſdam epiſtolæ Gallicè ſcriptæ die prima Martii anno 1733. ex urbe Tripoli Syriæ, has Palæſtinæ ſedes exhibet, ab epiſcopis Græcis actu occupatas, ſcilicet:

Bethleem, cujus archiepiſcopus *Ananias,* in vico Valachiæ commorabatur.

Montem Thabor, cujus epiſcopus appellabatur *Levendius.*

Nazareth, cujus epiſcopus *Dorotheus,* vulgo *Dorothaoux.*

Naplouſam, cujus epiſcopus *Levendius.*

Lyddam, cujus epiſcopus *Leffrendius.*

Elcarak trans Jordanem, cujus epiſcopus *Taouſſani.*

Monet inſuper *Cæſareæ, Acconis, Jaffæ* ſive *Joppes, Gazæ, Agelonis* trans Jordanem, *montis Sinaï,* denique *Hozelis,* prope illum montem, cujus præſul ſe independentem autumat à juriſdictione Patriarchæ Hieroſolymitani, epiſcoporum nomina hactenus ſibi fuiſſe ignota.

Inter ſubſcriptiones epiſcoporum qui ſynodo Sardicenſi anno 347. adfuerunt pro cauſa Athanaſii, hi recenſentur epiſcopi Palæſtinæ, omiſſis eorum ſedibus, *Maximus* (qui archiepiſcopus erat Hieroſolymitanus) *Aetius, Arius, Theodorus, Germanus, Silvanus, Paulus, Claudius, Patricius, Elpidius, Germanus* alter, *Euſebius, Zenobius, Paulus* alter, & *Petrus. Tom. 2. conc. Labb. col. 679.* A.

Iidem Palæſtini epiſcopi, addito *Macrino,* ſubſcripſerunt epiſtolæ, quam eodem anno 347. vel anno ſequenti 348. præfatus Maximus antiſtes Hieroſolymorum ad eccleſiam Alexandrinam, pro reſtitutione ejuſdem Athanaſii, miſit. *Ibid. col. 727.* A. Ex illis epiſcopis, ubi aliquorum ſedes aliunde potuimus noſſe, de iis ſedibus agendo, ipſorum quoque meminimus: cæterorum nomina hic data ſaltem indicant anno Chriſti 347. præſules iis nominibus inſignitos in Palæſtina ſediſſe, & Catholicæ fidei, adverſus Arianos, ſtrenuos fuiſſe pugiles.

Atque hæc ſunt quæ de eccleſiis trium Palæſtinarum patriarchatui Hieroſolymitano ſubjectis, earumque præſulibus Græcis, nobis innoteſcere licuit.

APPENDIX.

COlumna *381.* A. & *coll. ſeqq. hujus to. 3.* pluribus demonſtratum eſt, id quod in Chronico Martini Poloni legitur *de Joanna Papiſſa muliere,* inter Leonem IV. (ſive V. ut ipſe eum nominat) & Benedictum III. ad annum 855. non eſſe illius fœtum, ſed ejus operi, poſt ejuſdem mortem, fuiſſe inſertum, exeunte ſæculo XIII. vel ineunte XIV. Reperi abhinc inſuper in Bibliotheca noſtri conventus SS. Annuntiat. Pariſ. in Collect. Scriptor. German. *to. IX. Rerum Germanicarum, Argentorati anno 1685.* editionem chronici Martini Poloni, de Romanis Pontificibus & Imperatoribus, ſe extendentis uſque ad finem Pontificatus Clementis IV. defuncti anno 1258. in qua editione deeſt omnino Papiſſa, ſed immediate poſt *Leonem CVIII. Papam,* ſequitur *Benedictus CIX. pag.* ſcilicet *363.* Ad latus vero ibidem intra hanc eamdem paginam, ita monet Joannes Cæſar, hujus voluminis probabiliter editor.

JOANNES CÆSAR, *Lectori.*

» Candide lector, ne mireris hoc loco prætermitti Joannem, quem vocant VIII. Fœminam,
» ortam, ut fabulantur, Moguntiæ. Non eraſimus è codice noſtro, ut fortaſſis criminaberis:
» verum, candide, ea quæ ſcripta invenimus, edimus. Nihil plane addidimus, nihil etiam
» ſubſtraximus, ſolum demptis erroribus manifeſtiſſimis librarii manu commiſſis, quos fideliter, ubi viſum fuit, ſuſtulimus.»

En novum argumentum, quo evincitur nihil de Joanna Papiſſa à Martino Polono in genuino ſuo chronico fuiſſe exaratum; quod autem de illa fœmina in eo opere jam à multis ſæculis legitur, puram eſſe interpolationem huic obtruſam.

Digitized by Google

Item *col. 445.* B. hæc de Godefrido Viterbienſi dixeram: *Porro verba quæ Anonymus Gallus fabulæ propugnator citat, in Pantheone Godefridi hujus editionis minime reperiuntur.* Tunc, fateor, quodam catalogo, quo Pantheonis Godefridi pars 20. totumque chronicon terminatur, reperto, ubi nulla mentione facta de Papiſſa, Leoni IV. immediate aſſignatur ſucceſſor Benedictus III. hunc illum ipſum eſſe bona fide exiſtimavi, quem Joannæ patroni opponebant, & Blondellus quoque recitabat. Neque enim vel leviter ſuſpicatus ſum, initio hujus partis 20. alium ineſſe catalogum in quo occurrerent verba objecta, *Papiſſa Joanna non numeratur.* Et certe quis ſibi in mentem prima fronte adducat, apud aliquem auctorem, in eadem operis ſui parte, paucis ab invicem paginis, duplicem exiſtere ejuſdem argumenti tractatum! Idipſum fortaſſis & noſtros ſimiliter fefellit adverſarios, qui lecto in limine partis 20. Pantheonis catalogo cui innituntur, alterum ad calcem hujus operis non cogitarunt extare, quem etiam propterea ſiluerint. Ut ut ſit, lectores non monent illi de duplici eo catalogo, nec aiunt verba ab ipſis allata legi in illorum priori, non in poſteriori.

Sciant ergo lectores, quod à paucis duntaxat diebus ego detexi, duplicem apud hunc Godefridum, Pantheonis parte 20. ſuppetere Romanorum Pontificum & Imperatorum catalogum, unum initio hujus partis à *col. 535.* uſque ad *col. 549. edit. Piſtorianæ Hanov. 1613.* alterum in fine, à *col. 563.* uſque ad *col. 580.*

In priori quidem catalogo haberi, *col. 543. lin. 30.*

» Leo IV. Papa, ſedit annis 8. menſibus 5.
» Papiſſa Joanna non numeratur.
» Benedictus Papa, ſedit annis duobus. »

In poſteriori vero nihil prorſus inveniri de Papiſſa, *ibid. col. 57. poſt lin. 30.*

Leo Papa, ſedit annis 8. menſibus 5. ſub eodem Lothario & filio ejus Ludovico.

Benedictus Papa, ſub eodem (poſueram intra duas parentheſes ea verba referens ſupra *col. 445.* B. *Ludovico,* ſed de Lothario adhuc vivente & cum filio imperante intelligendum modo patebit,) ſedit annis duobus.

Diſtinctio temporum. (Duo hæc vocabula ſæpius recurrunt in iſto catalogo, nullatenus autem in altero.)

Ludovicus Imperator regnat poſt patrem ſuum. (Obiit quippe Lotharius ea ipſa die 29. Septemb. 855. qua Romæ jam à duobus menſibus & amplius electus in Papam Benedictus ordinatus eſt.)

Dicent proculdubio fabulæ propugnatores, ſaltem palam eſſe ex priori Godefridi catalogo, ejus ævo non ignotam fuiſſe Papiſſæ hiſtoriam, ſæculo nimirum XII. exeunte, contra quod tam fidenter aſſerueram, hanc apud nullum ſcriptorem legi ſæculo XIII. anteriorem.

Verum mihi omnino conſtat, priorem illum catalogum, genuinum non eſſe Godefridi fœtum, ſed illi adſcititium quid, ab alio recentiori auctore, ex ejus catalogo poſteriori, concinnatum: unde iiſdem ſæpius verbis exprimitur, & ſub Urbano III. Papa & Henrico VI. rege pariter definit. Id profecto plura & graviſſima momenta evincere videntur.

1.° Enim, ut quid Godefridus in eadem ſui chronici parte 20. duos, non longè ab invicem, Romanorum Pontificum & Imperatorum catalogos contexuerit! Ingenioſe profecto ad rem ſuam fabulæ patroni de duplici catalogo ſiluerunt, ſi noverant, ſoliuſque meminere prioris quaſi unicum ſcriptor ille confeciſſet. Adverterunt utique viri perſpicaces, duplici memorato catalogo in cujus poſteriore nequicquam inveſtigaretur Papiſſa, ſe prorſus cauſa caſuros cordati lectoris judicio, qui ſtatim conjiceret alterutrum ex illis catalogis Godefrido ſupponi, eumque probabilius in quo verba ab ipſis objecta reperiuntur. Cur enim utrobique non extarent!

2.° Duos illos catalogos ab uno eodemque calamo non proceſſiſſe, colligitur ex illorum diſcrepantia ab invicem circa durationem regiminis plurimorum Pontificum & Imperatorum: nam ſi hæc varietas ab ipſo utriuſque ſcriptore originem duceret qui unum altero feciſſet emendatiorem, quorſum utrumque, nulla monitione præmiſſa, ſuo inſeruiſſet Pantheoni! Nonne dictabat vel ſola ratio naturalis, quidquid ipſe in uno ex illis catalogis cenſura & correctione dignum duxerat, id minime deberi lectorum oculis in altero ſubjacere, qui

Digitized by Google

exinde perplexi fierent quiſnam præciſe illorum, in iis quæ inter ſe non cohærere deprehenduntur, foret præferendus? Hujus diverſitatis nonnulla ſpeciminis ergo juvat proferre exempla.

Prior.	*Poſterior.*
Petrus Apoſtolus ſedit (Romæ) annis 25. menſibus 5. diebus 4. *col. 535. lin. 10.*	Petrus Apoſt. &c. Romæ autem in Papatu, ſedit annis 25. menſibus 2. diebus 4. *col. 563.* ante *lin. 10.*
Evariſtus Papa, ſedit annis 9. menſibus 5. diebus 10. *ibid.* poſt *lin. 20.*	Evariſtus Papa, ſedit annis 9. menſibus 10. diebus 2. *ibid.* poſt *lin. 30.*
Anicetus, annis 10. menſibus 4. diebus 3. *ibid.* poſt *lin. 30.*	Anicetus, annis 11. menſibus 6. diebus 3. *col. 565.* ante *lin. 30.*
Eleutherus, annis 11. menſibus 9. diebus 3. *ibid. lin. 40.*	Eleuth. annis 15. menſibus 9. diebus 3. *ibid.* ante *lin. 40.*
Fabianus, annis 12. menſibus 2. diebus 11. *col. 537.* poſt *lin. 10.*	Fabianus, annis 14. menſibus 11. diebus. 11. *col. 566.* poſt *lin. 40.*

Inter Imperatores vero:

Claudius (I.) annis 14. menſibus 5. *col. 536. lin. 10.*	Claudius, annis 14. menſibus 8. *col. 563. lin. 20.*
Decius, anno uno, *col. 538. lin. 20.*	Decius, annis 3. *col. 567.* poſt *lin. 10.*
Claud. (II.) anno uno, *ibid.* ante *lin. 10.*	Claud. anno uno, menſibus 9. *col. 568.* ante *lin. 10.*
Conſtantinus (id eſt Conſtantius) cum Conſtantino & Conſtante fratribus, an. 34. m. 5. d. 23. *ibid. lin. 50.*	Conſtantius cum Conſtantino & Conſtante, annis 24. menſibus 5. diebus 23. *col. 570. lin. 10.*

Plura alia hujuſmodi prætereo, quibus, nî fallor, palam omnino fit, duos illos catalogos duplicis eſſe concinnatoris fœtus, quorum unus recentior, Pontifices & Imperatores promiſcuè extantes in Godefridi catalogo ſecundum quod ſimul vixerunt, ipſe in ſuo diſtinctis columnis collateraliter exhibuit, ut facilius lectori adſtarent; tempora etiam quibus præfuerunt, aliter in multis illorum cenſuit ordinanda, & quia poſt enatam Papiſſæ fabulam ſcribebat, proindeque non citius ſæculo XIII. hanc inveniens omiſſam inter Leonem IV. & Benedictum III. in Godefridi catalogo, ubi revera deeſt, ipſe eam omiſſionem notavit appoſitis his verbis: *Papiſſa Joanna non numeratur:* quæ ſubinde nihil aliud ſignificant, quam cæteris illam non accenſeri Pontificibus in Godefridi catalogo.

3.° Nonniſi unum Godefridus, in præfatione ad ſuum Pantheonem, pollicetur Romanorum Pontificum & Imperatorum catalogum, quem iis indigitat ſignis quæ illorum poſteriori & totius operis coronidi conveniunt, non priori. Sic quippe loquitur *pag. 3.* » Materia totius libri eſt, univerſum vetus & novum Teſtamentum, & univerſi Imperatores, » Reges, & regna, quæ fuerunt, vel ſunt ab initio mundi uſque ad tempora noſtra, quorum » omnium notamus originem & finem, nomina, ætates, & geſta. Sola itaque nomina » regnorum, ad majorem evidentiam, in præſenti procemio duximus ſubroganda: Babylo- » niorum regnum, Aſſyriorum, &c.» (quæ tamen hîc non exhibet eo ordine quo ſunt in » ſuo chronico:) & poſt eam enumerationem ſubdit: « Similiter poſt omnes reges, poſuimus » etiam hiſtorias Imperatorum; item omnium Pontificum Romanorum geſta, & annos, & » menſes, & dies, nominaque eorum: à beato Petro uſque ad venerabilem Urbanum III. » Papam: & uſque ad Dominum Imperatorem Fridericum I. & ad filium ejus Dominum regem Henricum VI. feliciter. Amen.» Sic finit ejus præfatio. Stat quidem promiſſis Godefridus in catalogo poſteriori, quo hiſtoriam diverſorum regnorum, & totum opus terminat: at minime in priori, qui illam hiſtoriam à *col. 549.* ad *col. 562.* contentam antecedit; nihil enim in eo de geſtis Pontificum ac Imperatorum recenſet. Poſteriorem igitur ſolum ſibi propoſuit conficere & reipſa edidit catalogum Godefridus, non vero alterum, cujus conſequenter aliquis alius parens eſt.

4.° Demum, Gobelinus Perſona, quem Henricus Meibomius junior, in præfatione ad chronicon hujus ſcriptoris, *tom. 3. Rerum Germanicarum Helmeſtad. 1688.* ait natum anno 1358. in antiqua Saxonia nunc Weſtphalia dicta, quemque ex Godefridi Viterbienſis chronico quædam excerpſiſſe agnoſcit. Hic, inquam, Gobelinus Leonis IV. immediatum ſucceſſorem deſignat Benedictum III. prætermiſſa prorſus Papiſſa, licet hæc ſuo tempore minimè ignoraretur. En ejus verba, ætate VI. *pag. 245.* « Leo IV. natione Romanus, ſedit » annos 8. menſes 3. &c. Benedictus, natione Romanus, ſedit annos duos, menſes quinque. » Contra illum electus eſt Anaſtaſius, ſed legatus Lotharii Imperatoris, capto Anaſtaſio, » Benedictum reſtituit. Nicolaus ſedit annos 9. menſes duos, dies 15.» Inferius autem, *pag. 253.* factum quoddam referens quod contigit imperante Othone III. « Otto Imperator, » inquit, prout in quadam chronica, (notat Meibomius intra duas parentheſes, vide *Godefridum Viterbienſem parte chronici 17.*) legitur, &c.» Geſtum iſtud revera extat fuſius &

Digitized by Google

verſibus exaratum, Pantheonis Godefridi *part. 17. col. 481.* & *ſeq. Item de III. Othone Imperatore, verſibus ſubrogatur:*

Eſt juxta Mutinam, Comitis domus, Amula dicta, &c.

Gobelinus ergo iſte qui Pantheonem Godefridi evolverat, alium in eo non reperit catalogum, quàm poſteriorem à quo exulat Papiſſa, prior ſubinde, vel tunc conflatus non erat, vel deerat in exemplari quo ipſe utebatur, vel ab illo ut ſpurius parentiſque recentioris proles rejectus eſt.

Maneat itaque inconcuſſum, Godefridi ævo, ſæculo ſcilicet XII. exeunte, nondum lucem aſpexiſſe Joannæ Papiſſæ fabulam, quam nec ipſo ineunte ſæculo XIII. ſcriptoribus notam, evidens videtur ex Foſſæ Novæ chronico, Joanne Ceccano auctore, apud Ughellum ad calcem *tom. 1. Ital. ſac. vet. edit. col. 449.* qui pervetuſtum exemplar manuſcripti hujus cœnobii chronicon illud continens primus edidit: incipit autem à Chriſto, & cum anno 1217. deſinit. In eo nihil de Joanna Papiſſa. Sed ita legitur *col. 458.* B. C.

» 847. Indict. X. Leo IV. ſedit annis 8. menſibus 3. diebus 6. & ceſſabit (ceſſavit, id eſt
» vacavit ſedes,) menſibus duobus, & diebus quindecim.
» 850. Indict. XIII. Lotharius cum Ludovico filio imperavit annis 5.
» 855. Indict. III. (ſcilicet uſque ad menſem Septembrem) Ludovicus imperavit annis
» decem & novem.
» 856. Indict. IV. Benedictus III. annis duobus, menſibus ſex, diebus decem, & ceſſavit
» diebus quindecim.
» 858. Indict. VI. Nicolaus I. ſedit annis 8. menſibus 2. diebus 20.»

Ex his omnibus concludo, ſi in exemplari manuſc. Pantheonis Godefridi Viterbienſis, quod typis mandavit Baſilius Joannes Heroldus, prior catalogus Romanorum Pontificum & Imperatorum, ubi de Joanna Papiſſa fit mentio, eadem manu exaratus reperiatur, illud exemplar certiſſime interpolatum eſſe, nec antiquius ad ſummum ſæculo XIII. exeunte, & poſt enatam jam Papiſſæ fabulam, de qua nullus auctor qui prius ſcripſerit, ſe vel leviſſimam indicavit habuiſſe notitiam.

Digitized by Google

PATRIARCHATUUM ORIENTIS PRÆSULES RITUS LATINI.

DISSERTATIO PRÆLIMINARIS.

Ratio operis.

I. DE ſingulis hucuſque Patriarchatibus Græci ritus Orientis, eorumque appendicibus, multa fusè dicta ſunt; de illorum ſcilicet primordiis, inſtitutione, amplitudine, eccleſiaſtico regimine, aliiſque ad eos ſpectantibus; ſucceſſiones quoque Patriarcharum, ac præſulum inferiorum, prout ad unumquemque Patriarchatuum pertinebant, ſubjunctæ. Quia tamen epiſcopi Latini ritus, earumdem eccleſiarum plurimas gubernarunt, à ſæculi XI. exitu, & deinceps per nonnulla ſæcula; aliæque item ſedes paſſim per Orientis plagas à Latinis inſtitutæ ſunt, ſuſcepti operis ratio exigit ut de eo Latinorum regimine eadem fere methodo nunc agamus. Latinos itaque Patriarchas exhibebimus, qui, occaſione bellorum ſacrorum, Antiochiæ, Hieroſolymis, Conſtantinopoli & Alexandriæ præfuerunt, unàque metropolitas & epiſcopos quos illi ditionum ſuarum urbibus præfecere. Sed prius, de novorum ejuſmodi Patriarcharum inſtituendorum cauſa, de illorum juriſdictione, ac de ſingularum diœceſeon adminiſtratione, quædam prælibanda videntur.

Quandonam Patriarchæ ritus Latini in Oriente inſtitui cœperunt.

II. Patriarchæ ritus Latini creari cœperunt in Orientis partibus, poſt expugnatam à Francis & Latinis urbem Antiochiam anno 1098. Huic quidem eccleſiæ tunc præerat Joannes III. Græci ritus Patriarcha: at quia ſibi non arridebant Latinorum mores & ceremoniæ, dimiſit eam ſedem intra biennium, & Conſtantinopolim ſeceſſit. Ipſi itaque principes exercitus Cruce ſignatorum præſulem Latinum ſuffecerunt. Simili modo, Symeone Patriarcha Hieroſolymorum, quo tempore urbs ſancta ab iiſdem Cruce ſignatis obſidebatur, defuncto in Cypro inſula quo ſe Mohammedanorum metu receperat, Godefridus Bullonius, Hieroſolymis expugnatis, rex à principibus exercitus proclamatus, Patriarcham Latinum, ex iis electum qui expeditionis ſacræ comites fuerant, illi ſubrogari curavit. Denique quum initio ſæculi XIII. urbs Conſtantinopolitana in poteſtatem deveniſſet Cruce ſignatorum qui in Palæſtinam pergebant, illi quoque in ea urbe Latinum ſibi præfecerunt Patriarcham.

Alexandrinæ eccleſiæ non reperitur tunc datus Patriarcha Latini ritus.

III. Quod ad Patriarchas Latinos Alexandriæ attinet, hinc inde quidem hujuſmodi Patriarcharum mentio aliqua occurrit apud ſcriptores: verum quandonam inſtitui cœperit Latinus iſte Patriarchatus, quiſve primus illorum Patriarcharum fuerit conſtitutus, obſcuriſſimum eſt; non enim Latini principes Alexandria urbe potiti ſunt, niſi anno 1365. quo eam Petrus rex Cypri cœpit, & ſtatim reliquit, ita ut nullus antiſtes ritus Latini in ea urbe reipſa unquam ſederit. Sæculo autem decimo-tertio ineunte hujus eccleſiæ Melchitis Nicolaus præſidebat, qui Innocentii III. Papæ fovebat communionem, ut ex epiſtolis conſtat quas ſibi mutuo ſcripſerunt. Raynald. ad annum 1223. *num. 9.* refert ejus epiſtolam ad Honorium III. cujus titulus eſt: *Reverendo Patri ac Domino Honorio Dei gratia ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummo Pontifici, & univerſali Papæ, Nicolaus eadem gratia Alexandrinæ ſedis humilis Patriarcha, tam promptam quam debitam reverentiam.*

Damiata Latinis brevi tempore ſubdita.

Damiatam quidem maritimam Ægypti urbem anno 1219. die 5. Novembris, ſibi Cruce ſignati ſubjecerunt, ſed eamdem paulo-poſt recuperarunt Saraceni. Hanc rurſum à S. Ludovico Francorum rege anno 1249. præfatis infidelibus ereptam, brevi admodum ſub archiepiſcopi titulo præſul adminiſtravit Latinus, eam enim Mohammedanis reſtituere coactus eſt Ludovicus; præſul vero ad Tyri metropolim tunc vacantem tranſiit.

Digitized by Google

Patriarcha Antiochenus, è Græco ritu, conſentiente Boamundo, decernitur aſſumendus inpoſterum.

IV. Boamundus, qui princeps Antiochiæ, ea capta, à Ducibus Cruce ſignatorum renuntiatus fuerat, pacem iniit anno 1108. cum Alexio Comneno Imperatore Conſtantinopolitano, inter cujus articulos unus fuit, ut Antiochenus Patriarcha deinceps, non ex gente Francica vel Latinorum, ſed de Græca, & de Byzantinæ eccleſiæ clero aſſumeretur. Formam juramenti refert Anna Comnena, Alexiados *lib. 13. edit. Poſſini Soc. Jeſu, Pariſ. anno 1651. pag. 413.* A. in hunc modum Συμφωνῶ δὲ καὶ ἐπόμνυμι τὸν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ Ἀντιόχου πρεσβευόμενον Θεὸν ὡς οὐκ ἐκ τοῦ ἡμετέρου γένους Πατριάρχης ἔσται Ἀντιοχείας, ἀλλ' ὃν ἂν προβαλεῖται ἡ βασιλεία ὑμῶν, ἐκ τῶν θρεμμάτων τυγχάνοντα τῆς κατὰ τὴν Κωνσταντινούπολιν μεγάλης ἐκκλησίας· ὁ τοιοῦτος γὰρ καὶ τοῦ θρόνου τοῦ κατὰ τὴν Ἀντιόχου ἐπιβαίη καὶ πάντα πράξει ἀρχιερατικῶς, ἔν τε χειροτονίαις, καὶ ταῖς λοιπαῖς ἐκκλησιαστικαῖς ὑποθέσεσι, κατὰ τὰ τοῦ θρόνου τοῦδε προνόμια. *Promitto etiam & jurans teſtor eum qui in eccleſia Antiochiæ oratur & adoratur Deum, non futurum Antiochiæ Patriarcham ex noſtro genere: ſed eum quem veſtra Majeſtas in eam dignitatem promoverit, delectum è numero alumnorum magnæ Conſtantinopolitanæ eccleſiæ. Hic talis ejuſmodi obſervatione electus aſcendat thronum Antiocheni Patriarchatus, & quæ ſummo loci ejus antiſtiti competunt in impoſitionibus manuum, & in cæteris eccleſiaſticis functionibus, juxta ritus ejus eccleſiæ legitimos obeat.*

Id à Latinis obſervatum non fuit, qui Latinum præſulem Antiochiæ præficere non deſtiterunt.

Hoc pacti conventi caput, licet, ut tradit Cynnamus *lib. 4. hiſt. capp. 18. & 20.* ſub Manuële Comneno Alexii nepote denuo ſancitum, minime obſervatum fuit à Latinis. Imperatores autem Conſtantinopolitani aliquem è ſuis Græcis in Antiochenum Patriarcham eligi & apud ſe ordinari curarunt, ſaltem quo ad titulum, ne antiſtitum Græcorum hujus ſedis interrupta ſeries cenſeretur: eodem quoque modo eccleſiæ Hieroſolymorum providerunt de Patriarcha Græco. Iſti porro Patriarchæ Græci, vel Conſtantinopoli, vel in vicinis quibuſdam monaſteriis degebant: qui mos perſeveravit uſquequo Franci & Latini à Mohammedanis Antiochia, Syria, ac omni Palæſtina ejecti fuere ſub finem ſæculi decimi-tertii.

Diſpoſitio eccleſiarum ſub Patriarchis Latinis.

V. Non eadem vero fuit, ſub Latinis, eccleſiarum diſpoſitio in Patriarchatibus Antiocheno & Hieroſolymorum, quæ antehac ſub Græcis: nam ab antiquo quidem tempore Tyrus cum omni Phœnice prima, cujus hæc metropolis erat, Antiochenæ diœceſis prima ſedes numerabatur; at ubi hæc à Balduino II. Hieroſolymorum rege Veneticæ claſſis auxilio Latinis parta fuit, Hieroſolymitanæ ſedi ſubdita eſt, aſſentiente Innocentio II. Papa, ea tamen lege ut epiſcopatus tres Tyro metropoli auferrentur, ac Antiocheni Patriarchæ juris remanerent, Byblus ſcilicet, Anteradus, & Tripolis Syriæ.

Exordium Patriarchatus Latini in urbe Conſtantinopolitana.

VI. Exordium Patriarchatus Conſtantinopolitani Latini ritus jam ſupra dictum eſt *num. 2.* initio ſæculi decimi-tertii ſtatuendum. Poſtquam enim Cruce ſignati an. 1204. hac regia urbe expugnata, Balduinum Flandriæ Comitem in Imperatorem Orientis elegere, novum quoque ſui ritus erexerunt Patriarchatum, cujus juriſdictioni aſſignatæ ſunt regionum illarum eccleſiæ quæ tunc eorumdem armis ſubactæ fuerunt: [inter quas nihilominus Innocentius III. ut refertur *in tract. de geſt. ejus, to. 1. epiſtol. hujus Papæ, edit. Baluz. p. 64. col. 2.* eas excepit, quæ antea non fuerant ſedi Conſtantinopolitanæ ſubjectæ: *Subſequentem vero petitionem,* inquit, ad Thomam reſpondens primum Conſtantinopolitanæ ſedis Patriarcham, *qua eccleſias illas tibi ſubjici poſtulabas, quæ priuſquam Conſtantinopolitana civitas caperetur Conſtantinopolitano Patriarchæ minimè reſpondebant, duplici ratione non duximus admittendam, &c.*] Quænam vero fuerint hujuſmodi provinciæ, ex chronico Alberici colligitur ad annum 1205. *pag. 439.* ubi ait: *Apud Conſtantinopolim uno tantum anno Imperator Balduinus imperavit. Ultra brachium ſancti Georgii apud Nicænam, unde dicta eſt ſynodus Nicæna* (hîc nonnulla deſunt de Græcorum eo ævo Imperatore qui Nicæam ſe receperat.) *Uno ſimiliter anno regnum obtinuit Comes Ludovicus. Et Marchio Montisferrati apud Theſſalonicam rex eſt conſtitutus. Otto de Rupe cujuſdam nobilis Pontii de Rupe in Burgundia filius, quodam miraculo fit dux Athenienſium atque Thebanorum. Gaufridus de Villa Harduini Joannis filius, nepos Gaufridi Campaniæ mareſcalli Montionis inſulam, id eſt, Sicyonis, & Achaïam, & civitatem Mycenas obtinuit. Lacedemonia & Corynthus, Andrenopolis* (Meſſinopolis) *& Philippis civitates Græciæ licet à nobis fuerint acquiſitæ, poſtea tamen fuerunt perditæ. Similiter quædam inſula non longe à Conſtantinopoli ultra brachium vocatur Azycum* (Cizicum) *ſive Kyzicum, id eſt, Eskiſia* (Eskiſin) *metropolis erat, cujus ſuffraganea fuit Troja ſive Troada, & ad duas dietas continuatur Mitilenenſis inſula, quæ epiſcopum* (archiepiſcopum) *habet.* Hucuſque chronicon, in quo regiones ad ſeptemtrionem poſitas, Thraciam, Rhodopen, & alias Bulgariam uſque novam, quin etiam Bithiniæ partem omiſit auctor ille quem Albericus exſcribebat. Eas igitur provincias Conſtantinopolitanus antiſtes Latini ritus adminiſtravit, quandiu Conſtantinopoli ſedere fas ei fuit, hoc eſt, uſque ad annum 1261. quo Michaël Palæologus regiam hanc urbem

Digitized by Google

recuperavit. Achaiam autem, Peloponneſum, & inſulas Ægæi maris, Latini retinuerunt, ad tempora uſque graſſationis Tamerlani, aliaque etiam Græcorum loca adhuc diutius.

Quænam auctoritas Patriarcharum Latinorum.

VII. Quum ſumma eſſet Patriarcharum Græcorum in omnes diœceſium ſuarum ſedes auctoritas, & præſertim præſulis Conſtantinopolitani, quæ ab ea non diſcrepabat, qua Romani Pontifices per omnes occiduarum gentium regiones jus dicebant: Patriarcharum Latinorum juriſdictio ad anguſtiores longè terminos coarctata fuit. Hujus adminiſtrationis formam diſertiſſime exponit Innocentius III. litteris ſuis apoſtolicis, quibus præfati *Thomæ* in primum Patriarcham Conſtantinopolitanum Latini ritus electionem confirmavit, *Tractatus de ejuſdem Papæ geſtis præfixi to. 1. edit. Baluz. pag. 60. col. 2. n. 98.* Recepto enim ab eo fidelitatis & obedientiæ juramento, ſub tenore antiquo & approbato, quo primates & metropolitani pallium ſuſcipientes uti ſolent, privilegium Patriarchale his verbis ei conceſſit.

Privilegia Patriarcharum ritus Latini.

» Prærogativa dilectionis & gratiæ quam apoſtolica ſedes exhibuit eccleſiæ Byzantinæ, quum eam in Patriarchalem ſedem erexit, eccleſiaſticæ plenitudinem poteſtatis, quam non homo, ſed Deus, imò verius Deus homo in beato Petro eccleſiæ Romanæ conceſſit evidenter atteſtatur, &c. Licet autem eadem eccleſia interdum ab obedientia ſedis apoſtolicæ declinaverat; quia tamen ad eam per Dei gratiam humiliter eſt reverſa, tuis precibus annuentes, eamdem eccleſiam, cui, Deo actore, præeſſe dignoſceris, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Præterea quaſcunque poſſeſſiones, & quæcunque bona eadem eccleſia inpræſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, &c. *uſque* adipiſci; firma tibi, tuiſque ſucceſſoribus & illibata conſiſtant. Libertates etiam & immunitates ejuſdem eccleſiæ, ac conſuetudines rationabiles, & antiquas, quæ apoſtolicæ ſedis non obviant inſtitutis, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas permanere ſancimus. Pallium quoque, inſigne videlicet plenitudinis Pontificalis officii, fraternitati tuæ apoſtolicæ ſedis liberalitate largimur, quo intra eccleſias tuæ juriſdictioni ſubjectas, in ſolemniis miſſarum utaris diebus inferius denotatis: videlicet in Nativitate Domini, feſtivitate Protomartyris Stephani, Circumciſione Domini, Epiphania, Hypapante, Dominica in ramis palmarum, Cœna Domini, Sabbato Sancto, Paſcha, feria ſecunda poſt Paſcha, Aſcenſione, Pentecoſte, tribus feſtivitatibus ſanctæ A Mariæ, natali ſancti Joannis-Baptiſtæ, ſolemnitatibus Apoſtolorum, commemoratione omnium Sanctorum, dedicationibus eccleſiarum, epiſcoporum conſecrationibus, ordinationibus clericorum, principalibus feſtivitatibus eccleſiarum tuarum, & anniverſario conſecrationis tuæ die, & tam Imperatoris, quam aliorum magnatum & principum ſepulturis. Ad indicium etiam gratiæ plenioris, auctoritate tibi præſentium indulgemus, ut archiepiſcopis ſuffraganeis tuis uſum pallei præſentis indulgentiæ auctoritate concedas, B ab eis pro te quod canonicum fuerit, pro nobis autem & eccleſia Romana ſponſionem obedientiæ recepturus. Porro crucem, videlicet vexillum Dominicum, per quemcunque locum te tranſire contigerit, excepta urbe Romana & loco in quo fuerit Romanus antiſtes, ante te deferendi licentiam impartimur, & in proceſſionibus tuis tibi concedimus uſum nacci. Præſenti ſcripto nihilominus ſtatuentes, ut univerſi clerici cujuſcumque nationis & gentis in civitate vel diœceſi Conſtantinopolitana eccleſias vel eccleſiaſtica be- C neficia obtinentes, tibi, & eccleſiæ Conſtantinopolitanæ reverentiam exhibeant debitam & devotam: ſalva tamen in omnibus apoſtolicæ ſedis auctoritate, reverentia, & honore. « Data eſt apud ſanctum Petrum III. kalend. Aprilis (id eſt die 30. Martii) anno pontificatus ejus octavo (Chriſti 1205.)

Quædam alia privilegia.

Aliis litteris, *ibid. pag. 61. col. 2.* eidem Thomæ Innocentius III. conceſſit, ut ſubditos ſuos, qui in clericos, & alios viros religioſos manus injecerint violentas, auctoritate & vice ipſius, ſecundum eccleſiæ for- D mam, abſolveret, niſi forſan ita enormis fuerit exceſſus, ut meritò credat eos ad ſedem apoſtolicam deſtinandos. Falſariorum quoque abſolutionem ejus fraternitati commiſit, ſi forſan in ſigillo vel ipſius vel ſubditorum vitium commiſerint falſitatis. Ei etiam perſonaliter indulſit, ut ſi qui reges Conſtantinopolitano Imperio ſubditi, fuerint inungendi, modo tamen ab eo inunctio poſtuletur, & imperialis aſſenſus accedat, illos inungere poſſet: utque in diebus Dominicis, & præcipuis ſolemnitatibus, quum neceſſe E fuerit, perſonas idoneas in ſubdiaconos valeret promovere.

Patriarchæ Latini ritus pallium à Romano Pontifice petere tenebantur.

Uſum pallii à Romano Pontifice petere tenebantur Patriarchæ Latini ritus, & ab eodem recipere: unde quum Rudolphus ſecundus Patriarcha Antiochenus pallium de altari beati Petri in ſua eccleſia ſumere attentaſſet, pro more veriſimiliter deceſſorum ſuorum Græci ritus, id ægrè tulit Innocentius II. Papa, qui voluit ut Romam veniret, dimiſſoque illo pallio, aliud reciperet de

Digitized by Google

corpore beati Petri. Ita refert Willelm. Tyr. *de bello ſac. lib. 14. cap. 10.* & *lib. 15. cap. 13.*

Præcipua Patriarcharum Latini ritus prærogativa.

VIII. Præcipuam Patriarcharum Latini ritus prærogativam in eo conſtitiſſe liquet ex dictis, quod ſuarum diœceſium metropolitanos & archiepiſcopos, tum ordinarent, tum pallio donarent, accepto ab illis prius ſacramento, quo ſanctè ſponderent, non Patriarchæ duntaxat ſuo, ſed Romanæ inprimis ſedi obedientes futuros, quemadmodum apud nos fit. Epiſcoporum itaque & metropolitanorum electio ad eccleſiarum capitula de priſco jure ſpectabat, epiſcoporum autem confirmatio & conſecratio ad metropolitanos, ſicut metropolitanorum ad Patriarcham. Atque hæc conſuetudo duravit pro uno quoque Patriarchatu, quandiu Patriarchæ ſinguli ſuarum regionum eccleſias reliquiaſve tenuerunt.

Facultas eligendi Patriarchas Latini ritus capitulis poſtea ſublata.

IX. Poſt Palæſtinam omnemque Syriam Mohammedanorum armis iterum ſubactas, Francis ac Latinis inde ejectis, Antiochenæ atque Hieroſolymitanæ eccleſiarum canonici Latini ritus aliò ſe receperunt, atque, ut apparet, in inſulam Cyprum, ibique Patriarcharum ejuſdem ritus qui nuper occubuerant ſucceſſores more priſtino elegerunt. At Bonifacius VIII. x. kal. Jan. id eſt die 23. Decemb. anno 1301. ejus Pontif. 7. cavendum ducens ne aliqui in Patriarchas renunciarentur qui ad id muneris minus eſſent idonei, unde Patriarchæ nomen & dignitas ſumma vileſceret, illorum electionem capitulis ademit, ſibique reſervavit, Romaniſque Pontificibus inpoſterum, quandiu illæ regiones in infidelium vel ſchiſmaticorum poteſtate remanerent. Apud Raynald. ad annum 1301. *num. 24.*

Tranſlationes epiſcoporum Patriarchis Latini ritus interdictæ.

X. A Patriarchis Latini ritus poteſtas ſublata eſt transferendi epiſcopos ſuæ ditionis de una ſede in aliam. Id namque vetuit Innocentius III. ipſo primo ſui Pontificatus anno, Chriſti 1198. epiſtola 50. ad Antiochenum Patriarcham, apud Baluzium *to. 1. epiſtolar. hujus Papæ, lib. 1. pag. 28. col. 2.* Quum enim Patriarcha ille, *prædeceſſoris ſui exempla ſequutus qui motu propriæ voluntatis Mamiſtanum* (præſulem) *in Tharſenſem* (eccleſiam) *dicebatur tranſtuliſſe, La. quondam Apamienſem* (epiſcopum) *in Tripolitanam eccleſiam tranſtuliſſet,* ait Innocentius, *ex illo generali privilegio quod beato Petro, & per eum eccleſiæ Romanæ Dominus noſter indulſit, canonica poſtmodum emanaſſe inſtituta continentia majores eccleſiæ cauſas eſſe ad ſedem apoſtolicam perferendas: ac per hoc tranſlationes epiſcoporum, ſicut depoſitiones eorum, & ſedium mutationes, ad ſummum Apoſtolicæ ſedis antiſtitem de jure pertinere: nec ſuper his præter ejus aſſenſum aliquid debere attentari, &c.* Data eſt *Laterani XVI. kal. April.* (id eſt, die 17. Martii) anno 1198.

Græci præſules à Patriarchis Latinis ritu Romano conſecrandi decernuntur.

XI. Ex quo complures Orientis regiones in Francorum Latinorumque poteſtatem venere, multi præſules Græci, Latini nominis odio, ſuas ultro ſedes reliquerunt; nonnulli tamen, ſolum vertere nolentes, archiepiſcopis Latini ritus ſeſe ſubjecerunt, ac communionem amplexi ſunt Romanam. Quum vero Orientales epiſcopi in ordinationibus ſuis unctiones non adhibeant, Innocentius Papa quæſitus à Patriarcha Conſtantinopolitano, num Pontifices Græci chriſmate ſacro inungendi eſſent, ei reſpondit *epiſt. 23. lib. XI.* apud eundem Baluz. *to. 2. pag. 146. col. 2.* *Epiſcopos Græcos ad Patriarchæ obedientiam redeuntes,* (qui) *præſtito ipſi corporaliter juramento, & ſibi* (Papæ) *obedientia promiſſa, inungi renuunt juxta conſuetudinem Latinorum.... quod ſi ii qui jam conſecrati ſunt induci nequeunt ut recipiant unctionem, id in hac novitate ſub diſſimulatione poſſit pertranſire; conſecrandos vero nullatenus conſecret, niſi more Latino voluerint conſecrari, quum nos ipſi,* inquit, *Græcos nonniſi juxta noſtram conſuetudinem conſecremus.* Data fuit *Laterani VIII. Idus* (id eſt die 8.) *Martii anno XI.* (Chriſti 1208) Id quoque definit pro Bulgaris in epiſtola ad Trinovitanum archiepiſcopum, quem ipſis primatem, & quaſi Patriarcham præfecerat, *lib. de geſtis Innoc. III. ibid. initio to. 1. num. 75. pag. 37. col. 1.*

Non recenſentur præſules in partibus infidelium.

XII. Porro illos duntaxat, tam Patriarchas, quam inferiores epiſcopos Latini ritus hîc recenſere juvat, qui, vel reipſa epiſcopales Orientalium regionum ſedes occuparunt, vel ad eas aliquando regendas data opera deſtinati erant, quandiu ſpes fuit eas iterum Latinorum armis ſubigendas fore. Neque enim omnino intereſſe duxerim indices ſcribere tot epiſcoporum, qui inpræſentiarum, ſine clero & populo, ſub eccleſiarum Orientalium titulis ordinati, *in partibus Infidelium* dicuntur, & in aliorum præſulum Occidentis diœceſibus, vice ipſorum, pontificalia obire munia ſolent: quanquam non omittendum epiſcoporum iſtud genus, à primis illis epiſcopis Latinis, qui bellorum ſacrorum temporibus inſtituti ſunt, eſſe derivatum.

Digitized by Google

PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI LATINI RITUS.

PRIUSQUAM de Patriarchis Conſtantinopolitanis ritus Latini diſſeramus, hæc pauca iis quæ fusè dicta ſunt initio tomi 1. iſtius operis addenda ducimus de urbe Byzantio ſive Conſtantinopoli, ex Mich. Ant. Baudrand deſumpta *geogr. tom. 1. pag. 201. col. 1.* & *pag. 295. coll. 1. & 2.*

Byzantium, urbs Thraciæ Straboni, Polybio, & aliis, *Conſtantinopolis* poſtea nuncupata, eo quod à Conſtantino magno inſtaurata & valde aucta fuerit, nunc *Stamboul* Turcis, & *Conſtantinopolis* Italis appellatur. Sita eſt ad Boſphorum Thracicum, è regione Aſiæ minoris, contra Chalcedonem Bithyniæ urbem, cum portu ampliſſimo & tutiſſimo, inter Propontidem cui fere inſidet ad meridiem, & Pontum Euxinum, à quo 16. aut 17. milliar. diſtat. Cingitur ab oriente Boſphori faucibus, ab occidente Thracia, & à meridie Propontide. Circuitus ejus eſt 14. circiter milliarium, dicunturque in illa quingenta fere millia incolarum numerari, ſed incendiis ſæpius & peſtilentia deformata multum defecit. Diſſita perhibetur ab urbe Roma in ortum 900. milliar. Tabreſium verſus ſive Tauris in regno Perſarum 1250. & à Candia in ſeptemtrionem 510. Primum condita fuit à Pauſania rege Spartarum anno mundi 3469. In ea urbe quatuor celebrata ſunt concilia generalia: unum ſcilicet anno 381. adverſus impugnantes divinitatem Spiritus ſancti. Alterum anno 553. ad tria capitula proſcribenda Neſtorianæ hæreſi faventia. Tertium anno 680. adverſus Monothelitas. Quartum denique anno 869. adverſus Photium ſedis patriarchalis hujus urbis invaſorem. Turcis impræſentiarum ſubeſt eorum facta regia, ab anno 1453. quo illam Græcis eripuerunt die 27. Maii, everſo penitus Imperatorum Orientis ſolio. His præmiſſis, undenam occaſionem nacti ſunt Latini ut Patriarchas ſui ritus ſedi Conſtantinopolitanæ præficerent, breviter exponimus.

Anno Chriſti 1203. Indict. VI. Francis Venetiſque apud Jaderam hiemantibus, ad eos venit Alexius quindecim annorum adoleſcentulus, filius Iſaacii Angeli Imper. Græcorum quem deponi & excæcari curarat frater ipſius Alexius ſenior, hujus Alexii patruus; ex cujus manibus ſeſe ſubripiens Alexius junior ad eos confugit, quibuſdam conditionibus hinc inde acceptis. Id Francos Venetoſque movit, ut Conſtantinopolim navigarent adverſus Alexium tyrannum. Francorum quidem copiæ
A erant viginti millium militum, equitumque octo millium; Venetorum autem claſſis ſexaginta triremibus, ſeptuaginta onerariis, & centum viginti hippaginibus conſtabat: Francis terra, Venetis mari rem impigrè agentibus, poſt multa certamina, Græcis ingenti armatorum numero peditum equitumque urbem propugnantibus, capta nihilominus eſt Conſtantinopolis octavo obſidionis die, menſe Julio ejuſdem anni 1203. magna hominum ſtrage & ædificiorum ruina, Alexio
B tyranno interim fuga elapſo, quum imperaſſet annos octo, menſes tres, dies decem. Mox Iſaacius ſenex tyranni frater è carcere eductus proclamatus rurſum eſt Imperator una cum filio ſuo Alexio juniore, cunctaque approbavit pater quæ filius ſuus Francis Venetiſque promiſerat ut ipſorum ope imperium recuperaret.

Anno ſequenti 1204. Indict. VII. dum Latinorum exercitus apud Conſtantinopolim hiemaret, Francis in caſtris ex adverſo urbis,
C interjacente portu, & Venetis in navibus ſuis, donec Iſaacius & Alexius promiſſis datis ſtetiſſent, tempuſque navigationi in Syriam opportunum adveniſſet; graviſſimam ſeditionem in urbe excitarunt Græci, Francis & Venetis ingentem pecuniarum ſummam conferri ægrè ferentes, ignem inprimis ſubminiſtrante Alexio Duca, *Murtzuphli* dicto ob conjuncta ſupercilia & velut oculis imminentia, quem juvenis Alexius ampliſſima Protoveſtiarii dignitate nuper ornaverat. Ad
D finem itaque vergente Jan. hujus anni 1204. ſeditioſi conviciis utrumque Imperatorem inſectantes, primo adoleſcentem quemdam, *Nicolaum Canabum* nomine, invitum proclamarunt Imperatorem; deinde Alexium juniorem, qui in palatium Marchionem Montisferrati conſanguineum ſuum, Latinorumque copias advocare ſatagebat, (animam quippe interim Iſaacius agebat ſenior, ſive dolore, ſive alia occultiore cauſa ad extrema redactus,) Ducas Murtzuphli in teterrimum carcerem
E conjecit, arreptiſque confeſtim imperialibus inſignibus, Canabum à ſuis mox derelictum cuſtodiæ mancipavit, Alexium vero veneno bis fruſtra tentatum, laqueo demum propriis manibus necavit, poſt ſex menſes & octo dies à recuperato imperio. Poſtea autem milites in Francos eduxit, quo prælio Græci fuſi fugatique ſunt, ac in urbem magna ipſorum cæde facta compulſi, capta inſuper eſt, una

cum vexillo Imperatorio, imago B. Virginis quam Imperatores Conſtantinopolitani ſecum in expeditionibus, tanquam belli ſociam, deferre conſueverant. Ita refert Juſtinianus *lib. 2. hiſtor. Venetæ.* Verum ex litteris Innocentii III. datis die 13. Januarii anno 1207. apud Raynaldum ad eum annum *nu. 19. & 20.* diſcimus imaginem hanc B. Virginis, quæ dicitur à S. Luca depicta, quæque in ſacrario Baſilicæ S. Sophiæ Conſtantinopoli aſſervabatur, à Venetis quibuſdam anno 1206. fuiſſe ſublatam, ſententiamque in illos latam à Thoma Patriarcha ob facinus iſtud, eum Pontificem confirmaſſe. Eam imaginem nunc Venetiis in ſancti Marci eccleſia coli teſtatur præfatus Juſtinianus.

Sic itaque reportata victoria ſtatuerunt Franci & Veneti communi conſilio Conſtantinopolim armis iterum aggredi, totumque ſubigere Græcorum imperium, pactis quibuſdam conventis quidquid in ipſorum poteſtatem veniret æquis inter ipſos portionibus fore dividendum. Ex hoc igitur per 60. dies ſic urbem terra marique acriter oppugnarunt, ut Murtzuphlus, duobus menſibus & diebus ſexdecim imperio potitus, ſaluti ſuæ fuga conſulendum putaverit, & Theodorus Laſcaris Alexii Angeli tyranni gener, qui in Murtzuphli locum tumultuarie cleri ſuffragio renuntiatus fuerat Imperator, Latinos urbe propellere non valens, ſe ſubſtraxerit quoque fuga, ac urbem illis diripiendam reliquerit. Hanc denuò Franci & Veneti ceperunt pridie idus (id eſt die 12.) Aprilis ejuſdem anni 1204. fer. 2. poſt Paſſionem Domini, teſtibus Niceta, Villarduino, &c.

Cæterum urbe recepta, rebuſque pro tempore compoſitis, de creando Imperatore conſultatio procerum eſt habita, nominatiſque ex conventione nonnullis, quibus illius eligendi jus eſſet ac poteſtas, uno illorum conſenſu electus eſt Balduinus Flandriæ Comes die 9. Maii, & Dominica ſequenti die 16. ejuſdem menſis corona aliiſque inſignibus Imperialibus ornatus, quum annum duntaxat ætatis 32. ageret. Poſt hanc vero electionem, ad Patriarcham Conſtantinopolitanum conſtituendum proceſſerunt, &, juxta quod Francos inter & Venetos ſtatutum fuiſſe tradunt Auctor Geſtorum Innocentii III. Blondus, Sabellicus, & alii: ſcilicet ex una gente Imperatore aſſumpto, ex altera gente Patriarcham eligendum, is Latinorum primus denuntiatus eſt Thomas Venetus, de quo nunc nobis ſermo erit. De his omnibus legendus Henricus Spondanus Appamiarum in Gallia epiſcopus, *to. 1. annal. edit. Pariſ. 1641.* ad annum 1201. *num. 9. p. 21. col. 2.* ad annum 1203. *num. 1. pag. 27. col. 1.* & ad

A annum 1204. *num. 1.* & *ſeqq. pag. 29. col. 1.* & *ſeqq.*

I. Thomas Maurocenus.

Superſtite licet adhuc Patriarcha Conſtantinopolitano Græco Joanne Camatero, qui capta urbe à Francis & Venetis, una cum Niceta, aliiſque plurimis, inde receſſit, electus eſt anno 1204. primus ejuſdem urbis Patriarcha ritus Latini, *Thomas Maurocenus* ſive *Moreſini,* nobilis Venetus, quod ſic explicat Andreas Dandulus in chronico, apud
B doctiſſ. actor. SS. editores Antuerp. *tom. 1. Auguſti, tract. prælim. de Patriarch. Conſtant. pag. 147. col. 2. num. 882.* E. *Clerus poſtea catholicus Venetorum canonicos in eccleſia S. Sophiæ præfecit, qui venerabilem virum Thomam Mauroceno, genere nobilem & moribus circumſpectum, Patriarcham Conſtantinopolitanum concorditer elegerunt: electus quoque electioni conſentiens cum imperialibus & Ducis nuntiis pro obtinenda confirmatione Romam perrexit.*

Suffragatur Paulus Rhamnuſius *in hiſt. de*
C *bello Conſtant. edit. Venet. anno 1634. lib. 3. pag. 144. & ſeqq.* relatus *ibid. num. 883.* F. & *pag. 147. col. 1.* A. *Balduino,* inquit, *Imperatore coronato, juxta ſeriem pactorum, in quæ Galli & Veneti ante urbem captam conſenſerant, Thomas Maurocenus à Venetis ſacerdotibus, privato ſuffragio, Conſtantinopolitanus Patriarcha vetere Orientis more in divæ Sophiæ æde, ubi dudum Græci metropolitæ, qui in Conſtantinopolitani imperii ditione cenſentur, ſolemnibus auſpiciis Patriarcham deſignare conſueverant, abſens nec ambiens, ſola probitatis &*
D *eruditionis opinione declaratur, totique Orientis eccleſiæ præficitur.* Et quibuſdam interjectis ſubdit: *Cæterum Maurocenus Venetiis patricia familia natus, quum ſupra generis antiquum decus, ampliſſimam ex ſacris ſtudiis laudem ſpectaret, plane adoleſcens abdicata Maurocenæ gentis præclara nobilitate, & ſpreto demum omni patrimonio, quum rerum humanarum ſatietas illum cepiſſet, amore religionis in Portuenſis cœnobii, quod virorum ſanctitate illuſtrium Seminarium fuit, ſacratis ſeptis ſe incluſiſſe dicitur. Ibi vitæ duritiem perferens, nec à ſuſcepta pro-*
E *feſſione vel paululum diſcedens, tantam eo ſæculo ab univerſa Italia & Venetia* (forſan *Veneta*) *regione pietatis laudem promeruit, ut cæteris præteritis & repulſam ferentibus, Patriarchatum omnibus Venetorum ſuffragiis adipiſceretur.* Hanc tamen electionem Innocentius III. nullam primo congreſſu declaravit, ut-pote contra canones à clericis ad id poteſtatem non habentibus, & à laïcis factam: Thomam nihilominus ſibi optimè notum, precibus Balduini Imperat. motus, juſtaſque

Digitized by Google

alias ob cauſas, ſua authoritate renuntiavit A
Patriarcham, ac ſuis manibus conſecravit
anno ſequenti 1205.

Thomas Roma diſcedens Venetias petiit, ibique, compulſus à Venetis, certa quædam cum iis pacta iniit, juramentoque firmavit, inter quæ illud unum erat, quod beneficia eccleſiaſtica ipſe non conferret niſi Venetis. Id porro Innocentius ſtatim atque cognovit, ut injuſtum reſcidit anno 1206. die 21. Jun. In geſtis ejus, *num. 99.* Conſtantinopolim appulſus Thomas clericos Gallos ipſius in-
thronizationi ſeſe opponentes feriit anathe- B
mate, ſed Benedictus Romanæ ſedis legatus diſſidium compeſcuit. Eodem anno pacta conventa ſancita ſunt Balduinum inter & Patriarcham, quæ Innocentius rata habuit die 5. Aug.

Georgius Acropolita huic tempori proximus ſcribit, apud præfatos actorum ſanctorum editores, *ibid. pp. 146. col. 2.* F. & *147. col. 1.* A. *Italos urbe potitos civibus poteſtatem feciſſe, ut qui vellent manerent, ac ſubdititii eſſent: qui nollent, libere quo vellent, proficiſce-
rentur.* Sed Theodorus Laſcaris Nicæam ſe C
contulit, ibique imperii ſui conſtituit ſedem. Patriarcha quoque Græcus Joannes Camaterus, Conſtantinopoli receſſit; de quo hæc legimus *to. 1. Juris Græco-Romani pag. 303. Joannes diaconus & chartularius Camaterus, eodem Alexio imperante* (floruit,) *præfuitque ad captam uſque urbem, annis quinque, menſibus octo,* (&) *diebus ſeptem: vixit & poſt captam urbem annis duobus, menſibus duobus,* (&) *diebus quatuordecim. Capta fuit urbs Indictione ſeptima die 13.* (juxta alios ſcripto-
res 12.) *Aprilis..... Anno mundi ſexies mille-* D
ſimo ſeptingenteſimo duodecimo. Is annus in annum Chriſti 1204. incidit. Ut enim habet Spondanus, ad annum 1204. *pag. 30. n. 4. col. 2.* quum ex Zonara *tom. 3. hiſt.* conſtet annos urbis Conſtantinopolitanæ numerandos eſſe ab anno mundi, ut ipſi numerabant, 5838. & Nicetas dicat captam fuiſſe anno 6712. ſi ab hoc poſteriori numero priorem ſuſtuleris, reſtabunt 874. quibus ſi junxeris 330. qui fluxerunt à Chriſti Nativitate ad dedicationem urbis Conſtantinopolitanæ, re-
perientur 1204. Tunc quippe cœptos eſſe E
numerari annos ab urbe Conſtantinopolitana condita, quum dedicata eſt ignorat nemo. Hic igitur *Patriarcha* (Joannes) pergit auctor citatus Juris Græco-Romani, *in* (urbe) *Didymoticho* (quo perrexerat) *diem obiit,* (&) *vacavit thronus* (viduatus paſtore Græco) *annum unum,* (&) *menſes decem.* Philippus Cyprius, circa ſedis ac vitæ annos hujus Joannis Camateri, cum iſto catalogo Juris Græco-Rom. plane concordat.

Thomas autem Patriarcha Latinus huic Græco ſuffectus in ſede Conſtantinopolitana, Henricum Balduini fratrem, qui poſt ejuſdem deceſſum in Bulgaria, Imperator Conſtantinopolitanus renuntiatus fuerat, corona imperiali anno 1206. probabiliter, ut mos erat, redimivit. Præfatus namque Balduinus anno præcedenti 1205. Adrianopolim urbem Thraciæ amplam atque munitam, Latinis rebellem, quo plerique Græcorum Latinis infenſorum confugerant obſidens, advenientique Joannicio ſive Calo-Joanni Bulgarorum regi obſeſſis ſuppetias ferenti obviam progreſſus die 15. Aprilis, ab eo captus fuit, & in Miſiam (inferiorem,) quæ eſt Bulgaria, vinctus adductus, in carcere periit decimo-quinto ſuæ detentionis menſe. Nicetas Choniates auctor Græcus tradit Balduinum Calo-Joannis juſſu, poſt longum carcerem, brachiis cruribuſque truncatis in profundam vallem præcipitatum ibi die tertia expiraſſe. Ut ut ſit de modo quo Balduinus deceſſerit, (nam Calo-Joannes ab Innocentio III. inſtanter rogatus ut ipſum dimitteret liberum, reſpondit ad id fas ſibi non eſſe quia ille jam debitum carnis in carcere exſolverat:) Henricus certè Balduini frater ſic egregiè interim rempublicam adminiſtravit, ut principes proceresque Latini, audita Balduini morte, in Imperatorem eum elegerint menſe Auguſto ejuſdem anni 1206. Indict. IX. cujus electionis occaſione hæc ait Nicetas Choniates: *Audiant hæc Romani* (id eſt Novæ Romæ ſive Conſtantinopolitani proceres) *qui & eodem tempore Imperatorem inaugurant, & qui inauguratum evertat animis concipiunt.* Ita Spondanus ad annum 1205. *nn. 3. & 4.* & ad annum 1206. *num. 1.*

Porro dum Henricus ille, nondum creatus Imperator, moderatorem imperii ageret anno 1206. Innocentius III. epiſtola data nonis (id eſt die 5.) Aug. compoſitionem factam inter ipſum ejuſque Barones ac populum ex una parte, & Thomam Patriarcham clerumque Conſtantinopolitanum ex altera, ſuper diviſione poſſeſſionum ac bonorum temporalium eccleſiarum, ſolutione decimarum, immunitate, &c. hujuſmodi, ratam habuit.

Plures occurrunt epiſtolæ Innocentii ad hunc Thomam, vel de ipſo, ſcriptæ, tum in geſtis hujus Papæ *à §. 96. uſque ad 104. edit. Baluz. to. 1. pag. 59. & ſeqq.* tum in ejuſdem Papæ regeſto *to. 2.* prædictæ editionis Baluz. videlicet 16. & ſeqq. 76. & ſeqq. Lib. XI. anno 1208. 79. 113. 116. 117. 140. & ſeqq. Lib. XII. anno 1209. & 18. 44. 145. 146. 153. 166. & ſeqq. 184. & 342. Lib. XIII. anno 1210. de variis negotiis, quæ hic recenſere longius foret.

Digitized by Google

De hoc Patriarcha ſic loquitur, apud Raynaldum ad annum 1206. *num. 6.* jam ſupra laudatus Nicetas Choniates: « Is patrio veſtitu
» indutus erat qui corpus ita adſtringebat, ut
» acubus illi aſſutus videretur, manibus dun-
» taxat & pectore aperto: malis ita raſis, ut
» quemadmodum in impuberi puero nullum pili veſtigium cerneretur. » Obiiſſe Thomam Theſſalonicæ anno 1211. circa menſem Junium colligitur ex epiſt. 97. Lib. XIV. Innocentii III. data eo anno die 5. Aug.

II. GERVASIUS *ſive* EVERARDUS.

Odoricus Raynaldus, ad annum 1211. *n. 24.* de Thomæ ſucceſſore in eum modum ſcribit: *Hoc anno, defuncto Thoma Mauroceno Conſtantinopolitano Patriarcha, Innocentius* (III.) *convulſis, quæ minus legitime erant geſta ab iis ad quos ea electio pertinebat; quorum alii ejus eccleſiæ decanum, in locum demortui ſubrogarant, alii tres alios renuntiarant, electionem ad leges canonicas revocari juſſit.* Spondanus pariter, ad annum 1215. *n. 12.* *Poſt obitum,* inquit, *Thomæ, primi hujus eccleſiæ Patriarchæ, quem ex regeſto Innocentii Pontificis reperimus deceſſiſſe Theſſalonicæ circa menſem Junii anni ejuſdem Innocentii Pontificatus decimi-quarti, nempe Chriſti 1211. fuiſſe* (diſcimus) *magnam pro electione ſucceſſoris inter Venetos ac cæteros ejus eccleſiæ clericos diſſenſionem, quæ diutinam induxit ſedis vacationem. Exſtatque etiam in collectione decretalium* (& apud Baluz. *to. 2. epiſtolar. Innoc. III. lib. 15. pag. 622.*) *ejuſdem Innocentii Conſtitutio,* (quæ eſt epiſtola 156. lib. 15.) *de lite ea de re vertente inter archiepiſcopum Heraclienſem, & L. plebanum ſancti Pauli Venetiarum; quum nihilominus ex Regeſto conſtet, etiam alios hinc inde diverſis vicibus electos tumultuoſe fuiſſe.* Legenda epiſt. 112. lib. 16. epiſtolar. Innoc. III. data *Signiæ XIV. kal. Octob. Pontif.* ejus *anno 16.* id eſt 18. Sept. anno Chriſti 1213. Doctiſſimus Guillelmus Cuperus Preſb. & Theol. Soc. Jeſu, *in diſſert. de hiſt. chronol. Patriarch. Conſtant. tom. 1. præfixa actorum Sanctorum menſis Auguſti, p. 149. num. 891. col. 1.* quædam commemorat hanc in rem ſcitu non indigna. « Nonnulli ſcriptores apud
» Cangium *in Hiſt. Conſtant. Pariſ. anno 1657.*
» *Gallicè impreſſa, lib. 2. num. 20.* tradunt, Fan-
» tinum Dandulum Thomæ Mauroceno ſuc-
» ceſſiſſe, ſed eorum opinio erroris convincitur
» ex Alberico, Synchrono Trium-fontium mo-
» nacho, qui in ſuo chronico editionis Leibnit-
» zianæ ad annum 1227. ita ſcribit: *Patriarcha*
» *Conſtantinopolitanus erat hoc anno Matthias,*
» *tertius illorum qui de Latinitate in eadem ſede*
» *aſſumti ſunt. Primus eorum dictus eſt Thomas,*
» *de Venetia natus; ſecundus Gervaſius ſuis*

A (forſan *fuit*) *de Tuſcia aſſumtus.* Menckenius «
tom. rerum Saxonicar. *col. 84.* pro *Gervaſius* «
legit *Gerartius.* Idem Cangius *ibid.* affirmat «
præſulem Heracleenſem, & Parochum ſancti «
Pauli de patriarchatu Conſtantinopolitano «
contendentes, hujus litis cauſa Romam ve- «
niſſe eo tempore, quo Innocentius III. con- «
cilium IV. Lateranenſe celebrabat, electio- «
nem utriuſque in ſynodo fuiſſe examinatam, «
& ambobus rejectis, hunc Gervaſium electum «
eſſe, qui tanquam Patriarcha Conſtantino- «
politanus reliquo concilio interfuerit. Certè «
B Godefridus monachus coævus in annalibus «
ſuis, inter ſcriptores rerum Germanicarum «
è bibliotheca Freheriana editis, ad annum «
Chriſti 1215. *(pag. 283.)* occaſione ſynodi «
Lateranenſis de hac re ſic ſcribit: *Eodem* «
etiam anno Papa Romæ concilium habuit....: «
Conſtantinopoli duo in Patriarcham electi Ro- «
mam venerunt, quos ambos conſilio Cardinalium «
depoſuit, & tertium ſubſtituit, & inveſtivit, & «
ad ſedem propriam remiſit. Conradus abbas «
Urſpergenſis, aliique chronographi ad eum- «
dem annum tradunt Patriarcham Conſtanti- «
C nopolitanum huic concilio Lateranenſi inter- «
fuiſſe; quod cum Cangio optime concordat. «
Ex his concludo, pergit Cuperus, Gerva- «
ſium menſe Novembri anni 1215. ad ſedem «
Conſtantinopolitanam evectum fuiſſe. Hoc «
(certè) initium confirmatur ex ipſis Gervaſii «
litteris, quæ apud Camuzatum in Promptua- «
rio ſacrarum antiquitatum Tricaſſinæ diœ- «
ceſis fol. 313. verſo, ſic incipiunt: *Gervaſius* «
permiſſione divina ſanctæ Conſtantinopolitanæ «
eccleſiæ Patriarcha, dilecto filio Guerrico priori «
ſancti Salvatoris Mothonenſis diœceſis, ſalutem «
D *& Patriarchalem benedictionem, &c. Datum* «
Corinthi anno Domini 1216. quarto kal. Junii «
(id eſt die 29. Maii,) *Pontificatus anno primo.* «
(Hunc appellat *Everardum*) Raynaldus ad «
annum 1217. *num. 17. pag. 262. col. 1.* De «
Honorio III. quippe loquens ait: *Ut vero* «
bene meritos beneficiis eſt proſequutus, ita Phi- «
lippenſem principem, qui epiſcopum ſuum per «
ſummam impietatem ſævitiamque interemerat, «
animadvertit. Everardo enim Patriarchæ, ac «
ſuffraganeis provinciam impoſuit ut anathemate «
ipſum percellerent.... donec crimen ritè expiaſſet. «
E Hic agitur de Patriarcha Conſtantinopoli- «
tano, quem Raynaldus ex litteris Honorii III. «
in margine notatis *Everardum* nominat. «
(Eumdem quoque præſulem *Everardum* «
nuncupat Thomaſſinus, eccleſiæ diſciplinæ «
part. 1. lib. 1. cap. 26. num. 5. dum hæc de «
eo ſcribit: *Non his ſe finibus continebat Ever-* «
hardus, qui Thomæ in thronum regiæ urbis «
eccleſiæ ſucceſſerat. In provincias legatos à latere «
miſſitabat, non minus plena inſtructos poteſtate, «
quam qua ſuos Papa armabat, quaſcumque «
cauſas

Digitized by Google

» *cauſas definiendi, excommunicandi & abſolvendi ſubditos aliorum epiſcoporum, eis inconſultis; novos creandi archiepiſcopos, quantumvis inde in metropolitanos emergeret detrimenti; appellationibus ad Apoſtolicam ſedem factis haud cedendi; percuſſores clericorum, eoque canonicis innodatos cenſuris, exſolvendi: denique Lateranenſis concilii canones ad beneficiorum collationem ſpectantes licenter & impunè prætergrediendi. Summa hæc ſunt capita querelarum excerpta ex epiſtola Honorii III. ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui cum ſole cœloque Conſtantinopolitano videbatur una hauſiſſe ingenium illud indocile impatienſque jugi, & vel æquiſſimæ obedientiæ inſolens, quæ fuerat hujus urbis priſcorum Patriarcharum indoles.* Quare Honorius apud Raynaldum ad annum 1218. *num. 28. pag. 281. col. 1.* eumdem Patriarcham poſt alia increpat his verbis: *Si hæc ita ſe habent, quæ ſunt ſpecialiter Romani Pontificis uſurpando, & aliorum juſtitiam, ipſos multipliciter opprimens, invadendo, videris, non paſtoralis curam regiminis, ſed thronum ſuperbiæ ac peſtilentiæ cathedram conſcendiſſe. Quum igitur quantacunque dignitate præfulgeas, te nobis ſcias eſſe ſubjectum, qui tempus accepimus juſtitiam judicandi, & quantumcunque tibi deferre velimus, diſſimulare non poſſumus nec debemus talia contra Deum.* »

Spondanus ſe ignorare teſtatur ad ann. 1215. *num. 12. pag. 86. col. 1.* quis fuerit Thomæ Mauroceni proximus ſucceſſor. Facta enim mentione de controverſia quæ poſt mortem Thomæ inter varios ſedis Conſtantinopolitanæ agitata eſt competitores, hæc ſubdit: *Quis vero demum thronum obtinuerit, non adeo invenimus, quum tamen exiſtimemus prævaluiſſe Venetos; ſed ita ut alius quiſpiam fuerit electus; quum legerimus in chronico manuſc. Andreæ Danduli ducis Venetiarum, Robertum Imperatorem Conſtantinopolitanum coronatum fuiſſe poſt quinque abhinc annos à Matthæo Patriarcha, quem & natione fuiſſe Venetum indicare videtur.* Verum ex dictis liquet ante hunc Matthæum, *Gervaſium* ſive *Everhardum* ſediſſe, natione Tuſcum, qui obiit anno 1220. Ipſo quippe mortuo, ac electoribus iterum diſſidentibus, lis de ſucceſſore ſubſtituendo ad apoſtolicam ſedem delata eſt: & menſe Martio anni 1221. de Patriarcha Conſtantinopolitano Romæ jam proviſum fuerat.

III. Matthæus *ſive* Matthias.

Cangius *lib. 3. hiſt. Conſtant. num. 2.* ut refert præfatus P. Cuperus *Tract. de hiſtor. chronol. Patr. Conſtant. tom. 1. Aug. præfixo, pag. 150. n. 898. col. 1.* A. ſcribit Robertum Imperatorem Conſtantinopolitanum, die 25. Mart. anno Chriſti 1221. ſolemniter in templo ſanctæ Sophiæ à *Matthæo* Patriarcha coronatum fuiſſe. Andreas quoque Dandulus in ſuo chronico ait: *Robertus pubes factus, poſt deceſſum parentum, per Hungariam & Blachiam Conſtantinopolim perrexit, & coronatus eſt à Matthæo Patriarcha.* Id autem contigiſſe anno 1221. diſcimus ex diplomate ipſius Roberti, quod Raynaldus ad hunc annum *n. 26. p. 314. col. 1.* exhibet, in quo tempus imperii ita exprimitur: *Actum menſe Junii, anno Domini 1221. imperii noſtri anno primo.* Suffragatur Thomaſſinus *in veteri & nova eccleſ. diſcipl. part. 1. lib. 1. cap. 26. num. 5. Poſt Everhardi mortem,* inquit, *clerus Conſtantinopolitanus conſentire non potuit in unum aliquem Patriarcham; itaque dari ſibi poſtulavit idoneum aliquem ab Honorio III. Electus ab eo eſt Matthæus, Aquilæ epiſcopus, antiquiſque donatus prærogativis: præ cæteris autem ut novi imperii reges* (id eſt novo Imperatori Conſtantinopolitano ſubditos) *regiis ornaret inſignibus, ſi tamen aſſentiretur Imperator, utque vetaret ne obviam illis clerus ſolemni, qua ſolet, pompa procederet, aut oſculandum afferret Evangeliorum codicem, niſi in eccleſia ſacro ante chriſmate delibuti eſſent.* De ea diſſenſione cleri Conſtantinopolitani, & electione Matthæi ab Honorio, citat Raynaldus ad annum 1221. *n. 27. p. 314. col. 1.* ejuſdem Honorii Papæ epiſtolam, quæ 397. eſt libri v. *ad capitulum clerumque Conſtantinopolitanum.* Hunc appellat *Matthiam* Albericus ad ann. 1227. *p. 523.*

Obſervat idem P. Cuperus *n. 901.* Thomaſſinum falli dum dicit Matthæum fuiſſe antea *Aquilæ epiſcopum. Epiſcopus* quidem *Equilinus* fuit in ditione Veneta, at non *Aquilanus.* Certe Raynaldus ad ann. 1221. *n. 27. pag. 314. col. 1.* eum appellat *epiſcopum Equilinum:* & Ughellus *to. 10. Ital. ſac. nov. edit. col. 80.* eumdem inter *epiſcopos Equilinos* recenſet.

Cæterum prima hujus Matthæi ſive Matthiæ geſta in munere Patriarchali minimè laudabilia fuiſſe colligitur ex epiſtola Honorii III. data anno 1222. *Alatri XV. kalend. Jul.* (id eſt die 17. Jun.) in qua ait: « Timemus ne de te dicere nos oporteat, pœnitet nos hominem hunc feciſſe. Quum enim hujus rei gratia te ad Conſtantinopolitanæ eccleſiæ regimen vocaſſemus, ut quaſi lucerna ſuper candelabrum luceres in domo Domini, proficiendo verbo tuis ſubditis & exemplo, tuuſque eſſet ſuper tuos humeros principatus, ac prodeſſes potius quam præeſſes: tu, ſicut ad audientiam noſtri apoſtolatus pervenit, non factus forma gregis ex animo, ſed in clero potius dominans, factus es multis offendiculum per exemplum. *Et infra:* Mercenarium

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA

Digitized by Google

» te exhibes potius quam paſtorem, quum lac
» & lanam quærens ex ovibus, vagas non redu-
» cas ad caulas, nec lentas ſtimules, & languidas
» non ſuſtentes, prædicationi minime inſiſten-
» do, qua ipſas arguere, obſecrare, ac increpare
» deberes in omni patientia & doctrina. Miſſa-
» rum vero ſolemnia rariſſime celebras, & ex-
» communicatis communicare non metuis, &
» cum Venetis, ut haberi à fama publica dicitur,
» iniiſti contra nationes alias illicitas pactiones,
» & ut quaſi velis ab Aquilone tuum ſolium
» collocare, excommunicatos à legato Apoſto-
» licæ ſedis paſſim abſolvis, & appellationibus
» legitime interpoſitis ad eamdem deferre con-
» temnis. *Et infra:* Ne igitur tacti dolore cordis
» intrinſecùs dicere compellamur, delebimus
» hominem quem creavimus, fraternitatem
» tuam monemus & exhortamur in Domino,
» per apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quate-
» nus in his, & aliis, te ipſum taliter corrigas,
» & emendes, inſiſtens ſollicite officio paſtorali,
» evangeliſtæ opus adimplens, ut ſecurim in-
» fructuoſæ arbori apponere non cogamur.
» Utinam autem ſic objurgatio hæc circa in-
» fructuoſam ficulneam foderit fimo correctio-
» nis appoſito, quod fructum afferat requiſi-
tum, & ſuccidi non debeat in futurum.» Ita apud Raynald. ad ann. 1222. *nn. 22. & 23.*

»Neſcio an Matthæus, verba ſunt P. Cu-
» peri, *num. 903.* poſt hanc reprehenſionem
» reſipuerit: cætera enim ipſius geſta apud anti-
» quos auctores non invenio, ſi excipias An-
» dream Dandulum, qui in chronico hæc
» pauca de eo memorat: *Matthæus Patriarcha*
» *Conſtantinopolitanus ad petitionem Angeli Gra-*
» *denſis Patriarchæ declaravit, ut Venetorum ec-*
» *cleſiæ per totum imperium Romaniæ à juriſ-*
» *dictione ſua intelligantur exemptæ, ut fuerant*
» *tempore Græcorum.* Etiam ignoro determina-
» tum tempus quo Matthæus Patriarcha ex hac
vita migravit.» Illum nihilominus ante finem anni 1226. obiiſſe conſtat ex Honorii litteris, quarum excerptum Raynaldus ad annum Chriſti 1226. *n. 59.* refert, *Dat. Later. X. kal. Jan.* (id eſt, 23. Decemb.) *Pont. anno XI.*

Joannes *electus.* IV. Simon.

Conſtantinopolitana ſede anno Chriſti 1226. vacante poſt Matthæi obitum, nec convenientibus inter ſe electoribus de ſucceſſore nominando, Honorius III. huic eccleſiæ *Joannem* præſulem Biſuntinum, egregii meriti virum, præficiendum duxit, ut patet ex his ejus litteris ad præfatum Joannem, apud Raynald. loco modo citato.

» Quum nuper nobili eccleſia Conſtantinopo-
» litana paſtore vacante, capitulum, & alii ad
» quos electio pertinet, in ſubſtitutione Pa-
» triarchæ futuri concordare nequiviſſent, aliis
A poſtulantibus venerabilem fratrem noſtrum «
epiſcopum Belvacenſem, aliis appellantibus «
contra eos: tandem utriuſque partis procu- «
ratoribus in noſtra præſentia conſtitutis, & «
nolentibus, vel non valentibus in unam con- «
ſentire perſonam, poſtulationem non duxi- «
mus admittendam. Sed nos ſollicite cogi- «
tantes, qualiter tam celebri, tam inſigni «
(eccleſiæ) poſſemus de perſona idonea pro- «
videre, demum poſt tractatus multiplices, «
deliberato fratrum noſtrorum conſilio, te ad «
Conſtantinopolitanam eccleſiam de Biſun- «
B tina providimus transferendum, non tam «
perſonæ in eccleſia, quam eccleſiæ in per- «
ſona utiliter nos conſulere arbitrantes, &c.» *Dat. Later. X. kal. Jan. Pont. noſtri anno XI.*

Verum præſul Biſuntinus Byzantinam ſedem recuſavit: ſic enim narrat Albericus, *tom. 2.* chronici ad annum 1227. *pag. 523. Tertius iſte Matthias* (Matthæus) *iterum Venetianus, quo ſedente,* (forſan *cedente* vel *decedente,*) *& electoribus vota ſua per conſilium transferentibus, & in magiſtrum Joannem archiepiſcopum Biſuntinenſem conſentientibus de* C *voluntate Domini Papæ, dictus archiepiſcopus Romam adiit, poſtulatus onus illud ſubire, non conſenſit attentare: unde Dominus Papa Cardinalem eum inſtituit, & ſecum retinuit, dans ei Sabinenſem epiſcopatum; in Conſtantinopoli vero factus eſt Patriarcha Simon archiepiſcopus de Tyro.* Ad elucidationem hujus loci Alberici, (qui Papam quidem non nominat, ſed id ſcribit relatis tum Honorii III. obitu, tum Gregorii IX. electione ſubſequuta) dicendum reor, vel Joannem archiepiſcopum Biſuntinum, cujus electio ad Patriarchatum D Conſtantinopolitanum confirmata fuerat ab Honorio III. die 23. Decemb. anni 1226. Romam non acceſſiſſe niſi poſt mortem hujus Pontificis, quæ contigit die 18. Martii anni ſequentis, vel ſi eum adhuc ſuperſtitem repererit, ab illoque obtinuerit ut hanc ſedem conſcendere non cogeretur, ipſum tamen creatum fuiſſe Cardinalem, non ab Honorio III. ſed à Gregorio IX. ejus ſucceſſore. Id enim conſtat ex Necrologio eccleſiæ Ambianenſis, quæ Deiparæ ſacra eſt, ad diem 23. Septemb. ubi de illo Joanne hæc leguntur: E *Obitus felicis memoriæ Joannis de Abbatisvilla, quondam decani noſtri, poſtea archiepiſcopi Biſuntini, vocati per Dominum Honorium, tunc ſummum Pontificem, ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum: ſed pro ſuæ probitatis & ſcientiæ reverentia à Domino Gregorio nono detenti apud ſedem apoſtolicam, in qua factus eſt Cardinalis epiſcopus Sabinenſis. Pro cujus memoria, quoniam eccleſiam noſtram multipliciter honoravit in ſanctorum reliquiis & ornamentis eccleſiaſticis multis, & ſui regimine*

Digitized by Google

decanatus, &c. Ita Joſephus à Jeſu Maria, A Carmelita diſcalceatus *in hiſt. Gallica Abbatis-villæ lib. 1. cap. 92.* ubi etiam citat plures ſcriptores, qui de Joanne iſto electo Conſtantinopolitano Patriarcha meminere. Hæc tradit præfatus P. Cuperus *in hiſt. chronolog. Patr. Conſtant. præfixa to. 1. actorum ſanctorum menſis Auguſti, num. 904. pag. 150. col. 2.* F. Dignitatem itaque ſibi delatam Joanne iſto recuſante, ad eam aſſumtus eſt *Simon* anno 1227.

Hunc quoque Patriarcham ignoravit Spondanus, quippe qui ad annum 1222. B *num. 5. pag. 117. col. 2.* ait: *Quinam vero è Latinis interea Conſtantinopoli præſiderent haud adeo nobis exploratum, niſi quod ex Danduli chronico ſuperius* (ad annum 1215. *num. 12.*) *Matthæum retulimus, & in quadam conſtitutione Innocentii IV. anni ejus tertii reperimus ſubſcriptum Nicolaum; ac denique in amiſſione urbis Conſtantinopolitanæ Pantaleonem Juſtinianum: credimuſque omnes ſemper Venetos fuiſſe ex primæva pactione occupationis urbis; nec forte alios præſediſſe, quam quos nominavimus.* Porro hujus Simonis nec patriam novimus, C nec geſta: ſed procul dubio fuit *Patriarcha* ille *Conſtantinopolitanus,* ſedis apoſtolicæ legatus, ad quem Gregorius IX. epiſtolam ſcripſit anno 1231. die 8. Maii, teſte Raynald. ad eum annum, *num. 57.* de Joanne qui ex rege Hieroſolymitano electus fuerat Imperator Conſtantinopolitanus. Cangius *hiſtoriæ Conſtantinopolit. lib. 3. num. 17.* hunc aſſerit vita functum anno 1232. Albericus vero, auctor coævus, mortis ejus meminit ad ann. 1233. *Conſtantinopoli,* inquit *to. 2. chron. pag. 547. poſt mortem Patriarchæ Simonis, vacavit ſedes* D *per annum & ultra; & Dominus Papa de conſenſu illorum, Spoletanum epiſcopum in Patriarcham conſecravit, & eis tranſmiſit, magiſtrum* (ſcilicet) *Nicolaum de Placentia, qui fuit vicecancellarius Papæ.* Obiit igitur Simon anno 1232. vel 1233. & vacavit ſedes uſque ad annum 1234.

V. Nicolaus I.

Ughellus *to. 1. Ital. ſac. vet. edit. col. 176. num. 37.* B. initium hujus Patriarchæ circumcirca eruit ex quodam diplomate Gregorii IX. E *Nicolaus,* inquit in ſerie epiſcoporum Spoletanorum, *à Gregorio IX. electus* (ad eccleſiam Spoletanam regendam) *anno 1230. tranſlatus inde ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum anno 1235. Exſtat in regiſtro Vaticano Gregorii IX. epiſtola directa priori & capitulo baſilicæ Salvatoris Lateranenſis, in qua controverſia inter Nicolaum epiſcopum Spoletanum, tunc electum Conſtantinopolitanum, & inter priorem & capitulum Lateranenſe dirimitur, Kalendas Maii,* (vel numerus præcedens vocem *Kalendas* intercidit, vel legendum *Kalendis*) *Pontificatus nono.* Itaque epiſtola iſta Gregorii IX. (quæ 105. eſt fol. 36.) ſcripta fuit menſe Aprili, vel die prima menſis Maii, anno 1235. quum jam annus nonus Gregorii Papæ flueret: ex quo ſequitur Nicolaum ſaltem eo anno in Patriarcham electum fuiſſe, quod tamen non officit, ut obſervat P. Cuperus *in hiſt. Patriarch. Conſtant.* initio *to. 1. actorum ſanctorum menſis Maii, n. 908. p. 151. col. 2.* D. quin jam ab aliquot menſibus, (& fortaſſis) ante medium anni 1234. ad eam dignitatem fuerit deſignatus; priuſquam autem Conſtantinopolim proficiſceretur, nonnulla ſuæ Spoletanæ eccleſiæ negotia confecerit: adeoque anno 1234. ad cathedram Conſtantinopolitanam evectus ſit. Raynald. ad annum 1234. *num. 27.* teſtatur ex litteris Gregorii IX. ad Syros ſcriptis patere hunc Papam eo anno antiſtitum conventum Spoleti habuiſſe de ſacra militia adverſus infideles Aſiaticos, cui interfuerunt Patriarchæ *Conſtantinopolitanus,* Antiochenus, atque Hieroſolymitanus. Waddingus item *tom. 6. annal. Min.* ad annum 1261. *pag. 500. num. 24.* ait Gregorium IX. conſecraſſe anno 1234. eccleſiam S. Pauli urbis Spoleti, aſſiſtentibus Cardinale epiſcopo Tuſculano, *Patriarcha Conſtantinopolitano, &c.* Hic procul dubio *Nicolaus* fuit, qui proinde jam tunc, ut minus, nominatus erat *Patriarcha.*

Sub pontificatu iſtius Nicolai, res Latinorum Conſtantinopoli in pejus ruere cœperunt: quare Patriarcha expenſis in ſubſidium imperii facultatibus ſuis, ad ſummas anguſtias redactus eſt. Id diſcimus ex epiſtola Gregorii IX. ad præſules in Peloponeſo habitantes, data *Interamnæ x. kal. Decemb.* (id eſt die 22. Novembris) *anno* Pontif. *x.* Chriſti 1236. quam profert Raynald. ad eum annum *n. 70.* In ea enim ſic loquitur Papa: *Venerabilis frater noſter Patriarcha Conſtantinopolitanus ſua nobis petitione mandavit, quod, quum ipſe propter guerrarum diſcrimina, & Græcorum malitiam, fere omnes redditus, & alia amiſerit bona ſua; & ea quæ habuit expenderit pro ſubſidio imperii Romaniæ, nec ſibi remanſerit unde valeat ſuſtentari: univerſitatem veſtram rogandam duximus.... quatenus ſic ei in neceſſariis providere curetis, quod idem in illis partibus ad utilitatem præfati imperii valeat remanere, & nos devotionem veſtram dignis poſſimus in Domino laudibus commendare.* Hunc Innocentius IV. anno 1243. gerenda in Cruce ſignatorum exercitu ſedis Apoſtolicæ legati dignitate ornavit, ut refert Raynaldus ad eum annum, *num. 49.* Eumdem quoque Patriarcham Matthæus Pariſius, *in hiſtor. Angl.* ad

Digitized by Google

annum 1245. ſcribit eo anno Lugdunenſi concilio interfuiſſe, ibique eccleſiæ ſuæ calamitates expoſuiſſe, quæ ad id redacta erat, ut quum 30. olim ſuffraganeos obtinuiſſet, jam vix tres numeraret: Ita præfatus Raynald. ad eum annum, *num. 26.* Subſcriptus etiam legitur *Nicolaus Patriarcha Conſtantinopolitanus* cuidam diplom. Innocentii IV. Pap. dat. *Lugduni tertio idus Jul. Pontif.* ejus *anno 3.* id eſt 13. Jul. anno 1245. ex libro cujus titulus eſt, *Geſta Dei per Francos. Hanoviæ 1611. p. 1195.* Obiit Nicolaus anno 1251. nam Triſtanus Calchus *in hiſtor. Mediolan. lib. 15.* ad hunc annum exponens quomodo Innocentius IV. Papa Mediolanum ingreſſus fuerit, de morte Nicolai hæc habet: *Comitabantur eum* (Papam) *ſex Cardinales, & Nicolaus Patriarcha Conſtantinopolitanus, quem genere Placentinum ex familia de Caſtro Arquato oriundum fuiſſe in Placentinis annalibus legi.* Deinde poſtquam laudavit varia pietatis ac doctrinæ Innocentii ſpecimina, addit: *Nicolai quoque Patriarchæ, qui per idem tempus obiit, exequias, ſua, & Cardinalium præſentia honeſtare, dum is in cœnobio Minorum ſepeliretur, haud dedignatus eſt.* Item Petrus Maria Campi, *in hiſt. eccl. Placent. part. 2. pag. 206.* citat duplex chronicon mſ. quod utrumque eundem annum adſtruit. Primum quidem continet: *Anno Domini 1251. Patriarcha Conſtantinopolitanus, nomine D. Nicolaus de Caſtro Arquato obiit.* Alterum vero: *Anno 1251. obiit D. Nicolaus de Caſtro Arquato de Porta, Patriarcha Conſtantinopolitanus.* Ex quibus emendandus venit Waddingus, qui in annalibus ſui ordinis ad annum 1251. *n. 3.* ſcribit Corium habere Mediolani, *tunc mortuum Manuëlem II. Patriarcham* (Græcum) *Conſtantinopolitanum, & apud Minores ſepultum.* Corius enim *in hiſt. Mediolan. part. 2. fol. 109. verſo,* Patriarcham Conſtantinopolitanum, tunc Mediolani defunctum, diſerte *Nicolaum* appellat (non Manuëlem.) Hæc præfatus P. Cuperus loco ſupra allegato.

VI. Pantaleo Justinianus.

Videtur eccleſia Conſtantinopolitana, poſt mortem Nicolai, per unum alterumve annum vacaſſe; ſiquidem Raynaldus ad ann. Chriſti 1253. *num. 53.* de electione Pantaleonis ita diſſerit: *Abſolvamus hujus anni periodum, collocatis hoc loco Orientalis imperii rebus, quæ quum, ingraveſcente Græcorum potentia, fractæ admodum eſſent, Innocentius* (IV.) *ad eas erigendas apoſtolicas curas intendit: quum enim Pantaleonem Juſtinianum patricium Venetum, capellanum ſuum, ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum extuliſſet, mox illi excitandi pro concione ad induendam crucem Veneti populi munus demandavit, ut comparatis validiſſimis copiis ad fulciendum imperium cum quo res Chriſtiana grave adibat diſcrimen, proſilirent.... Tum permiſit eidem Patriarchæ ut ad cogenda pro ſuſtinendis bellicis ſumtibus aliqua pecuniarum ſubſidia, mille nimirum marchas ſterlingorum mutuo accipiendas, bona eccleſiarum Conſtantinopolitani imperii oppigneraret. Illum vero & ob egregias virtutes quibus ornatus erat, & ad enixiſſimam Venetorum commendationem, ad Patriarchatum evectum oſtendunt litteræ pontificiæ, quibus Innocentius nobiliſſimæ illius reipublicæ ſtrenua in ſedem apoſtolicam ſtudia ita collaudavit:* « Ut in te providæ circumſpectionis deflectamus intuitum, hæc ſpecialiter ſuggerunt inter multa; devotio videlicet Veneti populi, unde te natales conſpicui produxerunt, quæ eccleſiæ Romanæ fœdere inconcuſſo cohærens, ab ejus obedientia nunquam avelli funditus potuit, inundatione quacunque in fundamentum catholicæ fidei pro tempore irruente. » *Tum excurrit in Patriarchæ laudes, quem legati apoſtolici in exercitu Chriſtiano, atque in imperio Conſtantinopolitano, munere decoravit; ea tamen lege, ut ab eo obeundo abſtineret, quum legatus à latere eò ſe contuliſſet, quo argumento ad archiepiſcopos, epiſcopos, cæteroſque eccleſiaſticos litteras exaravit.* Si litteræ iſtæ Innocentii IV. an. 1253. ſcriptæ fuerunt, ut ex eo colligere eſt quod hoc illarum excerptum ſub eo anno referat Raynaldus, conjectu pronum Pantaleonem illo anno ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum evectum fuiſſe.

Dum autem Pantaleo eccleſiæ ſuæ curam gereret, ſic invaluere Græci, ut frequentes eorum incurſus, maximam reddituum ipſius partem abſtulerint, unde ad Alexandrum IV. Innocentii ſucceſſorem recurrere coactus eſt, qui præſulibus & abbatibus Romaniæ per miniſtrum provincialem Fratrum Minorum mandavit ut neceſſitati ejus ſubvenirent, & *eidem Patriarchæ, tanquam eorum capiti, annuatim, quouſque prætacti Patriarchatus ſui redditus quiete percipere valeat, quingentas marchas argenti pro ſua ſuſtentatione miniſtrare procurent.* Hæc Alexandri epiſtola legitur apud Waddingum *tom. 2. annal. Minor. in Regeſto Pontif. pag. 57.* & data eſt *Viterb. Idibus* (id eſt die 15.) *Julii, anno tertio* Pontif. ejus, qui in annum Chriſti 1257. incidit.

Tandem Pantaleo urbem Conſtantinopolitanam deſerere compulſus fuit anno 1261. quo juxta exactiores chronologos à Græcis hæc recuperata eſt. Tunc enim Balduinum II. Imperatorem, & Pantaleonem Patriarcham è manibus eorum elapſos eſſe plerique ſcriptores tradunt. Mariana *lib. 13. de rebus Hiſpan. cap. 16.* narrat Imperatorem *Balduinum &*

Digitized by Google

Pantaleonem *Juſtinianum Patriarcham, Michaëlis Palæologi armis Græcia pulſos, à Sultano Ægypti interceptos in fuga* fuiſſe, & munificentia regis Alphonſi *anno hujus ſæculi ſexageſimo-octavo* libertatem obtinuiſſe. Addit tamen prudenter: *Hujus narrationis quidam ſcriptores fidem elevant, negantque Balduinum à Sultano Ægypti captum. Noſtrarum nobis hiſtoriarum conſentiens auctoritas potior fuit; tametſi non ignoremus pleraque ſæpè ſupra verum famæ prædicatione augeri.* At nobis potior, inquit P. Cuperus jam ſæpius citatus, *num. 916. p. 152. col. 2.* D. *hiſt. chronol. Patr.* B *Conſtant. initio to. 1. actorum ſanctorum menſis Auguſti,* eſſe debet indubitata veterum monumentorum auctoritas, de qua Spondanus ad annum Chriſti 1261. *num. 10. pag. 298. col. 2. Captam per proditionem Conſtantinopolim, ac Pantaleonem Juſtinianum Patriarcham una cum Balduino Imperatore manus Græcorum effugiſſe, & in Italiam incolumes perveniſſe Latini conſentiunt..... Qui vero Balduinum una cum Patriarcha interceptum in fuga à Sultano Ægypti fuiſſe, & poſt ſeptennium ambos argenti pondo viginti millibus ab Alphonſo Caſtellæ rege* C *precibus Auguſtæ ſolutis liberatos tradiderunt;* (citat Spondanus ad marg. Roder. Sant. Rer. Hiſpan. part. 4. cap. 2. & Marian. lib. 13. cap. 16.) *næ illi res ſuas inſigni vanitate contra cæterorum omnium tam Græcorum, quam Latinorum, cunctarumque aliarum gentium fidem, prædicari ambiunt. Quum & inſuper extent litteræ Urbani* (IV.) *Pontificis ſcriptæ ad Provincialem Minorum in regno Franciæ* (ad marg. *Reg. Vatic. num. 129.* & apud Waddingum *annal. Minor. tom. 2.* hoc anno) *paulo-poſt amiſſam proditionaliter, ut loquitur* (Papa), *Conſtantinopolim ſcriptæ;* D *quibus narrat Balduinum Imperat. & ducem Venetorum per nuntios ſuos ipſi Pontifici ſignificaſſe, ſe copias terra marique parare adverſus Palæologum; hortaturque prædictum Provincialem* (Minorum) *ut tam per ſe ipſum, quam per alios fratres ordinis* (ſui) *populos ad eamdem expeditionem excitet.* Hanc quoque epiſtolam refert Raynald. ad annum 1262. *num. 34. & ſeqq.* Interſuit Pantaleo concil. II. Lugdun. anno 1274. *to. XI. conc. Labb. col. 956.* B. Demum obiit circa annum 1286. eo quippe anno Honorius IV. x. kal. E Sept. id eſt die 23. Auguſti, electionem Petri ſucceſſoris ejus confirmavit.

VII. Petrus I.

Quamvis urbs Conſtantinopolitana ab anno 1261. non amplius eſſet in poteſtate Latinorum, nec proinde in ea reſideret Patriarcha eorum ritus; quia tamen in nonnullas adhuc provincias & inſulas Orientis principes Latini jus dicebant, Pantaleo ejuſ- A que ſucceſſores per aliquod tempus iis quoque præfuerunt in ſpiritualibus. Pantaleoni itaque ſuffectus eſt Petrus, cujus confirmationem ab Honorio IV. factam refert Raynaldus ad annum 1286. *n. 35.* Diploma datum eſt hoc anno die 23. Aug. Hic fuit procul dubio *Petrus* ille *Patriarcha Conſtantinopolitanus,* ad quem Waddingus *tom. 3. annal. Minor.* ad annum 1302. *num. 7. p. 8.* narrat Bonifacium VIII. ſcripſiſſe adverſus Francum Liberatum ejuſque ſocios Minoritas, in quadam inſula Achaïæ degentes extra obedien- B tiam Miniſtri Generalis Ordinis Minorum. Tunc quidem Venetiis erat Patriarcha, ſed reverſus Nigropontum, bis ad requiſitionem Fratrum Minorum Romaniæ, publicam excommunicationis ſententiam in illos tulit, niſi ordinis auctoritati ſeſe ſubjicerent. Id contigiſſe oportet ante finem anni 1301. Nam iſto anno obiiſſe Petrum modo patebit.

VIII. Leonardus.

Hucuſque Patriarcha Conſtantinopolitanus ritus Latini electus vel petitus fuerat à C capitulo canonicorum ejuſdem ritus, qui eccleſiam ſanctæ Sophiæ Conſtantinopoli adminiſtrare habebant. Eo modo Petrum illi canonici licet poſt captam hanc urbem, aliò migrati, Pantaleoni defuncto ſubſtituerunt. Verum ſequutis temporibus ſic diſperſi fuere, ut Petro qui ſuccederet ab uno duntaxat ex illis tunc ſuperſtite nominatus ſit. Hinc Bonifacius VIII. anno 1301. electionem quatuor Patriarcharum Orientis, ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus reſervavit, quandiu iſtæ eccleſiæ ſub poteſtate ſchiſmaticorum forent. In conſti- D tutione autem ea de re lata, quæ incipit *Sancta Romana eccleſia, &c.* & extat in ſexto decretalium, *lib. 1. Extravag. Communium, de Electione, cap. 3.* Ita loquitur Bonifacius: *Sancta Romana eccleſia, quæ, diſponente Domino, ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum à Deo, utpote mater univerſorum Chriſti fidelium & magiſtra, quatuor Patriarchales ſedes..... multis prærogativis & honoribus, ac privilegiis decoravit: de quarum proviſionibus, quum eas vacare contingit, tanto eſt accuratius cogitandum, & attentius provi-* E *dendum, quanto majoris eminent altitudine dignitatis, & periculoſe erraretur in proviſionibus earumdem. Super hoc igitur cum fratribus noſtris habita deliberatione matura, inter alia noſtræ conſiderationi occurrit, quod omnes, proh dolor! prædictarum ſedium Patriarchalium civitates, aut ſunt deſtructæ, aut occupatæ ab infidelibus, vel à ſchiſmaticis detinentur, ipſarum capitulis ſeu conventibus & canonicis diſperſis undique extra civitates ipſas, per alias regiones ſeu loca à civitatibus ipſis remota. Ex*

Digitized by Google

quo contingit, (ſicut experientia nuper nos docuit) quod vacante Conſtantinopolitana eccleſia per mortem bonæ memoriæ Petri Patriarchæ, ſolum per unum duntaxat ejus canonicum fuit de novo paſtore electio celebrata, aliis canonicis ſuis agentibus in remotis: dictus tamen electus juri, ſi quod ſibi ex electione hujuſmodi competebat, in noſtris manibus ſponte ac libere reſignavit. Ideoque de eorumdem fratrum conſilio, & apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſtatuimus, ut quamdiu civitates ipſæ, ſchiſmaticorum, aut infidelium ſubſunt, aut ſuberunt ditioni, aut detinebuntur per eos, canonici dictarum Patriarchalium ſedium, quum eas vel ipſarum aliquam ſeu aliquas vacare contigerit, ad electionem, poſtulationem, ſeu quamvis proviſionem de præficiendo ſibi Patriarcha vel paſtore nullo modo procedant, quouſque ad apoſtolicæ ſedis notitiam deducatur. Nos enim, à data præſentium, decernimus irritum & inane, ſi ſecus per prædicta capitula, conventus, vel canonicos, aut quemvis alium, vel alios, ſcienter vel ignoranter fuerit attentatum, nonobſtantibus quibuſcunque ipſarum eccleſiarum, vel alicujus earum, conſuetudinibus vel ſtatutis, juramento, confirmatione dictæ ſedis, vel quacunque alia firmitate vallatis, &c. Data Later. X. kal. Januar. (id eſt, die 23. Decembris) *Pontif. noſtri anno VII.* Chriſti 1301. Leonardum autem promovit ad ſedem Conſtantinopolitanam iſte Pontifex anno ſequenti 1302. ut conſtat ex ejus diplomate dato Laterani pridie kal. April. (id eſt die 31. Mart.) .... anno VIII. quod legere eſt apud Raynaldum ad eum annum, *num. 27.* Addit *ibid.* Raynaldus, quum Conſtantinopoli ſedere non poſſet Leonardus, ei à Bonifacio eccleſiæ Cretenſis adminiſtrationem fuiſſe commiſſam. Fuit is veriſimiliter *Patriarcha* ille *Conſtantinopolitanus* in inſula Cretenſi reſidens, ad quem Clemens V. encyclicas ſuas litteras miſit datas anno 1307. die 12. Aug. ut ipſum & plures alios præſules ad concilium generale Viennæ in Gallia celebrandum invitaret, *tom. XI. concil. Labb. part. 2. col. 1549.* B. Ipſi quoque, vel fortaſſis Nicolao ejus ſucceſſori, redditæ ſunt aliæ ejuſdem Clementis V. litteræ datæ anno 1310. die 4. April. quibus concilium præfatum anno ſequenti convocandum ſignificabat. An Leonardus iſte, vel Nicolaus ejus ſucceſſor, huic concilio interfuerit, nos latet.

IX. Nicolaus II.

Raynaldus ad annum 1314. *nn. 9. & 10.* refert epiſtolam Clementis V. datam *Montiliis Carpentoratenſis diœceſis XIX. kal. Febr. anno Pontif. IX.* (id eſt, die 14. Januar. anno 1314.) ſcriptam *venerabili fratri Patriarchæ Conſtantinopolitano*, qua ei mandabat ut omni

A ſtudio & opera Catalanos duces & milites quandam ſocietatem iniquitatis conflantes, monitis, precibus & cenſurarum incuſſa religione induceret ad erepta reſtituenda Gualtero de Caſtellione alterius Gualteri de Brenna ducis Athenarum ab iis nequiter occiſi leviro, regni Gallici equitum magiſtro. At nihil profuere Pontificis ac Patriarchæ monita ut injuſto bello parta reſtituerent Catalani iſti, quos Gregoras *lib. 7.* ex iis initiis ditionis ſuæ terminos latius proferre perrexiſſe uſque ad tempora ſcribit. Inde autem Hiſpanos reges

B varia ſucceſſione, Athenarum & Neopatriæ ducatus nomina, nunc quidem inania umbramque, ſuis aliis titulis adjeciſſe Mariana agnoſcit *lib. 15. cap. 15.* Ita Raynaldus *n. XI.* ſubjungens, hunc Patriarcham Conſtantinopolitanum Latinæ gentis, fuiſſe *Nicolaum*, cui ob Conſtantinopolim ab Andronico occupatam, extra eam degere coacto, Clemens, defuncto Gualchero Negroponti olim Eubœæ epiſcopo, hujus eccleſiæ adminiſtrationem ac vectigalia tradidit ad ſuſtinendam Patriarchalem dignitatem: quam etiam eccle-

C ſiam inpoſterum cum Patriarchatu conjunctam juſſit fore. Quandiu poſtea vixerit Patriarcha iſte, quove anno obierit, ignoramus.

X. Petrus II.

Ughellus *to. 1. Ital. ſac. vet. edit. in Averſanis epiſcopis, col. 552. n. 20.* D. hæc ſcribit de eo Petro: «*Petrus de Boloneſio*, canonicus Belvacenſis, Caroli Siciliæ regis capellæ magiſter, à capitulo electus, confirmatur à Clemente V. anno 1309. *ex Reg. Vatic.* Factus eſt inde Patriarcha Conſtantinopolitanus &

D eccleſiæ Averſanæ commendatarius per ceſſionem Leonardi epiſcopi Cardinalis Albanenſis. Obiit anno 1324.» Hic Petrus probabiliter eſt *Patriarcha* ille *Conſtantinopolitanus Latinus*, quem cum archiepiſcopo Patracenſi Joannes XXII. invigilare juſſit, ne Latini qui in Achaïa morabantur cum Græcis ſchiſmaticis in divinis communicarent. Ex Auguſtino Oldoïno *hiſt. Rom. Pontif. & DD. Cardinal. tom. 2. edit. Rom. 1677.* ſub Joanne XXII. *col. 403.* E. Vide etiam Rayn. ad ann. 1323. *num. 4.*

E

XI. Cardinalis.

Petro ſucceſſiſſe in dignitate Patriarchali, quemdam nomine *Cardinalem* colligitur ex Odorico Raynaldo, ad annum 1335. *n. 63.* «Nec modo, inquit, ad hæreticorum, verum etiam ad ſchiſmaticorum nefaria conſilia elidenda, navata eſt à Pontifice (Benedicto XII.) opera. Miſerat in Cretam Græcus Patriarcha Conſtantinopolitanus (Latinus *tunc enim* erat Gotius, quem hoc anno Benedictus XVIII.

Digitized by Google

» kal. Julias, *id eſt die 14. Junii,* illi eccleſiæ, » vita functo *Cardinale* Patriarcha cui *Cardi-* » *nalis* nomen erat, præfecerat) miſerat, in- » quam, in Cretam Græcus Patriarcha Con- » ſtantinopolitanus epiſcopum ſchiſmaticum, » ut eos populos inficeret.... (At) Pontifex » Franciſcum Dandulum ducem ac ſenatum » Venetum exoravit, ut nefarium hominem » tollerent, fideique dignitatem tuerentur. » Epiſtola hæc data eſt *apud Pontem Sorgiæ* » *Avin. diæceſis, XIII. kal. Aug.* (id eſt die 20. Jul.) *anno primo* (Chriſti 1335.)» Patriarcha hic Cardinalis nomine veriſimiliter eſt *Patriarcha* ille *Conſtantinopolitanus* Latinus cui Joannes XXII. litteris datis anno 1330. die 14. Junii, & quibuſdam aliis epiſcopis injunxit, ut religioſam militiam profeſſuros crucis ſymbolo diſtinguerent.

Vide Raynald. ad annum 1329. n. 3. & ad ann. 1330. n. 54.

XII. Gotius.

Gotius ſive *Goctius, Gochius, Goſus* & *Goïſius,* ut varii variè eundem appellant, *de Battagliis* cognominatus erat, ex familia ſcilicet *Battaglina,* quam hodie inter primores Ariminenſes locum obtinere teſtatur Auguſtinus Oldoïnus *tom. 2. hiſt. Rom. Pontif. & DD. Cardin. edit. Rom. 1677. col. 473.* D. & è Battaglia ortum ducere ex antiquis & authenticis tabulis conſtat. Is natus eſt Arimini in parochia S. Agnetis, ut ferunt acta fundationis capellæ illic conditæ ſub titulo S. Priſcæ legenda apud Raphaëlem Adimarium *lib. 2. hiſt. Arimin. pag. 609.* & apud Ughellum *tom. 2. Ital. ſac. edit. Rom. 1652. coll. 428. & 429.* Ita doctiſſ. Baluzius *in vitis Papar. Avenion. edit. Pariſ. anno 1693. to. 1. col. 810. & ſeq.* Juris utriuſque profeſſor fuit, juxta inſcriptionem Ariminenſem, pluraque alia vetera monumenta, collectanea inprimis Petri Puteani de diſſidio Bonifacii VIII. & Philippi Pulchri regis Francorum, *pp. 370. 371. 390. 394. & 399.* ubi inſignitur *utriuſque juris profeſſor, & doctor.* Unus extitit illorum qui anno 1310. Bonifacii VIII. memoriam ſuſcepere defendendam adverſus accuſationes Guillelmi de Nogareto.

Guillelmus Cardinalis anno 1326. quo ſuum teſtamentum condidit, illi legavit centum florenos: *Domino Gotio auditori ſuo centum florenos.* Anno 1335. XVIII. kal. Jul. id eſt, die 14. Junii, creatus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus ritus Latini à Benedicto Papa XII. ex Odorico Raynaldo ad eum annum, *num. 63.* Anno 1336. idem Rom. Pontifex volens certas quaſdam ordinationes ſancire FF. Minoribus, quorumdam ad id Cardinalium, aliorumque virorum doctrina præſtantium uſus eſt conſilio, inter quos numerabatur Gotius Patriarcha Conſtantinopolitanus. Bulla data eſt *Avin. IV. kal. Decembris anno 2.* id eſt, die 28. Novembris anno 1336. & refertur à Raynaldo ad eum annum, *num. 65. & ſeqq.* Circa ea tempora, ex Baluzio, *col. 723.* Gaucelinus factus Pœnitentiarius major corrigi curavit formularium pœnitentiariæ, quod legitur tum in codice 1892. biblioth. regiæ, tum etiam in bibliotheca imperatoria ut ſcribit Petrus Lambec. *lib. 2. biblioth. Vindobonenſis pag. 932.* initium eſt: *Incipit novum formularium pœnitentiariæ D. Papæ correctum & reformatum de ſpeciali mandato D. Benedicti Papæ XII. per reverendos in Chriſto Patres Dominos Gaucelinum epiſcopum Albanenſem, Gotium Patriarcham Conſtantinopolitanum, Jacobum, &c. profeſſores juris canonici & civilis.*

Anno 1338. die 18. Decembris, feria 6. quatuor temporum, Gotius ad Cardinalatum aſſumtus eſt, cum quinque aliis, ex auctoribus vitæ Benedicti XII. apud Baluzium ſupra citatum *coll. 209. 216. 235. & 242.* qui addit *col. 811.* hunc, quia abſens erat, diu fuiſſe ſine titulo, dari non ſolito niſi præſentibus; & *col. ſeq.* ait: *Difficile eſt certo ſtatuere de tempore quo datus ei eſt titulus Cardinalis. Etenim quum is.... in Italica legatione fuerit eo tempore quo dignitate illa ornatus eſt, & nullibi reperiamus eum rediiſſe Avenionem quandiu Benedictus XII. fuit in humanis, affirmare non poſſumus titulum illi datum fuiſſe à Benedicto: imo proclivius eſt exiſtimare eum non depoſuiſſe provinciam ante mortem ejus.... quo conſequitur titulum ei datum à Clemente* (VI. Benedicti ſucceſſore). Verum non capio quo pacto aſſerere potuerit Baluzius, à ſe nullibi repertum rediiſſe Gotium Avenionem adhuc ſuperſtite Benedicto XII. ſiquidem auctor tertiæ vitæ Clementis VI. ſcribit apud eumdem Baluz. *ibid. col. 281.* ad quam columnam ipſemet remittit Baluzius, in indice ad calcem hujus voluminis ubi de Gotio, ſcribit, inquam, de Petro Rogerio qui poſtea fuit Clemens VI. *Per eundem Dominum Benedictum Papam ad apicem Cardinalatus aſſumitur, & de Pariſius ad Romanam curiam tunc Avinione manentem capellum nigrum in rubeum commutaturus accedit; ubi ſimul cum Domino Goſo* (id eſt Gotio) *qui velut apoſtolicus nuntius factus Cardinalis de Italia redibat, cum debita ſolita ſolemnitate per Papam & Cardinales excipitur, &.... capelli rubei flamine decoratur, ſub quo per annos quaſi tres, &c.* Id ſubinde contigit anno 1339. poſt menſem Maium: anno quippe 1342. die 7. Maii, Petrus Rogerius electus eſt in Papam. Quocirca nihil obſtat quin Gotius, qui cum Petro Rogerio abſens creatus fuerat Cardinalis à Benedicto XII. pileum deinde ab eodem, & S. Priſcæ

Digitized by Google

titulum receperit hoc anno 1339. una cum A præfato Rogerio. Hunc tamen ideo ſpecialiter in ea cæremonia non memorat auctor ille, quia Rogerii vitam deſcribebat, non Gotii.

Anno igitur 1338. delegatus fuerat Gotius in Siciliam cum Raterio epiſcopo Vaſionenſi, ad res inter Robertum & Petrum reges componendas, ut ex bulla hujus commiſſionis conſtat apud Raynaldum ad eum annum, *n. 35. & ſeqq.* cujus initium eſt: *Benedictus, &c. venerabilibus fratribus Gotio Patriarchæ Conſtantinopolitano & Raterio epiſcopo Vaſionenſi A. S. N.* (id eſt, apoſtolicæ ſedis nun- B tiis) *in agro dominico, &c.* Finis vero: *auctoritate apoſtolica, qua plene vos in hac parte fungi volumus, procedatis ſicut videritis expedire, nonobſtantibus quibuſcunque privilegiis, &c. Data Avin. IV. Non.* (id eſt, die 4.) *Julii, anno IV.* Protulerunt autem illi ſententiam judiciariam anno ſequenti 1339. adverſus Petrum cæteroſque rebelles, quæ ſic incipit, *ibid.* ad eum annum, *num. 44. Gotius Dei gratia ſanctæ Romanæ eccleſiæ preſbyter Cardinalis* (titulum non exprimit quem tunc nondum receperat) *olim Patriarcha Conſtantino-* C *politanus, & Raterius eadem gratia epiſcopus Vaſionenſis apoſtolicæ ſedis nuntii, commiſſarii & executores ad infra ſcripta per ſedem apoſtolicam ſpecialiter deputati: univerſis & ſingulis hujus proceſſus ſeriem inſpecturis, ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum. Dudum de menſe Septembris proximè præteriti, nos Gotius & Raterius commiſſarii & executores præfati contra Dominum Petrum primogenitum quondam Domini Frederici olim regis Trinacriæ, & alios natos & hæredes ipſius Domini Frederici, &c.* Sic autem clauditur, D *num. 58. Civitates vero, caſtra, ſeu loca cætera, & univerſitates eorum qui ſcientia ſecus fecerint, in his ſcriptis eccleſiaſtico ſupponimus interdicto, &c. Sub anno à Nativ. Dom. 1339. Indict. VII. die ſeptima menſis Aprilis, Pontificatus ejuſdem ſanctiſſimi Patris Domini Benedicti Papæ XII. anno 5.* Fazellus *lib. 9.* poſterioris decadis, hanc legationem narrat ſub annum 1340. proindeque *non loco ſuo, quod ſæpe ei contingit,* inquit Spondanus ad annum 1338. *num. 10.* Id patet ex temporibus quibus datæ ſunt bulla Benedicti & ſententia E ejus legatorum modo citatæ. Gotii & Raterii meminere, tum Clemens VI. in diplomate dato *Avin. kal.* (id eſt, die 1.) *Martii anno 7.* Chriſti 1349. apud præfatum Raynaldum, ad eum annum, *num. 9.* tum Innocentius VI. Clementis ſucceſſor, in diplomate dato *Avin. X. kal. Decemb. anno 2.* id eſt, die 22. Nov. anno 1354. *ibid.* ad hunc annum, *num. 15.* Ex quibus omnibus monumentis errare liquet Ciaconium, quem Oldoinus ſupra recenſitus ſcripſiſſe tradit Gotium ex epiſcopo Vaſionenſi ad cardinalatus dignitatem eſſe evectum. Obiit Avinione, ex eodem Oldoino, non anno 1344. ut habet idem Ciaconius, nam ex teſtamento ejus condito anno ſequenti 1345. palam fit ipſum illo anno adhuc in vivis fuiſſe; ſed eodem anno 1345. ut ſcribit Ughellus *to. 2. Ital. ſac. col. 430.* B. *vet. edit.* vel etiam, ut Cotelorio placet, die 10. Junii, anno 1348. Præfatum hujus Cardinalis teſtamentum referunt Raphael Adimarius, & Cæſar Clementinus in hiſtoria Ariminenſi, cujus exemplar authenticum ſe vidiſſe teſtatur idem Ughellus, Scipionis de Battaglinis nobilis Ariminenſis humanitate. Gotii cineres Avenione Ariminum tranſlati fuere, & in ſacello S. Stephani Proto-martyris ab ipſo erecto in eccleſia S. Agnetis reconditi. Omnibus & fere ſingulis Ariminenſibus templis pretioſam ſupellectilem diſtribuit.

XIII. Henricus.

Gotio inter Cardinales cooptato anno 1338. menſe Decembri ſubſtitutus videtur *Henricus* ad titulum Patriarchæ Conſtantinopolitani. Is certe ea dignitate inſignitus erat anno 1341. Huic quippe Odoricus Raynaldus ad eum annum, *num. 130.* Catalanos (qui à Nicolao Patriarcha Conſtantinopolitano, juſſu Clementis V. Papæ, anno 1314. cenſuris eccleſiaſticis innodati fuerant, ob Gallici generis Latinos ab ipſis injuſte oppreſſos,) ſignificaſſe, in gratiam ſe Romani Pontificis redire velle narrat: excerptumque tradit epiſtolæ Benedicti XII. ad eum Patriarcham his verbis: *Te pridem de Romana recedente curia, & ad tuam Nigropontenſem eccleſiam accedente, quum per partes ducatus Athenarum tuum iter proſequendo tranſires, ex parte illorum, qui de magna ſocietate ſe faciunt nominari, tibi expoſitum extitit reverenter, quod ipſi reconciliationem & reductionem ſuam ad gremium ſanctæ matris eccleſiæ, ac noſtram & apoſtolicæ ſedis gratiam, devotionem, & obedientiam ſummis deſideriis affectabant, quædam quæ pro defenſione fidelium & fidei, ac eccleſiarum & perſonarum eccleſiaſticarum partium illarum utilitate non modica, ſtatuque pacifico confovendo admodum utilia eſſe poſſent offerentes nihilominus, teque rogantes inſtanter, ut ſuper hoc nobis ſcribere procurares. Sanè quia nos, quibus deſuper cura gregis dominici eſt commiſſa, non ſolum illos, ſed quoſvis oberrantes alios reduci cupimus ad ovile dominicum, extra quod non eſt alicui gratia, neque ſalus, ſi procuratores ſuos mandatis munitos ſufficientibus ad ſedem apoſtolicam duxerint ſuper iis deſtinandos, eos libenter & favorabiliter audiemus, &c. Dat. Avin. IV. id. Febr. anno 7.* (id eſt

die 2.

Digitized by Google

die 2. hujus menſis, anno 1341.) Quum vero, A ad comparandam claſſem adverſus Turcas, Clemens VI. Benedicti ſucceſſor regem Cypri, Rhodios Equites, Venetos ac Genuenſes concitaſſet, Henrico Patriarchæ Conſtantinopolitano apoſtolicæ ſedis legato, qui huic operi plurimum incubuerat, idem Papa gratulatus eſt epiſtola data VIII. kal. Aug. (id eſt, 25. Julii) hujus anni, teſte eodem Raynaldo ad annum 1344. *num. 2.* Ne tamen Græci Latinorum armis territi ſeſe Turcis adjungerent in ea expeditione, eumdem Henricum, ſuum iis in regionibus legatum, B monuit Clemens, ut cruce ſignatos à Græcorum oppugnatione averteret, & univerſos impetus in ſolos Turcas effundendos curaret. Epiſtolam ejus ad Henricum, datam *apud Villamnovam Avinionenſis diœceſis XIV. kal. Octob.* (id eſt, 18. Septemb.) *anno 3.* Chriſti 1344. tranſcribit idem Raynaldus præfato *num. 2.*

Conjunctioni Græcorum reſarciendæ cum Romana eccleſia tunc temporis favebat Imperatrix Joanna Andronici Junioris uxor, ex ducum Sabaudiæ ſtirpe catholica ſata, ad quam C anno 1337. ea de cauſa ſcripſerat Benedictus XII. Eodem etiam anno ipſe Andronicus Græcorumque proceres Turcico flagello vexati ejuſdem Pontificis opem flagitarant, ſpem miſſis oratoribus dantes, fore ut, ſi militibus ac ſtipendiis Latinorum ad amiſſa recuperanda adjuvarentur, eccleſiæ Romanæ ſeſe aggregarent, paratos ſe declarantes ſtatim atque cognoſcerent errare ſe in aliquo fidei articulo errorem hunc revocare. Datas ea de re à Benedicto epiſtolas legere eſt apud Raynaldum ad præfatum annum 1337. *num. 31.* D *& ſeqq.*

Unionem denuo eccleſiæ Græcæ cum Romana anno 1339. Andronicus propoſuit, miſſis ad Benedictum Papam Barlaamo abbate & Stephano Dandulo oratoribus ſuis, qui ei ſignificarent Græcorum votum, iis tamen legibus ut in ſynodo œcumenica de proceſſione Spiritus ſancti orthodoxum dogma concertationibus theologicis illuſtratum communi conſilio ſtabiliretur, & ante hujuſmodi ſynodi celebrationem auxilia Græcis ſubminiſtrarentur, quibus quatuor urbes principales E ſibi à Turcis ereptas in Aſia recuperarent. Confectas de eo tractatu fuſiores tabulas, & epiſtolam Benedicti ad Philippum regem Franciæ eo de argumento datam Avin. 2. ſive pridie Non. Septemb. anno 5. id eſt die 4. hujus menſis anno Chriſti 1339. tranſcripſit Raynald. ad eum annum, *num. 19. & ſeqq.*

Andronico mortuo die 15. Junii anno 1341. Joannes Palæologus ejus filius novennis ſucceſſit, Cantacuzenus vero imperii habenas moderabatur; ex eodem Raynaldo ad hunc annum *num. 129.* Is itaque Joannes anno 1343. vel potius conſiliarii ejus, quum Græci non ſolum Turcarum, ſed etiam Tartarorum armis opprimerentur, ad Clementem VI. Benedicti ſucceſſorem confugerunt, qui ad Joannem reſpondens, epiſtola data *Avin. XII. kal. Novemb. anno 2.* id eſt, die 21. Octob. anno Chriſti 1343. apud Raynald. ad eum annum, *num. 12.* ait..... *quumque tam per ipſas litteras, quam* (per) *ea quæ idem nuntius* (Philippus de Sancto Germano ab Imperatore miſſus) *verbo.... explicavit, affectum magnæ devotionis & reverentiæ nobis & Apoſtolicæ ſedi obtuleris, ac.... præſtari tibi, & eiſdem Græcis adverſus Turcorum.... potentiam & malitiam, galearum & vaſorum navigabilium armatorum, & munitorum Latinis hominibus, ſubſidium per nos & Romanam eccleſiam poſtulaveris; eidem magnificentiæ* (tuæ) *breviter ſuper iis reſpondemus, quod nos dudum..... non valentes pietatis paternæ viſcera claudere.... certum galearum & vaſorum hujuſmodi ſufficienter armatorum & munitorum ordinavimus ſubſidium exhibendum; volentes indubie te tenere, quod ſi tu ac Græcorum clerus & populus, rejecta infectione illius execrandi ac damnandi ſchiſmatis, quod eos damnabiliter à ſacro-ſancta Romana eccleſia matre omnium fidelium & magiſtra diviſit, per unionem ſalutarem, Deo placibilem, mundo acceptabilem, & ſaluti animarum multipliciter fructuoſam, ad matrem rediretis eamdem; & diligenter attento, quod D. N. J. C. unicum eſſe ovile ovium ſuarum, & unum paſtorem eſſe voluit..... vos ſub eodem ovili, extra quod non eſt alicui gratia neque ſalus, reducere curaretis; nos & ipſa eccleſia, vobis gaudioſis amplexibus occurrentes, intra noſtra reciperemus præcordia, & ad defenſionem veſtram, non ſolum contra Turcas..... ſed Tartaros, & alios veſtros & fidei catholicæ inimicos & hoſtes, quantum poſſemus, defendere ac tractare tanquam prædilectos & chariſſimos filios amplis favoribus & opportunis gratiis proculdubio ſtuderemus, &c.* Scripſit etiam eodem die Pontifex ad Alexium Megaducam, commendavitque illi Bartholomæum Romanum canonicum Negropontenſem, ſive quemcumque alium ab Henrico patriarcha Conſtantinopolitano ritus Latini apoſtolicæ ſedis legato mittendum, ut operam atque induſtriam ad aggregandum Romanæ eccleſiæ Imperat. poneret. Item ad magiſtratus Peyræ, quæ ex adverſo Conſtantinopoleos littore in Aſia jacet, *VII. kal. Decembris,* id eſt die 25. Novemb. ejuſdem anni 1343. ſcripſit, ut Demetrio Græciæ deſpotæ, ſi ad Romanæ eccleſiæ conjunctionem rediret, opera &

conſilio non deeſſent, & Henrico patriarchæ A Conſtantinopolitano, apoſtolicæ ſedis legato, vel aliis ab eadem ſede aut Patriarcha miſſis ad tractandam Græcorum cum Romana eccleſia reunionem, ſtudium ſuum impenderent. Dum hæc ergo gererentur, idem Clemens anno ſequenti 1344. mandavit Henrico patriarchæ Conſtantinopolitano in partibus tranſmarinis apoſtolicæ ſedis legato, ut cruce ſignatos à Græcorum oppugnatione abduceret, & univerſos impetus in Turcas erumpendos curaret. Epiſtolam profert Raynaldus ad eum annum *num. 2.* ex B qua diſcimus, Martinum Zachariam claſſis pontificiæ præfectum, privati commodi ſpe delinitum, apparatum belli ſacri in rei ſuæ utilitatem convertere voluiſſe, ut Chium ſcilicet inſulam quæ ab Andronico Juniore ſibi per proditionem ſublata fuerat, in poteſtatem redigeret. Verum Henrici ſtudio diſſipatum eſt iſtud Zachariæ propoſitum, vertenteſque cruce ſignati in Aſiam arma, Smyrnam urbem munitiſſimam, Turcarum propugnaculum, expugnandam ſuſcepere, quæ die 28. Octobris ipſis ſubdita eſt. C

Anno ſequenti 1345. Marbaſſanus Turcarum ductor exercitus videns ſe non poſſe vincere vi aperta, quum Smyrnam collectis ingentibus copiis obſidione cinxiſſet, convertit ſe ad dolos: relictis enim in caſtris aliquot turmis ſe ſubduxit, & florentiſſimo alio exercitu ſtipatus in montibus delituit. Voto potitus eſt, Chriſtianoſque incautos ſubito rediens oppreſſit. Sic rem deſcribit Cortuſiorum hiſtoria apud eumdem Raynald. ad hunc annum *num. 1. Cum maxima multitudine armatorum ſe poſuerunt juxta Smiras,* D *& cum trabuchis intrinſecos infeſtabant in opprobrium ſanctæ crucis. Chriſtiani vexillo crucis præmiſſo exierunt ſubito pugnaturi, & de Turcis habuerunt victoriam, & eorum machinas combuſſerunt. Dum vero chriſtiani vagarentur, colligentes eorum ſpolia, & Dominus legatus* (Henricus Conſtantinopolitanus Patriarcha) *miſſam ſolemniter celebraret, Morbaſſan, (qui ſe ſcribit Dominum Achaiæ, & Imperatoris Orchani collateralem & pugilem,) cum multitudine equitum ſupervenit, contra quem nobiles caporales pugnaverunt egregie,* E *quaſi ab univerſo vagante populo deſtituti.* Pauciſque interjectis, ut ſub multitudine ſubcubuerint, ſubdit: *Sic eo die capita Dominorum legati, Petri Zeni, Martini Zachariæ de Janua, Capitanei etiam Rhodi, & aliorum viginti nobilium Morbaſſano Turcorum Domino præſentantur. Iſti nobiles Chriſti pugiles..... vivunt in æternum. Fuit hoc 1345. die 17. Januarii.*

XIV. Stephanus.

Ughellus, *tom. 8. Ital. ſac. vet. edit. in archiepiſcopis Beneventanis, col. 231.* C. refert *Stephanum Patriarcham Conſtantinopolitanum,* Beneventanæ eccleſiæ præſulem renuntiatum eſſe à Clemente VI. anno 1346. die 17. Novembris, *ex reg. Vatic. in lib. obligat. Prælat.* & obiiſſe anno 1350.

XV. Guillelmus I.
XVI. Georgius.

Stephano probabiliter ſucceſſit anno 1346. *Guillelmus Puſtrella,* de quo Spondanus ad annum 1362. *num. 17. pag. 775. col. 1.* ita ſcribit. « Titulum Patriarchæ Conſtantinopolitani habuiſſe hoc tempore ex Latinis « *Guillelmum Puſterlium* Mediolanenſem archi- « epiſcopum Onuphrius ponit. » De eodem etiam præf. Ughellus *to. 4. Ital. ſac. vet. edit. col. 361.* B. in archiep. Mediolanenſibus, « *Guillelmus Puſtrella,* rerum experientia, & « claritate ſanguinis vir illuſtris, ex Modœtiæ « archipreſbytero factus Conſtantinopolitanus « patriarcha: mox archiepiſcopus Mediola- « nenſis evaſit anno 1361. Sedit (Mediolani) « annos 9. deceſſitque anno 1370. »

Subſtitutum quidem refert Bollandus *to. 2.* Jan. ad diem 29. *pag. 993. col. 1. n. 18.* B. *Petrum Thomæ* ſive *Thomaſium,* Carmelitam, Guillelmo, *qui,* Genebrardo teſte, *Calliſto & Philotheo Græcis Patriarchis & ſchiſmaticis, annos decem adverſariam, ſed legitimam tenuit cathedram.* Verum *Georgium* quemdam hujus B. Petri fuiſſe prædeceſſorem in tituli Patriarchæ Conſtantinopolitani poſſeſſione conſtat *ex libro obligationum Prælat. ſub Urbano V.* in quo ſic legitur apud Danielem à Virg. Maria Carmelitam, *to. 2. Speculi Carmelitani, part. 5. lib. 3. p. 949. num. 3338. col. 2. Fr. Petrus Patriarcha Conſtantinopolitanus recognovit 13. Julii 1364. pro Georgio prædeceſſore, & pro eccleſia Coronenſi.* In magnorum quippe ſumptuum ſubſidium quos ſubire eum oportebat, redditus illi conceſſit Pontifex eccleſiarum Coronenſis & Nigropontenſis.

Veriſimillimum itaque eſt, Guillelmo Puſtrella ad ſedem Mediolanenſem promoto anno 1361. adeoque non decimo, ſed decimo-quinto ſui patriarchatus titularis anno, collatum fuiſſe *Georgio* hunc patriarchatum qui illo potitus fuerit uſque ad annum 1464. ſive is tunc obierit, ſive ad aliam ſedem fuerit aſſumptus.

XVII. Petrus III.

B. Petri cognominati *Thomæ* ſive *Thomaſii* vitam à Philippo Mazzerio, regni Cypri

Digitized by Google

Cancellario, ejuſque itinerum & laborum ultimis annis ſocio, ſcriptam doctiſſimus Bollandus refert *to. 2.* Jan. ad diem 29. à *p. 995.* ad *1022.* cujus hæc ſumma eſt. In Ducatu Aquitaniæ, & diœceſi Sarlatenſi (adeoque poſt annum 1317. quo Petragoricenſi Sarlatenſis avulſa eſt à Joanne XXII.) primam lucem adſpexit Petrus iſte de parentela inferioris conditionis; grandiuſculus factus relicta domo paterna, in caſtrum *Mampeſier* (ſive *Montiſ-penſierii*, ut appellat Waddingus in vita hujus Petri) ſe contulit. Ibi emendicans panem ſcholaſque frequentans, brevi ſic ſtuduit, ut effectus ſit puerorum magiſter. Deinde venit in civitatem Agennenſem, ibique per aliquot annos humaniores litteras, logicam & dialecticam didicit, ex eleemoſinis interea & labore victum ſibi comparans: *nec enim in tota vita ſua*, inquit Philippus Mazzerius, *num. 2. à patre vel domo propria unquam habuit valorem viginti florenorum.* Docuit poſtea pueros provinciæ grammaticam & logicam uſque ad vigeſimum ætatis ſuæ annum.

Prior, & Lector conventus Carmelitarum hujus civitatis, duxerunt eum Lectoram, ubi per annum perrexit docere pueros grammaticam & logicam. Quum vero Prior Carmelitarum urbis Condomii eò veniens, ſubtilitatem ejus ingenii & morum integritatem noviſſet, eum duxit in ſuum conventum, ibique induit habitu religioſo. Poſt factam profeſſionem docuit fratres juvenes per duos annos. In urbem Agennenſem poſtea miſſus, legit per tres annos logicalia, & ad ſacerdotium promotus eſt. Legit quoque in multis conventibus ſuæ provinciæ, & Pariſiis ubi laurea doctorali in theologia ornatus fuit. Procurator deinde generalis electus ſui ordinis, Avenione in Curia Romana ſub Clemente VI. apud Papam & dominos Cardinales ſcientia & pietate mirum in modum effulſit. Concionabatur, legebat theologiam, quæſtioneſque ſolvebat cum omnium applauſu. Ipſum non minoris fecit Innocentius VI. Clementis ſucceſſor, qui ſedem apoſtolicam conſcendit die 18. Decembris anni 1352. Multiplici legatione ſub eo pontifice & ſub Urbano V. præclarè functus eſt. Ut verò majori auctoritate polleret, hunc primum epiſcopum Pactenſem & Lipparienſem in Sicilia creavit Innocentius VI. die 16 Novembris anni 1354. & poſtea tranſtulit ad eccleſiam Coronenſem die 10. Maii anno 1359. Eundem ſucceſſor ejus Urbanus V. anno 1363. die 5. Martii, Cretenſi eccleſiæ præfecit; & tandem anno 1364. renuntiavit Patriarcham Conſtantinopolitanum ritus Latini, ſimul addens, tum eccleſias Coronenſem & Negropontenſem, ut ex earum redditibus aleretur, tum etiam decem florenos quotidianos. Sic legi in *lib. 1. proviſ. Prælat. hujus Papæ anno 2.* teſtatur Daniel à V. M. *tom. 2. Speculi Carmel. part. 5. lib. 3. p. 949. n. 3338. Conſtantinopolitana eccleſia vacat.... providetur ei de perſona Petri archiepiſcopi Cretenſis III. Non.* (id eſt die 5.) *Julii.*

Raynaldus ad annum 1364. *n. 24.* profert diploma Urbani V. datum eo anno die 10. Julii. Piiſſime obiit Petrus Famaguſtæ in inſula Cypro anno 1366. die 6. Januarii.

XVIII. GUILLELMUS II.
XIX. PAULUS.

Waddingus *tom. 4. annal. Min.* ad annum 1366. *num. 18. p. 117.* meminit, his verbis, cujuſdam *Guillelmi* Patriarchæ Conſtantinopolitani: « ad Dimitacen. Sub Patriarcha Conſtantinopolitano, per obitum Joannis, « Fr. Joannes (Minorita) aſſumptus à *Guillelmo* « Patriarcha: ſed quum id ratum non haberet « Pontifex (Urbanus V.) ſua eum promovit « auctoritate VII. kal. Febr.» (id eſt die 26. Januar.) Hunc ſubinde Guillelmum renuntiatum fuiſſe oportet eodem menſe Januario quo obierat Petrus.

Guillelmo ſuffectus videtur *Paulus* in titulo Patriarchæ Conſtantinopolitani, illo ipſo anno 1366. vel ſequenti, quippe quem appellat Urbanus V. *Patriarcham* in quibuſdam ſuis litteris anno 1367. Is eccleſiam Smyrnenſem gubernabat anno 1355. quo eum Conſtantinopolim advocavit Joannes Palæologus Imperator Græcorum, ut ipſorum reunionem cum ſede apoſtolica jam ſub Cantacuzeno agitatam, ad finem perducere ſatageret. Solemni itaque ſacramento ſpopondit coram illo, Pontifici ſe Romano, catholicorum principum cæterorum more, futurum obedientem: proſequuturum debitis honoribus legatos apoſtolicos, daturumque operam revocandis ad Romanæ eccleſiæ obſequium Græcis adhuc ſchiſmate ab illa diviſis: præterea ſe filium Manuëlem hæredem imperii ad aulam apoſtolicam miſſurum, palatium etiam legato apoſtolico Conſtantinopoli conceſſurum, ac dignitates eccleſiaſticas, juxta illius arbitrium, Græcis doctrina & morum innocentia conſpicuis conferendas fore. A Pontifice autem ſimul poſtulavit, ut exercitum adverſus Turcas, eoſque perduelles Græcos qui Matthæi ſui æmuli, filii Cantacuzeni, partibus adhærebant, in Orientem tranſmitti procuraret, cujus ipſe dux & vexillifer eccleſiæ nomine crearetur. Hæc tunc inter Joannem Palæologum, & Paulum Smyrnenſem archiepiſcopum ſedis apoſtolicæ nuntium, Conſtantinopoli firmata ſunt, & in

Digitized by Google

publicis tabulis conſcripta, *anno à conſtitutione mundi 6864. à nativitate autem Domini 1355. die 15. Decembris,* quæ ad Innocentium VI. tranſmiſſæ ſunt. Eas refert Raynaldus ad eum annum *num. 34. & ſeqq.* ex libro privilegiorum Romanæ eccleſiæ quem unà cum aliis pene innumeris (archivis) ſingulari Innocentii X. beneficentia evolvendum habuit.

Anno ſequenti 1356. Paulus cum aliis Avenionem venit à Joanne Imperatore miſſus ad Innocentium VI. ut refertur in manuſcripto Vaticani, apud Raynald. ad eum annum, *num. 32.* his verbis: *Anno 1356. infra octavas Pentecoſtes nuntii Imperatoris Conſtantinopolitani cum parva galea applicant juxta eccleſiam B. Mariæ de miraculis Avenionenſis, offerentes Dominum ſuum rediturum ad eccleſiæ unitatem, ut ſibi ab eccleſia ſubſidium fieret contra Turcas.* Quibus benigne receptis Innocentius, Petrum Thomaſium Carmelitam, de quo ſupra, tunc Pactenſem in Sicilia epiſcopum, & Guillelmum Siſopolitanum antiſtitem legavit in Græciam, eos Hugoni regi Cypri, Ludovico regi Hungariæ, Rogerio è Pinibus Rhodiorum equitum magiſtro, Franciſco Cteluſio Genuenſi Mitilenes principi, & Patriarchæ Conſtantinopolitano Græci ritus commendans. Scripſit etiam eo anno, tum Imperatori Palæologo, tum Patriarchæ Græco Conſtantinopoleos litteras quas legere eſt *ibidem nn. 33. & 35.*

Anno 1366. vel ſeq. 1367. Urbanus V. Innocentii VI. ſucceſſor, Paulum archiepiſcopum Smyrnenſem qui tanta prudentia res eccleſiæ annis præcedentibus geſſerat, Patriarchæ Conſtantinopolitani titulo ornavit. Certe anno 1367. ea dignitate auctus erat, quum Viterbium venit ad Urbanum à Joanne Palæologo iterum miſſus, ob reunionem Græcorum cum ſancta ſede apoſtolica: *Urbano adhuc Viterbii exiſtente,* inquit vitæ hujus pontificis auctor, apud præfatum Raynaldum, ad eum annum, *num. 5.* & apud Baluz. *to. 1. Papar. Aven. edit. Pariſ. 1693. col. 380. venerunt ad ipſum Amedeus comes Sabaudiæ, Patriarcha Conſtantinopolitanus* (Paulus ſcilicet ut infra patebit,) *& aliqui alii viri notabiles, miſſi pro parte Imperatoris Conſtantinopolitani, pro ſui parte eidem Papæ promittentes ipſum rediturum ad Romanæ eccleſiæ unitatem; & ſuper hoc breviter perſonaliter venturum ad ipſum Papam.* Ex quibus colligendum datur Imperatorem Græcum hactenus promiſſis ſuis non ſtetiſſe, conjunctionemque eccleſiæ Orientalis cum ſede Romana, quam anno 1356. ſe velle tantoperè teſtatus fuerat, nondum anno 1366. fuiſſe confectam. Obſervat porro Raynaldus *num. 7.* nulla multorum annorum fluxu ſubmiſſa fuiſſe Joanni Palæologo idonea auxilia quibus Turcica tyrannis poſſet comprimi, principibus nimirum Chriſtianis perpetuo inter ſe bello diſſidentibus. Quinimo Orchanes Turcarum Imperator, ob Cantacuzenum & Matthæum ejus filium ad vitam monaſticam redactos, quibus arctiſſimo erat junctus fœdere, deinde etiam Amurates maximis cladibus Græcorum imperium affecerant, uſque ad annum 1365. quo tandem Amedeus comes Sabaudiæ, collecto Urbani V. auſpiciis cruce ſignatorum exercitu, Palæologo conſanguineo ſuo in ſubſidium veniens, Gallipolim Græciæ portum munitiſſimum, in quem ex Aſia Turcæ trajicere, & Chriſtianorum Europæorum triſtia ſpolia convehere ſoliti erant, expugnavit, huicque Imperatori tradidit, teſte eodem Urbani vitæ ſcriptore. Recuperata itaque Gallipôli, Joannes Palæologus in ſpem obterendæ, Latinorum copiis, Amuratis Turcarum principis potentiæ, erectus, miſit ad Urbanum octo oratores ampliſſimos, quibus Amedeus Allobrogum princeps, & Paulus..... (Patriarcha Conſtantinopolitanus) ſocios ſe addiderant, pollicitus expetitam tot annorum votis Orientalis eccleſiæ conjunctionem confecturum, Romamque vere proximo acceſſurum. Auditis his legatis Viterbii Urbanus V. tantæ rei ad finem perducendæ cupidus, ſcripſit ad Joannam Siciliæ reginam, ut totis viribus obſtaret ne qua Palæologo mare Siculum ſulcaturo injuria conferretur. Epiſtola data eſt die 6. Nov. anno 1367. apud Raynaldum ad hunc annum, *num. 7.* Dum autem Paulus Patriarcha Latinus Conſtantinopolitanus pontificia legatione in ea urbe fungebatur, congreſſum habuit cum Cantacuzeno de erroribus Palamitarum, quem ſic ipſe explicat, apud Raynald. modo citatum, *n. 12. Paulus miſeratione divina Patriarcha Conſtantinopolitanus, omnibus in Chriſto fidelibus, &c.* & infra: *Ne poſteros veritas rerum prætereat, oportere cenſui quæ inter Imperatorem Cantacuzenum & me diſputari contigit, ſcripturæ tradere. Quoniam enim ad Dominum Papam Urbanum V. & ejus Cardinales nonnulli Græci retulerunt, commemoratum Imperatorem Cantacuzenum & eccleſiam Græcorum multas ſuo dogmate divinitates inducere ſupereminentes & remiſſas, eò quod aſſerant, quæ Deo inſunt realiter inter ſe differre, & unumquodque horum deitatem diſtinctam in infinitum à divina ſubſtantia diſtare: quum noſſe verum hujus doctrinæ cuperem, Conſtantinopoli degens, quando ad Imperat. Palæologum à commemorato ſummo pontifice miſſus fui, quæſivimus iſtud ſcire, non autem potuimus verbo vel re aliquid certi de hac opinione & inpia doctrina comprehendere. Tandem Imperator*

Digitized by Google

ipſe Cantacuzenus de hac opinione mecum verba fecit. Quamvis autem à principio videretur mihi non recte ſentire, qui ex ejus verbis eum diſtinctionem realem ponere ſuſpicabar; tamen poſt aliquos dies ſermone protracto dixit, ſe non ſentire realem diſtinctionem inter ea quæ Deo inſunt, ſed tantum ratione & conceptu mentis. Tunc veluti gaviſus dixi, bene eum dicere, & cum B. Ambroſio convenire. Poſtea dicta colloquia ſcriptis mandavit, quibus nonnulla inſeruit, quæ dubitationem pariunt, utrum rationis tantum, an etiam realem diſtinctionem eſſe contendat: quæ profecto ſcripta ſummo Pontifici oſtendam ut ea vel improbet vel confirmet, &c. Deinde ſcripſit de lumine, quod apparuit in monte Thabor, aſſerens illud eſſe increatum, & non eſſe Dei eſſentiam, ſed quandam divinam operationem, quod ne auditu quidem ferendum eſt: nihil enim eſt increatum præter divinam eſſentiam, & omne increatum ſempiternum eſt: nullum porro ſempiternum viſibile eſt, quæ enim cernuntur, temporanea ſunt. Quare ſi diceret, illud viſibile lumen ſymbolum fuiſſe inviſibilis & increati luminis, utique recte ſaperet: dicere autem lumen quod corporalibus oculis viſum eſt, eſſe increatum, omnino extra terminos fidei eſt contra omnem rationem. Hæc igitur volumus præſenti ſcripto eſſe manifeſta, ut rei veritas inpoſterum conſervetur. Ita reipſa ſenſiſſe Cantacuzenum patet ex hiſtoria ab eodem Cantacuzeno ſcripta. *Lib.* quippe *2. cap. 40.* hujuſmodi errores de Thaborio lumine, ut fidei dogmata proponit. Adventum Joannis Palæologi Romam anno 1364. fideique profeſſionem quam in ea urbe emiſit legere eſt apud præfatum Raynaldum ad eum annum *num. 1. & ſeqq.*

Nihil amplius de eo Paulo Conſtantinopolitano Patriarcha nobis compertum eſt, cui ſucceſſor datus erat anno 1372.

XX. Ugolinus.

Ugolinus de Malabranca cognominatus, ex Urbe veteri oriundus, ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini alumnus fuit, cujus & Prior extitit Generalis, teſte Thoma de Herrera ſcriptore ejuſdem ordinis in alphabeto ſuo Auguſtiniano *tom. 2.* littera V. *pag. 500. col. 1.* & *pag. 502. col. 1.* Refert autem *pag. 503. c. 1.* ex Gregorii XI. regeſto, epiſtolam datam *Avenione V. kal. Januarii pontificatus ejus anno 2.* id eſt, die 28. Decemb. anno Chriſti 1372. ad illum cum ea inſcriptione: *Venerabili fratri Ugolino Patriarchæ Conſtantinopolitano;* in qua agitur de Franciſchino de Imola Dominicano, & Bartholomæo de Graſis Franciſcano, qui à ſe invicem circa aliquid doctrinæ diſſidebant, ſeſe mutuo de certis concluſionibus minus catholicis arguentes. Quum ergo veniſſet Avenionem ad Gregorium Bartholomæus, & negaret ſe concluſionem protuliſſe quam Ugolinus ipſum aſſeruiſſe contendebat, eidem Ugolino Pontifex illa epiſtola mandat ut quidquid ea de re ſibi compertum eſſet, renuntiaret, atque Bartholomæi ſcripta, ſi quæ haberentur, ad ſe ſtuderet deſtinare.

Mirum eſt auctores, in aſſignando hujus Ugolini Patriarchatus ævo, ſic deviaſſe ut Antonius Sabellicus, Ciaconius & alii eum ad annum 1286. aſſignaverint, Trithemius ad annum 1290. & Bzovius ad annum 1291. Quod in cauſa fuit cur alii, ipſeque Thomas de Herrera, Ugolinos duos, ambos Conſtantinopolitanos Patriarchas ritus Latini, ambos de Malabranca dictos, ambos Auguſtinianos profeſſione, ambos Urbevetanos patria, ambos demum Ariminenſes commemoraverint epiſcopos, quorum unus floruerit ſæculo decimo tertio exeunte, alter ſub Gregorio XI, ut modo expoſitum eſt: verum, præterquamquod id ſuperet omnem fidem, obeſt inſuper ſeries Patriarcharum Latinorum qui ſub finem ſæculi decimi tertii vixere. Vide ſupra ubi de Petro & Leonardo Patriarchis Conſtantinopolitanis, *col. 809. & ſeqq.* Non diſſimulandum tamen Thomam de Herrera hæc addere *p. 501. col. 2. Me minus certum reddunt* (duos eſſe viros ab invicem diſtinguendos) *& quod in nullo noſtrorum chronographorum mentio eſt niſi Ugolini Prioris Generalis circa annum 1370. & quod opuſcula indubitata Ugolini Generalis alteri Ugolino attribuantur.* De hoc ultimo Ugolino &, ut quidem videtur, unico, ait idem Thomas Herrera, *ibid. pag. 502. col. 1.* illum Romanæ provinciæ filium fuiſſe, Doctorem Pariſienſem, & in lectura Gregorio Ariminenſi pariter Auguſtiniano ſucceſſiſſe. Ughellus *to. 2. Ital. ſac.* ubi de Ariminenſibus epiſcopis, *col. 432.* de Ugolino ita ſcribit: *Quum Patriarcha Hieroſolymitanus* (dicendum Conſtantinopolitanus) *eſſet, Ariminenſis antiſtes declaratus eſt anno 1371. rexitque illam eccleſiam annos tres, tametſi abſens multoties, quippe qui à Pontificibus gravibus explicandis negotiis ſæpiſſime adhiberetur. Dum digreſſus Pariſiis Romam reverteretur, in oppido Aquæpendentis exceſſit è vivis anno 1374. cujus deinde cadaver Urbem veterem delatum, in D. Auguſtini templo tranſlatum eſt.*

XXI. Jacobus.

Jacobus iſte Campanus erat in Italia, natus ſcilicet in ea parte Italiæ quæ *Campania* dicitur, in qua ſitam eſſe civitatem Fundorum ſcribit Theodoricus à Niem *lib. 1. de Schiſmate cap. 9.* cui adjacet caſtrum de Itro, unde Jacobus *de Itro* cognominabatur. Joannes Villanius *lib. 12. cap. 74.* ait caſtellum de Itro eſſe prope Gaietam, quod etiam liquet ex

Digitized by Google

epiſt. Joannis XXII. apud Waddingum *to. 3. annal. Min. in Regeſto pag. 153.* Quia autem *Campanus* fuiſſe legitur hic Jacobus in prima Clementis VII. vita, *to. 1. Papar. Avenionenſ. Baluz. col. 490.* hinc ortus videtur error eorum qui illum exiſtimarunt fuiſſe Gallum ex Campania oriundum. Verum in vita ſecunda Gregorii XI. *ibid. col. 465.* dicitur expreſſe Italicus de Comitatu Fundorum. In vita prima Clementis VII. *ibid. col. 490.* de promotione Jacobi ad Cardinalatum hæc narrantur: *Die 18. menſis Decembris anni prædicti 1378. quæ fuit feria ſexta quatuor temporum, ſex novos creavit* (Clemens) *preſbyteros Cardinales, videlicet D. Jacobum de Itro Campanum tunc Patriarcham Comſtantinopolitanum, D. Petrum, &c.* De Jacobo ſequentia docet Baluzius *ibid. in notis col. 1249. & ſeqq.* Initium dignitatum & honorum illi fuit epiſcopatus Iſclanus in regno Neapolitano, è quo ad Marturanenſem in Calabria tranſlatus eſt anno 1359. Factus poſtea archiepiſcopus Hydruntinus anno 1363. Anno 1367. tempore quadrageſimæ erat in regno Neapolitano cum Ægidio Albornotio Cardinale, quem Bzovius ad annum 1366. *num. 6.* ait Siciliæ legatum fuiſſe. Illic *in generali Parlamento regni* ut ipſe ad Urbanum V. ſcripſit, orationem coram Joanna Regina & eodem legato habuit juſſu prælatorum. Hanc teſtatur Baluzius extare in codice 758. bibliothecæ Colbertinæ. Anno 1370. idem Urbanus eum viſitatorem apoſtolicum monaſteriorum Ordinis ſancti Baſilii in regno Siciliæ inſtituit VII. idus, (id eſt, die 7.) Junii, apud Bzov. ad hunc annum 1370. *num. 7.* Anno 1376. XV. kal. Febr. (id eſt, die 18. Jan.) Gregorius XI. eum fecit Patriarcham Conſtantinopolitanum, ſimulque eccleſiam Hydruntinam illi commiſit. Vicarium habuit in dignitate Patriarchali Antonium Baliſtarium Franciſcanum archiepiſcopum Athenarum, ut docent iſtius litteræ in collectione opuſculorum Petri de Marca *pag. 405.* Anno 1378. die octava Aprilis Bartholomæus archiepiſcopus Barenſis, electus eſt Papa, & Urbanus VI. appellatus. Inter illos vero qui ei reverentiam exhibuerunt nominatur inprimis iſte Patriarcha in depoſitione Stephani epiſcopi Tudertini apud Raynaldum ad hunc annum 1378. *num. 26. Vidi maritum reginæ, Comitem Fundorum,* (&) *Patriarcham qui nunc eſt Cardinalis, adorare iſtum, & exhibere ſibi reverentiam tanquam Papæ.* Poſtea apud Anagniam (ab eo defecit.) Cardinalium partes amplexus qui Clementem ibi elegerunt, propter quod anathematizavit eum Urbanus VI. ut ſcribit idem Raynaldus ad hunc annum *num. 112.* Die autem 18. Decembris ejuſdem anni abſens creatus eſt

A Cardinalis à Clemente dicto VII. Bullam profert Waddingus *to. 4. annal. Min. in Reg. p. 163.* Vulgo traditur illum habuiſſe primo titulum ſanctæ Priſcæ, poſtea vero ſanctæ Praxedis: ſed de primo parum conſtat, nam paulo-poſt ejus promotionem appellatur Cardinalis *tituli ſanctæ Praxedis,* in vita prima Clementis VII. apud præfatum Baluzium *tom. 1. col. 494.* Quum vero Clemens profectus eſſet Neapolim, adeo tumultuatum eſt adverſus eum, ut ſubito eò unde venerat oportuerit remeare, ut ait auctor vitæ ejus.
B Excedens itaque Italia, hunc Jacobum in ea regione reliquit, ubi *poſt multas afflictiones,* inquit idem auctor vitæ Clementis, *ibid. col. 502. vitam velut martyr conſummavit.* Hinc colligit Baluzius *col. 1251.* falſum eſſe quod ſcribit Ciaconius, illum è carcere dimiſſum Avenionem iviſſe, illicque obiiſſe. Scilicet anno 1381. poſt captam à Carolo Duracio Neapolim, ipſe & Cardinalis Leonardus de Giffono, qui Clementi adhærebant, inciderunt in manus Gentilis de Sangro Cardinalis, legati Urbani VI. in carcerem vero uter-
C que conjectus, coactus eſt abjicere inſignia Cardinalatus, quæ in medio templo ſanctæ Claræ Neapoli ſunt tradita flammis, apud Raynaldum ad annum 1381. *num. 26.* & Wadding. *in annal. Min.* ad annum 1378. *num. 7. pag. 238.* Eductum tamen (Jacobum fuiſſe) è carcere, verba ſunt Baluzii, *ibid. & col. 1262.* facile crediderim.... ex quodam tractatu (præfati) Leonardi Cardinalis de Giffono, ubi *duorum Cardinalium carceratorum quinquennium* commemoratur (deſinens utique ad finem anni 1386. aut initium ſe-
D quentis 1387.) At Jacobus ultra non vixit, ſiquidem auctor (modo recitatus) vitæ Clementis teſtatur illum eam conſummaſſe inter has ærumnas; (conjectu ſubinde pronum) mortem ei obveniſſe anno 1387. ut tradit idem Ciaconius. Ait quidem Cotelerius, eum enuntiari defunctum die 30. Martii anno 1393. in litteris hujus Clementis: at iſtud referri debet ad mentionem de Jacobi morte in litteris Clementis factam tali die, non vero ad diem quo ille extinctus eſt.

E

XXII. Guillelmus III. *electus.*

Quum Clemens VII. qui adverſus Urbanum VI. electus fuerat anno 1378. die 20. Septembris, Jacobum de Itro, Patriarcham Conſtantinopolitanum, ad Cardinalatus in ſua obedientia dignitatem eodem anno menſe Decembri evexiſſet; ei anno ſequenti 1379. die 21. Januar. ſubſtituit in titulo hujus Patriarchatus & in adminiſtratione eccleſiæ Hydruntinæ ſive *Otranto, Guillelmum* Ordinis Minorum epiſcopum Urbini. Diploma refert

Digitized by Google

Waddingus *tom. 4. annal. in Regeſt. Pontif. pag. 163.* dat. Fundis XII. kal. Febr. anno I. De eo Guillelmo legi etiam poteſt apud Baluzium *to. 2. Papar. Aven. col. 878.* epiſtola Caroli V. regis Francor. ad ipſum ſcriptam anno 1379. ex codice 356. biblioth. Colbert. quæ ſic incipit: *Karolus Dei gratia Francorum rex, venerabili in Chriſto Patri Patriarchæ Conſtantinopolitano amico noſtro chariſſimo, ſalutem cum dilectione ſincera. Amice dilectiſſime, &c.* Finis: *Nobis reſcribentes præterea, amice chariſſime, quæ placita fuerint votis veſtris. Nam majeſtas regia minimè ingrata exauditione tepebit. Datum apud Montem Argi die 26. Sept.* cui epiſtolæ jungitur, *col. 879.* altera quæ eſt reſponſio Guillelmi ad ſuperiorem epiſtolam, in qua ſic exorditur: *Sereniſſime ac glorioſiſſime rex, veridicè pluſquam illuſtris. Cum quantis reverentia & humilitate (hoc decet me ſemper flexis poplitibus, vultu demiſſo, humo proclivum reverentius) commendando veſtros mellifluos apices cordis jubilo amplectendo, totus attonitus fere in ecſtaſi, plurimum admiror quod ingens veſtri celſitudo mei tam infimi ſui, rex, incolæ minimè immemor perſiſtat, &c.* Finis eſt: *Scriptum Avinioni die .... Octobris. Ejuſdem præcelſæ majeſtatis ſervitor minimus, ſupplex orator, ac obnoxius perpetuus capellanus, frater G. Patriarcha Conſtantinopolitanus, eccleſiarum Idrontinæ & Nigropontenſis adminiſtrator.* Hunc poſtea Urbanus VI. omni honore ſpoliavit, ex Ughello *tom. IX. Ital. ſac. vet. edit. col. 79.* D.

XXIII. Matthæus II.

Probabile admodum eſt Urbanum VI. exauctorato Guillelmo, Clementi VII. Papæ Avenion. aſſecla, in ejus locum renuntiaſſe Patriarcham Conſtantinopolitanum, virum aliquem in ſua obedientia degentem, qui nobis ignotus ſit. Bonifacius IX. Urbani ſucceſſor conceſſit hunc titulum *Matthæo Bandello* Ordinis Prædicat. juxta Fontanam, *in Theatro Dominic. 1. part. cap. 4. de Patriarch. tit. 1. pag. 43. col. 1. num. 1.* ubi ait quemdam *Matthæum* nomine, cujus familiam patriamque tenebris involvunt ſcriptores, fuiſſe Patriarcham Conſtantinopolitanum certum eſſe; at quo tempore, & ſub quo pontifice Romano incertum: quibus ſubjungit hæc Luſitani verba, id eſt, *Antonii Senenſis* ejuſdem ordinis in ſua bibliotheca (ſive chronico hujus Ord. Præd. ad annum 1430. fol. 239.) *Frater Matthæus, qui fuit aliquando Patriarcha Conſtantinopolitanus, vir admodum gravis, & eximia eruditione fulgens, & tam in Chriſtiana, quam in ſæculari philoſophia inſigniter inſtructus, ſuum nomem apud poſteros celebre reddidit ſcribendo libros quatuor quibus totam ſcripturam redegit in locos communes. Incipit liber:* Omnia poma nova, &c. Hunc porro Matthæum clarius exhibet Rovetta Dominicanus, *in ſua biblioth. chronol. illuſtr. viror. provinc. Lombard. Ord. Præd. edit. Bonon. 1691.* ad ann. 1400. *pag. 61. coll. 1. & 2.* « Fr. Matthæus Brixienſis, inquit, ex nobiliſſima familia Dominorum Equitum de Bandellis, vir in omni fere diſciplinarum genere eruditiſſimus, qui expletis provinciæ Lombardiæ in inſignioribus conventibus lecturis, primo ad ſacræ theologiæ magiſterium promotus, deinde ad Conſtantinopolitanam eccleſiam regendam præfectus fuit, idque ſub pontificatu SS. in Chriſto Patris Bonifacii Papæ IX. anno 1398. in quo munere circa ſacrarum paginarum ſtudium tali ardore ſe applicavit, ut breviſſimo tempore perſpicaciſſimi ingenii digniſſimum partum in lucem ediderit; *Grande, atque elaboratiſſimum volumen locorum communium totius ſacræ ſcripturæ in quatuor libros miro ordine quadripartitum, cujus initium eſt:* Omnia poma nova, &c. Quod opus ex Sixto Senenſi, in bibliotheca ſancta, *lib. 4.* & aliis ſcriptoribus fide dignis in bibliotheca conventus Bononienſis ſervatur.... Familia de Bandellis (agnoſcit) præfatum Matthæum Patriarcham .... eodem ſtipite provenientem, uti declarat ejus effigies in domibus eorum.» Veriſimile eſt eum obiiſſe ſub pontificatu ejuſdem Bonifacii IX. ſubindeque ante exitum an. 1404. ut modo patebit.

XXIV. Angelus.

Angelus iſte fuit, qui poſtea, durante ſchiſmate Occidentali, Papa factus, Gregorius XII. appellatus eſt. Natus erat Venetiis ex familia Coraria, patricia; hinc *Angelus Corarius* ante pontificatum dictus: ab ineunte ætate ſtudiis ita acriter incubuit, ut eximius ſacræ theologiæ evaſerit magiſter. Illum Bonifacius IX. ex epiſcopo Caſtellano, ſive urbis Venetiarum, Patriarcham Conſtantinopolitanum creavit, cum Chalcidenſis ſive Negropontenſis ſacerdotii in Græcia commendatione, teſte Oldoino *tom. 2. hiſt. Rom. Pont. & DD. Card. edit. Rom. 1677. coll. 749. & 780.* Id contigiſſe an. 1390. aſſerit Ughellus *to. 5. col. 1352. num. 44.* D. Angelum miſit idem Papa ſedis apoſtolicæ nuntium ad regem Ladiſlaum, ut Neapolim rebellem, & Ludovici Andegavenſis ducis partibus adhærentem in Ladiſlai fidem reduceret, eccleſiamque Neapolitanam quæ tum paſtore vacabat adminiſtraret, maxima cum facultate omnia ſacerdotia conferendi, & ad ſuam obedientiam redeuntes abſolvendi. Innocentius VII. qui Bonifacio IX. die 1. Octobris anni 1404. defuncto ſubſtitutus fuerat à Cardinalibus

Digitized by Google

hujus obedientiæ die 17. ejuſdem menſis, A Angelum anno ſequenti 1405. die 12. Jun. Cardinalem tituli ſancti Marci renuntiavit, & in eadem legatione, aucta etiam poteſtate, confirmavit. Mortuo Innocentio anno 1406. die 6. Novemb. ipſe in illa obedientia Papa electus eſt die 30. ejuſdem menſis. Pontificatui tandem ceſſit anno 1415. die 4. Julii per Carolum Malateſtam, Arimini Domicellum, pro bono pacis & ſchiſmatis exterminio, in concilio Conſtantienſi. Sederat ab electione ſua annos 8. menſes 7. & dies 5. ex ſynodi autem decreto conſtitutus eſt epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, B ſacri collegii decanus, & Piceni perpetuus legatus, cunctis ejus actis confirmatis. Cardinales quoque viventes quos ipſe creaverat, in cæterorum collegium adſcripti ſunt. Obiit abhinc biennio Recineti anno 1417. paulo ante Martini V. electionem, quæ die XI. Novembris peracta eſt: corpus ejus in eccleſia cathedrali Recanatenſi ſepultum fuit.

XXV. Antonius.

Angelo Corario ad Cardinalatum evecto C anno 1405. ut dictum eſt, titulus Patriarchæ Conſtantinopolitani quem ille gerebat, *Antonio Corario* ejus fratris filio conceſſus fuiſſe videtur. De eo enim Oldoinus *tom. 2. hiſt. Rom. Pont. & DD. Cardin. edit. Rom. anno 1677. c. 765.* A. B. hæc ſcribit: « Antonius
» Corarius ſeu Corrarius, Patricius Venetus,
» Philippi Gregorii XII. fratris filius, canonicus
» cong. S. Georgii in Alga, cujus fuerat aucto-
» rum unus, epiſcopus primo Bononienſis, mox
» *Patriarcha Conſtantinopolitanus,* ſeu Hieroſo-
lymitanus, » (Hieroſolymitanus non fuit. D Nam anno ſequenti Piſanæ ſynodi actis ſubſcripſit *Hugo de Robertis* ut Patriarcha Hieroſolymitanus: Antonium præterea dicunt *Patriarcham Conſtantinopolitanum* Ciaconius *hiſt. Rom. Pontif. & DD. Cardinal. edit. Rom. 1630. c. 1068.* D. & Spondan. *to. 2. annal. ad annum 1408. num. 6. pag. 153. col. 1.*)
« (deinde) eccleſiæ Romanæ camerarius (à
» præfato) Gregorio declaratur...... (Quibuſ-
» dam poſtea annis, ſcilicet die 9. Maii anno
» 1408.) inter preſbiteros Cardinales coopta-
» tur, titulo, non *S. Chryſogoni,* neque *S.* E
» *Gregorii,* ut referunt Panvinius, Ciaconius,
» & alii, ſed ex diariis, & diplomatibus ipſius
» Gregorii, *S. Petri ad vincula,* alias *Eudoxiæ,*
» & *Cardinalem Bononiæ* ſe nominavit. Epiſco-
» pus deinde Portuenſis, demum Oſtienſis ab
» Eugenio IV. renuntiatus, eccleſiam Bono-
» nienſem, annua reddituum parte ſibi reſervata,
» dimiſit. Conſtantienſi concilio interfuit, in
» quo inter purpuratos annumeratus, Martini
» V. partes ſincere deinceps ſequutus eſt. Le-
gationis munere pro Gregorio patruo in «
Gallia & Germania, ac ſub Martino V. apud «
Senenſes & Peruſinos functus eſt. Eccleſiam «
Civitatis novæ, ſeu Acmonenſem an. 1420. «
uſque ad annum 1421. commendatarius «
rexit. Deinde anno 1435. eccleſiam Cer- «
vienſem regendam ſuſcepit, cui paulo-poſt «
nuntium remiſit. Abbas etiam commenda- «
tarius fuit Abbatiæ S. Zenonis Veronenſis. «
Scripſit, ut Garimbertus narrat, ſui temporis «
hiſtoriam quæ mſ. olim Venetiis aſſervabatur. «
Vitam cum morte commutavit Patavii in «
cœnobio S. Joannis ſui ordinis, ſacri collegii «
decanus, die 19. Januar. anno 1445. & «
Venetiis, ut mandaverat, ſepultus eſt apud «
S. Georgium in Alga. »

XXVI. Franciscus I.

Antequam *Franciſcus Landus* ſive *Laudus* aut *Laudo,* Patriarcha Gradenſis, titulo Patriarchæ Conſtantinopolitani donaretur, hunc alicui nobis ignoto fuiſſe collatum anno 1408. à Gregorio XII. quum Antonium Corarium eo ornatum Cardinalem creavit, admodum veriſimile eſt. Nullus tamen ea dignitate patriarchali inſignitus legitur in ſubſcriptionibus concilii Piſani anno 1409. celebrati: ſed quatuor iſti duntaxat Patriarchæ *tom. XI. conc. Labb. part. 2. col. 2216.* D. *R. P. D. Simon Patriarcha Alexandrinus. R. P. D. Wenceſlaus, Patriarcha Antiochenus. R. P. D. Hugo de Robertis, Patriarcha Hieroſolymitanus.* & *R. P. D. Franciſcus Laudo Patriarcha Gradenſis.* Is fortaſſe partes Gregorii acriter tuitus, huic concilio noluerit adeſſe aut ſubſcribere: propter quod etiam Alexander V. in illo concilio electus Papa eodem anno ſtatim titulum Patriarchæ Conſtantinopolitani, ceu vacantem, *Franciſco Laudo* Patriarchæ Gradenſi contulerit: ſiquidem probabile non videtur hujus patriarchatus titulum ab Antonio Corario dimiſſum, quando ipſum Gregorius XII. ad cardinalatum evexit anno 1408. die 12. Jun. nemini fuiſſe datum ab eodem Gregorio. Ut ut ſit, *Franciſcus* iſte *Landus* ſive *Laudus* aut *Laudo* Venetus erat, teſte Ughello *t. 5. Ital. ſac.* in Gradenſibus Patriarchis, *col. 1219. vet. edit. num. 62.* C.
« & præcipua nobilitate, ac rerum experientia
clarus. Gradenſi (autem) Patriarchatu auctus «
eſt anno 1408. qua dignitate exornatus in- «
terfuit concilio Piſano anno 1409. Deinde «
ab Alexandro V. tranſlatus fuit ad Conſtan- «
tinopolitanam eccleſiam eodem anno, & à «
Joanne XXIII. preſbyter Cardinalis tituli S. «
Crucis in Hieruſalem creatus (anno 1411.) «
concilio Conſtantienſi aſſedit, &c. » & *t. 1.* in epiſcopis Sabinenſibus *col. 206. n. 54.* D.
« A Martino V. deinceps factus eſt epiſcopus «
Cardinalis

Digitized by Google

» Cardinalis Sabinus. Deceſſit Romæ 1427. A
» *VII. kal. Jan.* (id eſt die 26. Decembris) ſe-
» pultuſque eſt apud S. Mariam Majorem,
prope majus altare.»

XXVII. Joannes I.

Vid. Rayn. ad annum 1414. *num.* 10. ad ann. 1415. *num.* 26. & ad ann. 1420. *n.* 19.

Inter ſubſcriptiones illorum qui in concilio Conſtantienſi anno 1416. die 4. Febr. ſolemni ſacramento approbarunt capitula in eodem concilio ſancita, legitur *tom. 12. conc. Labb. col. 184.* A. *Joannes Patriarcha Conſtantinopolitanus,* qui proinde Franciſco Lando ad cardinalatum evecto à Joanne XXIII. B anno 1411. in eo patriarchali titulo ſucceſſiſſe videtur.

XXVIII. Joannes II.

Poſt aſſumptionem Martini V. ad ſummum pontificatum anno 1417. die XI. Novembris in ſynodo Conſtantienſi factam, *Joannes de Rupeſciſſa* (viculo duobus circiter milliar. ab urbe Lugduno diſtante) qui huic ſynodo interfuerat, epiſcopus tunc exiſtens Gebennenſis, & electorum unus nominatus eſt nationis Gallicæ, qui in iſtam promotio- C nem cum Cardinalibus ſuffragium ferret, ab eodem Papa renuntiatus fuit Patriarcha Conſtantinopolitanus, teſte Oldoïno *tom. 2. hiſt. Rom. Pontif. & DD. Cardin. edit. Rom. anno 1677. col. 841. num. 8.* D. ubi hæc habet:
«*Joannes de Rupeſciſſa, &c.* natione Gallus,
» juris utriuſque doctor, ex puero chorali Lug-
» dunenſi, fit curiæ Rothomagenſis eccleſiaſticæ
» judex, & litterarum apoſtolicarum corrector.
» Deinde Genevenſem epiſcopatum primo,
» mox Sancti-Pauli, & Bituricenſem ſeu Biſun-
tinum obtinuit....» (A DD. Sammarthanis D *to. 1. Gall. Chriſt. edit. Pariſ. 1656.* non acceſetur archiepiſcopis *Bituricenſibus,* ſed *Biſuntinis:* aiunt enim *pag. 132. col. 2. n. 8.*
«*Joannes de la Rochetaillée* Cardinalis Rho-
» tomagenſis, dictuſque *de Rupeſciſſa* à natali
» ſolo, &c. officialis Rothomagenſis, & variis
» temporibus Genevenſis, Pariſienſis, Rotho-
» magenſis, Biſuntinus..... demum Patriarcha
» Conſtantinopolitanus, &c.) Interfuit archi-
» epiſcopus Bituricenſis (id emendandum ex
» modo dictis) conſilio Caroli VI. regis anno
» 1395. pro acceptione urbis Genevenſis in E
» dominium Franciæ habito. Poſt aſſumptio-
» nem Martini (V.) renuntiatur *Patriarcha*
» *Conſtantinopolitanus,* ac perpetuus eccleſiæ
» Pariſienſis adminiſtrator denominatur, uti
» habetur in ſtatutis collegii Marchiani à Guil-
» lelmo *de la Marche* canonico Tullenſi Pariſiis
» erecti.... A Pariſienſi ad Rothomagenſem
» cathedram promovetur, & poſt duos annos
» (anno ſcilicet 1426. die 24. Maii) preſbyteris
» Cardinalibus titulo ſancti Laurentii in Lucina
à Martino adſcribitur, & ſanctæ Romanæ «
eccleſiæ Vicecancellarius conſtituitur. Ar- «
chipreſbyteri munere functus eſt in baſilica «
Liberiana, ut habemus ex tabulis ejuſdem «
baſilicæ. Bononiæ ſedis apoſtolicæ partes «
ſuſtinuit ſub Eugenio (IV.) Martini ſucceſ- «
ſore; qua in legatione, Dominica in Palmis «
die 24. Martii, anno 1437. è vita exceſſit. «
Corpus Bononia delatum ad cathedralem «
eccleſiam Lugdunenſem, ibi in choro jacet «
ſub humili ſaxo, ſine ulla ſepulchrali inſcrip- «
tione.»

XXIX. Franciscus II.

Ughellus *tom. 5. Ital. ſac. vet. edit.* in epiſcopis Veronenſibus, *col. 940. num. 97.* B. ſcribit *Franciſcum Condulmerium,* patritium Venetum, Eugenii IV. nepotem, ab eo pontifice creatum eſſe preſbyterum Cardinalem (anno 1431.) Camerarium, ac Vicecancellarium ſanctæ Romanæ eccleſiæ, *Patriarcham Conſtantinopolitanum,* & archiepiſcopum Biſuntinum (quando ſcilicet per obitum Joannis de Rupeſciſſa, anno 1437. titulus iſte patriarchalis, & eccleſia Biſuntina vacarunt) demum Veronenſem conſtitutum præſulem anno 1438. XII. kal. Novemb. (id eſt die 21. Octob.) Diu quidem obſtitere Veronenſes ne is ſuæ eccleſiæ iniret poſſeſſionem, utpote quum ab illa ſemper abeſſe cogeretur: vicit tamen auctoritas, annoque 1442. die 15. Septemb. ſede illa potitus eſt. At titulum Patriarchæ Conſtantinopolitani dimiſiſſe videtur ante adventum Græcorum ad ſynodum Florentinam; etenim ejus actis nullus præſulum Latinorum ſubſcripſit ut *Patriarcha Conſtantinopolitanus.* Romæ deceſſit anno 1453. die 5. Septemb.

XXX. Joannes III.

XXXI. Gregorius.

XXXII. Isidorus.

Tres iſtos Patriarchas Pius II. commemorat ſequenti diplomate, apud Odoricum Raynaldum ad annum 1459. *num. 84.* «Venerabili fratri Iſidoro epiſcopo Sabinenſi, «
ſalutem, &c. Cooperante Dei miſeratione «
in œcumenica ſynodo generali Florentina «
tempore felicis record. Eugenii Papæ IV. «
prædeceſſoris noſtri congregata, ſedato ſchiſ- «
mate, ſtatutum & ordinatum fuit, ut quam «
primum aliquam ipſarum duarum partium «
dicti patriarchatus per ceſſum, vel deceſſum, «
aut alia quavis dimiſſione illi tunc præſidentis «
vacare contingeret, patriarchatus ipſe & ec- «
cleſia Conſtantinopolitana reintegraretur, & «
deinceps unus tantum eidem eccleſiæ tam «
Latinorum quam Græcorum Patriarcha «

Digitized by Google

» præeſſet; ſucceſſive vero altera parte ejuſdem
» patriarchatus, videlicet Latinorum, cui bonæ
» memoriæ *Joannes Contareno* Patriarcha Con-
» ſtantinopolitanus inter Latinos, dum viveret,
» præſidebat, per obitum ipſius Joannis Pa-
» triarchæ extra Romanam curiam defuncti
» vacante, piæ memoriæ Nicolaus Papa V.
» etiam prædeceſſor noſter ſtatutis, & ordina-
» tionibus dicti concilii ſe conformans voluit,
» quod bonæ memoriæ *Gregorius* Patriarcha
» Conſtantinopolitanus, qui alteri parti, vide-
» licet Græcorum, præfuerat, & tunc præerat,
» pro vero & unico Patriarcha Conſtantinopo-
» litano haberetur & reputaretur, necnon illi
» eccleſiam Nigropontenſem hujuſmodi per ſe
» tenendam, regendam, & gubernandam in
» ſpiritualibus & temporalibus ſub certis modo
» & forma commendavit: *Et infra:* Quum
» itaque præfata eccleſia Conſtantinopolitana
» per obitum ejuſdem Gregorii Patriarchæ,
» qui nuper apud ſedem apoſtolicam diem
» clauſit extremum, apud ipſam vacaverit, &
» vacet ad præſens, nulluſque de illa præter
» nos hac vice ſe intromittere potuerit, ſive
» poſſit: *Et infra:* De perſona tua eiſdem
» Conſtantinopolitanæ & Nigropontenſi (con-
» junctæ enim fuerant donec Conſtantinopolis
» à Latinis recuperaretur) eccleſiis providimus,
» teque illis præfecimus in Patriarcham &
» paſtorem, &c. Datum Senis anno 1459.
» XII. kal. Maii (id eſt die 20. April.) ponti-
ficatus noſtri anno primo.»

Subdit Raynaldus *num. 85.* commendatam fuiſſe à Pio eidem Cardinali Nicoſienſem eccleſiam, adeo ut unà cum ea epiſcopatum Sabinenſem, Nigropontenſem archiepiſcopatum, & Patriarchatum Conſtantinopolitanum gereret. Hic Iſidorus, teſte Ughello *to. 1. Ital. ſac. vet. edit. col. 208. num. 59.* C. patriâ fuit Theſſalonicenſis, ſancti Baſilii monachus, abbas ſancti Dominici in Conſtantinopolitana urbe, Ruthenorumque archiepiſcopus, qui quum, Beſſarione ſibi adjuncto comite, ad concilium Florentinum veniſſet, ac utriuſque virtus pietaſque toti

A concilio maximè probaretur, ab Eugenio IV. ambo creati ſunt Cardinales anno 1439. & Ruthenus quidem titulo SS. Marcellini & Petri, miſſuſque eſt Conſtantinopolim, ut concordiam fœduſque Chriſtianæ fidei, quam Græci cum Latina eccleſia Florentiæ profeſſi erant, ſua adhortatione ac præſentia ſtabiliret. Verum Græcis in hæreſim & ſchiſma iterum relapſis, urbeque Conſtantinopoli à Turcis non multo poſt expugnata, anno ſcilicet 1453. Ruthenus commutatis per tumultum cladis cum jacente cadavere veſti- B bus, fugiens captus eſt, & in duram ſervitutem redactus, donec aliquando, Deo dante, ſe etiam ex illa calamitate exſolvit, pervenitque Romam, ubi tandem Cardinalis & Conſtantinopolitanus Patriarcha deceſſit anno 1464. Oldoïnus *to. 2. hiſt. Cardin. col. 904.* C. ait ex *libro Diviſionum* in Vatic. biblioth. ſervato, eum obiiſſe non die 8. Mart. 1464. ſed die 27. April. 1463. & in eccleſia ſancti Petri ſepultum eſſe.

XXXIII. Bessarion.
C XXXIV. Petrus IV.

Spondanus *to. 2.* annal. ad annum 1463. *n. 16. p 574.* refert Iſidoro Rutheno defuncto ſuffectum fuiſſe eodem anno à Pio II. in titulo Patriarchæ Conſtantinopolitani *Beſſarionem* Cardinalem. Id quoque aſſerit Raynaldus ad eum annum *num. 58.* qui etiam ſubjungit ad ann. 1472. *n. 11.* poſt hujus mortem, quæ eo anno accidit, titulum Patriarchæ Conſtantinopolitani *Petro Riario* ord. Min. Sixti IV. ſororis filio & Cardinali, ab eo Papa fuiſſe collatum. Obiit Petrus iſte anno 1474.

D Cæterorum deinceps Patriarcharum Conſtantinopolitanorum omittimus nomina, & ad archiepiſcopos, præſuleſque ritus Latini qui Conſtantinopolitano ejuſdem ritus Patriarchæ paruerunt, tranſimus. Ut autem aliqua procedamus methodo, metropoles alphabetico proſequemur ordine, ſinguliſque eccleſias in earum provinciis conſtitutas ſubjungemus.

Digitized by Google

PROVINCIA ATHENIENSIS.

MOX à capta Francorum & Venetorum armis Conſtantinopoli anno 1204. Balduinus renuntiatus Imperator, ſubactis vicinis regionibus Thraciæ, Macedoniæ, & Theſſaliæ, Athenas obſidione cinxit, ſed irrito conatu. Eam poſtea expugnarunt Bonifacius Marchio Montiſferrati, & Otho de Rocca ſive de Rupe: de quibus hæc pauca leguntur in chronico Alberici monachi Trium-Fontium, *edit. Lipſiæ 1698. part. 2. pag. 439.* ad annum 1205. *Et Marchio Montiſferrati apud Theſſalonicam rex eſt conſtitutus. Otto de Rupe cujuſdam nobilis Pontii de Rupe in Burgundia filius, quodam miraculo fit dux Athenienſium atque Thebanorum.* Tunc vero conſtitutus eſt Athenis præſul ritus Latini, ejuſque juriſdictioni adſcripſit Innocentius III. undecim epiſcopatus, quos ipſe enumerat *epiſt. 256. lib. XI. edit. Baluz. Pariſ. 1682. to. 2. pag. 267. col. 1.* his verbis: *Epiſcopatus quoque inferius annotatos eccleſiæ tuæ* (Athenienſi) *ab antiquis temporibus metropolitico jure ſubjectos, tibi, tuiſque ſucceſſoribus nihilominus confirmamus, videlicet epiſcopatum Ægripontis, Cermopilenſem, Davalienſem, Abelonenſem, Zorconenſem, Cariſtienſem, Coroniacenſem, Andrenſem, Megarenſem, Squirenſem, & Cheenſem:* hoc eſt, ut vera plurium eccleſiarum illarum nomina ab amanuenſibus corrupta reſtituantur, *Nigripontenſem, Thermopylenſem, Diaulienſem, Aulonenſem, Coronenſem, Scyrenſem,* & *Ceenſem.* Titulus hujus epiſtolæ eſt: *Berardo Athenienſi archiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis in perpetuum.* Finis autem: *Datum Laterani per* A *manum Joannis ſanctæ Mariæ in Coſmidin diaconi Cardinalis, ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cancellarii, idibus* (id eſt die 13.) *Februar. Ind. XI. Incarnat. Domini anno 1208. pontificat. vero D. Innocentii Papæ III. anno XI.* Ejuſdem Pontificis extat alia epiſtola ſcripta *Nobilibus viris Balmo Theſſalonicenſi Comeſtabulo, Ottoni de Rocca Domino Athenarum, ... Marchioni.... Domino Nigripontis, T. de Oſtremuncout, & aliis principibus Romaniæ.* Data eſt: *Laterani IX. kal. Februar. anno XI.* id eſt die 24. Jan. anno 1208. *ibid. pp. 261. & 262.*

B Archiepiſcopo & capitulo Athenarum conceſſit idem Pontifex, *epiſt. 113. lib. XI. pag. 193. col. 1.* ut conſuetudines eccleſiæ Pariſienſis ſequerentur. *Quia igitur à nobis cum reverentia debita poſtulaſtis ut veſtram eccleſiam dignaremur ſecundum inſtitutiones Pariſienſis eccleſiæ ordinare, ac ejus conſuetudines faceremus firmiter obſervari, vobis portiones legitimas poſſeſſionum ſuarum, reddituum, & proventuum aſſignantes, certo canonicorum numero, quem dilectus filius noſter Benedictus, tituli ſanctæ Suſannæ preſbyter Cardinalis, tunc* C *apoſtolicæ ſedis legatus ibidem inſtituit, in ſuo robore remanente, nos poſtulationi veſtræ grato concurrentes aſſenſu, univerſitati veſtræ concedimus, quatenus, ſi fieri poteſt abſque detrimento ipſius eccleſiæ ac juſto ſcandalo cleri & populi ac terræ illius principis, eam ſecundum conſuetudinem Pariſienſis eccleſiæ liberè ordinetis. Dat. apud S. Germanum 2.* (ſive pridie) *idus* (id eſt die 14.) *Julii, anno XI.* Chriſti 1208.

I. ECCLESIA ATHENARUM.

REGIO Athenienſium *Attica* dicta eſt, de qua Plinius *lib. 4. cap. 7.* Attica, *antiquitus Acte vocata.* Et Pauſanias *Attic. cap. 2. Nominant Atticam regionem, quæ prius vocata fuit Actæa.* Terminos habet, ab occaſu Megaridem, à ſeptentrione Bœotiam, ab auſtro Saronicum ſinum, ab ortu Ægæum mare. *Athenæ* ejus caput erat, quam aſſerit Michaël Antonius Baudrand *in Lexico geogr. to. 1. pag. 116. col. 1.* vix mille paſſibus diſtare ab ora præfati ſinus, 44. autem à Corintho in ortum, 24. à Megara, 50. à Thebis in meridiem, & 120. à Sparta in ſeptentrionem. Olim *Cecropia* nuncupabatur, quod nomen poſtea illius arci manſit, teſte præfato Plinio *lib. 7. cap. 56.* Verum arx illa omnem urbem veterem complectebatur, ut refert Thucidides *lib. 2. pag. 3. Ante Theſea, quæ nunc ſumma urbs eſt, urbs fuit, & id præcipuè quod ſub ea ſpectat meridiem.* Carolus à Sancto Paulo *geogr. ſac. pag. 199. edit. 1641.* ait in Diatypoſi Patriarchatus Conſtantinopolitani Leoni Imperatori

Digitized by Google

ECCLESIA ATHENARUM.

tributa apud Leunclavium legi, Athenarum metropolitano exarcho Helladis ſubjectos fuiſſe decem epiſcopatus, ſcilicet *Euripi, Diauliæ, Coroneæ, Andri, Orei, Scyri, Caryſti, Porthmi, Aulonis, & Syræ*, eumque avulſum eſſe à Romano Patriarchatu, ſicut & Theſſalonicenſem, Syracuſanum, Corinthium, Rhegium, Nicopolitanum & Patrenſem, ut Conſtantinopolitano Patriarchæ ſubjiceretur. Et paulo-poſt ſubdit: « Attamen Athenienſem » epiſcopum jura omnia metropolitæ, & ſuffraganeos ante finem ſexti ſæculi obtinuiſſe abſo- » lutè non dixerim, maximè quum inter ſuffraganeos Corinthi ſubſcribat in actis concilii Chalcedonenſis. »

In notitia Latina ex bibliotheca regia, quæ extat ad calcem ejuſdem operis, legitur *pag. 77. Archiepiſcopus* (Athenienſis) *hos habet ſuffraganeos: Thermopilenſem, Nigripontenſem, Megarenſem, Davalienſem, Abelonenſem, Eguineum, Salonienſem, Reonenſem.* Vide quæ de Athenis dicta ſunt *to. 2.* hujus operis, *coll. 167. 168.* Quod ſpectat ad antiſtites ritus Latini urbis Athenarum, hi duntaxat nobis innotuere.

ARCHIEPISCOPI LATINI ATHENARUM.

I. Berardus.

Captis Athenis à Bonifacio Marchione Montisferrati, receſſit Michael Choniates præſul Græcus, teſte Niceta ejuſdem cognominis ejus fratre, libro ultimo. Atque hinc contigit, ut ei ſubrogaretur *Berardus*, de quo & duobus aliis epiſcopis Latinis recens electis, hæc ait Innocentius III. *in epiſt. 35. lib. 10.* data die 30. Mart. anno 1207. *Licet à venerabili fratre noſtro.... Patriarcha Conſtantinopolitano fuerit confirmatus, non tamen ab eo poterat conſecrari, pro eo quod coepiſcopos non habeat. Unde oportuit ipſum* (Veriſienſem)..... *Athenienſem & .... Thebanum electos, pro conſecrationis munere obtinendo in Syriam deſtinare. To. 2. edit. Baluz. epiſtolar. Innoc. III. pag. 17. col. 1.* Plures ejuſdem Papæ litteræ ad *archiepiſcopum Athenienſem*, de variis negotiis ſcriptæ annis 1208. 1209. 1210. & 1212. occurrunt apud eumdem Baluzium: in nullis quidem earum, excepta epiſtola 256. *lib. XI.* data die 13. Febr. anno 1208. quæ eſt *Berardo Athenienſi archiepiſcopo*, nomen ejus reperitur; at hunc eſſe eundem Berardum, inde colligimus, quod nunquam innuant, *archiepiſcopum* ad quem diriguntur, *Berardo* fuiſſe poſteriorem, vel recens creatum. Odoricus Raynaldus in annalibus, ad annum 1223. *num. 13.* ſcribit Honorium III. Romanum Pontificem, *Athenarum archiepiſcopo*, (qui hîc non nominatur) *abſolvendi provinciam commiſiſſe redeuntes ad eccleſiam piratas, quibus vulgo Capelletis nomen erat.* Nihil impedit quominus archiepiſcopum iſtum adhuc fuiſſe Berardum exiſtimemus, de quo nos latet, vel quot annos ſederit, vel quo anno obierit.

II. * * *

Refert idem Raynaldus ad annum 1243. *num. 50.* quum effudiſſet præ cæteris Orientis eccleſiis Conſtantinopolitana opes ſuas ad corroborandum Latinorum imperium à A Græcis oppugnatum, ad ejus ſublevandam inopiam miſſas litteras ab Innocentio IV. *archiepiſcopo Athenienſi*, & quibuſdam aliis, ut eccleſiarum in Morea, Negreponto, inſuliſque adjacentibus imperio obnoxiis ſitarum, decimas Patriarchæ Conſtantinopolitano ſolvi operam darent.

III. * * *

Urbe Conſtantinopolitana à Michaele Palæologo Latinis erepta anno 1261. menſe Julio, ejectoque Balduino II. eorum Imperatore, Urbanus IV. qui menſe Auguſto ſequenti electus eſt Romanus Pontifex, incitandis ad arma ſacra principibus Chriſtianis, B tum pro ea urbe recuperanda, tum etiam pro juvandis Orientalis imperii Latinis principibus, quorum res maximè periclitabantur, plurimam navavit operam. Raynaldus, ad annum 1263. *num. 21.* teſtatur id haberi ex Urbani litteris « ad Patracenſem, Corynthienſem, *Athenienſem* & Thebanum archi- « epiſcopos, Coronenſem, Olonenſem, Lace- « dæmonium, & Nigropontenſem epiſcopos, « C abbates, cæteroſque earum regionum præ- « ſules, ut ad commune arcendum pericu- « lum communes opes Willelmo Villarduino « Achaiæ principi bello à Palæologo laceſſito « ad contrahendas copias præberent. » Nihil aliud ſcimus de eo archiepiſcopo Athenienſi.

IV. Stephanus.

Rerum Dominicanarum ſcriptores, *Stephanum* quemdam, cognomine *Mangiaterum*, Romanæ provinciæ alumnum, perhibent conſtitutum fuiſſe archiepiſcopum Athe- D nienſem: ſed quo tempore, ſilent. Id contigiſſe circa annum 1300. refert Fernandez in archiepiſcop. Italorum Ordinis Prædicat. catalogo, quod, ſi verum eſt, Athenienſis ille præſul eſſe potuerit, ad quem ſcripſiſſe Bonifacium VIII. anno 1302. ait Waddingus ad eum annum, *to. 3. num. 7. p. 8.* adverſus F. Liberatum ejuſque ſocios Minoritas in

Digitized by Google

quadam inſula Achaiæ degentes, extra obedientiam Miniſtri Generalis Minor. Sunt qui Thebanam Stephano præfato eccleſiam aſſignent. Vide Michael. Cavalieri *Galler. Dam. edit. Benevent. 1696. to. 1. pag. 58. n. 173.* & Fontanam *in Theatro Domin. p. 58. col. 2.* Huic, vel ejus ſucceſſori, miſſa eſt epiſtola encyclica Clementis V. data Pictavis pridie idus (id eſt die 12.) Aug. anno 3. Chr. 1307. qua invitabat præſules ad concilium Vienneſe. *In eodem modo archiepiſcopo Athenienſi, &c. quatenus vos fratres archiepiſcope, &c. to. XI. conc. Labb. part. 2. col. 1548.* C. Item alia epiſtola ſimiliter encyclica, data die 4. April. anno 1310. *Ibid. col. 1553.* A.

V. Antonius I.

VI. Franciſchinus.

« *Franciſchinus* monachus & abbas cœnobii Sanævallis de Folina, Ord. Ciſtercienſis, (in diœceſi Cenetenſi ſub Aquileienſi Patriarcha, fundati anno 1146.) creatus eſt archiepiſcopus Athenarum anno 1339. in locum defuncti *Antonii de Talentis,* Florentini, qui ad eam dignitatem vocatus fuerat ex abbate ſancti Hilarii de Galerata, Ord. S. Benedicti Ravennatenſis provinciæ, ut notatur *in lib. Obligat. Prælat. fol. 254.* » Hæc Ughellus *to. 5. Ital. ſac. vet. edit. in epiſcopis Cenetenſibus, col. 207. num. XI.* B. C.

VII. Nicolaus.

Daniel à Virgine Maria, Carmelita, refert *in Speculo Carmelitarum, to. 2. p. 933. n. 3268.* in conventu Cabilonenſi ſui Ordinis aſſervari exemplar authenticum electionis Joannis Bononienſis ejuſdem Ordinis ad Andrenſem epiſcopatum, conſecrationiſque illius in majori eccleſia civitatis Nigripontenſis, peractæ à *Nicolao* Athenienſi metropolitano, die 14. Auguſti, anno 1345. Qui ſubinde archiepiſcopus ille *Athenienſis* fuerit quem Raynaldus ad annum 1345. *num. 6.* narrat, Humberto ſive Imberto Delphino Viennenſi Cruce ſignatorum in Turcas exercitus duce renuntiato à Clemente VI. monitum fuiſſe, cum aliis præſulibus hujus regionis, ut ei conſilio & opera non deeſſent. Idem fortaſſis fuit, vel alius ejus ſucceſſor, ad quem, alioſque horum tractuum archiepiſcopos, ſcripſit epiſtolam Innocentius VI. anno 1559. die XI. Maii, quæ extat apud eumdem Raynaldum, ad hunc annum, *num. 16.* ut religionem Chriſtianam adverſus Turcarum conatus conſervari curarent.

VIII. Franciſcus.

Anno 1365. *Franciſcus* Ordinis Minorum provinciæ Romanæ Miniſter, electus eſt ab

A Athenienſi capitulo archiepiſcopus hujus eccleſiæ, quam electionem Urbanus V. neſcio qua de cauſa approbare noluit, eum tamen auctoritate apoſtolica huic ſedi ſuffecit XII. kal. Septembris, (id eſt die 21. Auguſti) ejuſdem anni 1365. Wadding. *in annal. Min. to. 4. num. 5. pag. 105.* ECCLESIA ATHENARUM.

IX. Joannes.

X. Antonius II.

Poſt obitum *Joannis* Athenienſis archiepiſcopi, *Antonium Baliſtarium* ejuſdem Ordinis B Min. ſacræ theologiæ bacchalaureum, fuiſſe renuntiatum hujus eccleſiæ præſulem ab Urbano V. VI. kal. April. (id eſt die 27. Mart.) refert præfatus Wadding. ad ann. 1370. *n. 19. pag. 142.* Scripſerat nihilominus ad annum præcedentem 1369. *n. 1. p. 121.* Joannem Palæologum Imperatorem Græcum, Romanam fidem Romæ quo venerat, profeſſum eſſe, die 18. Octobris hujus anni, Ind. VII. coram Nicolao Aurenopolitano, & *Antonio Athenienſi,* utroque Ordinis Minor. Ex quo ſequi C videtur Antonium iſtum jam fuiſſe epiſcopum Athenienſem anno 1369. Antonius fortaſſis fuit *Athenienſis* ille *epiſcopus,* ad quem, omiſſo nomine, litteris ſuis ſignificavit Gregorius XI. ex eodem Waddingo ad annum 1376. à ſe evectum eſſe ad epiſcopatum Andrenſem Benedictum, de Nigriponte Franciſcanum. Wadding. *to. 4. in Reg. Pontif. p. 155.*

XI. Antonius III.

Antonius de Genebreda Hiſpanus, Ordin. Prædic. ex provincia Aragoniæ, vir doctus, D conſtitutus fuit archiepiſcopus Athenienſis anno 1382. ab Urbano VI. Obiit vero ſub eodem Papa, ut in illius regeſtis legitur. Ita Vincentius Fontana, *in Theatro Domin. p. 59. col. 1.* ex Diago & Plodio ejuſdem Ordinis ſcriptoribus.

XII. Ludovicus.

Ughellus, *to. 1. Ital. ſac.* in epiſcopis Volaterranis, *col. 375.* * *n. 56.* A. *vet. edit.* hæc ſcribit de iſto Ludovico: « *Ludovicus Alliottus,* Pratenſis, filius Bartholomæi ſacrorum E canonum doctoris, *Athenarum* antea *archiepiſcopus,* generaliſque ſanctæ eccleſiæ theſaurarius, ad epiſcopatum Volaterranenſem tranſlatus eſt anno 1409. IV. kal. Jun. (id eſt die 29. Maii.) Interfuit concilio Piſano eodem anno. In Britannia ſpoliorum collectoris munere functus eſt, deceſſitque anno 1411. Hic, quod Athenarum antea fuiſſet archiepiſcopus, pallio utebatur, unde poſtea nonnulli falſo exiſtimarunt Volaterranos præſules uſum pallii habuiſſe. »

Digitized by Google

ECCLESIA ATHENARUM.

ANDREAS *electus.*

Huic Ludovico, quum ad Volaterranam eccleſiam tranſiit, deſignatus ſucceſſor in ſede Athenienſi videtur *Andreas Nicolai de Luca,* Carmelita, ſacræ paginæ profeſſor, ex conſiſtor. regeſtis Alexandri V. die 6. Sept. 1409. Quia tamen in capitulo generali Carmelitarum Bononiæ anno 1411. celebrato, Procurator generalis hujus ordinis eſt factus, jure dubitatur an Athenienſis archiepiſcopus conſecratus fuerit. Ita cenſet Daniel à Virg. Mar. *in Specul. Carmel. tom. 2. pp. 909. & 910. n. 3162.*

XIII. ANGELUS.

XIV. ANTONIUS III.

Anno 1450. vacante ſede Athenienſi per obitum *Angeli* ejus præſulis, *Antonius de Omoſſa* vel *de Ommeſſa* Ordin. Prædic. huic ſedi præfectus eſt à Nicolao V. die 16. Decembris; & anno ſequenti, XVI. kal. April. id eſt die 17. Mart. ad Accienſem in Corſica tranſlatus, *ex ejuſdem Nicolai V. Regeſtis.* Ita Fontana *in Theatro Domin. p. 59. col. 1.* Addit autem doctiſſ. P. Antoninus Bremond, *Bullar. Ord. Præd. to. 3. Rom. edit. an. 1731.* «*Accia,* in Corſica (eſt) ſub archiepiſcopo » Genuenſi. Iſtius epiſcopi meminit Ughellus » in epiſcopis Accien. *to. 4. Ital. ſac. pag. 909.* » *edit. II.* Sed ſilet quod alumnus fuerit Ord. » Prædic. Hinc à noſtratibus inter *Accienſes* » epiſcopos non recenſetur. *Aſtanenſi* ſedi » præficitur à Fontana *pag. 133.* (aiente) quod hæc *Aſtanenſis* ſedes eſt in Corſica.» (Advertendum tamen Fontanam ſeſe emendare in appendice ſubjecta ſuo Theatro Dominic. hæc enim habet *pag. 681. Hunc paſtorem ſub tit. 58. Aſtanen. poſuimus, quæ eccleſia in Cor-* A *ſica non eſt, nec in Regeſt. Cancellariæ Apoſt. nominatur.... Qua de re conſule abbatem Michaëlem Juſtinianum in epiſtolis memorabilibus, epiſtola ad Carolum de Vechis archiepiſcopum Athenienſem.* Ita, inquam, Fontana.) Pergit P. Bremond: «Quia vero hujuſce nominis epiſcopatus ibidem non eſt, Cavalerius (*Galleriæ Domin.*) *tom. 1. pag. 254. num. 149.* « cenſet Antonium epiſcopum *Aſtenſem* fuiſſe, « in ejuſdem nominis comitatu Italiæ, ſub « archiepiſcopo Mediolanenſi.» Emendandus etiam Ughellus in *Accienſium* epiſcoporum B ſerie; ubi Antonium Alberto noſtro de Caſinis ſucceſſiſſe ſcribit; non enim huic fuiſſe ſubſtitutum, ſed Agnello Ordinis Carmelitarum, liquet ex diplomate dato die 16. Nov. eo anno 1450. quod ibidem profert R. P. Bremond.

XV. ANTONIUS IV.

Waddingus, *tom. 8. annal. Min. ad annum 1511. num. 13. pag. 191.* ſub Julio II. Papa, ſcribit *Fr. Antonium Tubetam* ſive *Trombettam* hujus ordinis, virum doctiſſimum, ad eccleC ſiam Urbinatem fuiſſe promotum eo anno die 7. Novembris, & ut talem ſubſcripſiſſe novem ſeſſionibus concilii Lateranenſis; ſed ſeſſioni decimæ anno 1515. ſubſcripſiſſe ut *archiepiſcopum Athenarum.* Addit idem Waddingus, *pag. 292. n. 47.* eum obiiſſe Patavii anno 1517.

XVI. CAROLUS.

Tempore abbatis Michaelis Juſtiniani, quidam *Carolus de Vechis* archiepiſcopus Athenienſis vivebat, ad quem, in epiſtolis ejus memorabilibus, unam extare ab eo abbate ſcriptam ait Fontana *in appendice ad calcem Theat. Dom. pag. 681. linn. 10. & 11.*

II. ECCLESIA NEGROPONTENSIS.

EUBŒA, Græcè Εὔβοια, inſula eſt oblonga, ab Attica ad Theſſaliam uſque, quam à Bœotia Euripi fretum dirimit. *Ad meridiem,* inquit Plinius, *lib. 4. cap. 12. promontoriis duobus, Geræſto* (ſcilicet) *ad Atticam vergente,* (&) *ad Helleſpontum Caphareo, inſignis* (eſt); *à ſeptentrione Cenæo* (itidem promontorio): *nuſquam latitudinem ultra 40. millia paſſuum extendit, nuſquam intra viginti millia contrahit: ſed in longitudinem univerſæ Bœotiæ, ab Attica Theſſaliam uſque, prætenta in 150. millia paſſuum; circuitu vero trecenta ſexaginta quinque.* Inter præcipua hujus inſulæ oppida, recenſetur *Chalcis,* teſte Cellar. *to. 1. geogr. pag. 1255. & ſeq.* Græcè Χαλκὶς; hodie *Negroponte* Italis, *Egripos* vero Turcis & Græcis incolis appellatur, ex Anton. Baudrand *in Lexico geogr. tom. 1. pag. 260. col. 1.* ad vocem *Chalcis.* Strabo *lib. 10. pag. 448.* B. *edit. Caſaub.* de ea ait: *Sane noſtra ætate Chalcis citra controverſiam principem dignitatem obtinet, & primaria Euboicarum urbs dicitur.* Propter ſitus commoditatem, & munimentorum robur, una ex tribus urbibus fuit, quas rex Philippus, Demetrii filius Πέδας Ἑλληνικὰς, *compedes Græciæ* appellaſſe fertur, apud Polyb. Excerpt. *lib. 17. cap. XI.* Erant autem tres illæ urbes *Demetrias, Chalcis,* & *Corynthus.*

Quandiu Imperatoribus Conſtantinopolitanis Francici generis ſubdita fuit Negroponte, Latini ritus epiſcopum habuit, quem inter ſuffraganeos archiepiſcopi Athenienſis aſſignavit

Digitized by Google

ECCLESIA NEGROPONTENSIS.

Innocentius III. ut ſupra dictum eſt *col. 837.* B. C. Ejus vero redditus adeo ampli erant, ut poſt recuperatam à Græcis Conſtantinopolim, ſedis ejus adminiſtratio Patriarchæ Conſtantinopolitano Latino commiſſa fuerit, ut vitam dignitatemque ſuſtentaret. Ex ſede epiſcopali poſtea metropolis evaſit. Porro urbs eſt, ut obſervat præfatus Baudrand, probè culta & munita, cum duplici caſtro ad Euripum, & continenti Achaiæ, ob freti illic anguſtiam 50. tantum paſſuum, ponte partim ligneo conjungitur. Portu gaudet capaci & valde tuto. Sub dominio fuit reipublicæ Venetæ, quæ ipſam receperat à Rabano Carcerio ejus Duce, ſed erepta illis eſt à Mahumete II. anno 1470. Turciſque ſubjicitur cum tota inſula ejuſdem nominis Negroponti. Diſtat autem 16. milliaribus à Thebis in ortum, & 50. ab Athenis in Boream, Aulidi exciſæ proxima, Euripo tantum intercedente. Ita, inquam, laudatus Baudrand. Vide quæ de Chalcide dicta ſunt *to. 2.* hujus operis, *coll. 212. 213.*

EPISCOPI NEGROPONTENSES.

I. Theodorus.

II. * * * *electus.*

THEODORUS iſte epiſcopus Græcus eccleſiæ Negropontenſis, quum civitas illa in ditionem Latinorum tranſiit initio ſæculi XIII. Romani Pontificis communionem ſponte amplexus eſt, propter quod in ſua ſede permanſit. Verum hunc poſtea dejecit Berardus archiepiſcopus Athenienſis, eo quod unctionem Latinorum in conſecratione epiſcopali apud Græcos non uſurpatam, accipere renuiſſet. Ejus autem patrocinium ſuſcipiens Innocentius III. hæc pro illo ſcripſit *archiepiſcopo Neopatrenſi, & epiſcopo Davalienſi, & abbati Sancti-Lucæ Nigripontenſis diœceſis,* to. 2. epiſt. Innoc. III. edit. Baluz. pag. 228. col. 1. *Sua nobis venerabilis frater noſter Theodorus epiſcopus Nigripontis fecit conqueſtione monſtrari, quod, licet coram dilecto filio Benedicto, tituli ſanctæ Suſannæ preſbytero Cardinale, tunc apoſtolicæ ſedis legato ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ canonicam obedientiam promiſerit exhibere præſtito juramento, & idem legatus epiſcopatum ipſum auctoritate qua fungebatur confirmarit eidem; archiepiſcopus tamen Athenienſis metropolitanus ipſius, occaſione aſſumta ex eo quod idem inungi nolebat juxta conſuetudinem Latinorum, præſertim quum idem archiepiſcopus mandatum ſuper hoc non haberet apoſtolicum ſpeciale, ipſum pro ſuæ voluntatis arbitrio præſumpſit deſtituere, juris ordine prætermiſſo, & alium in epiſcopum loci ejuſdem eligi fecit in ejus præjudicium & gravamen. Quum igitur dictus epiſcopus tam nobis quam ipſi archiepiſcopo paratus ſit, ſicut aſſerit, canonicam obedientiam exhibere, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, ipſum ad epiſcopatum prædictum mediante juſtitia, ſublato cujuſlibet appellationis obſtaculo, reſtitui faciatis, nec permittatis eumdem ſuper eo indebite moleſtari, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam compeſcentes, &c. Datum Laterani VI. idus* (id eſt die 8.) *Decemb. Pontificatus noſtri anno XI.* Chriſti 1208. Hunc Theodorum, licet A Græcum genere & ordinatione, inter epiſcopos Latini ritus recenſemus, quia is Latinis præſulibus ſeſe adjunxit, & quaſi Latinus à legato ſedis apoſtolicæ confirmatus eſt, ab ipſo etiam Innocentio Papa eidem ſedi reſtitutus fuit. Quid autem deinceps ei contigerit, quandonam ille exceſſerit è vita, quotque habuerit ſucceſſores uſque ad annum 1263. nos latet.

III. * * *

Raynaldus ad annum 1263. *n. 21.* ſcribit B Urbanum IV. pro rebus Latinorum in Oriente reſarciendis, poſt recuperatam à Græcis Conſtantinopolim plurimam dediſſe operam: « Nec modo, inquit, pro erigendo imperiali ſolio everſo Balduini, Pontifici laborandum erat; verum etiam pro fulciendis reliquis Orientalis imperii Latinis principibus, quorum res à (Michaele) Palæologo concuſſæ atque in periculum abductæ erant; ut docent.... Urbani litteræ ad Patracenſem, Corinthienſem, Athenienſem, & Thebanum archiepiſcopos, Coronenſem, Olonenſem, C Lacedæmonium, & *Nigropontenſem* epiſcopos, &c.» Quodnam epiſcopo huic Nigropontenſi nomen fuerit ignoramus.

IV. * * *

Oldoinus, *hiſt. Rom. Pont. & DD. Card. to. 2.* ſub Nicolao III. *col. 230. num. 9. edit. Rom. 1677.* ubi de Jacobo Columna, Cardin. refert inſcriptionem olim in eccleſia ſanctæ Mariæ in Via Lata affixam, & ex Vaticano codice editam à Floravante Martinello, in qua legitur: « In nomine Domini, Amen. D Anno Domini 1295. pontificatus Domini Bonifacii VIII. PP. (anno 1.) Indict. IX. menſe Decembris, die 6. in feſto S. Nicolai, conſecratio iſtius altaris ſancti Nicolai, facta fuit per *epiſcopum Nigropontenſem* de mandato D. Jacobi de Columna diaconi Cardinalis ſanctæ Mariæ in Via Lata, cui iſta eccleſia erat in temporalibus & ſpiritualibus commendata, &c.»

Digitized by Google

ECCLESIA NEGROPONTENSIS.

V. GUALCHERUS *ſive* GUALTERUS.
VI. NICOLAUS.

Gualcherus ſive *Gualterus* iſte epiſcopus Nigropontenſis, is eſſe videtur, ad quem, ut ad multos alios præſules, Clemens V. ſuas direxit litteras encyclicas datas Pictavis pridie idus (id eſt die 12.) Auguſti anno 3. Chriſti 1307. ut eos invitaret ad concilium Viennenſe: *In eodem modo archiepiſcopo Athenienſi, & epiſcopis, &c. Mandamus, quatenus vos fratres archiepiſcope, & Nigropontenſis & Reonnenſis epiſcopi, &c. To. XI. concil. Labb. part. 2. col. 1548.* C. Obiit anno 1313. aut 1314. Clemens enim, audita ejus morte, Nigripontenſis eccleſiæ adminiſtrationem *Nicolao* Patriarchæ Conſtantinopolitano ritus Latini contulit, ut ex ejus redditibus ſuam poſſet Patriarchalem ſuſtinere dignitatem: hanc etiam ſedem inpoſterum cum eo pa- A triarchatu voluit conjungi, quandiu Conſtantinopolis ſub ſchiſmaticorum Græcorum poteſtate detineretur. Ita refert Raynaldus ad annum 1314. *num. XI.*

VII. ANGELUS.

Auguſtinus Oldoinus, jam ſupra laudatus ubi de IV. præſule Nigriponti, ait *ibid. to. 2. col. 720. num. 3.* C. & *col. 750.* ſub Gregorio XII. A. *Angelum Corarium,* Venetum, qui B Pontifex poſtea fuit, dictus Gregorius XII. renuntiatum eſſe à Bonifacio IX. ex epiſcopo Caſtellano Venetiarum, Patriarcham Conſtantinopolitanum cum Chalcidenſis (ſive Nigripontenſis) ſacerdotii in Græcia commendatione. Id contigit ante menſem Octobrem anni 1304. cujus prima die obiit Bonifacius. Vide quæ de Angelo dicta ſunt inter Patriarchas Conſtantinopolitanos, *col. 830.* D.

III. ECCLESIA THERMOPYLENSIS.

THERMOPYLÆ ſunt anguſtus tranſitus inter mare & præruptos montes, ſilvis imperviis horrendos, ex Theſſalia in Locridem & Bœotiam. Sic deſcribit locum hunc Herodotus *lib. 7. cap. 176.* apud Cellar. *geogr. ant. to. 1. lib. 2. cap. 13. pag. 1121. Thermopylarum, quod ad occidentem vergit, mons eſt inacceſſus & prœalti præcipitii, procurrens uſque ad Œtam: quod autem viæ in ortum vergit, id à maris excipitur illuvie.* Ex Mich. Anton. Baudrand *in Lexico geogr. tom. 2. pag. 309. col. 2.* diſtant 90. milliaribus à Chalcide ſive Negroponte in occaſum æſtivum, & 70. à Chriſſæo ſinu in ſeptentrionem.

De Thermopylis hæc tradit Abraham Ortelius, ad vocem *Thermopylæ* in ſuo *Theſauro geogr. edit. Antuerp. Plantin. 1596.* «*Thermopylæ,* Θερμοπύλαι, anguſtiæ ſunt, ut à Strabone
» *lib. 9.* deſcribuntur, Œtæ montis, qui eſt inter Macedoniam & Theſſaliam. Aditus hujus,
» inquit, *Pylæ,* id eſt, *Portæ* vocantur; item *ſtena,* ſive *anguſtiæ:* ac *Thermopylæ,* à calidis
» lavacris. *Thermopylas* ab aliis Græcis; *Pylas* vero ab incolis & vicinis dici ſcribit Suidas.
» *Scelos* nunc vocari ſcribit Joannes Lydus. *Terremoto* noſtra tempeſtate vocari tradit Bo-
» nacciolus in ſuo Strabone ex Græco in Latinum verſo. *Bocca di Lupo* Nardus in ſuo Livio
» Italico. Latius tamen interdum *Thermopylarum* vocabulum extendi apud alios auctores
» conſtat.... ſed quæ Livio (lib. 36. cap. 15.) *Thermopylæ* ſunt, Strabonis *Œta* videtur: ſic
» enim de eo, (monte Strabo) Ænianes *Œtam* accoluerunt. Is mons à Thermopylis & ortu
» porrigitur uſque ad ſinum Ambracium, & occaſum. His deſcriptionibus ſi quis Græciæ IV.
» tabulam adhibeat, perſpicuè videt Livii *Thermopylas,* & Strabonis *Œtam* ſynonyma ejuſdem
» montis eſſe: Item *Pylas* horum (eſſe) partem, nempe ubi eorum tranſitus patet ad ſinum
» Maliacum. Ulpianus in Demoſthenem ſcribit hunc tranſitum 25. pedum tantum ſpatio
fuiſſe, &c.» Hucuſque Ortelius. Eò autem loci fuiſſe ejuſdem nominis *Thermopylarum* civitatem, cui ſæculo decimo-tertio, poſt captas à Francis & Venetis Conſtantinopolim & circumjacentem regionem, epiſcopi Latini ritus præfecti ſunt, ut Athenienſis ſedis ſuffraganei, colligitur ex ſequentibus epiſcopis *Thermopylarum* dictis.

EPISCOPI THERMOPYLARUM.

I. ARNULFUS.

INter epiſtolas Innocentii III. Papæ, quæ extant apud Baluzium *tom. 2. epiſtolar.* hujus Pontificis nonnullæ occurrunt ad *epiſcopum Thermopylenſem* ſcriptæ annis 1208. & 1210. Is quidem præſul interdum *Fermopylenſis* & *Cermopylenſis* in iis dicitur; ſed id amanuen- C ſium incuria videtur contigiſſe. Illas brevitatis gratia hic indicabo tantum. Sunt ſcilicet *epiſt. 152. lib. XI.* an. 1208. & *6. 13. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 114. 151. & 192. lib. 13.* an. 1210. In his quidem epiſtolis, quæ de variis negotiis ſcriptæ ſunt, nomen iſtius epiſcopi deſideratur, verum detegitur fuiſſe *Arnulphus,* ex *epiſt. 57. lib. 15.* ejuſdem Papæ, in qua

Arnulphum

Arnulphum ex Thermopylenſi eccleſia ad metropolitanam Sarrenſem tranſtulit. Titulus eſt: *Arnulpho Sarrenſi archiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis in perpetuum.* Poſt pauca: *Quocirca, venerabilis frater in Chriſto, tuam volentes perſonam propenſius honorare, te ad Sarrenſem metropolim ab eccleſia tranſtulimus Thermopylenſi, teque apud ſedem apoſtolicam conſtitutum palleo inſignivimus, &c.* Finis eſt: *Datum Laterani, per manum Joannis ſanctæ Mariæ in Coſmidin diaconi Cardinalis ſanctæ Romanæ eccleſiæ, VIII. kal. Jun.* (id eſt die 25. Maii) *Indict. XV. Incarnationis Domini anno 1212. Pontificatus vero Domini Innocentii Papæ III. anno quintodecimo.* Quis illi ſucceſſerit in Thermopylenſi eccleſia nos fugit: nec ſubſequentes epiſcopos magis novimus, uſque ad ſæculum XV.

A

B

II. SILVESTER.

Silveſter Calbus de Corono, Ord. Prædic. epiſcopus Thermopylenſis in Romania provincia Athenienſi, à Gregorio XII. creatus eſt, *VIII. idus* (id eſt die 6.) *Junii, anno 6.* qui fuit Chriſti 1412. Ita quædam manuſcripta Bzoviana, apud Fontanam, *in Theatro Dominicano pag. 305. col. 2. tit. 580.*

C

III. PETRUS.

IV. JOANNES I.

Waddingus, *to. 6. annal. Min.* ad annum 1466. *num. 5. pag. 661.* ſcribit, ad Thermopylarum ſedem in Græcia, ſub archiepiſcopo Athenarum, per obitum *Petri* ejus præſulis vacantem, evectum fuiſſe eo anno pridie kalend. Decembris, (id eſt die ultima Nov.) à Paulo II. *F. Joannem de Hemburg,* Minoritam, Baccalaureum in theologia.

V. * * *

Ex eodem Waddingo, *to. 7. n. 52. p. 19.* Thermopylenſi eccleſiæ, ſub archiepiſcopo Athenienſi, *N.* ſacræ theologiæ profeſſor Ord. Min. à Sixto IV. anno 1476. III. kal. Januar. (id eſt die 30. Decemb.) præfectus eſt. Is fortaſſis fuit *Joannes* qui modo ſequitur, ex hypotheſi tamen quod alius ab eo fuerit, ejus hic meminimus.

ECCLESIA THERMOPYLENSIS.

VI. JOANNES II.

VII. STEPHANUS.

Eccleſia Thermopylenſi vacante an. 1484. per obitum *Joannis* ejus epiſcopi, de quo nihil aliud novimus, *Stephanum Kanor* Ord. Præd. ei ſubſtituit illo anno Innocentius VIII. Papa, ut conſtat ex duobus ejus diplomatibus datis, primum quidem die 17. Nov. alterum vero die 15. Decemb. Apud doctiſſ. P. Bremond, *to. 4. Bull. Ordin. Præd. edito Romæ anno 1732. pp. 76. & 77.*

VIII. JOANNES III.

IX. ALPHONSUS.

Eccleſia Thermopylarum vacante per obitum *Joannis* ejus epiſcopi, illi præfecit Innocentius VIII. IV. Non. (id eſt die 2.) Decembris anno 1491. *Fr. Alphonſum de Spina* Ord. Min. quem Waddingus id referens ad eum annum, *to. 7. num. 69. pag. 274.* cenſet auctorem fuiſſe *Fortalitii fidei.*

X. LUDOVICUS.

Anno 1521. die 2. Octobris, epiſcopus Thermopylarum renuntiatus eſt à Leone X. *Ludovicus Galteri*, Ordin. Præd. ex ejuſdem Pontificis diplomate quod refert præfatus R. P. Bremond, *tom. 4. Bullar. pag. 405.*

IV. ECCLESIA MEGARÆ.

MEGARENSIUM regio, dicta *Megaris,* Græcè Μεγαρὶς, Plinio *lib. 4. cap. 7.* Atticæ pars eſt; aliis tamen, ut ei proxima & contigua ab Occidente habetur. Illius caput eſt *Megara,* Græcè τὰ Μέγαρα neutro genere, civitas nobilis quæ contra Athenienſes & Corinthios ſæpius præliata eſt. De ea hæc tradit Stephanus Byzantius: *Urbs eſt circa Iſthmum* (Corinthiacum) *media inter Peloponneſum, & Atticam, & Bœotiam. Cujus navale Niſæa. Sic vero denominata fuit à Megareo filio Apollinis, vel* (potius) *Ægei filii Pandionis, filii Erechthei, filii Vulcani. Vel* (etiam) *propter regionis aſperitatem .... Megareus fuit Theognis qui Parænеſes ſcripſit. Erat vero inibi Schola philoſophorum* Megarenſium *dicta, quæ recepit Euclidem Megarenſem Socraticum,* ut narrat Strabo *lib. 9.* (his verbis: *Multas habuit mutationes Megarenſium urbs; tamen etiamnum durat: habuit aliquando & Philoſophorum Scholam, qui Megarici dicebantur, ſucceſſores Euclidis Socratici, patriâ Megarenſis.*) Poſtea quum Megarenſes, ut obſervat Thomas de Pinedo *in notis ad præfatum Stephanum, pag. 450. annot. 17. col. 2.* ab Athenienſibus defeciſſent, illis interdictum fuit portubus in ditione Athenienſium ſitis, auctore Thucidide *lib. 1.* Quapropter Euclides muliebri veſtitu ad Socratem ſe conferebat, teſte Aulo Gellio *Noct. Attic. lib. 5. cap. 10. Peloponneſii,* ex Velleio *lib. 1. cap. 2. digredientes finibus Atticis Megaram, mediam Corintho Atheniſque urbem,*

Digitized by Google

ECCLESIA MEGARÆ.

condidere. Quæ colonia tandem Romana facta eſt, unde Plinius ſupra citatus, ait: *appellatur Megaris,* (ipſa regio) *à colonia Megara.* Nunc parvam eſſe admodum ſcribit Mich. Anton. Baudrand *in Lexico geogr. to. 1. p. 640. col. 2.* duobuſque milliaribus diſtat à ſinu Saronico, ab Athenis vero 26. milliaribus in occaſum, & totidem à Corintho in ortum æſtivum.

Hujus civitatis, præter modo memoratos, meminere Scylax in Μέγαρα, Ptolemæus *lib. 3. cap. 15.* Pauſanias *lib. 1.* & T. Livius in diverſis locis. Duplici arce inſtructa erat, quarum alteri quidem *Niſææ,* alteri vero ab Alcathoo ejus conditore *Alcathoe* nomen fuit, necnon navali Niſæa quoque dicto, ad quod uſque Athenienſes longos muros ædificaverant. Vide Abrahamum Ortelium *in Theſaur. geogr.* & Cellar. *t. 1. geogr. antiq. l. 2. c. 13. p. 1167.*

EPISCOPI MEGARÆ.

I. GRATIADEUS

ANno 1303. ſedebat *epiſcopus Salvin.* id eſt, *Megarenſis,* ſic dictus ex *Salvia,* quam eſſe *Niſſæam* ſive *Niſæam* Megarenſium portum tradit Baudrand *tom. 2. geogr. pag. 26. col. 1.* Hunc *Megarenſem* fuiſſe epiſcopum doctiſſ. P. Bremond obſervat *tom. 2. Bullar. nota XI.* in bullam XIV. Benedicti XI. quem ut beatum quotannis die ejus anniverſaria 7. Julii in diœceſibus Tarviſina & Peruſina, & toto Prædic. Ordine, officio colendum eccleſiaſtico ſacra Congreg. rit. & SS. Papa Clemens XII. die 29. Novemb. anno 1738. decrevere. Is quippe Gratiadeus, pluresque alii in præfata Benedicti bulla nominati præſules, inter quos & Leonardus Patriarcha Conſtantinopolitanus, Benedicto, qui tunc Nicolaus Cardinalis epiſcopus Oſtienſis erat, Patavii templum FF. Præd. ſolemni ritu die 11. April. conſecranti adſtiterunt.

II. FRANCISCUS.

Ughellus, *tom. 4. Ital. ſac. veter. edit. in epiſcopis Albenſibus, col. 409. num. 29.* D. narrat de Lazarino epiſcopo Albenſi ſub Mediolanenſi metropoli, hunc anno 1357. conceſſiſſe *Franciſco epiſcopo Magarenſi* (Megarenſi) facultatem conferendi ordines apud Dianum ſuæ diœceſis locum.

III. FAUSTINUS.

Bonifacius IX. Papa Megarenſis eccleſiæ epiſcopum conſtituit *F. Fauſtinum de Richettis,* Brixienſem, Ordin. Prædic. IV. Nonas (id eſt die 4.) Martii, anno 1392. de cujus promotione Bzoviana manuſcripta hæc referunt, apud Fontanam *in Theatro Dominicano p. 232. tit. 376. col. 1. Fauſtinus de Richettis de Brixia Ordin. Præd. epiſcopus Megaren. à Bonifacio IX. quarto Non. Martii anno 3.*

IV. JOANNES.
V. NICOLAUS.

Poſt obitum *Joannis* epiſcopi Megarenſis, qui probabiliter Fauſtino ſucceſſerat, huic eccleſiæ præfecit idem Bonifacius IX. Papa die 10. Decemb. anno 1400. *Nicolaum de Pilſva* vel *Pilſna,* ut à nonnullis appellatur A Ordin. Prædic. Id conſtat ex diplomate ejus promotionis, apud doctiſſ. P. Antoninum Bremond. *t. 2. Bullar. Ordin. Præd. p. 404.*

VI. LAURENTIUS.

Laurentius Alphonſi, Luſitanus, Ordin. Eremit. S. Auguſt. Megaræ epiſcopus deſignatus eſt à Joanne XXIII. Papa anno 1410. VII. idus (id eſt die 9.) Julii. Ita ex Regeſtis Conſiſtorialibus refert Thom. de Herrera *Alphab. Auguſtin. to. 2. pag. 13. col. 2.*

VII. ANDREAS I.

Ughellus, *tom. 3. Ital. ſac. vet. edit. in* B *epiſcopis Adjacenſibus, col. 596. num. 13.* D. de eo Andrea ita ſcribit: « *Andreas,* ex epiſcopo Civitatenſi, huc (id eſt ad eccleſiam Adjacenſem) tranſlatus eſt anno 1422. pridie Nonas (ſive die 4.) Septemb. Deinde anno 1427. III. Non. (id eſt die 5.) Maii, ad epiſcopatum Megarenſem. » Dubitat Ughellus *ibid.* an Andreas iſte non ſit ille Andreas Hiſpanus monachus Benedictinus, de quo paulo ſupra *col. 595. num. 3.* D. mentionem fecit, quique ex epiſcopo Civitatenſi, factus eſt epiſcopus Adjacenſis. Licet enim hujus meminerint Trithemius *lib. 4. de ſcriptoribus eccleſ. cap. 44.* & Wion *lib. 2. Ligni vitæ,* non C tamen indicant tempus quo floruerit.

VIII. ANDREAS II.

Andreæ præfato, nî fallor, ſucceſſit *Andreas* alter, *Dias* cognominatus, Ulisipponenſis, Ord. Præd. qui quum hanc eccleſiam ſanctè adminiſtraſſet ab anno 1432. quo fuerat conſecratus, in conventum ſuum Uliſipponenſem regreſſus eſt, ubi reliquum vitæ piiſſimè tranſegit. Unionis decreto in ſynodo Florentina anno 1439. condito ſubſcriptus legitur iis verbis, *tom. 13. concil. Labb. col.* D *1169. A. Ego Andreas Hiſpanus Portugalenſis, epiſcopus Megarenſis, ſubſcripſi.* Citat Fabricius, *tom. 10. pag. 435. & ſeq. Andreæ Megarenſis epiſcopi tractatum de Græcis errantibus eorumque erroribus,* quem ait exſtare in bibliotheca Cardinalis Sirleti. Andreæ meminere (præter P. Echard. *in indice to. 1. ſcript. Ord. Præd. præfixo, p. 26. col. 1.* qui tamen

Digitized by Google

ignoravit hoc ejus opus modo citatum, unde hunc inter ſcriptores ejuſdem Ordinis non recenſuit:) Ludov. Souza, *hiſt. prov. Portug. Ord. Præd. edit. 1623. part. 1. lib. 3. cap. 36. fol. 193. verſo.* & alii.

IX. Petrus.

Initio ſæculi XVI. Megarenſis epiſcopus erat *Petrus Aureacella.* Ab anno 1505. uſque ad annum 1512. eccleſiam Monteregalenſem in Sicilia adminiſtravit vice Alphonſi II. de Aragonia ejus præſulis, Ferdinandi Hiſpaniarum regis filii illegitimi. Ita Rocchus Pirrus *tom. 1. Sicil. ſac. in archiepiſcopis Monteregalenſibus, pag. 426. num. 22.*

X. Julius *ſive* Julianus.

Julius Stamiranus vel *Staniranus* Ordin. Prædic. epiſcopus Megarenſis conſtitutus eſt anno circiter 1561. à Pio IV. ut catholicorum in inſula Cypro curam gereret. Sic enim in actis conſiſtorialibus legitur: *Die 24. Oct. referente Cardinale Amulio, providit Pontifex eccleſiæ Megarenſi in partibus infidelium, de perſona fratris Julii Stanirani, Armeni, totius populi in inſula* (Cypri) *exiſtentis, ac etiam tam majoris, quam cæterarum omnium eccleſiarum Armenorum ejuſdem inſulæ curam ei committendo; ita quod ipſe in his tanquam ſuffraganeus archiepiſcopi Nicoſienſis, curam & regimen hujuſmodi ſuſcipiat, & exerceat.* Hæc refert doctiſſ. P. Bremond, *to. 5. Bullar. FF. Præd. Romæ edito anno 1733. pag. 104.* ubi & ſubdit opinari ſe hunc eſſe Julianum illum epiſcopum Armenorum de quo R. P. Echard. *to. 2. ſcriptorum Ord. Præd. in indice epiſcopor. pag. 31.* ait: *Julianus epiſcopus Armenorum in Cypro à ſuis electus, & à Pio IV. confirmatus, Cypro inſula* (poſt modum) *à Turcis invaſa, à Pio V. poſitus eſt epiſcopus Bovenſis in Calabria ſub Rhegienſi.*

XI. ***

In nuntiis publicis per annum 1642. Gallicè ſcriptis, fit mentio de quodam *epiſcopo Megarenſi*, & ſuffraganeo epiſcopi Conſtantienſis, qui creatus eſt epiſcopus eo anno die 16. Decemb. & die 22. ejuſdem menſis Romæ conſecratus à Cardinale Rocci, *pp. 54. & 69.*

XII. Vincentius.

Ex iiſdem nuntiis per annum 1727. pag. 188. eo anno die 17. Mart. *Vincentius Magnati* renuntiatus eſt epiſcopus Megarenſis in Macedonia, à SS. Papa Benedicto XIII.

V. ECCLESIA DAVALIÆ *ſive* DIAULIÆ, DAULIÆ *aut* DAULIDIS.

Davalia illud fuiſſe oppidum videtur quod à priſcis ſcriptoribus *Daulium*, Græcè Δαύλιον, à Polybio *lib. 4. cap. 26.* & *Daulis,* Græcè Δαυλὶς, ab Homero, Livio, Pauſania, Stephano appellatur, & urbibus Phocidis regionis annumeratur. *Dauliæ* Thucydides meminit *lib. 2.* ἐν Δαυλίᾳ τῆς Φωκίδος ᾤκει, *in Daulia Phocidis* (Tereus) *habitabat.* De ea urbe hæc habet Strabo *lib. 9. pag. 423.* B. *editionis Caſaubonis, Pariſ. 1620. Jam in mediterraneis fermè verſus ortum ſolis à Delphis, oppidulum eſt Daulis, ubi ferunt Tereum illum Thracem dominatum fuiſſe, eodemque fabulam de Procne & Philomela referunt. Thucydides Megaram locum rei quæ narratur aſſignat. Loci nomen videtur ductum à denſitate, quod Daulos* Δαυλοὺς *vocarent olim loca ſtirpibus conſita. Porro quam Homerus Daulidem* Δαυλίδα *vocat, poſteriores Dauliam dixerunt,* οἱ δ᾽ ὕστερον Δαυλίαν. Thomas de Pinedo Luſitanus, in notis ad Stephanum Byzantium *pag. 225. col. 2. annot. 56.* obſervat in verbis Græcis Stephani, pro voce Δαυλῖ, legendum eſſe ex Strabonis *lib. 9.* Δαυλίαν..... Et pergit: ſed ſicut ex Strabone correximus Stephanum, ſic etiam ex Stephano corrigendus eſt Strabo, apud quem..... pro Δαυλοὺς lege Δαῦλα (neutrum ſcilicet pro maſculino in plurali) Δαῦλον enim, ut ſcribitur apud Stephanum eſt τὸ δασὺ denſum, aſperum, hirſutum; quod confirmatur ex Heſychio, qui eodem modo inquit Δαῦλον, δασύ. Pauſanias ſcribit in *Phoc. cap. 4.* Daulidem abeſſe ab oppido Panopeo ſeptem ſtadiis, & propinquam Parnaſſo, ſic tamen ut ex Daulide in Parnaſſum aſcendatur longiore via, ſed minus difficili, quam quæ ex Delphis eſt. Vide Cellar. *geogr. antiq. to. 1. lib. 2. cap. 13. pag. 1129.* De Daulide hæc obſervat Mich. Anton. Baudrand *in Lexico geogr. to. 1. pag. 327. col. 1.* Daulis, urbecula Phocidis in Achaia Ptolemæo.... epiſcopalis ſub archiepiſcopo Athenienſi, in excelſo tumulo ſita, 15. milliar. à Delphis diſtat in ſeptentrionem Elatæam verſus. *Daulia* etiamnum dicitur in vicum redacta, ut quidam credunt. In notitia Græcorum epiſcopatuum P. Goar, quæ extat ad calcem Codini *de Officiis, num. 2.* aſſignatur ſub throno 28. Athenarum Græciæ, ὁ Διαυλείας, *Dauliæ, pag. 391.* Sæculo XII. præſule Latini ritus donata eſt.

Digitized by Google

ECCLESIA DAVALIÆ *ſive* DIAULIÆ, *aut* DAULIDIS.

EPISCOPI DAVALIÆ *ſive* DAULIDIS.

I. * * *

A

E Piſcopi Davalienſis, nomine ejus tacito, plurima mentio occurrit in epiſtolis Innocentii III. *to. 2. edit. Baluz.* quarum nonnullæ ad ipſum ſcriptæ ſunt de variis negotiis, puta 179. 191. & 252. lib. XI. anno 1208. 102. 110. 136. 154. 155. 156. & 192. lib. XIII. anno 1210. 29. 53. 60. 77. & 78. lib. XV. anno 1212. & 97. lib. XVI. anno 1213.

II. ANTONIUS I.

III. PHILIPPUS.

Anno 1376. vacante per obitum cujuſdam *Antonii,* Davalienſi ſede, ad eam promotus eſt à Gregorio XI. v. kal. Febr. id eſt die 28. Jan. *Philippus de Ardizoni* Minorita. Wading. *to. 4. annal. Minor. p. 220. n. 6.*

IV. ANTONIUS II.

V. NICOLAUS.

Bonifacius IX. anno 1392. eccleſiæ Davalienſi per obitum *Antonii* epiſcopi vacanti, præfecit VIII. idus (id eſt die 6.) Novemb. *Nicolaum de Neritano Ord. Min.* Ex eodem Wadding. *to. 4. pag. 298. n. 16.*

VI. JOANNES.

B Patavii obiit anno 1441. ſepultuſque eſt *Joannes,* Eremita ſancti Auguſtini, epiſcopus Davalienſis, cujus ſepulcro hæc inſcriptio appoſita eſt: *Sepultura R. Domini Joannis, epiſcopi Davalenſis anno M. CCCC. XXXXI. die 6. Jul. Ordin. fratrum Eremitarum ſancti Auguſtini.* Ita Thomas de Herrera, *Alphab. Auguſt. to. 1. pag. 432. col. 1.*

ECCLESIA AVELENSIS *ſive* AVALONENSIS.

VI. QUÆ à Latinis noſtris *Avalonenſis* vel *Avelenſis* civitas dici ſolet, cenſetur eſſe illa *Aulon,* de qua Stephanus Byzantius de urbibus & populis ait, Αὐλὼν, πόλις Λακωνικὴ, μία τῶν ἑκατὸν, *Aulon, urbs Laconica, una ex centum.* Memoratur à Strabone *lib. 8. p. 350.* A. *edit. Caſaub.* Mich. Anton. Baudrand *in Lexico geogr. to. 1. pag. 126. col. 2.* de illa urbe hæc ſcribit: « *Aulon* urbs Taulantiorum in Macedoniæ ora occidentali & in Pelaſgoniæ tractu, » teſte Plinio; Aulon navale dicta à Ptolemæo, nunc *La Valona* Italis, urbs eſt Albaniæ » ſuperioris, alias epiſcopalis ſub archiepiſcopo Athenienſi, poſtea ſub Dyrrachino: deinde » metropolis & ipſa effecta à Græcis. Probe munita eſt cum arce & portu ampliſſimo, ſeu » verius ſinu quem duo caſtra muniunt ad ejus oſtium. Sedes eſt præfecti Turcarum in con» finio Epiri inter Apolloniam ad ſeptentrionem & montes Acroceraunios ad meridiem, juxta » fauces maris Adriatici.... & 70. milliar. diſtat ab Hydrunto urbe Italica in ortum. »

EPISCOPI AVALONENSES.

I. * * *

INter epiſtolas lib. XIII. Innocentii III. *tom. 2. edit. Baluz.* extant 13. 47. & 102. cuidam *electo Avelenſi epiſcopo,* & 192. *epiſcopo Avalonenſi,* ſcriptæ anno 1210. ad quem etiam dirigitur anno ſequenti epiſtola 112. lib. XIV. *Epiſcopus* iſte *Avalonenſis,* nonnulliqui alii Latini Præſules Orientis, interfuerunt anno præfato 1210. pactis conventis cum Thoma Mauroceno primo Patriarcha Conſtantinopolitano ſancitis de ſervandis bonis, juribus & privilegiis eccleſiarum, ut conſtat ex bulla Honorii III. data Signiæ pridie Non. (id eſt die 4.) Septemb. anno VIII. Chriſti 1223.

II. NICOLAUS.

Nicolaus epiſcopus Vallonenſis (La Valona) unus fuit Præſulum qui B. Nicolao de Tarviſio Ord. Præd. tunc Cardinali epiſcopo Oſtienſi, & poſtea ſummo Pontifici ſub nomine Benedicti XI. baſilicam cœnobii Pata-

C vini ejuſdem Ordinis ſolemni ritu die 11. April. anno 1303. conſecranti aſtiterunt. Id habetur ex duobus hujus Benedicti de ea conſecratione diplomatibus, datis, uno quidem die modò laudato dum Cardinalis eſſet, altero autem anno ſequenti 1304. die 4. Februar. dum eſſet Papa, quæ exhibet R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pp. 86. & 87.*

III. JACOBUS.

Daniel à V. M. *Speculi Carmelit. tom. 2. pag. 930. num. 3256.* refert iſtud epitaphium legi Venetiis in eccleſia Carmelitarum: *Hic* D *eſt ſepultus venerabilis Pater & DD. Fr. Jacobus de Venetiis, Ordinis beatæ Mariæ de Carmelo, epiſcopus Evellonenſis, qui obiit anno Domini 1345. die penultima Octobris.* Hæc porro ſedes *Evellonenſis,* ipſa eſt veroſimiliter *Avelonenſis.*

IV. JOANNES.

V. GUILLELMUS.

VI. STEPHANUS.

Anno 1437. tranſlato *Joanne Raphael,* qui

Digitized by Google

reginæ Franciæ à confeſſionibus fuit, à ſede Avelonenſi ad Silvanectenſem in Gallia, epiſcopus Avelonenſis renuntiatus eſt eodem anno VI. idus (id eſt die 10.) Maii, *Guillelmus Aucupis* Ordin. Minor. ab Eugenio IV. teſte Wadding. *in annal. Min. to. 5. num. 34. p. 320.* Verum probabiliſſimum eſt, utrumque hunc epiſcopum, titulum duntaxat eccleſiæ Avelonenſis geſſiſſe, nec ad eamdem regendam perrexiſſe. Idem ſentiendum de *Stephano Paris,* Gallo, Ord. Præd. conſtituto epiſcopo Avelonenſi à Jul. III. anno 1551. & ſuffraganeo archiepiſcopi Rotomagenſis, cujus meminere Fontana *in Theat. Domin. pag. 112. tit. 2.* ex Actis Conſiſt. Jul. III. Cavaler. *to. 1. pag. 398. num. 157.* P. Jacob. Echard. *to. 2. ſcript. Ord. Præd.* & R. P. Bremond, *to. 5. Bullar. ejuſd. Ord. p. 37.* ECCLESIA AVELONENSIS *ſive* AVALONENSIS.

VII. ECCLESIA ZORCONENSIS.

EPISTOLA Innocentii III. ad Berardum primum Athenienſem metropolitam ritus Latini, de qua mentio facta eſt ſupra *col. 837.* C. eccleſiam *Zorconenſem,* inter alias undecim, eidem archiepiſcopo ſubjicit. De ea tamen, ejuſve epiſcopis, nihil aliunde reperi.

VIII. ECCLESIA CARIST·YÆ.

EUBŒA, Græcè Εὐβοία, inſula eſt oblonga, ab Attica ad Theſſaliam, & à Bœotia Euripi freto dirimitur. Hujus oppidorum maxime celebratur Κάρυστος *Caryſtus,* quod Ptolemæus *lib. 3. cap. 15.* poſuit inter Caphareum & Geræſtum. Hæc Strabo poſt initium *lib. 10.* de eo oppido habet: *Caryſtus ſub monte Ocha ſita eſt; in propinquo Styra & Marmarium, ubi Caryſtiæ columnæ exſcinduntur.* Suffragatur Stephanus Byzantius aiens: *Caryſtus urbs ſub Ocha civitate Eubœæ,* ὑπὸ τῇ Ὄχῃ πόλει τῆς Εὐβοίας· (ad quæ verba Thomas de Pinedo Luſitanus *ibid. pag. 361. num. 61.* ait: Quum Ocha non fuerit *urbs,* ſed *mons,* apud Stephanum pro πόλει, lege fidenter ὄρει τῆς Εὐβοίας, id eſt, *monte Eubœæ,* quod etiam ipſe in eadem ſectione confirmat) Pergit Stephanus: *A Caryſto Chironis filio* (hoc nomen ſumpſit) *Theodoridas* Chironiam Χειρωνίαν *eam vocat; jacet vero prope Myrtoum pelagus, ſub monte* ὑπὸ τῷ ὄρει *Ocha.... In hac urbe* (Caryſto) *naſcitur lapis qui raditur & texitur, ſic ut linteolum textura fiat, quod, quum ſordidum eſt, in flammam injicitur, ac mundatur à ſordibus, ac ſi fuiſſet lotum.* (Id Stephanus *ex Strabone lib. 10.* inquit laudatus Thomas de Pinedo, *pag. 362. n. 63.* Sed *apud Strabonem pro* τὰ ὑφάσματα, *lege ex noſtro auctore* τῇ ὑφῇ: *genus iſtud lini Latini vocant* amiantum, *Græci* ἄσβεστον, *de quo videſis* Coel. Rhodigen. *antiq. lect. lib. 8. cap. 16.* Pancirol. *rer. memorab. tit. 4.* & Leonicum *de varia hiſtoria lib. 1. cap. 93.*)

Mich. Anton. Baudrand, *in Lexico geogr. to. 1. pag. 236. col. 2.* ita loquitur de Caryſto: «Eubœæ inſulæ Straboni, quæ & *Caryſtos,* nunc etiam *Caryſto* incolis, teſte Sophiano, » *Caſtelroſſo* Italis, & *Chaſteauroux* Gallis, teſte Babino: Eſt autem urbecula epiſcopalis ſub » archiepiſcopo Chalcidenſi, verſus Caphareum promontorium in ora Orientali inſulæ, » 60. milliar. diſtans à Chalcide (ſive Negroponto) in ortum, & 15. à Gereſto in ſeptentrionem. Marmore abundat quod Caryſtium nominatur.» In notitia Græcorum epiſcopatuum, quæ extat ad calcem Codini *de Officiis,* ſub throno 28. Athenarum Græciæ ſeptimo loco recenſetur ὁ Καρύστου, *Caryſti p. 391.* Hanc, inter cæteras, Athenienſi metropoli Innocentius III. aſſignavit in epiſtola ad Berardum jam multoties laudata. Nullus tamen hujus eccleſiæ præſulum Latini ritus nobis innotuit. Diſcimus tantum ex doctiſſ. P. Antonino Bremond, *tom. 6. Bullar. Ord. Præd. Romæ edito anno 1735. pag. 520. Fr. Maginum Ventalliol, hujus Ordinis cœnobii Barchinonenſis alumnum, epiſcopum Caryſtenſem in Eubœa, ſub archiepiſcopo Athenienſi,* fuiſſe conſtitutum anno 1718. à Clemente XI. & *Fokienſis provinciæ Sinenſis Apoſtolicum adminiſtratorem miſſum.* Teſtem vero appellat R. P. Dominicum Ponſi, in vita R. P. Antonini Cloche Magiſtri Generalis Ordin. Præd. *cap. 8. pag. 215. n. 57.*

IX. ECCLESIA CORONENSIS.

CORONEA, urbs Græciæ in Bœotia regione, Plinio & Straboni, nunc *Corone* dicta, teſte Pineto, loco edito ſita, prope lacum Copaïdem ubi Cephiſſus fluvius in eum influit, epiſcopalis eſt ſub archiepiſcopo Athenienſi, ſed parva admodum, & in vicum

Digitized by Google

ECCLESIA CORONENSIS.

redacta ſub dominio Turcarum, inter Cherroneas ad occaſum, & Copas ad ortum, 20. milliaribus ab urbe Theſpiis diſtans. Hæc Michael Antonius Baudrand *in Lexico geogr. tom. 1. pag. 301. col. 2.* In notitia Græcorum epiſcopatuum P. Goar, quæ extat ad calcem operis Codini *de Officiis, &c. edit. Pariſ. 1648.* legitur *pag. 391.* ſub throno 28. Athenarum Græciæ, *num. 3. γ.' ὁ Κορωνείας, 3. Coroniæ. Coroniacenſem* eccleſiam, inter alias Athenarum ſuffraganeas recenſet Innocentius III. in epiſtola ad Berardum, ut ſupra dictum eſt *col. 837.* C. Verum neminem ex ejus præſulibus ritus Latini reperimus ante ſæculum decimum-quartum, aut decimum-quintum.

EPISCOPI CORONENSES.

I. PAULUS.

II. PETRUS.

WADDINGUS, *tom. 4. annal. Minor.* ad annum 1367. *num. 9. pag. 120.* ſcribit *Coronenſi* eccleſia, *in Peloponneſo, ſub archiepiſcopo Athenienſi,* vacante per tranſlationem *Pauli* ejus præſulis ad eccleſiam Caſtellanam, ei ſuffectum fuiſſe *F. Petrum Cornarium,* Ord. Minor. nobilem Venetum, eo anno 1367. XVIII. kalend. Maii, id eſt die 14. April. ab Urbano V. At Paulum Petri hujus prædeceſſorem non memorat Ughellus *to. 1. Ital.* B *ſac. vet. edit.* inter epiſcopos eccleſiæ Caſtellanæ. Præterea neſcio an duo illi epiſcopi non potius ſederint *Coroneæ* ſub Patracenſi archiepiſcopo, quam *Coroneæ* ſub Athenienſi: Nam idem Waddingus, qui *Coroneam* eo loci dicit eſſe ſub archiepiſcopo Athenienſi, dicit etiam eſſe *in Peloponneſo. Coronea* porro urbs *Peloponneſi,* Patracenſi archiepiſcopo ſubeſt, non Athenienſi; & reipſa duæ occurrunt Coroneæ, ſedes epiſcopales, in notitia relata, una quidem *Bœotiæ* ſubjecta throno 28. *Athenarum Græciæ, num. 3. ὁ Κορωνείας, Coroniæ* ſive C *Coroneæ, pag. 391.* altera vero ſubdita throno 32. *Patrarum Peloponneſi* metropoli, *n. 3. ὁ Κορώνης, Coronæ, ibid. pag. 392.* Hîc autem iſtorum præſulum meminimus, ex hypotheſi quod *Coroneæ* metropolis Athenienſis ſuffraganeæ præfecti fuerint.

III. MARTINUS.

IV. PROCULUS.

Anno 1419. eccleſiæ *Coronamenſis,* ſive ut obſervat R. P. Antonin. Bremond, *tom. 2. Bullar. Ordin. Prædic. pag. 702. Coroneæ,* in A Bœotia ſub archiepiſcopo Athenienſi, *Martinus* curam gerebat, cui defuncto ſucceſſor deſignatus eſt anno 1420. die 15. Januar. à Martino V. *F. Proculus de Lepays,* Ordin. Præd. Diploma profert idem R. P. Bremond *ibid. pag. 575.* Hunc autem epiſcopum ignorarunt ſcriptores Ord. Præd.

V. FRANCISCUS.

VI. MATTHÆUS.

Franciſco epiſcopo *Coroneæ in Peloponneſo, ſub archiepiſcopo Athenienſi,* viam omnis carnis ingreſſo, ei ſubſtitutus eſt ab Eugenio IV. anno 1435. die 22. Septemb. *F. Matthæus de Sirinno,* Ordin. Minor. in theologia Baccalaureus, & Pœnitentiarius D. Papæ. Ita Wadding. ad hunc annum, *num. 16. tom. 5. annal. pag. 272.* qui etiam exhibet *in Regeſt. Pontif. pag. 223.* diploma hujus promotionis, *Attentæ conſiderationis, &c.* Sed hallucinatur ipſe, ut ſupra in Paulo & Petro Coronenſibus epiſcopis monuimus, ſive dum ait *Coroneam* hanc eſſe *in Peloponneſo,* ſive dum eam ſubjicit *metropoli Athenienſi.* De his itaque duobus præſulibus idem eſto judicium, ac de duobus præfatis Paulo & Petro. Matthæum probabile eſt, illum fuiſſe epiſcopum Coronenſem, ad quem Albertus Sarthianenſis Vicarius Generalis Ord. Min. epiſtola ſua X. data ex Padua die 16. Mart. anno 1443. ſcribit, ſe, propter ipſius, & epiſcopi Ariminenſis ſuffragium, fratrem aliquem ejuſdem Ordinis extremo ſupplicio mulctandum, mitiſſimè puniviſſe. Extat ea epiſtola *tom. 3. Veter. Scriptor. RR. PP. Edm. Martenne & Urſini Durand Bened. Congr. S. Mauri, edit. Pariſ. 1724. coll. 801. & 802.*

X. ECCLESIA ANDRENSIS.

ANDRUS freto dirimitur ab Eubœa auſtrali, & alio anguſtiore ab inſula Teno, ex Cellar. *geogr. antiq. to. 1. lib. 2. cap. 14. pp. 1083.* & 1084. Stephanus Byzantius de ea ita loquitur: *Andros Ἄνδρος, inſula una Cycladum, ſic denominata fuit ab Andro Eurymachi, vel Ananii fratre, Œnotroporum patre; quem* (Andrum) *aliqui dicunt Andrieum Ἀνδρέα, & Ananii filium.* Quibus hanc notam ſubnectit Thomas de Pinedo, *num. 33. p. 82.* « Cyclades » inſulæ dictæ fuere, quod circa Delum in orbem ſitæ fuerint, (teſte) Plinio *lib. 4. hiſt. nat.* » *cap. 12.* qui etiam aſſerit primam earum cognominatam fuiſſe, ex Myrſilo quidem *Cauron,* » deinde *Antandron,* ex Callimacho autem *Laſiam,* ex aliis demum *Nonagriam, Hydruſſam* &

Digitized by Google

ECCLESIA ANDRENSIS.

Epagrin.» Hanc ſcribit Mich. Anton. Baudrand *tom. 1. pag. 59. col. 2.* nunc ſubeſſe archiepiſcopo Naxienſi, portum vero habere ſatis tutum, & 60. vicos in quibus degunt 6000. Chriſtiani. Duos hic exiſtere præſules, Latinum unum, Græcum alterum. Inſulam autem alias fuiſſe ſub dominio Sanutorum nobilium Venetorum, antequam anno 1538. occuparetur à Turcis; illam diſtare 55. milliaribus à Cea inſula, 4. à Teno in occaſum, & 15. à Gereſto Eubœæ promontorio in ortum. Denique circuitum ejus eſſe 70. milliaribus. Eccleſiam Andrenſem Athenienſi metropoli ſubjectam declaravit Innocentius III in epiſtola ſæpius citata ad Berardum archiepiſcopum Athenienſem. Nullus tamen ejus præſulum ritus Latini ad notitiam noſtram devenit, qui ſederit ante annum 1272. In notitia Græcorum epiſcopatuum, quæ extat ad calcem Codini *de Officiis*, 4. loco aſſignatur ſub throno 28. Athenarum: ὁ Ἄνδρου *Andri, pag. 391.*

EPISCOPI ANDRENSES.

I. PLACIDUS.

MILENSIUS in *Alphabeto Auguſtiniano*, teſte Thoma de Herrera in opere ejuſdem nominis, tradit ex bulla quadam indulgentiarum, quæ apud Auguſtinianos Ratiſponenſes aſſervatur, anno 1272. *Placidum* hujus ordinis alumnum Andri epiſcopatum geſſiſſe, & poſt biennium Lugdunenſi concilio ſecundo interfuiſſe. Ita præfatus Thomas de Herrera *Alphabeti Auguſt. to. 2. pag. 259. col. 1.*

II. JOANNES.

Anno 1345. *Joannes de Sancta Catharina* dictus, Carmelita Bononienſis, electus in epiſcopum Andrenſem, die 14. Aug. conſecratus fuit in eccleſia majore Nigropontenſi à Nicolao Athenienſi archiepiſcopo. *Specul. Carmelit. to. 2. pag. 933. num. 3268.*

III. NICOLAUS.

IV. BENEDICTUS I.

Sede Andrenſi vacante anno 1376. per obitum *Nicolai*, ſuffectus eſt illi à Gregorio XI. Papa *Benedictus* de Nigroponte Ordinis Min. XVI. kalend. Jul. (id eſt die 16. Jun.) cujus promotionem archiepiſcopo Athenienſi denuntiavit. Wadding. *tom. 4. annal. Min. pag. 220. num. 6.*

V. FRANCISCUS.

VI. MELILLUS.

VII. BENEDICTUS II.

VIII. JACOBUS.

Poſt obitum *Franciſci*, qui probabiliter Benedictum exceperat, *Melillus de Sabinice* Auguſtinianus anno 1390. VIII. kal. Octob. (id eſt die 24. Septemb.) eccleſiæ Andrenſis adminiſtrationem ſuſcepit. Qui, vel in eo præſulatu parum vixit, inquit Thomas de Herrera *Alphabeti Auguſtiniani to. 2. p. 75. col. 2.* vel ad aliam eccleſiam brevi tranſlatus eſt. Anno enim 1396. II. idus (id eſt die 14.) Julii, *Jacobus de Urbe*, Auguſtinianus, per obitum *Benedicti* (alterius profecto à Benedicto Minorita) ad eamdem eccleſiam Andrenſem promovetur.

IX. MICHAEL.

Ab Innocentio VII. creatus eſt, poſt obitum Jacobi, epiſcopus Andrenſis, pridie Idus (id eſt die 12.) Febr. anno 1406. *Michael de Terminis* vel *de Tornicis* Ord. Præd. præfuitque bonus paſtor pluribus annis. Ita Fontana *in Theat. Domin. tit. 32. num. 1. p. 123. Ex lib. Proviſion. Innocentii VII.* Et in Append. *pag. 620. ex mſſ. Bzovianis.* Bzovius quippe *in hiſt. mſ.* habet: *Michael de Tornicis Ord. Præd. ab Innocentio VII. epiſcopus Andrenſis in provincia Athenarum pridie idus* (id eſt die 12.) *Febr. anno 2.* ſcilicet ejus Pontificatus. Quandonam obierit Michael iſte me latet.

X. GUILLELMUS.

XI. ANDREAS.

Michaeli probabiliter ſucceſſit *Guillelmus*, de quo nihil aliud compertum eſt, niſi quod exceſſerit è vita circa finem anni 1426. aut initio ſeq. 1427. cujus die 28. Martii, renuntiatur epiſcopus Andrenſis à Martino V. Papa, Andreas de *Aurea*, vulgo *Doria*, Genuenſis, Ord. Præd. Id totum diſcimus ex diplomate ejuſdem Pontificis, apud doctiſſimum P. Antoninum Bremond, *to. 2. Bullar. pag. 676.* Hinc autem emendandi occurrunt ſcriptores qui docent Andream anno 1419. ad ſedem hujus eccleſiæ fuiſſe evectum. Obſervat idem P. Bremond, *ibid. p. 707.* ſcripſiſſe Fontanam *in Theatro Dominic. pag. 123. Athenienſis archiepiſcopi ſuffraganeum fuiſſe Andream;* verum in Andrenſi eccleſia tunc temporis duos ſediſſe epiſcopos, *Græcum* unum ſub Athenienſi metropoli, *Latinum* alterum ſub Naxenſi ſeu Naxienſi. Cavalieri tradit *Galler. Domin. t. 1. p. 232. n. 57.* Andream interfuiſſe concilio Baſileenſi, (in cujus tamen actis nulla ejus extat memoria,) ipſumque obiiſſe anno 1436. Illi attribuit Rovetta, *in biblioth. ſcriptor. provinc. Lombard. Ord. Præd. edita Bonon. anno 1691. p. 69. col. 1.* Sermones

Digitized by Google

varios ad populum ordinatos, Tractatum brevem de cenſuris, & nonnulla alia opuſcula. Sed quæ ubi ſerventur, fatetur ſe ignorare.

XII. LOMBARDUS *ſive* LEONARDUS *vel* LAMBERTUS.

Andream excepit *F. Lombardus de Solis*, ab Eugenio IV. renuntiatus anno 1436. die 28. Novemb. teſte Fontana *in Theat. Domin. pag. 123. tit. 32. ex Regeſt.* ejuſdem Eugen. Papæ. Waddingus *tom. 5. annal. Minor.* ad annum 1436. *num. 14. pag. 302.* ſucceſſorem Andreæ ait fuiſſe *Lombardum de Salis* Ord. Minor. *Andrienſis,* inquit, *ſub archiepiſcopo Naupactenſi frater Lombardus de Salis, per obitum Andreæ de Doria, IV. kal. Decembris.* Porro, quod obſervandum, præſulem hunc non aſſerit Fontana fuiſſe Ordin. Præd. imò ex eo Ordine non fuiſſe aſſumtum, ſatis indicat eo ipſo quod, quum illum dixerit ſucceſſiſſe Andreæ de Doria, quem ſecundum ex Ordin. Prædic. retulit eccleſiæ Andrenſis fuiſſe epiſcopum, ſtatim deſignet in tertium hujus Ordinis, qui aliàs quartus eſſe debuerat, Dominicum Bolanum. R. P. Echard. *tom. 1. ſcriptor. Ord. Præd. in indice præſulum hujus Ordinis pag. 26. col. 2.* & rurſus *p. 790. col. 2.* ubi agit de Andrea Doria, eum ſupponit fuiſſe Ord. Præd. & ait *Leonardum* ac *Lambertum de Solis* à nonnullis nominari, ſed ad ſolum Fontanam remittit. R. quoque P. Bremond *to. 3. Bull. pag. 220.* eumdem, quem *Leonardum* ſive *Lambertum* appellat, Ordin. Præd. dicit: at Cavalierum tantummodo qui nullius auctoris prodit teſtimonium, & P. Echardum modo laudatum citat. Unde probabilius videtur *Lombardum de Solis* Fontanæ, *Leonardum* ſive *Lambertum de Solis* Cavalieri, Echardi, & R. P. Bremond, & *Lombardum de Salis* Waddingi, iiſdem die & anno ad ſedem Andrenſem promotum, unum eumdemque fuiſſe hominem, potiuſque Minoritam, quam Ordin. Præd. Dominicum Bollanum hîc non recenſemus inter epiſcopos Andrenſes, quia non hujus eccleſiæ antiſtes fuit, quidquid adſtruat Fontana, ſed Agienſis & Cydonienſis in Creta inſula, ut infra patebit.

XIII. FRANCISCUS.

Franciſcus Bertinus, Lucenſis, epiſcopus Andrienſis, nobis innoteſcit ex nonnullis Jacobi Ammannati Picolominei, dicti Cardinalis Papienſis, epiſtolis. Epiſtola enim ejus 161. edit. Francof. 1614. *pag. 586.* data Romæ die 7. Octob. 1465. *Franciſco electo Andrien.* ſcripta eſt, quæ ſic incipit: « Franciſce mi, age gratias Deo, non eo tantum » quod eccleſiam Andrienſem es aſſequutus, » quam quod tanto pontificis (Pauli II.) & communis Domini beneficio accepiſti. Ad « ſatisfactionem te compara. Ea eſt, ut Deum « timeas, ut merita augeas, ut dignus fias credito miniſterio. Memineris ſarcinam tibi « impoſitam, in qua non tua tantum, ſed « animæ omnium illigentur, quarum factus es « paſtor. Non tam honoris quam oneris præſulatus eſt nomen. Opus bonum, ſi regatur « ut convenit, &c.» Epiſtola 282. *ibid. p. 666.* in titulo habet: *Fr.* (id eſt *Franciſco*) *Bertino, Lucenſi, epiſcopo Andrienſi,* eumque certiorem facit de ſententia à Paulo II. anno 1466. die 25. Decemb. lata ſive promulgata adverſus Georgium Podiebratium Bohemiæ regem Huſſitarum errorum reum. Eidem quoque ſcripta eſt epiſtola 291. qua illi indicat, ſe Roma egreſſum, ne peſtis ibi acriter ſævientis ſubjaceret periculo, Pientiam (vulgo *Pienza* in agro Senenſi) petiiſſe. Utraque anno 1468. exarata videtur, quum ſimiles aliæ, tum anteriores ut epiſtola 280. *pag. 661.* tum poſteriores, ut 284. *p. 669.* 305. *p. 677.* & plures aliæ, uſque ad 313. Romæ datam die 15. Febr. anno 1469. *pag. 680.* annum 1468. referant. Hujus præſulis Andrenſis extat ibidem, *pag. 723.* epiſtola ad Cardinalem illum, qua ei varia narrat de rebus Angliæ & Galliæ: epiſtola eſt 379. Titulus: *Fr. epiſcopus Andrienſis Cardinali Papienſi.* Ad calcem: *Heſdini XI. Octob. 1470.* Denique idem Cardinalis huic *Fr. Bertino epiſcopo Andrienſi* epiſtolam ſuam 384. direxit, datam Romæ 1471. *ibid. pag. 728.* in qua, commentaria ſua deſignans, ait: *Scribimus de temporibus his, à Pii* (II.) *obitu, neque Italica modo, ſed & Trans-Alpina, & Græca, &c.* Porro Franciſcum hunc epiſcopum fuiſſe *Andrenſem* in Græcia, non vero civitatis *Andriæ* ſub archiepiſcopo Tranenſi in regno Neapolitano, colligitur ex Ughello *tom. 7. Ital. ſac.* qui in epiſcopis *Andriæ col. 1263. nn. 21. & 22.* B. C. *vet. edit.* ſcribit Rogerum de Atella eccleſiarum unitarum Andrienſis & Montis Peluſii antiſtitem, munus adiiſſe anno 1463. Huic vero ſucceſſiſſe Martinum de Soto-majore Hiſpanum, qui deceſſit anno 1477.

XIV. PAULUS.

Paulus Pucchiarellus, Ordin. Præd. conventus Querquenſis Viterbienſis in Romana provincia alumnus, epiſcopus Andrenſis renuntiatus eſt à Gregorio XV. Papa, anno 1621. die 17. Maii. Ita Fontana, *in Theat. Dominic. tit. 32. pag. 124. col. 1. Ex Actis Conſiſtor. ejuſdem Pontificis:* qui addit præſulem hunc, quum oves ſibi commiſſas in fide operibuſque bonis conſtabiliſſet, quieviſſe in Domino ſub Urbano VIII. circa ann. 1630.

Serius

Digitized by Google

Serius tamen ex hac vita migraſſe Paulum hunc colligit Michaël Cavalieri, *Galler. Dom. tom. 1. pag. 578. num. 59.* ex mandato ipſi dato à Cæſarino Cardinali anno 1632. ut inquireret de violenta morte quam Turcæ P. Andreæ Garga Ordin. Prædic. epiſcopo Scyrenſi intulerant; id vero ne exequeretur, ejus obitus paulo-poſt adveniens impedivit. Deceſſit itaque Paulus Pucchiarellus illo anno 1632. aut ſequenti 1633.

XV. DOMINICUS.

Leo Allatius in opere *de Eccl. Occident. & Orient. perpet. conſenſ. lib. 3. cap. 10. num. 3. col. 1057. edit. Colon. anno 1648.* inter quoſdam epiſcopos Latinos in Oriente ſedentes tunc temporis, recenſet *Dominicum* Andrenſi eccleſiæ præfectum. « Chii, inquit, ut ex relationibus apoſtolicis liquet, Latinorum « decies mille capita numerantur. Hac ætate, « epiſcopi ſunt, Naxi Raphaël Schiattinus « Chius, Chii Andreas Stephanus Chius, « *Andri Dominicus de Grammatica Chius, &c.* » Nihil aliud nobis de eo Dominico compertum eſt.

ECCLESIA ANDRENSIS.

XI.

ECCLESIA SCYRENSIS.

SCYROS ſive *Scyrus* & *Scyra,* Græcè Σκῦρος una eſt ex inſulis Cycladibus Maris Ægæi, medio fere itinere inter Leſbon & Eubœam. Hujus meminere Plinius *lib. 4. cap. 12.* Strabo *lib. 9.* & Ptolemæus *lib. 3. cap. 13.* Σκῦρος, inquit hic ultimus apud Cellar. *geogr. antiq. tom. 1. lib. 2. cap. 14. pag. 1290.* νῆσος καὶ πόλις, *Scyros inſula & oppidum.* Clara eſt exilio & morte Theſei Athenienſis regis, de quo Valerius Maximus *lib. 5. cap. 3.* ait: *Theſei ſubmoti ab Athenienſibus Scyros, exſule minor inſula, oſſa mortui cepit.* Hæc de ea inſula ſcribit Baudrand *tom. 2. pag. 217.* « *Scyros,* inſula maris Ægei Straboni, Plinio & Melæ, quæ & » *Scyrus* dicta fuit, nunc *Skiros* Græcis & incolis, *Schiro* Italis, & *Squire* Gallis, circuitus eſt » 80. mill. paſſ. eſtque ſatis culta, licet montuoſa. Urbecula (ibi extat) ejuſdem nominis (quæ » ſedes eſt) epiſcopalis ſub archiepiſcopo Athenienſi, ſed à Nautis Italis dicitur etiam *San* » *Georgio di Schiro,* ab eccleſia (ibi conſtructa) ſub invocatione hujus ſancti. 40. milliar. » diſtat ab Eubœa inſula in ſeptentrionem, uti à Caphareo promontorio, & 70. à Magneſia provincia Macedoniæ in ortum. » In notitia Græcorum epiſcopatuum ad calcem Codini de officiis, ſextum locum obtinet ſub throno 28. Athenarum, ὁ Σκύρου, *Scyri, pag. 391.* Vide quæ de ea dicta ſunt *to. 2.* hujus operis, *coll. 232. 233.*

EPISCOPI SCYRENSES.

I. PETRUS.

Circa annum 1350. Scyri epiſcopus ſedebat *Petrus Gau,* Ord. Præd. Hiſpanus, Urgellenſis cœnobii in Catalaunia alumnus, teſtibus Fernandez, Michaële Pio, Diago, Fontana, Cavalieri, aliiſque rerum ejuſdem ordinis ſcriptoribus.

II. FRANCISCUS.

Wadding. ad annum 1523. *to. 8. num. 54. p. 394.* ſcribit ad eccleſiam *Cyrenenſem* (probabiliter *Scyrenſem*) *ſub archiepiſcopo Athenienſi,* promotum eſſe *F. Franciſcum Marturanum,* Ord. Min. die 19. Decemb. & ſuffraganeum fuiſſe epiſcopi Crotonienſis.

III. UBERTINUS.

Idem Waddingus, *ibid.* ad annum 1538. *num. XI. pag. 631.* auctor eſt, ad Scyrenſem eccleſiam ſub archiepiſcopo Athenarum certo modo vacantem, *Fr. Ubertinum N.* Minoritam conventualem, à Paulo III. eo anno fuiſſe evectum.

IV. BENEDICTUS.

Benedictus Stepſius, Chienſis, Ord. Præd. à Gregorio XIII. Papa, anno 1583. die 2. Auguſti, Scyrenſis epiſcopus renuntiatus eſt, *ex Regeſt. Cancell. Apoſt.* Ita Fontana *in Theat. Domin. tit. 571. pag. 303. col. 1.*

V. ANDREAS.

Anno 1607. *Andreas Garga,* Venetus, Ordin. quoque Prædic. epiſcopus Scyrenſis creatus eſt à Paulo V. Papa, ut tradit præfatus Fontana, *ex Actis Conſiſt. hujus Pontificis,* & *Regeſt. Cancell. Apoſt. ibid.* Qui etiam addit *pag. 684. in appendice:* « Is quum bonum certamen certaſſet, multoſque infideles & ſchiſ- « maticos ad catholicam fidem perduxiſſet, in « patibulo ſuſpenſus (à Turcis,) migravit ex « hac vita circa ann. 1626. » De cujus precioſa morte inquiri Romæ cœptum, in ordine ad beatificationem, nonnulla ſac. Rit. congreg. decreta indicant, apud eumdem Fontan. *ibid.*

VI. DOMINICUS.

Leo Allatius meminit cujuſdam *Dominici* actu epiſcopi Scyrenſis, dum ipſe ſcriberet opus ſuum *de Eccleſ. conſenſu editum Colon. anno 1648.* Scyri inquit, *ibid. lib. 3. cap. 10. num. 3. col. 1057.* (ſedet) *Dominicus Marengus Chius* (ſive Chienſis.)

Digitized by Google

ECCLESIA SCYRENSIS.

VII. Joannes I.

VIII. * * *

Daniel à V. M. *to. 2. Spec. Carm. part. 5. lib. 3. pag. 937. num. 3287.* ſcribit hæc legi in Actis Conſiſtor. Alexandri VII. *Eccleſia Syrenſis.... vacans per liberam ceſſionem Joannis Michaëlis de Curtis ultimi epiſcopi providetur, die 2. Auguſt. anno 1655.* Hunc Joannem teſtatur P. Daniel fuiſſe ſui ordinis, cognominatum *Cucuzza,* Neapolitanum, in lingua Hebraica peritum, renuntiatum vero epiſcopum Syrenſem anno 1647. die 6. Maii, & obiiſſe anno 1656. die 27. Junii. Nomen ejus ſucceſſoris in ea ſede non indicat præfatus Daniel.

IX. Joannes II.

Anno 1730. *D. Joannes Franciſcus Boſſi,* epiſcopus *Syrenſis,* ad Paro-Naxienſem eccleſiam tranſlatus eſt à Clemente XII. die 2. Octob. Ex nuntiis publicis Gallicè ſcriptis per hunc annum, *pag. 523.*

X. Antonius.

D. Joanni Franciſco Boſſi probabiliter ſucceſſit in ſede Syrenſi, *F. Antonius Matuit,* Ord. Min. qui ex iiſdem nuntiis per annum 1731. *p. 258.* propoſitus eſt Romæ eo anno die 30. April. ad eum epiſcopatum in conſiſtorio coram Clemente Papa.

XI. Emanuel.

Anno 1733. die 13. April. præfatus Clemens XII. renuntiavit in conſiſtorio epiſcopum Syrenſem, *D. Emanuelem Caranzam,* qui erat philoſophiæ profeſſor in collegio *de Propaganda Fide.* Ex iiſdem nuntiis per eum annum, *pag. 236.*

ECCLESIA CEÆ *ſive* CEOS.

Cea, ex Mich. Anton. Baudrand, *tom. 1. pag. 251. col. 1.* Inſula eſt maris Ægei, quæ *Cea* à Plinio, *Cia* à Ptolemæo, *Ceos* à Tullio & Strabone, *Hydruſſa* à Græcis, & nunc vulgo *Zea* appellatur, una Cycladum, prope Atticam regionem, & Helenam inſulam ſive Santerini. Circuitus ejus olim erat 60. milliarium, nunc vix 40. conſtat, magna ejus parte in mari abſorpta. 20. milliaribus diſtat ab Eubœa inſula in meridiem, uti 35. ab Andro. Oppidum continet in quo per dimidium annum commoratur epiſcopus Theræ ſive Thermiæ, qui Ceæ quoque præeſt hiſce poſterioribus ſæculis, ſub Paro-Naxienſi metropoli, ut infra dicam ubi de Thera.

EPISCOPI CEENSES.

I. Puricivallis.

II. Simon.

Poſt obitum *Puricivallis epiſcopi Ceenſis,* Gregorius XI. Papa ad hanc ſedem promovit anno 1376. *Simonem de Aretio,* Ordin. Min. litteris *Apoſtolatus officium, &c.* datis XVI. kal. Jul. (id eſt die 16. Jun.) Ita Wadd. *to. 4. annal. Min. pag. 220. num. 6.*

III. Franciscus I.

IV. Franciscus II.

V. Franciscus III.

Idem Waddingus *tom. 5.* ad annum 1422. *num. 17. p. 151.* teſtatur *Franciſcum Andreæ, Venetum,* Ordinis Minor. *epiſcopum Crenſem* (id eſt Ceenſem) *in inſula Zea* (Cea) *ſub archiepiſcopo Athenienſi,* à Martino V. Papa, *III. Nonas* (id eſt die 5.) *Julii,* fuiſſe creatum.

Addit rurſus *ibid.* ad annum 1445. *n. 11. pag. 474. Crenſis & Terminiarum* (id eſt Ceæ & Termiarum) *ſub archiepiſcopo Athenienſi,* (eccleſiis vacantibus) *per obitum Franciſci* (probabiliter alterius ab eo qui modo memoratus eſt, quum eum Waddingus, nec *Fratrem* appellet, nec aſſerat fuiſſe ſui ordinis alumnum, ſuffectum eſſe) *Fr. Franciſcum* (Minoritam,) *pridie Nonas* (id eſt die 4.) *Junii.*

VI. Dionysius.

VII. Constantinus.

Dionyſium hunc extitiſſe origine Græcum, & Ordinem Minorum amplexum, ſcribit præfatus Waddingus, *to. 8. annal.* ad annum 1529. *num. 40. pag. 489.* factum deinde epiſcopum *Fulminen.* (legendum procul dubio *Thermien.* id eſt inſulæ *Theræ* ſive *Thermiæ*) in Archipelago à Clemente VII. eo anno die 9. Februar. ſuffraganeumque (ſive Vicarium datum) archiepiſcopo Nicoſienſi. Et ad annum 1538. *num. XI. pag. 631.* eumdem tranſlatum fuiſſe eo anno die XI. Decemb. ab eccleſiis Zianen. & Firmen. (id eſt *Thermien.* modo recenſita & Ceenſi ipſi unita) ad Melipotamenſem & Chironenſem pariter unitas, ſub archiepiſcopo Cretenſi.

Huic Dionyſio in ſede Thermienſi & Zianenſi ſubſtitutus eſt *Conſtantinus Juſtinianus* Chienſis, Ord. Præd. à Paulo III. anno 1540.

die 27. Aug. ex Actis Conſiſtor. iſtius Papæ, quæ citat Fontana *in appendice* ad calcem *Theat. Domin. p. 682.* Supra dixerat *p. 305. tit. 579.* eum Conſtantinum ex patritiis Januenſibus, & Dynaſtis Chienſibus ortum eſſe circa annum 1500. ſextoque ſui epiſcopatus anno obiiſſe Romæ in conventu S. Mariæ ſuper Minervam, ſcilicet anno 1546. Ait tamen Cavalerius *tom. 1. Galler. Domin.* eſſe qui velint illum non eſſe mortuum niſi anno 1550.

A

ECCLESIA CEÆ ſive CEOS.

VIII. JACOBUS.

Leo Allatius *lib. 3. de utriuſque Eccleſiæ conſenſu cap. 10. n. 3. col. 1057. edit. Colon. anni 1648.* inter epiſcopos aliquot ritus Latini, qui, quum hæc ſcribebat, in Oriente degebant, *Jacobum* Thermiorum, (ſubindeque Ceæ inſulæ) præſulem commemorat. Hac ætate, inquit, epiſcopi ſunt Naxi, &c. *Thermiorum Jacobus della Roccha,* Chius.

XIII.

ECCLESIA ÆGINÆ.

ATHENIENSI metropoli, ac undecim eccleſiis ei aſſignatis ut ſuffraganeis ab Innocentio III. in epiſtola ad Berardum ſæpius memorata, nonnullæ aliæ hic addendæ videntur, quas auctores Innocentio poſteriores aiunt Athenienſi ſubditas.

Ab *Ægina* incipimus, quam ſic deſcribit Anton. Mich. Baudrand, *to. 1. geogr. pag. 17. col. 2.* « *Ægina,* inſula parva Græciæ in mari Ægæo & ſinu Saronico, teſte Strabone, » *Egina* vulgo ſive *l'Egina,* ſub Attica cenſebatur, & urbeculam habet epiſcopalem cognominem in ora auſtrali ſub archiepiſcopo Athenienſi, nunc paucis conſtantem incolis, cum » arce à Turcis excitata in colle, in tutelam ſinus Saronici, ab ea *le Golphe d'Egine* Gallicè, » (id eſt Latinè *ſinus Æginenſis*) dicti. 20. milliar. diſtat ab Athenis in meridiem, inter Epidaurum Peloponneſi urbem 28. mill. & Megaram 20.... Circuitus (ejus) eſt 36. mill.» Multitudine navium Athenienſibus vix inferiores erant, ut apparuit in prælio ad Salaminam adversùs Perſas commiſſo. Urbs hujus inſulæ primaria, *Œnopia* priùs nuncupabatur, ſed ab Æaco, cujus patria & regnum fuit, nomine *Æginæ* matris ipſius donata eſt. Unde Ovidius, *Metamorph. lib. 7. verſ. 472. & ſeqq.*

Œnopiam Minos petit, Æacideïa regna,
Œnopiam veteres appellavere; ſed ipſe
Æacus Æginam genitricis nomine dixit.

Præter Æacum, protulit hæc quoque Achillem, Patroclum, Ajacem, Neoptolemum, & Paulum inſignem medicum, ut obſervat Thomas de Pinedo Luſitanus in notis ad Steph. Byzant. *pag. 35. col. 2. annot. 37.* Vide quæ de ea inſula dicta ſunt, *tom. 2.* hujus operis, *coll. 226. & 227.* Habuit porro iſta civitas quoſdam epiſcopos Latini ritûs, ex quibus ſequentes ad notitiam noſtram devenerunt.

EPISCOPI ÆGINENSES.

I. ANTONIUS.

UGHELLUS, *to. 3. Ital. ſac. veter. edit. col. 331. num. 37.* de iſto *Antonio* ſic loquitur: « *Fr. Antonius Cipollonus,* Nicolai » filius, Florentinus, ex Ord. Prædic. ſacræ » theologiæ magiſter, epiſcopus Feſulanus » effectus eſt anno 1383. tranſlatus deinceps ad » Volaterranenſem eccleſiam anno 1390. inde » ad epiſcopatum *Æginenſem,* poſt etiam ad archiepiſcopatum Turritanum in Sardinia.» Hunc ad Æginenſem tranſportatum ſedem à Bonifacio IX. anno 1396. IX. kal. Jun. (id eſt die 24. Maii,) aſſerunt idem Ughellus, *to. 1. Ital. ſac. in epiſcopis Volaterranis, col. 374. num. 54. veter. edit.* Fontana, *Theat. Domin. pag. 188. col. 2. tit. 232.* & Mich. Cavalieri, *Galler. Domin. tom. 1. p. 194. & ſeq.* quorum hic poſtremus ſcribit eum ad

B archiepiſcopatum *della Torre* in Sardinia promotum circa annum 1398. (vel potiùs anno 1397.) & mortuum in illa urbe anno 1403.

II. THOMAS.

Thomas Vicecomes Mediolanenſis, creatus eſt epiſcopus Brixienſis anno 1386. deinde tranſlatus ad eccleſiam Cremonenſem anno 1390. poſtea ad ſuam Brixianam reverſus, ad *Æginenſem* migravit ann. 1397. V. kal. April.

C (id eſt die 28. Mart.) *ex lib. proviſ. Prælat.* Ita Ughellus, *tom. 4. col. 752. n. 87.* C. D.

III. JOHANNES I.

Waddingus, *tom. IV. annalium Min.* ad annum 1400. *num. 3. pag. 368.* Fr. Paulum, hujus Ordinis alumnum, factum fuiſſe refert archiepiſcopum Nazarenum in regno Neapolitano, *ob tranſlationem Johannis* (hujus

ſedis epiſcopi) *ad eccleſiam Eguinenſem*, (id eſt *Æginenſem*) *v. idus* (id eſt die 9.) *Febr. eo anno 1400.*

IV. BERTRANDUS.

V. BERENGARIUS.

VI. JOHANNES II.

VII. REGINALDUS.

Bertrandus de inſula, Minorita, teſte eodem Waddingo *tom. v.* ad annum 1420. *num. 5. pag. 132.* eo anno, XVII. kal. Febr. (id eſt die 16. Januar.) à Martino V. Papa ad Eguinenſem (ſive Æginenſem) eccleſiam in Achaïa aſſumptus eſt.

Huic autem *Fr. Berengarius Perrinus* ejuſdem Ord. ſucceſſit, Æginenſis epiſcopus renuntiatus à Martino V. per litteras *Apoſtolatûs officium, &c.* anno 1428. *III. Non.* (id eſt die 3.) *Novemb.* ex eodem Waddingo ad hunc annum, *num. 3. pag. 197.* ubi tamen Bertrandum illum, cui ſuffectus eſt Berengarius, nec *Fratrem* appellat, nec *Minoritam*, ſed ſimpliciter *Bertrandum*, quaſi alius fuerit à *Bertrando de inſula*, ſui Ordin. quem ſupra aſſeruerat ad ſedem Æginenſem fuiſſe evectum.

Fr. demum *Reginaldus Polet*, etiam Minorita, poſt obitum *Johannis* cujuſdam qui Berengarium probabiliter exceperat, epiſcopus Æginenſis ab Eugenio IV. Papa, anno 1436. electus fuit, ut conſtat ex hujus Papæ litteris *Paſtoralis officii, &c. v. kal. April.* (id eſt die 28. Martii) quas Wadd. memorat *ibid.* ad hunc annum, *num. 14. p. 302.* & exhibet *in Regeſto Pontif. p. 230.*

XIV. ECCLESIA CITHONIÆ, *ſive* SITHONIÆ.

CYTHNUS, Græcè Κυθνός, Plinio & Melæ *Cythnos*, ex Stephano Byzantio inſula eſt juxta Dryopidem Cycladum (quæ) à *Cydno* conditore (nomen ſumpſit.) Appellabatur vero *Ophioſa* & *Dryopis*. Hanc ſic deſcribit Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 319. col. 1.* «*Cythnus* » inſula eſt maris Ægæi Plinio & Tacito, nunc *Gaura* dicitur, teſte Sophiano, versùs oram Atticæ, inter Ciam & Delum inſulas.... Tota montuoſa eſt, & raros incolas habet.» Poſteriori ævo Cithonia nuncupata eſt, factaque ſæculo XIII. epiſcopi ſedes Latini.

EPISCOPI CITHONIÆ, *ſive* SITHONIÆ

I. ***

INter epiſtolas Innocentii III. variæ occurrunt de variis negotiis ad *epiſcopum Cithonienſem*, ſcilicet 153. lib. XI. anno 1208. 47. 151. 161. *& ſeqq.* & 170. *& ſeqq.* lib. XIII. anno 1210. 69. 73. 75. 76. & 80. lib. XV. anno 1212. *tom. 2. edit. Baluz.*

II. PHILIPPUS.

III. ANTONIUS.

Anno 1353. die 4. April. poſt *Philippi* epiſcopi Cithonienſis mortem, ad eam ſedem Devectus eſt ab Innocentio VI. Papa, *Fr. Antonius de Fario, Ord. Min.* Ita Wadding. ad hunc annum, *tom. 4. num. 6. pag. 32.*

IV. GREGORIUS.

Gregorius, Eremita Auguſtinianus, epiſcopus erat Cithonienſis anno 1389. quo ipſi à Capitulo Generali hujus Ordinis conceſſa facultas fuit die 24. Febr. retinendi apud ſe duos ejuſdem inſtituti fratres. Id ſub corrupto nomine *Siconienſis* refert Thom. Herrera *Alphab. Auguſt. tom. 1. pag. 295. col. 1.* ex Regiſtris Generalium ſui Ordinis.

XV. ECCLESIA SALONIENSIS.

SALONA olim *Amphyſa*, ut obſervat Mich. Anton. Baudrand *in Lexico geogr. tom. 1. edit. Pariſ. 1682. p. 53. col. 1.* ad vocem *Amphiſſa*, quo nomine donatur à Strabone Plinio & Plutarcho, *Amphyſa* quoque dicta à Claudiano; urbs Græciæ eſt, Locrorum Ozolarum caput in Livadia provincia. Appellabatur autem *Amphiſſa* ex Stephano Bizant. *in Tract. de urbibus & populis*, quod utrimque montibus vallata ſit. Diſtat 10. milliarib. ab ora ſinus Criſſæi in ſeptentrionem, & epiſcopatu inſignitur ſub archiepiſcopo Athenienſi.

De urbe *Amphiſſa* hæc tradit Cellarius, *tom. 1. geogr. antiq. lib. 2. cap. 13. pag. 1117.* «Primaria Ozolarum urbs *Amphiſſa* fuit. Pauſanias Phoc. *cap. 38.* (ait) Δελφῶν δὲ ἀπωτέρω » σαδίοις εἴκοσι καὶ ἑκατόν ἐστιν Ἄμφισσα μεγίση καὶ ὀνομασοτάτη πόλις τῶν Λοκρῶν, *Delphis CXX. ſta-* » *diorum itinere Amphiſſa abeſt, Locrorum urbs maxima & nobiliſſima.* (At) Æſchines contra » Cteſiphonem, *p. 449.* (ſcribit) οἱ Λοκροὶ οἱ Ἀμφισσεῖς ἑξήκοντα σάδια ἄπωτεν οἰκοῦντες Δελφῶν, » *Locri Amphiſſenſes ſexaginta ſtadiis abſunt à Delphis.* En quantus diſſenſus! Ille 120. habet

Digitized by Google

ECCLESIA SALONIENSIS.

ſtadia, hic 60. ſed Æſchines non de urbe loquutus eſt, verum de Amphiſſenſibus qui à « finibus ſuis Athenienſes arcebant. Ex qua parte vero Delphorum, lævane an dextra, « Amphiſſa ſita fuerit, non eſt omnino apertum. Plinius, *lib. 4. c. 3.* in Phocide ponit; quo fit « ut in dextrum latus, quod ortum ſolis ſpectat, aut in boream, remota ab urbe Delphis « fuerit, quia hi in extremo Phocidis, prope Locrorum fines, fuere poſiti. Contra Ptole- « mæus, & Scylax, & Stephanus, & Harpocration in Locride Ozolarum cenſent, ut Delphos « à dextra & orientem verſus adſpexerit Amphiſſa.» Thomas de Pinedo, nota 13. in Stephanum Bizant. *p. 79.* cum Stephano iſto non conſentit de etymologia nominis *Amphiſſæ,* vultque eo nomine donatam ex *Amphiſſa* Macarei Æoli filia, cujus monimentum adhuc ætate Pauſaniæ erat in ea urbe, ut ipſe refert, *lib. 10.* Amphiſſam autem commigrarunt Ætoli ab Aug. Cæſare ſuis ſedibus pulſi, teſte eodem Pauſania in lib. citato. Hanc Strabo ait amplius non ſtetiſſe ſuo tempore. «(Amphiſſenſes) qui de corpore ſunt Locrorum Ozolarum, inquit *lib. 9. pag. 419.* A. *edit. Caſaub.* quum, irruptione facta, Criſſam occu- « paſſent, campum ab Amphictyonibus conſecratum rurſus culturæ ſubjecerunt.... Itaque « Amphyctiones de iis ſupplicium ſumpſerunt, agrumque deo reddiderunt.» Et *pag. 426.* D. «Locrorum urbes fuerunt Amphiſſa & Naupactus, de quibus Naupactus reſtat.» Denique, *pag. 427.* B. « Amphiſſa in extremitate campi Criſſæi ſita fuit; (ſed) everſa, ut diximus, eſt ab Amphictyionibus.»

Verum, licet de urbe Amphiſſa, ceu de loco celebri mentio occurrat, tum apud veteres ſcriptores, tum etiam *lib. 2. de Thematib.* Conſtantini Porphyrogennetæ, *Them. 5. pag. 24. B. tom. 1.* Imperii Orientalis Domni Anſelmi Banduri Bened. *edit. Pariſ. 1711.* & in Hieroclis Synecdomo, *ibid. pag. 34.* in notitiis tamen non recenſetur, nec ullus ejus memoratur epiſcopus qui conciliis interfuerit. Neque enim confundenda eſt *Salona* illa Græciæ cum alia urbe *Salona* in Dalmatia, cujus ſedes Metropolitana tranſlata eſt anno 650. ad civitatem *Spalatro,* inde 4. aut 5. milliar. diſtantem; quum ſic diruta fuerit à Slavis anno 641. ut hodie viculus ſit tantummodo, qui nec inter ipſos Spalatrenſis epiſcopatus ſuffraganeos enumeretur. Ita monet doctiſſ. abbas de Commanville *in Tractatu geogr. & chronolog.* de omnibus orbis ſedibus epiſcopalibus, Gallicè exarato Rothomag. 1700. *pp. 205. & 221.*

EPISCOPI SALONIENSES.

I. * * *

ANno 1345. extabat quidam *epiſcopus Saulonienſis* (Salonienſis) Ord. Præd. de quo fit mentio *in bibliotheca Cluniacenſi Domni Martini Marrier, edit. Pariſ. 1614. coll. 345. 346.* in excerpto ſcilicet ex chartulario Silviniacenſi (Gallicè *Sauvigny en Bourbonnois*) de tranſlat. corporis S. Odilonis à Rogerio Bituricenſi archiepiſcopo facta, ubi ſic legitur: «Rogerius, permiſſione divinâ, Bitu- » ricenſis archiepiſcopus, univerſis Chriſti » fidelibus ſalutem in Domino ſempiternam. » Noveritis quod de licentia & mandato SS. » in Chriſto Patris D. N. D. Clementis, digna » Dei providentia, Papæ VI. Nos una cum » reverendis in Chriſto Patribus Domnis Ca- » pitulien. Auguſtinorum & *Saulonien. Præd.* » *Ordin. epiſcopis,* & quamplurimis abbatibus, » &c. in eccleſia Silviniacenſi Cluniacenſis » Ordinis Claromontenſis diœceſis congre- » gatis, venerabile corpus almi confeſſoris B. » Odilonis, de loco in quo hactenus ibidem » tumulatum extitit, ſolemniter relevavimus, » &c. *Datum apud Tolon.* Claromontenſis diœ- » ceſis, noſtram provinciam viſitantes, die 21. Junii, anno Dom. 1345.» Idem excerptum extat apud Bollandum, *tom. 1. Jan. pag. 77.* A at nullibi occurrit nomen hujus epiſcopi Salonienſis, cujus nec meminere Ord. Præd. ſcriptores.

II. JOANNES I.

Thomas de Herrera, *in Alphab. Auguſtin. tom. 1. pag. 427. col. 1.* de quodam *Joanne* ait: «*Joannes,* epiſcopus Salonenſis in Dalmatia (legendum ex dictis *in Græcia*) anno « 1390. inter vivos agebat. Ei enim (utpote « B Ordinis Auguſtiniani alumno) die 19 Au- « guſti Prior Generalis (ejuſdem Ordinis) « poteſtatem fecit retinendi continue unum « Capellanum, vel ſocium Fratrem noſtri « Ordinis, prout libuerit, & eumdem permu- « tare, ſecundum temporum occurrentiam.»

III. JOANNES II.

IV. GERARDUS.

Waddingus, *t. 5. annal.* ad annum 1429. C *num. 6. pag. 203.* tradit ad Salonen. in Dalmatia (legendum, ut ſupra, *in Græcia*) *Fr. Gerardum* (Baccalaureum formatum in theologia) per obitum *Joannis* (alterius fortaſſis ab eo qui ſupra, ejuſque ſucceſſoris, quum exinde fluxerint anni ferme quadraginta) à Martino V. promotum v. idus (id eſt die 11.) Mart. ejuſque diploma *Apoſtolatûs officium* ſubjungit *in Regeſt. Pontif. pag. 175.*

Digitized by Google

ECCLESIA SALONIENSIS.

V. JOANNES III.
VI. JOANNES IV.

Idem Wadding. ad annum 1457. *n. 66. tom. 6. pag. 399.* ſcribit Salonienſi eccleſiæ ſub archiepiſcopatu Naupactenſi (legendum Athenienſi, nulla enim eccleſia Salonienſis metropoli Naupactenſi ſubjicitur) vacanti per obitum *Joannis Stanterbich,* præfectum eſſe *Fr. Joannem Freyn,* Minoritam à Calliſto III. eo anno die 29. Aug.

VII. JOANNES V.

Idem Waddingus *ibid.* ad annum 1461. *num. 19. pag. 499.* ait hoc anno occurrere ſibi memoriam *Joannis epiſcopi Salonen. in partibus infidelium ſub archiepiſcopo Athenienſi,* ſuffraganei epiſcopi Friſingenſis.

VIII. ANTONIUS.

Idem Waddingus, *tom. 5.* ad ann. 1448. *n. 44. p. 551.* refert templum Clariſſarum Mediolanenſium exterius & interius anno 1471. ſub nominibus SS. Claræ, Antonii & Bernardini Deo dicatum, conſecratum eſſe ab *Antonio Cattaneo epiſcopo Salonenſi,* Stephani de Forolivio archiepiſcopi Mediolanenſis ſuffraganeo.

IX. JOANNES VI.
X. PHILIBERTUS.

Joanni epiſcopo Salonenſi mortuo ſubſtitutus eſt anno 1474. die 29. Jul. *Fr. Philibertus Willodi, Ord. Præd.* cujus promotionis diploma datum à Sixto IV. profert R. P. Bremond, *tom. 3. Bullar. p. 635.* ut & aliud ejuſdem Pontificis datum die 2. Auguſti, in quo hæc eccleſia *Salonenſis* dicitur archiepiſcopo Athenienſi ſubjecta.

XI. ERASMUS.

Idem Waddingus, *tom. 7.* ad ann. 1482. *num. 82. pp. 137. & 138.* ſub Sixto IV. hæc habet: «Ad Salonen. in Græcia ſub archiepiſcopo Athenienſi vel Naupactenſi per obitum *Joannis,* etiam Minoritæ, ſuffraganei, uti diximus, epiſcopi Friſingenſis, *Fr. Eraſmus Pechenger,* in theologia licentiatus, VIII. Idus (id eſt die 6.) Novemb.» Verum non capio quo pacto iſta cohæreant cum eo quod ſupra aſſeruit *tom. 5.* de Antonio Cattaneo: non enim Joanni qui Antonium præceſſit, ſuccedere potuit Eraſmus; niſi fortaſſis Joannes ille titulo Salonienſis eccleſiæ bis fuerit potitus, ſcilicet ante Antonium præfatum, & poſt Philibertum. Sed hallucinatum Waddingum ſatius duco.

XVI. ECCLESIA REONENSIS.

NULLAM aliam habeo notitiam eccleſiæ Reonenſis, quam ex quibuſdam præſulibus ei aſſignatis ſub Athenarum metropoli.

EPISCOPI REONENSES.

I. ***

INter præſules quos Clemens V. litteris encyclicis datis Pictavis die 12. Auguſti anno 1307. vocavit ad concilium generale Viennæ in Galliis celebrandum, extat *epiſcopus Reonenſis.* « In eodem modo archiepiſcopo Athenienſi & epiſcopis, &c. mandamus quatenus vos fratres, archiepiſcope, & Nigropontenſis & *Reonnenſis* epiſcopi, &c.» *tom. XI. conc. Labb. part. 2. col. 1548. C.*

II. JOANNES.
III. PETRUS.

Waddingus *to. 8.* ad annum 1521. *n. 24. pag. 551.* tradit ad *Reonenſem* eccleſiam in inſula Ægæi maris, ſub archiepiſcopo Athenienſi, poſt obitum *Joannis,* fuiſſe promotum à Leone X. eo anno die 6. Sept. *Fr. Petrum à Corduba,* Minoritam.

Hunc Fontana *Theat. Domin. pag. 279. tit. 491.* fuiſſe ait Ord. Præd. & promotum die 13. Septemb. Subdit vero: «Licet hæc eccleſia inter infideles ſita ſit; tamen tunc temporis multi clerici & laïci ibidem degebant, ut dicitur in actis Conſiſtorialibus ejuſdem Pontificis Maximi.»

Digitized by Google

PROVINCIA CÆSAREENSIS IN CAPPADOCIA.

ECCLESIA CÆSAREENSIS.

ECCLESIA CÆSAREÆ METROPOLIS.

CELLARIUS *tom. 2. geogr. antiq. lib. 3. c. 8. pag. 346.* obſervat urbi, cui olim nomen *Mazaca,* poſtea novum ſub Tiberio *Cæſareæ* nomen additum. Sic autem ſitum ejus deſcribit Strabo *lib. 12. pag. 539. B. C. edit. Caſaub.* « Abſunt *Mazaca* (in neut. plur.) » à Ponte verſus meridiem ſtadiis circiter 800. ab Euphrate paulominus duplo, à Ciliciis portis itinere ſex dierum.... à Cybiſtris 300. »

Cæſarea temporibus belli ſacri, Latinos nonnullos incolas habuit, quibus ſe adjunxerunt alii ejuſdem ritus Antiochiâ eò fugientes. Iis præfuerunt aliquot archiepiſcopi.

ARCHIEPISCOPI CÆSAREENSES *in Cappadocia.*

I. HENRICUS I.

CAVALERIUS aſſerit *tom. 1. Galler. Dom. pag. 153. n. 220.* quemdam *Fr. Henricum* Ord. Præd. natione Germanum, renunciatum eſſe archiepiſcopum Cæſareenſem in Aſia, & floruiſſe circa annum 1365. Idem referunt alii ejuſdem Ordinis ſcriptores.

II. JOANNES.

Daniel à V. M. *tom. 2. Spec. Carmelit. pag. 935. num. 3276.* teſtatur *F. Joannem Fabri* Carmelitam, ex archiepiſcopo Calaritano in Sardinia factum eſſe archiepiſcopum Cæſareenſem anno 1440. ab Eugenio IV. & citat librum proviſionum prælat. ſub eo Papa.

III. GALESIUS.

Galeſius, ex ſede archiepiſcopali Nicoſienſi, in cujus poſſeſſionem ne veniret ob- A ſtabat Joannes Rex Cypri, tranſlatus eſt ad Cæſareenſem ab Eugenio IV. anno 1445. ut narrat Raynaldus ad eum annum *n. 20.*

IV. HENRICUS.

Fr. Henricus Kaltyſen ſive Latinè *Frigidum Ferrum,* natione Germanus, Ordinis Prædic. hæreticorum hoſtis acerrimus, qui Baſileenſi concilio interfuit, & 8. volumina mſſ. ſuorum operum reliquit, recenſita à R. P. Echard *tom. 1. pag. 829.* ad archiepiſcopatum Nidroſienſem in Norvegia evectus B eſt à Nicolao V. die 28. Februar anni. biſſext. 1452. Dicitur etiam fuiſſe archiepiſcopus Cæſareenſis in ſuo epitaphio apud FF. Præd. Confluentinos in diœceſi Trevirenſi ubi deceſſit anno 1465. die 2. Octob. Vide Fontanam *Theat. Dom. p. 66. tit. 25.* & *pag. 91. tit. 70.* R. P. Echard laudatum *pag. 828.* & R. P. Bremond, *tom. 3. Bullar. pp. 122. & 328.*

PROVINCIA CORCYRENSIS.

CORCYRA, vulgo *Corfu* ſive *Corfou,* inſula maris Ionii vix 4. milliarib. diſtans ab Epiri ora à parte boreali, extenditur à ſeptentrione ad meridiem ad 55. milliar. Porcaccio teſte: ejus autem circuitus eſt 120. milliar. inter Acroceraunios montes ad Boream & Leucadem inſulam ad auſtrum; ſubeſt dominio Venetorum ab anno 1386. urbem habet cognominem, parvam, ſed duplici arce fortiſſimam. Hæc Baudrand, *tom. 1. geogr. p. 298. col. 2.* Eccleſia eſt archiepiſcopalis, cujus ſequentes præſules ad notitiam noſtram devenere.

ARCHIEPISCOPI CORCYRENSES.

I. GADDUS.

GADDUS, Piſanus, Ordin. Præd. renuntiatus eſt epiſcopus inſulæ maris Adriatici, quam *Corcyram Nigram* ſeu *Melanam* appel- C lamus, ſub archiepiſcopo Epidaurio ante annum 1331. quo deceſſit Bernardus Guidonis qui ejus meminit. Inde tranſlatum hunc anno 1341. à Benedicto XII. ad metropolitanam Corcyrenſem aſſerunt Cavaler.

ECCLESIA CORCYRENSIS.

to. 1. pag. 121. num. 118. & R. P. Bremond, A *tom. 2. Bullar. pp. 205. & 221.* Fuit fortaſſis archiepiſcopus ille *Corcyrenſis*, ad quem alioſque præſules Latinos Orientis ſcripſiſſe Clementem VI. refert Raynaldus ad annum 1345. *num. 6.*

II. JOANNES I.

Si *Joannes* iſte cognomento *de Porta* non præceſſit Gaddum in ſede Corcyrenſi, eum certè proximè ſubſequutus videtur, utpote quem Ughellus, *tom. 6. Ital. ſac. veter. edit. col. 427. num. 34. B.* & *t. 9. col. 49 n. 36.* B *B.* ſcribit *olim archiepiſcopum Corphienſem* fuiſſe, annoque 1348. die 30. Maii tranſiiſſe ad ſedem Brundufinam, & poſtea anno 1352. ad Capuanam, ex *Reg. Vatic.* demum obiiſſe anno 1357.

III. FRANCISCUS.

Franciſcus de Aptis, nobilis Tudertinus, inſignis ſacrorum canonum doctor, ex eccleſia Corcyrenſi ad Cluſinam in Italia tranſlatus eſt anno 1348. die 17. Septemb. deinde ad Caſſinenſem anno 1353. die 15. C Jul. & ad Florentinam anno 1355. Hunc anno ſequenti Innocentius VI. Cardinalem creavit tituli S. Marci. Obiit Franciſcus anno 1361. Hæc Ughellus, *tom. 7. in Append. ad tom. 3. col. 1426. num. 26.* C.

IV. ***

Innocentius VI. anno 1359. die XI. Maii epiſtolam ſcripſit cuidam *archiepiſcopo Corphienſi*, & 13. aliis metropolitanis, eorumque ſuffraganeis, quam legere eſt apud Raynaldum ad eum annum *num. 16.* D

V. JOANNES II.

Joannes de Aurelia, ſic dictus ex patria ſua Gallicè *Aureille*, æquali ferme ſpatio inter Arelatem & Avenionem, teſte Baluzio de Pap. Aven. *tom. 1. col. 1243.* archiepiſcopus erat Corcyrenſis ante annum 1378. quo eum Urbanus VI. menſe Septembris renuntiavit Cardinalem. Verùm quum poſtea veniſſet in ſuſpicionem proditionis adversùs eum Pontificem, illius juſſu captus eſt Luceriæ anno 1385. die XI. Januar. & tandem E Genuæ cum quatuor aliis Cardinalibus mortem violentam ſuſtulit. De eo conſulendi Baluzius modò laudatus, & Oldoinus *in vitis Rom. Pont. & DD. Card. t. 2. col. 633.* E. F.

VI. MARCUS.

Daniel à V. M. *tom. 2. Speculi Carmelit. pag. 942. num. 3311.* refert hoc epitaphium extare in baſilica ſui Ordinis Venetiis: *Hic jacet F. Marcus Contareno Ordinis Carmelitarum, archiepiſcopus Corphienſis, qui obiit anno M. CCCCX. die 14. Novemb.* Verùm dimiſſam fuiſſe ab ipſo hanc eccleſiam pluribus ante annis quàm diſcederet è vita, ex modò dicendis patebit.

VII. ALBANUS.

VIII. HILARIUS.

IX. GEORGIUS *ſive* GREGORIUS.

Ughellus, *tom. 5. Ital. ſac. col. 435. n. 89.* A. B. *vet. edit.* ſcribit *Albanum Michaëlem* nobilem Venetum, archiepiſcopum Corphienſem, ad Patavinam eccleſiam tranſiiſſe anno 1406. die 8. Martii, & obiiſſe anno 1409. ipſi autem ſucceſſiſſe in ſede Corphienſi *Hilarium*, juris utriuſque peritiſſimum, qui deceſſit anno 1414. & poſt hunc renuntiatum eſſe præſulem Corphienſem *Georgium de Cadolſino Ord. Præd.*

Hunc non *Georgium*, ſed *Gregorium* appellant Fontana *Theat. Dom. p. 70. tit. 32.* Caval. *t. 1. p. 207. n. 439.* & R. P. Bremond, *t. 2. Bullar. p. 528.* aiuntque promotum anno 1414. die 28. Septemb. poſt obitum Hilarii.

X. ***

Ambroſius præpoſitus Generalis Ordinis Camaldulenſis, qui interfuit concilio Florentino, & obiit anno 1439. meminit cujuſdam *archiepiſcopi Corcyrenſis* in epiſt. XIII. lib. X. ſuarum epiſtolar. *tom. 3. Veter. Script. ampl. collect. col. 321.* C.

XI. PETRUS.

Petrus, Venetus, Ord. Præd. anno 1458. ad ſedem Corcyrenſem evectus eſt, & anno ſequenti admiſſus eſt ad gratias ejuſdem Ord. in capitulo generali apud Noviomagum (*Noyon.*) Ita refert Fontana, *Theat. Domin. pag. 70. tit. 622.*

XII. ISIDORUS.

Oldoinus *hiſt. Rom. Pont. & DD. Card. tom. 2. col. 904.* *Iſidorum* Cardinalem ait præfuiſſe eccleſiis *Corphienſi* & Nicoſienſi. Vide ſupra inter Patriarchas Conſtantinopolitanos ritus Latini *col. 834.* D.

XIII. CHRISTOPHORUS.

Anno 1516. *Chriſtophorus Marcellus*, Corcyrenſis archiepiſcopus electus, ſacrarum ceremoniarum editionem libris tribus typis Venetis prodire curavit, & Leoni X. nuncupavit. Refert Raynaldus ad annum 1522. *num. 22.* fragmentum epiſtolæ Petri Delphini ad eum, datæ die 7. Jun.

XIV. ANDREAS.

Andreas Vendrominus, ex Ord. Equitum S. Joannis

Digitized by Google

S. Joannis Hieroſolymitani, archiepiſcopus A Corcyrenſis erat anno 1524.

XV. JACOBUS.

Annis 1546. & 1547. *Jacobus Cauchus,* Venetus, archiep. Corcyrenſis, interfuit concilio Tridentino ſub Paulo III. ut conſtat ex ejus ſubſcriptionibus, *t. XIV. conc. Labb. coll. 745.* E. *749.* B. *771.* A. *773.* E. *788.* E. & *790.* A.

XVI. ANTONIUS.

Antonius Caucus, ſimiliter Venetus, ar- B chiepiſcopus Corcyrenſis creatus anno 1560. die 29. Mart. adſtitit poſtremis concilii Tridentini ſeſſionibus, quibus ſubſcripſit anno 1563. *tom. XIV. conc. Labb. col. 924.* B.

XVII. JOANNES.

Ex Ughello, *tom. 7. Ital. ſac. vet. edit. col. 941. num. 33. D. Joannes Petrus Fortiguerrus,* Piſtorienſis, ex epiſcopo Corcyrenſi factus eſt Bituntinus antiſtes anno 1579. die 19. April. & obiit anno 1593.

XVIII. BERNARDINUS.

Leo Allatius, *lib. 3. de conſenſ. c. 16. col. 1253. num. 1.* refert Paulum Gryſaldum, Peruſinum, Ord. Præd. in gratiam *Bernardini Suriani archiepiſcopi Corcyrenſis, edidiſſe Malleum* ſive *deciſiones fidei catholicæ,* ad errores Græcorum refellendos. Opus illud Venetiis prodiit anno 1582. teſte R. P. Echard, *t. 2. p. 368. col. 2.* ex quo ſequitur Bernardinum hoc anno eſſe anteriorem.

XIX. ALPHONSUS.

Alphonſus Paleottus, archiepiſcopus Cor- D cyrenſis renuntiatus eſt anno 1591. die 13. Februar. ac coadjutor archiepiſcopi Bononienſis, cui ſucceſſit anno 1597. & obiit anno 1610. Ita Ughellus, *tom. 2. Ital. ſac. col. 59. num. 2.* D.

XX. ***

In nuntiis publicis Gallicè ſcriptis per annum 1633. narratur *pag. 373.* Romæ die 25. Auguſt. feſto S. Ludovici Regis Francorum, decantatam fuiſſe in ejus honorem E Miſſam in baſilica ei ſacra ab *archiepiſcopo Corcyrenſi,* adſtantibus DD. Cardinalibus, maximaque prælatorum ac nobilium caterva.

XXI. LABIA.

XXII. MARCUS ANTONIUS.

Labiâ ex archiepiſcopo Corcyrenſi ad ſedem Adrienſem in Lombardia migrante anno 1677. menſe Septemb. ei ſuffectus eſt *Marcus Antonius Barbarigo,* Venetus, anno ſequenti menſe Maio, quem poſtea anno 1686. Innocentius XI. Cardinalem creavit die 2. Auguſti & ad eccleſiam Monteſiaſconenſem tranſtulit anno 1687. menſe Junio. Piiſſimè obiit anno 1706. die 27. Maii. Ex iiſdem nuntiis, *anno 1677. pag. 775. anno 1678. pag. 521. anno 1686. pp. 304. & 504. anno 1687. p. 372. & anno 1706. p. 306.*

XXIII. ***

In præfatis nuntiis per annum 1689. refertur *pag. 21.* anno præcedente menſe Decemb. *archiepiſcopum Corcyrenſem* Venetias petiiſſe.

XXIV. NICOLAUS.

Anno 1706. ad eccleſiam Corcyrenſem promotus eſt die 15. Novembris *Nicolaus Zeno.* Ex iiſdem nuntiis per hunc annum, *p. 628.*

XXV. AUGUSTUS.

Auguſtus Zacco, archiepiſcopus Corcyrenſis, ex ea ſede tranſiit ad Tarviſienſem anno 1723. Ex ſimilibus ejuſdem anni nun- C tiis, *pp. 115. & 626.*

XXVI. ANGELUS.

Angelus Maria Quirini, Ord. S. Benedicti in congreg. Montis Caſſini alumnus, ex archiepiſcopo Corcyrenſi præſul Brixienſis evaſit die 30. Jul. anno 1727. Poſtea Cardinalis renuntiatus eſt eodem anno die 26. Novembris, ut tamen jam creatus *in petto* anno præcedenti die 9. Decemb. Ex iiſdem nuntiis anno 1723. *p. 626.* & anno 1727. *pp. 415. & 621.*

XXVII. VINCENTIUS.

XXVIII. PETRUS.

Fr. Vincentius Maria Mazzoleni, Ordin. Præd. Bergomi natus, ad archiepiſcopatum Corcyrenſem promotus eſt anno 1727. die 26. Novemb. ad Parentinam ſedem poſtea tranſiit anno 1731. die 18. Jun. de quo legendus R. P. Bremond, *tom. 6. Bullar. pp. 707. & 748.* Huic autem probabiliter ſucceſſit *Petrus Antonius Foſcarini,* Clericus regularis congreg. ſancti Salvatoris, qui anno 1732. die 29. Mart. conſuetum pro ea ſede Romæ ſubiiſſe examen refertur in nuntiis Gallicis ejuſdem anni, *pag. 152.*

Eccleſiæ Corcyrenſi, his recentioribus ſæculis ſubjectæ ſunt, ut ſuffraganeæ, ſedes Cephaleniæ & Zacynthi in unum epiſcopatum conjunctæ, de quibus ſub provincia Corinthienſi agemus, quippe quas Corintho metropoli adſcripſerit Innocentius III. ſæculo XIII.

ECCLESIA CORINTHIENSIS.

I. PROVINCIA CORINTHIENSIS.

CORINTHUS, quam *lumen totius Græciæ* appellat Tullius in Orat. pro lege Manilia, urbs eſt Peloponneſi in Achaia, Iſthmo inſidens ex ejus nomine dicto *Corinthiaco. Iſthmos* enim Græci nuncupant quaſcumque terræ anguſtias per quas è peninſula ad continentem itur. Cellarius, *tom. 1. geogr. ant. lib. 2. c. 13. p. 1171.* hanc, quia inter duo maria Ionium ſcilicet ac Ægæum ſita eſt, à Latinis *Bimarem* dici obſervat. Duos autem portus habuit, *Lechæum*, Græcè Λεχαῖον ad Criſſæum ſinum ſeu occidentalem plagam, & *Cenchreas* Græcè Κεγχρεαὶ ad Saronicum ſinum, de quibus mentionem facit Strabo *lib. 8. pag. 380.* A. *edit. Caſaub.*

Urbs illa, quibuſdam annis poſt captam à Francis & Venetis anno 1224. Conſtantinopolim, Gaufrido de Villaharduini in poſſeſſionem ceſſit, qui princeps Achaiæ dictus eſt; poſtea ad ditionem Venetorum tranſiit, quibus erepta eſt à Mahumete II. anno 1458. Diſtat 80. milliar. ab urbe Patris in ortum, teſte Baudrand, *tom. 1. geogr. p. 300. col. 1.* Athenas verſus 40. à Lacedæmone 85. in ſeptentrionem, & 25. ab urbe Argos.

ARCHIEPISCOPI CORINTHIENSES.

I. H.

EX Innocentii III. epiſtola 6. lib. XIII. *archiepiſcopo Athenienſi, & Thermopylenſi & Sidonienſi epiſcopis*, data *Later. IV. Non.* (id eſt die 4.) *Martii, anno XIII.* Chriſti 1210. *tom. 2. edit. Baluz. pag. 409. col. 2.* non modica conjiciendi anſa porrigitur, quemdam, cujus nomen à littera H. incipiebat, Corinthienſi eccleſiæ datum eſſe primum præſulem Latini ritus. Hæc quippe ait Pontifex: *De cura Corinthiorum ſollicitudinem decet nos gerere paſtoralem, ut quum eorum civitas ad dominium Latinorum credatur in proximo perventura, vel jam forſitan perveniſſe, oves Domini quæ ſunt ibi....ad unum redeuntes paſtorem, & cognoſcant eum....& cognoſcantur ab ipſo. Quocirca fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, velut ex relatis rumoribus ſpem concepimus, dilecto filio nobili viro G. Romaniæ Seneſcalco reddere ſe contingat, aut jam reddidit ſeipſam, & aliquis archiepiſcopus eſt in ea, prudenter & efficaciter inducatis eumdem, ut ad obedientiam & reverentiam apoſtolicæ ſedis ac noſtram humiliter convertatur, juramentum exhibens ſuper hoc quod exhiberi à talibus conſuevit. Qui ſi forſan id perficere recuſaverit, vos, eo ab adminiſtratione pontificali prorſus amoto, quum pro rei novitate non poſſit, ex more aliarum eccleſiarum, ad uſitatum electionis modum procedi, dilectum filium H. Decanum Cathalaunenſem, virum utique vita, fama & ſcientia commendabilem, eccleſiæ civitatis ejuſdem, autoritate noſtra, ſublato cujuſlibet contradictionis & appellationis obſtaculo, in archiepiſcopum aſſignetis: idipſum facturi ſi forſan, ut accepimus, eamdem eccleſiam inveneritis, defuncto archiepiſcopo, deſtitutam, monendo clericos, ſi qui fuerint, ut ei reverentiam* A *& obedientiam debitam ac devotam impendant. Alioquin eidem Decano poteſtatem auctoritate apoſtolica conferatis, amotis illis* (Clericis) *inſtituendi tales in locis ipſorum qui ſibi ſtudeant, ſicut membra capiti, per devotam obedientiam cohærere, &c.*

Scilicet, ut obſervat Boſquetus in notis ad epiſtolas Innocentii III. *ſuæ edit. Toloſ. anno 1635. pag. 10.* ceſſit primo impetu Francis omnis Græcia, at reſumptis poſtea animis, acriter ſeſe defendit. Corinthus itaque, cui Leo Scurus tyrannus dominabatur, à Bonifacio marchione Montisferrati obſeſſa, non multa vi quidem capta eſt, ſed B reſtitit aliquandiu Acrocorinthus arx ejus, Scuro opem ferente. Corinthi archiepiſcopus tunc ſedebat Nicolaus, quem Scurus ille, quaſi ipſi, depoſitis priſtinis odiis, perfecte reconciliatus, ſuæ menſæ accitum, effoſſis oculis, de rupe præcipitari juſſit, teſte Niceta Choniate in annalibus, ubi de Balduino Imperat. *edit. Græco-Latin. Pariſ. anno 1647. pag. 410.* B. Occiſo interim anno 1206. dum adverſus Bulgaros dimicaret, Bonifacio, Gaufridus de Villaharduini Corinthum & arcem ejus ſibi ſubdidit. Quum autem tunc temporis ea civitas Græco ſuo paſtore deſtitueretur, illi præfectum, ut mandaverat C Innocentius Papa, Cathalaunenſem Decanum H. probabile admodum eſt.

II. GUALTERUS.

Gualterum hunc anno 1212. ad ſedem Corinthienſem promotum colligimus ex epiſtola 58. lib. XV. epiſtolar. Innocentii III. *ipſi Gualtero Corinthienſi archiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum*, data *Laterani per manum Joannis S. Mariæ in Coſmidin Diac. Cardin. S. R. E. Cancellarii, XI. kal. Junii* (id eſt die 22. Maii)

Digitized by Google

indict. XV. *Incarn. Dom. anno* 1212. *Pontif. anno* XV. quæ extat *tom.* 2. *edit. Baluz. pag.* 622. *col.* 1. In ea ſiquidem ait: *Tuam volentes perſonam propenſius honorare, propriis manibus conſecravimus in Pontificem, & palleo inſignivimus pontificali, &c.* Deinde, ad ejus petitionem, jura, privilegia poſſeſſioneſque hujus metropolitanæ ſedis confirmat, eccleſiaſque ſuffraganeas recenſet. *Epiſcopatus quoque,* inquit, *inferius annotandos eccleſiæ tuæ metropolitico jure ſubjectos tibi, tuiſque ſucceſſoribus nihilominus confirmamus: videlicet Cephalonen. Jachint. Damelant. Malaveſia, Argos, Gilas & Gimenes.* Hæc autem omnia præſulem recens conſtitutum indicant. Anno ſequenti 1213. ſcripſit idem Pontifex Patracenſi archiepiſcopo, ut Cephalonenſem epiſcopum ab archiepiſcopi Corinthii, qui veriſimiliter adhuc erat hic Gualterus, moleſtiis eximeret. Epiſt. eſt 92. lib. XVI. *to.* 2. *Baluz. pag.* 793. *col.* 2. De eo antiſtite nihil ulterius occurrit.

III. * * *

Alter à Gualtero fortaſſis fuit *Corinthienſis ille archiepiſcopus,* in cujus gratiam Honorius III. Petro Conſtantinopolitano Patriarchæ ſcripſit anno 1218. de uſu pallii, *quatenus eidem archiepiſcopo utendi eo libere tribueret facultatem.* Epiſtola data eſt *Later.* IV. *kal. Novemb.* (id eſt die 29. Octob.) *anno* III. apud Raynald. ad hunc annum, *num.* 25.

IV. * * *

Scribit idem Raynaldus, ad annum 1263. *num.* 21. pro erigendo Imperatoris Conſtantinopolitani Balduini ſolio, quod Michael Palæologus, captâ urbe regiâ, plurimum deturbaverat, ſimulque fulciendis reliquis Orientis Latinis principibus, miſſas ab Urbano IV. eo anno litteras ad Patracenſem, *Corinthienſem,* alioſque archiepiſcopos & epiſcopos, abbates, ac cæteros earum regionum præſules, ut, ad commune arcendum periculum, ſubſidia Willelmo Villarduino Achaiæ principi bello à Palæologo laceſſito ad contrahendas copias ſuppeditarent.

V. * * *

Anno 1272. Gregorius X. Papa, *archiepiſcopum Corinthi* in Gallias miſit ad Philippum Regem ſancti Ludovici filium, ut auxilia ab illo ipſius nomine in gratiam terræ ſanctæ poſtularet. Tranſumptum ejus epiſtolæ refert Raynaldus ad eum annum, *n.* 5 Si archiepiſcopus hic Corinthienſis idem non eſt ac ille cui, aliiſque epiſcopis novem antea annis ſcripſerat Urbanus IV. quod nomina propria utrobique omiſſa ſub dubio relinquunt, ejus impreſentiarum ſpecialiter meminimus.

Alius fortaſſis ab iſto non fuit *archiepiſcopus* ille *Corinthienſis,* cui, quinto exinde anno, Chriſti ſcilicet 1276. poſt mortem Adriani V. Papæ, quæ die 18. Aug. contigerat, Viterbii agenti, à Cardinalibus ibidem quoque congregatis tradita provincia eſt promulgandæ conſtitutionis ejuſdem Adriani, qua altera Gregorii X. de recluſione Cardinalium in conclavi ſuſpenſa declarabatur. Verum à Viterbienſibus peſſime habitus fuit, qui ſacrum collegium in duriorem atque arctiorem cuſtodiam redegerunt. Ita præfatus Raynaldus ad eum annum, *num.* 28.

VI. Guillelmus I.

Guillelmus de Moerbeka ſive *Morbeka,* à loco natali, quod oppidulum eſt vernacule *Meerbeke,* ab oppido *Ninive* nuncupato, vulgo *Ninove,* tribus circiter milliar. diſſitum in Brabantiæ & Flandriæ confiniis, Ordin. Præd. amplexus eſt, & ut vir erat zelo animarum æſtuans, linguam Græcam & Arabicam, præter Latinam, familiares ſibi fecit. Anno 1268. apud Clementem IV. Viterbii degit, cujus capellanus & pœnitentiarius fuit, ſicut & ſucceſſoris ejus Gregorii X. cui individuus adſtitit in concilio ſecundo Lugdunenſi; nec parum profuit. De eo enim ita legitur in actis hujus ſynodi, *t.* XI. *conc. Labb. col.* 958. *Patriarcha* (Gregorius) *cum omnibus Græcis archiepiſcopis de Calabria, & Frater W.* (Willelmus) *de Morbecca de Ordine Fratrum Præd. & F. Joannes de Conſtantinopoli de Ordine FF. Min. pœnitentiarii D. Papæ, qui linguam Græcam noverant, cantaverunt ſolemniter & alta voce prædictum ſymbolum, &c.* Ad ſedem Corinthienſem promotum illum ante finem anni 1277. liquet ex codice antiquo, qui eſt LV. *fol. mag. memb. à fol.* 92. *ad* 116. *in Bibl. Colbert.* ut refert R. P. Echard. *tom.* 1. *ſcriptor. Ord. Præd. p.* 390. *col.* 2. ad calcem quippe tractatus Galeni de alimentis, habetur: *Explicit liber Galeni de virtutibus alimentorum, tranſlatus è Græco in Latinum à D F. Guillelmo de Morbeka Ord. Præd. archiepiſcopo Corinthienſi, abſolutus Viterbii* (anno) *1277.* XI. *kal. Novemb.* (id eſt die 22. Octob.) A Joanne XXI. proinde circa finem anni 1276. aut primis ſequentis anni menſibus, non vero à Nicolao III. qui electus eſt Pontifex die 25. Novemb. anno 1277. Guillelmus conſtitutus fuit archiepiſcopus Corinthius, quamvis ei pallium, per manus Jacobi Cardinalis tituli S. Mariæ in Coſmedin, à Nicolao conceſſum fuiſſe v. idus (id eſt die 9.) April. anno 1278. ut tradit Bzovius ad eum annum, *num.* 33.

Digitized by Google

nihil vetet. Bernardus Guidonis de eo ait inter prælatos Ordinis Præd. *F. Guillelmus de Morbecha fuit archiepiſcopus Corinthi.* Ad ſponſam ſuam quamprimum convolavit, anniſque 1280. & 1281. ibidem commorabatur. Nam ad finem Procli Diadochi, *de decem dubitationibus circa providentiam*, legitur: *Expleta fuit tranſlatio hujus libri Corinthi à F. Guillelmo de Morbeka archiepiſcopo Corinthienſi anno Dom. 1280. die 4. Febr.* (id eſt ſtylo novo 1281.) Quamdiu poſtea vixerit, & ubi, quove die & anno obierit, non conſtat. Veriſimile eſt deceſſiſſe eum Corinthi, nec ad annum 1300. perveniſſe.

VII. Matthæus.

Guillelmum proxime excepit *Mathæus de Oſenio*, ut extat apud Bernardum Guidonis, in epiſcopis provinciæ Græciæ, non autem *de Coſtino* vel de *Conſtino*, ut mendoſe habent S. Antoninus *lib. 3. hiſt. tit. 23. cap. 11. pag. 680. col. 1.* C. Leander Albertus, *fol. 104.* B. Fontana *in Theat. Domin.* & alii. Ita præfatus P. Echard. *ibid. p. 389. col. 2.* Hunc doctiſſ. P. Antoninus Bremond, *t. 2. Bullar. Præd. pag. 71.* ad annum circiter 1294. revocandum cenſet, & ad pontificatum Bonifacii VIII. qui tamen electus eſt Papa die tantum 24. Decemb. hujus anni 1294.

VIII. Guillelmus II.

Alphonſus Fernandez Ordinis Præd. in concertatione prædicatoria edita Salmanticæ anno 1618. ubi de archiepiſcopis Italis ejuſdem Ord. agit, *p. 453.* D. poſt recenſitum Guillelmum de Morbeka archiepiſcopum Corinthi, cujus nos ſupra meminimus, ſtatim ſubdit: *F. Guillelmus alter archiepiſcopus item Corinthi* (anno) *1310.*

IX ***

Epiſtolam Joannis XXII. datam anno 1329. die 7. Maii *archiepiſcopo Corinthienſi* & pluribus aliis præſulibus, adverſus Petrum de Corbaria Antipapam, exhibet Raynald. ad hunc annum, *num. 3.* qui etiam ſcribit ad annum ſeq. *num. 54.* eumdem Pontificem mandaſſe eo anno die 14. Junii, archiepiſcopis *Corinthi*, Patrarum, & Hydruntino, ut militiam religioſam profeſſuros crucis ſymbolo diſtinguerent.

X. Jacobus.

XI. Franciscus.

Jacobus iſte archiepiſcopus Corinthienſis erat ante annum 1349. & probabiliter præſul ille fuit, ad quem & novem alios metropolitas eorumque epiſcopos ſuffraganeos, epiſtolam ſcripſit Clemens VI. Papa anno 1345. teſte Raynaldo ad eum annum, *num. 6.* qua eos monebat ut Humbertum ſive Imbertum, exercitus cruce ſignatorum contra Turcas ducem conſtitutum, totis viribus adjuvarent. Eo autem de eccleſia Corinthienſi tranſlato ad Tarentinam, anno 1349. *Fr. Franciſcus de Maſſa Ord. Min.* ad hanc Corinthienſem promotus eſt à Clemente VI. ut ex ejus diplom. *Officii noſtri debitum, &c. dat. IV. kal. April.* (id eſt die 29. Martii) tradit Wadd. ad eum annum, *tom. 3. annal. Min. num. 11. pag. 566.* Is Franciſcus fortaſſis fuit, ad quem alioſque illarum regionum præſules ſcripſit Innocentius VI. epiſtolam, datam Aven. v. idus (id eſt die 11.) Maii anno VII. Chriſti 1359. apud Raynaldum, ad hunc annum, *num. 16.* de vindicanda adverſus Turcas religione chriſtiana.

XII. Stephanus.

Idem Wadding. *tom. 4. annal.* ad annum 1390. *num. 12. pag. 387.* ſcribit *Stephanum* epiſcopum Nimocienſem in inſula Cypro fuiſſe tranſlatum ad eccleſiam *Corinthienſem* (anno 1305.) & in ejus locum ſedi Nimocienſi præfectum eodem anno XIII. kal. Octob. (id eſt die 19. Septemb.) à Bonifacio IX. Fr. Bartholomæum Gaium Minoritam.

XIII. Petrus I.

Petrus Joannes de Baraballis, nobilis Neapolitanus, archiepiſcopus Acheruntinus ad eccleſiam Corinthienſem tranſlatus eſt anno 1395. *Ex lib. obligat. Prælat. ſub Bonifacio IX.* Ita Ughellus, *tom. 7. Ital. ſac. col. 69. num. 21. D. vet. edit.*

XIV. Joannes.

Idem Ughellus, *tom. 9. col. 69. num. 12.* C. D. refert *Joannem Petrum* epiſcopum Cephalonenſem ad ſedem Corinthi migraſſe anno 1401. *ex lib. Proviſ. Prælat.*

XV. Antonius.

XVI. Petrus II.

Poſt obitum *Antonii* archiepiſcopi Corinthiorum, qui fortaſſis Joanni Petro ſucceſſerat, huic ſedi præpoſitus eſt anno 1421. die 14. Febr. *Petrus Raynaldi de Ripa Franſona* in Piceno, Ordin. Præd. ut conſtat ex diplomate Martini V. apud R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pag. 597.* ex quo emendandi veniunt qui hunc anno 1415. aſſeruere promotum ad hanc eccleſiam.

XVII. Hugo. *Thomas.*

XVIII. Julius.

Hugo Rethut Burgenſis (vel Brugenſis)

Digitized by Google

Ord. Præd. creatus eſt archiepiſcopus Corinthienſis à Nicolao V. anno 1450. teſte Fontana, *Theat. Dom. pag. 70. tit. 33.* At Fernandez quem citat, hunc Hugonem, *pag. 453.* & *Thomam Seraphinum* ejuſdem Ordin. *pag. præcedenti 452.* recenſet; unumquemque autem pro illo ipſo anno 1450. R. P. Bremond, *tom. 3. Bullar. pag. 328.* ſolum Hugonem commemorat, omiſſo Thoma. Cavaler. utriuſque meminit Hugonis quidem, *tom. 1. pag. 250. num. 128.* ſub anno 1450. Thomæ vero *ibid. p. 328. num. 375.* ſub anno circiter 1516. Quia tamen anno 1514. die 5. Maii ſeſſ. IX. conc. Lateranenſ. ſubſcripſit *R. P. D. Julius Corinthienſis* præſul, *t. 14. conc. Labb. col. 204.* D. dicendum omnino Thomam Seraphinum, ſi reipſa præfuit aliquando eccleſiæ Corinthienſi, vel ante Julium ſediſſe, vel poſt ipſum.

A

XIX Bellarini *ſive* Balsarini.

Quum Veneti, inter plura alia Moreæ oppida, etiam Corinthum Turcis eripuiſſent anno 1687. huic in archiepiſcopum dederunt ſub finem anni 1698. D. *Bellarini* qui antea fuerat eccleſiæ Chienſis antiſtes. Is nonnunquam *Balſarini* nuncupatur, & obiit Naupliæ (Napoli de Romania) anno 1700. Ex nuntiis Gallicis anno 1699. *pag. 7.* & anno 1700. *pag. 165.*

B

XX. Angelus.

Angelus Maria Carlini, Ord. Præd. ſuffectus eſt in ſedem Corinthi eodem anno 1700. Ex præfatis nuntiis eo anno *p. 340.* & anno 1703. *pag. 18.* Hujus quoque meminit R. P. Bremond, *to. 6. Bullar. p. 517.*

ECCLESIA CEPHALONIÆ.

II. ECCLESIA CEPHALENIÆ *ſive* CEPHALONIÆ.

CEPHALENIA, ſive *Cephallenia*, aut *Cephalonia*, Græcè Κεφαληνία & Κεφαλληνία, inſula mediocris eſt maris Ionii inter Ithacam & Zacynthum.

Cephallenia Latinos præſules habuit ſub Corintho metropoli ſæculo XIII. ut ex epiſtola Innocentii III. conſtat Gualtero Corinthienſi archiepiſcopo data die 22. Maii anno 1212. cujus ſupra meminimus, *col. 884.* In unum poſtea cum Zacynthenſi eccleſia epiſcopatum coaluit ſub archiepiſcopatu Corcyrano, poſtquam Corinthus in Turcarum poteſtatem veniſſet. Ditionis eſt nunc Reipubl. Venetorum ab aliquot ſæculis, & villas tantum ac pagos habet cum caſtro in colle *Cephalenia* dicto, ſive *Ceſalonia*, à quo ad ſex milliaria ineſt portus *Argoſtoli* peramplus in ora auſtrali inſulæ, cujus habitatores Græcos ritus ſervant. Hæc aſſerit Mich. Anton. Baudrand *in Lexico ſuo geogr. edit. Pariſ. 1682. tom. 1. p. 255. col. 2.* Additur *in Lexico Gallico Morerii edit. Pariſ. 1712. p. 161.* inſulæ hujus circuitum eſſe 170. milliar. & dividi in ſeptem partes, dictas *Argoſtoli, Liſcuri, Finea, Eriſſò, Pillaro, Samo & Lucato.* Erectum epiſcopatum in illa inſula cum canonicorum collegio à Marchione de Tocchis qui princeps erat Achaïæ ſæculo XII. A Gaïo eamdem inſulam Venetis dono conceſſam anno 1224. captam à Turcis anno 1479. in poteſtatem Venetorum rediiſſe anno 1499. à quibus anno 1595. caſtrum *Aſſo* conſtructum eſt in colle ſublimi, ut populo inſulæ eſſet in præſidium.

EPISCOPI CEPHALENIÆ.

I. ***

PRæfatus Innocentius Papa in epiſt. 64. lib. XV. ipſimet *epiſcopo Cephaloniæ* data *Laterani XV. kal. Jun. anno. XV.* id eſt die 18. Maii, anno Chriſti 1212. *t. 2. edit. Baluz. pag. 623. col. 2.* ei mandat ut Corinthienſi archiepiſcopo recens promoto, Gualtero ſcilicet, ſuo metropolitano obediret.

Fuit veriſimiliter epiſcopus ille Kephalonenſis de quo hæc ſcripſit idem Innocentius anno ſequenti 1213. Patracenſi archiepiſcopo, *pag. 793. col. 2. epiſt. 92. lib. XVI. Exhibita nobis ex parte venerabilis fratris noſtri Kephalonenſis epiſcopi petitio continebat, quod quum Kephalonenſis eccleſia ad apoſtolicam ſedem immediate ſpectaverit ab antiquo,*

C

& diſtet per ſeptem dietas, duobus archiepiſcopatibus mediis, à Corintho, venerabilis frater noſter Corinthienſis archiepiſcopus per quaſdam litteras ad te contra Kefalonenſem eccleſiam ſuper impendenda obedientia impetratas, ipſum indebita moleſtatione fatigat. Quocirca fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, inquiſitâ & cognitâ veritate, non permittas eumdem ſuper hoc indebite moleſtari,

D

&c. Datum Signiæ nonis (id eſt die 5.) *Auguſti anno XVI.* Non liquet quænam moleſtia illa fuerit epiſcopo Cephalenicenſi à Corinthienſi archiepiſcopo illata.

II. G.

Ughellus, *tom. 1. Ital. ſac.* in Humanatenſibus epiſcopis, *col. 806. num. 9.* C. *vet.*

Digitized by Google

edit. ita ſcribit: « G.... quondam epiſcopum Ceſalonenſem huc (id eſt ad eccleſiam Humanatenſem) tranſtulit Innocentius IV. anno 1252 pridie kal. Julii (id eſt die 30. Jun.) ex Reg. Vat. *ep. 1. fol. 196. anni X.*»

III. Blasius.

Anno 1389. *Blaſius* Ord. Eremit. ſancti Auguſtini, epiſcopus erat Cephalonenſis in inſula maris Ionii, ditionis Venetorum, anno 1391. ut ex Regiſtris Generalium ejuſdem Ord. colligit Thom. de Herrera, *in Alphab. Auguſt. tom. 1. pag. 106. col. 2.*

IV. Joannes I.

V. Gregorius.

VI. Antonius.

VII. Dominicus.

VIII. Joannes II.

Ughellus, *to. 9. Ital. ſac. vet. edit. col. 69. num. 12.* C. D. refert *ex lib. Proviſ. Prælat.* tranſlato *Joanne Petro* epiſcopo *Cephalonenſi* ad archiepiſcopatum Corinthienſem anno 1401. in locum ejus ſubrogatum eſſe à Bonifacio IX. Gregorium Velliternenſem.

Porro *Gregorius* iſte Velliternenſis ille ipſe videtur *Gregorius* epiſcopus *Cephaludenſis* (legendum procul dubio *Cephalonenſis*) in Patracenſi provincia, quem idem Ughellus, *tom. 1. col. 152. num 32.* C. ad Signinenſem eccleſiam tranſlatum ait die 28. Novemb. anno 1427. *ex actis conſiſtorial. Martini V.* Gregorium, *tom. 9.* ex eccleſia *Cephalonenſi* ad Signinenſem tranſiviſſe narrat, & hoc ſolum diſcrimen occurrit, quod, *tom. 9.* die menſis omiſſa, annum 1430. aſſignet; ſed annum 1427. *tom. 1.* præferendum reor, ex modo dicendis.

Antonio quippe *de Morellis*, nobili civi & canonico Florentino, qui Gregorio Velliternenſi in ſede Cephalonenſi ſuffectus fuerat, ſucceſſit in ea ſede anno 1430. teſte ipſomet Ughello, *tom. 9.* nunc citato, Dominicus.

De eo autem *Dominico* nihil hîc aliud profert Ughellus, quam nomen & obitum anno 1437. Verum ex diplomate Martini V. dato Romæ x. kal. April. (id eſt die 23. Mart.) Pontif. anno XIII. Chriſti 1430. apud doctiſſ. P. Antonin. Bremond, *tom. 2. Bullar. Ord. Præd. pag. 708.* diſcimus præſulem iſtum Ordin. Præd. alumnum fuiſſe, ac evectum ad ſedem, non *Cephaleditanam* in Sicilia, ut exiſtimarunt Fontana & Cavalerius, ſed *Cephalonenſem*, tunc ſub Patracenſi archiepiſcopo, nunc vero ſub Corcyrenſi. Eo igitur mortuo anno 1437.

Joannes, canonicus Monopolitanus, qui anno 1423. VIII. kal. Novemb. (id eſt die 25. Octobris) datus fuerat præſul eccleſiæ Hoſtunenſi Brundiſinæ ſuffraganeæ, ex ea tranſlatus eſt ab Eugenio IV. ad Cephalonenſem præfato anno 1437. v. kal. Martii (id eſt die 25. Febr.) Poſt recenſitos ſupra dictos epiſcopos, ſubdit Ughellus: « Hæc *ex lib. Proviſ. Prælat.* licuit hic breviter enarrare, quum non deſint qui ſcribant hos *Cephaludenſes* in Sicilia fuiſſe præſules; ſed *Cephalonenſes* revera fuerunt antiſtites.»

De cæteris *Cephaloniæ* epiſcopis agemus inter *Zacynthi* præſules, utpote qui *Cephaloniæ* & *Zacynthi* eccleſiarum unitarum curam geſſerint.

III. ECCLESIA ZACYNTHI.

ZACYNTHUS inſula maris Ionii, verſus oram occidentalem Peloponneſi. Hanc aſſerit Plin. *lib. 4. c. 12. aliquando adpellatam Hyriam;* unde minus recte Hyriam à Zacyntho diſtinxit Mela. Scylax in ea inſula *oppidum & portum* eſſe teſtatur.

EPISCOPI ZACYNTHI.

I. ***

INNOCENTIUS III. anno 1207. die 18. Septembris per epiſtol. 128. lib. x. mandat *archiepiſcopo Patracenſi, tom. 2. edit. Baluz. pag. 73. col. 2.* ut cuidam epiſcopo Græco Zacynthi, niſi ille reſipiſceret, alium qui procul dubio ritus Latini foret, ſubſtitui curaret: *Ad noſtram noveris audientiam perveniſſe, quòd in inſula Zacyntho quæ ad dilecti filii nobilis viri Majonis Comitis Kephaloniæ pertinet ditionem, quidam epiſcopus Græcus non ſolum ſedi apoſtolicæ inobediens & rebellis exiſtit, ejus diſpoſitionibus omnino parere contemnens, verum etiam vitam ducit in multorum ſcandalum diſſolutam. Quocirca fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, eumdem epiſcopum moneas attentius, & inducas ut ſedi apoſtolicæ omnimodam obedientiam & reverentiam ſtudeat exhibere, vitam & mores ſuos in melius commutando, prout gravitas officii Pontificalis expoſcit. Si vero monitis tuis acquieſcere forte contempſerit, tu, ipſo ab eccleſiæ ſuæ cura prorſus amoto, facias eidem eccleſiæ de perſona idonea, ſublato appellationis obſtaculo, canonice provideri,*

Digitized by Google

contradictores vel rebelles per cenſuram eccleſiaſticam, monitione præmiſſâ, compeſcens. Datum Viterbii XIV. kal. Octob. anno X. Latet quiſnam fuerit hujus negotii exitus.

Anno 1212. die 18. Maii, ſcripſit idem Pontifex *epiſcopo de Zacyntho,* qui fortaſſis epiſcopo huic Græco, ſive depoſito, ſive mortuo, ſucceſſerat, ut archiepiſcopo Corinthienſi tanquam ſuo metropolitano obedientiam præſtaret. Epiſtola eſt 63. *lib. XV. tom. 2. edit. Baluz. pag. 623. col. 2.*

II. JOANNES I.

III. JOANNES II.

Waddingus, *tom. 6. annal. FF. Minor. p. 617.* ad annum 1463. *num. 120.* ſcribit, *Joanne* (qui forſitan non eſt Joannes ille anno 1437. promotus, de quo poſtremam fecimus mentionem inter epiſcopos Cephaloniæ) epiſcopo eccleſiarum Cephalonenſis & Zacyntinæ unitarum mortuo, anno 1463. ei ſubrogatum fuiſſe eodem anno à Pio II. XII. kal. Novembris, id eſt die 21. Octob. *Fr. Johannem Antonium Scardameti,* Minorit.

IV. JOANNES III.

Poſterioribus ſeſſionibus ſynodi Tridentinæ interfuiſſe legitur, *tom. XIV. conc. Labb. col. 928.* B. *Johannes Franciſcus Commendonus,* Venetus, epiſcopus Zacynthi & Cephaleniæ, electus menſe Octob. anno 1555. qui Cardinalis creatus eſt anno 1565. die XII. Martii, obiitque Patavii die XXVI. Decemb. anno 1584.

V. JOHANNES IV.

Commendono ſucceſſit in epiſcopatu eccleſiarum Cephaleniæ & Zacynthi *Johannes Petrus Delphinus,* itidem Venetus, canonicus regularis S. Salvatoris, electus die 2. April. anno 1560. qui ſynodo quoque Tridentinæ adfuit ſub Pio IV. & ſubſcripſit ut epiſcopus Cephaleniæ & Zacynthi *ſecundus,* vivente nimirum Commendono, cui ad honorem, dimiſſa ſede, titulus relictus fuerat. *Ibid. col. 930.* B.

VI RAPHAEL.

Oldoinus, *hiſt. Rom. Pont.* & DD. Card. *tom. 4. Rom. edit. 1677. col. 227.* A. ſub Gregorio XIV. refert à Paulo Æmilio Sfondrato qui creatus fuerat Cardinalis ab eo Pontifice anno 1590. die 19. Decemb. cum titulo S. Cæciliæ, & poſtea Albanenſis epiſcopus evaſit, ad hanc eccleſiam diligentius regendam, adjutorem aſſumptum, ex Pauli V. conſenſu, *Raphaëlem Invitiatum Zacynthi epiſcopum,* ſic etiam poſt dimiſſam eccleſiam illam nuncupatum, qui ab Urbano VIII. Pontifice præceptor Xenodochii S. Spiritus in Saxia conſtitutus, ibi religioſiſſime deceſſit, morum candore & multiplici doctrina conſpicuus.

ECCLESIA ZACYNTHI.

VII. CONSTANTINUS.

In nuntiis publicis Gallicè conſcriptis per annum 1634. *pag. 353.* legitur die 24. Jul. hujus anni propoſitum à Cardinali Barberino pro epiſcopatu Zacynthi ſub ditione Venet. *P. Dom. Conſtantinum,* Roſſanum.

VIII. JOANNES.

In iiſdem nuntiis per annum 1640. *pp. 845.* & *846.* legitur *Joannem Roſſi* examen ſubiiſſe coram Urbano VIII. die 29. Octob. hujus anni, pro epiſcopatu Zacynthi ſub dominio Venetorum.

IX. GOZZADINUS.

Anno 1654. die 22. Mart. *D. Gozzadinus* epiſcopus Zacynthi conſecratus eſt à Cardinali Franciotti, ex iiſdem nuntiis per hunc annum, *pag. 397.* Vivebat adhuc, & Zacynthi commorabatur anno 1666. nam Joſephus de Sancta Maria Carmelita diſcalceatus, Vicarius apoſtolicus, ſcribit ſe ex India orientali Romam redeuntem ab ipſo perhonorifice exceptum eo anno in inſula Zacyntho.

X. HYACINTHUS.

Hyacinthus Maria Conigli, Venetus, Ord. Præd. alumnus provinciæ Lombardiæ, Prior erat conventus S. Dominici Venetiis, quum piiſſimus adoleſcens Gravinenſium Dux D. Petrus Franciſcus Urſinus, mundum calcans ſub pedibus, ad ipſum acceſſit, ut veſte ejuſdem Ord. indueretur, quem ultro cum ſuis religioſis admiſit pro eodem conventu anno 1668. menſe Auguſto. Is fuit qui poſtea ſacram Cardinalium purpuram ſub nomine *Vincentii Mariæ Orſini,* ipſamque ſedem apoſtolicam ſub nomine *Benedicti XIII.* heroicis virtutibus plurimum illuſtravit. Porro Fr. Hyacinthus Maria Conigli, celebris concionator, poſtea renuntiatus eſt à Clemente X. die 6. Maii, anno 1675. ſuæ ætatis 55. epiſcopus Cephaloniæ & Zacynthi, atque conſecratus à præfato Vincentio Maria Orſini qui jam Cardinalis erat ab anno 1672. & à tribus menſibus archiepiſcopus Manfredoniæ. Primus autem fuit tot epiſcoporum quibus deinceps eminentiſſimus ille Orſini manus ſacras impoſuit; quod tunc contigit eodem menſe Maio Gravinæ in eccleſia monialium S. Franciſci. In viſitatorem apoſtolicum delegatus fuit Hyacinthus Maria Conigli per totam regionem

Digitized by Google

ECCLESIA ZACYNTHI.

Moreæ à Venetis recens ereptam Turcis. A Tandem exacto vigeſimo vigilantiſſimi regiminis anno, dignitate dimiſſâ, ad ſuos fratres in conventu ſancti Dominici Venetiis ſe recepit menſe Maio anno 1695. ubi reliquum vitæ ſanctè peregit. Superſtes adhuc erat anno 1696. quo Michaël Cavalieri de eo hæc ſcribebat. Legendus *tom. 1. Galler. Domin. pag. 676. num 196.* & *tom. 2. ſ. 6. pag. 21. num. 6.* præfato anno editis.

XI. JUNELLI.

B

Hyacintho Mariæ Conigli ſucceſſit *P. Junelli* Ordinis S. Benedicti, de quo nuntii publici Gallicè conſcripti die 17. Septemb. 1695 ex litteris Roma miſſis die 23. Aug. eodem anno hæc tradunt, *p. 436. Die 18. SS.* (Innoc. XII.) *interfuit congregationi ſancti Officii, die vero ſequenti, examini epiſcoporum, in quo P. Junelli Benedictinus interrogatus fuit.*

XII. JOHANNES VI.

Johannes Chriſoſtomus Calvi, Ord. Præd. creatus eſt à Clemente XI. epiſcopus Cephaloniæ & Zacynthi anno 1718. Deinde tranſiit ad eccleſiam Feretranam ſeu Leopolitanam, ſub archiepiſcopo Urbinatenſi in Italia, die 7. Septembris anno 1729. Ita R. P. Antoninus Bremond, *tom. 6. Bullar. Præd. pp. 521.* & *710.*

XIII. JOSEPHUS.

Joanni Chriſoſtomo Calvi ad eccleſiam Feretranam tranſlato anno 1729. ſubſtitutus eſt eodem an. *Fr. Joſephus Caccia,* Venetus, Ordin. Minor. qui Romam veniens menſe Novembri, de theologia & jure canonico examen conſuetum ſubiit coram SS. Papa Benedicto XIII. Ex nuntiis publicis per eum annum Gallicè ſcriptis, *pp. 597. 598.* & *622.* & per annum 1731. *p. 65.*

XIV. CÆSAR.

Ex iiſdem nuntiis anno 1730. *pag. 464.* anno 1731. *pp. 65.* & *150.* & anno 1736. *pag. 101.* diſcimus Caſciam ſive Cacciam ad ſedem Tragurienſem (Traw) ſub Spalatro metropoli in Dalmatia migraſſe anno 1730. eique in eccleſia Zacynthi ſuffectum eodem anno *D. Cæſarem Bonajutti,* qui fiſci eccleſiæ Patriarchalis Venetiarum tunc C curam gerebat; anno autem 1731. Cæſarem Bonajutti Romæ conſecratum à Cardinali Otthoboni die 24. Martii, & poſtea ad eccleſiam Lieſenenſem ſub dominio Venetorum tranſlatum anno 1736. menſe Febr.

XV. PIETRUCINI.

Cæſari Bonajutti ſuffectus eſt in ſede Zacynthi, eodem anno 1736. menſe Febr. *D. Pietrucini Romondivi.* Ex iiſdem nuntiis per hunc annum, *pp. 125.* & *140.*

IV. ECCLESIA MALVASIÆ.

MALVASIA olim appellabatur *Epidaurus Limera.* Tres autem *Epidauri* nomine inſignitas civitates reperimus: unam in Dalmatia, quæ nunc *Raguſium* dicitur: alteram in Peloponneſi Argia regione ad Saronicum ſinum: tertiam ad Argolicum ſinum in Laconica ditione. De tribus illis urbibus agit Mich. Anton. Baudrand, *to. 1. pag. 364. col. 2.* & de tertia quidem hæc habet: « *Epidaurus Limera,* id eſt Pratenſis (ſive Portuenſis) urbs » Peloponneſi in Laconia regione Thucydidi, Ptolemæo & aliis, poſtea *Monembaſia* dicta, » & archiepiſcopalis facta, vulgo *Malvaſia* (nuncupatur) Gallis *Malvoiſie,* ubi nobile vinum: » nunc in Traconia regione ſita eſt in ora littorali ad initium ſinus Argolici in rupe in » modum inſulæ undique mari cincta, & ponte tantum ligneo oblongo jungitur linguæ » terræ in mare excurrenti: portum habet capacem, & arcem munitam in colle vicino à » Turcis conſtructam, ubi antea ſita erat urbs antiqua Epidaurus, teſte Sagredo. Aliàs ſub» erat dominio Reipub. Venetæ, ſed pace cum Turcis ſancita, eis conceſſa fuit anno 1537... » Vix 50. milliar. diſtat à Sparta in ortum, & 65. à Scyllæo promontorio in meridiem, (&) Maleam promontorium verſus 30. circiter. »

EPISCOPI MALVASIÆ.

I. SYBERTUS.

ANno Domini *1359. XI. kalend. Octobris,* (id eſt die 21. Septemb.) obiit *Sybertus de Boſpardia* de Troiſtorp, Carmelit. epiſcopus Malvaſienſis, ut epitaphii ejus inſcriptione ferri in Boſpardiæ ejuſdem Ord. conventu dicit Daniel à Virg. Maria Carmel. *tom. 2.* D *Specul. Carmelit. pag. 953. num. 3353.*

II. ANDREAS.

Concilio Lateranenſi, anno 1514. ſub Leone X. Papa, interfuit reverendus pater *Andreas Monembaſienſis epiſcopus, tom. XIV. conc. Labb. col. 204.* E.

ECCLESIÆ

Digitized by Google

ECCLESIÆ DAMELANTENSIS, GILAS & GIMENES.

V. ECCLESIÆ DAMELANTENSIS, GILAS ET GIMENES.

TRES illas eccleſias ſimul jungimus, quod, licet eas cum aliis quibuſdam, Corinthi metropoli ut ſuffraganeas, Innocentius III. aſſignaverit in ſua epiſtola ad Gualterum ſuprà memorata, nullus tamen ex præſulibus Latini ritus, qui illarum eccleſiarum ſuſceperint curam, nobis notus ſit: imo quæ fuerint loca illa, corruptis vel mutatis nominibus, vix ariolando conjicere poſſimus.

VI. ECCLESIA ARGOLICA.

ARGOS celeberrima urbs eſt Peloponneſi, de qua hæc habet Strabo, *l. 8. geogr. p. 376. D. edit. Caſaub. Omnium quæ in Peloponneſo ſunt urbium, illuſtriſſimæ fuerunt, ſuntque etiamnum Argos ac Sparta.... Antiquitus quidem fama Argos ſuperabat; ſed inferioribus temporibus Spartani omnibus modis ſuperiores fuerunt, libertatem ſuam perpetuo ſervantes: niſi quod exiguis quibuſdam in rebus deliquerunt.* Supra dixerat idem auctor, *pag. 368.* B. *Poſt Maleas Argolicus ſequitur ſinus & Hermionicus, quorum ille uſque ad Scyllæum verſus ortum & Cycladas porrigitur; hic magis adhuc in Orientem vergit uſque ad Æginam & Epidauriam. Primas Argolici ſinus partes Lacones, reliqua Argivi, tenent, &c. Argivorum ſunt Praſiæ & Temenium, ubi ſepultus eſt Temenus: & prior eo locus per quem fluit Lerna fluvius paludi cognominis Hydræ fabula celebri. A Temenio Argos uſque ſupra mare ſunt ſtadia 26. ab Argis Heræum ſtadia 40. atque hinc Micenas 10. &c.* & pag. 370. C. *Urbs Argos majore ſui parte ſita eſt locis planis, arcem habet Lariſſam collem mediocriter munitum.... Prope urbem fluit Inachus amnis, &c.*

Urbs Argos ſimul cum Neapoli in Morea anno 1388. à Maria illius principatus hærede, Venetis vendita eſt, ut refert Raynald. ad hunc annum *n. 5.* ex auctore append. mſ. ad hiſtoriam Andreæ Danduli, quum grave periculum immineret ne eæ urbes in Turcarum poteſtatem laberentur. Olim epiſcopalis ſedes erat ſub archiepiſcopo Corinthio, ſed Iſaac Angelus Imperator Græcus, qui Conſtantinopoli regnare cœpit ab anno 1185. & mortuus eſt anno 1204. eam ad dignitatem eccleſiæ metropolis evexit: hanc tamen poſtea Innocentius III. in epiſt. ad Gualterum Corinthienſem archiepiſcopum, de qua ſuperius, *col. 885.* B. fecimus mentionem, inter Corinthi ſuffraganeas recenſet. Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 92. col. 1.* aſſerit eam hodie eſſe metropolim, quanquam in vicum redacta ſit, pauciſque conſtet incolis: venditam autem fuiſſe Venetis à Theodoro Spartæ Duce, iis vero ereptam deinde à Turcis, & rurſus à Mahomete II. Turcarum Imperat. ſed fuiſſe recuperatam à Venetis anno 1686. iiſque remanſiſſe, pace inita inter ipſos & Turcas anno 1699. Plures epiſcopos Latini ritus in eam ſedem promotos invenimus, qui non *archiepiſcopi*, ſed *epiſcopi* dicuntur.

EPISCOPI ARGOLICENSES.

I. * * *

ANno 1255. Alexander IV. litteris ad *epiſcopum Argolicenſem* alioſque præſules, datis *Neapoli IV. Nonas* (id eſt die 2.) *Januar. anno 1.* iis mandavit ut, quum Achaiæ & Moreæ regiones Latinis ſubditæ, Græcorum armis oppetitæ, in grave periculum adducerentur, univerſos archiepiſcopos, epiſcopos, alioſque eccleſiarum prælatos, procuratores cathedralium eccleſiarum vacantium, necnon cæteros clericos beneficiatos, omnes quoque religioſos tam exemptos quam non exemptos monerent, & efficaciter inducerent ut ad dictarum regionum conſervationem adverſus hoſtiles inſultus congrua ſubſidia largirentur. Excerptum hujus epiſt. refert Raynald. ad annum 1255. *num. 74.*

II. * * *

Anno 1264. Urbanus IV. Coronenſi atque *Argolicenſi* epiſcopis, provinciam contrahendi Cruce ſignatorum exercitus, pro recuperando imperio Conſtantinopolitano, quod Francis Græci abſtulerant, demandavit; ex Raynald. ad hunc annum, *num. 57.*

III. * * *

Inter archiepiſcopos & epiſcopos quos Clemens V. litteris ſuis encyclicis, datis

ECCLESIA ARGOLICA.

pridie idus (ſive die 12.) Auguſti anno 3. A Chriſti 1307. invitavit ad concilium Vienneſe, *epiſcopus* fuit *Argolicenſis:* legitur enim, *tom. XI. conc. Labb. part.* 2. *col.* 1547. D. *In eodem modo archiepiſcopo Corinthienſi & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos, fratres archiepiſcope & Argonenſis epiſcope, &c.*

IV. Venturinus.
V. Nicolaus.

Venturinus præſul erat *Argolicenſis* anno 1356. quo IV. idus (id eſt die 10.) Decemb. tranſlatus eſt ad eccleſiam Bellicaſtrenſem in B Italia ab Innocentio VI. *ex ejus epiſtol.* 65. *fol.* 10. *in Regeſt. Vatic.*

Iiſdem vero anno & die, ex ſede Bellicaſtrenſi ad Argolicenſem promotus eſt *Nicolaus,* qui priori eccleſiæ, ex epiſcopo Bituntino, præerat ab anno 1349. kal. (id eſt die 1.) Januar. Ita Ughellus, *tom.* 9. *Ital. ſac. vet. edit. col.* 695. *nn.* 4. & 5. B.

VI. Jacobus.

Jacobus Petrus de Pigalordis, Gallus, Ord. Præd. doctor Pariſ. Argolicenſis epiſcopus C renuntiatus eſt ab Urbano V. VI. idus (id eſt die 8.) Novemb. anno 1368. *ex lib.* 3. *Proviſion.* hujus Pontificis, & Ughello *in mſſ.* Ita Fontana *in Theat. Domin. pag.* 130. *tit.* 50. *num.* 1.

VII. Joannes.
VIII. Conradus I.

Johanne, epiſcopo Argionenſi (ſive Argolicenſi) ſub archiepiſcopo Corinthio in Romania Moreæ, ſive Saconia, anno 1395. mortuo, ei ſuffectus eſt eodem anno die 29. D Novembris à Bonifacio IX. Papa, *F. Conradus Fader,* (non vero *Flander,* ut nonnulli ſcripſere.) Hunc fuiſſe Ordinis Præd. patet ex diplomate ejuſdem Pontificis legendo apud R. P. Antonin. Bremond, *to.* 2. *Bullar. Ord. Præd. pag.* 354.

IX. Siguntonanes.

In chronico brevi, quod poſt Michaëlis Ducæ hiſtoriam Græcè Latinèque editum eſt, *pag.* 199. *edit. Pariſ.* 1651. ad annum mundi 6929. Chriſti 1421. hæc habentur: E Indict. XIV. Januar. 21. fer. 3. *Siguntonanes* Σιγουντονάνης *epiſcopus Latinorum, ſanctiſſimi Petri Nauplii & Argorum epiſcopi pretioſas reliquias ab urbe Argis Nauplium, quæ epiſcopalis ſedes eſt, tranſtulit. Qui tunc illic præſentes adfuerunt, aſſeruere terram, quum ſanctum monumentum illud apertum fuit, motu concuſſam fuiſſe: odor etiam ſuavis admodum dimanavit* (qui) *locum illum, & totum aërem complevit; & monumentum luminibus ſplendere viſum eſt. Pretioſæ reliquiæ in honeſto & venerabili loco depoſitæ ſunt, quarum particulas quum fideles aliquot accepiſſent, plurimi illis ſanati ſunt.* Hinc diſcimus Argolicenſem Latinam eccleſiam in epiſcopatum unum cum Nauplienſi ſive Napoli de Romania aliquando fuiſſe conjunctam. At *Siguntanenſis* nomen ibi à ſcriptore Græco mendoſe exaratum eſt, ut obſervat Bullialdus, *pag.* 280. *in Annotat.* ad annum 1421. & forte legendum ait *Secundus Nanus:* gens quippe *Nannorum* apud Venetos celebris eſt.

X. Conrdus II.

Fontana *in Monumentis Domin. pag.* 316. *col.* 2. ad annum 1424. refert ex Ughello *F. Conradum Feden. Ord. Præd.* Argionenſi eccleſiæ fuiſſe præfectum à Martino V. Papa anno Pontif. VII. qui cadit in eum annum.

XI. Franciscus.
XII. Bartholomæus I.

Conradum probabiliter excepit *Franciſcus* in ſede Argolicenſi, cui, poſt ejus obitum, ſuffecit Eugenius IV. anno 1434. die 16. April. *F. Bartholomæum de Rimbertinis* Ord. Præd. de quo legendus doctiſſ. P. Antonin. Bremond, *tom.* 3. *Bullar. ſui, pag.* 216. ubi hunc obſervat in duos treſve homines perperam multiplicari à multis ſcriptoribus Dominicanis, certoque fuiſſe renuntiatum epiſcopum Argolicenſem anno 1434. ex diplomate quod ipſe *ibid.* profert, nec aſſumptum à *magiſterio ſacri palatii,* cujus munere nunquam potitus fuerat, ſed à *magiſterio ſcholarum ſacri palatii apoſtolici,* à Prædicatoribus, Minoribus, aliiſque adminiſtrato, qui ſcholas illas habebant in ſacro Palatio, priuſquam in gymnaſio illo, cui à *Sapientia* nomen eſt, reponerentur. *Ad te Ordin. F. Prædic.... ad magiſtrum ſcholarum palatii apoſtolici, &c.* inquit Eugenius Papa in diplomate promotionis ejus ad eccleſiam Argolicenſem. Interim autem magiſter ſacri palatii erat Joannes de Turrecremata, eo munere potitus uſque ad annum 1439. quo creatus eſt Cardinalis.

Bartholomæus ex Argolicenſi eccleſia tranſlatus eſt ad Cortonenſem in Italia an. 1440. die 14. Jan. ex Ughello, *tom.* 1. *Ital. ſac. col.* 669. *num.* 12. *veteris edit.* & rurſus ad Coronenſem, non tamen anno 1449. ut aſſerit Ughellus *ibid.* ſed longe citius; nam S. Antonin. archiepiſcopus Florentinus, Bartholomæo coævus, eum appellat epiſcopum Coronenſem ſub anno 1445. *hiſt. part.* 3. *tit.* 22. *cap.* XI. ubi ait: *Ille tamen* (Marcus) *Epheſinus, acerrimus diſputator, permanens in perfidia ſua, cum aliis ad veritatem fidei reverti*

Digitized by Google

ECCLESIA ARGOLICA.

noluit. Verum ad patriam rediens, quum Cardinalis Venetus deſtinatus legatus in regionem illam Conſtantinopoli moram traheret, & in ejus ſocietate eſſet venerabilis epiſcopus Coronenſis D. Bartholomæus de Florentia ſacræ theologiæ profeſſor egregius & Græci idiomatis non ignarus, placuit eidem Imperat. Græcorum (Joanni Palæologo) *& proceribus ejus ut fieret publica concertatio inter epiſcopum Epheſinum præfatum, & Coronenſem epiſcopum jam fama ibi celebrem. Quo facto, Epheſinus præfatus iterum ab eo ſuperatus & confuſus eſt, & tanta ab eo abſorptus eſt triſtitia, ut intra paucos dies expiraverit cum ſua perfidia.* Quæ verba etiam recitat ad annum 1445. *num. 17.* Raynaldus. Marcus autem Epheſinus poſt hunc annum & ante 1448. obiit.

Coronenſem eccleſiam dimiſit Bartholomæus anno 1457. ut colligitur ex diplomate Calliſti III. dato die 8. Jun. hujus anni, quo ſtatuit annuam penſionem ipſi ſolvendam ex redditibus Coronenſis eccleſiæ. In eo enim ait Pontifex: *Quum itaque tu nuper regimini & adminiſtrationi eccleſiæ Coronenſis, cui tunc præeras.... ſponte & libere conceſſeris, &c.* Diploma illud totum refert R. P. Antonin. Bremond, *tom. 3. Bullar. Præd. pag. 364.*

Obiit Bartholomæus in conventu S. Mariæ Novellæ ſui Ord. Florentiæ anno 1466. die 21. Jun.

XIII. Bartholomæus II.

XIV. Paulus I.

XV. Jacobus.

Ughellus, *to. 9. Ital. ſac. col. 705. n. 14.* B. *vet. edit.* ſcribit *Bartholomæum epiſcopum Argolicenſem* tranſlatum eſſe ad eccleſias Geruntinenſem & Cariatenſem unitas an. 1440. die 27. Januar. ex quo intelligendum datur Bartholomæum de Rimbertinis ex ſede Argolicenſi ad Cortonenſem migraſſe ante diem 14. Januar. anni 1440. quicquid ſecus aſſerat idem Ughellus ſupra laudatus. Aliàs duo Bartholomæi, ineunte eo anno, ſimul fuiſſent epiſcopi Argolicenſes, ex qua eccleſia unus quidem ad Cortonenſem die 14. Januar. alter vero ad Geruntinenſem die 27. ejuſdem menſis tranſiiſſet.

Bartholomæo hujus nominis II. in ſede Argolicenſi probabiliter ſucceſſit *Paulus* quidam, poſt cujus obitum, epiſcopus renuntiatus eſt anno 1458. die 5. Maii *Fr. Jacobus Richei* Ord. Præd. ut conſtat ex diplomate Calliſti III. quod profert R. P. Bremond, *tom. 3. Bullar. pag. 374.*

XVI. Augustinus.

Thomas de Herrera, *Alphab. Auguſtin. tom. 1. pag. 41. col. 2.* teſtatur in Regiſtris ſui Ordinis mentionem fieri de *Auguſtino à Magdalena epiſcopo Argolicenſi,* annis 1479. 1496. & 1501.

XVII. Tripho.

XVIII. Paulus II.

Idem Thomas de Herrera, *to. 2. p. 268. col. 1.* refert *ex Actis Conſiſtorial.* abſoluto *D. Triphone* à vinculo eccleſiæ Argolicenſis anno 1504. die 20. Mart. *Fr. Paulum Zabarellam* Eremitam Auguſtinianum in ea ſede fuiſſe ſuffectum, qui obiit Patavii anno 1525. die 25. Jul. Ita quoque Ughellus, *tom. 5. col. 441. num. 100.* D.

VII. ECCLESIA LACEDÆMONIS.

Quamvis eccleſia Lacedæmonis non recenſeatur in epiſt. Innoc. III. ad Gualterum Corinthien. ſupra memorata *col. 885.* A. B. inter eccleſias huic ſedi metropolitanæ ſubditas, imo in notit. Græc. *metropolis Laconiæ* dicatur ad calcem *geogr. ſac.* Caroli à S. Paulo *p. 23.* Λακεδαίμων μητρόπολις τῆς Λακονικῆς ἡ πρὶν Σπάρτη, *quæ prius Sparta,* Italorum tamen principum qui Peloponneſo potiti ſunt ætate, ſedes duntaxat *epiſcopalis* fuit, &, ut obſervat Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 547. col. 1. archiepiſcopo Corinthio* obtemperabat, qui hanc etiam ait nunc *Miſitram* nuncupari, teſtibus Sophiano & Nigro, ſed parvam eſſe admodum cum caſtro in colle adjacenti: hanc autem 30. milliaribus diſtare à Megalopoli in ortum hybernum, & 120. ab Athenis in meridiem, uti 90. à Corintho, verſus ſinum Laconicum 20. circiter. Giraldus Gallus, qui illas oras pluries luſtravit, exiſtimat Lacedæmonem omnino deſtructam eſſe, (& extitiſſe) eo in loco qui nunc *Palæochori* dicitur, id eſt, vetus vicus in planitie, 4. aut 5. milliaribus à Miſitra, quæ crevit ex ejus ruinis: id vero ſatis probabile videri ex utriuſque ſitu. Theodorus I. Deſpota Achaïæ eam Theodoro II. fratris vel ſororis ſuæ filio, morte reliquit ſæculo XV. Hic conjugem ex familia Malateſtæ in Italia accepit; unde & principes hujus domus *Lacedæmonis domini* etiamnum dicuntur. At Mahometus II. anno 1460. eam urbem ſibi ſubjecit, quam tertio exinde anno Sigiſmondus Malateſta captam, quum arcem ſubigere nequiret, incendit anno 1463. Hanc Veneti poſtea, anno ſcilicet 1687. Turcis eripuere, ſimulque magnam Moreæ regionis partem. Vide quæ de ea urbe ſcripta ſunt ſupra, *tom. 2. coll. 189. 190.*

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DERECHO
Digitized by Google

EPISCOPI LACEDÆMONII.

A

I. *** *fortaſſis* Haymo.

URBANUS IV. teſte Raynaldo, ad annum 1263. *num. 21. col. 2.* eo anno, ad plures archiepiſcopos & epiſcopos in Græcia morantes, inter quos *epiſcopus Lacedæmonius* recenſetur, litteras ſcripſit ſuppreſſo eorum omnium nomine, quibus eos monebat ut ad commune arcendum periculum ex Græcorum armis imminens, ſubſidium Willelmo Villarduino Achaïæ principi præberi satagerent.

B

Is fortaſſis vel ejus ſucceſſor fuit *Haymo* ille de quo Wadding. *tom. 2. annalium* ad annum 1278. *num. 33.* refert Nicolaum III. epiſt. *Tranſmiſſa nobis,* data eo anno xv. kal. Septemb. (id eſt die 18. Auguſti) mandaſſe epiſcopo Olonenſi, priori Prædic. & guardiano Min. de Clarentia ejuſdem diœceſis Olonenſis, ut *Haymonem* epiſcopum Lacedæmoniæ in Peloponneſo à Græcis occupatæ, ad eccleſiam Coronenſem etiam in Peloponneſo & Meſſaniæ tractu ſitam, à Capitularibus poſtulatum, in eadem auctoritate apoſtolica admitti, & à prioris eccleſiæ vinculo abſolvi curarent.

C

II. Jacobus.

Fontana ſcribit, *Theat. Domin. pag. 209. tit. 310. col. 1.* ex Bzovio de rebus geſtis in provincia Poloniæ Ord. Præd. *c. 6. Jacobum* Polonum hujus Ordinis, & ſacræ theologiæ laureatum, Lacedæmonium epiſcopum renuntiatum eſſe ab Innocentio VIII. Papa anno 1491. ſuffraganeumque eccleſiæ Plocenſis in Polonia datum. Idem teſtatur Dominicus Frydrychowicz in S. Hyacintho Poloniæ patrono *pag. 221.* apud R. P. Bremond, *tom. 4. Bullar. pag. 84.* ubi etiam obſervat legendum 1491. non 1401. & ſedem hanc nunc metropolitanam eſſe.

III. Joannes.

Fontana modo laudatus addit *ibid.* ex eodem Bzovio, *Johannem* Cracovienſem Ord. Prædic. magiſtrum in theologia, catholicæ fidei propugnatorem acerrimum, egregiumque concionatorem, ob vitæ probitatem ac morum, ad Lacedæmonienſem eccleſiam poſt præfatum Jacobum promotum fuiſſe, & ſuffraganeum quoque aſſignatum eccleſiæ Plocenſi in Polonia. Florebat itaque circa annum 1500.

VIII. ECCLESIA MAYNÆ *ſive* MAINÆ.

MICHAEL Antonius Baudrand *geogr. tom. 1. pag. 571. col. 2.* de *Maina* hæc habet ad vocem *Leuctrum:* « *Leuctrum* ſeu *Leuctra* oppidum Peloponneſi maritimum in Laconia provincia Pauſaniæ & Ptolemæo; nunc *Maina,* teſte Nigro cum aliis, extat in ora ſinus Meſſeniaci, inter Abæam oppidum Meſſeniæ ad boream 15. milliar. & Tænarium promontorium ad auſtrum 35. eſtque in tractu aſpero & montuoſo admodum, ad radices Taygeti montis ſub dominio Turcarum: ſed tamen aliqua fruitur libertate propter aſperitatem regionis. Hinc tractus adjacens *il braccio di Marina* dicitur; incolæ autem *Mainotæ, les Mainottes* ſeu *Magnottes* appellantur in Tzaconia tractu. » Et *p. 609. col. 1.* ad vocem *Maines:* « *Maines,* inquit, urbs Peloponneſi in Laconia tractu & in ora Laconiæ ad *Maleam* promontorium, teſte Porphyrogennetâ, ubi nunc etiam caſtrum *Maina* dictum. » In notitia Græco-Lat. epiſcopatuum Græcorum, ad calcem Georgii Codini Curopalatæ *de Officiis magnæ eccleſiæ & aulæ CP.* ſub throno 27. Corinthi Peloponneſi, ſeptimo loco recenſetur ὁ Μαΐνης, *Mainæ* p. 391. Huic oppido epiſcopos Lat. rit. præfectos duos reperimus.

EPISCOPI MAYNÆ.

D

I. Raynerius.

WADDINGUS, *tom. 2. annal. Minor.* ad annum 1255. *num. 17. p. 114.* ſcribit *Raynerium* virum ſui Ord. eo anno renuntiatum fuiſſe ab Alexandro IV. epiſcopum Maynæ, quæ Pauſaniæ & Ptolemæo *Leuctrum* eſt Laconicæ regionis urbs in Peloponneſo ad ſinum Meſſeniacum, conceſſumque ipſi ab eodem Pontif. ut, quandiu proventus hujus eccleſiæ ab infidelibus detinerentur, poſſet in Italia vel alibi degere.

II. Jacobus.

Thomas de Herrera *in Alphab. Auguſtin. tom. 1. pag. 424. col. 1.* hæc de quodam *Jacobo* hujus Ordin. habet: « *Jacobus* epiſcopus Mainenſis, ut Milenſius *in Alphabeto* tradit, interfuit Lugduni generali concilio anno 1274. indulgentiaſque Ratiſponenſi monaſterio noſtro, capellæ Domini, feſtis quibuſdam diebus adjecit IV. kalend. Jun. » (id eſt die 29. Maii.)

Digitized by Google

ECCLESIA CHRISTIANOPOLIS.

CHRISTIANOPOLIS, olim *Megalopolis* dicta, teſte Curopalate, & Arcadiæ præcipua, in Meditullio Peloponneſi juxta Strabonem & Polybium ex ea oriundum, nunc *Leondari* appellatur ex Sophiano & aliis, eſtque vicus tantummodo nullius fere nominis in Tzaconia provincia prope Alpheum fluvium, ſub Turcarum poteſtate; diſtat autem 40. milliar. circiter à Lacedæmone in occaſum æſtivum, & 25. à ſinu Meſſeniaco in ſeptentrionem, Corinthum verſus 75. ad montium radices. Sedes epiſcopalis fuit ſub archiepiſcopo Corinthio, deinde metropolis effecta eſt. Hæc Mich. Anton. Baudrand *tom. 1. geogr. p. 267. col. 2. & pag. 640. col. 2.* In notit. Græcor. epiſcopat. Leonis ſapientis, quæ extat ad calcem *lib. de Officiis Georgii Codini edit. Pariſ. 1648.* inter metropoles loco 76. recenſetur *p. 380.* οϛ΄. Η Χριστιανούπολις. *76. Chriſtianopolis*, & *pag. 402. num. 48.* legitur: μή. Ο Χριστουπόλεως· καὶ αὐτὴ θρόνος οϛ΄. ἤτοι, εἰς μή. προεβιβάσθη. *48. Chriſtianopoleos metropolis ex loco 76. ad 48. pervenit.* Vide quæ de illa urbe & eccleſia ſcripta ſunt *tom. 2.* hujus operis, *coll. 187. 188.* Ea porro civitas à Græcis auctoribus interdum Μεγάλη πόλις duplici vocabulo, quaſi *magna urbs* ſcribitur, interdum vero unâ voce Μεγαλόπολις: *Megalopolis.* Hæc paucis menſibus poſt prælium Leuctricum condita perhibetur, & ex multis parvis oppidis coaluiſſe, ut ſic magna civitas effecta, hoſtiles impetus validius contunderet. Ita Cellar. *t. 1. geogr. ant. l. 2. cap. 13. p. 1225.* Urbs autem *Chriſtianopolis* neque cum *Chriſopoli* ſive *Chriſtopoli* metropoli Philipporum ſubdita confundenda eſt, neque cum altera *Chryſopoli* provinciæ Boſtrorum in Arabia, de quibus infra ſuis locis agemus.

EPISCOPI CHRISTIANOPOLIS.

I. GERARDUS.

II. JOANNES I. *electus.*

III. CONRADUS.

GERARDO epiſcopo Chriſtinopolitano ſive Chriſtianopolitano mortuo anno 1392. Bonifacius IX. huic eccleſiæ ſuffecerat die 8. Januar. anni ſequentis *Fr. Joannem Coctorem* Ordin. Minor. Verum quum Joannes ille litteras apoſtolicas intra terminum requiſitum ſuper hujuſmodi proviſione & præfectura obtinere, vel ſaltem in cancellaria apoſtolica reponere neglexiſſet, ne diuturnior fieret præfatæ eccleſiæ vacatio, ei ſubſtituit idem Papa anno 1396. die 29. Novembris *F. Conradum Lindin de Wecflaria* Ord. Præd. Id conſtat ex diplomate hujus Pontif. apud doctiſſ. P. Antonin. Bremond, *t. 2. Bullar. p. 360.* qui ejuſdem Conradi meminit etiam *pag. 466.* ubi ait civitatem *Chriſtinopolitanam* ſive *Chriſtianopolitanam*, eam eſſe quæ nunc *Leondari* & *Leontari* dicitur, olimque *Megalopolis* ſub archiepiſcopo Corinthio.

IV. HENRICUS.

Wadding. *tom. 5. annal.* ad annum 1422. *num. 17. pag. 151.* ſcribit creatum eſſe à Martino V. *Metropolitam Chriſtinopolitanum Fr. Henricum de Villa Color. XIII. kal. Junii* (id eſt die 20. Maii.)

PROVINCIA CRETENSIS.

I. ECCLESIA CANDIÆ METROPOLIS.

CRETA inſula eſt Græciæ inter mare Ægæum & Cyrenaicum, à Peloponneſo pene uſque ad Aſiæ fines protenſa. Hæc initio ſæculi XIII. in Montisferrati Comitis ditionem ceſſit, qui eam vendidit Venetis, teſte Spondano *t. 1. annal.* ad annum 1204. *n. 8.*

Exinde autem præſules Latini ritus in hac inſula creati ſunt, ſed pro *Gortina* veteri metropoli, cujus vix rudera quædam ſuperſunt, *Candacum* ſive *Candia* in ejus agro conſtructa ſedes archiepiſcopalis evaſit. Urbs illa ea ipſa eſt quæ *Matium* à Plinio appellatur *lib. 4. c. 12. Candia* ab Italis & *Candax* à Græcis, nunc primaria hujus inſulæ, portu, arce & armamentario celebris, ſub dominio Turcarum qui hanc Venetis eripuere anno 1669. ex quo tempore paucos habet incolas. Duplex eſt: *Vetus* quæ reſtrictior, & *Nova* quæ major & elegantior, veterem etiam complectens. Diſtat à Rhitymna 35. milliar. in ortum, & à Spinalonga 40. circiter in occaſum. Hæc Baudrand *tom. 1. geogr. pag. 219. col. 2.* & *pag. 633. col. 2.*

ARCHIEPISCOPI CANDIÆ.

I. ***

INter præſules quos Innocentius III. litteris encyclicis datis anno 1213. die 19. April. ad concilium Lateranenſe vocabat anno 1215. celebrandum, legitur *archiepiſcopus Cretenſis tom. XI. conc. Labb. part. 1. col. 125.* D. *In eodem modo* (archiepiſcopo & epiſcopis) *per Cretenſem* (provinciam) *conſtitutis.*

II. JOANNES I.

Ughellus, *to. 2. Ital. ſac. col. 581. n. 38.* C. *vet. edit.* ſcribit *Joannem Quirinum*, nobilem Venetum, *olim archiepiſcopum Cretenſem,* Philippo Fontanæ epiſcopo Ferrarienſi ſucceſſiſſe anno 1252. die 17. Jul. *ex Reg. Vatic.*

III. ANGELUS.

Idem Ughellus, *tom. 5. col. 1212. n. 44.* C. refert *Angelum Maltraverſum,* Venetum, Ordinis Prædicat. *archiepiſcopum Cretenſem,* ab Alexandro IV. ad ſedem Gradenſem tranſlatum anno 1255. die 28. Maii. Obiit anno 1271.

IV. LEONARDUS I.

Jam diximus ſupra *col. 811.* D. quum Leonardus Patriarcha Conſtantinopolitanus ritus Latini, in hac urbe à Græcis recuperata ann. 1261. amplius reſidere non poſſet, ei à Bonifacio VIII. datam eccleſiæ metropolitanæ inſulæ Cretenſis adminiſtrationem, ut narrat Raynaldus ad annum 1302. *num. 27.* Is ſubinde, niſi jam obierit, præſul ille fuit quem Clemens V. encyclicis ſuis litteris datis anno 1307. die 12. Aug. ad concilium Viennenſe

A invitavit: «In eodem modo *Patriarchæ Conſtantinopolitano* ac dilectis filiis electis, &c. « per Conſtantinopolitanam & Cretenſem pro- « vinciam conſtitutis mandamus, quatenus vos « fratres *Patriarcha* cum duobus ſuffraganeis « patriarchatus tui Conſtantinopolitani, quos « ad hoc duxeris eligendos; & (tu) epiſcope « Arianenſis ſuffraganee eccleſiæ Cretenſis quæ « *Conſtantinopolitanæ eccleſiæ per ſedem apoſtolicam ad ipſius ſedis beneplacitum eſt unita,* « reliquis veſtrum (in provincia veſtra rema- « nentibus) &c.» *tom. XI. conc. Labb. part. 2. col. 1549.* C.

V. ALEXANDER I.

B Thomas de Herrera *in Alphab. Auguſtin. tom. 1. pag. 37. col. 2.* de illo *Alexandro* hæc tradit: «*Alexander de S. Elpidio*, ſcriptis celebris, quem Coriolanus in chronica, *ma-* « *giſtrum luculentiſſimum, & eccleſiaſticæ digni-* « *tatis defenſorem acerrimum* vocat, anno 1312. « Auguſtinianæ religionis Generalis eligitur. « Eo munere dum ſpatio 13. annorum fun- « gitur, varias ſummi Pontificis Joannis XXII. « ad varios principes fertur obiiſſe legationes. « Anno 1325. ſi nonnullis auctoribus aſſen- « C timur, archiepiſcopus Ravennas inſtituitur: « at hoc valde difficile. Verius, ut Roman *in* « *notis mſſ.* affirmat, fuiſſe electum primo *ar-* « *chiepiſcopum Cretenſem,* & deinde Amalphi- « tanum. Quanto tempore eccleſiam ſuam re- « xerit, nemo quem viderim, tradidit, præter « Hieronymum Roman, qui loco citato affir- « mavit Alexandrum, ut in Regiſtris Ordinis « habebatur, paucis menſibus ſupervixiſſe.»

Nihil quidem obſtare videtur quin hic Alexander ab anno 1325. ad annum 1327.

Digitized by Google

Cretenſ. eccleſiam adminiſtraverit. At quod ex ea ad Amalphitenſem tranſlatus fuerit, anno ſaltem 1327. nullatenus dici poteſt: nam Andreas de Alanco hujus eccleſiæ archiepiſcopus renuntiatus anno 1294. à Cæleſtino V. & confirmatus ab ejus ſucceſſore Bonifacio VIII. anno ſeq. 1295. IV. kal. April. (id eſt die 29. Mart.) annos 36. hanc ſedem occupavit, mortalitatem exutus anno 1330. ipſumque excepit an. ſequenti 1331. F. Landulphus Neapolitanus Ord. Min. qui obiit circa annum 1351. Vide Ughellum, *tom. 7. Ital. ſac. vet. edit. col. 309. & ſeqq.*

VI. Alexander II.

Hic *Alexander* Ordinis Prædic. alumnus, Ungarus gente, variæ litteraturæ vir præclariſque dotibus ornatus, Cretenſem ſedem conſcendit, Joanne XXII. promovente, anno 1327. Ita Fontana *Theat. Domin. pag. 71. tit. 35. col. 2. ex Regeſt.* Joannis XXII. Ferrario, & Olmeda.

VII. Ægidius.

Ægidius de Gallutiis Ordinis etiam Præd. Alexandro ſucceſſiſſe videtur in ſede Cretenſi. Ughellus, *tom. 5. Ital. ſac. veter. edit. col. 1443.* hæc de eo habet: « Torcellanus » fuit epiſcopus anno 1322. *ex Tabulis* ejuſ» dem eccleſiæ, narratque (iſtud) Seraphinus » Razzi, &c. Cæterum hujus nulla mentio » extat *in lib. oblig. Prælat.* Quamobrem apud » præfatos auctores de hujuſmodi re fides eſto. » Non tamen me latet hunc Ægidium *Cretæ* » fuiſſe archiepiſcopum, Bononiæque deceſſiſſe anno 1340. »

VIII. Franciscus I.

Ughellus, *tom. 2. Ital. ſac. veter. edit. col. 385.* narrat quemdam *Franciſcum Michaelium,* natione Venetum, primo renuntiatum fuiſſe à Benedicto XII. archiepiſcopum Ravennæ anno 1334. cujus miniſterium iniit anno ſequenti 1335. deinde anno 1342. tranſlatum eſſe ad archiepiſcopatum *Cretenſem.* Legimus etiam apud Raynald. ad ann. 1345. *n. 5.* eo anno floruiſſe archiepiſcopum Cretenſem, qui poſt Henrici Patriarchæ Conſtantinopolitani Latini ritus, de quo diſſeruimus *col. 816.* C. necem, initio ejuſdem anni ſic ſtrenue ſe geſſit ad confirmandos catholicos, ut ipſi eo anno Clemens VI. vices legati apoſtolici contulerit, ſcripſeritque litteras quas prodit *ibidem* Raynaldus, datas *Avenione XV. kal. Aug.* (id eſt die 18. Jul.) *an. IV.* Tranſiit ad ſedem Patracen. an. 1349.

IX. Ursus I.
X. Ursus II.

Urſus Delphinus, Venetus, ex rectore S. A Jacobi de Rivo alto creatus eſt epiſcopus Juſtinopolitanus ſub Aquileienſi Patriarcha anno 1347. deinde Cretenſi eccleſiæ per Franciſci ejus præſulis tranſlationem ad Patracenſem vacanti ſuffectus anno 1349. die 30. Mart. Ita Ughellus, *tom. 5. Ital. ſac. col. 358. vet. edit.* qui addit *col. 1218. num. 56.* hunc ex archiepiſcopo Cretenſi ad ſedem Gradenſem tranſiiſſe anno 1355.

Hinc itaque alterum ejuſdem nominis fuiſſe oportet *Urſum* illum archiepiſcopum Cretenſem, ad quem Raynaldus ſub anno B 1359. *num. 16.* Innocentii VI. de abrogato ipſi legationis apoſtolicæ officio & in Petrum Thomaſium tranſmiſſo extare diploma tradit. Obiit Urſus iſte, vel ad aliam ſedem migravit anno 1363. ut modo palam fiet.

XI. Petrus I.
XII. Franciscus II.

Teſte Philippo Mazerio vitæ B. Petri Thomaſii Ordin. Carmelit. ſcriptore, *conſiderans* (Innocentius VI.) *recte vivendi conſuetudinem & melius inſtitutum* (hujus) *Petri, ſummoſque* C *ſumptus quos in legatione feciſſet, archiepiſcopatum Cretenſem ei contulit in ſui ſtatus augmentum.* Id contigiſſe anno 1363. aſſerit Daniel à V. M. Carmelit. *tom. 2.* Speculi Carmel. *pag. 949. n. 3338. ex lib. 3. Proviſ. Prælat.* Urbani V. anno 1. ubi perhibet legi: *Cretenſis eccleſia vacat, providetur ei de perſona Petri epiſcopi Coronenſis II. Non.* (id eſt die 6.) *Mart.* (anno 1363.) Raynald. *to. 16.* ad annum 1364. *n. 4.* refert quaſdam pacis formulas, Bernabonem nobilem Mediolanenſem inter & eccleſiæ fœderatos, datas D anno 1364. die 3. Mart. ſed quæ non fuerunt obſervatæ, in quibus habetur.... *Ambaxiatoribus dicti domini* (Petri) *Regis Cypri, videlicet reverendo in Chriſto Patre domino Petro archiepiſcopo Cretenſi, &c.* Eccleſiam proinde Cretenſem adhuc adminiſtrabat Petrus anno 1364.

Scribit tamen Ughellus, *tom. 5. col. 358.* C. *veter. edit. num. 13. Franciſcum Quirinum,* Venetum, plebanum S. Mariæ de Formoſo, qui electus fuerat epiſcopus Juſtinopolitanus ſub Aquileienſi Patriarcha an. 1349. III. kal. E April. (id eſt die 30. Mart.) inde tranſlatum eſſe ad *archiepiſcopatum Cretenſem* an. 1363. III. Non. (id eſt die 5.) Jul. *ex Regeſt. Vatic.* Mendum fortaſſis ſubrepſit, & pro 1363. legendum foret 1364. quo reipſa Urbanus V. Petrum appellat non *Cretenſem archiepiſcop.* ſed *Conſtantinopolitanum Patriarcham* in epiſt. ad ipſum data die 10. Jul. apud Raynaldum. *n. 24.* Præfatum Franciſcum Ughellus *ibid.* in Patriarchis Gradenſibus *col. 1210. n. 57.* C. narrat ad hanc ſedem ex Cretenſi tranſiiſſe

ECCLESIA CANDIÆ.

Digitized by Google

ECCLESIA CANDIÆ. anno 1367. pridie kal. Jun. (id eſt die 31. Maii) *ex Reg. Vat.* & obiiſſe circa an. 1372.

XIII. URSUS III.
XIV. PETRUS II.

Eccleſiæ Cretenſis curam gerebat anno 1367. *Urſus* quidam duobus ſupra memoratis poſterior, qui Gerardum Eremitam Auguſtinian. eo anno Arienſem epiſcopum renuntiavit in illa inſula, ut poſtea dicemus inter epiſcopos Arienſes. Ad ipſum probabiliter ſcripta fuit epiſtola Urbani V. *Venerabilibus fratribus archiepiſcopo Cretenſi, ejuſque ſuffraganeis, data apud Montemfiaſconem V. kalend. Aug.* (id eſt die 28. Jul.) *anno VI.* Chriſti 1368. in qua hæc ait Pontifex: *Fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus quilibet veſtrum in ſuis civitate & diœceſi auctoritate noſtra diſtricte inhibeat, ne aliquis ſcholaris, ſeu laicus litteratus Græcus de inſula ſupradicta inſigniatur de cætero charactere clericali, vel promoveatur de cætero ad quoſcumque ordines, niſi per Latinum epiſcop. aut Græcum catholicum, per cujus litteras de ſua promotione faciat plenam fidem; & ii qui ex talibus fuerint in preſbyteros ordinati, miſſas & alia divina officia juxta ritum quem præfata Romana ſervat eccleſia, debeant celebrare: adjicientes quoque inhibitioni jam dictæ, quod nullus Calogerorum, ſeu ſacerdos Græcus, præfatum ritum non ſervans, de cætero audeat confeſſiones audire, vel populo prædicare, &c.* Raynaldus ad hunc annum *num. 20.*

Urſum iſtum vel mortuum, vel ad aliam eccleſiam tranſlatum jam exceperat *Petrus* alter anno 1375. Quum enim eo anno die 29. Martii Gregor. XI. decreto ſanxiſſet ut ſedes ſuas epiſcopi ſinguli repeterent, ſegniorem ſe præbuit Petrus archiepiſcopus Cretenſis, quem ideo Pontifex graviſſimis litteris perſtrinxit, intentatoque anathemate, ei præcepit ut gregem ſuum evolvendo ab acceptis litteris menſe præſens curaret. Hujus præſulis eo magis deſiderabatur præſentia, quod in eccleſiam Cretenſem plures irrepſiſſent abuſus, eamdemque ſchiſmatici pervertere niterentur: conferebatur enim Græcis ſchiſmaticis eccleſiarum adminiſtratio, ſacerdotiorumve vectigalia locabantur, ex quibus timenda graviora adhuc incommoda. Hinc ergo Pontifex, incuſſo anathemate, ipſos ab hujuſmodi muneribus deturbari juſſit. Eidem procul dubio ejuſque ſuffraganeis ſcripta fuit epiſt. quæ *venerabilibus fratribus archiepiſcopo Cretenſi, & Kyronenſi, Sicienſi, Aichadienſi, Calomonenſi, Agrienſi, Kiſſimenſi, Canticenſi, Arienſi & Milopotamenſi epiſcopis*, data eſt *Aven. XV. kal. Maii anno V.* (id eſt die 17. April. anno 1375.) apud præfatum Raynald. ad eum annum *num. 25.* qua iis injungebat ut à Græcis hujus inſulæ conſuetam fidei profeſſionem exigerent.

XV. LEONARDUS II.

Leonardus Delphinus, Venetus, Patricius, & archiepiſcopus Cretenſis, Thomæ Falerio epiſcopo Caſtellano ſive Venetiarum ſucceſſit in ea ſede anno 1392. die 29. Aprilis. Ita Ughellus, *tom. 5. Ital. ſac. col. 1354. num. 46.* D. *vet. edit.*

XVI. FRANCISCUS III.

Idem Ughellus *ibid. col. 908. & ſeqq.* litteras profert à Michaële Steno Venetiarum Duce ad Anton. Luſchum, nobilem Vicentinum oratorem ſuum apud Innocentium VII. ſcriptas anno 1406. die 19. Jun. in quibus mentio fit de quodam *Franciſco*, qui ex epiſcopo Chironenſi Cretenſis archiepiſcopus evaſerat.

XVII. PETRUS III.

Waddingus, *t. 5.* ad annum 1342. *n. 35. p. 493.* narrat *Petrum* archiepiſcopum Cretenſem, virtute diplomatis Martini V. dat. anno 1421. die 14. Febr. duobus fratribus Minoritis, Romæ adjudicaſſe legitimam poſſeſſionem ipſorum cœnobii Baruthani in Syria Damaſci & urbe Barutho. Vide eumdem Wadd. *ibid. num. 32. pag. 491.* & *to. 5. in Reg. Pontif. pag. 85.*

Hic Petrus probabiliter eſt ille *Petrus Marcellus*, nobilis Venetus, quem Ughellus *t. 5. col. 435. n. 90.* C. refert ex Cenetenſi epiſcopo ſub patriarchatu Aquileienſi ad Patavinam eccleſiam tranſlatum an. 1409. die 6. Nov. & poſtea ad Cretenſem à Martino V. promotum, ac demum obiiſſe anno 1428. Quia tamen addit *col. ſeq. 436. num. 91.* A. B. Petrum Donatum Venetiarum præſulem Petro Marcello in ſede Patavina fuiſſe ſubrogatum anno eodem 1428. die 17. Maii, intelligendum datur Petrum Marcellum ex Cretenſi eccleſia ad Patavinam ante obitum rediiſſe.

XVIII. PETRUS IV.

Petrus Donatus modo memoratus, Petro Marcello ſucceſſit in ſede Cretenſi ante an. 1323. vel ſaltem eo anno ineunte. Donatum enim archiepiſcopum Cretenſem hoc anno die 22. Februar. deſignatum à Martino V. unum ex præſidibus concilii generalis Papiæ eodem anno celebrandi ſcribit Raynaldus ad illum annum *num. 3.* ubi partem exhibet diplomatis pontificii dati VIII. kalend. Mart. anno VI. De eo quoque mentio fit *ibid.* ad annum 1424. *n. 4.* in alio diplomate hujus Pontificis

Digitized by Google

ECCLESIA CANDIÆ.

Pontificis dato hoc anno die 12. Mart. ſed ad ſedem Caſtellanam Venetiarum tranſlatus eſt anno 1426. die 12. Februar. & poſt duos annos ad Patavinam, ut jam ſupra obſervatum eſt. Vide Ughell. *tom. 5. col. 1357. num. 49.* B. Obiit anno 1447. ex eodem Ughello *ibid. col. 436. num. 91.* C.

XIX. Fantinus.

XX. Philippus.

Ughellus nunc laudatus ſcribit *col. 375. num. 43.* C. *Fantinum Vallareſſum,* nobilem Venetum, Latinæ & Græcæ linguæ eruditiſſimum, ac multiplici doctrina virum clariſſimum, à Joan. XXIII. Parentino præſuli mortuo ſuffectum fuiſſe anno 1412. eumdemque, quum Joannes pontificatu ſe abdicaſſet in ſynodo Conſtantienſi, adlectum iterum ad illam eccleſiam anno 1418. die 1. Februar. à Martino V. qui etiam apoſtolica auctoritate ſupplevit ætatis defectum, ipſo tunc vix excedente 25. annos, cui poſtquam præfuit multa cum laude uſque ad annum 1426. Petro Donato ſucceſſit in ſede Cretenſi. Actis concilii Florentini ſubſcripſit anno 1439. *tom. XIII. conc. Labb. col. 1168.* D. Ad Patavinam eccleſiam tranſlatus eſt anno 1448. die 8. Jan. obiit tandem anno 1459. Vide adhuc Ughellum *ibid. coll. 436. & 437.* & Raynald. ad annum 1439. *n. XI.* ubi profert epiſtolam Eugenii IV. ad ipſum datam eo anno die 18. Septembris.

Fantino in eccleſia Cretenſi ſubrogatum *Philippum Parutam,* nobilem Venetum, Eremitam Auguſtinian. ſubindeque anno 1448. teſtatur Thom. de Herrera, *Alphab. Auguſt. tom. 2. pag. 266. col. 1.* Deceſſit anno 1458. Hujus etiam meminit Ughell. *t. 5. Ital. ſac. col. 1446. num. 48.* inter epiſcopos eccleſiæ Torcellanæ, cui præfuerat Philippus annis 26. antequam ad Cretenſem transferretur.

XXI. Hieronymus.

Philippo ſucceſſit *Hieronymus,* Venetus, anno 1459. Hunc Pius II. Papa legatum miſit cum Franciſco Toletano ſacrarum litterarum profeſſore ad Georgium Podiebratium regem Bohemiæ qui, quamvis eccleſiæ ſe velle obſequi aſſereret, in publico tamen conventu catholicum ſe profiteri ſubterfugiebat, Bohemoſque catholicos non deſiſtebat opprimere. Refert Raynaldus ad hunc annum 1459. *num. 22.* diploma hujus Pontificis ad legatos præfatos, quo ipſis mandabat ut potiſſimum paciſcendo Georgium inter ac Wratiſlavienſes fœderi operam navarent, eoſdemque ad arma in Turcas convertenda excitarent. Titulus eſt: *Venerabili fratri Hieronymo archiepiſcopo Cretenſi, ac di-*

A *lecto filio Franciſco de Toleto ſacræ theologiæ profeſſori in eccleſia Hiſpalenſi archidiacono de Aſtigia nuntiis & oratoribus noſtris.* Datum eſt *Mantuæ anno 1459. XII kal. Oct. anno 2.* (id eſt die 20. Septembris.) De ea legatione mentionem facit Pius II. in diplomate dato anno 1463. die 29. Mart. quod exhibet idem Raynald. ad eum annum *num. 96. & ſeqq.*

Dlugoſſus, *tom. 2. edit. Lipſiæ anno 1712. col. 256.* refert nuntios illos Senas veniſſe ad Pium II. qui eò ſe contulerat ex urbe Mantua anno 1460. menſe Januar. Porro B valde probabile eſt Hieronymum hunc archiepiſcopum Cretenſem, fuiſſe *Hieronymum illum Landum,* Venetum, quem idem Pius anno 1463. in Poloniam nuntium apoſtolicum miſit, & ad quem epiſtolam ſcripſit, apud Bzovium ad eum annum *n. 55. p. 452.* ejus titulus eſt: *Pius, &c. venerabilibus fratribus, Cretenſi, ad regnum Poloniæ terramque Sileſiæ ac Pruſſiæ nuntio & oratori ſedis apoſtolicæ, & Gneſnenſi archiepiſcopis ſalutem, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnat. Domin. 1463. IV. kal. April.* (id eſt die 29. C Mart.) *Pontificat. noſtri anno V.* Subdit enim Bzov. *ibid. num. 59. pag. 457.* Cretenſem archiepiſcopum quem ſupra dixerat miſſum in Poloniam, fuiſſe *Hieronymum Landum,* qui Polonos contra Turcas excitaret, eoſdemque inter & Crucigeros ac Pruthenos pacem componeret; verum, ortâ inter Polonos & legatum apoſtolicum acerbâ contentione, rebus infectis hunc rediiſſe Romam ad Pontificem. Hieronymi archiepiſcopi Cretenſis meminit etiam Raynald. *tom. 19.* ad annum 1463. *nn. 1. & 4.* Jacobus Picolominus, D dictus Cardin. Papienſis, ſcribit *lib. 1. Commentar. pag. 354. edit. Francof. 1614. lin. 34.* menſe Jun. anni 1464. quo apud Anconam Pius II. migravit ex hac vita die 14. Auguſti, allatas huic Pontif. Hieronymi antiſtitis Cretenſis litt. *quibus ſignificabatur magnam cruce ſignatorum multitudinem Anconam confluere, identidemque lamentari, quod Pontificem qui ſe trajiceret, non inveniſſent, &c.* Inter ejuſdem Cardinalis Papienſis epiſtolas, *ibid.* 34. *p. 479.* à ſe nomine Pii II. *Hieronymo Lando archiepiſcopo Cretenſi* denotatur ſcripta (anno E 1463.) Item epiſtola 311. *ibid. pp. 679. & 680. Hieronymo Lando epiſcopo Cretenſi, legato Peruſino,* hæc ad ipſum de ipſo prodit circa finem: *Sed illud etiam addo, gratulari me multum, quod in iſthac difficillima Peruſiæ adminiſtratione ita prædicetur dexteritas tua, ut nihil intempeſtivum aut improvidum agere judiceris. Ita etiam commendetur vitæ inſtitutio, ut adſit ſemper, & ſine ſcurrilitate comitas, & ſine aſperitate gravitas. Retine uſque in finem laudem hanc inchoatam, atque illud cogita*

Digitized by Google

ECCLESIA CANDIÆ.

ſemper, raros fuiſſe etiam ſummæ virtutis viros, quorum in tam fervida civitate ſimiles initiis exitus fuerint. Ego, mi Cretenſis, ſum tuus, & tibi omnia ſumma deſidero. Vale. Romæ 23. Decemb. 1468. Quid exinde geſſerit Hieronymus, quove anno obierit, nos latet.

XXII. Michael.

Cavalerius, *tom. 1. Galler. Dom. pag. 302. n. 303.* recenſet quemdam *Michaëlem* Ord. Prædicat. archiepiſcopum Cretenſem anno 1491. ex Ambroſ. Altamura, ad eum annum *in ſua Biblioth. p. 23.* Hunc autem ipſe putat præſulem illum Cretenſem fuiſſe, cujus meminit Lopez *part. 3. lib. 3. cap. 1. pag. 184.*

XXIII. Petrus.

Petrus Landus, Venetus, archiepiſcopus Cretenſis renuntiatus anno 1535. menſe Mart. à Paulo III. ſubſcripſit actis concilii Trident. anno 1563. *tom. 14. conc. Labb. col. 923.* C.

XXIV. * * *

R. P. Bremond, *to. 5. Bullar. pag. 476.* profert diploma Sixti V. *Venerabili fratri archiepiſcopo Cretenſi*, datum die 29. Januarii anni 1588. quo eum certiorem facit de electione Fr. Dominici Bolani Ordin. Præd. ad eccleſiam Agienſem in ea inſula.

XXV. Lucas.

Ughellus, *t. 5. Ital. ſac. col. 449. n. 110.* B. *veter. edit.* ſcribit *Lucam Stellam*, Venet. Patavinæ academiæ nobilem alumnum, ſucceſſive ad eccleſias Rethimi, Jadeæ, *Candiæ*, Vicentiæ & Patavii fuiſſe promotum, obiiſſe tandem anno 1642.

XXVI. Mozzenigo.

D. Mozzenigo, præfectus recens eccleſiæ Cretenſi, pallio donatus pontificali legitur in nunciis publicis Gallicè ſcriptis per annum 1633. *pag. 417.* Migravit ex hac vita in ea inſula anno 1644. ex iiſdem nuntiis eo anno, *pag. 402.*

XXVII. Querini.

Ex iiſdem rurſus nunciis per ann. 1645. *p. 150.* ad eccleſiam Cretenſem evexit anno præcedenti 1644. die 13. Decemb. *D. Querini* Innocentius X. pallioque ornavit die 16. Januar. anni ſequentis 1645.

II. ECCLESIA CHIRONENSIS.

Episcopus Chironenſis legitur in titulo epiſtolæ Gregorii XI. de qua mentionem fecimus, *col. 911.* E. ubi de Petro II. archiepiſcopo Cretenſi. Verum quænam ſit civitas *Chironenſis* nos latet, niſi ipſa ſit *Cherroneſus* ſive *Cherſoneſus* vulgo *Chironis*, de qua hæc ſcribit Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 263. col. 2.* « *Cherſoneſus* urbs Cretæ inſulæ littoralis » Ptolemæo, epiſcopalis ſub archiepiſcopo Candiæ, in ora ſeptentrionali, nunc, teſte Marco » Boſchino cum aliis, eſt *Spinalonga*, arx probè munita, ſcopulo affixa, & tantiſper à continenti » inſulæ ſeparata, cum portu capaci & ſecuro.... in provincia ſeu territorio Candiæ; ſed ejus » epiſcopatus ſuppreſſus fuit, & *Sitiæ* unitus à multis annis. 150. milliarib. diſtat à Candia (urbe,) in ortum Sitiam verſus 30. » Chironenſes aliquot epiſc. occurrerunt, qui ſequuntur.

EPISCOPI CHIRONENSES.

I. Fatius *ſive* Bonifacius. *Bonifacius alter.*

Fatius ſive *Bonifacius*, cognomento *Donoraticus* ex illa ſua familia nobiliſſima in Tuſcia, Ordin. Præd. primum epiſcopus Sagonenſis ſub metropoli Piſarum, certe ante diem 18. Mart. anni 1298. qua baſilicam hujus Ordin. Senenſem quibuſdam indulgentiis ditavit, deinde tranſlatus ad eccleſiam *Chironenſem* anno circiter 1306. tum ad Coronenſem circa annum 1320. In monumentis conventus Piſani habetur eum obiiſſe an. 1333. De illo legendi Ughellus, *tom. 3. Ital. ſac. col. 608.* B. *vet. edit.* Fontana *Theat. Dom. pp. 169. 179. & 281.* Caval. *t. 1. p. 65. n. 200.* & R. P. Bremond, *t. 2. Bullar. pp. 73. & 127.*

Alter *Bonifacius* Ord. quoque Præd. ſedi Chironenſi illegitime præfectus fuit à Petro de Corbaria adverſus Joannem XXII. Antipapa ſub nomine Nicolai V. à quo etiam pſeudocardinalitia purpura ornatus, eodem ad ordinem redacto, ſimilem & ipſe fortunam ſecutus eſt.

II. Joannes I.

Ughell. *to. 7. Ital. ſac. pag. 1244. n. 14.* D. ſcribit quemdam *Joannem* ab Innoc. VI. anno 1358. eccleſiæ Salpenſi in Italia datum præſulem ejuſque juſſu conſecratum; quum vero innotuiſſet falſum fuiſſe nuncium de morte epiſcopi Salpenſis, hunc *Hieronenſem* (procul dubio *Chironenſem*) nominatum eodem anno die 1. Decemb. *ex Reg. Vatic.*

Digitized by Google

III. * * *

Gregorius XI. epiſtolam ſcripſit an. 1375. die 17. April. Petro II. archiepiſcopo Cretenſi ejuſque ſuffraganeis, inter quos recenſetur *Chironenſis* præſul, de cogendis Græcis hujus inſulæ ad emittendam fidei catholicæ profeſſionem, ut ſupra dictum eſt, *col. 911*. E.

IV. FRANCISCUS.

Ughellus, *tom. 5. Ital. ſac. veter. edit.* in epiſcopis Veronenſibus *col. 908*. C. & *coll. ſeqq.* recitat litteras quaſdam Michaëlis Steni Ducis Venetiarum, ad Anton. Luſchum, ſuum apud Innocentium VII. oratorem, ſcriptas anno 1406. die 19. Jun. *indict. XV.* in quibus mentio fit alicujus *Franciſci*, prius epiſcopi *Chironenſis*, tunc vero tranſlati ad archiepiſcopat. Cretenſem. Verba ſunt: *Quod D. Franciſcus Pavono, qui erat epiſcopus Chironenſis, nunc tranſlatus & prolatus ad archiepiſcopatum Cretenſem, &c.* col. 911. B. De eo jam egimus ſupra inter archiepiſcopos Cretenſes, *col. 912*. B.

V. VINCENTIUS.
VI. DIONYSIUS.

Waddingus, *tom. 8. annal. Ord. Min.* ad A annum 1538. *n. XI. pag. 631.* ſcribit tranſlatum fuiſſe ab eccleſiis Zianen. & Firmen. unitis ad Melipotamen. & *Chironen.* pariter unitas, ſub archiepiſcopo Cretenſi, *F. Dionyſium* Minoritam, poſt obitum *Vincentii de Maſſeriis*, hoc anno die XI. Decembris. Is interfuit concilio Tridentino ſub Paulo III. annis 1546. & 1547. in cujus pluribus ſeſſionibus ſubſcriptus legitur *R. D. Dionyſius* B *epiſcopus Chironenſis & Melopotamenus, Græcus*, tom. 14. concil. Labb. coll. 745. E. 749. E. 771. C. 774. C. 788. E. 790. A. & 793. B. Utramque hanc eccleſiam poſtea dimiſit Dionyſius, Chironenſem quidem ante medium annum 1549. ut modo patebit, Milopotamienſem vero ante medium an. 1555. unde ſubſcripſit tanquam *Milopotamienſis ſenior* actis ejuſdem concilii ſub Pio IV. anno 1563. *ibid. col. 925.* A.

C VII. JOANNES II.

Joannes Franciſcus Verdura, Meſſanenſis, Dionyſio eccleſiam Chironenſem dimittenti ſuffectus eſt à Paulo III. die 7. Jun. anno 1549. Adſtitit concilio Trident. ſub Pio IV. & ſubſcripſit in hunc modum: *Joannes Franciſcus Verdura, Meſſanenſis, epiſcopus Chironenſis*, tom. XIV. conc. Labb. col. 926. D.

III. ECCLESIA SITIENSIS.

CYTÆUM urbs Cretæ inſulæ in ejus ora ſeptentrionali Ptolemæo & Stephano, nunc Bellonio & aliis eſt *Setia* Italis, *Sitia* Græcis, urbs epiſcopalis ſub archiepiſcopo Cretenſi. Diſtat 80. milliar. à Matio ſeu Candia urbe in ortum, Samnonium promontorium verſus 30. circiter, teſte Boſchino. In modum peninſulæ pro majori parte mari Cretico cingitur, & portum habet. Ita Mich. Anton. Baudrand, *to. 1. pag. 319. col. 1.* Huic præfuerunt epiſcopi aliquot ritus Latini.

EPISCOPI SITIENSES.

I. ANDREAS.
II. JOANNES I.

VAcante Sitienſis eccleſiæ ſede per obitum *Andreæ*, ei præfecit Clemens VI. *Joannem de Clavaxio* Ord. Min. datis litteris *Paſtoralis officii*, x. kalend. April. (id eſt die 23. Mart.) anno 1251. Wadd. ad hunc annum, *tom. 4. num. 42. pag. 22.* & *in Regeſt. Pont. pag. 2.*

III. JOANNES II.

Poſt hunc Joannem, Sitiæ epiſcopatum geſſit *alter ejuſdem nominis*, ſed Ordin. Præd. ex Fontana *Theat. Dom. pag. 295. tit. 547.* «In Candia, inquit, ſub metropolitana Cretenſi eſt Sichienſis (*Sitienſis*) eccleſia, cui » præfectus eſt epiſcopus ab Urbano V. Papa » *F. Joannes de Senis*, ab eodem Pontif. poſtmodum deputatus judex in cauſa Azolini D Malavoltæ Senenſis epiſcopi, ut conſtat ex » inſtrumento rogato die 14. April. an. 1364. » exiſtente in archivio hoſpitalis majoris dictæ » civitatis, (apud) Ugurger. *in Pomp. Senen. tit. 7.*» Is ille fortaſſis fuit epiſcopus *Sicienſis*, qui in titulo epiſtolæ Gregorii XI. die 17. April. anno 1375. Petro archiepiſcopo Cretenſi ejuſque ſuffraganeis epiſcopis ſcriptæ, legitur, de qua nos ſupra, *col. 911*. B.

IV. DOMINICUS. Victor *electus*.

E Anno 1395. *Dominicus de Dominicis*, Carmelita, Ordinis ſui Procurator in curia Romana generalis, pridie kal. Maii (id eſt die 30. April.) renuntiatus eſt epiſcopus Sitienſis, *ex lib. obligat. prælat.* ſub Bonif. IX. anno 6. *fol. 57.* deinde tranſlatus fuit anno 1399. die 24. Novemb. ad ſedem Milopotamienſem in locum *Victoris* tranſmutati ad

Digitized by Google

ECCLESIA SITIENSIS.

Sitienſem, *ex lib. 2. de Regular.* ſub Bonif. IX. anno XI. *fol. 203.* Ita Daniel à Virgine Maria Carmelit. Flander, *to. 2. Speculi Carmelit. pag. 919. num. 3206.* qui ſimul addit: « Fuit autem Dominicus noſter ſuffraganeus » in diœceſi Mantuana, neque unquam ad » ſuam ſedem acceſſiſſe veroſimile eſt, ſicuti » & incertum quo anno obierit. Ad annum » tamen circiter 1409. ſupervixiſſe ſatis pro- » babiliter colligitur ex verbis Mich. Pio in » opere Ital. de nobili progenie S. Dominici » (part. 1. lib. 2. c. 67. p. 243. edit. Bonon. » 1618.) ubi eum appellat *Fr. Dominicum de* » *Cremona Carmelitam, epiſcopum Sitienſem &* » *ſuffraganeum Mantuæ.* Eadem leguntur *in hiſt. Placentina* (to. 2. lib. 24. p. 189.») Verum hunc ad Milopotamienſem eccleſiam nova proviſione aſſumptum fuiſſe anno 1405. ex modo dicendis patebit; adeo ut Victor Milopotamienſem ſuam ſedem ſervaſſe uſque ad hunc ann. quo fortaſſis mortuus eſt, & Dominicus pariter ſuam Sithienſem, videantur.

V. MATTHÆUS.

Matthæum de Rethimo vel *Recimo* Ordin. Eremit. S. Auguſtini, ad Sitienſem eccleſiam gubernandam renuntiatum III. Non. (id eſt die 3.) Junii anno 1405. tranſlato ad Milopotamienſem Dominico de Dominicis, *ex Regeſt. Vatic.* Bonif. IX. narrat Thomas de Herrera *Alphabeti Auguſtin. tom. 2. pag. 76. col. 1.*

VI. JOANNES III.

VII. LEO.

Poſt obitum *Joannis* epiſcopi Sitienſis, *Leo de Naxia* Ordinis Minor. litterarum peritia celebris huic eccleſiæ præſul datus eſt à Paulo II. anno 1467. VI. kal. April. (id eſt die 17. Mart.) Ita Wadding. *tom. 6. annal. Min.* ad hunc annum, *num. 21. pag. 678.*

VIII. GEORGIUS.

In nunciis publicis Gallicè ſcriptis per annum 1634. habetur *pag. 401.* hoc anno die 21. Aug. *Georgium Minotti* fuiſſe Romæ in conſiſtorio à Laudivio Zacchia Cardinali ſancti Sixti proclamatum pro epiſcopatu Sithienſi inſulæ Cretenſis.

IV. ECCLESIA ARCADIÆ.

ARCADIA urbs Cretæ inſulæ in ejus ora occidentali verſus Ciſamum, *Arcades* etiam appellatur, Græcè Α'ρκάδης. Hanc memorat Xenion in Creticis, teſte Stephano Byzant. *de urbibus & populis, pag. 109.* Seneca autem, *lib. 3. quæſt. nat. cap. 11.* apud Cellar. *geogr. ant. tom. 1. lib. 2. cap. 14. pag. 1275.* ex Theophraſto narrat, *circa Arcadiam, quæ urbs in Creta inſula fuit, fontes & lacus ſubſtitiſſe, quia deſierit coli terra, dirutâ urbe; poſtquam vero cultores receperit, aquas quoque recepiſſe.* In notitia eccl. Græca ὁ Α'ρκαδίας epiſcopus legitur ſub metropolitano Cretenſi ad calcem *geogr. ſac.* Caroli à S. Paulo abbat. Fulienſ. *pag. 13.*

EPISCOPI ARCADIÆ.

I. RAPHAEL.

II RAPHAEL *alter.*

ANno 1349. die 10. Jul. Arcadienſi ſede in Creta inſula vacante per obitum cujuſdam *Raphaelis, Raphael* alter Ordin. Min. provinciæ Græciæ miniſter, hujus eccleſiæ præſul renuntiatus eſt à Clemente VI. ex Wadd. *tom. 3.* ad annum 1349. *num. 12. pag. 566.* & *in Regeſt. Pontif. pag. 388.*

III. ANDREAS.

Anno 1369. *Andreas* Ord. Eremitarum S. Auguſtini, Arcadienſi in Creta inſula eccleſiæ præfectus eſt ab Urbano V. die 23. Julii, teſte Thoma de Herrera *Alphabeti Auguſtin. tom. 1. pag. 38. col. 2.* qui hunc etiam ait ex Regeſtis generalium præpoſitorum ejuſdem Ord. in humanis adhuc egiſſe anno 1391. Ex quo probabile fit ipſum fuiſſe epiſcopum illum *Arcadienſem* qui in titulo epiſt. Gregorii XI. ſæpius memoratæ legitur.

IV. MICHAEL.

V. PETRUS.

Michaele epiſcopo Arcadienſi defuncto anno 1424. ſucceſſor ei aſſignatus eſt eodem anno die 18. Decemb. *Petrus de Ceno* Ord. Prædicat. à Martino V. ut conſtat ex ejus diplomate, *Apoſtolatus officium, &c.* apud R. P. Antoninum Bremond, *tom. 2. Bullar. pag. 648.*

Digitized by Google

ECCLESIA CALAMONÆ.

V. ECCLESIA CALAMONÆ.

DE hujus urbis ſitu nihil certum reperi: fuiſſe in inſula Creta colligitur ex epiſtola Gregorii XI. ad epiſcopos Latinos hujus inſulæ, apud Raynald. ad annum 1375. *n. 25.* cujus titulo cum aliis præſulibus præfigitur *Calamonæ* epiſcopus. Cavalcrius *Galler. Domin. to. 1. pag. 360. num. 74.* vicinam eſſe Retimo Calamonam ſcribit, & *pag. 427.* in epiſcopatum unum cum ſedibus Arienſi & Chiſamenſi in eadem inſula coaluiſſe anno 1551. decreto Julii III. die v. Octob. quod etiam aſſerit Fontana *Theat. Dom. pag. 150. tit. 119.*

EPISCOPI CALAMONÆ.

I. LEO.

LOTHERIUS II. qui Thomæ ſucceſſerat in ſede Verulanenſi anno 1280. Romam profectus anno 1287. obtinuit ab undecim epiſcopis tunc in curia commorantibus, ut ſuæ cathedrali eccleſiæ ſinguli quadraginta dies indulgentiarum concederent, ſtatutis diebus. Inter illos autem epiſcopos legitur *Leo Chalamonenſis.* Diploma, cui hac de re ſubſcripſerunt, datum eſt Romæ Honorii Papæ IV. anno II. (non V. nam in pontificatu vixit duos annos tantum & duos dies, obiitque die 3. April. anno 1287.) (dies & menſis deſunt, ſed menſis debuit unus eſſe ex tribus primis hujus anni menſibus.) Id refert Ughellus, *tom. I. Ital. ſac. in epiſcopis Verulanenſibus, col. 299.* * *num. 29.* D. *veteris editionis.*

II. JULIANUS.

Fontana *Theat. Domin. p. 299. tit. 562. num. 1.* aſſerit Fr. Petrum de Anagnia Ord. Prædic. ab Urbano V. creatum eſſe die 16. Decemb. 1365. epiſcopum eccleſiæ Stephanenſis, quæ vacabat per tranſlationem *Juliani* ejus epiſcopi ad *Calamonenſem* in inſula Cretenſi. *Ex lib. 2. Proviſion. Prælat.* ſub eo Pontifice. Is probabiliter epiſcopus ille eſt Calamonenſis, qui in epiſtola Gregorii XI. ad Petrum archiepiſcopum Cretenſem, ſupra memorata, de reducendis Græcis ſchiſmaticis hujus inſulæ ad Roman. eccleſiæ obſequium, data anno 1375. die 17. Aprilis, inter alios ejuſdem archiepiſ. ſuffraganeos recenſetur.

III. BARTHOLOMÆUS.
IV. ALBERTUS.

De *Bartholomæo* nihil aliud nobis compertum eſt, niſi ipſum fuiſſe Alberti prædeceſſorem in ſede Calamonenſi, & deceſſiſſe anno 1537. In Actis enim Conſiſtorialibus Pauli III. habetur ſub die 29. Octob. hujus anni, teſte Fontana *in Theat. Dom. pag. 150. tit. 119. Die 29. Octob. Pontifex inſtituit epiſcopum eccleſiæ Calamonen. vacantis per obitum Bartholomæi Averoldi, F. Albertum Ordinis Prædicatorum, cum retentione omnium, &c.*

Albertus porro iſte, cognominatus *Paſchaleus*, patria & profeſſione *Utinenſis*, moribus ac litteris clarebat an. 1516. quo ſic ſcribebat de eo Leander Albertus *fol. 154. Albertus Bellunenſis ſeu Utinenſis eſt, poëticam non minus quam philoſophiam ac cæteras bonas artes callet, prout ejus carmina proteſtantur.* Hujus fama permoti Venetiarum ſenatores, Patavium vocarunt, ubi publico Reip. ſtipendio metaphyſicam profeſſus eſt ab anno 1520. ad 1531. ut refert Tomaſinus Gymnas. Patav. *p. 287.* Ea tempeſtate ſcripſit elegans opuſculum hoc titulo: *De optimo philoſophorum genere*, editum Venetiis anno 1532. Exinde à Paulo III. anno 1537. die 29. Octob. ad eccleſiam Calamonenſem in Creta inſula fuit evectus; & poſtea ab eodem ad inſulas *Claudiæ Foſſæ*, vernaculè *Chiozza*, tranſlatus eſt kal. April. anno 1541. de quo Ughellus inter epiſcopos Clugienſes (ſive Claudiæ Foſſæ) *tom. V. Ital. ſac. vet. edit. col. 1423.* ait: *Albertus Paſchalius Utinenſis, ſacræ theologiæ doctor inſignis, ſucceſſit Joanni anno 1541. prima die April. Is etiam ſynodum celebravit in cathedrali, pluresque leges condidit eccleſiaſticæ utilitati profuturas. Obiit anno 1541.* Utini diem clauſiſſe extremum aſſerit Mich. Pio in ſcripto *della progenie di S. Domenico in Italia*, lib. 2. pag. 382. col. 2. eum tamen *Pandaleonem* cognominat. Ei attribuit Cherubinus Forni, Venetus, *in ſuis memorialibus mſſ.* tractatum *de poteſtate Pontificis, & varia carmina;* ſed non prodit ubi ſerventur. Ita R. P. Jacobus Echard, *tom. 2. ſcriptor. Ord. Præd. pag. 122. col. 1.*

V. VINCENTIUS.
VI. TIMOTHEUS.

Vincentius Quirinus epiſcopus erat Calomonæ in Creta inſula anno 1551. quo eccleſiam hanc dimiſit, ad quam eodem anno evectus eſt à Julio III. *Timotheus Juſtinianus* Ord. Prædic. patritia Juſtinianorum inſulæ Chienſis in Ægæo mari Toparcharum de ſtirpe ſatus, ad annum circiter 1502. Is in ea civitate & inſula natus eſt patre Jacobo, &

Digitized by Google

ECCLESIA CALAMONÆ.

Bernardi primo nomen habuit, quod poſtea in *Timothei* mutatum eſt, quum veſtem Dominicanam induit. Pietate & eruditione clarus factus, Congregationis peregrinantium in eodem Ord. Præd. inſtitutus eſt vicarius generalis anno 1548. deinde anno 1550. die 21. Jun. à Julio III. ad eccleſiam Arienſem in Creta inſula promotus fuit, cui anno ſeq. 1551. die v. Octobris idem Pontifex *Calamonenſem* vicinam conjunxit. De his eccleſiis ſic legitur in actis conſiſtorialibus, quæ ſcitu non extranea ſunt, quum aliàs eccleſiæ illæ nobis obſcuriores ſint: *Die Veneris prima die Junii anno 1520. SS. D. N.* (Leo X.) *univit eccleſiam Arienſem in inſula Cretæ, eccleſiæ* Cyſamenſi *in eadem inſula, reditus floren. 200. &c.* Et poſtea: *Romæ die Mercurii menſe.... 1526. referente RR. D. Card. Farneſio, univit* (Clemens VII.) *eccleſiæ Arienſi, quæ eſt valoris tantum ducatorum XII. quia bona occupantur ab infidelibus, eccleſiam Cheronenſem in inſula Cretæ, prædictæ eccleſiæ Arienſi cum diſmembratione ab eccleſiis Drerapretenſis* (fortaſſis Hierapetræ) *& Monobarianenſi pinguioribus, &c.* Denique: *Romæ die V. Octob. anno 1551. ſanctitas ſua* (Julius III.) *univit eccleſiam Calamonenſem, tunc per ceſſionem R. Vincentii Quirini vacantem, eccleſiæ Arienſi, quæ ſede epiſcopali caret, & à civitate Rethimi* (Rhitymna) *in qua epiſcopus Calamonenſis, pro tempore exiſtens, & ibi eccleſiam cathedralem habens, perſonaliter reſidere conſuevit, per 16. milliaria, vel circa, diſtat, & cui R. P. D. Timotheus epiſcopus Arienſis præeſſe dignoſcitur, cujuſque menſæ epiſcopalis fructus fere nulli, ſeu admodum pauci ſunt, quandiu idem Timotheus epiſcopus illi præfuerit, &c.* Exinde Timotheus Calamonenſis duntaxat, non Arienſis dictus, ad ſuam hanc eccleſiam ſe tranſtulit, vigilantiſſimique præſulis partes implevit, nec inde diſceſſit, niſi vocatus ad concilium Tridentinum ſub Pio IV. cui interfuit, & cum aliis ſubſcripſit exeunte anno 1563. *to. 14. conc. Labb. col. 926.* E. Anno ſequenti 1564. defuncto Paulo de Fliſco Chienſi præſule, ad hanc eccleſiam promotus eſt à præfato Pontifice die 14. Aprilis, ad quam ille mox ſe contulit. Verum dum patriam paterno vere gubernabat animo, urbs inſulaque Chienſis à Piali Baſſa Solimani genero & architalaſſo, Chriſtianis eripitur die 17. April. anni 1566. Suorum ſortis miſeratus gentilium Timotheus; Conſtantinopolim cum præcipuis inſulæ civibus profectus eſt, & à Selimo Sultano Chienſibus chriſtianis religionis ſuæ liberum obtinuit exercitium. Deinde Romam veniens anno 1568. ad Pium V. ab eo Strongulenſi in Calabria eccleſiæ adſtrictus fuit, de quo ſic in actis conſiſtorialibus: *Anno 1568. die lunæ V. April. proponente SS. D. N. ſanctitas ſua abſolvit R. P. Timotheum Juſtinianum epiſcopum Chienſem à vinculo quo eccleſiæ Chienſi tenebatur, quum ipſa à Turcarum tyranno occupata ſit, neque ſpes ſit eam ab ipſo recuperari poſſe, eumque tranſtulit ad eccleſiam Strongulenſem vacantem per tranſlationem, &c.* Hanc ultimam ſponſam tribus quatuorve annis coluit, mortuus anno 1571. & ſepultus in eccleſia cathedrali. Scripſit, teſte Ughel. *to. 9. Ital. ſac. vet. edit. col. 736. relazione breve del iſola di Scio*, id eſt, *brevem relationem de inſula Chienſi.* Hæc refert P. Echard laudatus, *pag. 217. col. 1.*

VI. ECCLESIA AGRIÆ *ſive* AGIENSIS.

ECCLESIA *Agrienſis* memoratur in titulo ſupra laudatæ epiſt. Gregorii XI. ad Petrum Cretenſem archiepiſcopum, de exigenda à Græcis hujus inſulæ fidei catholicæ formula. Sed nulla nobis aliunde ſuppetit de hac eccleſia notitia, niſi Cidonienſi unita ſit. De urbe autem Cidonia hæc docet Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 316. col. 2.* « *Cydonia*, urbs Cretæ » inſulæ Straboni, *Cydon* Plinio, antiquiſſimis temporibus dicta *Apollonia;* (*Apollonia* tamen » & *Cydon* commemorantur à Plinio, *lib. 4. c. 12.* ut duæ diſtinctæ urbes in inſula Cretenſi,) » nunc *la Canea* (nuncupatur) Græcis & Italis, epiſcopalis ſub archiepiſcopo Candiæ. Urbs » eſt quadrata & (una) ex quatuor præcipuis inſulæ, probè munita cum portu capaci in ora » & in tractu ſeu territorio Cydoniæ ab ea dicto, in parte occidentali inſulæ.... Diſtat 28. » milliar. à Ciamo promontorio in ortum Rhitymnum verſus 40. & Candiam ſeu Matium 90. circiter, teſte Boſchino. »

EPISCOPI AGRIENSES.

I. JACOBUS *electus.*

UGHELLUS, *tom. 6. Ital. ſac. veter. edit. col. 1025. n. 6.* B. ſcribit *Jacobum* quemdam, canonicum Cretenſem, jam *electum Agienſem epiſcopum*, tranſlatum fuiſſe à Clemente V. ad Biſacienſem eccleſiam in Italia, vacantem per tranſlationem Franciſci ejus præſulis ad ſedem Aſculanam in Apulia anno 1310. & obiiſſe Avenione anno 1328.

Digitized by Google

II. Thomas.

Anno 1325. *Thomas* epiſcopus Gerapetrenſis ſive Hierapetrenſis in Creta inſula, tranſlatus eſt ad Agienſem ſive Agrienſem in eadem inſula, à Joanne XXII. ut refertur in diplomate *Regimini univerſalis,* dato idib. (id eſt die 13.) Febr. cujus meminit Wadd. *tom. 3. annal. Min.* ad annum 1325. *n. 25. pag. 332.* quodque exhibet *in Regeſt. Pontif. pag. 157.*

III. Antonius.
IV. Raymundinus.

Poſt obitum *Antonii* epiſcopi Agienſis ſive Agrienſis in Creta inſula, ad hanc eccleſiam ex Arienſi in eadem inſula an. 1351. tranſlatus eſt à Clemente VI. diplomate *Æterni Regis,* dato VIII. kalend. Jun. (id eſt die 25. Maii,) *F. Raymundinus* Ord. Min. Ita idem Wadding. *tom. 4.* ad annum 1351. *num. 42. p. 22.* qui refert diploma illud *ibid. in Regeſt. Pontif. pag. 11.* Is fortaſſis fuit, cui 24. annis poſtea, ſcilicet anno 1375. die 17. Aprilis, Gregorius XI. epiſtolam, ut & cæteris Cretenſis inſulæ præſulibus ſcripſit, tacitis eorum nominibus, præter ſolius Petri ipſorum metropolitani. Si tamen diverſus fuit à Raymundino epiſcopus iſte, ejus hîc meminimus.

V. Marcus.
VI. Catharinus.

Marcus epiſcopus Agrienſis ſive Agienſis in inſula Cretenſi obiit anno 1390. cui ſucceſſit *Catharinus Barbo,* Venetus, Ord. Min. eodem anno huic eccleſiæ ſuffectus à Bonifacio IX. litteris datis IV. idus (id eſt die 12.) Octobris. Ita refert idem Wadding. ad hunc annum, *tom. 4. annal. Min. n. 10. p. 286.*

VII. Andreas.
VIII. Paulus.

Waddingus, *t. 5.* ad annum 1402. *pp. 8. & 9.* narrat Bonifacium IX. ſcripſiſſe eo anno ad *Andream* epiſcopum *Agienſem,* injungens illi, tum ut permitteret ædificari in oppidulo *Caneæ* (ejus proinde epiſcopatus) monaſterium Clariſſarum, tum ut earumdem baſilicam conſecraret. Hæc epiſt. data eſt die 30. Auguſti eo anno, quam profert *ibid.* Wadd. *in Regeſt. Pontif. pag. 8.*

De Andrea iſto & *Paulo* ejus ſucceſſore tradit Ughell. *to. 5. Ital. ſac. col. 453. n. 11.* A. B. *vet. edit.* priore, qui epiſcopus fuerat primum Crapulanus, deinde Petinenſis ſub Aquileienſi Patriarcha anno 1394. die 16. Feb. poſtremo Agenenſis (Agienſis) in Creta inſula an. 1396. mortuo ibidem anno 1411. ei ſubrogatum *Paulum Barocchium,* nobilem A Venetum, qui ipſe deceſſit anno 1418.

IX. Lucas.
X. Michael.

Lucâ eccleſiæ Agienſis præſule viam univerſæ carnis ingreſſo, huic in ea ſede ſubſtituit Nicolaus V. anno 1451. die 1. Octob. *Fr. Michaelem de Candia,* Ord. Præd. « Ipſe eſt, inquit R. P. Bremond, *tom. 3. Bullar.* « *pag. 334. Michael Græcus,* quem Cavalerius, « *t. 1. p. 287. n. 244.* præficit eccleſiæ Cydo- « nienſi vulgo *la Canea:* epiſcopatus (quippe) « B eſt inſulæ Cretenſis, cui ſedes Agienſis unita « fuit. Hinc epiſcopus *Caneæ* dicitur à Fontan. « *Theat. Domin. pag. 154. tit. 132.*» Diploma Nicolai V. in quo Michael iſte Ordini Præd. adſcribitur, profert idem R. P. Bremond: unde perperam Wadding. Michaelem hunc ſuis accenſet Minoritis, *tom. 6.* ad annum 1451. *num. 55. pag. 33.* Obiit anno 1479. juxta Mich. Pio, Razzium, Fernandez & Fontanam, vel 1491. juxta Altamuram & Cavalerium.

XI. Antonius.

C Ughellus, *tom. 5. Ital. ſac. col. 976. A. veteris editionis,* de quodam *Antonio Urſo* epiſcopo Agienſi meminit, qui Joanni Michaelio Cardinali S. Angeli dicto, Romæ defuncto anno 1503. inſignem in baſilica ſancti Marcelli erexit tumulum, cujus inſcriptioni hæc addita à Jacobo Urſo Antonii fratre leguntur: « *Antonius Urſus,* Venetus, ſecretarius apoſtolicus, *epiſcopus Agienſis,* fa- « miliaris pientiſſ. ſicuti fide ac ſingulari amore « totius ſuæ vitæ tempore adſtitit, ita & in « morte ab hac luce gratiſſ. ſubjectione inſe- « D paratum ſe videri cupiens, conditorium do- « mino ſuo, ſeque ſub illo tumulari teſtamento « mandavit. Qui Innocentii VIII. Alexandri « VI. Pii III. Julii II. Pont. referendarius, « ſumma integritate, doctrina, religione, juſ- « titia, vixit annos 72. (&) deceſſit 28. Sept. « 1511. Jacobus Urſus frater bene merentibus P. (id eſt poſuit.»)

XII. Franciscus.

Wadding. *to. 8.* ad annum 1523. *n. 54.* E *pag. 394.* ſcribit ad Agrienſem eccleſiam ſub archiepiſcopo Cretenſi promotum ab Adriano VI. eo anno die 24. Jul. *Fr. Franciſcum de Molendina,* Minoritam.

XIII. Aloysius.
XIV. Dominicus.

Defuncto *Aloyſio* epiſcopo Agienſi ſeu Cydonienſi anno 1587. vel initio ſequentis, in ejus locum ſubrogatus eſt à Sixto V. Papa *Fr. Dominicus Bolanus,* Ord. Præd. an. 1588.

Digitized by Google

die 29. Martii, de cujus promotione duo hujus Pontificis diplomata exhibet R. P. Bremond, *to. 5. Bullar. p. 476.* Vide Fontan. *Theat. Dom. pp. 115. 123. 132. 154.* & *640.* Caval. *tom. 1. pag. 541. num. 359.* & R. P. Echard, *tom. 2. pag. 396.* ubi etiam monet obſervari à Michaele Pio, *part. 2. col. 308.* epiſcopatum Agenenſem (Agienſem) eumdem eſſe ac *Caneæ*. Vivebat adhuc Dominicus Bolanus anno 1615.

XV. Bernardus.

Bernardus Flores, ex Ord. Cruciferorum, epiſcopus *Agienſis* erat an. 1642. quo tranſlatus eſt die 26. Maii ab Urbano VIII. ad eccleſiam Jadrenſem. Ita Ughellus, *tom. 5. Ital. ſac. col. 1466. num. 31.* C. qui *ibid. in erratis pag. ultima col. 1. n. 42.* Bernardum A hunc aſſerit *Caneæ* fuiſſe epiſcopum, non *Agienſis* eccleſiæ. At nos ſupra animadvertimus eumdem eſſe Caneæ & Agienſem epiſcopatum.

XVI. Bency.

Bernardo in ſede Agienſi ſive Cydonienſi aut Caneæ ſucceſſit *D. Bency,* qui dum Turcæ Cydoniam obſiderent anno 1645. ibidem degebat, populumque ad ſtrenuam urbis defenſionem hortabatur; ſed, ipſa nihilominus à Turcis expugnata, eccleſiæ Novienſi in Italia præfectus eſt ab Innocentio X. anno 1646. menſe Febr. ex nunciis publicis Gallicè ſcriptis anno 1641. *pag. 967.* anno 1642. *pag. 585.* anno 1645. *pag. 943.* & anno 1646. *pag. 186.*

VII.

ECCLESIA CISSAMIÆ.

Cissamia ſive *Ciſamus* oppidum eſt Cretæ inſulæ ad littus maris prope Apteram, cujus navale eſſe dicitur à Strabone, *lib. 10. geogr. pag. 479.* B. *edit. Caſaub.* Plinius, *lib. 4. cap. 12.* in oppidis Cretæ *Cyſamum* commemorat. In notitia Græca extat ὁ Κισάμου, *Ciſami* (ſcilicet epiſcopus:) hodie appellatur *Chiſamo.* Ita Cellar. *tom. 1. geogr. ant. lib. 2. c. 14. pp. 1262. & ſeq.* Urbem hanc in ora boreali Cretæ inſulæ ſitam aſſerit Mich. Anton. Baudrand, *geogr. tom. 1. pag. 273. col. 2.* prope Camaram amnem in territorio Cydoniæ 15. milliar. à Ciamo promontorio in auſtrum Corycum verſus totidem, & 25. à Cydonia in occaſum; antea epiſcopalem ſedem fuiſſe, ſed nunc oppidulum eſſe *Caſtel Chiſſamo* dictum. Aliquot habuit *Latinos antiſtites.*

EPISCOPI CISSAMIÆ.

I. Belletus.
II. Guillelmus I.

Belletus epiſcopus *Ciſſamiæ* ſive *Chiſſimenſis* eccleſiæ in Creta inſula, obiit anno 1346. eique ſucceſſor datus eſt à Clemente Papa VI. eo anno *Guillelmus Mauracocchius* Ord. Min. pridie kal. Octob. (id eſt die 30. Sept.) diplomate *Inter ſollicitudines varias,* cujus meminit Wadding. *tom. 3. annal.* ad annum 1346. *num. 10. pag. 539.* quodque exhibet *ibid. in Regeſt. Pontif. pag. 348. ex lib. 3.* in append. epiſt. 36. Hunc miſit ſedis apoſt. nuncium idem Pontifex anno 1349. ad Joannem *Cantacuzenum* Conſtantinopolitanum Imperatorem pro eccleſiarum Græcarum cum Romana unione. Clementis ea de re epiſtolam referunt Waddingus ad eum annum, *num. 7. pag. 564.* & Raynaldus ad annum 1350. *num. 28.* datam anno 1350. die 13. Februarii.

III. Nicolaus.
IV. Guillelmus II.

Ughellus, *tom. VII. Ital. ſac. prioris edit. col. 1180.* B. tradit, Eliæ Saguini Ord. Præd. B defuncto an. 1349. ſucceſſiſſe in epiſcopatu Veſtano, eccleſiæ Sipontinæ ſuffraganeo, *Nicolaum* Ord. Min. tranſlatum ex eccleſia Kiſemenſi XIV. kal. Jul. (id eſt die 18. Jun.) an. 1350. Quocirca brevi admodum eccleſiæ Chiſimenſi præfuit Nicolaus iſte, quippe qui anno, non 1350. ſed 1349. (cujus initio huic ſedi adhuc præerat Guillelmus Mauracocchius) ex ea ad Veſtanam in regno Neapolitano tranſierit. Id conſtat ex Waddingo qui *tom. 3. annal.* ad annum 1349. *num. 12. pag. 566.* ſcribit ad Kiſſaurenſem (ſive Chiſſimenſem) eccleſiam ſub archiep. Cretenſi, C vacantem per tranſlationem *Nicolai* (quem non ait fuiſſe Ordinis Min.) ad Veſtanam, promotum eſſe *Fr. Guillelmum Emergavi,* ſacræ theologiæ magiſtrum, Ordinis Min. à Clemente VI. Papa, diplomate *Eccleſiarum omnium regimini,* dato die 17. Jun. an. 1349. quod profert idem Waddingus *ibid. in Reg. Pontif. pag. 386.*

V. Joannes.

Guillelmo Emergare ſive Emergavi fortaſſis ſucceſſit *Joannes* iſte, de quo Ughellus, *to. 1. Ital. ſac. in epiſcopis Hortanis, col. 781. num. 31.* VIII.

Digitized by Google

num. 31. D. *veter. edit.* hæc ait: « *Joannes,* » antea epiſcopus *Kiſſanenſis,* ad hanc eccle- » ſiam (Hortanam) tranſlatus eſt anno 1362. » die vero 16. menſis Aug. ſolita penſione atque tributo apoſtolicam cameram veneratus eſt. »

VI. AICARDUS.

Aicardus Ordin. Eremitar. S. Auguſtini, legitur in Regiſtro Pontificali (Urbani V.) renuntiatus epiſcopus Chiſimenſis VI. idus (id eſt die 8.) Jun. anno 1366. teſte Thoma de Herrera ejuſdem Ord. *Alphab. Auguſtin. tom. 1. pag. 38. col. 2.*

Is ille fortaſſis epiſcopus fuit *Kiſſimenſis,* cui, ut & cæteris Cretæ inſulæ præſulibus, ſcripſit epiſtolam Gregorius XI. Papa die 17. April. anno 1375. de reducendis hujus inſulæ Græcis ad eccleſiæ Romanæ fidei obſequium, apud Raynaldum ad eum annum *num. 25.* ut jam ſupra ſæpius dictum eſt.

VII. JACOBUS.

VIII. MARTINUS.

Eccleſiâ *Liſſamenſi* (potius *Kiſſamenſi*) vacante per obitum *Jacobi* ejus præſulis, de quo nihil aliud nobis notum eſt, *Martinus Vannis de Eſculo,* Ord. Eremit. S. Auguſtini, qui ex Regiſtris hujus Ordinis erat die 2. Jul. anni 1387. cœnobii Romani conventualis, & poſtea factus fuerat Domini Papæ pœnitentiarius, demum ad eam eccleſiam evectus eſt IX. kal. Febr. (id eſt die 24. Januar.) à Bonifacio IX. anno 1392. Ita Thomas de Herrera *Alphabeti Auguſtiniani to. 2. p. 75. col. 2.*

IX. ANGELUS.

Ciſſamiæ epiſcopum fuiſſe exeunte ſæculo decimo quinto *Angelum* illum probabile eſt, de quo mentionem facit Ughellus, *tom. 5. Ital. ſac. in Venetiarum Patriarchis, col. 1353.* D. aiens initio congregationis canonicorum S. Georgii de Alva Venetiis erectæ, clericos in ea receptos, obtenta Bonifacii IX. licentia, ab illo Angelo in canonicos fuiſſe ordinatos, & cœnobium S. Auguſtini in collegiatam canonicorum ſæcularium tranſmutatum. « Quod quum feciſſet, inquit, *Angelus epiſcopus Chyſamenſis,* Bonifacii Pontificis « delegatus anno 1394. robur & incrementum « ſancta hæc congregatio tantum accepit, ut « viri ex ea clariſſimi ac ſanctimonia inſigni (præ- « ſtantes) ad noſtra uſque ſæcula claruerint, « &c. » Is videtur fuiſſe ille Angelus Barbadico tranſlatus ad eccleſiam Veronenſem an. 1406. die 2. Septemb. de quo Ughell. *ibid. col. 912.* B. C. meminit.

X. PROSPER.

Auguſtinus Oldoinus, *hiſt. Rom. Pont.* & DD. Card. *edit. Roman. 1677. tom. 3.* ſub Pio IV. de *Proſpero Publicola* Sancta-Crucio Card. agens, hunc refert, *col. 952.* B. dum unus erat ex conſiſtorialibus advocatis, à Paulo III. epiſcopum *Chyſamenſem* renuntiatum, miſſumque ad Ferdinandum Romanorum regem, ut, eo interceſſore, Carolus V. Imperator citius ac facilius ad urbis Placentiæ reſtitutionem moveretur. Id contigit anno circiter 1548. Obiit autem anno 1589.

VIII. ECCLESIA CANTIÆ.

CANTIA, cujus epiſcopum *Canticenſem* cæteris Cretæ inſulæ præſulibus jungit Gregorius XI. in epiſtola ad eos ſcripta die 17. Aprilis anno 1375. fortaſſis eſt urbs illa Cretæ dicta *Cantanus* à Stephano Byzant. & *Cantanum* à Carolo à S. Paulo, *geograph. ſac. pag. 210.* Vide ſupra *tom. 2. coll. 273. 274.*

EPISCOPI CANTIÆ.

I. * * *

II. FRANCISCUS.

EPISCOPO cuidam *Cantiæ,* cujus nomen ignoramus, mortuo anno 1346. ſuffectus eſt à Clemente VI. eodem anno die 21. Aug. *Fr. Franciſcus* Ordin. Min. Ita Waddingus, *tom. 3.* ad annum 1346. *num. 10. pag. 539.* qui diploma profert *ibid. in Regeſt. Pontif. pag. 347.*

III. * * *

Præſul iſte, cujus nos latet nomen, ipſe eſt epiſcopus *Cantienſis* memoratus in titulo epiſtolæ Gregorii XI. datæ die 17. Aprilis anno 1375. de qua ſuperius mentio multoties facta eſt, quæque extat apud Raynald. ad eum annum, *num. 25.*

Digitized by Google

IX. ECCLESIA ARIENSIS.

ARIENSEM Cretæ inſulæ civitatem, inter alias Cretenſis archiepiſcopi ritus Latini eccleſias ſuffraganeas recenſuit Gregorius XI. in epiſtola modo citata; huic deinde propter ſuam paupertatem Leo X. die 1. Jun. anno 1520. eccleſiam *Cyſamenſem* ſive *Ciſſamiæ* in eadem inſula univit: illi rurſus Clemens VII. anno 1526. *Cheronenſem* ſive *Kironenſem* conjunxit: denique Julius III. die v. Octobris anno 1551. ejuſdem juriſdictioni eccleſiam *Calamonienſem* ſubdidit, ut ſupra dictum eſt, ubi de Vincentio & Juſtiniano Calamonæ epiſcopis, *col. 923.* B. C.

EPISCOPI ARIENSES.

I. * * *

ANno 1307. epiſcopum Arianenſem (ſive Arienſem) in Creta inſula Clemens V. ſuis litteris invitavit ad concilium Viennenſe. Vide ſupra *col. 908.* A. ubi de archiepiſcopis Cretenſibus.

II. LAZARUS.

III. RAYMUNDUS.

Poſt obitum *Lazari*, epiſcopum Arienſem Clemens VI. renuntiavit anno 1349. die 8. Julii *Fr. Raymundum de S. Lucia*, Minor. Ita Wadd. *tom. 3.* ad hunc annum, *num. 12. pag. 566.*

IV. RAYMUNDINUS.

Raymundinus Ord. Min. epiſcopus Arienſis ad Agienſem tranſlatus eſt anno 1351. die 25. Maii. Vide ſupra *col. 925.* B.

V. GERARDUS.

Urſus archiepiſc. Cretenſis, de quo ſupra inter metropolitanos hujus inſulæ egimus, *col. 911.* A. B. ſede Arienſi per negligentiam capituli hujus eccleſiæ diutius vacante, ei *Gerardum*, Ordin. Eremitarum ſancti Auguſtini alumnum, ſua auctoritate præfecit: verum promotionem iſtam Urbanus V. irritam declaravit, non tamen alium quam illum ipſum *Gerardum* renuntiavit præſulem diplomate dato Romæ VI. idus (id eſt die 8.) Novemb. anno VI. Chriſti 1367. Ita refert Thomas de Herrera *Alphab. Auguſtin. tom. 1. pag. 294. col. 2.* Gerardus iſte probabiliter fuit præſul ille *Arienſis*, quem fert titulus epiſtolæ Gregorii XI. ad epiſcopos Cretenſes, de Græcis ſchiſmaticis hujus inſulæ ad unitatem reducendis, datæ 17. April. anno 1375.

VI. FRANCISCUS.

VII. ROLANDUS.

VIII. FRANCHIONUS.

Gerardo in ſede Arienſi fortaſſis ſucceſſor datus eſt *Franciſcus* ille, Carmelita, quem

A Daniel à V. M. *to. 2. Spec. Carmel. p. 921. n. 3218.* aſſerit ſexagenarium adhuc vixiſſe anno 1418. die 17. Decemb. quum jam ab annis circiter 30. præſul eſſet. *Ex lib. 1. de diverſis formis* Martini V. anno 2. *fol. 7.* Verum, ut id cohæreat cum promotione nonnullorum antiſtitum hujus eccleſiæ interim facta, oportet Franciſcum hunc ab an. 1388. circiter conſecratum ſedis Arienſis epiſcopum, & mortuum anno 1418. eamdem dimiſiſſe ante annum 1410. & ad ſuos Carmelitas rediiſſe, ut apud ipſos reliquum vitæ

B tranſigeret.

Poſt obitum quippe *Rolandi* Arienſis eccleſiæ in inſula Creta epiſcopi, qui Franciſcum Carmelitam excipere potuit, ad hanc ſedem evectus eſt à Joanne XXIII. die 28. Julii anno 1410. *Franchionus Secretus*, Cretenſis, Ordin. Min. ex Wadding. *tom. 5.* ad annum illum, *num. 14. pp. 71. & 72.*

IX. BERTRAMINUS.

Præfato Franchione tranſlato ab eodem Papa de Arienſi eccleſia ad Milopotamen-

C ſem, die 30. Jul. anno 1414. ei ſuffectus eſt in eccleſia Arienſi *Bertraminus de Seraphinis*, vir nobilis, ejuſdem Ordinis Minor. cui Martinus V. conceſſit anno 1418. ut in aliquo conventu ſui Ordinis provinciæ Januenſis commorari poſſet, quamdiu in ſua eccleſia ab infidelibus detenta reſidere ipſi non liceret. Hæc refert idem Waddingus *ibid.* ad annum 1414. *num. 8. pag. 88.* Obiit anno 1437.

X. ANTONIUS *electus*.

XI. JOANNES I.

Antonius Guidius, Florentinus, Ord. Præd.

D & ſacræ theologiæ profeſſor, electus eſt epiſcopus Arienſis in inſula Cretenſi à Martino V. die 14. Decemb. anno 1419. quia ſcilicet, ut palam fit, hanc ſedem dimiſerat eo anno Bertraminus. Fontana *in Theat. Dom. tit. 51. pag. 130.* citat acta conſiſtor. hujus Pontificis, & ait Guidium annis pluribus cum inſigni creditarum ſibi ovium profectu Arienſem eccleſiam rexiſſe. Id etiam aſſerit

Digitized by Google

Cavaler. *Galler. Dom. t. 1. p. 226. num. 44.* A Verum ex Conſtitutione Martini V. data die 21. April. anni 1421. quam profert R. P. Antonin. Bremond, *tom. 2. Bull. Ord. Præd. pag. 597.* conſtat ab Antonio Guidio epiſcopatum hunc fuiſſe recuſatum, priuſquam conſecraretur, ipſique ſubſtitutum *Joannem de Chorono,* ejuſdem Ordinis, de quo iidem prorſus ſilent.

Antonium Guidium præfatus Cavalerius ait *loco citato* renuntiatum fuiſſe epiſcopum die 14. Decemb. anni 1419. & obiiſſe circa B annum 1430. quod poteſt eſſe verum, non tamen quod addit, *tom. 2. pag. 13. §. IV. num. 12.* eum ad annum circiter 1427. eccleſiæ Arienſi jus dixiſſe. Nihil aliud de his duobus viris compertum eſt.

XII. JOHANNES II.
XIII. NICOLAUS.

Johannes de Vanno, Ordinis Min. Joanni de Chorono, ut probabile eſt, in ſede Arienſi C ſucceſſit; vita vero functus eſt anno 1433. quo *Nicolaus Salma* ejuſdem Inſtituti Min. ex inſula Creta oriundus, ad ſedem illam promotus fuit diplomate Eugenii IV. dato die 16. Novemb. hujus anni 1433. Ita Wadd. *tom. 5.* ad eum annum, *num. 14. pag. 257.* Obiit autem anno ſequente.

XIV. BENEDICTUS.
XV. ANTONIUS.

Nicolao epiſcopo Arienſi defuncto, idem Eugenius Papa *Benedictum de Paconeto,* Ord. D Prædic. de provincia regni Neapol. ad eam ſedem evexit die 10. Septemb. anno 1434. *Ex lib. Proviſ. Prælatorum Eugenii IV.* teſte Fontanâ *Theat. Dom. pag. 130. tit. 51.* qui eum ſubjungit, *pag. 136. col. 2. tit. 72.* ex Taëgio *in monum. Ord. Præd.* & ex Ughello, *tom. 1. Ital. ſac. vet. edit. col. 568.* D. poſtea ad eccleſiam Balneoregienſem in Tuſcia ab eodem Eugenio fuiſſe tranſlatum die 10. Maii anni 1438. & deceſſiſſe anno 1445.

ECCLESIA ARIENSIS.

Benedicto autem in ſede Arienſi ſubrogatus eſt *Antonius Mina,* Cretenſis, Ordinis Min. die 2. Novemb. præfati anni 1438. ab eodem Eugenio IV. Hæc Waddingus ad eum annum, *tom. 5. num. 25. pag. 343.*

XVI. BARTHOLOMÆUS.
XVII. LUDOVICUS.

Anno Chriſti 1526. Arienſis epiſcopus erat *Bartholomæus Abraham,* cui Clemens VII. hoc anno die 22. April. apoſtolicum breve dedit, pro typis edenda ejus tranſlatione Latina actorum Græcorum ſynodi Florentinæ.

Probabile eſt Bartholomæum hunc eſſe *Bartholomæum Sirigo,* Cretenſem, quem ex Arienſi epiſcopo tranſlatum ad eccleſiam Caſtellanetenſem in Italia à Paulo III. anno 1536. die 9. Nov. ſcribit Ughell. *to. 9. Ital. ſac. veteris edit. col. 214. num. 24.* D. & in ea ſediſſe uſque ad annum 1544. quo illam dimiſit.

Wadd. *t. 8. annal. Min.* ad annum 1537. *num. 22. pag. 622.* aſſerit Bartholomæo in ſede Arienſi ſubſtitutum eſſe eo anno die 5. Decemb. *Ludovicum de Martinis,* Minoritam.

Verum neſcio an Ludovicus iſte de Martinis non ſit præſul Arienſis hujus nominis & Ordinis Prædicat. conventus SS. Joannis & Pauli Venetiis, in cujus epitaphio coram altari majore legitur, teſte Mich. Pio *de progenie S. Dominici in Italia,* lib. 2. cap. 31. pag. 350. col. 2. *Fr. Ludovicus de Martinis, Venetus, Ord. Præd. epiſcopus Arienſis obiit* (anno) *1541.*

XVIII. TIMOTHEUS.

Arienſi, Calamonenſi, Ciſamenſi & Cheronenſi eccleſiis in unam ſedem epiſcopalem coadunatis, ut ſupra expoſitum eſt, *col. 923.* B. C. præfectus eſt *Timotheus Juſtinianus,* Ordin. Præd. à Julio III. Papa die 21. Jun. anno 1550. De eo ſupra egimus inter epiſcopos Calamonenſes, *col. 922.* D.

X. ECCLESIA MILOPOTAMIÆ.

MILOPOTAMON urbem inſulæ Cretæ, Niger *geogr. Comment. 11.* apud Thomam de Pinedo, *annot. 38.* in Stephanum Byzantium, *pag. 527. col. 1.* eam eſſe tradit quam *Pantomatrium* veteres appellant, quæque à Ptolemæo, *lib. 3. cap. 17.* inter ſeptentrionalis lateris Cretæ civitates recenſetur. Ultra *Dium* promontorium, eſſe *Pantomatrium* Ptolemæi, Plinii, & Stephani ſcribit Cellarius *geogr. antiq. tom. 1. lib. 2. cap. 14. pag. 1267.* Eccleſia Milopotamienſis cum Rithymnenſi conjuncta eſt in unum epiſcopatum, ex Baudrand, *to. 2. geogr. pag. 420. col. 2.*

Digitized by Google

ECCLESIA MILOPOTAMIÆ.

EPISCOPI MILOPOTAMIÆ.

I. MICHAEL.
II. NICOLAUS. *Petrus.*

ANno 1344. epiſcopus Milopotamienſis erat *Michael de Verona,* Ord. Præd. quem eo anno Clemens VI tranſtulit ad eccleſiam Foſſæ Clodiæ ſeu Clugienſem, vulgo *Chiozza* in ſtatu Venetiarum, 15. ab urbe Veneta milliario.

De eo epiſcopo ſic loquitur Fontana *Theat. Domin. pag. 239. tit. 396.* « Fr. Michael de » Verona Molopotamienſem ſedem epiſcopa- » lem adeptus eſt, ex qua Non. (id eſt die 7.) » Oct. anno 1342. transfertur à Clemente VI. ad Clugienſem. ») Et ſupra, *p. 174. tit. 190. num. 2.* « Michael de Verona, quum Molo- » potamienſis epiſcopus eſſet, à Clemente VI. » Nonis Octob. anno 1342. ſui pontificatus » primo ad Clugienſem ſedem tranſlatus eſt, in » qua duobus tantum annis ſacrum jus dixit, » ad reddendam rationem villicationis ſuæ, à Chriſto vocatus. » Citat autem Ughellum, qui reipſa ſimiliter ait, *tom. 5. Ital. ſac.* ubi de epiſcopis Clugienſibus, *col. 1421. veter. edit. num. 15.* « Fr. Michael epiſcopus Mo- » lopotamienſis (cujus Ordinis incertum) ad » hanc ſedem tranſlatus legitur *in Reg. Vatic.* anno 1342. Non. (id eſt die 7.) Octobris. » Fortaſſis, inquam ego, hîc recenſetur electio hujus Michaelis ad ſedem Milopotamienſem, non vero ejuſdem tranſlatio ex Milopotamienſi ad Clugienſem: hanc quippe non niſi anno 1344. factam eſſe conſtat ex diplomate Clementis VI. dato eo anno die 23. Junii, quod profert Wadd. *t. 3. in Reg. Pont. p. 303.*

Scilicet de *Nicolao* hæc tradit Waddingus *ibid.* ad annum 1344. *num. 6. pag. 525.* « Fr. » Nicolaus, Minorita, ad Milopotamen. ſub » archiepiſcopo Cretenſi (promotus eſt) per » tranſlationem Michaelis (quem non ait fuiſſe » ſui Ordin. Fontana vero & alii aſſerunt fuiſſe » Ord. Præd.) ad Clugienſem. Hic miſit ad » Pontificem anno 1346. quaſdam querelas de » bonis ſuæ eccleſiæ occupatis à laïcis, quas » Pontifex miſit ad Andream Dandulum, Du- » cem Venetum, cui tunc inſula Cretenſis parebat. » Eumdem Nicolaum ſic memorat Ughellus ſupra laudatus, *num. 16.* « Nicolaus » hujus eccleſiæ (Clugienſis) præſul poſt Mi- » chaelem, inde tranſlatus ad Molopotamien- » ſem eccleſiam anno 1344. VIII. kalend. Jun. (id eſt die 25. Maii,) *ex Regeſt. Vatic.* » Et *n. ſeq. 17.* ſubdit, « *Petrus* ſucceſſit Nicolao » (in ſede Clugienſi) anno 1344. tranſlatus » deinde eſt ad eccleſiam Molopotamienſem, » pauloque poſt fuit epiſcopus Concordienſis, *ex Reg. Vatic.* »

A Verum hallucinatur graviter in his duobus epiſcopis *Nicolao* & *Petro* Ughellus: nam tantum abeſt ut *Nicolao* in ſede Clugienſi *Petrus* ſucceſſerit die 25 Maii anno 1344. ex qua poſtmodum tranſlatus ſit ad Milopotamienſem, quin è contra nec Clugienſi eccleſiæ unquam præfuit Nicolaus, nec Milopotamienſi Petrus, ſaltem poſt annum 1344.

De Nicolao res manifeſta eſt: is enim ex Brumacenſi ſede, ob quam falſo exiſtimatam B vacantem, fuerat conſecratus epiſcopus, ad Milopotamienſem dimiſſam à Michaele de Verona tranſlato ad Clugienſem, promotus eſt anno 1344. die 23. Junii; eamque, ex laudato diplomate Clementis VI. adminiſtravit uſque ad obitum ſuum anno 1349. quo Fr. Jacobus, Minorita, ipſum excepit, ut infra dicetur. Nunquam igitur fuit epiſcopus Clugienſis.

Petrum quoque non minus conſtat ſedi Milopotamienſi non præfuiſſe, ſaltem poſt C annum 1344. (fortaſſis Michaelem de Verona in hujus eccleſiæ regimine præceſſerit, adeoque ante annum 1344. quo Michael iſte ex ea ſede ad Clugienſem tranſlatus eſt, id tamen nullibi reperi.) Eccleſia quippe Milopotamienſis ab anno 1344. quo Michaeli de Verona ejus præſuli ſuffectus eſt Nicolaus, uſque ad annum 1349. quo huic Nicolao ſucceſſit Jacobus Minorita; eumdem Nicolaum epiſcopum habuit, totoque illo tempore varias Petrus in Italia occupavit ſedes, ex ipſomet Ughello, nimirum 1.° *Clugienſem,* D *to. 5. col. 1421. n. 17.* quanquam non anno 1344. die 25. Maii, ut aſſerit ibi Ughellus, quia eo anno die 23 Jun. ex eccleſia Milopotamienſi ad hanc Clugienſem tranſivit Michael de Verona, qui & ejus curam geſſit adhuc duobus annis, ac ſubinde uſque ad annum 1346. 2.° *Melphienſem,* anno 1347. die 12. Decembris, *tom. 1. col. 1008. num. 20.* 3.° demum *Concordienſem* anno 1348. die 30. Maii, *tom. 5. col. 334. num. 25.* Ex ea autem poſtrema eccleſia ad aliam Petrum migraſſe non ſcribit Ughellus, ſed *num. 26.* E *ſeq. Guidonem* recenſet, quem anno 1369. die 23. Jan. à ſede Concordienſi ad Cervienſem tranſlatum commemorat. Non ergo poſt annum 1344. præfectus eſt Petrus eccleſiæ Milopotamienſi, imo nunquam probabiliter ejus antiſtes fuit.

III. JACOBUS.

Narrat Waddingus, *tom. 3. annal. Min.* ad annum 1349. *num. 12. pag. 566.* « ad Milopotamen. ſub Cretenſi (Archiepiſcopo) «

Digitized by Google

» per obitum Nicolai Minoritæ, *Fr. Jacobum*
» *de Ponto* (ejuſdem Ordinis Min. diplomate
» Clementis VI.) *Paſtoralis officii debitum* VIII.
idus (id eſt die 8.) Julii (promotum fuiſſe.»)
Quod diploma *ibid.* profert *in Regeſt. Pontif. pag. 387.*

IV. * * *

Niſi Jacobus de Ponto modo memoratus adhuc ſuperſtes fuerit die 17. Aprilis 1375. ad alium Milopotamienſis eccleſiæ præſulem
B epiſtolam ſuam direxit eo anno Gregorius XI. de Græcis ſchiſmaticis inſulæ Cretæ ad unitatem eccleſiæ reducendis, in cujus titulo legitur inter alios hujus inſulæ epiſcopos, *&* *Milopotamenſi.* Apud Raynald. ad eum annum 1375. *num. 25.*

V. VICTOR.
VI. DOMINICUS *electus.*

C Victor epiſcopus eccleſiæ Milopotamienſis erat anno 1390. quem eo anno tranſlatum eſſe ad Sitienſem à Bonifacio IX. ipſique ſubrogatum *Dominicum de Dominicis* epiſcopum Sitienſem, Carmelitam, refert Daniel à Virg. Maria, Carmel. *tom. 2. ſpeculi Carmel. pag. 919. n. 3206.* Vide ſupra inter epiſcopos Sitienſes, *col. 918.* E.

VII. FRANCHIONUS.

Franchionus iſte Ord. Min. de quo jam ſupra dictum eſt, *col. 931.* D. inter epiſcopos
D Arienſes, ex ea eccleſia ad Milopotamienſem tranſlatus eſt à Joanne XXIII. die 30. Jul. anno 1414. teſte Waddingo ad eum annum, *tom. 5. num. 8. pag. 88.*

VIII. FRANCISCUS.

Franciſcus Milopotamienſi eccleſiæ præerat anno 1512. interfuit enim eo anno ſynodo Later. ſub Julio II. *t. 14. conc. Labb. col. 29.* A. Item anno 1514. ſub Leone X.
E *ibid. col. 207.* A.

IX. VINCENTIUS.
X. DIONYSIUS.

Vacante ſede Milopotamienſi per cujuſdam *Vincentii de Maſſuriis* obitum an. 1538. ad eam aſſumptus eſt à Paulo Papa III. *Dionyſius* Ord. Min. litteris datis die XI. Decemb. ex Waddingo, *tom. 8. pag. 631. num. XI.* Ille procul dubio hic Dionyſius eſt qui interfuit
A concilio Trid. tum ſub Paulo III. annis 1546. & 1347. tum ſub Pio IV. anno 1563. ut ſupra dictum eſt, ubi de epiſcopis Chironenſibus, *col. 918.* A. B. *To.* quidem *14. conc. Labb. col. 925.* A. legitur in margine quod Dionyſius ille factus fuerit præſul menſe Februar. anno 1529. ſed id intelligendum de eccleſiis Cianenſi & Thermienſi unitis, quibus præfuit antequam ad Milopotamienſem tranſiret. Vide ſupra *col. 868.* C. D.

XI. JACOBUS II.

Dionyſio, qui Milopotamienſem eccleſiam dimiſerat, ſuffectus eſt à Paulo IV. die 26. Jul. anno 1555. *Jacobus Suretus*, de quo inter ſubſcriptiones concilii Trid. ſub Pio IV. anno 1563. *tom. 14. conc. Labb. col. 928.* B. extat: *Jacobus Suretus, Græcus, epiſcopus Milopotamienſis junior.*

XII. LUCAS.

Lucas Stella, Venetus, epiſcopus urbis Retimi (Milopotamienſi eccleſiæ unitæ) primum fuit, idque ante annum 1615. quo ad Jadrenſem archiepiſcopatum die 16. Nov. à Paulo V. tranſlatus eſt. Paulo poſt evaſit archiepiſcopus Cretenſis; inde ad ſedem Vicentinam anno 1632 die 24. Nov. tranſiit, & ex illa demum ad Patavinam anno 1639. die XI. Jul. Ita Ughellus, *tom. 5. veter. edit. coll. 447. num. 110.* B. *1155. num. 76.* C. *& 1465. num. 28.* D. Vide ſupra *in archiepiſcopis Cretenſibus, col. 916.* A.

XIII. ZERBINUS.

Idem Ughell. *ibid. in epiſcopis Feltrenſibus, col. 354. n. 44.* B. ſcribit *Zerbinum Lugum*, Baſſani Vicentinæ ditionis oppidi, *epiſcopum Milopotamienſem*, ad eccleſiam Feltrenſem tranſlatum eſſe die 9. Januar. anno 1639. & obiiſſe anno 1647. menſe Jan. relictâ exiſtimatione quod præclaris animi dotibus inſigniores æquaſſet ſui temporis præſules.

XIV. GOZZADINUS.

D. Gozzadinus, Bononienſis, Angeli Gozzadini epiſcopi civitatis Caſtellanæ frater, renuntiatus eſt epiſcopus eccleſiæ Rethimnenſis Milopotamienſi unitæ, ab Urbano VIII. die 12. Aug. an. 1641. Ex nunciis publicis Gallicè ſcriptis per hunc annum, *p. 613. & ſeq.*

XI. ECCLESIA HIERAPETRÆ.

LICET in epiſtola Gregorii XI. ad Cretenſes epiſcopos data die 17. April. anno 1375. de Græcis ſchiſmaticis hujus inſulæ ad concordiam cum Romana eccleſia revocandis, quam ſupra ſæpe citavimus, epiſcopus *Hierapetrenſis* non memoretur; quia fortaſſis ea eccleſia tunc vacabat, vel abſens ab ea erat ejus antiſtes: hanc nihilominus fuiſſe epiſcopalem

Digitized by Google

ECCLESIA HIERAPETRÆ.

præſulis Latini ritus ſedem tunc temporis, & antea, liquet ex hujus epiſcopis modo recenſendis, qui ad noſtram venerunt notitiam. De ea autem urbe hæc habentur apud Mich. Anton. Baudrand, *to. 1. geogr. p. 480. col. 2.* « *Hierapetra*, urbs Cretæ inſulæ Ptolemæo, » quæ *Hierapytna* Straboni & Plinio, *Hierapydna* Dionyſio, id eſt, *Sacrapetra*, vulgo *Gerapetra* Sophiano, ſive etiam *il Caſtel di Gerapetra*, caſtrum (eſt) cum portu utcumque tuto » in ora meridionali inſulæ Cretæ & in territorio Sitiæ: aliàs epiſcopali dignitate inſignis, ſed » poſtea ejus epiſcopatus Sitiæ unitus fuit. Sedet prope montem *Malaura*, vix 10. milliar. ab ora ſeptentrionali inſulæ, & 26. à Setia in occaſum.» In notitia epiſcopatuum Græcor. inter Cretenſes epiſcopos extat Ἱεραπύδνης *Hierapidnæ*, ad calcem *geogr. ſac.* Caroli à S. Paulo, *pag. 12.* Stephanus plura ejus nomina memorat, *pag. 322.* ubi ait: *Hierapytna* Ἱερὰ πύτνα *urbs Cretæ, quæ prius Cyrba, poſtea Pytna, deinde Camirus, deinde ſic Hierapytna* Ἱερὰ Πύτνα.

EPISCOPI HIERAPETRÆ.

I. THOMAS.
II. GERARDUS.

JOANNES XXII anno 1325. *Thomam* Hierapetræ epiſcopum ad Agienſem ſedem in inſula Creta tranſtulit die 13. Febr. De eo Thoma jam egimus inter epiſcopos Agrienſes ſive Agienſes, *col. 925.* A.

Huic autem ſubſtituit idem Pontifex *Fr. Gerardum*, Minoritam, cujus meminit Waddingus, *tom. 3.* ad annum 1325. *num. 25. pag. 332.* & diploma profert *ibid. in Regeſto Pontif. pag. 157.*

III. DOMINICUS.
IV. JULIANUS.

Dominico Hierapetrenſi epiſcopo ad Maurianenſem eccleſiam tranſlato ab Urbano V. anno 1364. ei ſuffectus eſt ab eodem Pontifice in ſede Hierapetrenſi die 29. Auguſti *Fr. Julianus Angeli* ſeu *de Angelis*, Ordinis Prædicat. apud Fontanam *in Theat. Domin. pag. 197. tit. 265.* qui citat *librum Proviſion. Prælat.* Urbani V. hancque eccleſiam appellat *Giropetienſem* ſeu *Geropetienſem*, ac *in monum. Dom. pag. 231. col. 1. Hiropetienſem*; ſimul

A vero advertit de eo Juliano profundum haberi ſilentium à ſcriptoribus Dominicanis.

V. FRANCISCUS.
VI. JOANNES.

Waddingus, ad annum 1390. *tom. 4. num. 12. pag. 287.* ait, vacante Hierapetrenſi eccleſia per obitum *Franciſci*, *Fr. Joannem Quirinum*, Minoritam, nobilem Venetum, ad eam die 23. Novemb. eo anno à Bonifacio IX. fuiſſe promotum.

VII. HIPPOLYTUS.

B *Hippolytus Arivabenus*, Mantuanus, à Paulo III. die 21. Decemb. anno 1542. renuntiatus eſt epiſcopus Hierapetrenſis. Adfuit concilio Tridentino ſub Pio IV. & ejus actis ſubſcripſit anno 1563. *tom. 14. conc. Labb. col. 925.* D.

Waddingus, *to. 8.* ad annum 1530 *n. 18. pag. 500.* meminit cujuſdam *Fr. Jacobi N.* Minoritæ creati epiſcopi *Badicenſis* ſub archiepiſcopo Cretenſi à Clemente VII. eo anno die 23. Septemb. Verum hæc eccleſia mihi ignota eſt: quippe quæ nullibi inter Cretenſis metropolis ſuffraganeas recenſetur.

Digitized by Google

PROVINCIA CYZICI.

I. CYZICUS METROPOLIS.

UT omnis præcaveatur confuſio circa regionem *Myſiæ,* in qua extat Cyzicus, & diſtinguatur à Moeſia, obſervandum cum Cellar. *tom. 1. geogr. ant. lib. 2. cap. 8. pag. 569.* *Mœſiam* à Græcis pleriſque ſcribi Μυσίαν *Myſiam,* quod & nomen regionis in Aſia eſt. « Idcirco, inquit etiam Dio Caſſius, *l. 49. p. 413.* diſcriminis cauſa dicit ἡ ἐν τῇ Εὐρώπῃ Μυσία, » *Myſia Europea.* Raro Latini Græcos imitantur. Inſcriptio 9. *pag. 446.* apud Gruterum, » LEG. LEG. VII. CL. IN MYS. INFERIOR. Et alia apud eumdem *pag. 521. num. 7.* NAT. » MYSIA SUPERIORI. Et *cod.* Theodoſ. *lege VII. de Luſor. Danub. in Myſiaco limite:* ac *leg. III.* » *de milit. veſte, Scytia & Muſia,* id eſt, Mœſia ſecunda, Latino more *y* in *u* mutato. » Ovidius quoque *l. 4. Pont. epiſt. 9. verſ. 77. Myſas* dixit *Mœſos.* (Verum) alibi ſemper Latino » ore eſt *Mœſia* (illa, ſcilicet, regio Europæa quæ Pannoniæ in ortum adjacet, incipiens poſt » Taurunum, ex Ptolemæi diſpoſitione) diphthongo ſonans, qua à Myſia Aſiæ diſtinguatur.

De hac autem *Myſia* Aſiatica ita differit idem Cellar. *tom. 2. lib. 3. c. 3. pp. 35 & 36.* « Myſia juxta Olympum, quæ inde *Olympena* cognominatur, & olim *Minor* fuit cenſa, ac etiamnum ab eruditis *Minor* adpellatur; ſita eſt ad Propontidem, inde in Mediterranea » procurrens. Ptolemæus quidem non habet in Græco nomen Μικρᾶς *minoris;* adpoſuit vero » interpres Latinus, nec male. Urbes (enim) hujus partis recenſet *Cyzicum, Parium, Lampſacum:* fluminum oſtia *Aeſepi* Αἰσήπου *& Granici.* Urbs prima *Cyzicus* vel Cyzicum, in Aſiæ » civitatibus nobiliſſima (eſt) in inſula Propontidis eodem nomine ſita, de qua hæc ait Strabo » *lib. 12. p. 575.* B. C. *edit. Caſaub. Inſula Cyzicus duobus pontibus continenti adjuncta, virtute* » *præſtans admodum, ambitu ad 500. ſtadia: urbem ejuſdem nominis habet ad ipſos pontes, duoſque portus qui claudi poſſunt, & navalia 200.* (continere:) *pars urbis in plano eſt, alia monti* » *adjacet: mons* (ille) *Urſorum mons* ἄρκτων ὄρος *dicitur; ſupra hunc eſt alius, Dindymum, uno* » *cacumine: in eo monte fanum eſt Dindymenes deorum matris, dedicatum ab Argonautis. Hæc* » *urbs comparari poteſt cum principibus Aſiæ urbibus, ob magnitudinem, pulchritudinem, & legum* » *bonitatem, bello pacique juxta accommodata, videtur iiſdem ornamentis prædita, quibus Rhodiorum, Maſſilienſium, Carthaginenſiumque urbes antiquitus fuerunt decoratæ* ». Huc uſque Strabo. Pergit Cellarius, « Plinius (quoque) *lib. 5. c. 32.* (ſcribit:) *Ultra* (urbes ſupra memoratas extat) *inſula quam continenti junxit Alexander, in qua oppidum Mileſiorum Cyzicum, antea vocitatum Arctoneſos, & Dolionis, & Dindymis, cujus à vertice mons Dindymus,* » *&c.* Clarior Cyzicus facta, quum Mithridatis obſidionem ſuſtinuit, liberata deinde à Lucullo ». Hanc anno orbis conditi 2953. & poſt Romam 70. ædificatam tradit Baudrand, *tom. 1. geog. pag. 319.*

In notitiis Græco-Latinis quæ ſunt ad calcem Codini *de officiis,* ſæpius commemoratur *Cyzicus,* ſcilicet, *pp. 337. 341. 365. 369.* & *383.* Eominus probabile eſt *Cyzico* non præfuiſſe antiſtites Latini ritus, dum Latini in Oriente dominabantur, quod nonnullis ejus eccleſiis ſuffraganeis quoſdam hujuſmodi datos reperiamus in epiſcopos: non tamen occurrit, niſi fortaſſis unus qui ſequitur.

ARCHIEPISCOPI CYZICENI.

* * *

IN ſecundo diplomate Sixti IV. de promotione *Fr. Gutterii de Quinonnes,* Ord. Præd. ad eccleſiam Libarienſem, dato anno 1477. die 29. Novembr. quod profert R. P. Bremond *tom. 3. Bull. pag. 541.* fit mentio *archiepiſcopi Aquiſicen.* qui veriſimiliter fuit præſul *Cyzicenus:* « Præterea volumus, &c. » (inquit Pontifex) quodque per hoc venerabili fratri noſtro *archiepiſcopo Aquiſicen.* cui à præfata eccleſia (Libarien.) metropolitico jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum in poſterum præjudicium generetur, &c. ». Corruptionem in hoc vocabulo *Aquiſicen.* agnoſcit R. P. Bremond, & legendum putat *Aquelicen.* ſeu *Anchialen.* ab urbe *Anchialo* in Thracia. Verum quia pluries aſſeverat Wadd. ut infra patebit, eccleſiam *Libarienſem* ſuffraganeam fuiſſe *Archiepiſcopi Cyziceni in Helleſponto,* potius crederem legi oportere *Cyzicen.* cui præerat ſubinde anno 1477. antiſtes ritus Latini.

Digitized by Google

ECCLESIA ADRIMITANA.

ECCLESIA ADRIMITANA.

II. ME fugit quid ſit eccleſia *Adrimitana,* niſi ſit *Adrianotheras* ſive *Hadrianotheras,* quæ ex Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 15. col. 2.* urbs eſt Myſiæ, ab Hadriano Imperatore ob fœlicitatem venationis condita, ut Dio obſervat. Addit autem abbas de Commanville *in indice alphabetico epiſcopat. totius orbis, pag. 117. Hadrianotheram* ſive urbem venationum Hadriani, per corruptionem *Adrane* dictam, aut *Achyrae* in Helleſponto & Exarchatu Aſiæ, etiamnum vicum eſſe Natoliæ, *Endrenos* appellatum, ſub Turcarum poteſtate. Ait quoque laudatus Baudrand, *ibid. col. 1. Adrane* urbem eſſe Myſiæ inferioris ad Rhodium fluvium in Aſia minori, & *Adrani* appellatam ad Pruſam urbem, nuncque *Endrenos* nuncupari à Turcis, teſte Leunclavio. Demum Carolus à S. Paulo monet, *pag. 239.* Adrianotheræ Cedrenum & Notitiam Græcam meminiſſe, hujuſque epiſcopum, Patricium nomine, ſubſcripſiſſe concilii Chalcedonenſis actionibus 1. & 16. necnon epiſtolæ ſynodali provinciæ Cyzicinæ ad Leonem Imperatorem. Wadding. *in annalibus Minorum,* aliquos nobis ſuppeditat epiſcopos *Adriamitanos* & *Adrimitanos* qui fortaſſis huic eccleſiæ præfuerunt, quum præſertim ipſe *Adrimitanos* ſub Cyzico repoſuerit. Extat quidem *Adramytteum* in Myſia majore, ad Caicum flumen; verum urbs illa Epheſo metropoli ſubeſt, non Cyzico.

EPISCOPI ADRIMITANI.

I. Henricus.

II. Joannes I.

DOctiſſ. P. Bremond, *to. 3. Bull. p. 219.* diploma exhibet Eugenii IV. Papæ, datum an. 1436. die 10. Febr. quo diſcimus, eccleſia *Adrimitana* vacante per obitum *Henrici,* ei præfectum fuiſſe *Fr. Joannem Heyterbach,* Ordinis Prædicat. quem non noverunt Fontana, Cavalerius, aliique rerum Dominicanorum ſcriptores.

III. Jacobus.

IV. Udalricus.

Waddingus, *to. 6. annal.* ad annum 1474. A *n. 21. pag. 815.* ſcribit *Fr. Udalricum de Ulma,* Minoritam, epiſcopum *Andriamitan.* renuntiatum fuiſſe à Sixto IV. eo anno, poſt obitum *Jacobi* hujus eccleſiæ præſulis.

V. * * *

VI. Joannes II.

Idem Waddingus, *tom. 7.* ad annum 1481. *n. 22. pag. 95.* aſſerit *Fr. Joannem Welmechier,* Ordinis Minor. eo anno die 18. Jul. à præfato Pontifice epiſcopum *Andrimitan. ſub archiepiſcopo Cyziceno,* eſſe conſtitutum poſt obitum *N.*

ECCLESIA LIBARIENSIS.

III. ECclesia Libarienſis, vel poſt exaratas Notitias Græcorum epiſcopatuum metropoli Cyzico addita eſt, vel in iis ſub alio aliquo nomine deliteſcit. Huic autem præfuere nonnulli Latini ritus præſules.

EPICOPI LIBARIENSES.

I. Jacobus.

II. Joannes I.

THomas de Herrera, *Alphab. Auguſtin. tom. 1. pag. 427. col. 2.* hæc nos de duobus iſtis epiſcopis docet: « *Joannes de Quinque-Eccleſiis* (Auguſtinianus) per obitum *Jacobi* fit
» in Regeſto Pontificio epiſcopus Labarienſis
» vel *Libarienſis,* Nonis (id eſt die 5.) Jun.
» anno 1392. & in Regiſtro Ordinis (Auguſti-
» niani) die 3. Jun. anno 1387. in cœnobio
» Senenſi ſacræ theologiæ ſtudens aſſignatur.»

III. Joannes II.

Waddingus, *to. 6. annal.* ad annum 1455. B *num. 66. pag. 399.* ait *Fr. Joannem de Dertheren,* Ord. Min. ſacræ theologiæ lectorem, ad *Libarien.* eccleſiam *in Helleſponto, ſub archiepiſcopo Cyziceno,* à longo tempore vacantem, eo anno die 27. April. à Calixto III. fuiſſe aſſumptum.

IV. Joannes III.

Idem Waddingus *ibid.* ad annum 1465. *num. 8. pag. 555.* teſtatur occurrere hoc anno *in Regiſtro Vaticano* mentionem *Joannis epiſcopi Libarien. in Helleſponto ſub archiepiſcopo Cyziceno,* cui Pontifex concedit facultatem diſponendi de rebus ſuis mobilibus, quantumvis fuerit Minorita, prid. Non. (id eſt die 6.) Jul.

V. Gutterius.

Digitized by Google

V. Gutterius.

Eccleſiâ Libarienſi ſic dudum vacante poſt obitum ſui præſulis, ut de hujus vacationis initio anno 1477. certa notitia non haberetur, Sixtus IV. ad illam promovit eo anno *Fr. Gutterium de Quinnones*, aliàs *de Leon*, Ord. Præd. die 28. Novemb. Id conſtat ex tribus diplomatibus hujus Pontificis à R. P. Bremond, *to. 3. Bull. pag. 641.* tranſcriptis; B in quorum quidem ſecundo ea eccleſia dicitur ſuffraganea archiepiſcopi *Aquiſicen.* Sed vocem hanc corruptam cenſet idem R. P. Bremond, & legendum *Achelicen.* ſeu *Anchialen.* vulgo *Achelo* & *Anchialo* in Thracia. At quidni potius exiſtimemus legendum *Cyzicen.* cujus antiſtiti ſubditam hanc *Libarien.* A eccleſiam teſtatur toties Waddingus! Vide ſupra, ubi de ea metropoli, *col. 941.* A.

ECCLESIA LIBARIENSIS.

VI. Alphonsus.

Anno 1492. die 3. Decemb. *Libarienſis* epiſcopus conſtitutus eſt ab Alexandro VI. *Fr. Alphonſus à S. Cypriano,* Hiſpanus, Ord. Præd. Diploma exhibet præfatus R. P. Bremond, *tom. 4. pag. 193.*

VII. Antonius.

Waddingus, *t. 8.* ad annum 1502. *n. 34. pag. 31.* ſcribit *Fr. Antonium Gard,* Minoritam, ad ſedem *Libarien. in Helleſponto ſub archiepiſcopo Cyziceno,* ab Alexandro VI. eo anno die 5. Jul. fuiſſe evectum.

IV. ECCLESIA PRÆCONNESI *ſive* MARMORÆ.

Proconnesus ſeu, & melius, *Præconneſus,* ut legitur in vetuſtiſſimis codicibus Græcis mſſ. *biblioth. regiæ,* inſula eſt Aſiæ minoris in Propontide, & in ora Myſiæ minoris Plinio & Ptolemæo, quæ *Elaphonneſus* etiam & *Neuris* dicta fuit, teſte eodem Plinio, nunc *Marmora* appellatur à marmore inde aſſumpto. Circuitus ejus eſt 20. milliarium, & probè culta, urbem habens parvam in parte occidentali. Vix 6. milliar. diſtat à Cyzico in occaſum Helleſpontum verſus, & ex ea marmor eruitur, Cyzicenum dictum. Huic inſulæ adſunt quinque portus ſatis tuti, & adjacet ad occaſum *Camara* inſula parva. Ita Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 139.*

Carolus à S. Paulo, *pag. 239.* hæc ſcribit de Præconneſo ſub Helleſponto: «*Præconneſus* inſula Ptolem. *lib. 3. c. 11.* vulgo *Marmora.* Joannis epiſcopi *Præconneſi* meminit Socrates « *hiſt. Eccleſ. lib. 7. c. 37.* & Acacius *Præconneſi* legitur inter ſuffraganeos epiſcopos Cyzici « *in concilio Chalcedonenſi, Act. XVI.*» Unus duntaxat ex ejus præſulibus Latinis ad notitiam noſtram devenit.

EPISCOPI MARMORENSES.

Garterus.

R. P. Echard *in indice epiſcopor. Ord. Præd.* initio *to. 1. ſcriptor. pag. 27. col. 1.* de quodam Gartero Dominicano hæc tradit: «*Garterus* » *de Argentina,* epiſcopus Marmorenſis. Sic C Pignon ſcribebat anno 1394. ex quo habuit « Sampaio. Corruptè à noſtris vocatur *Batterius,* & perperam ad annum 1450. amandatur.» Ejus quoque meminit R. P. Bremond, *t. 2. Bullar. p. 463.* ad annum 1391.

V. ECCLESIA PARII.

Parium, urbs Myſiæ minoris in Aſia minori Straboni & Ptolemæo, quæ *Parion* & *Adraſtia* Pomponio Melæ, *Pariana colonia* Plinio, *Pario* adhuc dicta, teſte Sophiano, *Paradiſo* autem Nigro, nautis & aliis, in Propontide. 20. milliar. diſtat à Lampſaco in ortum, Cyzicum verſus 30. circiter. Portu gaudet non ignobili. Ita Baudrand, *to. 2. geogr. p. 81. col. 1.* Hanc urbem eo nomine donatam tradit Stephan. Byzant. *à Pario* Jaſionis Ἰασίωνος filio, quod & Euſtathius ad Odyſſ. *lib. 5.* habet, teſte Thoma de Pinedo in Stephanum Byzant. *annot. 65.* de urbe *Pario,* pag. 530. col. 2. qui etiam ſubdit: «Ciceroni epiſtolarum lib. XIII. ad C. Memmium & cæteros epiſt. 53. dicitur *Pariana civitas,* Plinio, *lib. 5. c. 32.* « *Pariana colonia,* quam Homerus *Adraſtiam* appellavit. Straboni vero, *lib. 13.* (pag. 588. « A. edit. Caſaub.) & (Stephano in Ἀδράστεια) diverſæ ſunt urbes *Adraſtia* & *Parium.* (Ait « quippe Strabo: *Sita eſt urbs Adraſtea inter Priapum & Parium, &c.*»)

«Circa Parium autem Crates Pergamenus apud Plinium, *lib. 7. cap. 2.* tradit fuiſſe genus hominum quos Ophiogenes appellat, ſerpentum ictus contactu levare ſolitos, & manu «

Digitized by Google

ECCLESIA PARII. » impoſita, venena extrahere corpori. Sed præſtat & de urbe Pario, & de horum hominum » genere, audire Strabonem, *lib. 13.* (pag. 588. C. D.) *Parium quoque,* inquit, *urbs eſt ad* » *mare, portum habens quam Priapus majorem, & quidem rebus Priapenis aucta eſt: nam Pariani* » *Attalicis regibus operam ſuam navantes, quibus ſuberat Priapena civitas, illorum permiſſu multa* » *hujus ad ſe traxerunt. Ibi locorum fabulantur Ophiogenes* Ὀφιογενεῖς *eſſe, qui cum ſerpentibus* » *quamdam habeant cognationem: nam mares eorum medicari aiunt iis qui à vipera morſi ſunt,* » *continenter tangendo, tamquam incantatores ſolent, ac primum in ſe transferre livorem, deinde* » *inflammationem etiam doloremque ſedare. Ferunt principem ejus generis è ſerpente in heroem* » *fuiſſe mutatum: fortaſſe unus è Pſyllis Afris fuit: facultas* (autem) *ea aliquandiu eo in genere manſit.*» Hæc Strabo. Plinius vero, *lib. 7. c. 2.* ait: *Varro etiam nunc eſſe paucos ibi, quorum ſalivæ contra ictus ſerpentum medeantur. Similis & in Africa gens Pſyllorum fuit, ut Agatharcides ſcribit, à Pſyllo rege dicta, cujus ſepulcrum in parte Syrtium majorum eſt. Horum corpori ingenitum fuit virus exitiale ſerpentibus, ut cujus odore ſopirent eos. Mos vero liberos genitos protinus objiciendi ſæviſſimis eorum, &c.*

Cellarius, *tom. 2. geogr. antiq. lib. 3. cap. 3. pag. 37.* de ſitu Parii in ordine ad urbes vicinas obſervat Ptolemæum ponere Granici amnis oſtia infra Parium; Strabonem è contra Granicum ponere ſupra Parium, cui ipſe, ut hujus regionis peritiori, magis aſſentitur: ait enim Ptolemæus, *lib. 5. cap. 2. Æſepi hîc oſtia, Parium, Granici hîc oſtia.* Strabo (vero) citatus, *pag. 587.* C. *inter Æſepum & Priapum Granicus fluit, majori parte per Adraſteæ campum.* Et poſt Priapum: *Deinde regio eſt finitima Parianorum & Lampſacenorum.* Ab Æſepo itaque primum Granici oſtia ponit, deinde Priapum, poſtea *Parium,* denique Lampſacum, cui ordini ſuffragatur quoque Plinius, *lib. 5. c. 32.* Oppida illa ab auſtro in ſeptentrionem enumerans, *Percote oppidum & Lampſacum, Parium colonia, oppidum Priapos, amnis Æſepus.* Flumen Granicum mox ſeparatim expoſuit. Coloniam autem fuiſſe *Parium* Italici juris, Paulus *lege VIII. de cenſibus* teſtatur: *In provincia Aſiæ duæ ſunt juris Italici, Troas & Parium.* Idem habetur ex veteri inſcriptione apud Sponium, *pag. 173.* COL. IUL. PARIANÆ. Et in nummo Imperat. Marci COL. PARIA. IUL. AUG. unde etiam auctorem coloniæ cognoſcimus. Pario præfuerunt aliquot epiſcopi Latini, quorum nobis unus tantummodo innoteſcit.

EPISCOPI PARII.

* * *

ANno 1209. ſedebat quidam *epiſcopus Parii,* quem Innocentius III. commemorat epiſtola 144. lib. XII. *archiepiſcopo Eraclienſi & Salimbrienſi epiſcopo, & decano de Blakerna Conſtantinopolitano,* data eo anno die 23. Novembris, *tom. 2.* epiſtolarum hujus Pontificis, *edit. Baluz. pag. 387. col. 2.* « Venerabilis, inquit, frater noſter Conſtantinopolitanus Patriarcha noſtro apoſtolatui reſeravit » quod, quum homines de Spigant, ubi nunquam epiſcopus extitit, dari ſibi epiſcopum » poſtularent, idem hoc facere metuens abſque noſtra licentia ſpeciali, ad eorum inſtantiam epiſcopatui de Pario commiſit eoſdem. A Quumque poſtmodum *epiſcopum de Pario* « accedentem ad ipſos admittere recuſaſſent, « in ipſos poſt admonitionem ſæpius iteratam « Patriarcha præfatus excommunicationis ſententiam promulgavit, quam auctoritate petiit « apoſtolica confirmari. Quocirca diſcretioni « veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus dictam excommunicationis ſententiam, « ſicut rationabiliter eſt prolata, faciatis auctoritate noſtra uſque ad ſatisfactionem condignam, appellatione poſtpoſita, firmiter obſervari. Qod ſi non omnes, &c. duo veſtrum, « &c. Datum Laterani IX. kalend. Decembris, « anno XII. » Nos latet quis hujus rei fuerit exitus.

Digitized by Google

PROVINCIA DYRRACHIENSIS.

I. ECCLESIA DYRRACHII.

ECCLESIA DYRRACHII.

DYRRACHIUM, Græcè Δυῤῥάχιον, urbs Illirica, prius *Epidamnus* dicta fuit, nunc *Durazzo* Italis, *Drazzi* Turcis, *Duras* Gallis nomen habet; etiamnum ſatis ampla eſt, & archiepiſcopalis in Albania regione, ſub dominio Turcarum; arce prædita eſt, & portu in ora maris Adriatici ad oſtia fluvii *l'Argentaro*. 40. millibus paſſ. diſtat à Liſſio in meridiem, Aulonem verſus 65. à Brunduſio 120. in ortum æſtivum, & 200. à Theſſalonica in occaſum. Hæc Baudrand *geogr. tom. 1. pag. 349. col. 1.* à quo inſuper, *tom. 2. pag. 429. col. 1.* aſſignantur ut ſedes huic metropoli ſuffraganeæ, Alexienſis, *Aleſſio*, Liſſenſis, *Liis*, Bendenſis, *Benda*, Canovienſis, *Canovia*, & Croienſis, *Croia*. Initio ſæculi XIII. Dyrrachio præfici cæperunt Latinis eò degentibus archiepiſcopi ritus Latini.

ARCHIEPISCOPI DYRRACHII.

I. M.

INNOCENTIUS III. epiſtola 94. lib. XII. apud Baluz. *tom. 2. epiſtolar.* hujus Pontificis, *pag. 355.* anno 1209. die 18. Aug. mandavit Paduano & Cenetenſi epiſcopis, & abbati S. Martini de colle Cenetenſis diœceſis, ut archiepiſcopum Dyrrachii recens promotum, in poſſeſſionem hujus eccleſiæ inducerent. Porro à littera M. nomen hujus præſulis Dyrrachienſis incepiſſe diſcimus ex epiſtola 92. lib. XIV. ejuſdem Papæ, *ibid. pag. 549. col. 2.* data anno 1211. die 2. Septemb. de ejus morte & electione ſucceſſoris, ubi ait: « Ex litteris dilectorum filiorum capituli Dyr- » rachienſis accepimus quod bonæ memoriæ » M. ipſorum archiepiſcopo viam univerſæ carnis ingreſſo, &c. » Brevis itaque fuit antiſtitis hujus Dyrrachienſis præfectura.

II. A. * * *

Ex poſteriore epiſtola Innocentii III. modo laudata conſtat anno 1211. in locum præſulis Dyrrachiani mortui electum fuiſſe archiepiſcopum, cujus nominis prima littera erat A. Pergit enim Pontifex, Patriarchæ Gradenſi & epiſcopo Caſtellano ſcribens: « Idem, ne dicta eccleſia, quæ jam dudum per » tempora ex defectu paſtoris lapſum gravem » ſenſerat & ruinam, patris abſentiam diutius » deploraret, convenientes in unum, & Spiritus » ſancti gratia invocata, dilectum filium A. » Conſtantinopolitanum præpoſitum Venetiis » exiſtentem ſibi elegerunt concorditer in paſ- » torem, nobis humiliter ſupplicantes ut, quia » Conſtantinopolitana eccleſia noſcitur nunc » vacare (Thoma primo ejus Patriarcha mor- » tuo) à qua fuerat confirmationis gratia expe- » tenda, & ipſam electionem confirmare auc- » toritate apoſtolica dignaremur, & electo face-

A remus munus conſecrationis impendi. Quo- « circa, &c. Datum Laterani IV. Non. (id eſt « die 2.) Septembris anno XIV. »

III. PETRUS I.

Petrus iſte ſedi Duracenſi præerat anno 1303. die XI. April. quo B. Nicolao de Tarviſio Cardinali epiſcopo Oſtienſi, qui poſtea eodem anno die 22. Octob. electus eſt ſummus Pontifex, Benedictus XI. baſilicam cœ-
B nobii Patavini Ordinis Prædic. ſolemni ritu conſecranti adſtitit cum pluribus aliis præſulibus, ut ex duplici ejuſdem, unius ut Cardinalis, alterius ut Papæ diplomate conſtat, apud R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pp. 86. & 87.*

IV. MATTHÆUS. *Augerius electus.*

V. PETRUS II.

Anno 1340. mortuo *Matthæo*, archiepiſcopo Dyrrachienſi, irritaque declarata *Fr.*
C *Augerii* Ordin. Minor. electione, *Fr. Petrus de Gironſa*, ejuſdem Ordinis, ad eam ſedem promotus eſt à Benedicto XII. cujus diploma datum eo anno die 23. Mart. memorat Waddingus, *tom. 3. pag. 465. num. XI.* & profert *ibid. in Regeſt. Pontif. pag. 259.* Hic Petrus probabiliter fuit archiepiſcopus ille Dyrrachinus non nominatus, cui & novem aliis metropolitis eorumque epiſcopis ſuffraganeis ſcripſit Clemens VI. anno 1345. ut Hum-
D berto ſive Imberto Delphino Viennenſi Duci conſtituto cruce ſignatorum exercitus contra Turcas totis viribus adeſſent, teſte Raynaldo ad eum annum, *num. 6.*

VI. ANGELUS.

VII ANTONIUS I.

Poſt obitum *Angeli* archiepiſcopi Dyrrachienſis, ad eam ſedem tranſlatus eſt ex

Digitized by Google

Hierapolitana à Clemente VI. die 25. Maii an. 1349. *F. Antonius de Duratio,* Minorita. Ita Waddingus, *tom. 3. annalium Minor.* ad hunc annum, *num. 11. pag. 566.* qui *ibid. in Regeſt. Pont. p. 384.* diploma Pontificis refert. Extat apud Raynaldum, *tom. 16.* ad annum 1351. *num. 20.* epiſtola Clementis VI. *venerabilibus Fratribus Antonio Duracenſi,* & Eliæ Raguſino archiepiſcopis, &c. data eo anno die 1. Septemb. adverſus errores Græcorum. Veriſimile eſt fuiſſe *archiepiſcopum* illum *Duracenſem,* cui non nominato & 13. aliis metropolitis eorumque epiſcopis ſuffraganeis, Innocentius VI. anno 1359. die 11. Maii, de vindicanda contra Infidelium conatus chriſtiana religione, epiſtolam ſcripſit, quam profert Raynaldus ad illum annum, *num. 16.*

VIII. * * *

Alius probabiliter ab Antonio modo laudato extitit *archiepiſcopus Dyrrachienſis,* cui Urbanus V. anno 1370. quoſdam epiſcopos Minoritas in Albaniam miſſos commendavit, ex Raynaldo ad eum annum, *num. 8.*

IX. STEPHANUS I.

Stephanus iſte archiepiſcopus erat Dyrrachienſis anno 1392. quo ad Potentinam eccleſiam in Italia tranſlatus eſt: ſed quum neglexiſſet litteras ſuæ tranſlationis obtinere, Benedictus de Arpino, Minorita, ad hanc ſedem promotus eſt. Ita Ughellus, *tom. 7. Ital. ſac. col. 186. num. 21.* D. *vet. edit.*

X. STEPHANUS II.

Fr. Stephanus Guillelmi de Neapoli (Carmelita) *pænitentiarius apoſtolicus, electus eſt archiepiſcopus Duracenus in Dalmatia III. Non.* (id eſt die 3.) *Jun. anno 1394.* Ex lib. Proviſ. prælat. Bonifacii IX. anno v. fol. 84. apud Daniel. à V. M. *tom. 2. Spec. Carmel. p. 454. num. 3359.* Dicitur autem fortaſſis ſedes iſta *in Dalmatia,* quod, ut tradit Baudrand, *to. 1. geogr.* de Albania agens, hæc regio, in qua Dyrrachium ſita eſt, terminetur *Dalmatia* à ſeptentrione.

XI. JOANNES I.

Ughellus, *tom. 7. Ital. ſac. col. 671. n. 13.* C. ſcribit *Joannem Bonifacii de Panella,* Neapolitanum, *Duracenſem archiepiſcopum,* ad eccleſiam Caputaquenſem in Italia tranſlatum eſſe anno 1399. die 19. Aprilis.

XII. MINOR.

XIII. JOANNES II.

Poſt *Minoris* archiepiſcopi Dyrrachienſis obitum, huic ſedi Joannes XXIII. præfecit *F. Joannem de Duratio,* Dominicanum, quem perperam Fontana *Theat. Dom. p. 73. tit. 41.* cognominat *de Duranol,* & adhuc pejus Cavaler. *tom. 1.* in duos homines dividit, *Joannem de Durazzo,* epiſcopum alicujus eccleſiæ in Dalmatia tempore Bonifacii IX. *pag. 186. num. 244.* & *Joannem de Duranol,* archiepiſcopum Duracenſem in Albania die 1. Oct. anno 1412. *p. 206. num. 428.* Verum litem dirimit diploma Joannis XXIII. datum iis die & anno, quod ſubminiſtrat R. P. Bremond, *tom. 3. Bullar. pag. 515.* ubi præſul ille dicitur *Joannes de Duracio, electus Duracenſis,* & *in ſacerdotio* tunc ſolum *conſtitutus,* ut anterior aliquis epiſcopatus ejus excludatur. Obiit anno 1421. aut 1422.

XIV. NICOLAUS.

Huic Joanni in ſede Duracenſi ſucceſſit *Fr. Nicolaus Coſinæ,* Minorita anno 1422. *ex diplomate* Martini V. quod Waddingus citat, *tom. 5.* ad eum annum, *n. 17. p. 151.* & exhibet *ibid. in Regeſt. Pontif. pag. 94.*

XV. PAULUS.

Raynald. *to. 19.* ad annum 1460 *nn. 103.* & *104.* meminit cujuſdam *archiepiſcopi Duracenſis,* ad quem & Antibarenſem archiepiſcopum Pius II. epiſtolam ſcripſit anno præcedenti 1459. die 18. Febr. Porro is probabiliter *Paulus Angelus Dyrrachinus epiſcopus* fuit, ex cujus & Veneti oratoris conſilio Scanderbeghum arces in Albania fortiſſimis præſidiis muniviſſe narrat idem Raynaldus ad annum 1465. *num. 18.*

XVI. * * *

XVII. LUDOVICUS.

Wadding. *tom. 8.* ad annum 1540. *n. 27. p. 660.* refert poſt obitum *archiepiſcopi Dyrrachienſis,* quem non nominat, huic ſedi præfectum eſſe *Fr. Ludovicum Bianchum,* Venetum, Minoritam regularis obſervantiæ, eo anno die 16. Aprilis.

XVIII. ANTONIUS II.

Antonius Provana, Dyrrachienſis archiepiſcopus, Taurinenſis renuntiatus eſt archipræſul ab Urbano VIII. anno 1631. die 2. Novemb. & obiit anno 1640. die 25. Jul. Ita Ughellus, *tom. 4. Ital. ſac. col. 1487. num. 10. vet. edit.*

XIX. * * *

Ex nunciis publicis Gallicè ſcriptis per annum 1640. *pp. 749.* & *805.* quidam *epiſcopus* Albaniæ ad ſedem *Dyrrachienſem* tranſlatus eſt eo anno die 10. Septemb. qui fortaſſis, vel ejus ſucceſſor, conſtitutus eſt ab Alexandro VII. anno 1660. die 8. Octobris vicarius apoſtolicus, ut præeſſet populo

Digitized by Google

provinciæ de Chimara in Albania, commu- nionem eccleſiæ Romanæ amplectenti per duos legatos, ad id ab eodem populo Romam miſſos, ut refertur in ſimilibus nunciis anni præfati 1660. *pag. 1123.*

XX. Petrus III.

ECCLESIÆ KERNICENSIS & PRISCÆ.

Petrus Scurra, archiepiſcopus Dyrrachienſis, pallio donatus eſt ab Innocentio XIII. anno 1722. die 23. Septembris. Ex iiſdem nunciis per hunc annum, *pag. 524.*

II. ECCLESIA KERNICENSIS.

INTER epiſtolas Innocentii III. à Baluzio, *to. 2.* editas, una extat, *pag. 796. col. 2.* ſcilicet nonageſima octava lib. XVI. cujus titulus eſt: *Epiſcopo Amyclenſi, electo Kernicenſi, & priori Patracenſi.* Iis autem mandabat Pontifex ut ſententias interdicti à Theſſalonicenſi archiepiſcopo, & Sidonienſi ſive Sithonienſi ac Cardicenſi epiſcopis latas contra detentores bonorum eccleſiaſticorum, præſtito prius juramento de iis reſtituendis, revocarent. Data eſt Signiæ VII. kal. Septemb. anno XVI. (id eſt die 26. Auguſt. anno 1213.) Ex ea porro epiſtola diſcimus aliquem eccleſiæ *Kernicenſi,* nobis aliunde ignotæ, ſed non longius remotæ ab aliis Achaiæ eccleſiis ibi nominatis, puta *Patracenſi, Philippenſi, Sarrenſi, Theſſalonicenſi, Neupatrenſi* ſive *Neopatrenſi, Thebana, Athenienſi* & *Corinthienſi,* ſub ditione Gaufridi de Villa Arduini Achaiæ principis conſtitutis, epiſcopum Latini ritus illo anno 1214. fuiſſe deſignatum præſulem.

III. ECCLESIA PRISCÆ.

R. P. Antoninus Bremond, *tom. 2. Bullar.* Ord. Præd. *pag. 470.* ait eccleſiam *Priſcenſem* eamdem eſſe ac *Juſtinianam primam,* nonnullis *Lochrida,* Turcis *Giuſtandil,* quæ nunc archiepiſcopalis eſt. Abraham Ortelius *in Theſaur. geogr.* ad vocem *Taureſium,* ſcribit urbem illam Tauresium à Procopio, *lib. 4. de Ædif. Juſtiniani Imperatoris,* dici fuiſſe natalem iſtius principis, ab eoque inſtauratam, & quatuor turribus munitam, unde & Τετραπυργία *Tetrapyrgia* nuncupata eſt; proximè vero apud eam ædificatam fuiſſe aliam urbem, quam *Juſtinianam primam* Imperator ille appellavit. Et certe Nicephorus Calliſtus, *lib. 16. hiſt. Eccleſ. cap. 37.* patriam hujus Imperatoris *Achridum* & *Juſtinianam primam* appellat, eamque deſcribit in excelſo tumulo ſitam prope lacum *Lychnidum,* antiquitus *Daſſaritem* dictum. Hæc civitas procul dubio ea ipſa Lychnidus eſt, quam Ptolemæus, *lib. 3. cap. 13.* reponit in Macedoniæ regione Daſſaretiorum, quam nunc *Lochrida* nuncupant multi.

Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 542.* obſervat Juſtinianam primam, nunc *Lochrydam,* eſſe etiamnum amplam Macedoniæ regionis urbem in excelſo colle ſitam ad lacum Lychnidum in limite Albaniæ, ſub dominio Turcarum, hancque 80. milliarib. diſtare à Dyrrachio in ortum Theſſalicum verſus. Habuit autem aliquos epiſcopos ritus Latini, è quibus ſequentes ad notitiam noſtram devenerunt.

EPISCOPI PRISCENSES.

I. Andreas.
II. Georgius.

ANno 1404. mortuo *Andrea* epiſcopo Priſcenſi & Bodenſi, ei ſuffectus eſt à Bonifacio IX. *Georgius Panduſius,* Ord. Præd. ut conſtat ex diplomate hujus Pontificis, dato eo anno die 12. Maii, quod profert R. P. Anton. Bremond, *t. 2. Bullar.* ejuſdem Ord. *p. 457.*

Porro civitas *Bodenſis* ſeu *Bendenſis,* de qua fit mentio in præfato diplomate, ea eſt, teſte R. P. Bremond, *pag. 470.* quæ vulgo *Benda* nominatur. Benda autem, ut de ea Michael Baudrand obſervat, *to. 1. pag. 156. col. 2.* urbs eſt Macedoniæ in Albania regione, & ſedes epiſcopalis ſub archiepiſcopo Dyrrachino; nunc in ruinis jacet ſub dominio Turcarum: ejus epiſcopus commorabatur in caſtro *Mammoli* dicto, & ab ea tractus adjacens etiamnum nuncupatur *la Benda,* ſub quo cenſetur *Sermenica* regiuncula verſus Croiam.

IV. ECCLESIA CROIÆ.

CROIA urbs eſt Albaniæ caput, ex Mich. Anton. Baudrand ſupra laudato, *p. 309. col. 2.* Hæc *Crua* à Chalcondylo, *Croia* ab Italis, & *Croie* à Gallis nuncupatur, juxta Liſanam fluvium. Olim *Antigonia* ſive, ut alii malunt, *Eribæa* dicebatur, eratque munitiſſima. Prope mænia ejus Georgius Caſtriotus, vulgo Scanderbegh, Turcarum potentiam pluries retudit;

Digitized by Google

 ſed poſt ejus obitum à Turcis capta, ipſis etiamnum ſubeſt cum toto tractu. Vix 25. milliar. diſtat ab ora maris Adriatici in ortum, & 35. à Dyrrachio.

EPISCOPI CROIÆ.

I. Gregorius.

II. Andreas.

Waddingus, *tom. 4. annalium Min.* ad annum 1366. *num. 18. pag. 117.* refert, eccleſiâ Croienſi ſub archiepiſcopo Dyrrachino *Gregorii* paſtoris ſui ſolatio deſtitutâ per ejus obitum, electum fuiſſe à capitulo *F. Andream* Ordinis Minor. ſed irrita electione declarata ab Urbano V. illi nihilominus hunc datum eſſe epiſcopum apoſtolica auctoritate eodem anno 1366. die 8. Junii.

III. Antonius.

Idem Waddingus ad annum 1425. *tom. 5.* A *num. 7. pag. 166.* ſcribit *F. Antonium Venturam de S. Blaſio*, Minoritam, eidem eccleſiæ Croienſi fuiſſe præfectum à Martino V. die 10. Octobris.

IV. ***

Anno 1649. menſe Maio *epiſcopus Croiæ* unà cum præſule Liſſienſi, convocatis ſuis diœceſanis, irruerunt in aliquas Turcarum turmas, quæ adverſus habitatores de Montenegro Venetis ſubditos procedebant, & ex illis tria millia in fugam verterunt. Ex nunciis publicis Gallicè ſcriptis per annum 1649. *pag. 678.*

V. ECCLESIA LISSIENSIS.

Lissus ſive *Eliſſus*, urbs eſt Illyrici, in Prævalitana provincia Polybio & Straboni, quæ *Lyſſus* Plinio in Macedoniæ confinio, nunc autem, teſte Sophiano, *Aleſſio* dicitur, urbs Albaniæ regionis in colle arduo ſita, duobus milliaribus ab ora maris Adriatici prope oſtia Drilonis fluvii, qui inibi ſe exonerat in ſinum Illyricum, ab eo fluvio *il Golfo dello Drino* nuncupatum ſub dominio Turcarum. Diſtat autem 20. milliaribus à Nymphæo promontorio in ortum, 25. à Croia in ſeptentrionem, & 35. à Dyrrachio Scodram verſus, media fere inter Epidaurum urbem Dalmatiæ ad ſeptentrionem, & Aulonam urbem Macedoniæ ad meridiem: ſedes eſt epiſcopalis ſub archiepiſcopo Dyrrachino. Hæc Mich. Anton. Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 581. col. 2.* Thomas de Pinedo in Stephanum Byzant. *pag. 425. nota 13.* obſervat Liſſum à Ptolemæo, *lib. 2. cap. 17.* memorari inter Dalmatiæ civitates; quia ſcriptores Dalmatiam & Illyriam, utpote contiguas, frequenter confundunt. Aliquot Liſſus epiſcopos ritus Latini habuit.

EPISCOPI LISSIENSES.

I. Blasius.

Blasius *de Albania,* Ord. Præd. *Liſienſis* ſivè *Liſſienſis* epiſcopus erat anno 1475. de quo *in Regeſtis* Leonardi de Manſuetis Magiſtri Generalis ejuſdem Ord. *fol. 210.* legitur ad præfatum annum: *R. D. Blaſius de Albania ex noſtro Ordine epiſcopus Liſien. habuit licentiam aſſumendi duos ſocios quos voluntarios invenerit, dummodo habeant licentiam à ſuis prælatis.* Ita Fontana *Theat. Dom. pag. 216.* C *tit. 338.*

II. Georgius.

III. Michael.

Georgio epiſcopo Liſienſi ſive Liſſienſi mortuo, ei ſuffectus eſt anno 1513. die 25. April. à Leone X. *F. Michael de Natera*, Ordinis Præd. quem omittunt Fontana, Cavalerius, aliique rerum hujus Ordinis ſcrip- B tores: at diploma ejus promotionis exhibet R. P. Antonin. Bremond, *t. 4. Bullar. p. 397.*

IV. Bernardinus.

Huic ſedi præfectus fuiſſe videtur *Bernardinus* ille *de Grouama*, Ordinis Minor. quem Waddingus, *tom. 8. annal.* ad annum 1518. *num. 23. p. 301.* ad *Alexienſem* epiſcopatum ſub archiepiſcopo Dyrrachino fuiſſe evectum refert eo anno à Leone X. die 17. Maii.

V. ***

In nunciis publicis Gallicè ſcriptis anno 1649. legitur, *pag. 678.* epiſcopos *Liſſienſem* & Croienſem, quorum hîc deſunt nomina, ſuis diœceſanis congregatis, tria circiter millia Turcarum qui adverſus Montenegrenſes, ut eos à Venetis ſejungerent, procedebant, fortiter aggreſſos, in fugam illos vertiſſe.

Digitized by Google

VI. ECCLESIA CANDAVIÆ.

De Candavia hæc tradit Michael Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 219. col. 1.* « Regio eſt » Macedoniæ ad occaſum Cæſari & Ciceroni, ubi montes *Candaviæ* dicti; hodie *la* » *Canovia* etiamnum dicitur, eſtque regiuncula Albaniæ intra montes, ubi incolæ plerumque » chriſtiani, & urbs fuit ejuſdem nominis, epiſcopalis ſub archiepiſcopo Dyrrachino, ſed ex- » ciſa manet ab aliquot ſæculis, & diœceſis complectitur tantum 24. parochias cum eccleſia » cathedrali S. Joanni dicata in monte & oppidulo *Babuichi* dicto in ora littorali, ut didici ex » incolis illius tractus. 75. milliar. circiter diſtat à Dyrrachio in boream. Hinc ſaltus Candaviæ à Scardo monte initium ſumentes, & in auſtrum extenſi. »

EPISCOPI CANDAVIÆ.

THOMAS.

Daniel à V. M. Carmelita Flander, *to. 2. Speculi Carmel. pag. 933. num. 3268.* teſtatur inter inſtrumenta conventus ſui Ordinis in A urbe Semurienſi legi cœmeterium hujus domus fuiſſe benedictum die 16. Octob. anno 1362. à *Thoma* de Candevia, ex Ordine Carmelitarum.

PROVINCIA EPHESI.

I. ECCLESIA EPHESI METROPOLIS.

Michaeli Antonio Baudrand *geogr. tom. 1. pag. 364. col. 1. Epheſus* urbs eſt Aſiæ minoris, maritima in Ionia provincia. Pherecydes antiquus ſcriptor, narrat apud Strabon. *lib. 14. geogr. pag. 632.* C. *edit. Caſaub.* Androclum Codri Athenienſium regis filium legitimum & ducem coloniæ Ioniorum, Epheſum condidiſſe. Ipſe autem Strabo ait, *p. ſeq.* C. Smyrnâ ædificatâ ab Epheſiis, ipſam Epheſum *Smyrnæ* nomen geſſiſſe; ita ut Callinus *in oratione* ad Jovem, Epheſios Smyrnæorum vocabulo exprimat, Σμυρναίης δ' ἐλέησον, *Smyrnæos miſerere.* Epheſus Herodoto, *lib. 1. cap. 142. Lydiæ* urbs eſt; quia ſcilicet, ut obſervat Cellar. *tom. 2. geogr. antiq. lib. 3. cap. 3. pag. 80. Lydia* olim fuerat, quæ à colonis nuncupata eſt *Ionia,* vel quia pars *Lydorum* regni fuit, licet non *Lydiæ* propriæ, quam in mediterraneo (tractu) definivit Ptolemæus.

ARCHIEPISCOPI EPHESINI.

I. CORRADUS.

Corradus, Ord. Min. vir doctus & in linguis Orientalibus verſatus, ad archiepiſcopatum Epheſinum promotus eſt à Conſtantinopolitano Patriarcha Latini ritus, qui tunc erat *Petrus II.* vel *Cardinalis,* de quibus ſupra egimus, *col. 812.* C. D. E. Hanc vero dignitatem ei confirmavit Joannes XXII. anno 1318. die IV. Jul. diplomate: *Decet & expedit, &c.* quod citat Waddingus, *tom. 8.* ad B eum annum, *num. 31. pag. 228.* & refert *ibid. in Regeſto Pontif. pag. 77.*

II. DOMINICUS.

III. FREDERICUS.

Idem Waddingus, *tom. 5.* ad annum 1411. *num. 3. pag. 76.* teſtatur ſe eruiſſe *ex libris conſiſtorialibus, F. Dominico* præſuli Epheſino mortuo ſuffectum fuiſſe die 2. Januar. anno 1411. à Joanne XXIII. *F. Fredericum Monſ.* Minoritam.

II. ECCLESIA PERGAMI.

Pergamus, Græcè Πέργαμος, urbs Myſiæ majoris mediterranea in Aſia minori Ptolemæo & Joſepho, *Pergamo* adhuc dicta, teſte Sophiano: nunc ſemi-diruta extat ſub poteſtate Turcarum. Fuit olim Attalicorum regum ſedes, quam Eumenes rex, Romanis junctus adverſus Antiochum magnum, valde auxit, & bibliothecis exornavit: hujus filius

Digitized by Google

ECCLESIA PERGAMI. Attalus nomine III. ſine liberis decedens, Romanos fecit hæredes regni ſui, qui illud in provinciæ formam redegerunt. Patria fuit Galeni inſignis medici ſub Trajano, Adriano, & Antonino Pio Imperatoribus. Ab ea urbe Pergamena Charta nomen accepit. Hæc porro civitas in ipſo limite Lydiæ ſita eſt, inter Adramittium ad occaſum æſtivum 55. milliar. & Thyatiram ad ortum hybernum 25. à Sardibus 66. circiter & 35. à Smyrna: eam intermeat Selinus fluvius, & præfluit Caicus, eſtque in planitie ad radices montis: ſedes olim fuit epiſcopalis ſub archiepiſcopo Epheſino, poſtea vero metropolis effecta. Hæc Michael Anton. Baudrand *geogr. tom. 2. pag. 93. col. 1.*

EPISCOPI PERGAMI.

AGNISIUS.

PERGAMO præfectus eſt epiſcopus à Bonifacio VIII. circa annum 1297. *Agniſius* Pergamenſis, Ordinis Prædic. cujus nempe A Olmeda meminit in vita B. Nicolai Tarviſini ejuſdem Ordinis Magiſtri Gener. IX. poſtea Cardinalis, demum ſummi Pontificis ſub nomine Benedicti XI. Ita refert Fontana *in Theat. Dom pag. 262. tit. 460.*

III.

ECCLESIA DIMITRIENSIS.

DIMITRIENSE oppidum, de quo hîc agitur, eſt veriſimiliter *Antandros,* de qua Abraham Ortelius *in Theſauro geogr.* ait: Ἀντανδρος Ptolemæo Aſiæ minoris oppidum eſt in Myſia regione, ad mare Ægæum, quod ut apud Plinium eſt, *lib. 5. cap. 30. Edonis* prius vocatum, deinde *Cimmeris* & *Aſſos,* item & *Apollonia;* hodie *S. Dimitri,* Sophiano ſcriptore, dicitur. *Antandros* & *Aſſon* duo diverſa ſunt Ptolemæo oppida. *Antandrus* autem Solino ſaxum eſt in hoc tractu, quod procul viſentibus capræ ſimile creditur: extat in ora ſinus Adramytteni inter Scepſim & Adramyttium fere media, prope oſtia Cillei fluvii: ſedes eſt epiſcopalis ſub archiepiſcopo Epheſino, ex Baudrand, *tom. 1. pag. 66. col. 1.*

EPISCOPI DIMITRIENSES.

I. GEORGIUS.

ANno 1392. Bonifacius IX. epiſcopum *Dimitrienſem* ſive *Demetrienſem* renuntiavit *Georgium de Argentina,* Ord. Præd. Ita refert Fontana ex Bzovii *mſſ. in append. ad Theat. Dom. p. 623. col. 1.* Hunc autem *Gregorium* appellat Cavaler. *tom. 1. Galler. Dom. p. 182. num. 322.* ſed neuter eorum exprimit cuinam civitati Dimitrienſi ille præfuerit, num ei quæ dicitur *Antandros* in Phrygia ſub metropoli Epheſina, an vero *Demetriadi* urbi Theſſaliæ ſub metropoli Lariſſena, quæ & ipſa poſtea in metropolim erecta eſt. Doctiſſ. P. Antonin. Bremond eum epiſcopis S. Dimitri in Myſia adſcribit. « Fr. Georgius Argentinenſis, inquit, epiſcopus Dimitrienſis ſeu Antandrenſis, vulgo *S. Dimitri,* in Myſia ſub archiepiſcopo Epheſino, » *tom. 2. Bullar. pag. 463.*

II. RODERICUS.

Huic Georgio, vel alteri ejuſdem nominis, niſi poſt prioris mortem aliquandiu vacaverit eccleſia Demetrienſis, ſubſtituit Eugenius IV. anno 1437. die 4. Februar. diplomate, *Divina diſponente clementia,* vacante ſede per obitum *Georgii, Fr. Rodericum Regamiam,* Ord. Min. Ita Wadd. ad hunc annum 1437. *tom. 5. annal. Min. num. 34. pag. 320.* qui diploma illud profert *in Regeſt. Pontif. ibid. pag. 246.*

IV.

ECCLESIA AURELIOPOLIS.

AURELIOPOLIS, urbs Aſiæ minoris, epiſcopalis ſub archiepiſcopo Epheſino, Miræo teſte, in Lidia regione, 60. milliar. diſtat ab Epheſo in boream. Hæc Baudrand *geogr. tom. 1. pag. 128. col. 1.* De ea autem hæc habet Carolus à S. Paulo abbas Fulienſ. *geogr. ſac. edit. Pariſ. 1641. pag. 230.* « *Aureliopolis* notitiæ antiquæ Græcæ, quæ & *Aurelianopolis* » dicitur, quibuſdam in Lydia eſt Aſiæ finitima, ſed certius in provincia Aſiæ locandam eſſe » cenſeo cum notitia Græca, quæ facit eam Epheſinæ metropolis ſuffraganeam. » *In notit. Græcor. epiſcopat.* ad calcem Codini *de Offic. pag. 340.* in provincia Aſiæ recenſetur decimo quinto loco Ὁ Αὐρηλουπόλεως *Aureliopoleos.* Altera etiam ejuſdem nominis ponitur *ibid. pag. ſeq. 341.* in provincia Lydiæ, ſexto loco Ὁ Αὐρηλιουπόλεως *Aureliopoleos.* Eodem modo in alia *notit. pp. 368. & 370.* Eodem quoque modo *in notit.* Leonis Sapientis, *pag. 382.* ſub throno

throno ſecundo Epheſi Aſiæ, loco decimo tertio, & *pag. 384.* ſub throno ſexto Sardium Lydiæ, quinto loco *Aureliopolis*, ὁ Αὐρηλιουπόλεως. Ex quibus patet fuiſſe duplicem hujus nominis ſedem epiſcopalem, unam ſub Epheſo metropoli, alteram ſub Sardenſi. Porro ad quamlibet illarum pertineant epiſcopi ſequentes, eos hîc recenſemus, quos *Aureliopolis* invenimus præſules, non deſignata Sardium metropoli. ECCLESIA AURELIOPOLIS.

EPISCOPI AURELIOPOLIS.

I. NICOLAUS.

WADDINGUS, *tom. 4. annalium Min.* ad annum 1369. *num. 1. pp. 120. & 121.* refert Joannem Palæologum Imperat. Græcorum, profeſſionem fidei Romæ emiſiſſe eo anno, *Indict. VII.* die 18. Octob. præſentibus Paulo Patriarcha Conſtantinopolitano ritus Latini, *Nicolao epiſcopo Aurenopolitano* (legendum videtur *Aurelianopolitano* vel *Aureliopolitano*) & Fr. Antonio Athenienſi Ord. Min. deputatis auctoritate apoſtolica, ut quæcumque ille dixiſſet, interpretarentur: linguam enim A Græcam & Latinam optime callebant.

II. FERDINANDUS.

Ex eodem Waddingo, *t. 8.* ad annum 1531. *num. 13. pag. 511. Fr. Ferdinandus Vaqueirus*, Minorita, ad ſedem Aureliopolienſem in Aſia ſub archiepiſcopo Epheſino, & ſuffraganeus ſeu proepiſcopus in inſulis & locis Indiæ orientalis dominio regis Luſitaniæ ſubjectis renuntiatus eſt à Clemente VII. anno 1531. die 27. Novemb. de quo legendus Maffeius *de rebus Indiar. lib. X.* verſus finem. Obiit circa annum 1537.

PROVINCIA HADRIANOPOLITANA.

I. ECCLESIA HADRIANOPOLITANA METROPOLIS.

ECCLESIA HADRIANOPOLITANA.

HADRIANOPOLIS, urbs Thraciæ Ptolemæo, quæ prius *Uſcudama*, ut Ammianus, & *Oreſta*, ut Lampridius, vel *Oreſtias*, ut Zonaras ſcribunt, appellabatur; vulgo Turcis *Endrem*, Italis vero *Andrinopoli* dicitur, ad Hebrum fluvium ſita: capta fuit à Turcis anno 1402. factaque eorum ſedes regia ante expugnatam Conſtantinopolim, à qua diſtat 150. milliar. in occaſum Philippopolim verſus, & 80. à mari Ægæo in ſeptentrionem. Hæc Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 458. col. 1.* Sedes eſt archiepiſcopalis ſub Patriarcha Conſtantinopolitano.

ARCHIEPISCOPI HADRIANOPOLITANI.

* * *

TEmpore Innocentii III. præfectum fuiſſe Hadrianopoli antiſtitem Latini ritus colligitur ex epiſtola encyclica hujus Pontificis, data anno 1213. die 19. April. qua præſules invi- B tabat ad concilium Lateranenſe anno 1215. celebrandum: inter cæteros enim recenſetur Hadrianopolitanus, *to. XI. part. 1. conc. Labb. col. 125. E. In eodem modo archiepiſcopo & epiſcopis per Andrinopolitanam provinciam.* Cæterum hujus archiepiſcopi nomen nos latet.

II. ECCLESIA SOZOPOLIS.

SOZOPOLIS, ex Mich. Anton. Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 257. col. 2.* urbs parva eſt Thraciæ ad Pontum Euxinum, teſte Gregora: ſedes epiſcopalis unà cum Agathopoli fuit ſub archiepiſcopo Hadrianopolitano; ſed an extet hodie incertum eſt. Vide quæ de ea eccleſia dicta ſunt ſupra, *tom. 1. coll. 1181. & 1182.*

EPISCOPI SOZOPOLIS.

GUILLELMUS.

WADDINGUS, *tom. 4. annalium Min.* ad annum 1356. *num. 1. p. 47.* ſcribit Petrum C Thomæ ſive Thomaſium Ordinis Carmelit. epiſcopum tunc Pactenſem, & *Guillelmum*, Minoritam, epiſcopum Sizopolitanum, delegatos fuiſſe eo anno Conſtantinopolim ab

Innocentio VI. ad Joannem Palæologum, Imperatorem Græcorum, ut illum ad eam fidei profeſſionem coram omnibus, præſente etiam Patriarcha, in baſilica S. Sophiæ, vel alia inſigni, emittendam inducerent, quam ipſemet Imperator ad ſedem apoſtolicam miſerat. De ea legatione loquitur Raynaldus ad eumdem annum 1356. *nn.* 33. & 34. ubi totam epiſtolam hujus Pontificis ad Joannem Palæologum datam die 21. Julii eo anno refert.

III. ECCLESIA SCOPELI.

De *Scopelo* hæc ſcribit Baudrand, *tom.* 2. *pag.* 213. *col.* 2. « *Scopelus*, urbs Thraciæ, » mediterranea Cedreno, (ſedes) epiſcopalis à Leone Imperat. effecta ſub Hadrianopoli- » tano archiepiſcopo, Develto urbi finitima, ab ea Hadrianopolim verſus recedens, *Iſcheboli* vulgo, teſte Leunclavio, *Scopi* dici videtur apud Stephanum.» Hæc aliquos habuit Latini ritus epiſcopos, è quibus nobis innoteſcunt qui ſequuntur.

EPISCOPI SCOPELENSES.

I. Joannes I.

II. Joannes II.

Joannes *de Conſtantia*, Ordinis Prædic. epiſcopus *Scopulenſis* ſeu *Scopelenſis*, ſub archiepiſcopo Hadrianopolitano in Thracia, florebat anno 1307. ſub Clemente V. teſte Bernardo Guidonis, ſcriptore coævo, in epiſcopis provinciæ Græciæ, ex quo emendandi occurrunt, tum Cavalerius cum auctoribus quos citat, *tom.* 1. *pag.* 254. *nn.* 145. & 146. quaſi ille vixerit anno circiter 1451. tum etiam Fontana *Theat. Domin. pag.* 292. qui inſuper in eo hallucinatur, quod Joannem iſtum inter epiſcopos *Scopienſes* recenſeat. R. P. Echard *in indice epiſcoporum*, ad limen *tom.* 1. *ſcriptor. Ord. Præd.* appoſito, *pag.* 25. *col.* 2. de Joanne hæc monet: « *Joannes de* » *Conſtantia*, epiſcopus *Scopienſis*, ut habet » Laurent. Pignon, vel ut fert hujus epitaphium » Coloniæ apud FF. Præd. *Scopulenſis*, anno » 1298. electus (ſub Bonifacio VIII.) obiit » 17. Octobris 1321. Fuit ſuffraganeus Coloe nienſis. Sic (Joan. Henr.) Heiſter in ſuffrag. » Colonienſ. *pag.* 98.» Verum, teſte doctiſſ. P. Antonin. Bremond, *tom.* 2. *Bull. p.* 127. *Scopienſis* civitas alia eſt à *Scopelo:* prior enim dicitur *Scupi*, Italis *Scopia*, Turcis *Uſchub*, in Mœſia ſuperiori, nunc in Servia, in confinio Macedoniæ, olim ſedes epiſcopalis, nunc metropolis: poſterior vero, ſive *Scopelus*, eſt in Thracia mediterranea. Ipſe Joannem hunc cenſet *Scopulenſem* ſive *Scopelenſem* fuiſſe epiſcopum, non *Scopienſem*.

Ejuſdem eccleſiæ, ut quidem videtur, *Scopelenſis* epiſcopus fuit, Joanniſque ſucceſſor *Joannes* alter ejuſdem Ordinis Præd. ſuffraganeus quoque archiepiſcopi Colonienſis ab anno 1321. ad 1331. ex præfato Heiſter, de quo poſtremo Joanne ait R. P. Echard *ibid.* «Forte ille eſt qui à Laurent. Pignon dicitur *Joannes de Limengaublie* epiſcopus *Scopienſis*, « qui certo ſedebat ante 1394. ac proinde à « noſtris (ſcriptoribus) non recte amandatur ad « annum 1451.»

IV. ECCLESIA AGATHOPOLIS.

Ex Mich. Anton. Baudrand *geogr. to.* 1 *p.* 25. *col.* 1. hæc *Agathopolis* urbs eſt Thraciæ, ſedeſque epiſcopalis ſub archiep. Hadrianopolitano in Hæmimonte. Abbas de Commanville *in Tabula alphabetica epiſcoporum totius orbis, p.* 7. hanc ait nunc appellari *Gotopoli*, & eſſe viculum tantum, ac unicum ſuffraganeum metropolis ſupra memoratæ. *In notit. Græcor. epiſcopat.* Imper. Leonis Sapientis, ad calcem Codini *de Offic. pag.* 395. extat ſub throno quadrageſimo Hadrianopolis Hæmimontis, ſecundo loco, β'. ὁ Ἀγαθοπόλεως. 2. *Agathopolis.*

EPISCOPI AGATHOPOLIS.

I. Leontius.

II. Thomas.

Waddingus, *tom.* 6. *annalium Min.* ad annum 1463. *num.* 120. *p.* 617. ſcribit, poſt mortem *Leontii* epiſcopi *Agathopolis* in Hæmimonte, ſub archiepiſcopatu Andrianopolitano, renuntiatum eſſe hujus loci præſulem à Pio II. anno 1460. VI. Nonas (id eſt die 2.) Mart. *Fr. Thomam Bueldner*, Minoritam, ſacræ theologiæ profeſſorem, qui poſtea anno 1463. VIII. kal. Octob. (id eſt die 24. Sept.) aſſignatus eſt ſuffraganeus Buchardi epiſcopi Conſtantienſis.

Digitized by Google

PROVINCIA HERACLEENSIS.

I. ECCLESIA HERACLEÆ METROPOLIS.

ECCLESIA HERACLEÆ.

MICHAEL Anton. Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 472. col. 1.* ad vocem *Heraclea*, de ea civitate ita loquitur: « *Heraclea*, urbs Thraciæ Ammiano, quæ & *Perinthus* Ptolemæo, & antea *Migdonia* dicta, nunc *Araclea*, teſtibus Leunclavio & Sophiano, urbs archi- « epiſcopalis, ſed male culta, cum portu capaci & tuto in ora Propontidis, deficit in dies. « Diſtat autem 52. milliar. à Conſtantinopoli in occaſum, & 70. à Callipoli in ſeptentrionem. » Et, *tom. 2. pag. 93. col. 2.* ad vocem *Perinthus*: « Urbs eſt Thraciæ in Corpialica provincia Ptolemæo & Zozimo, quæ *Heraclea* Ammiano, nunc etiam *Heraclia* dicta Nigro, Sophiano « & Ortelio, ſeu *Araclia* Leunclavio & aliis.... diſtat 48. milliar. ab Apris in ortum, & 20. à « Rhodoſto in ſeptentrionem, &c. Anno ab urbe Roma condita 153. ædificata fuit, ut qui- « dam tradunt. »

ARCHIEPISCOPI HERACLEENSES.

*** *fortaſſis* FANTINUS.

ANno 1208. die 17. April. Innocentius III. ſcripſit epiſtolam ſuam ſexageſimam octavam lib. XI. *electo Heracleenſi, tom. 2. edit. Baluz. pag. 171. col. 1.* Epiſtolæ etiam 144. lib. XII. anno 1209. 38. lib. XIII. anno 1210. & 84. lib. XIV. anno 1211. directæ ſunt *Heraclienſi archiepiſcopo*.

Hunc Heraclienſem metropolitam poſtulatum fuiſſe ad ſedem Conſtantinopolitanam poſt mortem Thomæ Mauroceni primi Patriarchæ ritus Latini, refert præfatus Innocentius epiſt. 112. lib. XVI. *ibid. pag. 801.* A *col. 2. Albanenſi epiſcopo apoſtolicæ ſedis legato*, data Signiæ XIV. kal. Octobris anno XVI. (id eſt die 18. Septemb. anno 1213.) Inter epiſtolas ejuſdem Pontificis encyclicas, invitandis præſulibus ad concilium generale Lateranenſe ſcriptas, una erat *archiepiſcopo & epiſcopis per Yraclienſem provinciam conſtitutis*, data Laterani XIII. kal. Maii anno XVI. (id eſt die 19. April. anno Chriſti 1213.) ut obſervat Labbeus, *tom. XI. conc. part. 1. col. 125.* C. In his omnibus locis nomen iſtius archiepiſcopi Heracleenſis deſideratur; ſed Paulus Rhamnuſius, *lib. 4. de Deliciis Italicis* ſcribit illum appellatum fuiſſe *Fantinum*.

II. ECCLESIA PANIDENSIS.

QUÆ ſit eccleſia *Panidenſis* obſcurum eſt: extabat tamen tempore Innocentii III. *epiſcopus Panidenſis*, ut modo dicetur. Urbs eſt fortaſſis *Panis*, de qua Michael Anton. Baudrand ſic paucis loquitur, *tom. 2. pag. 76. col. 1. Panis, urbs Thraciæ in Europa provincia, ex ſynodo ſexta Conſtantinopolitana.* Abrahamus Ortelius *in Theſauro geogr.* ad vocem *Panium*, ait: « *Panium* Πάνιον, promontorium Europæ, parallelum Cyaneis inſulis, ut illud ex Dyoniſio Byzant. deſcribit Gyllius; hodie *Phanorion* vulgo vocatur. Hujus Panii meminere quo- « que Zonaras, Nicetas & Cedrenus. Suidæ caſtrum circa littus eſt in finibus Heracleæ. » Carolus quoque à S. Paulo *geogr. ſac. pag. 233. edit. 1641. Panium* ſeu *Phanorion* conſtituit ſub Heraclia in Thracia provincia Europæ.

EPISCOPI PANIDENSES.

I. ***

INNOCENTII III. tres epiſtolæ occurrunt anno 1208. ſcriptæ, ſcilicet 13. 17. & 77. lib. XI. *tom. 2. edit. Baluz.* in quorum titulo epiſcopus Panidenſis inter alios legitur, ſed non nominatur.

B

II. JACOBUS.

Thomas de Herrera *Alphabeti Auguſtiniani tom. 1. pag. 425. col. 2.* hæc ſcribit de quodam *Jacobo* hujus Ordinis: « *Jacobus de Bononia* erat anno 1314. epiſcopus *Pavidenſis* « ſeu *Panidenſis*, ut conſtat ex inſtrumento.... « quod extat in archivo urbis Bononienſis, in «

Digitized by Google

ECCLESIA PANIDENSIS.

» archivo Cameræ actorum urbis, & in uno » libro memorialium contractuum & ultima- » rum voluntatum, ſcripto de anno 1314. per » Bartholomæum Andreæ Bartholomæi nota- » rium ad dictum officium memorialium. Ibi » *fol. 17.* ſic habetur: *Inſtrumentum permutationis* » *quorumdam bonorum facta per R. P. Fr. Jacobum* » *de Bononia capellæ SS. Vitalis & Agricolæ,* » *Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini,* » *eccleſiæ ſancti Jacobi, epiſcopum Pavidenſem;* *factum de dicto anno 1314. die 14. menſis Sept.* »

III. Joannes.

IV. Bertaldus.

Si eadem ſit *Panadenſis* ac Panidenſis ecA cleſia, *Joanne* epiſcopo *Panadenſi* mortuo, Paulus II. ei ſubſtituit in illa ſede *Bertaldum de Oberk,* Ordinis Præd. anno 1468. die 13. Maii. Hujus quidem epiſcopi meminerunt Fontana *Theat. Dom. pag. 259. tit. 449.* & Cavaler. *tom. 1. Galler. Dom. p. 276. n. 208.* At circa nomen & cognomen ipſius erravere. Ab utroque enim *Benedictus* nuncupatur, & à priore dicitur *de Othert*, à poſteriore vero *de Oberich*, & natione Scotus; quo tamen nomine & cognomine donatus fuerit, conſtat ex diplomate Pauli II. quod profert R. P. Antonin. Bremond, *tom. 3. Bullar. Ord. Præd. pag. 478.* ubi nominatur *Bertaldus de Oberk.*

III. ECCLESIA SELYMBRIÆ, *ſive* SALIMBRIÆ.

SELYMBRIA, ex Michaele Anton. Baudrand, *tom. 2. pag. 224. col. 1.* urbs eſt Thraciæ ad Propontidem Plinio, *lib. 4. cap. 11.* quæ *Selybria* Ptolemæo in Urbana provincia, ſedes olim epiſcopalis fuit ſub archiepiſcopo Heracleenſi, ſed nunc metropolis eſt. *Selivrea* dicitur, teſte Sophiano, Gallis *Selivrée*, urbs etiamnum ampla ſub dominio Turcarum, quamquam fere ſine mœnibus; diſtat autem 50. mill. à Byzantio in occaſum, Perynthum verſus 25. Martinus Cruſius Turco-græc. *lib. 7. pag. 507.* ait *Selybriam 7. milliar. Germanicis à Byzantio diſtare, & in monte ſitam eſſe in mare proxime ſubjectum deſpiciente.* Strabo hanc tradit, *lib. 7. pag. 319.* B. *edit. Caſaub.* antea *Seiyn* appellatam, poſtea vero additam eſſe vocem *Bria*, quæ Thracum lingua *urbem* ſignificat. Dividitur hodie in ſuperiorem & in inferiorem, portu inſtructas parum tuto.

EPISCOPI SALIMBRIENSES.

I. * * *

ANno 1207. & ſeqq. aliquis ſedebat *epiſcopus Salimbrienſis:* plures enim Innocentii III. epiſtolæ *epiſcopo Salimbrienſi* ſcriptæ annis 1207. 1208. 1209. 1210. 1211. & 1212. leguntur *tom. 2. edit. Baluz.* ſcilicet epiſtola 125. lib. x. Epiſtolæ 15. 35. 41. & 171. lib. xi. Epiſtolæ 115. & 144. lib. xii. Epiſtola 185. lib. xiii. Epiſtola 90. lib. xiv. denique epiſtola 33. lib. xv. In hac poſtrema, quæ data eſt xviii. kalend. Maii anno xv. (id eſt die 14. April. anno 1212.) *Salimbrienſi epiſcopo*, ait Pontifex: *Quum Buccæ Leonis & de Blakerna eccleſiæ ad Romanam eccleſiam nullo pertineant mediante, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus chriſma, oleum ſanctum & alia eccleſiaſtica ſacramenta, quum neceſſe fuerit, ſtudeas ipſis liberaliter exhibere.* Cæterum in his omnibus Innocentii Papæ epiſtolis Salimbrienſis hujus epiſcopi abeſt nomen.

II. * * *

Anno 1221. ſedebat aliquis *epiſcopus Salimbrienſis*, alius fortaſſis ab illo cujus modo meminimus, ejuſque ſucceſſor quem, tacito etiam nomine, Honorius III. in epiſtola eo anno die 8. Mart. ad Matthæum Patriarcham B ſcripta, cum ipſo invigilare jubet, ut conſtitutio ſynodalis à Pelagio epiſcopo Albanenſi edita tempore legationis ſuæ, in his regionibus ſervaretur, qua cautum erat ne ulli principi, niſi ſacro oleo inunctus foret, agmen religioſorum honoris gratia obviam procederet, neve lecto evangelio liber ei oſculandus deferretur, ne tandem ſacris ordinibus initiati, tabellionis munus obirent. Ita refert Raynald. ad annum 1221. *nn. 27.* & *28.*

C

III. Franciscus I.

R. P. Echard de quodam *Franciſco* Ord. Præd. iſta habet *in indice epiſcopor. t. 1. ſcriptor. ejuſdem Ord. præfixo, p. 22. col. 1.* « *Franciſcus* epiſcopus Salubrienſis (Salimbrienſis) « Leodienſis epiſcopi ſuffraganeus, & vices ge- « rens, florebat anno 1294. quo ædem ſacram « noſtram (Ord. Præd.) Trajecti ad Moſam de- « dicavit. *Ex Tabulis ejus domus.* Omittitur à « D Fontana & aliis noſtris. » Addit vero doctiſſ. P. Bremond, *t. 2. Bull. Præd. p. 38.* circa annum 1294. « *Fr. Franciſcus de S. Georgio,* ſic ab ejuſdem nominis patria in diœceſi Bono- « nienſi ſita nuncupatus, epiſcopus Salubrienſis « in Græcia ſub Patriarcha Conſtantinopoli- « tano, vices gerens Leodienſis fuit. (Citat) *Bernardum Guidonis in epiſcopis provinciæ Græciæ,* «

IV.

Digitized by Google

» Cavalerium, *to. 1. pag. 118. num. 113.* R. P. » Echard. *to. 1.* &c. Quo anno deceſſerit è vivis, » vel inauguratus fuerit Franciſcus (iſte) incer- » tum. Id unum ſcimus, (ut) inquit Cavalerius, » ipſum vixiſſe, ſedente Benedicto XII. circa » 1340. & Bononiæ mortuum, ibi enim viſitur » ſepulchrum, ubi hoc breve epitaphium: *Fratris Franciſci epiſcopi Salubrienſis.* » Scilicet poſt recuperatam à Græcis Conſtantinopolim anno 1261. vix ullus Selimbrienſis epiſcopus ritus Latini Selimbriæ ſedere potuit.

IV. JOANNES.

V. FRANCISCUS II.

Anno 1396. *Joannes* epiſcopus Salubrienſis (Salimbrienſis) ſub Patriarcha Conſtantinopolitano migravit ex hac vita, eique ſuffecit Bonifacius IX. eodem anno die 3. Jul. *Fr. Franciſcum de Sancto-Patre,* Ord. Min. Ita refert Waddingus ad eum annum 1396. *to. 4. num. 2. pag. 310.*

VI. NICOLAUS.

Nicolaus epiſcopus erat Wladimirienſis ſeu Wlodimirienſis, vulgo *Wlodzimierz* in Polonia anno 1400. quo à Bonifacio IX. die 17. Febr. ex ea ſede ad *Salubrienſem* diplomate *Apoſtolatus officium* tranſlatus eſt, eique ſuffectus Gregorius de Butzkow, Ordinis Præd. Diploma iſtud legitur apud R. P. Antonin. Bremond, *tom. 2. Bull. Ord. Præd. pag. 393.*

VII. FRANCISCHINUS.

VIII. ROGERUS.

Gregorius. Rogerius.

Poſt obitum *Franciſchini* epiſcopi Salimbrienſis, renuntiatus eſt hujus eccleſiæ præſul à Martino V. anno 1420. die 16. Decemb. *Rogerus* Ord. Præd. ut ſcribit R. P. Bremond, *to. 2. Bullar. p. 703.* ubi monet *Solubrienſem, Selymbrienſem, Selybrienſem* & *Selombrienſem* eccleſiam, unam & eamdem eſſe, vulgo *Selivrée* dictam, *Selivream, Selombriam* & *Selibriam* in Thracia ſub Heracleenſi archiepiſcopo, quæ nunc metropolis eſt; legitur autem apud eum diploma Martini V. *ibid. p. 595.* Waddingus, *tom. 6.* ad annum 1461. *n. 19. p. 499.* inter aliquot præſules, quorum dicit eo anno occurrere memoriam, *Gregorium* & *Rogerium de Arella* recenſet: « (Memoria) » *Rogerii de Arella,* inquit, epiſcopi *Solubrien.* » eccleſiæ in confinibus Hungariæ ſub Pa-

A triarcha Conſtantinopolitano, paulo antea « ab infidelibus occupatæ, per obitum *Gregorii* « xv. kal. Januar. (id eſt die 18. Decembris) « conceduntur ei fructus eccleſiæ Salpienſis « unitæ menſæ archiepiſcopali Tranenſi. » At Rogerii non meminit Ughellus *in epiſcopis Salpenſibus, tom. 7. veter. edit. col. 1244.* qui hanc eccleſiam Salpenſem ait, *col. ſeq. n. 22.* fuiſſe unitam Tranenſi à Martino V. & rurſus à Tranenſi divulſam anno 1523. Verum, quia ab anno 1420. & antea uſque ad annum 1463. eccleſiæ Selimbrienſi præfuere Franciſchinus, Rogerus, & Simon ſine ulla inter-

B ruptione, Simoni autem ſucceſſit Ingueranدus anno 1464. non video ad eam ſedem promoveri potuiſſe *Gregorium* & *Rogerium de Arella* circa annum 1461.

IX. SIMON.

X. INGUERANDUS.

Rogero ſucceſſit anno 1439. in ſede Selimbrienſi *Simon de Lande,* ejuſdem Ordinis Prædic. ut conſtat ex diplomate Eugenii IV. dato eo anno die 14. Octob. quod profert R. P. Bremond, *tom. 3. Bullar. p. 225.* Hunc

C tamen Waddingus, *tom. 5.* ad annum 1439. *num. 56. pag. 369.* epiſcopis ſui Ordinis accenſet, ſed non refert diploma Pontificium. « Salubrienſ. inquit, in patriarchatu Conſtantinopolitano, petente duce Burgundiæ *Fr.* « *Simon de Lande* IX. Octobris. » Alterum diploma recitat laudatus R. P. Bremond, datum VI. kal. Nov. (id eſt die 27. Octob.) eodem anno, in quo is & Dominicanus aſſeritur, & à confeſſionibus fuiſſe Iſabelis duciſſæ Burgundiæ. R. P. Echard *in indice epiſcopor. Ord. Præd. tom. 1. ſcriptor. ejuſdem Ord. præfixo, pag. 23. col. 2.* hæc monet de iſto Simone.

D « Simon de Lande patria & profeſſione Duacenſis, Philippi Boni ducis Burgundiæ con- « feſſarius, epiſcopus titularis Salubrienſis.... « promotus ab Eugenio IV. an. 1439. die 27. « Octobris) anno IX. quarum exemplum mihi « eſt præ manibus. Obiit vero anno. 1463. Non « fuit ſuffraganeus Atrebatenſis, ut quibuſdam « viſus eſt. »

Huic ſucceſſit *Fr. Inguerandus Signart,* etiam Ordinis Præd. anno I. Pauli II. electi anno 1464. tranſlatus eſt deinde ad eccleſiam Antiſiodorenſem die 21. Mart. anni 1473. Obiit demum Pariſiis anno 1485. die 22. Mart. Fontana *Theat. Dom. pag. 126. tit. 39. & pag. 283. tit. 508.*

ECCLESIA SELYMBRIÆ. *ſive* SALIMBRIÆ.

IV. ECCLESIA MISINI.

BAUDRAND, *tom. 1. geogr. p. 660. col. 1.* ad vocem *Mizinum,* de ea urbe hæc ſcribit: « *Mizinum* ſeu *Miſinum* urbs Thraciæ epiſcopalis, quæ & *Druſipara* ſeu *Dryſipara.* »

Digitized by Google

EPISCOPI MISINI.

I. FRANCISCUS.
II. NICOLAUS.

FRANCISCO epiſcopo Miſinenſi mortuo circa annum 1397. Bonifacius IX. ſubſtituit *Nicolaum Tzymernan*, Ord. Præd. die 17. Oct. hujus anni, ut conſtat hujus Pontificis diplomate, quod profert R. P. Bremond, *tom. 2. Bull. p. 366.* qui etiam obſervat *ibid. p. 466.* hunc minus recte *Miſnenſis* eccleſiæ ſub Magdeburgi archiepiſcopo in Saxonia ſuperiori dici fuiſſe præſulem à Fontana & Cavalerio, qui *Miſinenſem* in Thracia non noverant.

III. PETRUS.
IV. JOANNES.

Anno 1476. vel initio ſequentis, ſedi Miſinenſi vacanti per obitum *Petri* præfecit Sixtus IV. anno 1477. die 30. Jan. *Fr. Joannem Tidelu*, Ordin. Præd. diplomate quod extat apud præfatum R. P. Bremond, *to. 3. Bullar. pag. 640.*

V. LUDOVICUS.

Joanni modo memorato, vel alteri ejuſdem nominis mortuo, ſucceſſit in ſede Miſinenſi *Fr. Ludovicus de Sighen*, Minorita, promovente Alexandro VI. die 20. Maii anni 1502. teſte Waddingo, *tom. 8.* ad hunc annum, *num. 34. pag. 31.* Obiit die 13. Febr. anno 1508. *ibid.* ad hunc annum, *num. 19. pag. 155.*

V. ECCLESIA CALLIPOLIS.

CALLIPOLIS, urbs Thraciæ Cherſoneſi Ptolemæo, Straboni, & Stephano Byzantio, nunc *Gallipoli* noſtris, & *Geliboli* Turcis, teſte Leunclavio; ſedes eſt tum epiſcopalis ſub Heracleenſi archiepiſcopo, tum etiam præfecti maris ſub dominio Turcarum; portu & arce pollet, atque armamentario probe inſtructo, ad Helleſpontum qui ab ea *Gallipolitanus ſinus* dicitur, è regione Aſiæ minoris à qua diſtat tantum 5. milliarib. in occaſum, & vix duobus à Propontide, à Byzantio autem 110. in meridiem. Hæc Mich. Anton. Baudrand ad vocem *Callipolis, tom. 1. geogr. pag. 211. col. 2.*

EPISCOPI CALLIPOLIS.

I. * * *

TEmpore Innocentii III. ſedebat Callipoli epiſcopus cujus ignoramus nomen: in titulo enim epiſtolarum ejus 17. & 24. lib. XI. anno 1208 & 44. lib. XIII. anno 1210. extat inter alios *epiſcopus Kallipolienſis*.

II. DANIEL. *Marchio. Franciſcus.*

Daniel de Leodio, Ordinis Præd. epiſcopus Gallipolen. à Bonifacio IX. Nonis (id eſt die 5.) *Aug. anno XII.* Chriſti 1401. Ita Bzoviana mſſ. quædam ſervata in archivo Ord. Præd. lecta à Fontana, ut ipſe teſtatur *Theat. Dom. pag. 195. tit. 257.* ubi etiam ſubdit eum huic eccleſiæ præfuiſſe tribus annis. *Gallipolitanam* quidem appellat ſub metropolitana Hydruntina, unde & miratur quod ab Ughello omiſſus fuerit Daniel iſte inter hujus eccleſiæ epiſcopos, *tom. 9. Ital. ſac. col. 136.* Verum ex illo ipſo Ughelli ſilentio infert poſt Cavalerium, *tom. 1. Galler. Domin. p. 197. n. 391.* R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pag. 469.* Danielem præſulem fuiſſe, non *Gallipolitanum* in regno Neapolitano, ſed *Callipolitanum*, noſtris *Gallipoli*, Turcis autem *Geliboli* in Thracia ſub Heracleenſi metropoli. Id porro conſtare videtur quia Ughell. laudatus ſcribit, *num. 10. & tom. 6. col. 1028. nn. 6. & 7.* Joanne Gallipolitano in Italia ad eccleſiam Laquedonenſem à Bonifacio IX. anno 1396. IX. kal. Febr. (id eſt die 24. Jan.) *ex lib. oblig. Prælator.* tranſlato, Guillelmum ex epiſcopo Laquedonenſi ad hanc Gallipolitanam eodem die & anno tranſiiſſe, & ſub Joanne XXIII. diem clauſiſſe extremum, cui ſucceſſit Guillelmus de Fonte, Ordinis Min. anno 1412. IV. kal. Febr. (id eſt die 29. Januar.) quod refert quoque Wadding. *to. 5. annal. num. 2.* Ex his enim ſequitur Guillelmum, qui prius fuerat Laquedonenſis epiſcopus, Gallipolitanam in regno Neapolit. ſedem occupaſſe ab anno 1396. uſque ad annum 1411. aut 1412. quæ proinde non vacabat anno 1401.

Negotium tamen faceſſit quod idem Waddingus *ibid.* ad annum 1402. *num. 12. pag. 8.* tradat *F. Franciſcum de Vuſſen.* Minoritam, eo anno renuntiatum fuiſſe epiſcopum *Gallipolitanum* VII. kalend. Octob. (id eſt die 25. Septemb.) per obitum *Marchionis*: nam licet ſubjungat: « Neſcio an (Gallipoli) in Thracia ſub archiepiſcopo Herackenſi (Heracleenſi) an vero in regno Neapolitano ſub archiepiſcopo Hydruntino, » non ſolvitur difficultas, quia nullus locus reperitur huic utrique epiſcopo aſſignandu, ſive in ſede Gallipolitana

regni Neapolitani, cui ab anno 1396. uſque ad annum 1412. præfuiſſe unicum Guillelmum Ughellus teſtatur, & duos illos prorſus ſilet, ſive in ſede Callipolitana Thraciæ, ſi hanc vere tenuit Daniel Ordinis Prædic. per tres annos, nempe ab anno 1401. uſque ad 1404. Præfuerunt fortaſſis eccleſiæ Callipolitanæ in Thracia, poſt Bernardum qui ſequitur.

III. Bernardus.

Bzoviana mſſ. ſupra citata habent ex eodem Fontana *ibid. p. 196. n. 2. Bernardus Arcuſicis, Ord. Præd. epiſcopus Gallipolen. ab Innocentio VII. VII. kal. Mart.* (id eſt die 23. B Februar.) *anno 1.* Chriſti 1405. Hunc omiſit Ughellus inter epiſcopos Gallipolitanos in Italia, indeque colligit Cavalerius, *tom. 1. pag. 197. num. 397.* nec levi fundamento, inquit R. P. Bremond, *to. 2. Bullar. p. 480.* Bernardum hunc ſediſſe *Callipoli* vulgo *Gallipoli* in Thracia ſub Heracleenſi archiepiſcopo.

IV. Antonellus.

De eo *Antonello* Ordin. Min. hæc ſcribit Waddingus, *tom. 6. annal.* ad annum 1451. *num. 55. pag. 33.* « Galliopolis in Thracia ſub » archiepiſcopo Heracleenſi *Fr. Antonellus de Joanneto,* VIII. idus (id eſt die 8.) Octob. »

V. Hieronymus.

VI. Joannes I.

Mortuo *Hieronymo* epiſcopo Calipolenſi ſeu Callipolenſi in Thracia ſuffectus eſt à Calliſto III. anno 1458. die 14. Jul. *Johannes de Cocedorio,* Ordinis Prædic. Id conſtat ex diplomate hujus Pontificis, quod profert R. P. Antonin. Bremond, *to. 3. Bullar. p. 375.* Hunc omiſere Fontana, Cavalerius, & alii Ordinis Præd. ſcriptores.

VII. Didacus.

Didacus Minorita, ſacræ theol. magiſter, ab Innocentio VIII. anno 1485. die 28. Jun. eccleſiæ Callipolenſi ſub archiepiſcopo Heracleæ præfectus eſt. Ita Waddingus ad hunc annum, *tom. 7. num. 14. pag. 190.*

VIII. Joannes II.

Anno 1518. die 23. Jul. epiſcopus Callipolenſis in Thracia renuntiatus eſt à Leone X. *Johannes Kiperia,* Ord. Præd. Diploma hujus Pontificis refert R. P. Bremond, *to. 4. Bullar. pag. 403.* Hunc non noverunt Fontana, Cavalerius, &c.

VI. ECCLESIA CHERSONESI.

CHERSONESUS ſive *Cherroneſus,* ut Græci appellant, idem eſt ac *peninſula,* à voce Χέῤῥος *terra,* & Νῆσος *inſula,* id eſt pars aliqua terræ non ab omni parte mari cincta, ſed brachio aliquo adhærens continenti. Quatuor autem imprimis celebrantur Cherroneſi, Thracica ſcilicet, de qua Ptolemæus, *lib. 3. cap. XI. Cimbrica* quæ hodie *Dania, Taurica* prope Mæotin paludem, & *Aurea* in India, quæ *Malaca* eſſe creditur. Hæc Thomas de Pinedo in Stephan. Byzant. *pag. 719. nota 73.* Stephanus vero *ibid.* urbes hujus nominis recenſens, de ſecunda quam nunc memoramus ita loquitur: « Eſt ſecunda urbs in Thracia *Cherroneſus... Apſinthiis ad meridiem contermini ſunt Cherroneſitæ* (qui) *ex turribus, quod fiebat, Athenien-* « *ſibus ſignificavere.* » In notit. Græcor. epiſcop. ad calcem Codini *de Officiis, pag. 341.* in provincia Europæ ſub Heraclea Thraciæ extat (epiſcopatus) *Cherroneſi* ὁ Χεῤῥονήσου. Et in alia *ibid. pag. 369.* ὁ Χερσονήσου *Cherſoneſi.*

EPISCOPI CHERSONESI.

Petrus.

WADDINGUS, *tom. 8. annal.* ad annum 1527. *num. 16.* ſcribit eccleſiæ Cherſonenſi C ſub archiepiſcopo Heracleæ eo anno die 18. Februar. *Fr. Petrum Fugetium,* Ordinis Min. à Clemente VII. fuiſſe præfectum.

VII. ECCLESIA REDÆSTI.

REDÆSTUM, quæ & *Biſanthe,* urbs Thraciæ eſt ad Propontidem Ptolemæo, *Reſiſton* Plinio, nunc *Rodoſto* Sophiano & aliis, ſedes epiſcopalis ſub archiepiſcopo Heracleenſi, portu gaudet, eſtque probe culta & emporium celebre. Diſtat 20. milliarib. ab Heraclea in meridiem, & itinere duorum dierum à Selymbria: extat ad radices collis juxta ſinum parvum cognominem. Ita Mich. Anton. Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 162. col. 1.* In notit. Græcor. epiſcop. ad calcem Codini *de Officiis, pag. 341. edit. Pariſ. 1648.* in provincia Europæ loco

Digitized by Google

ECCLESIA REDÆSTI. ſexto ὁ Ῥαιδεστοῦ *Rædeſti* legitur. Et, *pag.* *369.* in provincia itidem Europæ, loco ſeptimo ὁ Ῥοδοστοῦ *Rhodoſti.* Denique, *pag.* *382.* ſub throno tertio Heracleæ, Thraciæ & Macedoniæ, loco ſecundo ὁ Ῥαιδεστοῦ *Rhædeſti.*

EPISCOPI REDÆSTI.

I. Henricus.

DANIEL à Virgine Maria, *tom.* *2.* *Speculi Carmelit.* *pp.* *926.* & *927.* *num.* *3243.* ſcribit *Henricum Juvenis,* Carmelitam, Conradi à S. Georgio anno 1295. prædeceſſorem in provincialatu Allemaniæ, eo veriſimiliter anno ad epiſcopatum Redæſtonenſem fuiſſe aſſumptum. Vivebat adhuc anno 1310. quo die 22. Novembris conſecravit Coloniæ capellam quamdam dictam *ad Olivas.*

A

II. Elias.

Idem Daniel à Virgine Maria, *ibid.* *p.* *907.* *num.* *3155.* hæc habet de *Elia* ſui Ordinis alumno, *ex monumentis conventus Mechlinienſis:* « *Elias* epiſcopus Redeſtenſis. Iſte ſæpe fuit in conventu & filius conventus Mechlinienſis ante annum 1384. ſicut patet in libro « ſeptimanalium: ſæpe prædicavit in conventu, « & obiit poſt annum 1420.»

VIII. ECCLESIA PERISTACII.

PERISTACIUM urbs eſt Thraciæ ad Propontidem, *Periſtaſi* nunc dicta, inter Hexamilium ſeu Lyſimachiam, à qua 16. milliar. & Myriophytum, à qua 12. milliar. diſtat, ſedes epiſcopalis ſub archiepiſcopo Heracleenſi. Hæc Mich. Anton. Baudrand, *to.* *2.* *p.* *93.* *col.* *2.* In notitia Græcor. epiſcopat. ſecundum diſpoſitionem Imperat. Leonis Sapientis, ad calcem Codini *de Officiis edit.* *1648.* extat ſub throno tertio Heracleæ, Thraciæ & Macedoniæ, loco ſexto *pag.* *383.* ϛʹ ὁ Περιστάσεως. *6.* *Periſtaſis.*

EPISCOPI PERISTACII.

Cæsar.

WADDINGUS, *tom.* *8.* *annal.* ad annum 1526. *num.* *34.* *pag.* *446.* ſcribit *Fr.* *Cæſarem*

B *N.* Minoritam, ad Periſtacien. vel Periſcharien. in patriarchatu Conſtantinopolitano ſub archiepiſcopo Heracleæ, eo anno die 18. Mart. à Clemente VII. fuiſſe promotum.

IX. ECCLESIA BIZYÆ.

CAROLUS à S. Paulo, *geogr. ſac.* *pag.* *234.* *edit.* *Pariſ.* *1641.* reponit *Bizyam* in provincia Europæ Thraciæ ſub Heraclea metropoli. Cæterum *in notitiis Græcis* recenſetur inter ſedes illas archiepiſcopales, quibus nullæ eccleſiæ ſubjiciuntur. De ea urbe hæc habet Mich. Anton. Baudrand, *tom.* *1.* *geogr.* *pag.* *170.* *col.* *1.* « *Bizya,* urbs Thraciæ Ptolemæo, » *Byze* Suidæ, *Bizus* Arriano in Periplo, *Vize* nunc Leunclavio, cis Rhodopen, archiepi- » ſcopalis in mediterraneis, olim in Cœnica tractu, & poſtea in Europa regione ſic dicta, ad » fontes Atyræ fluvii, ubi Terei regia fuit, nunc ſedes præfecti Turcarum quibus paret. Di- » citur etiam *Bizona* Straboni & Melæ, 45. milliaribus diſtans ab Apris in ſeptentrionem, Peronticum verſus & Salmydeſſum 40. & 85. à Conſtantinopoli in occaſum.» Hujus urbis rector fuit Anſelmus de Caioco, de Morinorum gente, ab Henrico Balduini Imperatoris fratre conſtitutus.

EPISCOPI BIZYÆ.

Balduinus.

BALDUINUS *de Adria,* Senogalliæ antiſtes, omiſſus tamen ab Ughello in hujus

C ſedis epiſcopis, fertur tranſlatus fuiſſe ad Bizyæ eccleſiam, & archiepiſcopi titulo donatus; ſed non dicitur quonam anno aut ſaltem ſæculo id contigerit.

PROVINCIA

Digitized by Google

PROVINCIA HIERAPOLITANA.

I. ECCLESIA HIERAPOLIS.

HIERAPOLIS, de qua hîc agitur, urbs Phrygiæ magnæ Straboni, *lib. 12. p. 579.* A. *edit. Caſaub.* & Plinio, *lib. 2. cap. 93.* prope Mæandrum fluvium in Aſia minori, primum epiſcopalis, poſtea archiepiſcopalis fuit ſub Patriarcha Conſtantinopolitano, proxima Laodiceæ, uti & Tripoli, nunc à Turcis dicta *Bambouck-Kale*, quaſi turris Goſſipii, teſte Ricautio, quamquam Tavernerius interpretetur *Aphiom-Caraſar*, ex conjectura: eſt autem hodie diruta, ita ut plurima ſuperſint ejus antiquitatis veſtigia. Diſtat locus iſte à Philadelphia urbe Lydiæ 35. milliar. in meridiem, in confinio Cariæ, ibique puteus amplus extat, unde vapores noxii exoriuntur. Hæc Mich. Anton. Baudrand ad vocem *Hierapolis, to. 1. p. 480. col. 2. Hierapolis* ſonat *ſacram urbem*, quæ ſic appellata eſt, ex Stephano Byzantio, quod templa multa haberet.

ARCHIEPISCOPI HIERAPOLITANI.

I. ANTONIUS.

II. STEPHANUS.

WADDINGUS, *tom. 3. annalium Min.* ad annum 1346. *num. 10. pag. 539.* refert archiepiſcopum Hierapolitanum in Phrygia Cappatiana ſub Patriarcha Conſtantinopolitano conſtitutum fuiſſe à Clemente VI. *F. Antonium de Alexandria*, Minoritam, eo anno die 31. Julii diplomate, *Summi diſpoſitione Rectoris, &c.* quod inferius exhibet *in Regiſt. Pontif. pag. 346.* Hujus archiepiſcopi, ſub nomine *Antonini*, meminit Raynaldus ad annum 1348. *num. 29.*

Antonius iſte tranſlatus eſt ad eccleſiam A Dyrrachianam anno 1348. eique ſucceſſit in ſede Hierapolitana *F. Stephanus de Larolo*, pariter Minor. ab eodem Clemente renuntiatus diplomate, *Prudentia Regis æterni, &c.* anno 1349. VIII. kal. Jun. (id eſt die 25. Maii.) Ita præfatus Wadding. *ibid.* ad hunc annum, *num. 11. p. 566.* & *in Regeſt. Pontif. pag. 384.* De eo Antonio vide ſupra inter epiſcopos Dyrrachianos, *col. 951.* A.

Quoſdam alios Hierapolitanos præſules, ſed ſimplices epiſcopos nobis ſubminiſtrant Dominicani Ordinis monumenta, qui ſubinde alteri Hierapoli, non vero iſti præfuerunt, quos hîc prætermittendos cenſemus.

II. ECCLESIA ANGURIENSIS.

BAUDRAND, *tom. 1. geograph. pag. 57. col. 2.* ſcribit *Ancyram*, ſeu potius *Angyram* ex codice Græco, Ptolemæo urbem eſſe Aſiæ minoris in Phrygia Pacatiana. Hanc autem ſedem eſſe epiſcopi ſub metropoli Hierapolitana, cujus ſit mentio *in conciliis*, & extare in limite Myſiæ 30. milliar. à Nicæa in auſtrum. *In notitia Græcor. epiſcop.* ad calcem Codini *de Officiis*, *Ancyra* locum tenet quintum inter ſuffraganeas eccleſias Hierapolis, *pag. 395.* ε ὁ Ἀγκύρας, *5. Ancyræ.* Ad eam promoti ſunt nonnulli ritus Latini antiſtites.

EPISCOPI ANGURIENSES.

I. FRANCISCUS.

II. GUNDISALVUS.

FRANCISCO Augurienſi (probabiliter *Angurienſi*) epiſcopo defuncto ſubſtituit Eugenius IV. anno 1434. die 22. Decemb. *Fr. Gundiſalvum de Curiola*, Ord. Præd. Hunc B quidem non noverunt rerum Dominicanarum ſcriptores; ſed diploma ejus promotionis ſe vidiſſe teſtatur R. P. Bremond, *tom. 3. Bull. pag. 218.* eoſque *Angurienſes* fuiſſe epiſcopos cenſet, id eſt, civitatis Ancyranæ, vulgo *Anguri* dictæ in Phrygia ſub archiepiſcopo Hierapolitano.

Digitized by Google

ECCLESIA LARISSEN. 816.

PROVINCIA LARISSENSIS.

I. ECCLESIA LARISSENSIS METROPOLIS.

LARISSA urbs eſt Macedoniæ, Theſſaliæ præcipua in Pelaſgiotide regiuncula Ptolemæo & Pauſaniæ, patria Achillis fuit; extat ad Peneum fluvium in planitie montibus circumdata, nunc etiam urbs clara eſt & archiepiſcopalis, *Larizza* dicta, teſte Sophiano. Diſtat 28. milliar. à ſinu Thermaïco in occaſum, & 25. à Pharſalo in ſeptentrionem, Dium verſus totidem, teſte Antonino, & 200. leucis à Conſtantinopoli in occaſum. Ita Michael Anton. Baudrand, *tom. 1. pag. 556. col. 2.* Huic poſt captam Conſtantinopolim à Francis & Venetis initio ſæculi XIII. præfuerunt nonnulli antiſtites Latini ritus.

ARCHIEPISCOPI LARISSENSES.

I. * * *

INitio ſæculi XIII. ſedebat *archiepiſcopus Lariſſenſis*, de quo legendæ, *to. 2. edit. Baluz.* Innocentii III. epiſtolæ 114. 122. 153. 160. 171. 244. & 252. lib. XI. anno 1208. 105. A 106. 152. 161. 170. & 192. lib. XIII. anno 1210. denique, 73. lib. XV. anno 1212. In his epiſtolis Innocentius varia ei negotia injungit, quæ longius foret recenſere. Quandonam autem ille obierit, quive poſt illum huic eccleſiæ præfuerint, nos latet.

II. ECCLESIA CARDICENSIS.

ECCLESIÆ Cardicenſis ſæpius meminit Innocentius III. in epiſtolis ſuis, *tom. 2. edit. Baluz.* hanc autem fuiſſe ſub metropoli Lariſſena ex eo colligitur, quod archiepiſcopus Lariſſenus eam Dimitrienſi eccleſiæ univerit in ſua provincia. Aliàs nihil de illa eccleſia reperi; quæ aliquot tamen ritus Latini habuit epiſcopos.

EPISCOPI CARDICENSES.

I. BARTHOLOMÆUS.

INNOCENTIUS III. epiſt. 105. lib. XI. inſcripta *Bartholomæo Cardicenſi epiſcopo,* hunc præſulem ſub ſpeciali ſedis apoſtolicæ protectione ſuſcipit. Data eſt Ferentini III. Non. (id eſt die 5.) Octob. anno XI. Chriſti 1208. De eodem epiſcopo extant epiſtolæ 101. 106. 113. & 120. lib. XIII. anno 1210. & 69. 71. 72. & 80. lib. XV. anno 1212. In epiſtola autem 72. *p. 627. col. 2.* quæ *archiepiſcopo Lariſſeno* ſcripta eſt die 25. Maii, hæc ait Pontifex: *Venerabilis frater noſter Cardicenſis epiſcopus propoſuit coram nobis, quod tu ad mandatum noſtrum Dimitriacenſem eccleſiam cum ſuis pertinentiis eidem multam inopiam patienti liberaliter contuliſti. Volentes igitur factum tuum per te ipſum fortius ſtabiliri, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus quod per te auctoritate noſtra provide noſcitur eſſe factum, firmiter facias obſervari.* Ad hunc Cardicenſem epiſcopum nonnullæ extant Innocentii III. epiſtolæ. Verum quandonam ille obierit, quive ejus B fuerint toto ſæculo decimo tertio ſucceſſores, nos latet.

II. BENEDICTUS.

Thomas de Herrera, *Alphab. Auguſtiniani to. 1. p. 105. col. 2.* hæc ſcribit: « *Benedictus* Icenus ſeu Nordovolgicus Anglus, (Ordinis « Eremit. S. Auguſtini) celebris ſuo tempore « prædicator, & aliquorum opuſculorum editor, *Epiſcopus Cardicenſis*, & Antonii epiſcopi « Nordovicenſis ſuffraganeus fuit. Quidam ad « annum 1340. alii 1342. obiiſſe eum tradunt. « Cruſenius & Pamphilius ſub anno 1354. illum « C reponunt, & Nordovi ſepultum affirmant. »

III. JULIANUS.
IV. LUCAS.

Ughellus, *tom. 4. Ital. ſac. vet. edit. in epiſcopis Nebienſibus, col. 1410. n. 9. C.* ſcribit *Julianum epiſcopum Cardicenſem* tranſlatum eſſe ad Nebienſem eccleſiam anno 1363. cui ſucceſſit in epiſcopatu Cardicenſi doctiſſimus quidam vir *Lucas* Ord. Servorum B. Mariæ. *Ex Regeſt. Vatic.*

Digitized by Google

V. Martinus.

Thomas de Herrera ſcribit *Alphab. Auguſt. tom. 2. pag. 75. col. 2.* « *Martinum de Torba* (Eremitam Auguſtinianum) per obitum « *Lucæ* inſtitutum *in Regiſtris Vaticanis* epi- « ſcopum Cardicenſem v. idus (id eſt die 9.) « Novembris anno 1389. »

III. ECCLESIA DIMICENSIS.

Dimicus, quam Michael Anton. Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 349. col. 1. Domocum* & *Domonicum* appellat, eſt, ipſomet teſte, urbs Theſſaliæ, epiſcopalis ſub archiepiſcopo Lariſſæo, cujus fit mentio *in libris conciliorum*. Lormiæ autem & Pharſalo finitima eſt, nunc paucis conſtans incolis, & *Domochi* dicitur. Sæculo decimo tertio ei præpoſiti fuere præſules aliquot Latini ritus.

EPISCOPI DIMICENSES.

Gualo.

Anno 1208. ſedebat quidam *epiſcopus Dimicenſis*, cui ob paupertatem conſenſit Innocentius III. adjungi epiſcopatum Calidonienſem Dimicenſi contiguum. *Si fieri poſſit abſque detrimento eccleſiæ utriuſque, ac ſine juſto ſcandalo cleri, & populi, & terræ illius principis .... & ejus curam utiliter adminiſtret.* Id conſtat ex epiſtola 114. lib. xi. epiſtolar. hujus Pontif. *to. 2. edit. Baluz. p. 193. col. 2.* quæ *Dimicenſi epiſcopo* inſcribitur, & data eſt apud S. Germanum 11. idus (id eſt die 14.) Julii anno xi. Chriſti 1208. *Gualo* nominabatur: nam, Franciſco Boſqueto Narbonenſi juriſconſulto teſte *in notis* ad epiſtolas Innocentii III. *edit. Toloſ. 1636. pag. 181.* ubi de epiſt. 48. *lib. III. Regeſt. XV.* « Anonymus, » *lib. de mirac. S. Mamantis in biblioth. Floriac.* » *cap. 5.* circa hæc tempora Philippi Auguſti » (vivens) nomen hujus epiſcopi nobis indicat, » (dum ait:) *Quod quum per Dei gratiam cog-* » *noviſſet Gualo de Domna Petra, vir honeſtæ* » *vitæ & boni teſtimonii, dilectus Deo & homi-* » *nibus, in exercitu Latinorum non minimus, ut* » *poſtmodum claruit, quia in epiſcopum Dimi-* » *cenſem unanimiter eſt aſſumptus.* Male (autem) » corrigitur (in) *Damaſcenſem* & *Dinienſem*, » apud Robertum *in Gall. Chriſt. in Lingonenſ. epiſcop. num. 61.*» De epiſcopo Dimicenſi mentionem facit idem Papa epiſtola 120. *ibid. pag. 194. col. 1. Nobili viro Comeſtabulo Theſſalonicenſi*, data die 14. Julii anno xi. Chriſti 1208. Sed epiſtola 104. lib. xiii. *Sidonienſi & Cardicenſi epiſcopis, &c.* ibid. pag. 464. col. 2. de eodem epiſcopo conqueritur. *Significarunt nobis*, inquit, *venerabilis frater noſter Lariſſenus archiepiſcopus, & dilecti filii procurator & canonici Dimicenſis eccleſiæ, quod* B *venerabilis frater noſter epiſcopus Dimicenſis poſt tertium conſecrationis ſuæ diem ab eccleſia Dimicenſi recedens, bona ejus quæ ad ipſum ſpectant, reliquit in manibus nobilis viri Comeſtabuli Romaniæ; ad quam redire, quum jam trium annorum ſpatium præterierit, hactenus non curavit: propter cujus defectum ad tantam devenit eadem eccleſia paupertatem, quod vix poſſunt in ea tres clerici ſuſtentari. Ideoque diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus, ſi eſt ita, epiſcopum ipſum ut ad ſuam eccleſiam revertatur, monitione præmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita,* C *compellatis. Datum Later. III. Non.* (id eſt die 5.) *Jul. anno XIII.* Chriſti 1210. Anno 1212. archiepiſcopus Lariſſenſis de mandato Innocentii Papæ eccleſiam Calidonienſem epiſcopo Sidonienſi gubernandam conceſſit: hinc vero epiſcopus Dimicenſis, cui prius conceſſa fuerat, ut ſupra dictum eſt, ad ſedem apoſtolicam appellavit, ſed appellationem hanc nec per ſe nec per alium eſt legitime proſequutus. Quamobrem Innocentius Papa epiſt. 48. lib. xv. *ibid. pag. 618. col. 1. archiepiſcopo, & B. archidiacono, & P. cantori* D *Theſſalonicenſibus* inſcripta, & data Laterani xv. kal. Jun. (id eſt die 18. Maii) anno xv. iis mandavit, *quatinus, partibus convocatis, audirent cauſam, &, appellatione remota, ſine canonico deciderent.* Eccleſiam tamen Calidonienſem ejus adminiſtrationi tunc non fuiſſe ſubſtractam, exinde inferre licet, quod epiſt. 54. data ab eodem Papa tertio abhinc die, id eſt, die 21. ejuſdem menſis Maii, eccleſia Nazarocenſis ſive Nazoreſcenſis epiſcopo Sidonienſi commiſſa fuerit. Nihil autem aliud de epiſcopo Dimicenſi nobis notum eſt, nec de ejus in ſede Dimicenſi ſucceſſoribus.

Digitized by Google

ECCLESIA DEMETRIACENSIS.

IV.

ECCLESIA DEMETRIACENSIS.

DEMETRIAS, urbs Theſſaliæ maritima in Magneſia regiuncula, epiſcopalis olim ſub archiepiſcopo Lariſſæo, poſtea metropolis evaſit. Juxta ſinum Pelaſgicum ſita erat, & aliquandiu regia Macedonum principum, & navale fuit: nunc etiam *Dimitriada* dicitur, teſte Sophiano, Pagaſis proxima. 25. milliar. diſtat à Thebis Phthiotidis in ortum æſtivum, & 90. à Thebis Bœotiæ in ſeptentrionem, Theſſalonicam verſus 100. circiter. Ita Mich. Anton. Baudrand *Lexico geogr. tom. 1. pag. 329. col. 2.* Stephanus diſtinguit Demetriadem Macedoniæ à Demetriade Theſſaliæ: verum Thomas de Pinedo Luſitanus, ad hunc Stephani locum, *p. 232. edit. Amſtelod. anno 1678. annot. 1. col. 2.* ait eamdem fuiſſe civitatem, quam alii Theſſaliæ, alii Macedoniæ adſcripſerunt: Macedonia enim comprehendebat Theſſaliam, ut videre eſt apud Ptolemæum, *lib. 3. cap. 13.* & ipſe quoque Ptolemæus inter Macedoniæ urbes eam numerat, *ibid.*

EPISCOPI DEMETRIACENSES.

I. ***

A

ANno 1208. ſedebat quidam epiſcopus *Demetriacenſis*, qui archiepiſcopo Lariſſenſi debitam obedientiam denegabat. Id conſtat ex epiſtola 189. lib. XI. Innocentii III. eo anno data die 8. Decembris, *tom. 2. editionis Baluz. pag. 236. col. 1.*

II. B.

III BARTHOLOMÆUS.

Idem Innocentius III. epiſt. 42. lib. XV. data anno 1212. die 7. Maii quemdam *B.* recens electum epiſcopum Demetriacenſem, qui hanc eccleſiam dimittere volebat, ab ejus vinculo à ſe abſolutum fuiſſe declarat. *Ibid. pag. 616. col. 2.*

Altera epiſtola, cujus ſupra meminimus, ubi de *Bartholomæo* Cardicenſi, *col. 979.* B. data anno eodem 1212. die 25. Maii, ratam habuit Pontifex poſſeſſionem eccleſiæ Demetriacenſis huic epiſcopo conceſſam à Lariſſeno archiepiſcopo.

IV. GUILLELMUS.

V. JOANNES III.

Waddingus, *to. 5. annal.* ad annum 1447. *num. 65. pag. 529.* aſſerit *Demetriacenſem* in provincia Lariſſena epiſcopum conſtitutum à Nicolao V. eo anno die 1. Sept. poſt obitum *Guillelmi, F. Joannem de Portiaco,* Minoritam, & diploma exhibet *in Regeſto Pont. pag. 357.*

VI. RODERICUS.

Idem rurſus Waddingus, *to. 6.* ad annum B 1461. *num. 19. p. 499.* teſtatur hoc anno ſibi occurrere memoriam *Roderici Demetriaden.* in Theſſalonica ſub archiepiſcopo Lariſſeno.

VII. ***

VIII. JOANNES IV.

Eccleſiâ Demetriacenſi vacante per obitum ſui præſulis, ei datus eſt epiſcopus *Fr. Joannes de Quemada,* Ord. Min. à Sixto IV. an. 1478. die 6. April. Ita præfatus Waddingus, *tom. 7.* ad eum annum, *num. 71. pag. 57.*

V.

ECCLESIA SIDONIENSIS.

ECCLESIA *Sidonienſis,* de qua hîc agimus, ea non eſt quæ vicina erat urbis Tyri, ſed altera in Theſſalia, & probabiliter ſuffraganea archiepiſcopi Lariſſeni.

EPISCOPI SIDONIENSES.

I. ***

EPiſcopum Sidonienſem exprimunt, ſed nuſquam nominant Innocentii III. epiſtolæ 6. 104. 109. & ſeqq. 114. & 192. lib. XIII. anno 1210. ſcriptæ, item 48. & 54. lib. XV. anno 1212. & 97. lib. XVI. anno 1213. die 24. Octob. In iſta porro hæc de Sidonienſi epiſcopo habet: *Dilecti filii decanus & cantor Nazarocenſis eccleſiæ ſuis nobis litteris intimarunt, quod quum olim curam ejuſdem ec-* C *cleſiæ Sidonienſi epiſcopo duxerimus committendam, idem eccleſiam ipſam frumento, animalibus, poſſeſſionibus, & rebus aliis ſpoliare præſumens, & muris obſtrui faciens portas ejus, eam in uſum cellarii, reverentia divini cultus poſthabita, redigere non expavit, præfatis decano, cantore, aliiſque fratribus ejectis penitus ab eadem. Quumque propter hæc, & alia nonnulla gravamina, noſtram audientiam appellaſſent, ipſe appellationi nequaquam deferens eorumdem, quinimo in apoſtolicæ ſedis injuriam*

Digitized by Google

& contemptum eos durius aggravans & affligens, tanta perſecutionis ſævitiam exercuit in eoſdem, quod in præfata eccleſia niſi unus ex præfatis canonicis non remanſit. Ideoque diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, præfatum epiſcopum, ut ea quæ abſtulit eccleſiæ memoratæ, reſtituat univerſa, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compellentes, eccleſiæ ſæpedictæ capitulo eligendi ſibi perſonam idoneam canonicè in paſtorem tribuatis auctoritate noſtra liberam facultatem, &c. Nihil aliud de eo Sidonienſi epiſcopo nobis notum eſt.

II. * * *

III. Pontius.

Waddingus, *tom. 5. annal. ſui Minorum Ordinis*, ad annum 1446. *num. 16. pag. 493.* narrat, poſt obitum *præſulis Sidonienſis* in provincia Lariſſena, ad hanc ſedem promotum fuiſſe *F. Pontium Gaufredi*, Minoritam, ab Eugenio IV. eo anno die 30. Novemb.

IV. Joannes I.

V. Ludovicus.

Sedi Sidonienſi in Græcia ſub archiepiſcopo Lariſſeno brevi admodum præfuiſſe neceſſe eſt Pontium modo recenſitum: ſcribit enim idem Waddingus *ibid.* ad annum 1448. *num. 21. p. 546. Joanne* (qui proinde Pontio jam ſucceſſerat) mortuo, in ejus locum eo anno die 2. Sept. à Nicolao V. epiſcopum Sidonienſem fuiſſe renuntiatum *Ludovicum*, & diploma profert *in Regeſt. Pontif. pag. 368.*

VI. Alexander.

Ughellus, *tom. 1. Ital. ſac. col. 211. n. 48. D. veteris edit.* hæc ſcribit: « *Alexander Angelus*, antea *Sidoniæ* epiſcopus, ad eccleſiam « hanc (Terracinenſem) tranſlatus eſt die 23. « menſis Novemb. anno 1534. Deceſſit (anno) « 1540. Ejus cum laude meminit Horatius « Turcellinus, *lib. 3. Lauret. hiſt. cap. 2.* »

VII. Joannes II.

Alexandro fortaſſis ſucceſſit in ſede Sidoniæ *Joannes Bratianus*, Minorita regularis obſervantiæ, quem Waddingus, *tom. 8.* ad annum 1535. *num. 39. pag. 601.* ait eo anno die 21. Jun. electum eſſe epiſcopum Sidonienſem in Theſſalonia ſub archiepiſcopo Lariſſeno.

VI. ECCLESIA NAZORESCÆ.

De eccleſia *Nazoreſcæ* pluries mentio occurrit in epiſtolis Innocentii III. Aliquot epiſcopos ritus Latini habuit, Lariſſenſis archiepiſcopi ſuffraganeos, ut ex eo inferre licet, quod hujus cura epiſcopo Sidonienſi demandata fuerit, ex ſupra dictis.

EPISCOPI NAZORESCÆ.

I. * * * *electus.*

II. W.

Anno 1208. recens electus erat vir quidam in *epiſcopum Nazoreſcenſem*, ad quem, & ad duos alios epiſcopos ſcripſit Innocentius III. eo anno die 8. Decemb. epiſtolam 189. lib. XI. Eidem *electo Nazoreſcenſi* epiſtolam 190. dedit Innocentius die ſequenti, qua ejus eccleſiam Nazoreſcenſem ſub ſedis apoſtolicæ protectione ſuſcipit, & rurſus epiſtolam 247. die 25. Januar. anno 1209. adverſus quoſdam ejus eccleſiæ Nazoreſcenſis canonicos, qui perſonaliter deſervire detrectabant.

Haud ſcio an idem ſit, & anno 1210. adhuc duntaxat *electus*, an vero alius recens etiam *electus*, propter electi præcedentis ſive tranſlationem ad aliam eccleſiam, ſive reſignationem, ſive obitum, Nazoreſcenſis antiſtes, ad quem ſcripſit idem Innocentius epiſtolas 103. & 104. lib. XIII. anno 1210. Is probabiliter eſt *Willelmus* ille, quem à Nazarocenſi (id eſt Nazoreſcenſi) eccleſia idem Pontifex ad Philippenſem metropolim tranſtulit anno 1212. & ad quem epiſtolam 56. libro XV. ſcripſit ſub hoc titulo: *Willelmo Philippenſi archiepiſcopo ejuſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis in perpetuum*, datam *Laterani XI. kal. Jun. anno XV.* (id eſt die 22. Maii an. 1212.) in qua ait: *Memor ſemper illius gratiæ ſpecialis quam tibi dignanter impendimus, quum à Nazarocenſi eccleſia te tranſtulimus ad metropolim Philippenſem, teque propriis manibus conſecravimus in Pontificem*, &c. Idem enim Papa in epiſtola 86. quam paulo poſt *priori & capitulo Dominici Sepulcri* dedit, nimirum die 26. ejuſdem menſis, recitat epiſtolam archiepiſcopi Theſſalonicenſis, qui teſtabatur ſe prudentum virorum uſum eſſe conſilio, videlicet Ar. Cermipolenſis epiſcopi Sarrenſis poſtulati, *W. Nazarocenſis electi Philippenſis poſtulati*, &c. ad ineundam compoſitionem quam confirmari ſedis apoſtolicæ auctoritate petebat.

II. * * *.

Quum itaque anno 1212. vacaret eccleſia Nazoreſcenſis, hujus adminiſtrationem commiſit Innocentius III. *epiſcopo Sidonienſi*,

Digitized by Google

ECCLESIA NAZORESCA.

idque declaravit epiſtola 54. lib. xv. *clero & populo Nazaroceſi,* data eo anno die 21. Maii.

III. * * *.

Verum epiſcopo Sidonienſi modo memorato eccleſiæ Nazareſcenſis ſive Nazoreſcenſis clerum & populum valde vexante, illis permiſit idem Innocentius Papa, ut ad electionem alterius præſulis canonicè procederent. Id patet ex ejus epiſtola 97. lib. XVI. *epiſcopo, archidiacono & cantori Davalienſibus,* data die 24. Auguſti anno 1213. quam ſupra retulimus, *coll. 284.* C. & *285.* A. Ignoramus autem quis tunc illi eccleſiæ præfectus fuerit.

IV. Franciscus.
V. Nicolaus.

Poſt obitum *Franciſci* epiſcopi Nazarotenſis ſub archiepiſcopo Lariſſano in Theſ-
A ſalia, Bonifacius IX. anno 1393. die 3. Decembris ei eccleſiæ præfecit *F. Nicolaum Wenceſlai,* Ord Præd. ut conſtat diplomate hujus Pontificis, quod refert R. P. Antonin. Bremond, *tom. 2. Bullar. pag. 339. ex archivo Apoſt. lib. 45. fol. 51.*

VI. Joannes.

Idem R. P. Bremond, *to. 4. Bullarum Ord. Præd. pag. 212.* nonnulla exhibet diplomata
B Alexandri VI. data XIV. kal. Septemb. (id eſt die 19. Aug.) anno 1502. quibus conſtat eo anno *Fr. Joannem Fanelli,* Ord. Præd. (qui omittitur à Fontana, Cavaler. &c.) ad eccleſiam *Nazarenſem* ſeu, inquit P. Bremond, *Nazarotenſem* ſub archiepiſcopo Lariſſeno in Theſſalia fuiſſe promotum, & archiepiſcopi Byzuntini ſuffraganeum.

VII. ECCLESIA CALIDONIENSIS.

ECCLESIÆ *Calidonienſis* meminit Innocentius III. in quibuſdam ſuis epiſtolis, de quibus vide ſupra, *coll. 981.* B. & *982.* C. D. ubi de eccleſia Dimicenſi, cujus epiſcopo hanc adjungi conceſſit. Hæc Calydonienſis eccleſia per corruptionem fortaſſis una eſt ex duplici *Colydro* ὁ Κολύδρȣ, quæ *n. 8.* & *n. 22.* recenſetur in notitia Græcor. epiſcopatuum ſub Lariſſa metropoli ſecundæ Theſſaliæ, ad calcem operis Georgii Codini Curopalatæ *de Officiis, edit. Pariſ. 1648. pag. 393.* Certe vicina erat diœceſibus Dimicenſi & Sydonienſi in provincia Lariſſena, ex ſupra dictis.

Michael Antonius Baudrand, *to. 1. geogr. pag. 213. col. 1. Calydonem* memorat, ſed quæ alia urbs eſſe videtur, utpote quæ civitas ſit Græciæ in Ætolia provincia, cujus caput exiſtit, & ſedes epiſcopalis ſub archiepiſcopo Naupactenſi, in edito monte ſita prope Evenum fluvium, 3. milliar. à ſinu Corinthiaco diſtans, & 7. à Naupacto in occaſum. Nullum autem Calydonienſis eccleſiæ epiſcopum ſpecialem ritus Latini novimus.

VIII. ECCLESIA LÆDORICENSIS.

IN notitia Græcorum epiſcopatuum modo laudata extat *ibid.* ſub Lariſſa metropoli, *n. 5.* ὁ Λοιδορικίȣ *Lædoricii* ſedes, quæ probabiliter eſt eccleſia illa *Lidoricenſis,* ad quam promotum nobis ſubminiſtrat Fontana unum epiſcopum Ordinis Prædicatorum.

EPISCOPI LÆDORICENSES.

Wenceslaus.

FONTANA *Theat. Dom. pag. 215. tit. 333.* ſcribit *F. Wenceſlaum Spouer,* Ord. Præd. à Joanne XXIII. Lidoricenſem epiſcopum eſſe renuntiatum die 7. Auguſti, teſtibus mſſ. Bzovianis, in quibus legitur: *Wenceſlaus Spouer Ordinis Præd. epiſcopus Lidoricenſis à*
C *Joanne XXIII.* VII. *idus* (id eſt die 7.) *Aug. anno IV.* Fontanam Cavalerius excipit, *to. 1. p. 215. num. 206.* ſed mendum interceſſiſſe exiſtimat in nomine epiſcopatus. Utrumque demum citat R. P. Antonin. Bremond, *to. 2. Bullar. pag. 530.* ubi & ſubdit: *Quiſnam ſit epiſcopatus iſte me fugit.*

IX. ECCLESIA THEBARUM *ſive* ZITONIS.

INTER plures urbes *Thebarum* nomine inſignitas, quinque præſertim commemorat Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 306. col. 2.* Una eſt urbs Ægypti, altera oppidum Troadis ſive Phrygiæ minoris, tertia oppidum Brutiorum in Italia, quarta Bœotiæ caput, ultima demum,

Digitized by Google

cujus nunc meminimus, de qua ipſe ſic loquitur: «*Thebæ* urbs Phthiotidis in Theſſalia Livio, Straboni & Ptolemæo, poſtea *Thebæ Philippi* Polybio ad ſinum Maliacum, nunc *Ziton*« dicta, teſte Sophiano, olim epiſcopalis ſub archiepiſcopo Lariſſæo, nunc & ipſa archiepi-« ſcopalis effecta, à Lariſſa urbe 40. milliarib. diſtans in meridiem; parva (eſt) & male culta« ſub Turcis.»

ECCLESIA THEBARUM *ſive* ZITONIS.

In ſerie epiſcopatuum, juxta diſpoſitionem Leonis Sapientis, qui exeunte ſæculo nono florebat, extat ad calcem Codini *de Officiis, pag. 393.* ſub throno 34. Lariſſæ, loco tertio *γ' ὁ Ζητουνίου Zetonii.* Abbas de Commanville in ſua ſerie epiſcopat. totius orbis, *pag. 206.* ſub Lariſſa recenſet loco tertio *Thebas Phthioticas*, quæ *Zetunæ* ſive *Zeiton* dicitur. Aliquot *Zetonis* præſules Latini ritus occurrerunt.

EPISCOPI THEBARUM *ſive* ZITONIS.

A

I. NICOLAUS.

UGHELLUS, *tom. 4. Ital. ſac. veter. edit. col. 1258. num. 4.* C. ſcribit *Nicolaum* epiſcopum *Zitonienſem* huc (ad eccleſiam Accienſem) fuiſſe tranſlatum anno 1344. v. kal. Junii (ſive die 28. Maii.) *ex Regeſto Vatic.* & deceſſiſſe Avenione anno 1348.

II. JACOBUS.

Anno 1362. *Fr. Jacobus de Florentia*, Ordinis Min. archiepiſcopus Zaitonenſis, & Fr. Guillelmus Campanus, itidem Minorita, pro fidei chriſtianæ confeſſione occiſi ſunt à Saracenis in Medorum imperio. Ita Waddingus, *tom. 4.* ad annum 1362. *n. 4. p. 83.*

PROVINCIA MACRENSIS.

EPISCOPATUS *Macræ ὁ Μάκρης*, recenſetur in provincia Rhodopes ſub Trajanopoli metropoli in notitia epiſcopatuum Græcor. ad calcem Codini *de Officiis, p. 394.* Subjungitur autem, *p. 404.* hanc urbem *Orthagoriam & Stagiram* olim dictam, *nunc Macre* appellari, Ὀρθαγορεία ϗ Στάγειρα ἡ νῦν Μάκρη. De ea hæc ſcribit Michael Anton. Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 261.* ad vocem *Stagira:* «Oppidum (eſt) Macedoniæ in Amphaxitide tractu Plinio, Straboni, Dioni, & Stephano, quod *Stantira* Ptolemæo, in agro Olinthiaco « & in ora ſinus Strymonici ad montis Athi radices, patria Ariſtotelis: nunc *Libanova* dicitur, « teſte Sophiano, ſive *Macra,* teſte Niceta, 16. milliarib. diſtans à Singitico ſinu in ſeptentrionem, & hodie paucis conſtat incolis.» Hanc urbem factam fuiſſe archiepiſcopalem & metropolitanam provinciæ ex ea dictæ Macrenſis colligitur ex litteris encyclicis Innocentii III. ad provincias Orientis, ut illarum præſules invitaret ad ſynodum Lateranenſem, datis Later. XIII. kal. Maii anno XVI. (id eſt die 19. April. anno 1213.) legitur enim, *tom. XI. part. 1. conc. Labb. col. 126.* A. *In eodem modo archiepiſcopo & epiſcopis per Macrenſem* (provinciam conſtitutis.) Cæterum nullum novimus ex epiſcopis ritus Latini hujus provinciæ. Harduin. *tom. XI. conc. col. 773. 774. med.* obſervat geminas poni *Macræ* nominis urbes in Pſeudoſynodo Photiana, quarum unius *Nicolaus* antiſtes extiterit, *tom. VI. edit. Hard. col. 215.* D. alterius vero *Antiochus, ibid. col. 218.* & addit: *Unam habet in Lycia vetus Ecthesis, ὁ Μάκρης.*

Digitized by Google

ECCLESIA MITYLENES.

PROVINCIA MITYLENENSIS.

I. ECCLESIA MITYLENES METROPOLIS.

PROVINCIA Mitylenenſis intra inſulam Leſbos unam Cycladum continetur. Eſt autem Leſbos inſula Aſiæ minoris in mari Ægæo Straboni, *lib. 13. pag. 616.* C. *edit. Caſaub.* Plinio, *lib. 5. cap. 31.* & aliis, verſus oram Troadis & Myſiæ majoris ab ea ſex milliar. diſtans in meridiem, & 12. à Cana promontorio in occaſum, dictaque fuit etiam *Mitylene,* nunc vero *Mitylin* à Turcis nuncupatur, *Metelino* ab Italis, teſtibus Sophiano & Porcaccio, ab ejuſdem nominis urbe quæ archiepiſcopalis eſt in parte orientali inſulæ, habetque duas alias urbes parvas cum totidem epiſcopis. Circuitus inſulæ eſt 140. milliar. & extenditur à ſeptentrione in meridiem ad 40. milliar. Dicta etiam fuit *Hemerte, Laſia, Ægira, Pelaſgia, Æthiope* & *Marcaria.* Paruit aliàs hæc inſula Cataluſiis qui origine Genuenſes erant, illamque per ſæculum integrum poſſederunt, nempe ab anno 1355. (quo, teſte Raynaldo ad eum annum, *n. 32.* ex Matth. Villano, *lib. 4. c. 46.* Joannes Palæologus, Franciſci Cataluſii Genuenſis opera, imperium Conſtantinopolitanum recuperavit: cujus beneficii memor Palæolog. ipſi ſororem ſuam matrimonio conjunxit, eidemque Leſbum inſulam ac ſucceſſoribus ejus jure fiduciario tribuit.) Sub poteſtate autem Cataluſiorum remanſit Leſbos uſque ad annum 1462. quo erepta fuit Dominico Cataluſio à Mahumete II. ut refert Leunclavius, & exinde dominio Turcarum ſubjicitur. Hæc Michael Anton. Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 569. col. 1.* Vide quæ ſupra dicta ſunt de Mitylene, *tom. 1.* hujus operis *coll. 953. 954.* Aliqui præſules ritus Latini urbi illi præfuerunt, ex quibus occurrunt ſequentes.

ARCHIEPISCOPI MITYLENENSES.

I. JOANNES.

ALBERICUS *in Chronic. edit. Lipſiæ 1698. t. 2. p. 440.* ad annum 1205. narrata Balduini Imperatoris Conſtantinopolitani nece, ſubjungit: Ad hoc etiam quod in Tornoa fuerit occiſus, conſentit Dominicus *archiepiſcopus Joannes Mitylinenſis,* &c. Non explicat autem Albericus an Joannes iſte Græci ritus præſul fuerit, an vero Latini: ſi Latinus fuit, hîc de eo meminimus.

II. AMBROSIUS.

Mitylenenſium deinceps præſulum nullus occurrit uſque ad *Ambroſium de Abiate,* Ord. Præd. Mediolanenſem, qui à Bonifacio IX. anno 1402. huic eccleſiæ Mitylenenſi præfectus eſt: ex Fontana *Theat. Dom. pag. 238. tit. 394.*

III. ANGELUS.

IV. HUGHECTUS.

Doctiſſimus P. Antonin. Bremond, *to. III. Bull. Ord. Præd. pag. 208.* ad annum 1431. diploma refert Eugenii IV. datum hoc anno VI. kal. Octob. (id eſt die 26. Septembris) quo conſtat *Angelo* archiepiſcopo *Mitilmen.* defuncto, (Amanuenſis autem incuria hoc nomen *Mitilmen.* aliàs ignotum, ſcriptum

A fuiſſe exiſtimat pro *Mitylenen.* vulgo *Metelin* in ejuſdem nominis (ſive Leſbi) inſula maris Ægæi,) ipſi ſubſtitutum eſſe *F. Hughectum de Valentia,* Ord. Præd. præſulem ab hujus Ordinis ſcriptoribus prætermiſſum. *Ex archivo apoſtolico, lib. VIII. fol. 196.*

V. DOROTHEUS.

VI. LEONARDUS.

Hughecto probabiliter ſucceſſit in ſede B Mitylinenſi *Dorotheus* iſte, cui mortuo ſuffectus eſt ab eodem Eugenio Papa an. 1444. *Leonardus Chienſis,* Ordinis Prædic. Nam Fontana *in Theat. Dom. pag. 81. tit. 55.* ſcribit, vacante eccleſia Mitylinenſi per obitum *Dorothei* ejus archiepiſcopi, aſſumptum eſſe ab Eugenio IV. *Fr. Leonardum de Chio,* Ord. Præd. Annum quidem non indigitat: at ipſum curam hujus eccleſiæ ſuſcepiſſe ante diem 1. Jul. anni 1444. colligitur ex duobus C præfati Eugenii diplomatibus, quæ profert R. P. Bremond, *tom. 3. Bullar. pp. 210.* & *211.* datis die 1. Jul. eo anno, quibus jam ei conceſſum pallium declaratur. Hunc poſtea delegavit Pontifex circa annum 1446. unà cum Iſidoro Rutheno Cardinali, ad Conſtantinum Palæologum Imperat. Græcorum, ſancitæ in concilio Florentino eccleſiæ orientalis cum Latina reſtituendæ firmandæque concordiæ

Digitized by Google

concordiæ cauſa, qui tandem effecerunt ut unio illa fieret die 12. Decemb. anno 1452. Verum id ſerius contigit, quam Græcorum rebus expediſſet: neglecto enim ab illis antea Papæ ac occidentalium principum auxilio, anno ſequenti à Mahomete II. capta eſt Conſtantinopolis; ex cujus ſtrage ſe ſurripientes Cardinalis & Leonardus, ille quidem Romam, hic vero Chium petiit, ex qua inſula Nicolaum V. certiorem fecit die 16. Aug. eodem anno 1453. de omnibus in hac expugnatione geſtis. Porro præter relationem iſtam, quam Bzovius edidit *tom. 17. annal.* ad annum 1453. *n. 6.* à *p. 84.* A. ad *p. 90.* B. ſcripſit etiam idem Leonardus tractatum apologeticum adverſus Carolum Poggium Florentinum, Eugenii IV. ſecretarium, anno 1446. die 27. Decemb. Mitylenæ, & concionem amplam, cujus meminit Echardus *ibid.* Leſbum reverſus, ibi manſit uſque ad annum 1458. quo, juxta Boſium, aut ad annum 1462. quo, juxta alios, inſula hæc in dominium Turcarum cecidit: tunc enim à præfato Mahomete II. incolas Latini ritus partim diriſſime interfectos, maxime nobiliores, inter quos probabile eſt involutum fuiſſe piiſſimum antiſtitem, partim in ſævam redactos ſervitutem ſcribit abbas Michael Juſtiniani.

VII. Leonardus II.
VIII. Angelus.

Waddingus, *tom. 7. annalium Minor.* ad annum 1482. *num. 82. p. 137.* ſub Sixto IV. hæc ſcribit: « Ad *Mutilenſem* per obitum » *Leonardi Fr. Angelus de Barbianis,* regularis obſervantiæ profeſſor, de nobili & baronum « genere (ità habet Regeſtum pontificium) « procreatus (evectus eſt) xiv. kal. Septemb. « (id eſt die 19. Auguſti.) Hunc epiſcopatum « non invenio in provinciali Romano, neque « in libris Conſiſtorialibus; quid ſi ſcribendum « *Mutinenſis* in Lombardia, vel *Mytilenſis* (id « eſt *Mitylenenſis*) archiepiſcopatus in Leſbii « inſula & mari Ægæo! »

Profecto, inquam ego, hæc eccleſia *Mutilen.* non fuit ipſa Mutinenſis: nam Ughellus, *tom. 2. Ital. ſac. veter. edit. coll. 168. & 169. num. 56.* refert *Nicolaum Sandonninum,* Lucenſem, ſedi Mutinenſi præfuiſſe ab an. 1465. uſque ad annum 1479. quo ad eccleſiam Lucenſem tranſlatus eſt; & *num. 57. Joannem Andream de Bociaciis,* Regienſem, eccleſiam Mutinenſem rexiſſe ab eodem anno 1479. uſque ad annum 1497. quo Romæ deceſſit. Hic ſubinde Joannes ſedem Mutinenſem occupabat anno 1482. non *Leonardus,* non *Angelus.*

Quod ſpectat ad eccleſiam *Mitylenenſem,* nihil obſtat quod illam uterque aſſignato tempore adminiſtraverit; ſed tunc *Leonardus* iſte alius fuerit à Leonardo ſupra memorato, quem periiſſe tradunt ſcriptores anno 1458. aut ſaltem 1462.

Idem Waddingus, *to. 6.* ad annum 1456. *num. 26. pag. 217.* meminit cujuſdam *Fr. Joannis de Falconeio,* epiſcopi Berratinenſis ſive Bernitinenſis in Leſbia inſula ſub archiepiſcopo Mitylenæo, eo anno die 9. Jul. & ſuffraganei epiſcopi Atrebatenſis.

PROVINCIA NAUPACTENSIS.

I. ECCLESIA NAUPACTI METROPOLIS.

NAUPACTUS, urbs Ætoliæ in Græcia Cæſari, Livio & aliis, nunc vero *Epactos* indigenis, *Einebacti* Turcis, *Lepanto* Italis, teſte Leunclavio. Livadiæ propriæ dictæ caput exiſtit in ora ſinus Corinthiaci, qui ab ea *ſinus Lepanti* cognominatur, prope ejus fauces & Antirrhium promontorium. Diſtat 95. milliaribus à Nicopoli Epiri in ortum hybernum, Corinthum verſus 85. circiter, & 12. ab urbe Patras in ſeptentrionem: ſita eſt ad radices montis cum arce in ſummo ejus vertice atque portu parvo. A Turcarum principe Bajaceto Venetis erepta fuit anno 1499. ex quo tempore eorum dominio ſubjicitur. Non procul ab ipſa prælio maritimo Turcæ victi fuerunt à Chriſtianis anno 1571. Vide quæ de ea urbe dicta ſunt *to. 2.* hujus operis, *coll. 197. 198.* ubi quidem habetur in notitia Græca Leonis Sapientis *Naupactum* ſortiri *locum trigeſimum ſextum* inter metropoles patriarchatus Conſtantinopolitani; verum id emendandum: nam in ea notitia, prout illam refert P. Goar ad calcem libri *de Officiis* Georg. Codini Curopal. *edit. Pariſ. 1648. trigeſima quinta* aſſignatur *pag. 379.* λε' H. Ναύπακτος. *35. Naupactus,* & *pag. 394.* Θρόνος τριακοστὸς

ECCLESIA NAUPACTI. πέμπτος; τοῦ Ναυπάκτου Αἰτωλίας: *thronus trigeſimus quintus; Naupacti Ætoliæ.* Demum in *expoſitione Imperatoris Domini Andronici Palæologi ſenioris, quem locum nunc teneant metropoles quæ Conſtantinopolitano throno ſubjectæ ſunt:* ibid. *pag. 401. num. 42.* μϐʹ ὁ Ναυπάκτου ἐν αὐτοῖς λέ. ὢν θρόνος, εἰς μϐʹ. κατῆλθεν. Et *ad marg.* additur γέγονεν. *42. Naupacti metropolis, quæ quum trigeſimum quintum thronum poſſideret, ad quadrageſimum ſecundum redacta eſt.* Huic porro eccleſiæ nonnulli præfecti ſunt ritus Latini præſules.

ARCHIEPISCOPI NAUPACTENSES.

I. ROSTANGUS.

ROSTANGUS *Candola,* Gallus, Narbonenſis, Ordinis Prædic. doctor celebris, ex eccleſia Sidonienſi, ad quam eum promoverat F. Petrus de Plana-Caſſano, Ordin. Min. legatus apoſtolicus in Orientem miſſus, (quem etiam aſſerit Marianus, *cap. 3.* fuiſſe Patriarcham Hieroſolymitanum) tranſlatus eſt anno 1307. à Clemente V. ad metropolitanam Naupactenſem. De eo hæc ſcribit Taëgius *in ſuis monumentis Ord. Præd.* teſte Fontana *in Theat. Domin. pag. 91. tit. 68. Eodem anno* (ſcilicet 1307.) *F. Roſtangus Candola factus eſt archiepiſcopus Neupoten.* (id eſt Naupactenſis) *in Achaia per D. Clementem præfatum ante feſtum omnium Sanctorum. Hic erat epiſcopus Sydonis, factus per proviſionem D. Patriarchæ Hieroſolymitani, anno præcedenti ante Natale.* Hujus meminit S. Antoninus, *part. 3. tit. 23. c. XI. p. 680. col. 1.* C. at non dicunt quanto tempore eccleſiam Naupactenſem adminiſtraverit. Souëgius in præfatione primæ partis menſis Julii anni Dominicani, ubi de eccleſia Nigripontenſi, pro Naupactenſi *Nigripontenſem* ſcribit, & Bernardum Guidonis citat: omnes tamen auctores, quos R. P. Antonin. Bremond, *tom. 2. Bullar. pag. 125.* laudat, ſcilicet ipſemet Bernardus Guidonis, Cavalerius, Taëgius, Olmeda, Plodius ſive Michael Pio, S. Antoninus, Luſitanus, &

A Fontana, hunc conſtanter aiunt *Neupactenſem* ſeu corrupte *Neupotenſem* fuiſſe archiepiſcopum: unde hallucinari Souëgius videtur.

II. JOANNES.

III. EUSTACHIUS.

Joanne archiepiſcopo Naupactenſi defuncto, ei ſubſtitutus eſt à Clemente VI. die 26. Junii anno 1345. *F. Euſtachius de Ancona,* Ordinis Minor. tunc guardianus

B Clarentiæ, diœceſis Olenenſis in Romania. Ita Waddingus, *tom. 3.* ad annum 1345. *num. 8. pag. 531.* & *in Regeſt. Pontif. ibid. pag. 322.* ubi diploma refert Clementis.

IV. HERMANNUS.

Anno 1366. ſedebat *Hermannus,* Euſtachii fortaſſis ſucceſſor, qui Lazarinum Minoritam eo anno Buthroti eccleſiæ ſibi ſuffraganeæ epiſcopum deſignavit. Ita Waddingus, *to. 4. annal. Min.* ad hunc annum 1366. *num. 18.*

C *pag. 117.*

V. ANTONIUS.

In nunciis publicis Gallicè ſcriptis per annum 1731. mentio fit, *pag. 534.* de *Antonio Maria Palavicini* archiepiſcopo *Lepanti,* qui eo anno die 7. Octobris Cardinalem Otthoboni eccleſiæ patriarchalis S. Joannis Lateranenſis archipreſbyterum, dum eam eccleſiam luſtraret, comitatus eſt.

II. ECCLESIA BUTHROTI.

BUTHROTUM ſeu *Botrontum,* Græcis Βυθρωτὸν, Italis vero *Butrinto* ſive *Botronto,* Naupactenſis eccleſiæ ſuffraganea, in notitia Græcor. epiſcopatuum, juxta diſpoſitionem Leonis Sapientis, octavo loco ponitur ſub throno trigeſimo quinto ὁ Βουθρωτοῦ *Buthroti* ad calcem libri *de Officiis* Codini, *pag. 394. edit. Pariſ. 1648.* & inferius, ubi: *Quæ urbes nomen ultimò mutaverunt:* pag. 405. *Epirus nunc Butrotum* Ἤπειρος τὸ Βοθρεντὸν. Oppidulum eſt autem Albaniæ in Chimara provincia, teſte Mich. Antonio Baudrand, *tom. 1. geogr. p. 199. col. 2.* & in ora littorali maris Ionii & Buthroti ſinus, ægre habitatum; ſubeſt dominio Turcarum. Vix ſex milliaribus diſtat à Corcyra inſula in ortum, 10. vero ab urbe ejuſdem nominis in ortum æſtivum, & 100. ſtadiis ab Acroceraunïis montibus in meridiem Nicopolim verſus. Eò multi piſcatores confluunt. Nonnullos autem ritus Latini habuit epiſcopos.

EPISCOPI BUTRHOTI.

I. NICOLAUS.

NICOLAUS iſte Ordinem Præd. amplexus eſt, & Henrico VII. Lucemburgio Impera-

D tori Romam petenti ut ibi coronaretur, comes individuus, pro cujus gerendis negotiis magna ſubiit vitæ diſcrimina. Relationem hujus itineris ab ipſo compoſitam, *ex cod.*

Digitized by Google

mſ. 9920. biblioth. Reg. Pariſ. fol. med. chart. typis dedit clariſſimus Baluzius Papar. Aven. *tom. 2.* à *col. 1146.* ad *1230.* ſic incipit: *Nicolai epiſcopi Botrontinenſis relatio de itinere Italico Henrici VII. Imperat. ad Clementem V. Papam,* nempe ab an. 1310. ad annum 1313. In ea autem ait, *col. 1171. Ab Imperatore miſſus Brixiam, à militibus Brixianorum ſtipendiariis captus.... petivi quare me ceperant, quum eſſem frater Prædicator, & epiſcopus, & in via eundi ad Cardinales,* &c. Opus curioſum eſt, & merito legendum, inquit P. Echard. *to. 1. ſcriptor. Ord. Præd. pag. 522. col. 2.* Addit R. P. Antonin. Bremond, *tom. 2. Bullar. p. 129.* de eo agens: *Illum crediderim* (fuiſſe) *Nicolaum de Ligny coadjutorem Tullenſis epiſcopi, quem Cavalerius* (Galler. Dom.) *to. 1. p. 78. n. 245. ex Souëgio, ſedente Joanne XXII. circa annum 1316. floruiſſe docet.*

II. Franciscus.

III. Lazarinus. *Antonius.*

Franciſco Buthrotenſi epiſcopo mortuo, *Lazarinus* Ord. Min. huic eccleſiæ ſuffectus eſt ab Hermanno archiepiſcopo Naupactenſi: verum Urbanus V. ea electione poſthabita, illum ſua auctoritate ad hanc ſedem evexit die 9. Febr. anno 1366. Hæc Waddingus, *tom. 4.* ad hunc annum, *num. 18. pag. 117.*

Ex actis capituli generalis Ordinis Præd. Noviomagi anno 1459. die 13. Maii celebrati, diſcimus tunc ſediſſe *Antonium de Rhegio* epiſcopum *Botudinenſem,* ejuſdem Ord. alumnum, qui receptus eſt ad ſuffragia hujus Ordinis. Hunc R. P. Echardus ſupra laudatus cenſet fuiſſe *Buthroti* epiſcopum, & erratum eſſe ex notariorum oſcitatione vel ignorantia, legendumque *Botruntinenſem* vel *Buthrotinum*: vult etiam hallucinatum Ughellum, qui *Botudinenſem* eccleſiam non inveniens, putavit ſubſtituendum eſſe *Bituntinam.* Ughellus reipſa, *tom. 7. Ital. ſac. veter. edit. col. 939. num. 21.* de Antonio ita ſcribit: « *Fr. Antonius de Rhegio,* Ord. Præd. verbi Dei inſignis concionator, egregiuſque theologus, Calliſto III. in paucis charus, ab ipſo *Bituntino* epiſcopatu (in regno Neapolitano ſub archiepiſcopo Barenſi) ornatus eſt die 4. Maii 1457. (cui) præfuit laudabiliter aliquot annos. » Duos autem Fontana diſtinguit *Antonios de Rhegio in Theatro Domin.* unum, quem epiſcopum *Bituntinum* in Appulia, *pag. 143. tit. 94.* facit ex Ughello: alterum, quem *Botudinenſem,* non expreſſa regione, appellat, *pag. 145. tit. 101.* Aſſerit quoque in utroque loco unumquemque illorum à Calliſto III. fuiſſe promotum, & in capitulo generali apud Noviomagum habito an. 1459. ad gratias Ordinis admiſſum: unus tamen duntaxat in actis hujus capituli legitur iis verbis quæ ipſe refert ſecundo loco: *Recipiuntur, ad gratias & beneficia Ordinis, FF. epiſcopi. Inprimis acceptamus F. Petrum de Venetiis archiepiſcopum Corphienſem, D. Antonium de Rhegio epiſcopum Botudinenſem,* &c. Verum leviori fundamento nixam hanc diſtinctionem merito explodit R. P. Antoninus Bremond, *tom. 3. Bullar. pag. 371.* ad annum 1457. Bituntiniſque epiſcopis regni Neapolitani Antonium adjudicat. Diploma Calliſti III. quod *ibid.* exhibet, hujuſmodi eſt: *Calliſtus epiſcopus,* &c. *dilecto filio Antonio electo Botontin. ſalutem,* &c. *Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Paulo epiſcopo Botontino,* &c. *Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnat. Domini 1457. IV. Non.* (id eſt die 4.) *Maii, pontificatus noſtri anno III. ex archivo apoſt. lib. 28 fol. 273.* Porro concordat cum iſto diplomate Ughellus, qui loco citato, *col. 938. n. 20.* prædeceſſorem Antonii in ſede Bitontinenſi Paulum aſſignat. « Paulus de Alfatatis, inquit, antea epiſcopus Polinianenſis, ad hanc Bitontinam eccleſiam translatus eſt XVIII. kal. Jun. 1424. Sedit in hac ſede annis 32. (&) obiit anno 1457. » *Bituntinus* itaque in Italia præſul *Antonius* iſte dicendus, non *Bothruntinus* in Græcia, nec ob quædam amanuenſium errata in duos antiſtites dividendus.

III. ECCLESIA NICOPOLIS.

Nicopolis, ex Mich. Anton. Baudrand, *to. 1. pag. 23. col. 1.* urbs eſt Epiri Ptolemæo & aliis in Caſſiopeia tractu ad oſtium Ambracii ſinus contra Actium promontorium, ſedeſque epiſcopalis ſub archiepiſcopo Naupactenſi, nunc *la Preveſa* dicta, teſte Sophiano & aliis, prope oram maris Ionii, inter Corcyram & Leucadem inſulas, & ab Auguſto poſt devictum Marcum Antonium condita fuit, & *Nicopolis* appellata, id eſt, *urbs victoriæ,* ut refert Suetonius in ejus vita. Nonnullos epiſcopos ritus Latini ad Nicopolitanam ſedem promotos reperio: ſed quia præter Nicopolim ſub Naupactenſi metropoli, quædam aliæ extant hujus nominis urbes; puta una in Palæſtina ſub Patriarcha Hieroſolymitano, alia in Armenia minori ſub archiepiſcopo Sebaſtenſi, alia demum in Myſia, ut obſervat R. P. Antoninus Brēmond, *tom. 2. Bull. pag. 530.* definire non auſim an omnes præſules quos ſubjicio, Nicopoli de qua agimus, præfuerint.

EPISCOPI NICOPOLIS.

I. Lucas.
II Petrus.

Poſt obitum *Lucæ* epiſcopi Nicopolis, renuntiatus eſt ejus ſucceſſor à Bonifacio IX. *Petrus de Alba-Regali,* Eremita Auguſtinian. IV. kal. Decemb. (id eſt die 28. Novemb.) anno 1390. *Ex Regiſtro Vatic.* Ita Thomas de Herrera ejuſdem Ordinis *in Alphabeto Auguſtiniano, tom. 2. pag. 261. col. 2.* ubi ſubjungit hunc ſine dubio eſſe illum Petrum epiſcopum Nicopolienſem, cui in Regiſtris hujus Ordinis die 17. Maii anno 1391. conceditur fratrem unum ejuſdem Ordinis ſecum retinendi licentia.

III. Leonardus.
IV. Martinus.

Thomas de Herrera modo citatus obſervat *ibid.* Petrum ſui Ordinis, vel paucis poſt præſulatum ſuſceptum annis obiiſſe, vel ad aliam ſedem fuiſſe tranſlatum, utpote quum *ex Regiſt. Vaticano* conſtet per obitum *Leonardi* (utique Petri ſucceſſoris) deſignatum fuiſſe epiſcopum Nicopolienſem *Martinum Jacobi,* Minoritam, pridie idus (id eſt die 14.) Octob. anno 1394. Id quoque refert Waddingus ad hunc annum, *tom. 4. num. 5. pag. 306.* ſub Bonifacio IX. & nominat ſpeciatim ſedem Nicopolienſem ſub patriarchatu Conſtantinopolitano.

V. Joannes.

Martino Minorita mortuo, ei ſucceſſit in ſede Nicopolienſi *Joannes Cecchi Offidanus,* ejuſdem Ord. Min. ſuffectus à præfato Bonifacio IX. IV. idus (id eſt die 10.) Jan. an. 1396. Ita Wadding. laudatus, *to. 4.* ad hunc annum, *num. 2. pag. 310.* Is eccleſiam Fabrianenſem ſui Ordinis ſolemniter dedicavit anno 1398. die Dom. ante nativitatem S. Joannis Bapt. ex eodem Waddingo, *to. 3.* ad annum 1322. *num. 25. pag. 274.* & *tom. 4.* ad annum 1398. *num. 2. pag. 320.*

VI. Franciscus.
VII. Ivo.

Poſt obitum *Franciſci* epiſcopi Nicopolienſis renuntiatus eſt à Joanne XXIII. hujus ſedis antiſtes *Ivo Nerocii de Senis,* Ord. Præd. anno 1412. die 31. Auguſti. Diploma pontificium profert doctiſſimus P. Antoninus Bremond hujus tenoris, *tom. 2. Bull. p. 514. Joannes,* &c. *dilecto filio Ivoni Nerocii de Senis, electo Nicopolenſi ſalutem,* &c. *per ipſius Franciſci obitum,* &c. *ad te Ordinis FF. Prædic. profeſſorem,* &c. *Datum Romæ apud S. Petrum* *II. kal. Septemb. pontificatus noſtri anno III. Ex archivo apoſtolico lib. 17. fol. 34.* Hunc Ivonem cenſuit Minoritam Wadding. *to. 5. annal.* ad hunc annum 1412. *num. 2. pag. 78.* ſed diploma relatum litem dirimit.

VIII. Petrus II.
IX. Michael.

Si eamdem ſedem Nicopolenſem tenuerunt duo iſti præſules, ac Ivo Nerocii modo memoratus, hunc oportet vel brevi deceſſiſſe, vel ad aliam ſedem poſt paucos menſes fuiſſe tranſlatum, ipſumque *Petrum* qui ipſi ſucceſſerit, ex hac vita fere ſtatim migraviſſe: nam idem Waddingus ad annum 1413. *to. 5. num. 6. pag. 82.* ſcribit *Fr. Michaelem Jacobi,* ſui Ordinis, regimini Nicopolitanæ eccleſiæ ſub Patriarcha Conſtantinopolitano per obitum *Petri* vacantis, à Johanne XXIII. præfato fuiſſe admotum.

X. Hermannus.

Raynaldus ad annum 1417. *num. 10.* de Bohemis agens, ita ſcribit: « Aucta vero eſt hæreticorum (Huſſitarum) improbitas, quum « *Hermanno* epiſcopo Nicopolenſi ſua infudere « venena. Is enim à Conrado archiepiſcopo « Pragenſi renuntiatus, ut vices illius gereret, « hæreticorum multitudinem ſacerdotio initiavit, atque ob id ſcelus munere exauctoratus eſt à (præfato) Conrado, cujus litteræ « (datæ ſunt) *Rudnitz anno Domini 1417. die 15. menſis Martii.* Captus eſt poſtea Hermannus à Zenkone è Wartemberg, & ab eo « ſacerdotalibus ſacris initiati, munere ſacerdotali interdicti à Conſtantienſibus Patribus, « niſi à ſede apoſtolica ea cenſura ſolverentur. » Inter viginti quatuor articulos præſcriptos in eo concilio ad reducendos ab Huſſitana hæreſi Bohemos, decimus tertius his verbis exprimitur: *Ut preſbiteri, vel alii ordinati per dominum Hermannum ſuffraganeum archiepiſcopi Pragenſis, captum per dominum Zenkonem de Wartemberg, cum eis non diſpenſetur, ſed ad ſedem apoſtolicam remittantur.* Ita Joannes Cochlæus Germanus *hiſtor. Huſſitar. lib. 4. pag. 167. edit. S. Victoris prope Moguntiam 1549.* qui etiam recitat, *pag. 169.* epiſtolam Conradi archiepiſcopi Pragenſis & apoſtolicæ ſedis legati, qua præfatum Hermannum epiſcopum Nicopolenſem, & ſuum in pontificalibus vicarium generalem, ab officio hujuſce vicariatus amovet, ordinatoſque per eumdem ab executione ordinum ſuſceptorum ſuſpendit. Addit Cochlæus, *p. 172. Fratres Ordinis Prædicatorum, qui per ſolidam ſancti Thomæ Aquinatis theologiam hæreticis acerrime*

Digitized by Google

reſiſtere ſolent, præ cæteris inviſi erant Huſſitis. A

XI. Wenzeslaus.

XII. Hugo.

Sede Nicopolenſi vacante per obitum *Wenzeſlai* ejus epiſcopi, ei præfecit Eugenius IV. anno 1437. die 9. Auguſti *F. Hugonem* de *Stenheim*, Ord. Præd. quem omiſerunt hujus Ordinis ſcriptores. Id tamen conſtat ex diplomate pontificio, quod legitur, *to. 3. Bullar.* R. P. Antonin. Bremond, *pag. 221.*

Aliquot alios non recenſeo, qui ſolo Nicopolitano titulo potiti ſunt.

ECCLESIÆ CRONENSIS.

IV.

ECCLESIA CRONENSIS.

DE eccleſia Cronenſi nihil aliud compertum eſt, quam quod à Waddingo reponatur ſub Naupactenſi metropoli, hujuſque duo memorentur præſules.

EPISCOPI CRONENSES.

I. * * *

II. Matthæus.

PRæfatus Waddingus, *tom. 5. annal. Min.* ad annum 1433. *num. 14. pag. 257.* ait ad Cronenſem (eccleſiam) ſub archiepiſcopo B Naupactenſi *Fr. Matthæum*, Minoritam, lectorem ſacræ theologiæ in conventu Quinque Eccleſienſi, eo anno II. Non. (id eſt die 4.) Sept. ab Eugenio IV. Papa fuiſſe evectum, poſt mortem *N.* ejus præſulis.

V.

ECCLESIA ACTONENSIS.

ECclesiam Actonenſem, aliàs nobis ignotam, reponit Waddingus ſub archiepiſcopo Naupactenſi, ejuſque duos epiſcopos memorat.

EPISCOPI ACTONENSES.

I. Theodoricus.

II. Hermannus.

ECcleſiæ Actonenſi vacanti per obitum *Theodorici,* aliàs *G. Fabri,* in præſulem datus C eſt anno 1415. die 6. Mart. tempore ſynodi Conſtantienſis, *Fr. Hermannus Burburonde,* Ord. Min. Ita præfatus Waddingus, *tom. 5.* ad eum annum, *num. 21. pag. 101.*

PROVINCIA NAXIENSIS.

NAXUS, inſula Græciæ in mari Ægæo, & Cycladum una Straboni, quæ & *Naxos* dicta, & olim etiam *Strongyle, Callipolis, Dionyſia* & *Sicilia minor*, Plinio teſte, nunc vulgo *Naxia* & *Nacſia* Sophiano & aliis, *Nicſia* quoque quibuſdam, ſatis ampla eſt, & probe culta propter fertilitatem: figuræ eſt fere quadratæ, & circuitus 88. milliarium. Urbem habet cognominem, eamque archiepiſcopalem cui præeſt duplex archiepiſcopus, Græcus nimirum unus, Latinus alter, & octodecim pagos. Erat aliàs ducatus titulo inſignita, in ditione Sanutorum nobilium Venetorum, nunc autem ſubeſt Turcis. Hinc autem marmor olim eruebatur *Serpentinum* dictum, ſeu Ophites Plinio, viride, ſed maculis lividis aſperſum. Paro proxima eſt, 7. aut 8. milliaribus ab ea diſtans, & 30. circiter à Delo & à Mycono in meridiem. Hæc Mich. Anton. Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 13. col. 2.* Modo memorata *Paros* inſula, quæ olim epiſcopatus erat ſub archiepiſcopo Naxienſi, huic metropoli unita eſt ab anno mundi 6591. juxta æram Conſtantinopolitanam, Chriſti 1083. ſic enim Græcè & Latinè extat ad marginem notitiæ Græcorum epiſcopat. ad calcem Codini *de Officiis, pag. 395. Paros & Naxia unitæ ſunt, & una metropolis facta menſe Maio, indictionis ſextæ, anno 6591.* Recenſetur *ibid. pp. 394. & 395.* ſub throno 38. *Rhodi Cycladum inſularum, nn. 4. & 6.* De inſula *Paros* ita loquitur præfatus Baudrand, *ibid. pag. 82. col. 1.* « *Paros,* inſula maris Ægæi Straboni & Ptolemæo, una Cycladum, prius *Pactya* & *Minoa*, teſte Plinio, « dicta *Demetrias, Zacynthus, Hyria* & *Cabarnis* Stephano, nunc *Paris* vulgo, teſte Sophiano, « *Paro* aliis. Circuitus ejus eſt 50. milliar. portu gaudens optimo, duobus caſtris *Kephalos* & «

BIBLIOTECA

Digitized by Google

» *Agoſta*, pluribus vicis, & 6000. (circiter) incolis. Milliar. diſtat 20. à Delo in meridiem: » fuit ſub dominio Venieræ gentis Venetæ; nunc paret Turcis ab anno 1538. Candido » marmore Pario dicto celebratur, & lapide quo veluti Lydio probatur aurum. Ei altera » inſula adjacet *Antiparos* dicta, vulgo *Antiparis*, quæ etiam culta eſt, & 18. milliar. habet in circuitu. »

Stephanus Byzantius, ad vocem *Paros*, poſtquam obſervavit in inſula hujus nominis extare quoque urbem ejuſdem nominis, quod à *Paro* Paraſii filio, Arcade viro, dicitur proveniſſe, ſcribit à *Parianis* ortam parœmiam *τὸ ἀναπαειάζειν*, id eſt, *more Pariorum pacta frangere.* Ut enim Ephorus narrat lib. x. *Miltiades, alias quidem inſulas, quum ad eas appuliſſet, vaſtavit: Parum vero fœliciſſimam, ac maximam Cycladum diu obſidebat, commeatus, qui ei mari poterant inferri, arcebat, ac terra tormentis premebat: jam vero cadentibus muris, ac paciſcentibus* (*incolis*) *urbem tradere, ſylva quædam fortuito circa Miconum incenſa Parii exiſtimantes Datim ipſis ſignum dare ne urbem traderent, pacta mentiti ſunt, ac urbem Miltiadi non tradidere: unde qui pacta mentiuntur ἀναπαειάζειν*, id eſt, *Parios imitari* dicuntur.

Præfatus Baudrand, *ibid. pag. 429. col. 2.* Naxiæ eccleſiæ ſuffraganeas accenſet *Thinenſem Tine* in inſula cognomine ſub Venetis, exemptam tamen, *Milenſem Milo, Scirenſem Sira, Chienſem Scio, Andrenſem Andro, Theraſienſem Santorini, & Theramnienſem* ſeu *Termiam.* Andrenſis porro & Scirenſis, de quibus jam ſupra dictum eſt, *coll. 859. 860. & 865. 866.* à provincia Athenienſi avulſæ fuerunt; Thinenſis autem, Milenſis & Chienſis infra ſub provincia Rhodi exponentur. Vide *tom. 1.* hujus operis, *coll. 937. 938.*

ARCHIEPISCOPI NAXIÆ & PAROS,

ſive PARO-NAXIENSES.

I. * * *

ANno 1345. intentus Clemens VI. auxilio Chriſtianorum in oriente, Imbertum ſive Humbertum Delphinum Viennenſem, qui poſtea ſæculo valedicens, Ordinem Prædic. amplexus eſt, exercitus cruce-ſignatorum ducem creavit, ſimulque ad archiepiſcopos eccleſiarum Cretenſis, Patracenſis, Athenienſis, Thebanæ, Corcyrenſis, Colocenſis, *Nicſienſis* (id eſt, ut videtur, *Naxienſis*, ſiquidem *Naxia* ab aliquibus nuncupatur etiam *Nicſia*) Dyrrachinæ, Neopacenſis, & Neopatrenſis, eorumque ſuffraganeos ſcripſit, ut conſilio & opera illum juvarent. Ita Odoricus Raynaldus ad hunc annum, *num. 6.*

II. * * *

Clementis ſucceſſor Innocentius pariter VI. ad coërcendos Turcarum impetus adverſus Catholicos in oriente degentes, litteras dedit inſcriptas: Venerabilibus fratribus Petro epiſcopo Coronenſi apoſtolicæ ſedis legato, necnon Patriarchæ Conſtantinopolitano, ac Nicoſienſi, Cretenſi, &c. *Nixienſi*, &c. archiepiſcopis, eorumque ſuffraganeis, &c. datas Avin. v. idus (id eſt die 11.) Maii anno VII. Chriſti 1359. quibus mandabat, ut contra illos zelum Chriſtianorum accenderent. Harum excerptum refert idem Raynaldus ad hunc annum, *num. 16.* Si archiepiſcopus iſte *Nixienſis* ſive *Naxienſis*, alius fuit ab eo qui ſupra memoratus eſt, ejus hîc meminimus.

III. * * *

Anno 1372. Gregorius XI. ſolemnes Chriſ- A tianorum conventus Thebis indixit, quibus Neopatriæ & *Nixienſem* archiepiſcopos intereſſe juſſit, ut in iis Orientales Occidentaleſque uniri poſſent ad compeſcendam Turcarum potentiam. Id legere eſt apud Raynaldum ad hunc annum, *num. 29.*

IV. * * *

Paro-Naxienſis archiepiſcopus fuiſſe omnino videtur *præſul* ille *Nichiſſienſis*, ad quem Martini V. diploma de promotione F. Joannis de Nardo, Ordinis Præd. ad ſedem Santeri- B nenſem Naxienſis ſuffraganeam, anno 1423. die 27. Octob. directum legitur apud doctiſſimum P. Antoninum Bremond, *tom. 2. Bullar. p. 628.* Vide infra, ubi de eo Joanne, inter epiſcopos Santerinenſes.

V. * * *

Anno 1488. die 28. Jul. epiſtolam ſcripſit Innocentius VIII. ad *archiepiſcopum Naxienſem* de promotione *Fr. Marci Stella*, Ordinis Præd. ad eccleſiam Milenſem ſive *Melos*, tunc C ejus ſuffraganeam. Legitur hæc epiſtola *to. 4. Bullar.* R. P. Bremond, *pp. 78. 79.*

VI. ROBERTUS.

Robertus de Noe vel *de Nola*, Apulus, Ord. Præd. vir doctrina & pietate clarus, primum præfectus eſt eccleſiæ Minerbini ſub archiepiſcopo Barienſi, ab Innocentio VIII. die 23. Januarii anno 1492. deinde tranſlatus ad Acerranenſem in regno Neapolitano ab Alexandro VI. anno 1497. die 15. Maii. Demum eccleſiarum unitarum *Naxiæ* &

Digitized by Google

Paros curam ſuſcepit anno 1504. die 15. April. *ex Actis Conſiſtorialibus* Julii II. Ita Ughellus, *tom. 6. col. 257. num. 21.* D. Fontana & alii.

Joannes. VII. Paulus.

Roberto probabiliter ſucceſſit in ſede Paro-Naxienſi circa annum 1515. *Paulus Zabarella*, Eremita Auguſtinianus, de eccleſia Argolicenſi ad iſtam tranſlatus, de quo vide quæ ſupra dicta ſunt, *col. 902.* D. inter epiſcopos Argolicenſes.

R. P. Bremond, *tom. 4. Bullar. Ord. Præd. pag. 273.* refert diploma Julii II. datum VI. kal. Septemb. (id eſt die 27. Auguſti) anno 1508. *Fr. Joanni* Ord. Præd. archiepiſcopo *Nazarienſi.* Ait vero hanc eccleſiam *Nazarienſem* eſſe *Naxenſem*, quæ vulgo *Naxia* & *Nacſia* nuncupatur in ejuſdem nominis inſula maris Ægæi, vel fortaſſis *Nazareth* in Palæſtina. Subſcriberem libenter pro ſede Naxenſi, niſi obſtaret quod ex Cavaler. *to. 1. pag. 328. num. 373.* anno 1508. Naxienſi præſideret Robertus ſupra memoratus, qui non obiit niſi circa annum 1515. nec dicitur antea tranſlatus ad aliam eccleſiam. Hinc itaque is Joannes, quem omiſerunt inter Ordinis Præd. præſules Fontana, Cavalerius, &c. archiepiſcopis Paro-Naxienſibus accenſendus non videtur; ſed potuit eſſe epiſcopus Nizarienſis ſub metropoli Rhodiorum.

VIII. Jacobus.

IX. Josephus.

Waddingus, *tom. 8. annalium Minor.* ad annum 1538. *num. 11. pag. 631.* ſcribit aſſumptum eſſe eo anno ad archiepiſcopatum Naxienſem & Parienſem in Archipelago *Fr. Joſephum de Montanaris*, Minoritam conventualem, per obitum *Jacobi de Cupis*, die 23. Septembris, ipſumque ex hac vita migraſſe anno 1540.

X. Sebastianus.

Sebaſtianum hunc *Leccavellam* cognominatum, hominem Græcum, & Ord. Præd. ad præſentationem ducis Archipelagi, prout in Actis Conſiſtorialibus fertur, Naxienſis & Parienſis eccleſiarum unitarum archiepiſcopum Paulus III. creavit anno 1540. die 12. Maii. Is concilio Trident. interfuit, & Bononiæ, quo illud ſeſe receperat propter peſtem Tridenti graſſantem, miſſam coram eo ſolemniter celebravit die 21. April. anno 1547. promulgavit quoque decretum, *ibid.* editum, teſte Cavalerio, *tom. 1. pag. 408. num. 178.* Poſtea à Pio IV. ad Litterenſem eccleſiam in regno Neapolit. tranſlatus eſt anno 1562. die 16. Decembris, quam ſponte dimiſit, ut reliquum vitæ tempus ſub regulari ſui Ordinis diſciplina tranſigeret. Obiit Romæ, ex præfato Cavalerio, anno 1566. die 13. Novemb. ætatis ſuæ 51. fuitque ſepultus in eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam.

ECCLESIA NAXIÆ.

XI. Antonius.

XII. Franciscus.

Tranſlato ad Litterenſem eccleſiam Sebaſtiano Leccavella an. 1562. die 16. Decemb. à Pio IV. ut modo dictum eſt, ſtatim iiſdemque die & anno ab eodem Papa ad eccleſiam Paro-Naxienſem evectus eſt *Antonius Juſtiniani*, Græcus, qui in inſula & urbe Chienſi an. 1505. de gente Patritia, & Juſtinianorum ſtirpe ſatus Ordinem Præd. amplexus fuerat Januæ in conventu S. Mariæ del Caſtello die 5. April. anno 1524. Is inſignis evaſit concionator & theologus. Quæſitor etiam fidei inſtitutus eſt in inſula Chienſi à Julio III. anno 1550. ex quo munere ad dignitatem archiepiſcopalem ſupra memoratam ipſum promovit Pius IV. Verum quia Joannes Criſpus dux Naxienſis moleſtè tulerat quod *Franciſcus Piſani*, vir quidem probus, ſed natalibus ortus illegitimis, & illiteratus, huic eccleſiæ non fuiſſet præpoſitus, ejus votis obſecundans Pius Papa, ad ſedem Lipparitanam in Sicilia, quamvis tantummodo epiſcopalem, Antonium tranſtulit die 12. Maii anno 1564. & *Franciſcum* præfatum eccleſiæ Paro-Naxienſi præfecit, quem Ughell. *tom. 5. Ital. ſac. col. 1424. num. 35.* A. *vet. edit.* ad Clugienſem eccleſiam tranſlatum anno 1569. die 29. Jul. & obiiſſe anno 1573. refert.

Quod ad Antonium attinet, concilio Tridentino adfuit ſub poſtremis ejus ſeſſionibus; eccleſiam deinde Liparitanam ſtrenuè adminiſtravit uſque ad obitum ſuum anno 1571. & in cathedrali ſepultus eſt. Vide Ughellum in Append. *to. 2. Ital. ſac. vet. edit. col. 1058. num. 39.* D. Cavalerium, *tom. 1. pag. 431. num. 208.* & P. Echardum, *tom. 2. ſcriptor. Ord. Præd.* ad annum 1571. *pag. 214. col. 2.*

XIII. Angelus.

De iſto Angelo hæc nos docet Ughellus, *tom. 1. Ital. ſac. col. 804. num. 56.* A. *veteris editionis.* « *Angelus Gozadinus*, Bononienſis, archiepiſcopus Nixienſis & Parienſis, archiepiſcopatus Bononienſis ſuffraganeus pro Cardinali Ludoviſio: ſublectus eſt epiſcopus Caſtellanus atque Hortanus à Gregorio XV. anno 1621. » Eo adhuc ſuperſtite, hæc ſcribebat Ughellus, cujus hic tomus editus eſt Romæ anno 1644.

XIV. Nicephorus.

Nicephorus Meliſſenus Comnenus, Neapoli

Digitized by Google

natus patre Theodoro Æni Deſpota, in A oriente Dynaſta ex Byzantinorum Imperatorum ſtirpe oriundo, Romam progreſſus, in ſancti Athanaſii Græcorum collegio linguæ Græcæ philoſophicisque ac theologicis ſtudiis multa cum laude incubuit. A Paulo V. in Orientem miſſus ad rem chriſtianam propagandam, innumeras pene oves ad paſcua ſalutis, ipſumque Conſtantinopolitanum Patriarcham, ad eccleſiæ unionem reduxit. Hinc Paulus illum *Naxienſem* archiepiſcopum & apoſtolicum in Oriente viſitatorem declaravit. Quum autem à Turcis in carcerem truſus, tandem liber dimiſſus eſſet, in Italiam reverſus eſt, Galliamque & Hiſpanias peragravit, ubique honorifice receptus. Ex Naxienſi eccleſia ad Crotonienſem in Italia tranſlatus eſt ab Urbano VIII. anno 1628. die 29. Maii. Obiit die 5. Febr. anno 1635. Ita Ughellus, *to. 9. Ital. ſac. veteris editionis col. 535.* & *ſeqq. num. 45.* D.

XV. RAPHAEL.

Quo tempore Leo Allatius libros de utriuſque eccleſiæ occidentalis & orientalis perpetua conſenſione ſcribebat, anno 1648. C editos, Naxiæ archiepiſcopatum gerebat *Raphael Sciattinus Chienſis.* Sic enim teſtatur, *lib. 3. cap. 12. col. 1057. In maris Ægæi inſulis archiepiſcopum unum & ſex epiſcopos, omnes Latinos, Latino ritu quem ipſi ſequuntur ordinatos, Romano Pontifici obnoxios* (eccleſia Latina) *habet. Qui præeſt Naxo, archiepiſcopi; qui Chio, Andro, Scyro, Sanctæ Irenæ, Milo, & Thermiis, epiſcopi titulum ſibi vindicant. Singuli ſubjectos populos ex ritu Latino regunt. Chii, ut ex relationibus apoſtolicis liquet, Latinorum decies mille capita numerantur. Hac ætate epiſcopi ſunt, Naxi, Raphael Sciattinus, Chius: Chii,* &c.

XVI. * * *

Anno 1673. *Paro-Naxienſis archiepiſcopus,* Latinus, in Naxia inſula degens, adfuit in templo RR. PP. Capucinorum hujus inſulæ ſolemniis ibi peractis in gratiarum actionem pro victoriis chriſtianiſſimi regis Francorum Ludovici XIV. Ita refertur in nunciis publicis Gallicè ſcriptis per eum annum, *p. 227.*

XVII. PETRUS.

B *F. Petrus Martyr Juſtiniani,* Ord. Præd. Chienſis, nobili progenie ortus, alumnus conventus S. Dominici Genuenſis in provincia Lombardiæ, ſacræ theologiæ profeſſor, qui fuerat vicarius conventus Peræ in ſuburbio Conſtantinopolis, item conventus Chienſis, ad archiepiſcopatum Paro-Naxienſem evectus eſt anno ætatis 45. Chriſti 1691. die 10. Decemb. ab Innocentio XII. Vivebat adhuc anno 1696. Ita Cavalerius, *tom. 1. pag. 687. num. 214.* Ejus quoque meminit doctiſſimus P. Antonin. Bremond, *tom. 6. Bullar. pag. 434.*

XVIII. JOANNES.

Joannes Franciſcus Boſſi, epiſcopus Scyrenſis, refertur in nunciis publicis Gallicè ſcriptis per annum 1730. renuntiatus Naxienſis præſul eo anno die 2. Octob. Romæ in conſiſtorio coram Clemente XII. *p. 523.*

XIX. ANTONIUS.

Anno 1733. die 13. April. *Antonius Maturi* à præfato ſummo Pontifice Clemente XII. præſul Naxienſis in Archipelago renuntiatus eſt. Ex iiſdem nunciis per eum annum, *p. 236.*

II. ECCLESIA SANTERINI.

SANTERINI, ſive *Sant-Erini* Græcis & Italis, & *Saint Erin* Gallis, quaſi *Sanctæ Helenæ,* olim *Theraſia* nuncupata, inſula eſt maris Ægæi, & una Sporadum Straboni & Plinio, ſatis culta, cum 1500. incolis: habet 30. milliaria circuitus, octo vicos & aliquot caſtra, quorum præcipuum *Scaro* dicitur, & duo alia *Acortiro* & *Nebio.* Diſtat ea inſula 18. milliar. ab inſula Io, 40. à Melo in ortum, & 36. ab ora proximiori Cretæ inſulæ in ſeptentrionem: eſt vero duplex, nempe magna, *Santerini* nunc appellata, & parva, quæ antiquum fere nomen retinet, *Tireſia* dicta. Hæc priori adjacet ad occaſum, à qua anno 1507. terræ motu diviſa fuit, & utraque terræ incendiis poſteriobus temporibus non parum afflicta eſt. Turcis ſubjicitur Santerini inſula, in qua duo ſunt epiſcopi, Græcus & Latinus, Paro-Naxienſis archiepiſcopi ſuffraganei. Hæc Mich. Anton. Baudrand, *tom. 2. geogr.* ad vocem *Theraſia, pag. 308. col. 2.*

EPISCOPI SANTERINI.

I. JOANNES I.

II. JOANNES II.

MOrtuo *Joanne* Santerini epiſcopo, ei ſuffectus eſt anno 1423. die 27. Octobris D *Joannes* alter dictus *de Nardo,* Ordinis Præd. ex R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pp. 627. 628.* ubi 4. diplomata Martini V. leguntur. Tertium quidem illorum *archiepiſcopo Nichiſſienſi,* ut metropolitano, ſcriptum eſt, quem corrupte

Digitized by Google

ECCLESIA SANTERINI.

corrupte pro *Nicoſienſi* poſitum cenſet præfatus R. P. Bremond, *pag. 628. nota 3.* & *p. 704.* Verum (pace ejus dixerim) *Nixienſis* potius adſtruendus ille videtur, id eſt *Naxienſis* ſive *Paro-Naxienſis;* tum quia in epiſtolis Clementis VI. Innocentii VI. & Gregorii XI. quarum ſupra meminimus, *coll. 1003.* C. *&* *1004.* A. B. archiepiſcopus Naxiæ *Nixienſis* appellatur; tum quia Cyprus inſula, quæ Patriarchatus eſt Antiocheni, non Conſtantinopolitani, longius diſtat ab inſulis Cycladibus, ut *Santerini* illarum una, *Nicoſienſis* metropolis in Cypro ſuffraganea exiſtimari debeat; tum denique quia nuſquam *Santerini,* ſicut nec cæteræ inſulæ Cycladum, recenſita in provincia *Cypri* reperitur, vel ſub *Nicoſia* metropoli; ſed in provincia harummet *inſularum,* prius ſub *Rhodo* metropoli, deinde ſub *Naxienſi.* Ita enim Ferrarius ab ipſo R. P. Bremond, *pag. 628. nota 3.* citatus: ita etiam Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 308. col. 2.* & *pag. 429. col. 2.*

III. DOMINICUS.

Anno circiter 1483. *Fr. Dominicus Terdonienſis,* Ord. Præd. renuntiatus eſt epiſcopus Santerinenſis, teſte Fontana *Theat. Domin. pag. 285. tit. 514. ex Regeſt.* Salvii Caſſetæ magiſtri generalis ejuſdem Ordinis.

IV. JACOBUS.

Fr. Jacobus Calatayud, Ord. quoque Præd. Santerinenſi eccleſiæ præfuit anno 1521. à Leone X. promotus. Hæc Fontana *in monum. Domin.* ad eum annum, *pag. 431.* & R. P. Bremond, *tom. 4. Bullar. pag. 405.*

V. MARCUS.

Fr. Marcus Laureus, ejuſdem Ordinis, epiſcopus Santerinenſis creatus eſt à Paulo IV. anno 1555. die 16. Decemb. *ex Reg. Cancell. apoſtolicæ;* deinde tranſlatus fuit ad eccleſiam Campanienſem in Italia à Pio IV. an. 1560. & deceſſit anno 1571. Hujus meminere Ughellus, *tom. 7. vet. edit. col. 655. num. 3.* D. Fontana *Theat. Dom. pag. 285. tit. 514.* & R. P. Bremond, *tom. 5. Bullar. pag. 55.*

VI. BERNARDUS *ſive* BERNARDINUS.

Anno 1565. *Fr. Bernardum* ſive *Bernardinum,* Tropeienſem in Calabria, Ord. Præd. eccleſiæ Santerinenſi præfectum à Pio IV. referunt præfati Fontana, *ibid.* & R. P. Bremond, *ibid. pag. 108.*

VII. ANGELUS.

Fr. Angelus Calepius, Cyprius, Ord. Præd. poſt varias fortunas ad epiſcopatum Santerinenſem evectus eſt anno 1583. die 7. Nov. Obiit Neapoli anno 1594. die 19. Auguſti. De eo legendus R. P. Echard. *tom. 2. ſcript. pag. 310. col. 2.*

VIII. ANTONIUS.

Fr. Antonius de Marchis, Chienſis, ejuſdem Ordinis Præd. epiſcopus Santerinenſis evaſit circa finem ſæculi XVI. vel initium ſequentis, & obiit anno 1611. ex Cavalerio, *tom. 1. pag. 537. num. 349.* & Fontana *Theat. Dom. p. 684.* qui citat abbatem Mich. Juſtin. *in Scio ſacra.*

IX. PETRUS.

Fr. Petrus de Marchis, etiam Chienſis & Ord. Præd. Antonio ſucceſſit anno 1611. die 18. Aprilis. Ad eccleſiam Smyrnenſem tranſlatus eſt ab Urbano VIII. circa annum 1640. Obiit anno circiter 1645. De eo agit R. P. Echard. *tom. 2. ſcript. pag. 547. col. 2.* Hunc aſſerit Fontana *Theat. Dom. pag. 100. tit. 91.* Fr. Antonii de Marchis fuiſſe nepotem.

X. ANDREAS.

Petro ſubſtitutus eſt anno 1640. in eccleſia Santerinenſi *Andreas Sophianus,* Chienſis, qui anno ſequenti ad Chienſem tranſiit, ex abbate Mich. Juſtin. *in Scio ſacra pag. 203.*

XI. HIERONYMUS.

Leo Allatius, *lib. 3. de conſenſ. cap. 10. num. 3. col. 1057.* teſtatur *Sanctæ Irenæ* ſive *Santerini* epiſcopum fuiſſe *Hieronymum Paduanum,* dum ipſe ſcriberet illud opus, editum anno 1648.

XII. GUARCHI.

In nunciis Gallicis anni 1731. *pag. 139.* legitur D. Julium de Turris in epiſcopum eo anno die 18. Febr. conſecratum ab archiepiſcopo Antiocheno, aſſiſtentibus Bovæ & *Santorini* præſulibus. Hic poſtremus fortaſſis eſt ille *D. Guarchi, epiſcopus de Santorino,* qui anno 1734. die 10. Febr. ſacrum ſolemniter celebravit in collegio de propaganda fide, coram DD. Cardinalibus hujus Congreg. pro recens defuncto Cardinale Falconierio. Ex nunciis hujus anni 1734. *pag. 126.*

Digitized by Google

ECCLESIÆ THERÆ *ſive* TERMIÆ *&* CEÆ. III.

ECCLESIÆ THERÆ *ſive* TERMIÆ *&* CEÆ, *unitarum.*

THERA, teſte Mich. Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 308. col. 1.* inſula eſt maris Ægæi, quæ olim *Calliſta* appellata fuit: eam Bordonius interpretatur *Antimilo....* ſed aliis eſt *Termia* inſula circuitus 40. milliar. prope Seriphum, à qua diſtat 8. milliar. & 10. à *Zea* ſive *Cea* inſula. *Thera* minime confundenda eſt cum *Theraſia* ſive *Santerino:* de iis enim, ut diſtinctis inſulis, loquitur Strabo, *lib. 1. pag. 57.* C. D. *edit. Caſaub. anni 1620.* «Si quis » referat, inquit, quæ *Theræ* & *Theraſiæ* περὶ Θήρας ϗ Θηρασίας evenerunt, inſulis in freto ſitis, &c.» Potuerunt quidem olim duæ iſtæ inſulæ unam conflare eccleſiam, ut colligitur ex *tom. 1.* præſentis operis, *coll. 941. & 942.* at hiſce poſterioribus ſæculis ſpecialem habuere epiſcopum Latinum ſub Paro-Naxienſi metropoli: unde Leo Allatius, *lib. 3. de conſenſ. cap. 10. num. 3. col. 1057.* ait: «Qui præeſt *Naxo,* archiepiſcopi; qui Chio, Andro, Scyro, » *Sanctæ Irenæ* (id eſt *Santerino* ſive *Theraſiæ*) Milo, Termiis (id eſt *Theræ*) epiſcopi titulum ſibi vindicant.» Et Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 429. col. 2.* epiſcopatus recenſens, nunc metropoli Paro-Naxienſi ſubditos, *Theraſienſem* Santorini, & *Therannienſem* Termiam commemorat.

De *Ceenſi* eccleſia, nunc conjuncta cum *Therannienſi* ſive *Termienſi,* ac identidem de utriuſque præſulibus Latinis jam ſupra egimus, *coll. 867. & 868.* ſub metropoli Athenienſi, cujus *Cea* olim ſuffraganea erat.

PROVINCIA NEOPACENSIS.

ECCLESIA NEOPACENSIS METROPOLIS.

DE eccleſia *Neopacenſi* nihil aliud nobis compertum eſt, niſi quod illi præfuerint ſæculo XIV. nonnulli præſules Latini.

EPISCOPI NEOPACENSES.

I. * * *

ANno 1345. Humberto ſive Imberto Delphino Viennenſi exercitus cruceſignatorum adverſus Turcas conſtituto duce, ſcripſit Clemens VI. Cretenſi, *Neopacenſi,* &c. archiepiſcopis, ut ipſum conſilio & opera juvarent. Ita Raynaldus ad eum annum, *num. 6.*

II. * * *

A præcedenti alter fortaſſis fuit, *cui,* ut & aliis in Græcia morantibus præſulibus Latinis mandavit Innocentius VI. anno 1359. die XI. Maii, ut contra Turcas religionem catholicam ſtrenue propugnari curarent. Apud eumdem Raynaldum ad eum annum, *n. 16.*

III. DONATUS.

Fr. Donatus de Benevento, Eremita Au-

A guſtinian. archiepiſcopus *Neopacenſis* creatus eſt anno 1366. die 19. Jan. *Ex Reg. Vatic.* Ita Thomas de Herrera *Alphab. Auguſtiniani tom. 1. pag. 196. col. 2.*

IV. JOANNES.

Anno 1394. eccleſiæ Neopacenſi præerat *Joannes* quidam ſedis apoſtolicæ nuntius in
B Achaia, cui Bonifacius IX. per epiſtolam datam eo anno die 3. Januar. injunxit ut per ſe, vel per alios ad hoc idoneos, in regnis Dalmatiæ, Croatiæ, Boſnæ, & Sclavoniæ crucis ſigna attolleret in Turcas, Achaiam & Athenarum ducatum depopulantes. Hanc epiſtolam profert Raynaldus ad hunc annum, *num. 23.*

Digitized by Google

PROVINCIA NEOPATRIÆ.

I. ECCLESIA NEOPATRIÆ METROPOLIS.

IN Leonis Imperatoris notitia, quæ extat Græcè & Latinè ad calcem voluminis Codini *de Officiis,* duæ diſtinguuntur metropoles *Patrarum:* una quæ *Patrarum Peloponneſi* τῶν Πατρῶν Πελοποννήσου, ſub throno trigeſimo ſecundo, *pag. 392.* quæ etiam appellatur *Patræ veteres:* altera quæ *novarum Patrarum Græciæ* τῶν νέων Πατρῶν Ἑλλάδος, ſub throno quinquageſimo, *pag. 397.* In expoſitione etiam Imperatoris Andronici Palæologi ſenioris mentio de utraque habetur, *pag.* quidem *401. num. 39. Veterum Patrarum metropolis, quum thronus trigeſimus ſecundus eſſet, trigeſimus nonus evaſit.* λθ΄. Ὁ παλαιῶν Πατρῶν· ἡ αὐτὴ λβ΄. οὖσα εἰς λθ΄ ὑποβιβάσθη. *pag.* vero *402. num. 61. Novarum Patrarum metropolis ex quinquageſimo loco ad ſexageſimum ſecundum devenit.* ξα΄. Ὁ νέων Πατρῶν· ἡ αὐτὴ ν΄. οὖσα, εἰς ξβ΄. ὑποβιβάσθησαν.

Conſtat itaque *novas Patras* à *veteribus Patris,* ſive *Patris* ſimpliciter, toto cælo differre.

ARCHIEPISCOPI NEOPATRENSES.

I. *** *fortaſſis* JOANNES I.

PLures ſuppetunt Innocentii III. epiſtolæ *archiepiſcopo Neopatrenſi* datæ, ſcilicet epiſtolæ 179. & 189. lib. XI. anno 1208. 13. 47. 101. 102. 103. 112. 113. 116. 120. 136. 137. 152. 154. & 192. lib. XIII. de variis negotiis anno 1210. Anno ſequenti 1211. idem Papa epiſcopum Zaratonienſem cum decano Thebano & cantore Davalienſi, epiſtola 98. lib. XIV. data apud Cryptam Ferratam die 21. Auguſti commiſit, qui diligenter inquirerent de multis exceſſibus quorum accuſatus fuerat archiepiſcopus Neopatrenſis à decano & capitulo eccleſiæ ſuæ apud ſedem apoſtolicam. Quis fuerit exitus hujus litis nos latet; ſubindeque pariter latet an archiepiſcopus ille Neopatrenſis ſit *Joannes* quidam Neopatrenſis archipræſul, quem Molanus in SS. Belgii refert poſt Lateranenſe concilium anno 1215. celebratum, cui interfuit, reliquias ſacras aliquas, præſertimque duos digitos S. Nicolai, ad Gemblacenſe monaſterium ex quo fuerat aſſumptus, miſiſſe. Inter metropolitas porro quos idem Innocentius III. datis encyclicis litteris die 19. Aprilis an. 1213. ad præfatum concilium Lateranenſe vocavit, *archiepiſcopus Neupratenſis* reperitur: fortaſſis mendum eſt pro *Neopatrenſi. In eodem modo* (archiepiſcopis & epiſcopis) *per Neupratenſem* (provinciam conſtitutis) *tom. XI. conciliorum Labb. part. I. col. 126.* A.

II. ***

Raynaldus, *to. 15.* ad annum 1320. *n. 48.* ſcribit à Johanne XXII. Papa *Neopatrenſi archiepiſcopo* datam provinciam, ut ad Cepha-
A loniæ comitem qui Græcorum ſchiſma amplexus erat, ad Latinum ritum revocandum operam impenderet.

III. ***

Anno 1345. Clemens VI. ſcripſit ad plures metropolitanos eorumque ſuffraganeos Latini ritus in Græcia degentes, inter quos *archiepiſcopus Neopatrenſis* memoratur, ut eos certiores faceret Humbertum Delphinum Viennenſem cruceſignatorum exercitus adverſus Turcas conſtitutum eſſe ducem, qua-
B tenus ipſi conſilio & ope adeſſent. Ita Raynaldus ad eum annum, *num. 6.*

IV. ***

Eidem fortaſſis, ſi adhuc ſuperſtes erat, vel *ejus ſucceſſori* in ſede metropolitana Neopatrenſi, Innocentius VI. ſcripſit, ut & multis aliis archiepiſcopis eorumque ſuffraganeis, anno 1359. epiſtolam datam Avin. die 11. Maii, qua eos acerrime hortatur ne religioni catholicæ graviter periclitanti ob Turcarum impetus deficerent. Extat apud eumdem Ray-
C naldum ad annum 1359. *num. 16.*

V. FRANCISCUS.

Anno 1372. ſedebat Neopatrenſis archiepiſcopus quidam *Franciſcus* nomine, quem narrat Raynaldus ad eum annum, *num. 29.* à Gregorio XI. miſſum, ut Græcorum Imperatorem aliosque principes incitaret ad ineundum fœdus inter ſe contra Turcas. Ea etiam de re litteras ſcripſit idem Gregorius ipſi Imperatori Joanni Palæologo, datas *Avin. die 13. Novemb. anno 1372.*

Digitized by Google

ECCLESIA NEOPATRIÆ.

VI. Matthæus.

Vacante per Franciſci obitum Neopatrenſis eccleſiæ ſede, illi ſuffectus eſt à Gregorio XI. *Matthæus* Ord. Min. die 6. Febr. anno 1376. Ita Waddingus, *to. 4. annal.* ad hunc annum, *num. 6. pag. 220.*

VII. Joannes II.

Thomas de Herrera, *Alphab. Auguſtiniani tom. 1. pag. 428.* ad annum 1394. hæc habet de quodam *Joanne* ſui Auguſtiniani Ordinis alumno. « *Joannes Ruis,* de provincia Aragoniæ, erat circa annum 1394. epiſcopus » *Neupatrenſis* in Græcia, ut legi in archivo præſulum Bertuſienſium. » (*Neupatrenſis* probabiliter hîc ponitur per mendum amanuenſis pro Neopatrenſis.) Pergit Thomas. « Celebravit enim Ordines Bertuſæ anno 1379. 1380. & 1399. referturque in Regiſtris anni 1381. fuiſſe Johannem proviſum de eccleſia Neupatrenſi per Patriarcham Conſtantinopolitanum, ejuſque proviſionem de mandato ſummi Pontificis à D. Cardinali Præneſtino confirmatam, eumque à D. epiſcopo Segobricenſi ſolemniter conſecratum. » Hæc Thomas de Herrera, in quibus tamen proviſio, confirmatio & ordinatio Joannis pro epiſcopatu Neopatrenſi ſub anno 1381. evidenter contradicerent collationi Ordinum ſacrorum, quæ dicitur facta ab eodem Joanne, ut præſule Neopatrenſi, annis 1379. & 1380.
A niſi eædem proviſio, confirmatio & ordinatio, licet ſub anno 1381. ſcriptæ in Regiſtris, quia fortaſſis ex incuria ſuperius omiſſæ fuerant, accipiantur tanquam de re præterita jam ab aliquibus annis. Ab hoc Joanne autem dimiſſam fuiſſe neceſſe eſt ſedem Neopatrenſem ante annum 1399. quo adhuc ſuperſtes erat: nam anno 1393. ſedebat alter Joannes, ex Ordine Min. aſſumptus, ut modo patebit.

B

VIII. Joannes III.

Waddingus, *to. 2.* ad annum 1292. *n. 42. pag. 639.* & *tom. 4.* ad annum 1393. *num. 1. pag. 302.* ſcribit ex Monte Luponum in Piceno ortum, & hujus conventus alumnum *Fr. Joannem,* Minoritam, archiepiſcopum Neopatrenſem, eccleſiam S. Franciſci Montis Ulmi conſecraſſe anno præfato 1393.

IX. Luchinus.

Ughellus, *to. 4. Ital. ſac. vet. edit. col. 1403.*
C *num. 9.* A. ſcribit *Luchinum,* Naulenſem epiſcopum, ex Ordine Minorum à Bonifacio IX. ad eccleſiam Neopatrenſem fuiſſe tranſlatum anno 1396. *Ex lib. 1. Proviſ. Prælatorum.*

X. Benedictus.

Idem Ughellus, *tom. 7. col. 186. num. 21.* D. ait *Benedictum de Arpino,* ejuſdem Ordinis Minor. ex epiſcopo Potentino ad eccleſiam Neopatrenſem tranſiiſſe anno 1402. *Ex lib. Solut. Prælatorum.*

II. ECCLESIA LAVATENSIS.

DE ea eccleſia nihil aliud nobis notum eſt, niſi quod Waddingus, *tom. 3. annalium Min.* hanc memoret ut metropolis Neopatrenſis ſuffraganeam, duoſque epiſcopos ei aſſignet ad annum 1329. *num. 17. pag. 370.*

EPISCOPI LAVATENSES.

I. Joannes.
II. Henricus.

Waddingus modo laudatus ſic ſcribit: « *Fr. Henricus de Apoldia* (Minorita) ad *La-*
D *vatenſem* ſub archiepiſcopo *Neopatrenſi* per « mortem *Joannis* (promotus eſt à Joanne « XXII. diplomate,) *Summi diſpoſitione Rec-* « *toris,* IV. Non. (id eſt die 4.) Julii. » Diploma illud refert *ibid. in Regeſt. Pontif. pag. 197.*

Digitized by Google

PROVINCIA NICOMEDIENSIS.

I. ECCLESIA NICOMEDIENSIS METROPOLIS.

NICOMEDIA, urbs Aſiæ minoris in Bithynia Ptolemæo & Pauſaniæ, olim clariſſima, vulgo *Comidia* Europæis, & *Iſnigimid* Turcis, per abbreviationem vero *Iſmid*, teſte Leunclavio, prope Propontidem & ſinum Aſtacenum, qui ab ea nunc dicitur Gallicè *le Golfe de Comidia*, hodie pene deſerta eſt. Extat inter Byzantium ad occaſum, & Nicæam ad ortum, ut narrat Buſbequius teſtis oculatus. Ita Mich. Antonius Baudrand *in Lexico geogr. tom. 2. pag. 23. col. 1.*

ARCHIEPISCOPI NICOMEDIENSES.

I. * * * *electus.*

ANno 1208. electus fuerat in archiepiſcopum Nicomedienſem *vir quidam*, ad quem ſimul & alios de variis negotiis Innocentius III. direxit epiſtolas 41. & 54. lib. XI. datas die 10. Martii & die 17. Aprilis. Me fugit autem qua de cauſa electus adhuc duntaxat, & nondum conſecratus, migraverit ex hac vita anno 1211. ut ex modo dicendis patebit.

II. S.

Hujus præſulis nomen à littera S. incepiſſe novimus ex epiſt. 90. lib. XIV. Innocentii III. data VII. kalend. Auguſti anno XIV. id eſt die 26. Jul. anno 1211. in qua hæc ſcripſit Pontifex *epiſcopo Salimbrienſi, & Variſienſi electo, & Theodorico canonico Conſtantinopolitano:* « Tam ex litteris dilectorum filiorum » capituli Nicomedienſis eccleſiæ, quam cha» riſſimi in Chriſto filii noſtri.... illuſtris Conſ» tantinopolit. Imperatoris accepimus quod.... » ejuſdem loci *electo* viam univerſæ carnis in» greſſo, iidem capitulum convenientes in » unum, dilectum filium S. ejuſdem eccleſiæ » theſaurarium, ſancti Spiritus gratia invocata, » elegerunt unanimiter in paſtorem; ſed quum » electionem ipſam à bonæ memoriæ Patriar» cha (Thoma Mauroceno) Conſtantinopoli» tano petierint confirmari, ipſe nihil objiciens » quare id fieri non deberet, eamdem confir» mare penitus recuſavit. Unde quum tam à » prædicto Imperatore, quam (ab) aliis exo» ratus, ipſam, hujuſmodi adjecta conditione, (A) voluerit poſtmodum confirmare, ut ſibi par« tem poſſeſſionum ejuſdem eccleſiæ retineret, « ipſi, deliberatione præhabita, id facere penitus « recuſantes, dictum S. ad ſedem apoſtolicam « deſtinarunt, electionem ipſam auctoritate « poſtulantes apoſtolica confirmari. Quocirca « diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta man« damus, quatenus, ſi electionem eamdem de « perſona idonea repereritis canonice celebra« tam, vos eam auctoritate noſtra, ſublato « cujuſlibet contradictionis & appellationis ob« (B) ſtaculo, confirmetis, &c.»

Ab illo archiepiſcopo Nicomedienſi, vel fortaſſis ab ejus ſucceſſore, Honorius III. rogatus anno 1223. quomodo ſeſe gerere deberet erga quoſdam Græcorum monachos, qui Romanæ eccleſiæ fidos ac obſequentes ſe fore polliciti, alicui nihilominus Græco Patriarchæ Nicæno appellato obedientiam detuliſſent, reſpondit eos cenſuris eccleſiaſticis, atque implorato etiam magiſtratuum auxilio, ſi res poſceret, ad obſequium eccleſiæ Ro(C)manæ reducendos. Ita Raynaldus ad eum annum, *num. 13.*

III. ALBERTUS.

Ex Ughello, *tom. 8. Ital. ſac. vet. edit. in epiſcopis Leſinenſibus, col. 445. num. 5.* B. C. *Albertus* Ordinis Min. à Clemente VI. ex epiſcopo *Nicomedienſi* tranſlatus eſt ad eccleſiam Leſinenſem anno 1348. die X. Novemb. Pontif. VII. *in Reg. Vatic. epiſt. 41. fol. 56.* Obiit anno 1351.

II. ECCLESIA CHALCEDONIS.

CHALCEDON, urbs Aſiæ minoris in Bithynia Plinio, Straboni & Ptolemæo, *Chalcedonia* Livio, perantiqua eſt, anno poſt Romam 148. condita; nunc vicus Turcis *Calcitiu* dictus, *Calcedona* exteris. Extat in ora Propontidis, ex adverſo Byzantii milliario diſtans, Boſphoro intercedente. Hæc, teſte Plinio, urbs *Cæcorum* nuncupata fuit, eo quod locum

Digitized by Google

ECCLESIA CHALCEDONIS.

eligere neſciſſent hujus oppidi conditores. Narrat enim Strabo, *lib. 7. pag. 320. C. ferri Apollinem iis qui, condita jam Chalcedone à Megarenſibus, Byzantium condiderunt, oraculum ſciſcitantibus mandaviſſe ut è regione cæcorum urbi locum caperent, cæcorum nomine notantem Megarenſes, quod quum priores ad iſta loca navigaſſent, omiſſa in ulterius littus navigatione, in quo tanta eſſet commoditas* (piſcationis Pelamydis piſcis delicatiſſimi) *deteriora loca occupaverint. Ad eorum* quippe *portus,* ut paulo ſupra aſſeruit idem Strabo *ibid. Pelamys non appellit.* Vide Mich. Anton. Baudrand, *pp. 259. & 260.* & *tom. 1.* præſentis operis, *coll. 599. 600.* Archiepiſcopalis eſt, ſed ſine ſuffraganeis, ut expreſſe dicitur in notitia Græcor. epiſcopat. Leonis Sapientis, ad calcem Codini *de Officiis, pag. 385.* thronus nonus. *Chalcedonis Bithyniæ metropolitæ nullus thronus eſt ſubjectus.* Θρόνος ἔννατος. τῆς Χαλκηδόνος Βιθυνίας θρόνος ὑποκείμενος οὐκ ἔστι. Id honoris ſedi Chalcedonenſi redditum à Patribus Chalcedonenſibus, concilium IV. generale in ea urbe celebrantibus anno 451.

EPISCOPI CHALCEDONIS.

I. Paulus I.

Anno 1345. à Clemente VI. *Fr. Paulus Lapus de Bolenziis,* Ord. Præd. conventus Florentini S. Mariæ Novellæ alumnus, Chalcedonenſis archiepiſcopus renuntiatus eſt: Hunc memorat Fontana *in Theatro Domin. pag. 150. tit. 120.* Eumdem obiiſſe tradit Cavalerius, *tom. 1. pag. 140. num. 178.* circa annum 1353.

II. Paulus II.

Ughellus, *tom. 2. Ital. ſac. col. 495. n. 25. B. veteris edit.* meminit cujuſdam *antiſtitis Chalcedonenſis,* qui vivebat anno 1370. « Fr. Bernardus de Guaſconis, Florentinus, Ord. Minor. & epiſcopus Concordienſis, electus epiſcopus Cervienſis (anno) 1370. III. kal. April. (id eſt die 30. Mart.) Hic à S. Andrea Corſino in Florentina cathedrali inauguratus fuit die 27. Maii ejuſdem anni, aſſiſtentibus juſſu Pontificis, Lucio epiſcopo Cæſenate, ac *præſule Chalcedonenſi.* » Idem Ughell. *to. 7. col. 1190. num. 12. B.* refert Benedictum de Cavalcantibus, Etruſcum, Ordinis Minor. epiſcopum Rapollanum, munus conſecrationis accepiſſe Florentiæ ex diſpenſatione apoſtolica à S. Andrea Corſino epiſcopo Feſulano, anno 1371. die 6. April. aſſiſtentibus Lucio Cæſenatenſi, & *Paulo Chalcedonenſi* epiſcopis. Ex quibus inferre licet epiſcopum Chalcedonis anno 1370. modo commemoratum, hunc fuiſſe *Paulum.*

III. Paulus III.
IV. Alphonsus.

Paulus iſte anno 1398. eccleſiæ Chalcedonenſi præerat: ſcribit enim Raynaldus ad annum 1398. *num. 40.* & ad annum 1399. *n. 1.* Bonifacium IX. permotum Græcorum gemitibus ob Turcarum oppreſſionem, *Paulo epiſcopo Chalcedonenſi* promulgandæ ſacræ in Turcas militiæ provinciam dediſſe an. 1398. die 1. April. idemque munus iterum ei contuliſſe anno 1399. ampliori diplomate, cujus

A titulus eſt: *Venerabili fratri Paulo epiſcopo Chalcedonenſi apoſtolicæ ſedis nuntio.* Datum die 6. Mart. 1399. quod ipſe refert ad eum annum, *nn. 2. 3. & 4.*

De eo Paulo intelligendus procul dubio Wadding. quum ſcribit, *t. 5.* ad annum 1403. *num. 5. pag. 10.* tranſlato *Paulo* archiepiſcopo Chalcedonis in littore Aſiatico ſub Patriarcha Hieroſolymitano (legendum Conſtantinopolitano) ad eccleſiam Arborenſem in Sardinia, *Fr. Alphonſum à Sancta Cruce,* Mi-
B noritam, ad ſedem Chalcedonenſem fuiſſe promotum à Bonifacio IX. VII. idus (id eſt die 7.) April. anno 1403. verum huic eccleſiæ breviſſimo tempore præfuit Alphonſus, paulopoſt vel mortuus, vel ad aliam ſedem aſſumptus.

V. Jacobus.
VI. Petrus.

Alphonſo probabiliter ſucceſſit *Jacobus* iſte, quo mortuo anno 1404. *Petrus Matthæi de Senis,* Eremita Auguſtinianus, eodem anno
C die 13. Aug. à præfato Bonifacio IX. eccleſiæ Chalcedonenſis renuntiatus eſt præſul. Ita Thomas de Herrera *in Alphab. Auguſtiniano, tom. 2. pag. 263. col. 1.*

VII. * * *
VIII. Matthæus.

Idem Thomas de Herrera, *tom. 2. pag. 76. col. 2.* refert ex Pamphilo, *fol. 80. ſuæ chronicæ,* ſub anno 1443. *Matthæum Luthum,* Senenſem, Eremitam Auguſtinianum, fuiſſe
D *epiſcopum Chalcedonenſem, & Senis obiiſſe,* ubi *in templo S. Auguſtini ſepultus jacet ſub monumento marmoreo, effigie ſua & litteris ſui nominis inſculpto.* Subdit autem: « Præceſſerat (hunc) Matthæum in eadem ſede Chalcedonenſi *ante aliquot annos, Petrus Matthæi de Senis,* &c. » Quibus verbis innuit inter Petrum Matthæi & Matthæum iſtum, ſedi Chalcedonenſi præfuiſſe *aliquem alium,* qui nobis ignotus ſit.

Digitized by Google

III. ECCLESIA CÆSAREÆ.

INTER Rhyndacum amnem & Olympum montem in Bithynia, haud longe à mari, Ptolemæus *Cæſaream* ponit, quæ ante dicta fuerat Σμυράλεια *Smyralea* ſive, ut in Palatino eſt, Σμυρδιανὴ *Smyrdiana*. Sed ignotum vetus nomen, quocumque modo ſcribatur: neque novum multo notius, niſi quod in notitiis epiſcopatuum & conciliis, ejus mentio habetur in Bithynia. Hierocles decimam Bithyniæ urbem numerat Καισάρειαν *Cæſaræam:* & in alia notitia ὁ Καισαρείας, *Cæſareæ epiſcopatus,* itidem in Bithynia. Hæc tradit Cellarius *geogr. ant. tom. 2. lib. 3. cap. 8. pag. 299.*

EPISCOPI CÆSAREÆ.

I. ARNOLDUS.

CAVALERIUS, *Galler. Dom. to. 1. p. 58. num. 176.* refert ex Mich. Pio, *2. part. lib. 1. Arnoldum Federicum,* Ordinis Præd. eccleſiæ Cæſareenſi fuiſſe præfectum à Bonifacio VIII. circa annum 1300. Non diſtinguit quidem Michael Pio cuinam *Cæſareæ* præfuerit: at fuiſſe *Cæſaræam* in Bithynia ſub archiepiſcopatu Nicomedienſi, cenſent tum idem Cavalerius, tum etiam doctiſſ. P. Antoninus Bremond, *to. 2. Bull. p. 74.* ad annum 1300.

II. ULRICUS.

III. THOMAS.

Waddingus, *tom. 5. annalium Minor.* ad annum 1412. *num. 2. pag. 78.* ſcribit ad Cæſarienſem epiſcopatum in Bithynia ſub metropolitano Nicomedienſi, per obitum *Ulrici* promotum fuiſſe à Joanne XXIII. *F. Thomam* Ordinis Minor. eo anno 1412. die 17. Martii.

IV. JOANNES.

Oldoinus *in vitiis Summorum Pontificum & DD. Cardinalium, tom. 2. col. 941.* C. hæc habet de quodam *Joanne,* qui *Cæſarienſis præſul* renuntiatus eſt à Nicolao V. circa annum 1449. « *Joannes, de Villa Vezzoſa cognominatus,* natione Hiſpanus, patria Segobienſis,
» theologus illius ævi clarus, archidiaconus
» Ovetenſis, interfuit concilio Baſileenſi, &
» unus ex Hiſpanis electoribus in comitiis ſuf-
» fragium pro Felice (V.) tulit: à quo in ſecunda
» Patrum (Cardinalium) enunciatione inter
» preſbyteros Cardinales tituli S. Mariæ trans
» Tyberim cooptatus, Felicis V. nomine lega-
» tionis munere functus eſt in conventu Bitu-
» ricenſi. Cardinalis titulum unà cum purpura
» dimiſit poſt abdicationem Felicis. S. Antonin.
» ſcribit Joannem hunc Ord. Præd. alumnum
» fuiſſe, ac ſtatim adepta purpura, è vita ex-
» ceſſiſſe. (Hic hallucinatur Oldoinus: nam
» S. Antoninus loquitur de *Joanne de Raguſio,*
» Ord. Præd. qui cum Joanne iſto Cardinalis
» creatus eſt à Felice;) Sed Æneas Sylvius *in*

A *hiſt. concilii Baſileenſis* apertis verbis affirmat «
virum hunc (Joannem ſcilicet Segobienſem) «
litteris & pietate illuſtrem, purpuram depo- «
ſuiſſe in manus Nicolai (V.) poſt Felicis ab- «
dicationem, & epiſcopatum Cæſareæ...... «
obtinuiſſe. Quidquid ſit, certum tamen eſt, «
dimiſſa purpura, & mortalibus rebus valere «
juſſis, ſeceſſiſſe in ſolitudinem, ac reliquum «
vitæ in Dei obſequium ſanctiſſime duxiſſe. «
Hic Alchoranum...... in Latinam linguam «
convertit, ejuſque mendacia veris rationibus «
B & argumentis exploſit. Concordantias inſuper «
partium orationis indeclinabilium in bibliis «
collegit, duoque volumina de actis concilii «
Baſileenſis edidit. » Hucuſque Oldoinus.

Hunc Æneas Sylvius *in geſtis iſtius concilii, lib. 2. pag. 48.* F. *edit. Baſileenſis 1571.* nuncupat *Joannem de Segovia, archidiaconum de Villa Viſſoſa in eccleſia Metenſi.* Et *in hiſt. de Europa, cap. 42.* verſus finem, *pag. 440.* D. de illo ait: « Joannes Segobienſis, homo
Hiſpanus, moribus & doctrina illuſtris, qui «
quum ſummos theologiæ præceptores doc- «
C trina æquaret, ab Amedeo, dum ſe Papam «
dixit, cardinalatus eminentiam acceperat. Et «
deinde unioni conſentiens, (à) Nicolao Pont. «
Max. cardinalatus dimiſſo titulo, *Cæſarienſi* «
eccleſiæ præfectus fuerat: in altiſſimis recon- «
ditus montibus, parvo monaſterio contentus, «
vocatis ex Hiſpania legis Arabicæ magiſtris, «
librum quem vocant Alchoram, &c. »

Joannes Albertus Fabricius *in bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis, tom. 5. editionis Hamburgi 1735. lib. 9. pag. 414. in nota 1.* obſervat Joannem hunc Segobienſem diſ-
D tinguendum eſſe ab alio Joanne Segobienſi, Ordinis Prædic. longe juniore, & defuncto anno 1594. qua de re ad *tom. 2. ſcriptorum ejuſdem Ord.* Jacobi Echard remittit. Porro citatus P. Echard de poſteriore Joanne Segobienſi agens, *pag. 312. col. 2.* ait: « Monendus hîc lector non erat, hunc noſtrum «
Joannem longe alium eſſe ab ejuſdem cog- «
nomine, qui Baſileenſium Felici V. Papæ «
adhæſit, ab eodem Cardinalis creatus, eaque «
dignitate poſtea ſpoliatus anno 1449. niſi «

Digitized by Google

hunc ſæculo integro fere antiquiorem, & *Gonzales de Contreras* gentilitio agnomine dicendum, Oldoinus ex S. Antonino (part. 3. tit. 22. cap. 10. §. 4.) pravè intellecto, noſtris accenſuiſſet.... Nam hic Segobienſis, (verba ſunt ejuſdem P. Echard, *tom. 1. pag. 798. col. 2.* ubi opera Joannis de Raguſio, Ord. Præd. diſcutit) non regularis, ſed archidiaconus de Villa-Vitioſa fuit.» A quo etiam in libro concordantiarum nihil aliud præſtitum teſtatur, *ibid. pag. 206. col. 2.* & *pag. 207. col. 1.* niſi quod concordantiam vocum quarumdam indeclinabilium bibliorum à Joanne de Raguſio jam elaboratam, ordine diſtribuerit alphabetico, præfixoque prologo in lucem dederit. Merito itaque Fontana, P. Echard, & R. P. Antoninus Bremond Joannem de Segobia, archidiaconum de Villa-Vitioſa, & epiſcopum Cæſarienſem, non computant inter epiſcopos vel ſcriptores Ordinis Præd. Cavaler. tamen in errorem adductus auctoritate Oldoini quem deſcribit, ejus meminit, ut hujus Ordinis alumni, *tom. 1. pag. 237. n. 75.* illumque aſſerit mortuum anno 1440. qui profecto anno 1449. adhuc ſuperſtes erat.

PROVINCIA PATRARUM VETERUM.

I. ECCLESIA PATRACENSIS METROPOLIS.

PATRÆ, teſte Mich. Antonio Baudrand *geogr. tom. 2. pag. 85. col. 2.* colonia & urbs Achaiæ in Peloponneſo Straboni & Plinio, antea *Aroe* dicta, vulgo *Patras*, Turcis autem *Batra*, & *Balubatra*, id eſt, *Veteres Patræ*, ex Leunclavio. Archiepiſcopalis eſt, & etiamnum ſatis culta, ſub dominio Turcarum: in colle ſita eſt & arce munita prope Rhium promontorium, ad fauces ſinus Corinthiaci. Diſtat à Corintho in occaſum 90. milliaribus. Celebris fuit, & poſt Corinthum *alia metropolis* Peloponneſi, ut tradit Conſtantinus Porphyrogenneta, *lib. 2. Themat.* ubi de Peloponneſo, *Them. 6. pag. 24.* D. *edit. Pariſ. 1711.* A Patreo quodam Πατρεὺς, qui hanc urbem amplificavit, *Patræ* in plurali nuncupata eſt, veteri tamen *Aroe* nomine cum illo interdum conjuncto in quibuſdam nummis COL. A. A. PATR. id eſt, *Colonia Auguſta Aroe Patrenſis*. Ita Cellar. *geogr. ant. to. 1. lib. 2. c. 13. p. 1179.*

ARCHIEPISCOPI PATRARUM VETERUM.

I. * * *

ANno 1207. ſedebat archiepiſcopus Patrarum *vir quidam*, cujus nomen nos latet, inopia vero ea fuit, quod quum ſua debita ſolvendi impos eſſet, Innocentius III. eo anno epiſt. 49. lib. x. *epiſcopis, abbatibus, prioribus, & univerſis clericis per Achaiam conſtitutis*, data Later. IV. kal. Maii (id eſt die 28. Aprilis) anno x. mandaverit, ut ipſi *charitativis ſtuderent auxiliis ſubvenire*, quatenus ille *ſuorum debitorum obligationibus expeditus, eorum commodis expeditius valeret inſudare, tom. 2. edit. Baluz. epiſtolar. hujus Pontif. p. 23. col. 2....* Illi iiſdem die & anno epiſtolam 50. ſcripſit Innocentius, *ibid.* qua jubebat ne clericos ſuæ provinciæ ſineret proventus eccleſiaſticos percipere, niſi perſonaliter reſiderent....

Extat quoque *ibid.* epiſtola 51. ad eum præſulem data XIII. kal. Maii anno x. id eſt, die 19. Aprilis anno eodem 1207. in qua hæc habentur ſcitu non indigna: «Ex tuæ devotionis inſinuatione recepimus, quod quum Latini regionem Achaiæ occupaſſent, quidam epiſcopi Græci ſuffraganei tui, timore perterriti, de locis propriis fugientes, ſuas eccleſias reliquerunt; quorum quidam, licet ſæpius moniti, ad ſedes tamen ſuas redire contemnunt; nonnulli propter guerrarum diſcrimina per certos nequeunt nuntios commoneri. Unde nobis humiliter ſupplicaſti ut ſuper hoc tibi ſalubriter conſulentes, qualiter circa illos & ipſorum diœceſes procedere debeas, tibi ſcribere dignaremur. Nos igitur attendentes quod propter novitatem mutationis illius terræ & novitatum eventus, ſit cum maturitate plurima procedendum, devotioni tuæ taliter reſpondemus, ut illos non ſemel, ſed ſæpe, videlicet primo, ſecundo & tertio citare procures; & ſi comparere noluerint, ſed in ſua voluerint contumacia perdurare, niſi forte ſe appellationis clypeo duxerint muniendos, quam infra tempus legitimum proſequantur, ipſos per ſuſpenſionis & excommunicationis ſententias ad tuam obedientiam venire compellas. Quod ſi nec ſic ipſorum duritia poterit emolliri, eos dilectus filius B. (Benedictus) titulo ſanctæ Suſannæ presbyter Cardinalis apoſtolicæ

» apoſtolicæ ſedis legatus, ab epiſcopatuum A » adminiſtratione removeat, & quibus præſunt » eccleſiis, de perſonis idoneis faciat provideri, » ſed in eos degradationis ſententiam non pro- » mulget, ut cum eis miſericorditer, ſi ex- » pediat, facilius agi poſſit. In eccleſiis autem » eorum qui ſe fraudulenter abſentant, nec ad » ipſos valet citatio pervenire, trinæ citationis » edictum facias publicari. Et ſi nec ſic cura- » verint obedire, ſeu etiam ultra ſex menſes » ſuas deſeruerint eccleſias, ut juxta canonicas » ſanctiones eis debeant merito ſpoliari, contra B » eos quoque, ſicut præſcriptum eſt, proce- » datur. Poſtulaſti præterea per ſedem apoſto- » licam edoceri, utrum clericos illos, qui ad » partes Achaiæ ſine commendatitiis litteris » veniunt, permittere debeas celebrare. Super » quo tibi taliter reſpondemus, quod niſi legi- » time tibi conſtiterit, ſive per litteras, ſive per » teſtes, de illorum ordinatione canonica qui » penitus ſunt ignoti, non debes ipſos permit- » tere tuis plebibus celebrare. Sed ſi forſan » eorum aliqui ſecreto ex devotione celebrare voluerint, poteris ſuſtinere. » Has probabiliter Innocentii Papæ litteras non recepit C præſul iſte, mortuus illo ipſo menſe Aprili, vel etiam fortaſſis jam menſe Martio, ut ex modo dicendis patebit.

II. A. * * *

Vix epiſtolam relatam miſerat Innocentius III. quum ſtetit coram illo alius Patrarum archiepiſcopus jam præcedentis defuncti ſucceſſor, à capitulo hujus eccleſiæ electus. Rem memorat ipſe Papa epiſtola 56. lib. x. data die 24. Aprilis anni ejuſdem 1207. *tom. 2. edit. Baluz. pag. 29. col. 2.* Scripſit quoque D Pontifex Thomæ Mauroceno Patriarchæ Conſtantinopolitano, *tom. 1. ejuſdem edit. Baluz.* in geſtis hujus Papæ, *pp. 65. & 66. n. 103.* epiſtolam in qua nomen archiepiſcopi Patracenſis deſignat ſub littera A. *ut dilectum filium A. electum S. Andreæ de Patras,* &c. Auctor vero horum geſtorum Innocentii præmittit eumdem fuiſſe natione *Burgundum.*

Huic archiepiſcopo Patracenſi directæ extant de variis negotiis epiſtolæ, ſcilicet 128. lib. x. anno 1207. die 18. Septembris, 152. lib. xi. anno 1208. die 4. Octob. 24. 159. E 165. & 167. lib. xiii. anno 1210. 47. & 61. lib. xv. anno 1212. demum 92. lib. xvi. anno 1213.

III. Bernardus.

Innocentius IV. anno 1243. quum orta fuiſſet in eccleſia Patracenſi de præſulis electione contentio, electum exploſit, *Bernardumque* ſubdiaconum ac notarium ſuum, hominem hujus dignitatis gerendæ idoneum, in eam ſedem evexit: quam ſic extollit in litteris de ea promotione ad clerum Patracenſem directis: *Velut paradiſum voluptatis dextera divina plantatam Beatus Andreas Apoſtolus quaſi quadripartito flumine irrigavit, dum illam evangelicis doctrinis edocuit, informavit exemplis, illuſtravit miraculis, & tandem paſſione mortis in crucis patibulo decoravit.* Ita Raynaldus ad eum annum, *num. 50.*

IV. * * *

Idem Raynaldus ad annum 1263. *num. 21.* teſtatur datas eſſe eo anno ab Urbano IV. litteras ad *Patracenſem* alioſque præſules illarum regionum, ut à communi arcendo periculo ſubſidia Willelmo Villarduino bello à Palæologo laceſſito, qui jam Conſtantinopolim Latinis eripuerat anno 1261. ad contrahendas copias conferrent.

V. Raynerius.

VI. Franciscus *electus.*

VII. Guillelmus.

Quum aliqui Minoritæ qui, duce F. Liberato ejuſdem Ordinis, juxta conceſſam ſibi à Cæleſtino V. licentiam ut ſeorſim ab obedientia miniſtri generalis Min. quaſi Eremitæ, auſteriorem vitam incolerent, in inſula quadam Achaiæ commorarentur, Bonifacius VIII. ad quem delati fuerant, ceu homines qui eum non reputarent verum Pontificem, ſcripſit adverſus illos Petro Conſtantinopolitano Patriarchæ ritus Latini, & archiepiſcopis Athenienſi & *Patracenſi* anno 1302. ut ſollicite circa hæc inquirerent, & errantes corrigerent. Ita refert Waddingus ad eum annum, *tom. 3. num. 7. p. 8.* qui *Petrum* appellat Patriarcham illum Conſtantinopolitanum, ad quem Bonifacius ſcripſit anno 1302. Sed Petrus ille obierat anno 1301. Vide ſupra de eo *col. 869.* E. Unde vel legendum *Leonardum* Petri ſucceſſorem, vel dicendum hanc epiſtolam ſcriptam fuiſſe ante 1302. *Patracenſis* autem ille archiepiſcopus probabiliter *Raynerius* fuit per cujus obitum huic eccleſiæ vacanti ſuffecit Joannes XXII. die 3. Jan. anno 1317. *Fr. Guillelmum,* Minoritam, ut modo dicetur. Potuit tamen archiepiſcopus Patracenſis qui ſedebat anno 1302. fuiſſe Raynerii prædeceſſor, quia nos latet quo præciſe anno hujus eccleſiæ regimen Raynerius ſuſceperit. Idem Raynerius, vel cui ipſe ſucceſſerit, archiepiſcopus ille fuit Patracenſis, quem, ut & plures alios præſules, Clemens V. litteris ſuis encyclicis datis die 12. Auguſt. anno 1307. ad ſynodum Vienenſem generalem vocavit: *In eodem modo venerabilibus fratribus archiepiſcopo Patracenſi,*

Digitized by Google

ECCLESIA PATRACENSIS.

ac. epiſcopis & dilectis filiis electis, abbatibus, A *prioribus, decanis,* &c. *per Patracenſem provinciam conſtitutis,* &c. *mandamus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, ac Motonenſis & Coronenſis epiſcopi,* &c. *tom. XI. conc. Labb. part. 2. col. 1547.* E. Ad eumdem quoque tum alias de eadem re litteras, datas die 4. April. anno 1310. *In eodem modo archiepiſcopo Patracenſi & ejus ſuffraganeis, ibid. col. 1552.* C. tum rurſus ſententiam de extinctione Templariorum in concilio Viennenſi latam die 2. Maii anno 1311. direxit. *In eodem modo Patriarchæ Conſtantinopolitano & archiepiſcopo* B *Patracenſi ac epiſcopo Olenenſi, ibid. col. 1562.* D. Obiit Raynerius anno 1316.

Eo igitur defuncto, canonici eccleſiæ ſancti Andreæ Patracenſis elegerunt in ſuum præſulem *Franciſcum Savoloca* ejuſdem eccleſiæ decanum; ſed ob ſcientiæ in archiepiſcopo requiſitæ defectum repulſus fuit à Joanne XXII. Papa, qui auctoritate apoſtolica *Fr. Guillelmum,* Minoritam, archiepiſcopum Patracenſem renuntiavit diplomate: *Cæleſtis diſpoſitione conſilii,* dato die 3. Januar. anno 1317. Ita Waddingus ad eum annum, *to. 3.* C *num. 56. pag. 212.* & *in Regeſto Pontificio, pag. 53.*

Is probabiliter fuit ad quem, & ad Patriarcham Conſtantinopolitanum ritus Latini ſcripſit Joannes XXII. die 1. Oct. anni 1322. ut deterrerent Latinos in Achaia degentes à communione fovenda in divinis cum Græcis ſchiſmaticis, ut etiam Alphonſum ducem rectoreſque alios Catalanæ cujuſdam ſocietatis, ac nonnullas ſimiles perſonas à quibus Galli in Oriente graviter vexabantur, cohiberi curarent. Duas illas Joannis epiſtolas D legere eſt apud Raynaldum ad eum annum, *nn. 48. & 49.*

Idem adhuc fortaſſis, vel ejus ſucceſſor fuit, cui ac Conſtantinopolitano Patriarchæ, duobuſque aliis præſulibus mandavit præfatus Pontifex anno 1330. die 14. Jun. ut militiam religioſam profeſſuros crucis ſymbolo diſtinguerent, ex Raynaldo ad eum annum, *n. 54.* quem etiam certiorem fecit anno 1332. de promotione Alvari Pelagii, Minoritæ, ad eccleſiam Coronenſem, teſte Waddingo, *to. 3.* E *annal. in Reg. Pont. pag. 223.*

Idem denique, vel ejus ſucceſſor fuit, cujus tempore obſeſſa Patracenſi urbe anno 1338. à Bertrando è Baucio, quem provinciæ Achaiæ præfecerat Catharina titulo tenus Imperatrix Conſtantinopolitana dicta, quod è Balduinorum ſanguine ſata eſſet, Catharinam hanc & Robertum Siciliæ Regem monuit Benedictus XII. ut Bertrandum ad ſolvendam obſidionem cogerent. De quibus conſulendus Raynald. ad eum annum, *n. 34.*

VIII. * * *

Anno 1345. Clemens VI. ſcripſit ad *archiepiſcopum Patracenſem,* & ad plures alios in Oriente præſules, ut Humberto Delphino Viennenſi cruce ſignatorum contra Turcas duci, conſilio omnique opera præſto eſſent. Ex eodem Raynaldo ad illum annum, *n. 6.*

IX. Nicolaus I.

Nicolaus Canalius ex ſede Ravennatenſi ad Patracenſem tranſlatus eſt à Clemente VI. anno 1347. De quo vide Ughellum, *tom. 2. Ital. ſac. col. 386. num. 95.* C. *veteris edit.* & Waddingum, *to. 3.* ad eum annum, *n. 13. pag. 546.* qui etiam *in Reg. Pont. pag. 356.* diploma profert Clementis.

X. Franciscus.

Franciſcus Michaelius, Cretenſis archiepiſcopus, ad Patracenſem tranſiit anno 1349. die 30. Martii. Ex Ughello, *tom. 2. Ital. ſac. col. 286. num. 94.* C. *vet. edit.*

XI. Nicolaus II.

XII. Raynaldus.

Patracenſi eccleſiæ per obitum *Nicolai* (qui Franciſco utique ſucceſſerat) vacanti præfecit Clemens VI. die 4. Januar. anni 1351. *Raynaldum* Hydruntinum præſulem. Ita idem Ughellus, *tom. 9. col. 79. num. 23.* A. Is probabiliter eſt, cujus meminit Innocentius VI. in epiſtola data anno 1353. die 1. Decemb. apud Raynaldum ad hunc annum, *num. 19.*

XIII. Joannes I.

Joannes Urſinus, Romanus, epiſcopus Patavinus, ex ea ſede ad Patracenſem tranſlatus eſt ab Innocentio VI. anno 1359. Is vel ipſius prædeceſſor fuit, cui multiſque aliis mandavit iſte Papa eo anno die XI. Maii apud Raynald. *n. 16. & n. 19.* ut religionem catholicam adverſus Turcas protegendam ſatagerent, cenſi[illegible] quoque promulgarent illigandos quicumque infidelibus arma deferrent.

XIV. Bartholomæus.

XV. Angelus.

Bartholomæus, quem *de Carbone* cognominat Toppius *biblioth. Neapolit. pag. 350. de Papazurris* vero Ughellus, *tom. 6. Ital. ſac. col. 721. num. 23.* D. *vet. edit.* Ordinis Præd. primum epiſcopus Theanenſis evaſit anno 1349. poſtea Theatinus anno 1353. demum ad Patrarum ſedem tranſlatus eſt ab Urbano V. anno 1362. die 12. Aug. in qua dignitate obiiſſe ferri *in lib. Proviſ. Prælat.* anno 1365. aſſerit idem Ughellus, *ibid. col. 928.* D. qui nihilominus ait, *tom. 7. col. 201. n. 13.* D.

Digitized by Google

Angelum epiſcopum Tricaricenſem ad Patracenſem eccleſiam regendam per obitum Bartholomæi vacantem, miſſum ab Urbano V. anno 1364. ſed augenda modo difficultas.

XVI. Bonjoannes.

Præfatus Ughellus, *t.2. col.784. n.44.* D. ſcribit *Bonjoannem,* Placentinum, ex Boſnenſi epiſcopo Firmanum factum an. 1349. deinde *ad archiepiſcopatum Patracenſem* tranſlatum eſſe *anno 1363.* Porro quomodo hæc cohæreant non capio: ſcilicet Bartholomæo defuncto in præſulatu Patracenſi anno 1365. B ſucceſſiſſe Angelum anno 1364. ad quam eccleſiam tamen ex Firmana tranſlatus ſit Bonjoannes iſte an. 1363. Neceſſe eſt itaque, vel circa præſules relatos, vel circa annos aſſignatos, aliquem occurrere errorem, quem emendare non valeo.

XVII. Joannes II.

Idem Ughellus, *tom. 2. col. 722. & ſeqq. n. 26.* narrans quid præſtiterit Joannes Numaius epiſcopus Saſſenatenſis, pro recuperandis eccleſiæ ſuæ juribus, inſtrumentum C exhibet ſententiæ in ejus gratiam latæ anno 1372. in quo inſtrumento *Joannes de Placentinis* commiſſarius hac de re datus dicitur, quum epiſcopus Cervienſis eſſet, ex qua ſede ad Patavinam, & ab ea ad *Patracenſem* tranſierat. « Coram R. P. & DD. *Joanne de Placentinis,* tunc epiſcopo Cervienſi, & demum » epiſcopo Paduan. & *de præſenti archiepiſcopo Patracenſi* commiſſario, &c.» Is anno 1379. ad Caſtellanam Venetiarum tranſlatus eſt, & poſtea Cardinalis creatus à Clemente VII. tempore ſchiſmatis anno 1385. die 12. Jul. D Deceſſit tandem die 9. Maii 1404. Hæc præfatus Ughellus, *to. 2. col. 494.* D. *num. 24. & tom. 5. col. 432. num. 84.* C. *& col. 1351. num. 42.* B. in quibus tamen locis ipſum aliquando præfuiſſe ſilet eccleſiæ Patracenſi.

XVIII. Paulus.

Paulus iſte ſedebat Patracenſis archiepiſcopus anno 1387. quo Urbanus VI. diplomate dato die 6. Septemb. quod legere eſt apud Raynaldum ad eum annum, *num. 8.* E ſic eum alloquitur; « De fraternitate tua ſumentes in Domino fiduciam ſpecialem te.... » Principatus Achaiæ pro nobis & eccleſia Ro- » mana in temporalibus generalem vicarium & » gubernatorem uſque ad noſtrum beneplaci- » tum auctoritate apoſtolica tenore præſentium facimus, &c.»

XIX. Stephanus.

De *Stephano* præſule Patracenſi mentionem facit Martinus V. in epiſtola ſua ad Emma- A nuelem Græcorum Imperatorem, quam Raynaldus ad annum 1422. *num. 3.* exhibet. Ait quippe Papa: « Quamvis non dubitemus dilectum filium noſtrum, natura tuum, excellentem principem Theodorum Deſpotum Moreæ, & ſua benignitate, & noſtris exhortationibus, ſervaturum eam pacem, quam nuper fecit cum venerabili fratre noſtro Stephano archiepiſcopo Patracenſi, tamen cupimus ut ad hoc etiam tuæ Serenitatis auctoritas intercedat, &c.»

XX. Pandulphus.

Anno 1429. eccleſiæ Patracenſis curam gerebat *Pandulphus Malateſta,* præſul Latinus, cujus pluries meminit Georgius Phranza *in chronico, lib. 2. capp. 6. 7. & 8.* Sed merito dubitari poteſt an à Pandulpho iſto diverſus non fuerit, ejuſque fortaſſis ſucceſſor, *archiepiſcopus* ille *Patracenſis,* quem, omiſſo ejus nomine, refert, *lib. 3. cap. 28.* à Turcis necatum anno 1467. eo quod ſuſpicarentur ipſum in cauſa fuiſſe cur claſſis Venetorum eò adveniſſet.

Ex his autem palam fit delendum totum articulum XI. * * * qui extat inter archiepiſcopos Patracenſes Græcos, *tom. 2.* hujus operis, *col. 181.* C. ubi ſupponitur metropolitam Patrarum, de quo agit Phranza, *lib. 2. capp. 6. 7. & 8.* hominem *Græcum* fuiſſe, & ab illo nomen ejus omitti. Hunc enim Phranza appellat *Pandulphum Malateſtam, cap. 8.* & tota ſua narratione hominem fuiſſe Latinum indicat, qui pro Latinis adverſus Græcos ſtaret.

XXI. Simon.

Ughellus, *tom. 5. Ital. ſac. col. 360. n. 22.* A. *vet. edit.* ſcribit *Simonem de Montana,* qui eccleſiam Juſtinopolitanam ſub Aquileienſi Patriarcha ſuſcepit regendam anno 1475. fuiſſe etiam *Patracenſem archiepiſcopum,* & Romæ obiiſſe anno 1482. menſe Auguſto.

XXII. Baptista.

Ughellus, *tom. 4. Ital. ſac. col. 437. vet. edit. num. 22.* D. hæc ſcribit de eo præſule: « *Fr. Baptiſta de Judicibus,* à Finali Liguriæ, Ord. Præd. vir longe doctiſſimus, ad hanc eccleſiam (Albintimilienſem) aſſumptus eſt à Paulo II. anno 1469. x. kal. Maii (id eſt die 22. April.) quam adminiſtravit uſque ad annum 1483. die 6. April. Deinde tranſlatus eſt ad archiepiſcopat. Amalphitanum; anno vero 1484. *ad eccleſiam Patracenſem.* Romæ è vivis exemptus eſt, atque apud S. Mariam ſupra Minervam tumulatus cum hoc epitaphio: *Baptiſtæ ex Judicibus humanæ divinæque doctrinæ profeſſori, Pontifici Intemilienſi, poſt Patracenſi, qui vixit annos 55. Julianus Cardinalis*

Digitized by Google

ECCLESIA AMYCLARUM.

» S. Petri ad vincula familiari opt. & B. M. » Reliquit autem Baptiſta ſui ingenii egregia » monumenta, hoc eſt, ſuper Evangelia com- » mentaria, aliaque opera doctis omnibus probatiſſima.» Hucuſque Ughellus qui addit, *tom. 7. col. 331. num. 29.* B. ipſum ex dimiſſione Joannis tranſlatum fuiſſe ad Amalphi- A tanam eccleſiam die 3. April. 1483. & per aliquot menſes Amalphitani archiepiſcopi titulum tenuiſſe, eoque dimiſſo, ad primam rediiſſe ſponſam, deinde factum archiepiſcopum Patracenſem, & in ea dignitate Romæ obiiſſe. *Ex Actis Conſiſtorialibus.*

II.

ECCLESIA AMYCLARUM.

AMYCLÆ quæ & *Taygeta,* urbs Græciæ in Peloponneſo & in Laconia provincia, Pauſaniæ olim *Lemnæ* dicta, prope Eurotam fluvium, nunc *Vordonia.* [Sedes fuit epiſcopalis ſub metropoli Veterum Patrarum loco ſexto, in notitia Philippi Cyprii Franequeræ edita anno 1679. *pag. 32. num. 31.* VI. *Amyclei.* Græcè autem, *pag. 26.* ϛ' ὁ Ἀμυκλεύς. At hodie] ſubeſt archiepiſcopo Spartano ſive Lacedæmonienſi: extat ad montis Taygeti radices, & diſtat 5. circiter milliar. à Sparta in ortum, ac 22. à Laconico ſinu in Boream; ex ea ortos referunt Caſtorem & Pollucem. Hæc Baudrand, *to. 1. geogr. p. 54. col. 2.* Stephanus Byzantius *de urbibus & populis,* ait hanc urbem unam fuiſſe ex centum quas regio Laconica habuiſſe traditur, & ab Amycla Lacedæmonis filio eſſe conditam. Hujus eccleſiæ ſedem conſcenderunt aliquot ritus Latini præſules.

EPISCOPI AMYCLARUM.

I. IMBERTUS *electus.*

II. GILIBERTUS.

INNOCENTIUS III. epiſtola 29. lib. XIII. *to. 2. edit. Baluz. p. 422. Oddoni Patracenſi, & Terrico, & W. de Mirabello canonicis Thebanis,* data Later. VIII. kal. April. anno XIII. (id eſt die 25. Mart. anno 1210.) hæc nos docet de duobus iſtis epiſcopis: « Dilecti filii » canonici Amyclenſes gravem nobis expo- » ſuere querelam, quod venerabilis frater noſter » archiepiſcopus Patracenſis (A. de quo ſupra » *col. 1025.* C.) *Gilibertum* quondam abbatem » de Flaviniaco, propter ſuos enormes exceſſus B apud ſedem apoſtolicam condemnatum, in « epiſcopum Amyclenſem, *Imberto* ejuſdem « loci *electo* vivente, poſt inhibitionem cano- « nicorum ipſorum, illicite conſecrare præ- « ſumpſit. Quocirca, &c.» Probabile eſt autem *Imbertum* epiſcopatu potitum eſſe, *Giliberto* repudiato, huncque præſulem eſſe illum Amyclenſem, ad quem idem Pontifex ſcripſit epiſtolas 174. ejuſdem lib. XIII. præfato anno 1210. 61. lib. XV. anno 1212. & 98. lib. XVI. anno 1213. de variis negotiis, quæ hîc recenſere longius foret. Nihil aliud nobis de epiſcopis Amyclarum compertum eſt.

III.

ECCLESIA METHONENSIS.

METHONE, ex Michaele Antonio Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 652. col. 1.* urbs eſt Peloponneſi in ora meridionali Meſſeniæ, quæ nunc *Modon* dicitur, Sophiano teſte, *Mutune* Turcis juxta Leunclavium, etiamnum locus celebris & emporium in provincia *Belvedere.* Arce gaudet munitiſſima, portuque ampliſſimo ac tuto, ſub dominio Turcarum à temporibus Bajacethi II. 15. milliaribus diſtat à Corone in occaſum hybernum, 120. à Nauplia, 72. à Tænario promontorio in occaſum, & 120. ab urbe Patris in meridiem: ſedes eſt epiſcopalis ſub archiepiſcopo Patracenſi, & aliquot habuit ritus Latini præſules.

EPISCOPI METHONENSES.

I. JO.

ANNO 1210. ſedebat epiſcopus quidam *Motonenſis* ſive (Methonenſis) cui & quibuſdam aliis epiſcopis inſcribuntur Innocentii III. epiſtolæ 24. & 174. lib. XIII. anno 1210. *tom. 2. edit. Baluz.* Dum autem epiſcopus ille de licentia Innocentii devotionis ergo, peregrinaretur Compoſtellam ad S. Jacobi C Apoſtoli viſitandas reliquias, nonnulli diœceſum Mothonenſis, Coronenſis, & Amyclenſis, poſſeſſiones ejuſdem Mothonenſis eccleſiæ occuparunt, quas idem Pontifex reſtituendas præſcribit epiſtola 44. lib XV. *Athenienſi & Thebano archiepiſcopis, & decano de Thebis,* data V. idus (id eſt die 11.) Maii anno XV. Chriſti 1212. Eadem die ipſi *epiſcopo Mothonienſi* mandavit ut canonici qui non

Digitized by Google

reſiderent in ipſius eccleſia, ſubſtractione ſuorum beneficiorum mulctarentur. Eodem etiam anno 1212. Innocentius epiſtola 55. *Jo. epiſcopo Mothonienſi, ejuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum,* data XIII. kal. Maii (id eſt die 19. April.) eccleſiam Mothonienſem ejuſque bona ſub ſedis apoſtolicæ protectionem recepit. Ex qua ultima epiſtola diſcimus nomen hujus Mothonenſis præſulis incepiſſe à litteris *Jo.* ac probabiliter fuiſſe *Joannem.*

II. Leonardus.

Ughellus, *to. 1. Ital. ſac. vet. edit. col. 552. num. 18.* C. D. hæc ſcribit: « *Leonardus Patraſſus,* Bonifacii VIII. patruus, epiſcopus » Alatrinus, mox Averſanus, tranſlatus ab eo» dem ad Capuanam eccleſiam VIII. kal. Aug. » (id eſt die 25. Jul.) anno 1300. pauloque » poſt factus epiſcopus Card. Albanenſis, &c. » Idem fuit *epiſcopus Motonenſis.* Iterum ec» cleſiam Averſanam accepit in commendam anno 7. Bonifacii VIII.» Obiit Lucæ in Etruria, ex Ptolemæo Lucenſi, anno 1311.

III. Ægidius.

De *Ægidio* Ferrarienſi hæc ſcribit Ughellus, *to. 5. Ital. ſac. vet. edit. col. 1214. num. 48.* D. « *Ægidius* Ferrarienſis, Ord. Præd. inſignis » alumnus, ad ſedem Gradenſem aſſumptus eſt » à Bonifacio VIII. anno 1295. XIV. kal. Jun. » (id eſt die 19. Maii.) Is anno 1308. à Cle» mente V. una cum fratribus Lapo Ordinis » Præd. & Attanaſio Ord. Min. legatus miſſus » eſt ad Regem Raſſiæ Uroſium, de quo le» gendus Odoricus Raynaldus, *tom. XV.* (ad » annum 1308. num. 26.) tranſlatus deinde » eſt ab (eodem) Clemente ad Alexandrinum » Patriarchatum anno 1310. ut *in Reg. Vatic.* habetur.» Addit Fontana *in Theat. Domin. pag. 241. tit. 404. num. 1.* in antiquis mſſ. archivi Ord. Præd. legi: *Ægidius Ord. Præd. creatur Patriarcha Gradenſis anno 1. Bonifacii VIII. Fuit iſte poſtea Patriarcha Alexandrinus, & commendatarius eccleſiæ Mothonenſis.*

IV. Angelus I.

Idem Ughellus, *ibid. n. 49.* D. ait: « *Angelus* » *epiſcopus Motonen.* ſucceſſit Ægidio (in ſede » Gradenſi) anno 1310. idibus (id eſt die 15.) » Octobris, brevique Pontifex fuit, deceſſitque anno 1313.» Conjiciunt aliqui eum fuiſſe *Angelum de Leuti,* Ord. Præd. Ut ut ſit, probabiliter is fuit, quem cum aliis pluribus præſulibus Clemens V. litteris ſuis encyclicis, datis Pictavis II. idus (id eſt die 12.) Aug. anno III. Chriſti 1307. ad ſynodum generalem Viennenſem vocavit. *In eodem modo archiepiſcopo Patracenſi & epiſcopis, &c. mandamus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, ac Motonenſis & Coronenſis epiſcopi,* &c. *tom. XI. conc. Labb. part. 2. col. 1547.* E.

V. Thomas.

Ughellus, *to. 5. Ital. ſac. col. 1354. n. 45.* B. *veteris editionis,* ſcribit *Thomam Falerium,* Venetum, paulo antea *Metonenſem epiſcopum,* ad eccleſiam Venetiarum tranſlatum eſſe anno 1390. die 30. Novembris. *Ex lib. obligat. Prælat.* & obiiſſe anno 1392.

VI. Ludovicus I.

VII. Antonius I.

VIII. Laurentius.

IX. Paulus.

X. Franciscus.

XI. Jacobus.

XII. Martinus.

XIII. Gabriel.

XIV. Marcus.

XV. Angelus II.

Seriem Methonenſium præſulum Latini ritus ab anno 1391. ad annum 1459. nobis ſuppeditat Leo Allatius *in Exercit. part. 1.* adverſus Robertum Creygtonum Anglum, Romæ 1665. *Exercit. IX. pag. 157.*

« Electi ſunt, inquit, Methonenſes epiſcopi Latini à ſummis Pontificibus: »

« *Ludovicus Maurocenus,* Venetus, epiſcopus Juſtinopolitanus, transfertur ad *Methonenſem* epiſcopatum anno 1391. XI. kal. « Decemb.» (id eſt die 21. Novemb.) Ejus meminit Ughellus, *tom. 5. Ital. ſac. col. 358. num. 14.* D. *vet. edit.*

« *Antonius* eligitur anno 1405.» De eo mentionem facit Raynaldus, *tom. 17.* ad annum 1407. *nn. 3. 6. 13. & 23.*

« Per obitum Antonii eligitur *Fr. Laurentius,* Venetus, Ord. Præd. anno 1410. idib. « Jun.» De eo Laurentio hæc ſcribit Fontana *Theat. Dom. pag. 241. tit. 404.* « *Laurentius Venerius,* Venetus, à Joanne XXIII. idibus « (id eſt die 15.) Julii anno 1411. creatur *epi-* « *ſcopus Motonenſis,* qui plures annos *ibid.* vixit, « arguendo, obſecrando, increpando in omni « patientia & doctrina. *Ex lib. Proviſ. Prælat.*» Ex quibus patet de anno & menſe promotionis hujus Laurentii differre ab invicem Allatium & Fontanam.

Paulum memorat Ughellus, *tom. 5. Ital. ſac. vet. edit. col. 1422. n. 23.* A. his verbis: « *Paulus Joannis,* eccleſiæ Caſtellanæ archidiaconus, eligitur Clugienſis epiſcopus à « Bonifacio IX. anno 1401. V. kal. Mart. «

Digitized by Google

ECCLESIA METHONENSIS.

» (id eſt die 25. Februarii.) Hujus mentio A » habetur in monumentis cœnobii S. Thomæ » de Torcello Ord. Ciſtercienſis anno 1406. » (die) 26. Febr. Tranſlatus deinde fuit ad » *Metonenſem* eccleſiam anno 1410. die 24. Januar. *Ex lib. oblig.* » Hic *Paulus* omittitur in ſerie Allatii, & procul dubio tranſlatus fuit ad ſedem *Metonenſem* à Gregorio XII. qui poſt Innocentium VII. Bonifacii IX. ſucceſſorem, Pontifex in ea obedientia electus fuerat. Unde etiam Joannes XXIII. Alexandri V. eo anno 1410. die 3. Maii defuncti B ſucceſſor, poſt obitum Antonii, nulla ratione habita tranſlationis hujus Pauli, præfatum Laurentium Venerium renuntiavit Metonenſem præſulem eodem anno 1410. die 13. Jun. juxta Allatium, vel juxta Fontanam anno ſolum ſequenti 1411. die 15. Julii. Proſequitur Allatius.

« *Franciſcus de Franciſcis* eligitur anno 1415. idibus (id eſt die 13.) Junii. »

Idem Ughellus, *tom. 1. col. 1122. n. 30.* D. *Jacobum* Fulginatem, Ordinis Præd. ex eccleſia Nucerina ad *Motonenſem* tranſlatum C ait à Martino V. ſubindeque poſt annum 1417. quo Martinus ſedem apoſtolicam conſcendit die XI. Nov. Hunc etiam prætermiſit Allatius, qui poſt Franciſcum Motonenſi eccleſiæ *Martinum* adſcribit.

« *Martinus*, inquit, eligitur anno 1428. (die) 13. Junii. »

« Poſt Martinum *Gabriel de Gabriellis*, no- » bilis Venetus, anno 1433. (die) 10. Julii, » qui poſtea anno 1448. XIII. kal. Junii (id eſt D » die 20. Maii) transfertur ad epiſcopatum Juſ- » tinopolitanum. Sedit in Methonenſi uſque » ad (præfatum) annum 1448. cui ſucceſſit » *Marcus* eodem anno (die) 11. Decem- » bris.... Marco ſucceſſit *Angelus* anno 1459. (die) 10. Decembris. » Hæc, inquam, Leo Allatius.

XVI. Ludovicus II.

Ludovicus Longus, Venetus, Ord. Præd. Angelo probabiliter ſuffectus eſt in ſede Methonenſi, à Paulo II. renuntiatus anno 1466. die 4. Novembris, quo in munere annos 9. paſtor egregius vixit, quievitque in pace anno 1475. Ita Fontana *in Theat. Dom. pag. 241. tit. 404. num. 3.*

XVII. Orewin.

Fr. Orewin ejuſdem Ordinis Præd. ad eccleſiam Methonenſem evectus eſt à Sixto IV. anno 1476. die 26. Aprilis. Diploma refert Pontificium doctiſſ. P. Antonin. Bremond, *tom. 3. Bullarum Ordinis Prædic. pag. 637.* Hunc cenſet idem R. P. Bremond, *ibid.* eſſe epiſcopum illum *Montonenſem*, quem, poſt Taëgium & Mich. Pio, Cavalerius, tacito ejus nomine, ait receptum ad gratias Ordinis ſui in capitulo generali anno 1508. Verum alius non fuit anonymus iſte ab *Antonio II.* modo recenſendo.

XVIII. Andreas.

XIX. Antonius II.

Andrea Falconis, epiſcopo Methonenſi mortuo, *Fr. Antonius de Avila*, Ord. Præd. Cyprius, an. 1506. die 9. Martii renuntiatus eſt à Julio II. epiſcopus Methonenſis, cui etiam conceſſit ut pontificalia munia obiret in eccleſia Nicoſienſi in inſula Cypro, de licentia hujus archiepiſcopi. Id conſtat ex diplomatibus quæ profert præfatus R. P. Bremond, *tom. 4. Bullar. pp. 279. & 280.* Data ſunt anno 1505. ſtylo Bullarum hujus temporis, id eſt, 1506 ante diem 25. Martii.

Tunc autem eccleſiam Methonenſem Corinthienſi metropolitano fuiſſe ſubditam liquet ex alio diplomate, eodem die dato, in quo legitur: *Quodque per hoc venerabili fratri noſtro archiepiſcopo Corinthienſi, cui præfata eccleſia* (Mothonen.) *metropolitico jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum in poſterum præjudicium generetur*, &c.

IV. ECCLESIA CORONENSIS.

Corone, urbs Peloponneſi in Meſſenia Straboni & Plinio, olim colonia Thebanorum in ora ſinus Meſſeniaci, *Coron* dicta à recentioribus in provincia Belvedere, & prius *Pedaſum*, ſita eſt ſub Thematia monte cum portu capaci & tuto, inter Methonem, à qua diſtat 12. milliar. ad ortum æſtivum, & Meſſenem ad ortum æſtivum. Sedes fuit epiſcopalis ſub archiepiſcopo Patracenſi, ſed nunc eſt metropolis. Ita Mich. Antonius Baudrand *in Lexico geogr. tom. 1. pag. 301. col. 2.* Hujus urbis meminit Stephanus Byzantius. *Secunda* (Coroneæ nominis) *urbs Peloponneſi inter Sicyonem & Corinthum.* Ad quem locum obſervat Thomas de Pinedo, *pag. 379. nota 74.* hanc Coroneam dici *Meſſeniacam* à Strabone, *lib. 9.* (p. 411. D. edit. Caſaub.) ut eam à Coronea *Bœotica* ſecerneret: & quamvis hæc ſecunda Coronea Peloponneſo aſſignetur à Stephano, & Meſſeniæ à Strabone, eſſe nihilominus unam & eamdem urbem; quia auctores Peloponneſum & Meſſeniam, quas Achaia

comprehendebat, ſæpius confundunt. Hanc urbem, quam Venetis eripuit Bajazeth II. anno 1500. & Turcis Carolus V. Imperator an. 1532. qui eam illis dimiſit anno 1534. recuperarunt Veneti anno 1685. Ex nunciis publ. per eum annum Gallicè conſcriptis, *pp. 569. & 580.*

EPISCOPI CORONENSES.

I. * * *

ANno 1210. *electo Coronenſi epiſcopo* duas epiſtolas ſcripſit Innocentius III. ſcilicet 23. & 24. lib. XIII. datas Laterani XI. kal. April. (id eſt die 22. Mart.) anno XIII. *tom. 2. edit. Baluz. pp. 420. col. 2. & 421. col. 1.* Poſterioris titulus eſt: *Patracenſi archiepiſcopo & epiſcopo Motonenſi, & Coronenſi electo.*

II. * * *

Urbanus IV. pro erigendo Balduini II. imperiali ſolio, & juvandis reliquis principibus Latinis in Oriente adhuc dominantibus, epiſcopum *Coronenſem*, cæteroſque earum regionum præſules ſcriptis litteris graviter hortatus eſt anno 1263. ut ad commune arcendum periculum, communes opes impenderent, Willelmoque Villarduino Achaiæ principi bello à Mich. Palæologo laceſſito, ad contrahendas copias, auxilium ferrent. Hæc narrat Raynald. ad eum annum, *n. 21.* Anno ſequenti 1264. *Coronenſi*, qui probabiliter idem erat, & Argolicenſi epiſcopis provinciam demandavit Urbanus contrahendi exercitus cruce ſignatorum, pro recuperando imperio Conſtantinopolitano. Idem Raynald. ad hunc annum, *num. 57.*

III. HAYMO.

Waddingus, *to. 2.* ad annum 1278. *n. 33.* refert Nicolaum III. epiſtola *Tranſmiſſa nobis*, data eo anno die 18. Aug. mandaſſe epiſcopo Olonenſi, Priori Præd. & Guardiano Minor. de Clarentia ejuſdem diœceſis Olonenſis, ut *Haymonem* epiſcopum Lacedæmoniæ in Peloponneſo à Græcis occupatæ, ad eccleſiam *Coronenſem*, etiam in Peloponneſo & Meſſaniæ tractu ſitam, à capitularibus poſtulatum in eadem auctoritate apoſtolica admitti, & à prioris eccleſiæ vinculo abſolvi curarent.

IV. * * *

Inter epiſcopos quos Clemens V. per litteras datas Pictavii die 12. Aug. anno 1307. ad concilium Viennenſe vocavit, extat *Coronenſis*: legitur enim, *tom. XI. conc. Labb. part. 2. col. 1547.* E. « In eodem modo archi- » epiſcopo Patracenſi & epiſcopis, &c. man- » damus, quatenus vos fratres, archiepiſcope, ac Motonenſis & *Coronenſis* epiſcopi, &c. »

V. FATIUS.

Fatius ſive *Bonifacius*, cognomento *Donoraticus* ex familia ſua nobiliſſima in Tuſcia, Ord. Præd. primum epiſcopus Sagonenſis ſub Piſana metropoli creatus eſt à Bonifacio VIII. anno 1297. deinde ad Chironenſem eccleſiam in inſula Cretenſi tranſiit anno 1306. denique *Coronenſem* adminiſtravit circa annum 1320. ſimulque commendatam habuit eccleſiam S. Petri ad vincula Piſanam. Vide ſupra de eo inter epiſcopos Chironenſes, *col. 915.* C.

VI. ALBERTINUS.

Franciſcus electus.

VII. ALVARUS.

Sede Coronenſi vacante per obitum *Albertini*, ad illam promovit Joannes XXII. anno 1332. die 16. Jun. *Alvarum Pelagium*, Minoritam celeberrimum, Hiſpanum, Romanæ eccleſiæ pœnitentiarium, qui præfati Joannis Papæ partes adverſus Petrum Corbarium Antipapam ſtrenue tutatus erat, librique *Planctus eccleſiæ* extitit auctor.

Elegerant quidem canonici Coronienſes *Franciſcum de Luca*, Patracenſem canonicum; ſed hanc electionem ratam non habuit Pontifex, ac pro illo Alvarum renuntiavit. Is vero anno ſequenti 1333. tranſiit ad eccleſiam Sylvenſem in Algarbiis Luſitanorum. Alvari meminere Raynaldus & Waddingus ad annum 1332. prior, *num. 30.* poſterior, *tom. 3. num. 7. pag. 392.* qui etiam *in Reg. Pontif. pp. 222. & 223.* diploma Joannis profert, eumque ſubdit in eumdem modum ſcripſiſſe archiepiſcopo Patracenſi (utique metropolitano) & Joanni principi Achaiæ.

VIII. ISRAEL.

Alvaro probabiliter ſucceſſit in ſede Coronenſi anno 1333. *Fr. Iſrael* Ordinis Præd. quem poſt Michaelem Pio, *part. 2. lib. 3. col. 180.* Cavalerius, *tom. 1. p. 131. n. 148.* huic eccleſiæ præfuiſſe aſſerit: aiunt quidem id contigiſſe circa annum 1347. verum quia anno 1346. Joannes qui ſequitur, jam eum exceperat, dicendum omnino Iſraelem ſediſſe intra annos 1333. & 1346. Is ſubinde epiſcopus ille *Coronenſis* fuit, cui ut & Olenenſi injunxit Benedictus XII. anno 1337. die 16. Septembris, teſte Raynaldo ad eum annum, *num. 34.* ut, objecta cenſurarum religione, Bertrandum è Baucio Achaiæ præfectum, qui urbem Patracenſem obſidebat, à cœptis deterrerent, & ad oppida, ſi quæ Patracenſi eccleſiæ eripuiſſet, reſtituenda compellerent.

Digitized by Google

ECCLESIA CORONENSIS.

IX. JOANNES I. *electus.*

X. PHILIPPUS.

XI. JOANNES II.

Pro tuendæ in Armenia fidei ſtudio Clemens VI. Antonium, Minoritam, epiſcopum Cajetanum, & *Joannem electum Coronienſem* in eas regiones legavit anno 1346. Litteras ejus, datas Aven. die 30. Novemb. referunt Raynaldus & Waddingus; ille, *num. 67.* iſte, *tom. 3. num. 2. pp. 533. & 534.* Ad Piſanam eccleſiam tranſlatus eſt Joannes anno 1349. B die 24. Jun. ex Ughello, *tom. 3. Ital. ſac. col. 545. n. 58.* B. C. *vet. edit.* Obiit tandem Piſis anno 1363.

Idem Ughellus, *tom. 9. col. 79. num. 24.* ait vacanti eccleſiæ Coronenſi per modo dictam Joannis tranſlationem præfectum eſſe à Clemente VI. *Philippum de Lanzano,* canonicum Rheginenſem, anno 1348. die 10. Jul. (legendum ut ſupra:) ei autem poſtea tranſlato ad eccleſiam Hydruntinam in regno Neapolitano ſubſtitutum ab eodem Pontifice anno 1351. die 20. Maii, *Fr. Joannem Raolecum,* C Minoritam. Ita etiam Wadding. *to. 4.* ad eum annum, *num. 42. pag. 22.* & *in Reg. Pont. pp. 7. & 8.*

XII. LUDOVICUS.

XIII. PETRUS I.

Daniel à V. M. *to. 2. Spec. Carmel. p. 218. num. 776.* exhibet diploma, quo Innocentius VI. promovit *B. Petrum Thomæ* ſive *Thomaſium,* Carmelitam, epiſcopum Pactenſem, ad eccleſiam Coronenſem, tranſlato *Ludovico* ex ea ſede ad Aquileienſem an. 1359. die 10. D Maii. De Petro jam egimus, tum inter Patriarchas Conſtantinopolit. *col. 820.* E. tum inter Cretenſes archiepiſcopos, *col. 910.* B. C.

Ludovicum autem tradit Ughellus, *to. 5. col. 120. num. 73.* B. C. *veteris edit.* cognominatum fuiſſe *Turrianum,* Mediolanenſem patria, & ex epiſcopo Coronenſi ad ſedem Aquileienſem migraſſe anno 1358. VI. idus (id eſt die 10. Mart.) *Ex Reg. Vatic. epiſt. 18. fol. 28.* Anno VII. (ex quo anno VII. colligitur hunc fuiſſe 1359. fortaſſis quoque legendum *Maii,* ut in diplomate quod pro- E fert Daniel à Virgine Maria, non *Martii.*) Obiit anno 1364. ante menſem Septemb.

XIV. PAULUS.

XV. PETRUS II.

Ughellus modo laudatus ſcribit, *col. 1350. num. 41.* C. D. *Paulum Foſcharum,* nobilem Venetum, ex eccleſia Coronenſi tranſlatum fuiſſe ad Caſtellanam Venetiarum an. 1367. die 5. April. eique in epiſcopatu Coronenſi A ſucceſſiſſe *Petrum Cornarum* ſeu *Cornelium,* Venetum, Ordinis Minor. illo ipſo anno die 14. Aprilis.

Duorum iſtorum epiſcoporum jam meminimus inter epiſcopos Coronenſes ſub Athenienſi metropoli, *col. 859.* A. ubi & dubium noſtrum aperuimus, cuinam eccleſiæ Coronenſi aſſignandi eſſent, eo quod ex modo loquendi Waddingi utraque ea eccleſia inferri poſſit.

XVI. BARTHOLOMÆUS I.

Bartholomæus Dominici de Senis, Ordinis Præd. Coronenſis epiſcopus renuntiatus eſt circa annum 1413. Obiit Arimini an. 1417. die 3. Jul. Ejus meminere Fontana *Theat. Domin. pp. 179. & 180. tit. 203.* & R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pag. 530.*

XVII. FRANCISCUS.

XVIII. MATTHÆUS.

De his duobus Coronenſis eccleſiæ epiſcopis *Franciſco* & *Matthæo* idem ferendum videtur judicium, ac de Paulo & Petro II. ſupra memoratis. Certum quidem ex diplomate Eugenii IV. *Attentæ conſiderationis,* dato anno 1435. die 22. Septembris, quod refert Waddingus, *tom. 5.* ad eum annum, *n. 16. p. 272. Franciſco* epiſcopo Coronenſi mortuo ſuffectum eſſe illo anno in ea ſede *Matthæum de Sirinno,* Minoritam, hujus Pontificis pœnitentiarium; at cuinam Coronenſi præfuerint dubium. Waddingus deſignat *Coronenſem in Peloponneſo ſub archiepiſcopo Athenienſi:* verum ejus pace dixerim Coroneam urbem, quæ extat in Peloponneſo, metropoli Patracenſi ſubjacere, non Athenienſi; eam autem quæ Athenienſi paret, eſſe in Bœotia, non in Peloponneſo. Vide ſupra *col. 859.* B. C.

XIX. CRISTOPHORUS.

Chriſtophorus iſte ſedebat Coronenſis epiſcopus an. 1437. quo miſſus eſt ad Joannem Palæologum Græcorum Imperatorem, ut ipſum ad concilium Florentinum invitaret. Diploma Eugenii IV. datum eo anno die 8. Jul. tranſcripſit Raynaldus, *n. XI.* Legendi tum Labbeus, *tom. XIII. conc. coll. 845.* B. C. *850.* E. & *1160.* C. ubi hæc extat ejus ſubſcriptio. *Ego Chriſtophorus epiſcopus Coronenſis ſubſcripſi,* tum Raynaldus ad annum 1437. *num. 12.* & ad annum 1443. *num. 16.*

XX. BARTHOLOMÆUS II.

De eo *Bartholomæo* Ord. Præd. jam ſupra dictum eſt inter epiſcopos Argolicenſes, *col. 900.* C. D. Hic brevi repetere ſatis erit eum primò Argolicenſi eccleſiæ fuiſſe præfectum anno 1434. die 16. April. ab Eugenio IV. deinde

Digitized by Google

deinde tranſlatum ab eodem Pontifice ad ſedem Cortonenſem anno 1440. die 14. Januar. demum anno 1445. vel etiam antea, in Coronenſem præſulem datum; ea autem ſede dimiſſa anno 1457. obiiſſe Florentiæ in conventu S. Mariæ Novellæ ejuſdem Ordinis anno 1466. die 21. Jun.

XXI. * * *

Raynaldus, *to. 19.* ad annum 1459. *n. 42.* mentionem facit de quodam *epiſcopo Coronenſi,* qui eo anno die 1. Jun. in urbe Mantua coram Pio II. & toto congreſſu, de Pontificis ſuſcepto conſilio, conventus cauſa, & tyrannidis Turcicæ atterendæ neceſſitate, fuſe diſſeruit.

XXII. Vincentius.

Anno 1507. *Vincentius* quidam epiſcopus Segni in Campania Romana, tranſlatus eſt à Julio II. die 4. Aug. ad eccleſiam Coronenſem, eique ſubrogatus in Segnienſi Fr. Ludovicus de Viterbio, Ordinis Prædicat.

A Diploma pontificium extat, *tom. 4. Bullar.* R. P. Bremond, *pag. 284.*

ECCLESIA CORONENSIS.

XXIII. Aloysius *ſive* Ludovicus II.

Ughellus, *tom. 1. Ital. ſac. col. 828. n. 51.* A. *vet. edit.* ſcribit *Aloyſium de Apera,* Panormitanum, antea Coronenſem epiſcopum, ad eccleſiam Humanatenſem tranſlatum eſſe à Julio II. anno 1509. die 7. Septembris; Laterano concilio interfuiſſe anno 1512. demum obiiſſe anno 1520.

XXIV. * * *

B Angelus Calepius, Cyprius, Ord. Præd. de quo egimus inter epiſcopos Santerinenſes, *col. 1010.* A. refert *in tractatu de expugnatione Nicoſiæ à Turcis anno 1570.* qui extat Gallicè ad calcem hiſtoriæ generalis regni Cypri Stephani Luſiniani, *edit. Pariſ. 1604.* à *fol. 237.* verſo, ad *272.* refert, inquam, *fol. 271.* tunc interfectum eſſe cum aliis multis de clero *reverendiſſimum epiſcopum Coronenſem,* ſuffraganeum Nicoſiæ.

V. ECCLESIA OLENI.

Olenus ſive *Olonus,* urbs Achaïæ in Peloponneſo Straboni & Ptolemæo, quæ *Olenum* Plinio, & ab *Oleno* Vulcani filio condita dicitur, nunc, teſte Nigro & aliis, nuncupatur *Caminitza,* eſtque oppidulum tenue ad Pirum fluvium (quem *Melas* Strabo appellat) vix tribus milliar. diſtans ab ora maris Ionii medium inter Patras, cui ut metropoli ſubeſt, & Araxum promontorium. Hæc Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 49. col. 2.*

EPISCOPI OLENI.

I. Guillelmus.

Michaele Palæologo Græcorum Imperatore, poſt recuperatam anno 1261. Conſtantinopolim, novam expeditionem parante adverſus Latinos principes in Achaïa morantes, ut eos inde dejiceret, Urbanus IV. *epiſcopo Olenenſi,* aliiſque præſulibus & abbatibus illarum regionum litteras ſcripſit anno 1263. ut ad commune arcendum periculum Willelmo Villarduino Achaïæ principi auxilia pecuniarum præberent. Ita Raynaldus ad hunc annum, *num. 21.* in fine.

D Is erat *Guillelmus de Pontoiſe,* Ordinis Cluniacenſis, Caritatis ad Ligerim Prior, inde abbas Cluniaci, qui, ut fertur in chronico hujus archimonaſterii juſſu abbatis Jacobi de Ambaſia conſcripto, *regere cœpit anno 1244. rexit* (autem) *annis fere 14. & in epiſcopatum Olenenſem aſſumptus eſt:* adeoque anno 1258. In catalogo tamen abbatum Cluniacenſium dicitur creatus epiſcopus *Olenenſis* an. 1250. his verbis: *Anno 1244. Hugo abbas in Lingonenſem epiſcopum aſſumptus eſt, & Guillelmus Prior de Caritate electus eſt. Anno 1250. D.*

C *Guillelmus reſignavit, & in epiſcopum Olivenſem* (Olenenſem) *aſſumptus eſt.* In præfato chronico additur: *Is obiit XV. kal. Jan.* (id eſt die 18. Decembris) *1263. Jacet apud S. Martinum Pariſius.* Ita doctiſſimus Dionyſ. Sammarthanus, *tom. 2. Galliæ Chriſt. edit. Pariſ. 1720. col. 918.* A. ubi etiam obſervat *Guillelmum* hunc cum alio *Guillelmo* epiſcopo Aginnenſi perperam confundi à clariſſimis Sammarthanis *in ſua Gallia Chriſt.* abbatem vero Cluniaci non fuiſſe epiſcopum Aginnenſem, ſed *Olenenſem.*

II. * * *

Anno 1278. die 18. Aug. Nicolaus III. ſcripſit cuidam *epiſcopo Olonenſi* (Olenenſi) ut unà cum Priore Præd. & Guardiano Min. de Clarentia, ejuſdem diœceſis Olonenſis, Haymonem epiſcopum Lacedæmoniæ in Peloponneſo à Græcis occupatæ, ad eccleſiam Coronenſem, etiam in Peloponneſo & Meſſaniæ tractu ſitam, à capitularibus poſtulatum, auctoritate apoſtolica admitti, & à prioris eccleſiæ vinculo abſolvi curaret. Ita refert Waddingus, *to. 2.* ad hunc annum, *n. 33. p. 453.*

Digitized by Google

ECCLESIA OLENI.

III. * * *

A

Inter cæteros præſules, ad quos Clemens V. litteras direxit, datas Viennæ VI. Nonas (ſive die 2.) Maii anno 1311. de extinctione Templariorum, *Olenenſis* commemoratur, *tom. XI. conc. Labb. part. 2. col. 1562.* D. « In eodem modo Patriarchæ Conſtantino» litano, & archiepiſcopo Patracenſi, ac *epiſcopo Olenenſi.*»

IV. NICOLAUS.

V. JOANNES.

Ughellus, *tom. 8. Ital. ſac. vet. edit. n. 14.* B *col. 272.* D. ſcribit quemdam *Nicolaum* epiſcopum *Olonenſem* ad ſedem Abellinenſem ſub Benevento metropoli fuiſſe tranſlatum die 17. Jun. anno 1334. ſucceſſorem vero habuiſſe in eccleſia *Olonenſi Joannem* Ordinis Ciſtercienſis monachum, eodem anno die 18. Aug. *ex Reg. Vatic.* & Nicolaum obiiſſe anno 1351.

Joannes iſte, vel fortaſſis ejus ſucceſſor, ille fuit *Olonenſis epiſcopus,* cui refert Raynaldus ad annum 1337. *num. 34.* injunctam C meprovinciam à Benedicto XII. eo anno, ut, objecta cenſurarum religione, Bertrandum è Baucio ſolvere obſidionem ab urbe Patracenſi cogeret.

VI. PETRUS.

VII. ANTONIUS.

Fontana *in Theat. Dom. tit. 433. p. 251.* refert ex mſſ. quibuſdam Bzovii, *Petrum Nicolai,* Ordinis Præd. renuntiatum eſſe epiſcopum Olenenſem à Bonifacio IX. x. kal. D Febr. (id eſt die 23. Jan.) anno 1391.

Verum, vel non multo poſt ſuam promotionem obiit iſte Petrus, vel ad aliam eccleſiam tranſlatus eſt, vel Olenenſem dimiſit: nam eo ipſo anno 1391. *Antonius de Macerata,* Eremita Auguſtinianus, huic eccleſiæ præfectus fuit ab eodem Bonifacio III. idus (id eſt die XI.) Auguſt. *ex Regeſto Vaticano,* teſte Thoma de Herrera *Alphab. Auguſtinian. tom. 1. pag. 39. col. 1.*

VIII. THEODORUS.

Anno 1421. *Theodorus Chryſonergi,* Conſtantinopolitanus, ejuſdem Ordinis Prædic. ſedebat epiſcopus Olenenſis, quippe qui eo anno conſtitutus fuit à Fr. Joanne de Chorono, Ordinis quoque Præd. ſuus procurator ſpecialis, ut per ejus manus dimitteret eccleſiam Arienſem in Creta inſula, ad quam renuntiatus fuerat. Id conſtat ex diplomate *Romani Pontificis, &c.* Martini V. dato Tibure idib. (ſive die 13.) Aug. eodem an. 1421. apud R. P. Bremond, *to. 2. Bullar. pag. 599.* Memoravimus ſupra Joannem de Chorono, inter epiſcopos Arienſes, *col. 933.* A.

IX. RAYMUNDUS.

Fr. Raymundus Lizoli, Mediolanenſis, Ord. Præd. epiſcopus Olenenſis renuntiatus eſt ab Innocentio XII. anno 1696. ex Caval. *tom. 1. Galler. Dom. pag. 692. num. 229.* & ex Dominico Ponſi in vita R. P. Antonini Cloche magiſtri generalis ejuſdem Ordinis, *cap. 8. p. 212. num. 25.* Hujus quoque meminit R. P. Jacobus Echard. *tom. 2. ſcriptor. p. 31. indicis epiſcoporum,* & creatum aſſerit epiſcopum Aulonenſem (dicendum Olenenſem) anno 1697. menſe Januar. Vicarius apoſtolicus fuit Raymundus iſte in miſſionibus Sinenſibus, uti liquet ex Fr. Franciſco Gonzalez à S. Petro ejuſdem Præd. Ordinis in narratione eorum quæ geſta ſunt in iis miſſionibus. Ita R. P. Bremond, *to. 6. Bull.* ad annum 1696. *pag. 435.*

De eccleſia *Chriſtianopolitana,* quam ſub *Patris Veteribus* recenſet abbas de Commanville *in ſua ſerie epiſcopatuum totius orbis Gallicè ſcripta, edit. Rotomag. 1700. p. 209.* quæque nunc eſt metropolis ad honorem, jam ſupra diſſeruimus, *coll. 905. 906.* ſub metropoli Corinthienſi, cujus antea ſuffraganeam fuiſſe ſcribit Baudrand, *tom. 1. geogr.* ubi de Chriſtianopoli & Megalopoli.

VI. ECCLESIA ANDREVILLÆ.

DE eccleſia Andrevillenſi Innocentius III. mentionem facit in epiſtola 25. lib. XIII. quæ eſt *theſaurario Thebano, & R. Athenienſi & T. Thebano canonicis* data IX. kalend. April. anno XIII. (id eſt die 24. Mart. anno 1210.) « Preces, inquit, dilecti filii nobilis viri » Gaufridi principis Achaiæ recepimus, ſupplicantis ut archidiaconatum vacantem in An» drevillenſi eccleſia dilecto filio magiſtro Joanni capellano ſuo.... concedere dignaremur, &c.» Huic præfuere nonnulli præſules ritus Latini ſub Patracenſi Metropolitano.

Digitized by Google

EPISCOPI ANDREVILLÆ.

ECCLESIA ANDRE. VILLÆ.

I. JOANNES.

WADDINGUS, *tom. 3.* ad annum 1342. *num. 4. pag. 480.* narrat à *Joanne Tolono*, Minorita, genere Catalano, epiſcopo Andravillæ (Andrevillæ) Peloponneſiacæ civitatis, coronatum fuiſſe hoc anno regio diademate Ludovicum Trinacriæ regem: citat vero Fazellum, *Decad. 2. lib. 9.* in principio.

II. THOMAS.

Andrevillenſis eccleſiæ præſul renuntiatus eſt à Bonifacio IX. anno 1391. VII. kal. A Febr. (id eſt die 26. Jan.) *Thomas Renda* de Trepano, Ord. Præd. Ita Fontana *in Theat. Domin. pag. 620. col. 2.* ex mſſ. quibuſdam Bzovianis.

III. AUGUSTINUS.

Auguſtinum de Plumbino, Eremitam Auguſtinianum, conſtituit idem Papa Andrevillenſem epiſcopum anno 1396. II. kalend. Aprilis (id eſt die 31. Martii.) *Ex Regeſto Vatic.* teſte Thoma Herrera, *tom. 1. Aphab. Auguſtiniani, pag. 39. col. 1.*

PROVINCIA PHILIPPORUM.

PHILIPPI, urbs Macedoniæ in Ædonum tractu & in Thraciæ confinio Plinio & Ptolemæo, in prærupto tumulo ſita, dicta fuit olim *Datum* & *Crenides*, ut refert Appianus; poſtea in gratiam Cæſarum, dicta eſt colonia Julia Philippi, ad montis Pangæi radices: hodie *Philippo* nuncupatur, & urbs eſt archiepiſcopalis, ſed nunc à paucis inhabitata, ſub dominio Turcarum. Vix 12. milliar. diſtat ab ora maris Ægæi in ſeptentrionem, & 33. ab Amphipoli in ortum Neapolim (ſive Chriſtopolim) verſus. Hîc campi Philippici, ubi Brutus & Caſſius qui Julium Cæſarem interfecerant, ab Auguſto victi fuere. Ita Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 104. col. 1.* Urbs Philipporum archiepiſcopo Latini ritus ſubdita eſt ſtatim atque Latino principi obtemperavit, eique aſſignavit eccleſias ſuffraganeas Innocentius III. quæ ſequuntur, ſed corruptis nominibus, ſcilicet in epiſtola 56. lib. XV. data die 22. Maii anni 1212. « Epiſcopatus quoque inferius annotandos eccleſiæ tuæ metropolitico » jure ſubjectos tibi tuiſque ſucceſſoribus nihilominus confirmamus, videlicet *Eleutheropolim, Caſtropolim, Poliſtrios, Vilikios* (&) *Morenos:* » quæ eccleſiæ fortaſſis ſunt *Alectryopolis* ſive *Alectoroſo, Cæſaropolis, Polyſtilius, Belicia* & *Smolenorum*, de quibus fit mentio in notitia Græco-Latina ſub Philippis ad calcem Codini *de Officiis, pag. 391.*

EPISCOPI PHILIPPENSES.

WILLELMUS.

WILLELMUS iſte ille eſt, ad quem modo laudatam epiſtolam, ſcilicet 56. lib. XV. Innocentius III. ſcripſit, & de qua nos ſupra, *col. 986.* C. inter Nazoreſcenſes epiſcopos ſub Lariſſena metropoli ſermonem habuimus: hunc enim præfatus Pontifex ex ea ſede, pro qua hactenus electus tantum fuerat, ad Philippenſem tranſtulit anno 1212. ac propriis manibus conſecravit, pallioque inſignivit, ut ipſe in ea epiſtola teſtatur, *edit. Baluz. tom. 2. pag. 620. col. 2.* Huic præter illam 56. datæ ſunt eodem anno 1212. epiſtolæ 50. 69. & 78. jam recitati libri XV. Probabile eſt autem illum fuiſſe antiſtitem eum *Philippenſem*, quem anno 1217. princeps hujus loci per ſummam B impietatem ſævitiamque interemit, ob cujus cædem Honorius III. eo anno Everardo Patriarchæ Conſtantinopolitano ac epiſcopis Philippenſi metropoli ſuffraganeis, provinciam impoſuit, ut anathemate ipſum percellerent, ejuſque ditionem tandiu eccleſiaſtico interdicto mulctarent, donec is tantum ſcelus rite expiaſſet; ſi vero impœnitentem ſeſe prodere pergeret, aliorum principum potentiam ad pertinaciam ejus infringendam implorarent, quos etiam ipſe Pontifex datis litteris excitavit, ut Patriarchæ atque præſulibus modo recenſitis in tali ulciſcendo crimine ſuppetias ferrent. Ita Raynaldus ad annum 1217. *n. 17.* in fine. De archiepiſcopis Philippenſibus nihil aliud nobis compertum eſt.

Digitized by Google

ECCLESIA VALACENSIS.

II. ECCLESIA VALACENSIS.

INNOCENTIUS III. meminit cujuſdam eccleſiæ *Valacenſis* in epiſtola 192. lib. XIII. ut modo palam fiet: cæterum urbs hujus nominis aliunde nobis incomperta eſt.

EPISCOPI VALACENSES.

*** *electus.*

EPiſtola 192. lib. XIII. epiſtolarum Innocentii III. *tom. 2. edit. Baluz. pag. 496. col. 2.* data Later. XII. kal. Jan. anno XIII. (id eſt die 21. Decemb. anno 1210.) qua confirmantur reſignationes eccleſiarum factæ per nobiles terræ Theſſalonicenſis, hunc titulum præ ſe fert: « Athenienſi, Neopatrenſi, & Lariſſeno archiepiſcopis, & Davalienſi, Fermopilenſi, Avalonenſi, Sydonienſi, Caſtorienſi, & Zaratorienſi epiſcopis, & Thebano, Citrenſi, Nazoreſcenſi, & *Valacenſi electis.* Quum à nobis petitur quod juſtum eſt, &c.» Hinc patet eo anno exeunte aliquem fuiſſe electum in epiſcopum eccleſiæ Valacenſis: at quodnam fuerit ejus nomen, quoſve ſucceſſores habuerit, ignoramus.

III. ECCLESIA CHRISTOPOLIS.

CHRISTOPOLIS, ex Mich. Anton. Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 268. col. 1.* urbs eſt Macedoniæ Gregorio Turonenſi in Thraciæ confinio, epiſcopalis olim ſub archiepiſcopo Philippenſi, nunc metropolis, quæ eadem putatur cum *Amphipoli,* de qua hæc idem habet, *pag. 53. col. 1.* « *Amphipolis,* urbs Macedoniæ Thucydidi, quæ poſtea *Chriſtopolis* à » Græcis appellata (vulgo Chriſtopolis) hodie *Emboli* Turcis, teſte Leunclavio, aliis autem » *Chriſopoli,* ſeu & melius *Chiſopoli,* urbs archiepiſcopalis Macedoniæ verſus Thraciam, in » Odomantice tractu ad Strymonem fluvium paulo ſupra ejus oſtia (quibus) in mare Ægæum » (demergitur,) Serris proxima, & ſinui Strymonico: dicta (autem) fuit Amphipolis, quod » illam Strymon (præfatus) circumfluit & ambit; eſt autem inter Philippos ad ortum, & » Apolloniam ad occaſum ad 30. milliar. & 75. à Theſſalonica in ortum, ſub dominio Turcarum.» Et rurſus, *tom. 2. pag. 15. col. 1.* ubi de Neapoli in Macedonia: « *Neapolis,* inquit, » urbs Macedoniæ Ptolemæo, quæ poſtea *Chriſtopolis,* nunc *Chriſtopoli,* Sophiano teſte, antea » epiſcopalis ſub archiepiſcopo Philippenſi, poſtea metropolis effecta, ad Strymonicum ſinum » inter oſtia Strymonis & Neſſi fluviorum, forſan eadem eſt quæ Amphipolis, ut quidam credunt.» Thomas de Pinedo in Stephan. Byzantium, *pag. 78. annot. 10.* urbem hanc ait olim appellatam *Acram, Novem vias, Crademnam & Anadræmum:* at poſtquam ab Agnone Athenienſium duce capta fuit, dictam eſſe *Amphipolim;* & *pag. 619. annot. 63.* Strymonem, quem *fluvium Amphipolis* Stephanus nuncupat, & de cujus nomine hodierno inter auctores non convenit, Thraciæ & Macedoniæ aſſignari, quod, juxta Ptolemæum *lib. 3. cap. 13.* ex montibus Thraciam & Macedoniam dividentibus originem ſumat. Huic urbi præfuere nonnulli antiſtites Latini.

EPISCOPI CHRISTOPOLIS.

I. MARTINUS.

MARTINUS *de Soleta,* Helvetius, Ord. Præd. & ſacræ theologiæ magiſter in facultate Colonienſi, refertur à Fontana *in monum. Domin. pag. 224.* ex fide Lucarini ejuſdem Ordinis, ut qui floruerit circa annum 1354. ac adverſus hæreticos grande volumen ſcripſerit *de catholicæ fidei veritate:* propter quod à Nicolao V. *Chriſpolitanus* epiſcopus promotus fuerit, & epiſcopo Baſileenſi ſuffraganeus datus. Subdit autem eum obiiſſe quum ad apoſtolicam curiam accederet. Verum errorem occurrere oportet, vel in nomine Pontificis, vel in aſſignatione temporis: ſedit enim Nicolaus V. ab anno 1447. ad annum 1455. Præterea eccleſia *Chriſpolitana* nullibi legitur in notitiis; dicendum itaque videtur hunc Martinum renuntiatum fuiſſe epiſcopum vel *Chriſtopolis* in Macedonia ſub Philippenſi metropoli, vel *Chryſopolis* in Arabia ſub Boſtrenſi, idque contigiſſe tempore Innocentii VI. aut aliquorum ex ejus ſucceſſoribus, ſi revera ſæculo decimo quarto medio floruerit iſte Martinus; vel ipſum ſequenti tantum ſæculo vixiſſe, ſi ipſum Nicolaus V. nominaverit præſulem. Has movet difficultates R. P. Echard. *tom. 1. ſcriptorum Ordinis Præd. pag. 729. col. 1.* Ad ſæculum tamen potius decimum quartum quam ad decimum

Digitized by Google

quintum revocandus videtur, utpote quod A ſcribat Waddingus infra laudandus, Joanni defuncto ſubſtitutum fuiſſe Michaelem ſui Ordinis in ſede Chriſtopolitana à Nicolao V. anno illo ipſo 1454.

II. Hermanus.

Hermanus Wolf, Ordinis Prædic. electus eſt epiſcopus *Chriſpolenſis* ſive *Chriſtopolenſis* in Macedonia ſub archiepiſcopo Philippenſi ab Innocentio VI. extremis ſui Pontificatus diebus, & ab Urbano V. ejus ſucceſſore con- B firmatus die 8. Novemb. anno 1362. *Ex lib. Proviſ. Prælat. utriuſque Pontif.* Ita Fontana *Theat. Dom. pag. 182. tit. 209.* Cavalerius, *to. 1. pag. 149. num. 202.* & R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pag. 263.* ad annum 1362.

III. Adalbertus.
IV. Joannes I.

Waddingus, *tom. 4.* ad annum 1394. *n. 5. pag. 305.* refert, eccleſia *Chriſtonopolitana* (probabiliter *Chriſtopolitana*) ſub Patriarcha Conſtantinopolitano vacante per obitum *Adalberti*, *Fr. Joannem Zacous*, Minoritam, eo anno 1394. die 17. Jul. huic præfectum eſſe à Bonifacio IX.

ECCLESIA CHRISTOPOLIS.

V. Thomas.

Joanni præfato anno 1395. & probabiliter priuſquam conſecraretur, defuncto, ſubſtitutus eſt ab eodem Bonifacio IX. *Fr. Thomas Buttylerus*, Ordinis quoque Min. Ita rurſus Waddingus, *ibid.* ad annum 1395, *num. 2. pag. 308.*

VI. Joannes II.
VII. Michael.

Poſt obitum cujuſdam *Joannis* epiſcopi Chriſtopolitani in Macedonia, *Fr. Michael Caſtault*, Ordinis Minor. ad hanc ſedem à Nicolao V. evectus eſt die 8. Martii anno 1454. Ita Vaddingus, *to. 6.* ad hunc annum, *num. 64. pag. 129.*

PROVINCIA RHODI.

RHODUS, inſula Aſiæ minoris in mari Carpathio, & Cariæ ad meridiem fere adjacens Straboni, Plinio & Ptolemæo, variis nominibus quondam dicta eſt; prius *Ophiuſa*, *Telchinis*, *Aſteria*, *Æthræa*, *Trinacria*, *Corymbia*, *Pæeſſa*, *Atabyria*, *Macaria* & *Olæſſa*: circuitus ejus fertur 130. milliar. quidam dicunt 110. Urbs ejus primaria *Rhodus* permunita eſt & archiepiſcopalis, in parte orientali hujus inſulæ ſita, qua tendit ad ſeptentrionem: portum habet & emporium celeberrimum, ubi olim ſteterat Coloſſus ſeu ſtatua Solis, opus inter ſeptem totius orbis mirabilia celebratum, de quo ſic Plinius loquitur, *lib. 34. cap. 7. Ante omnes fuit Solis Coloſſus Rhodi, quem fecerat Chares Lindius Lyſippi diſcipulus. 70. cubitorum altitudinis fuit. Hoc ſimulacrum poſt 56. annum terræ motu proſtratum, ſed jacens quoque miraculo eſt: pauci pollicem ejus amplectuntur; majores ſunt digiti quam pleræque ſtatuæ: vaſti ſpecus hiant de fractis membris.* Capta fuit quarto ab oppugnatione anno, die ſcilicet 15. Auguſti anno 1310. à Fulcone Willaretio Gallo, magno magiſtro equitum S. Joannis Hieroſolimitani, qui inde appellati fuere *Rhodii equites*, eamque ſervarunt uſque ad annum 1522. Tunc autem eis erepta eſt à Solimano Turcarum Imperatore, ex quo tempore Turcis ſubjicitur. Diſtat à Cypro inſula in occaſum 260. milliar. ab Alexandria in ſeptentrionem Conſtantinopolim verſus 500. circiter, 20. milliar. à littore Cariæ inter Cretam ad occaſum 134. & Chelidonias inſulas in ortum 160. Ita Baudrand, *tom. 2. pp. 171. & 172.*

Præſules hujus urbis interdum *Coloſſenſes* dicuntur ob famoſum ejus *Coloſſum*, qui ſubinde confundendi non ſunt cum archiepiſcopis Colocenſibus in Pannonia.

ARCHIEPISCOPI RHODII *ſive* COLOSSENSES.

I. Vido.

VIDO, natione Græcus, profeſſione Dominicanus, dicitur fuiſſe archiepiſcopus Coloſſenſis ſive eccleſiæ metropolis inſulæ Rhodi anno 1238. Ejus meminere Fontana *monum. Dom. p. 42. col. 2.* Cavaler. *tom. 1. pp. 11. & 12. n. 5.* & R. P. Bremond, *to. 1. Bull. p. 113.*

II. * * *

Raynaldus, *to. 16.* ad annum 1336. narrat C Benedictum XII. ſcripſiſſe eo anno ad præſules inſularum Siciliæ, Cypri, *Rhodi*, &c. ut ſacram militiam ſuſcitarent contra Infideles.

Idem fortaſſis fuerit, quem monuit Clemens VI. anno 1245. ut Imberto ſive Umberto Delphino Viennenſi duci exercitus cruce ſignatorum conſilio & opera præſto eſſet.

Digitized by Google

ECCLESIA RHODI.

III. * * *

Archiepiſcopi *Coloſſenſis* meminit Innocentius VI. in epiſtola data anno 1353. die 1. Decemb. apud Raynaldum, *num. 19.* qui etiam probabiliter eidem archiepiſcopo, ut & pluribus aliis præſulibus mandavit litteris datis die 11. Maii anni 1359. ut fideles protegerent adverſus Turcas, *ibid.* ad eum annum, *num. 16.* Non alius fortaſſis fuit ille, ad quem duoſque alios ſcripſit Urbanus V. anno 1363. die 16. Junii, de reſtituendis ipſorum cura bonis quibuſcumque Fr. Petro Fanenſi Minoritæ Converſo ablatis. Hanc epiſtolam profert Waddingus, *tom. 4. annal. in Regeſt. pag. 80.*

IV. Guillelmus.

Idem Waddingus, *ibid.* ad annum 1365. *num. 5. pag. 105.* ſcribit, *Guillelmo* epiſcopo Niſerienſi ad *Coloſſenſem* archiepiſcopatum tranſlato, ei ſuffectum eſſe in ſede Niſerienſi eo anno die 2. Martii Fr. Thomam de Nigroponte, Ordinis Min.

V. Joannes.

Joannes Fardinas, Ordinis Præd. archiepiſcopus Coloſſenſis in inſula Rhodo ab Urbano V. renuntiatus eſt anno 1370. *Ex lib. Proviſionum Prælat. hujus Pontificis.* Ita R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pag. 263.*

VI. Matthæus.

Matthæus de Empoli, Ord. Præd. alumnus provinciæ Romanæ, archiepiſcopus Rhodius creatus fuit à Bonifacio IX. circa annum 1396. Ita Fontana *Theat. Domin. pag. 97. tit. 81.* ubi ait eum obiiſſe anno 1400. & R. P. Bremond, *pag. 460.*

VII. Andreas.

Andreas, Rhodius vel *Coloſſenſis* dictus, quod metropolis inſulæ Rhodi archiepiſcopus fuerit, Græcus erat natione. In actis concilii Baſileenſis agnominatur *de Petra* (ea fortaſſis oriundus, quæ extat in Macedonia ad oram maris Ionii ad Dyrrachium.) In ſchiſmate à parentibus educatus, Græcorum theologiam perfecte didicit; ſed ſibi comparata lingua Latina, Patribuſque utriuſque eccleſiæ ſedulo lectis, afflante divino numine, ſchiſma ejuravit, & Ordinem Prædicatorum profeſſus eſt; deinde ad ſedem Rhodiorum ſeu Coloſſenſem aſſumptus, affuit concilio Conſtantienſi. De eo hæc ſcribit Sylveſter Sguropulus ſcriptor ſchiſmaticus, *hiſt. conc. Florent. ſect. 2. c. 5.* «... quum noſter eſſet origine (Andreas) » noſtraque litteratura ac eruditione pleniſſime » inſtructus, neſcio quo œſtro percitus, à nobis A ad Latinos transfugit, eorumque doctrinam « ac mores amplexus, & ab illis ad dignitatem « epiſcopalem evectus, omnem in poſterum « operam ac induſtriam conferebat, ut alios « ad eamdem ſententiam pertraheret, quam « ipſe intime imbiberat, maximamque ſibi fe- « licitatem reputabat, ſi omnes æque ac ſe do- « ciles ſuique ſequaces reperiret.»

Anno 1416. die 4. Febr. in ſeſſione 20. ſynodi Conſtantienſis Andreas, tum ſuo, tum Sigiſmundi Romanorum regis nomine, ſubſcripſit concordatis Narbonæ initis die 13. B Decembris anno præcedenti Legatos inter hujus ſynodi & ambaſſiatores regum qui Benedicti XIII. obedientiam fovebant. Martinus V. anno circiter 1430. Andream miſit Conſtantinopolim, ut unionem utriuſque eccleſiæ, ad quam Manuel Joanneſque ejus filius Imperatores Græci propendere videbantur, promovere ſtuderet. Ex ea legatione reverſus paulo ante Martini mortem, apud illum ejuſque ſucceſſorem Eugenium IV. ſubſtitit. Obortis inter præſules concilii Baſileenſis & Eugenium Papam gravioribus C diſſidiis, ab iſto ad illos delegatus eſt nuntius & orator, ut eoſdem ad partes ſummi Pontificis adduceret, eaque de re gravem & elegantem anno 1432. die 22. Aug. orationem habuit: verum reſponſo à Baſileenſibus die 3. Sept. accepto, quum die 6. ejuſdem menſis in ſeſſ. 6. præſentem ſe ſynodo exhibuiſſet, repulſam paſſus, rediit ad Eugenium.

Concilio primum Ferrariæ, deinde Florentiæ coacto pro reconciliatione Græcorum cum eccleſia Romana interfuit, Marcumque Epheſinum, & Beſſarionem Nicænum, an- D tiſtites pro Græcis diſputantes, ſæpius confutavit. Andream quidem arguit Græcus concilii interpres, quaſi extra chorum ſaltaverit, nec de re propoſita dixerit; at ſecus refert Andreas à S. Cruce præſens in concilio, qui & ejuſdem hiſtoriam ſeu diarium concinnavit: notat quoque Horatius Juſtinianus plenam Græco ſcriptori vel ejus corruptori non eſſe adhibendam fidem. Subſcripſit ſynodo inter Latinos archiepiſcopos quartus anno 1439.

Perſtitit Florentiæ Andreas uſquequo Ar- E meni & Jacobitæ fidem Romanam amplexi ſunt: tum vero ab Eugenio miſſus eſt in inſulam Cyprum, ut devios adhuc ibi & diſſidentes ad frugem revocaret. Extat apud Raynaldum ad annum 1441. *n. 6.* diploma hujus Pontificis, datum *archiepiſcopo Coloſſenſi* Florentiæ eo anno die 5. Novemb. quo ei mandat, ut habita ratione decreti unionis in concilio promulgati, & in inſula Cypro accepti, omni cura & diligentia procuret ne deinceps Latini in ea inſula à communione

Digitized by Google

Græcorum abſtineant. Legendum inſuper aliud diploma ejuſdem Pontificis, datum Romæ anno 1445. menſe Auguſto, *tom. 13. conc. Labb. col. 1225.* D. & *tom. 13.* Raynaldi ad annum 1445. *num. 21.* Ex quo infert P. Echard. *tom. 1. ſcriptor. Ord. Præd. pag. 803. col. 1.* eo anno Andream adhuc fuiſſe ſuperſtitem, quum nullum ibi ejus mortis indicium ſuggeratur. Eum in Oriente reliquum vitæ ſuæ exegiſſe tempus, qua confirmandis in recenti unione, qua ad eam revocandis aut inducendis multis regionum illarum incolis, conjicit idem P. Echard. qui præter acta ejus in conciliis Conſtantienſi, Baſileenſi & Florentino, quædam opuſcula Græcè ſcripta in Vaticanis mſſ. ſervari ait, videlicet, 1.° *Andreæ Rhodi archiepiſcopi apologiam demonſtrativam de divina eſſentia & operatione ex S. Thomæ commentariis, ad Beſſarionem Nicææ archiepiſcopum.* 2.° Andreæ Rhodi & Marci Epheſii dialogum, cui occaſionem dederat *epiſtola* quædam Marci Epheſii *ad Georgium Scholarium contra ritus & ſacrificia Romanæ eccleſiæ*, teſte Allatio, *de utriuſque eccleſiæ conſenſu, lib. 3. cap. 3. col. 935.*

VIII. Leonardus.

Waddingus ſcribit, *tom. 8. annalium* ad annum 1506. *num. 84. pag. 128. Leonardum de Baleſtrinis*, Minoritam, ad archiepiſcopatum Coloſſenſem ſive Rhodium eo anno die 7. Septemb. à Julio II. fuiſſe promotum. Sub ejus præſulatu Solymanus Turcarum Imperator Rhodum equitibus Rhodiis anno 1522. eripuit. Rocchus Pirrus, *Sicil. ſac. tom. 2. pag. 621. num. 13.* Leonardum ait Romæ obiiſſe anno 1524.

IX. Marcus.

Marcus Cathaneo, Januenſis, Ord. Præd. vir doctrina & facundia tam in ſcholis quam in ſacris pulpitis celebratiſſimus, à Clemente VII. Bononiæ tunc agente, ſedi Coloſſenſi per obitum Leonardi vacanti præfectus eſt anno 1529. die 24. Auguſti, ut fidem facit hujus Pontificis diploma, quod refert R. P. Bremond, *tom. 4. Bullar. pag. 527.* Deceſſit Januæ anno 1546. menſe Maio. De eo meminere Leander *Deſcritt. d'Italia, fol. 16.* A. Fontana, Cavaler. R. P. Echard. & plures alii.

II.

ECCLESIA NIZERIÆ.

NIZERIA procul dubio eſt *Icaria*, de qua Michael Antonius Baudrand, *geogr. tom. 1. p. 503. col. 1.* hæc ſcribit: «*Icaria*, inſula maris Ægæi Ptolemæo, quæ *Icaros* Plinio & Stephano, nunc vulgo *Nicaria*, ſeu etiam *Nicouri* dicta, ut quidam tradunt, oblonga eſt « & culta, urbeculam habens epiſcopalem ſub archiepiſcopo Rhodio. Sic appellata eſt ob « Icarum, quem volantem ibi deceſſiſſe fabulantur, quum prius *Pergamus* nominaretur, teſte « Pauſania in Bœoticis. Ejus circuitus eſt 40. milliar. circiter, inter Samum inſulam ad ortum « 28. milliar. & Naxum ad oceaſum 60. inter Chium vero ad ſeptentrionem 40. & Pathmum « ad meridiem 25. longius autem à Delo. Olim ſuberat Juſtinianis Genuenſibus Chii inſulæ « dominis; ſed à duobus ſæculis ſub poteſtate Turcarum eſt.»

EPISCOPI NIZERIÆ.

I. Joannes I.
II. Guillelmus I.

WADDINGUS refert, *tom. 4.* ad annum 1353. *num. 6. pag. 33.* eccleſia Nizerienſi in Rhodiorum inſula vacante per obitum *Joannis*, aſſumptum fuiſſe ad ejus regimen ab Innocentio VI. eo anno die 19. Julii *Guillelmum Alboni*, Minoritam, per diploma *Paſtoralis officii*, quod exhibet *ibid. in Regeſt. Pontif. pag. 30.*

III. Guillelmus II.
IV. Thomas.

Ex eodem Waddingo, *ibid.* ad annum 1365. *n. 5. p. 105.* Guillelmo epiſcopo Nizerienſi tranſlato ad Coloſſenſem eccleſiam, in ejus locum ſuffectus eſt ab Urbano V. eo anno die 2. Mart. *Fr. Thomas de Nigroponte*, Minorita. Si *Guillelmum* Waddingus diceret ſui Ordinis fuiſſe alumnum, vel *Fratrem* nuncuparet, eum facile crederem eſſe *Guillelmum* illum *Alboni* ſuperius memoratum; ſed de eo loquitur veluti de extraneo.

V. Guillelmus III.

Guillelmus Capellerii, Eremita Auguſtinian. renuntiatus eſt epiſcopus Niſarienſis (id eſt Nizerienſis) anno 1426. die 30. Auguſti à Martino V. Ita Herrera *Alphabeti Auguſtiniani tom. 1. pag. 296. col. 2.*

VI. Joannes II.

R. P. Bremond profert, *tom. 4. Bullar. pag. 273.* diploma quoddam Julii II. datum anno 1508. die 27. Auguſti, quo *Fr. Joannem* Ord. Præd. promovet ad eccleſiam *Nazarienſem*. Hanc ſedem quæ nullibi reperitur,

Digitized by Google

cenſuit ille fuiſſe vel *Nazareth* in Palæſtina, vel *Naxienſem:* at quia tunc neutra illa eccleſia vacabat, non temere fortaſſis exiſtimaretur *Nazarienſem* hîc legi per amanuenſis errorem A pro *Nizerienſi*, ſubindeque Joannem illum, de quo ſilent ſcriptores Dominicani, fuiſſe eccleſiæ Nizerienſis epiſcopum. Vide ſupra inter Paro-Naxienſes antiſtites, *col. 1005.* B.

III. ECCLESIA MELOS.

MELOS inſula eſt maris Ægæi ſeu Cretici Straboni & Plinio, olim *Zephiria* ab Ariſtotele dicta, & *Mimallis* à Callimacho, nunc *Milo:* fere rotunda eſt, circuitus 60. milliarium, fertilis admodum & culta, portu gaudens capaciſſimo cum tribus caſtris, & urbe ejuſdem nominis, epiſcopali ſub archiepiſcopo Rhodiorum in ejus parte meridionali, cum duplici epiſcopo, Latino nempe & Græco. Diſtat autem 36. milliarib. à Cydonia & Rhitymna urbibus Cretæ in ſeptentrionem, Sunium promontorium Atticæ verſus 90. & 70. à Scyllæo promontorio Peloponneſi in ortum hybernum, eique adjacet ad meridiem inſula parva *Antimilo* dicta, & ad ortum, alia *Cimolos* appellata. Hæc Baudrand, *tom. 1. geogr. p. 644. col. 1.* Epiſcopum Latinum hujus inſulæ archiepiſcopo Paro-Naxienſi parere tradit abbas de Commanville *in Tab. epiſcopatuum totius orbis, pag. 154.* Hi porro Latini præſules iſtius loci ad notitiam noſtram venerunt.

EPISCOPI MELENSES.

I. JACOBUS I.

JACOBUS *Navellus* ſive *Novellus,* Ordinis Prædic. renuntiatus eſt epiſcopus Melenſis, ſive urbis & inſulæ Melos, à Clemente VI. circa annum 1349. Ita poſt Cavalerium, *to. 1. pag. 138. num. 170.* doctiſſimus P. Bremond, *tom. 2. Bullar. p. 241.* Ejus meminit Valerius Moſcheta, Ordinis Præd. *in vita B. Joannis Vicentini,* ejuſdem Ordinis, *num. 33.* apud doctiſſ. Bollandianos, *tom. 1.* Jul. ad diem 2. *pag. 475. col. 1.* B. *Fr. Jacobus Novellus* (Tarviſinus Ordinis Præd.) *epiſcopus Milenenſis claruit 1350.*

II. ALBERTUS.

Albertus de Uſti, ejuſdem Ordinis Præd. dicitur à Fontana *in Theat. Dom. pag. 235. tit. 386.* fuiſſe epiſcopus *Miltonenſis* in Hungaria ſub archiepiſcopo Colocenſi ab Urbano V. renuntiatus an. 1364. ex mſſ. Bzovii. Verum quia epiſcopatum ejuſmodi nominis nec in Hungaria, nec ullibi reperire eſt, fortaſſis legendum cenſet præfatus P. Bremond, *ibid. pag. 702.* epiſcopus *Milonenſis* ſeu *Melonenſis,* id eſt, eccleſiæ *Melos* ſub archiepiſcopo Rhodio, ſæpe *Coloſſenſi* appellato.

III. VITALIS I.

Vitalis de Faventia, Eremita Auguſtinianus, anno 1391. erat epiſcopus Milenſis, quo in regiſtris præfati Ordinis datur ei die 25. Sept. facultas retinendi ſecum continue in capellanum vel ſocium, unum Fratrem ejuſdem Ordinis, eumdemque permutandi, prout libuerit. Ita Herrera *Alphabeti Auguſtiniani tom. 2. pag. 503. col. 2.*

IV. VITALIS II.

Waddingus, *tom. 5.* ad annum 1411. *n. 4.* B *pag. 77.* ſcribit *Fr. Vitalem* ſui Ordinis alumnum, ex Milenenſi eccleſia ad Abienſem ſub Patriarcha Conſtantinopolitano tranſlatum fuiſſe anno 1399. in eaque diem extremum clauſiſſe anno 1411. Is fortaſſis fuerit Vitalis immediate ſupra recenſitus: quo in caſu Auguſtinianus eſſet, non Franciſcanus.

V. HENRICUS.

VI. JOANNES I.

Idem Waddingus, *ibid.* ad annum 1418. *num. 35. pag. 121.* aſſerit, eccleſia Milonenſi in inſula Archipelagi vacante per obitum C *Henrici,* ei datum eſſe *Fr. Joannem de Medicis,* Cretenſem, Minoritam, eo anno à Martino V. die 2. Maii.

VII. GERLACUS.

VIII. JOANNES II.

Gerlaco Milonenſi epiſcopo viam omnis carnis ingreſſo, ſubſtituit præfatus Martinus V. anno 1419. die 27. Novemb. *Fr. Joannem Boteſach,* Ord. Præd. diplomate, *Apoſtolatus officium,* quod profert R. P. Bremond, *to. 2. Bullar. pag. 570.*

D IX. JOANNES III.

X. NICOLAUS.

Fontana *Theat. Domin. pag. 235. tit. 383.* refert *ex lib. Proviſ. Prælat.* Calliſti III. *Joanni* Milenenſi ſive Milenſi epiſcopo mortuo ſuffectum fuiſſe ab eo Pontifice anno 1455. die 21. April. *Fr. Nicolaum Langen,* Ordinis Præd. Joannis hîc ſpecialiter meminimus, quia fortaſſis alius eſt à Joanne præcedenti, quum ab anno 1419. ad finem anni 1455. computentur anni 36.

Digitized by Google

XI. Jacobus II.

XII. Marcus.

Jacobo epiſcopo Melenſi hanc eccleſiam reſignante inter manus Innocentii VIII. anno 1486. die 28. Julii, ad illam iiſdem die & anno promovit Pontifex *Fr. Marcum Stellam*, Ordinis Prædic. Legi poſſunt duo ejus diplomata, unum ad Marcum Stellam, alterum ad archiepiſcopum Naxienſem, tunc temporis metropolitanum, data eodem die 28. Jul. apud doctiſſimum P. Bremond, *tom. 4. Bullar. pag. 78.*

Franciscus *electus*.

XIII. Joannes IV.

XIV. Gregorius.

Franciſcus Rhodius, quum fuiſſet electus epiſcopus Milenenſis ſive Milenſis an. 1541. antequam inauguraretur, eam eccleſiam dimiſit. Huic ſubinde ſubſtitutus eſt à Paulo III. die 4. Februarii (anno, ut videtur, 1542.) *Joannes Petrus Ferettus*, Ravennas, vir eruditiſſimus, ſed in amœnioribus præcipue litteris ſummam apud ſui ævi doctos exiſtimationem conſequutus, & præfato Paulo III. admodum charus: ei eccleſiæ quum præfuiſſet annos quatuor, epiſcopali Romæ ſe muneri ſubſtraxit; ſed anno 1550. coactus eſt præſulatus iterum ſubire onus in ſede Lavellina. Plura ingenii ſui monumenta reliquit manuſcripta, quæ in Vaticana bibliotheca aſſervantur.

Gregorius Caſella ſeu *Caſtagnola*, Ordinis Præd. theologus inſignis, Joanni Petro Feretto ſucceſſit anno 1545. die 6. Novembris.

Hæc de tribus iſtis epiſcopis ſcripſerat Ughellus, *tom. 1. Ital. ſac. vet. edit. col. 1040.* A *nn. 39. 40. & 41. ſub Militenſibus epiſcopis:* verum poſtea in Appendice quæ extat ad calcem *tom. 9. col. 916. lin. ult. & col. 917.* A. ita advertit: «Eadem pagina, inquit, (1040. tom. 1.) nn. 39. 40. & 41. dele omnia quæ « de *Franciſco Rhodio, Joanne Petro Ferretto,* « *& Fr. Gregorio Corella* (Caſella) Dominicano « diximus; quum revera ii tres epiſcopi, non « *Militenſes*, ſed *Milenſes* in inſulis Ægæi maris « fuerint epiſcopi: & nos hallucinati, tum ex « B nominis epiſcopatuum affinitate, cum ex « amanuenſis inſcitia, gratis in *Militenſium* ap- « poſuimus ſerie, quum *Milenſes* fuiſſent.» Seſſioni VIII. concilii Tridentini anno 1547. die 11. Martii ſubſcripſere *Joannes Petrus Ferretus* & *Gregorius Caſtagnola*, uterque ut *epiſcopus Milenſis, tom. XIV. conciliorum Labb. col. 786.* C. D.

XV. Antonius.

C Leo Allatius, *lib. 3. de utriuſque eccleſiæ conſenſ. cap. 12. col. 1057.* teſtatur ſuo tempore, id eſt, ante annum 1648. quo tractatus iſte editus eſt, epiſcopum Latinum Melenſem in ea inſula degentem fuiſſe *Antonium Serram*, Chio oriundum. Is probabiliter ille eſt, qui, tacito nomine, refertur conſecratus Romæ die 28. Septembris à D. Cardinali Pallotta in templo S. Silveſtri anno 1642. epiſcopus Milenſis (Millo) in nunciis publicis hujus anni D Gallicè ſcriptis, *pag. 1061.*

XVI. ***

In nunciis Bruxellenſibus anni 1658. Gallicè pariter ſcriptis, fit mentio, *p. 451. epiſcopi Milenſis*, ſuppreſſo ejus nomine, quem Turcæ interfecerunt eo anno. Fortaſſis alius eſt à præcedenti.

IV. ECCLESIA SCARPATENSIS.

Carpathus, inſula Aſiæ minoris in mari Ægæo Straboni & Plinio, vulgo *Scarpanto* appellatur, Sophiano teſte & aliis, eſtque inter Rhodum inſulam ad ortum 50. milliar. & Cretam ad occaſum 60. milliar. Aſiæ minori & Cariæ propior: ejus circuitus eſt 50. milliar. Oppidum habuit *Poſidium*, nunc *Scarpanto* dictum, caſtrum tenue cum portu *Porto Triſtano* nuncupato in ora orientali. Ibi commoratur epiſcopus Græcus. Hæc Baudrand, *tom. 1. pag. 234. col. 1.* Aliquot præſules Latini ritus ei præfecti fuere.

EPISCOPI SCARPATENSES.

I. Nicolaus I.

II. Nicolaus II.

Waddingus, *tom. 3.* ad annum 1326. *n. 10. pag. 339.* refert Scarpatenſi eccleſiæ in Græcia ſub Patriarcha Conſtantinopolitano vacanti per obitum cujuſdam *Nicolai* Venetiis defuncti, datum eſſe in epiſcopum à Joanne E XXII. eo anno die 26. Maii *Fr. Nicolaum de Machilona*, Minoritam, diplomate, *Summi diſpoſitione*, quod ipſe exhibet *ibid. in Regeſt. Pontif. pag. 167.*

III. Nicolaus III.

Nicolaus Sorbolus, Venetus, Ord. Carmel. epiſcopus Scarpatenſis, obiit anno 1368.

Digitized by Google

ECCLESIA SCARPATENSIS.

die 25. Sept. ex P. Daniele à V. M. ejuſdem Ordinis *Spec. Carmel. to. 2. p. 945. n. 3325.*

IV. Nicolaus IV.

Nicolaus Abrahæ, Ord. Præd. recenſetur in mſſ. Bzovianis renuntiatus epiſcopus hujus eccleſiæ à Bonifacio IX. die 19. Novembris anni 1400. Ita Fontana *Theat. Dom. p. 292. tit. 535.*

V. ECCLESIÆ TENI & MYCONI.

Bonifacius IX. eccleſias *Thinnarum* & *Michimarum*, ut ipſe eas appellat, jam fuiſſe unitas anno 1400. teſtatur in diplomate, *Dudum ſiquidem*, eo anno dato die 31. Martii, apud R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. Ordinis Præd. pag. 394.* Hæ autem Cycladum duæ inſulæ ſunt, de quibus ſeorſim Mich. Antonius Baudrand ita loquitur: « *Tenos* inſula eſt » maris Ægæi, inquit, *tom. 2. pag. 299. col. 1.* & una Cycladum Ptolemæo, ab Ariſtotele » *Hydruſſa* dicta ob aquarum copiam, teſte Plinio, (qui etiam appellari ait ab aliquibus » *Ophiuſſam*) nunc *Tine* à Sophiano, & ab aliis omnibus. Extenditur ad 15. milliar. Circuitus » vero ejus eſt 35. cum oppidulo & arce permunita in monte excelſo, ſub dominio Reipublicæ » Venetæ à tribus ſæculis, quum omnes aliæ illarum partium (inſulæ) Turcis ſubſint. Epi» ſcopum habet ritus Latini, eſtque Andro proxima ad 7. milliar. 18. à Scyro, & 12. à Mycono inſula in ſeptentrionem, uti à Delo. Ejus meminit Ovidius, *lib. 7. Metamorph.* »

De *Mycono* vero ait, *tom. 1. pag. 687.* « *Myconos*, inſula maris Ægæi una Cycladum » Ptolemæo & Plinio, quæ *Mycone* Virgilio, nunc *Micone* dicta, prope Tenon inſulam, teſte » Sophiano. Circuitus ejus eſt 30. milliar. cum oppido & duplici portu ſub dominio Turcarum » ab uno ſæculo & ultra, quum antea Venetis obtemperaret. 4. milliar. diſtat à Delo, & inter » utramque ineſt ſcopulus *Tragoniſi* dictus ab incolis, & *Dragonera* Italis. Vix 5. milliaribus à Teno diſſita eſt in ortum. » Hæc, inquam, Baudrand. Eccleſiam Thinienſem ſub Naxiam & ſub Rhodum, ut ſuffraganeam utriuſque, diverſis temporibus reponit abbas de Commanville *in ſua ſerie epiſcopat. pp. 104. & 235.* ſed nunc Naxiæ ſubjectam monet, *ibid. pag. 232.*

EPISCOPI TENI & MYCONI.

I. Joannes.

II. Marcus I. *electus*.

III. Jacobus I.

Ex diplomate Bonifacii IX. dato an. 1400. die 31. Mart. quod exhibet doctiſſimus P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pag. 394.* diſcimus, quodam *Joanne epiſcopo Tynnarum & Michimarum eccleſiarum invicem canonicè unitarum defuncto*, renuntiatum fuiſſe ab eo Papa *Fr. Marcum de Palmerio*, Ord. Præd. hujus ſedis præſulem. Quum vero Marcus iſte litteras apoſtolicas ſuper hac proviſione infra tempus debitum expediri neglexiſſet, ipſi *Fr. Jacobum Gudrigetti de Lavazola*, ejuſdem Ord. Præd. ab eodem Pontifice fuiſſe ſubſtitutum.

IV. Antonius.

Waddingus, *tom. 5.* ad annum 1418. *num. 35. pag. 121.* & ad annum 1428. *n. 3. pag. 197.* ſcribit *Fr. Antonium Tiburtinum*, Minoritam, creatum fuiſſe à Martino V. anno 1418. die 11. Auguſti epiſcopum Thienenſem & Michonenſem, poſtea vero ab eodem Papa tranſlatum eſſe anno 1428. die 21. Maii ad eccleſiam Civitatis novæ in Iſtria ſub Patriarcha Aquileienſi. Diploma profert poſtremæ promotionis *in Reg. Pontif. pag. 160.*

V. Jacobus II.

In modo laudato diplomate Martini V. declaratur, eccleſia Thinarum & Michonarum vacante per tranſlationem Antonii ad ſedem Civitatis novæ, *Fr. Jacobum*, Venetum, ejuſdem Ordinis Min. huic eccleſiæ præfici eo anno 1428. die 21. Maii. Obiit anno 1430.

VI. Marcus II.

Præfato Jacobo defuncto ſucceſſit anno 1430. *Fr. Marcus Schiavus de Candia*, ejuſdem Ordinis Min. ex diplomate Martini V. *Dum ad univerſas*, dato eo anno die 25. Oct. quod citat Waddingus, *to. 5.* ad illum annum, *num. 32. pag. 225.* & tranſcribit *ibid. in Reg. Pontif. pag. 184.*

Digitized by Google

VI. ECCLESIA CHII.

MICHAEL Anton. Baudrand, *to. 1. geogr. pag. 266. col. 1.* hæc ſcribit de inſula Chio: « *Chios* & *Chius* Straboni & Plinio, *Scio* nunc, ſeu etiam *Chio*, à Turcis *Sakizadaſi* (appellatur,) id eſt, inſula maſtices, inſula eſt Aſiæ in mari Ægæo & Icario, Ioniæ fere « adjacens, ab Argeno promontorio vix 12. mill. paſſ. recedens in occaſum. Circuitus (ejus) « eſt 100. milliar. Diſtat (vero) 45. milliar. à Samo inſula in ſeptentrionem, Leſbum verſus « totidem. Dividitur in duas partes, nempe in ſuperiorem ſeu Apanomeream, & inferiorem « ſeu Catomeream: tota fere montuoſa eſt: urbem habet cognominem in ora orientali inſulæ « ex adverſo Ioniæ, cum portu capaci & tuto, & arce munita. Suberat antea dominio Juſti- « nianorum Genuenſium ex dono Andronici Palæologi Imperatoris Conſtantinopolitani (qui « regnare cœpit anno 1283.) ſed à Turcis occupata contra fidem anno 1565. ipſis etiamnum « paret..... Aliàs erat epiſcopalis ſub archiepiſcopo Rhodienſi; poſtea metropolis effecta, « archiepiſcopatum habet Græci ritus cum 200. eccleſiis, & epiſcopum Latinum cum 30. « eccleſiis. Incolæ hujus inſulæ ſunt fere omnes Chriſtiani, & in ea (numerantur) 60. caſtra « ſeu vici.» Epiſcopum Latini ritus ſubeſſe Naxienſi metropoli ait abbas de Commanville *in Tabul. epiſcopatuum, pag. 69.*

EPISCOPI CHII.

I. MANFREDUS.

ANno 1363. Chienſis epiſcopus ſedebat *Manfredus* Ordinis Minor. cui Urbanus V. conceſſit eo anno, ut duos ſodalitii ſui fratres apud ſe teneret; eidem quoque illo anno, ſimulque archiepiſcopis Coloſſenſi ſive Rhodio & Smyrnenſi injunxit, ut quæcumque Fr. Petro de Fano, Minoritæ, ablata fuerant in urbe Smyrnenſi, ipſi reſtitui ſatagerent. De quibus legendus Waddingus, *tom. 4. annal. num. 18. pag. 83.* & rurſus *in Regeſt. Pontif. pag. 80.*

II. JOANNES I.

Joannes Baptitus, neſcio cujus Ordinis religioſi alumnus, epiſcopus Chienſis, pacta conventa inivit anno 1391. die 24. Maii cum Juſtinianis, tunc hujus inſulæ dominis, quibus cautum erat ut è trecentis florenis ſibi antea aſſignatis, ducentos tantum reciperet in futurum, & de reſiduis centum, quinquaginta quidem expenderentur in eccleſiæ reſtaurationem, quinquaginta vero uni vicario & uni capellano ſolverentur. *Scio ſacra pag. 31.*

III. CAROLUS.

Joannis hujus ſucceſſor fuit *Carolus Juſtinianus*, Januenſis, patre Franciſco Juſtiniani Januenſi Comite Palatino, & Reipublicæ Januenſis apud Sigiſmundum Imperatorem quondam oratore, & matre Theodora Leonardi Montaldi Januenſis Reipublicæ Ducis filia ortus. Is quum ſexdecim annos numeraret, electus eſt epiſcopus Chienſis à Bonifacio Papa, qui etiam cum illo de ætate diſpenſavit. Verum non multo poſt junior præſulatum dimiſit. *Scio ſacra pag. 38.*

IV. THOMAS.

In Caroli locum ſuffectus eſt *Thomas Palavicinus*, Patricius Januenſis, *ibid. pag. 39.*

V. LEONARDUS.

Anno 1409. ſynodo Piſanæ interfuit *Leonardus Palavicinus*, epiſcopus Chienſis, qui obiit anno 1421. *ibid.*

VI. ANTONIUS I.

Leonardum excepit *Antonius* de eadem Palavicina domo, qui exiguo tempore eccleſiam Chienſem adminiſtravit, ut modo palam fiet. *Scio ſacra pag. 39.*

VII. LUDOVICUS.

Anno 1423. ſedebat *Ludovicus*, Eremita Auguſtin. cui generalis ejuſdem Prior conceſſit eo anno die 26. Sept. & rurſus die 28. Febr. anno 1434. ut poſſet tenere tres fratres ſacerdotes in eccleſia epiſcopatus ſui, juxta facultatem quam à ſede apoſtolica obtinuerat. Is Fr. Angelum de Alexandria vicarium ſuum inſtituerat, ſed illum ab hoc officio removit Prior generalis anno 1426. die 12. Martii, quod fratres Prædicatores indigne vexaret. Ita Thomas de Herrera *Alphab. Auguſtiniani to. 2. pp. 13. & 14.* Huic epiſcopo epiſtolam ſcripſit anno 1427. die 2. Mart. Martinus V. pro Fr. Franciſco de Spinola, Minorita, quam refert Waddingus, *tom. 5. in Regeſt. Pontif. pag. 142.*

VIII. ANTONIUS II.
IX. HIERONYMUS I.

Eccleſia Chienſi vacante per obitum *Antonii*, *Fr. Hieronymus de Camulio*, Ordinis

ECCLESIA CHII.

Min. ei præfectus eſt anno 1470. die ultima Decembris. Idem Waddingus, *to. 6.* ad eum annum, *num. 8. pag. 708.*

X. PAULUS I.

Paulus de Monelia ſive *Moneglia,* è Juſtinianorum Januenſium ſtirpe *de Moneglia* dictorum oriundus, patre Pellegro hujus Reipublicæ aliquando apud Mediolanenſem Ducem legato & oratore, natus anno 1444. Ordinem Prædic. amplexus eſt anno 1463. Hunc Innocentius VIII. ſacri Palatii magiſtrum conſtituit anno 1490. & Alexander VI. epiſcopum Chienſem renuntiavit anno 1499. die 1. Febr. atque mox in Hungariam miſit nuntium apoſtolicum, quo in munere Budæ obiit anno 1502. Ita R. P. Echard. *to. 2. Scriptorum Ord. Præd. pp. 3. & 4.* qui addit relicta ferri ab eo *in ſacra biblia,* vel *univerſa,* vel *plura ſaltem, erudita commentaria,* ſed quæ ubi ſerventur nemo prodit. Ejus meminere abbas Juſtinianus *in Scio ſac. p. 90.* Fontana *Theat. Dom. pag. 167. tit. 167.* & R. P. Bremond, *tom. 4. Bullar. pag. 207.*

XI. BENEDICTUS I.

Ex actis conſiſtorialibus Alexandri VI. ad Chienſem ſedem per obitum Pauli vacantem promotum eſſe eodem anno 1502. *Benedictum* conſtare ſcribit præfatus P. Echard. *pag. 4. col. 1.* Erat Cardinalis Laurentii de Mari archiepiſcopi Beneventani nepos: interfuit concilio Lateranenſi, tum ſub Julio II. anno 1512. tum etiam ſub Leone X. annis 1514. & 1515. Ejus ſubſcriptio legitur, *tom. 14. conc. Labb. coll. 29.* A. *206.* C. *&* *281.* B. Obiit anno 1533. *Scio ſacra p. 97.*

XII. HIERONYMUS II.

Waddingus ad annum 1534. *to. 8. n. 77. pag. 581.* refert ad epiſcopatum Chienſem in Archipelago ſub archiepiſcopo Coloſſenſi ſive Rhodio evectum fuiſſe à Clemente VII. eo anno die 14. Jan. *Fr. Hieronymum Viginum,* Minoritam, ſacræ theologiæ magiſtrum.

XIII. PAULUS II.

Paulus, de Fieſcorum gente, Patricius Januenſis, à Julio III. anno 1550. die 21. Jun. renuntiatus eſt epiſcopus Chienſis. *Scio ſac. pag. 110.*

XIV. TIMOTHEUS.

Timotheus Juſtinianus, Ord. Præd. de quo jam ſupra dictum eſt inter epiſcopos Calamonenſes ſub Cretenſi metropoli, *col. 922.* D. ex ea Calamonenſi ſede ad Chienſem tranſlatus eſt à Pio IV. anno 1564. die 10. April. Concilio Tridentino ſub eodem Pontifice

A interfuit, eoque terminato, ad ſuam eccleſiam ſe contulit, quam dum eximiæ pietatis laude regeret, contigit hujus inſulæ expugnatio à Turcis anno 1565. Uno autem ex illis ſacram Pixidem in S. Petri æde profanis manibus arripiente, ut, projectis hoſtiis, eas pedibus conculcaret, procidit coram illo pius antiſtes, rogans ut ſibi prius vitam adimeret, quam pretioſum Chriſti Domini corpus tanta injuria affici cerneret: quibus verbis permotus barbarus, à propoſito deſtitit. Sua ſic ſede deturbatus Timotheus, Romam petiit, quem B humaniſſime ſuſcipiens SS. Papa Pius V. ad Strongulenſem eccleſiam in Italia promovit anno 1568. die 5. April. ubi quarto ſui regiminis anno, Chriſti 1571. deceſſit. Hæc Fontana *Theat. Dom. pag. 168. tit. 167. ex Actis Conſiſtorial.* Pii V. & *ex Regeſt. Cancell. apoſt.* Laudat etiam Ughellum, *tom. 9. Ital. ſac. in Strongulenſibus epiſcopis,* & abbatem Juſtinianum *in ſua Scio ſacra.*

XV. BENEDICTUS II.

Anno 1579. die 30. Jan. à Gregorio XIII. C Chienſis epiſcopus creatus eſt *Benedictus Garettus,* Chienſis, qui Chriſtianis Latini ritus in ea inſula provideret. Obiit anno 1597. Illius meminere abbas Juſtinianus *in Scio ſac.* & Allatius, *lib. 3. de conſenſ. c. 10. col. 1060.*

XVI. HIERONYMUS III.

Hieronymus Juſtinianus, Chienſis, Ordinis Præd. anno 1597. epiſcopus Chienſis renuntiatus à Clemente VIII. quum aliquot annos ſuam eccleſiam adminiſtraſſet, podagra ſupra modum laborans, eam dimiſit circa annum D 1604. ſeſeque recepit in conventum S. Catharinæ de Formello Neapoli, cujus erat filius. Obiit in caſtro Grottariæ in Calabria an. 1618. Fontana, *ibid.* ubi citat abbatem Juſtinianum *in Scio ſac.* & Mich. Pio, *part. 2. lib. 4.*

XVII. MARCUS.

Hieronymo Juſtiniano ſubſtitutus eſt ab eodem Papa Clemente VIII. anno 1604. die 31. Maii, ad petitionem Cardinalis Juſtiniani, *Fr. Marcus Juſtinianus Maſſonus* de Chio, Ordinis Præd. provinciæ Lombardiæ. E Is eccleſiæ Chienſi præfuit uſque ad annum 1640. Deceſſit prope centenarius, relicta ex licentia ſummi Pontificis fratribus ſuis Chienſibus bibliotheca libris plurimis referta. Abbas Juſtinianus, Michael Pio, & Fontana ſupra citati. De eo hæc ſcribit Allatius, *lib. 3. de conſenſ. cap. 3. num. 4. col. 1059.* « Vidi ipſe Chii Marcum Juſtinianum Latinorum « epiſcopum, in monaſterio monachorum « Græcorum... præſentibus monachis Græcis « cum eorum Hegumeno (abbate) & opem «

Digitized by Google

» ferentibus, in medio majoris eccleſiæ ante A » imaginem Virginis, à qua nomen monaſterio » eſt, de novo erecto altari portatili, ſacrum » ſolemni Latinorum ritu celebraſſe, poſtmodum Græcos ibidem ſua officia proſequutos, &c.»

XVIII. Andreas.

Andreas Sophianus, Chienſis, ex eccleſia Santerini ad Chienſem ſuam patriam tranſlatus eſt ab Urbano VIII. anno 1641. Hunc Allat. *lib. 3. de conſenſ. c. 10. n. 3. col. 1057.* teſtatur Chii ſedentem, dum librum illum ipſe ſcriberet, qui fuit editus anno 1648. De eo pariter mentionem facit abbas Juſtinianus *in Scio ſacra.*

XIX. ***

XX. *** *coadjutor.*

In commentariis qui inſerti habentur nunciis publicis Gallicè ſcriptis per annum 1674. legimus, *pag. 76.* Comitem de Nointel chriſtianiſſimi regis Ludovici XIV. legatum, poſt renovata pacta cum aula Turcica, in inſulam Chio iviſſe, ubi ab *epiſcopo Latino,* ab ejuſdem *coadjutore,* qui veriſimiliter illi poſtea ſucceſſit, à clero, à religioſis cœtibus, & ab urbis proceribus perhonorifice exceptus eſt menſe Octob. anni præcedentis 1673.

XXI. Bellarini *ſive* Balsarini.

Ante annum 1698. *Bellarini* iſte ſive *Balſarini* præſul fuerat *Chienſis,* ut refertur in nunciis Gallicis anni 1699. *pag. 7.* Is fortaſſis alius fuit à *coadjutore* illo de quo ſupra. Anno autem 1698. renuntiatus eſt Bellarini archiepiſcopus Corinthi. Ex iiſdem nunciis.

B

XXII. Avestrelli.

Anno 1720. die 30. Sept. proclamatus eſt à Cardinali Barberino pro epiſcopatu Chienſi in Archipelago, coram SS. Papa Clemente XI. conſiſtorium habente, *D. Aveſtrelli,* ut refertur in nunciis Gallicis hujus anni, *p. 524.*

Eccleſiam *Andrenſem* ſive inſulæ *Andros* unius Cycladarum jam recenſuimus, *coll. 859. 860.* ſub Athenienſi metropoli, cui hanc Innocentius III. inter plures alias, ſuffraganeam aſſignavit epiſt. 256. lib. XI. anno 1208.

[M]onitum Eccleſia [Chi]enſi.

LEO Allatius, *lib. 3. de utriuſque eccleſiæ conſenſ. edit. Colonienſis 1648. cap. 10. col. 1059. num. 4.* nonnulla refert de Græcis Chienſibus, exeunte ſæculo decimo ſexto, & ſequenti medio, quæ lectori fortaſſis ſcitu non indigna videbuntur. «Græci etiam ipſi, inquit, ut plurimum, in iiſdem regionibus Latini nominis amantiſſimi, quæ Latinorum ſunt fovent, « & animo deoſculantur, ſummique Romani Pontificis majeſtatem venerantur, & promiſcue « cum Latinis, quemadmodum Latini cum Græcis, in eccleſiis utriuſque ritus ſacra audiunt, « officia celebrant, neque à mutuis matrimoniis abhorrent. Vidi ipſe Chii Marcum Juſtinianum « (de quo nos *p. præced. col. 1064.* D. E.) Latinorum epiſcopum, in monaſterio monachorum « Græcorum.... ſacrum ſolemni Latinorum ritu celebraſſe; poſtmodum Græcos ibidem ſua « officia proſecutos: (deinde) meridie in cella Hegumeni epiſcopum, Hegumenum, & ſpectatiſſimos atque honeſtiſſimos monachos, preces prius Latinè effundente epiſcopo, convivatos. « A prandio exorarunt epiſcopum, ut ſummo Pontifici, quando jam ille non multo poſt « Romam petiturus eſſet, monaſterium commendaret, animum monachorum, tantæ dignitatis « obſervantiſſimum, exponeret, excommunicationemque impetraret contra rerum monaſterii « occupatores, qui Latini omnino non ſunt, ſed Græci: Græcis enim eorum adminiſtratio « committitur. Quare eam non à ſuo Patriarcha, quando cum Græcis res erat, procurarunt? «

Timentne igitur Græci diras Pontificis Romani? Maxime vero. Et ut rem certiſſimam certiſſimo quoque exemplo firmem, ſolent mercaturæ gratia in eamdem inſulam (Chium) plures « è Calvini hæreſi appellere. Quidam ex iis, negotiis ita ferentibus, cum cive Chio (nomini « parco, ne ea familia diffametur,) familiaritatem contraxit. Quum ſæpe loquuntur inter « epulas etiam bene poti, de auctoritate ſummi Pontificis & concilii Tridentini ſermo factus « eſt. Eam Calviniſta miro verborum apparatu deprimere (cœpit.) Res non diſplicuit civi; & « in forum progreſſus, quæ audierat optime edoctus, palam inter alios civitatis principes viros « eloquitur. Cives primum admirati, deinde bile mota, in eum verbis & factis obloquuntur. « Quidam, qui inter ipſos ſcientior erat, elata voce: Calvinus (Calvinianus) es, clamat, & « Calvini nobis dogmata pandis. Nec mortuis verba fecit; ſtatim enim per totam urbem rumor « increbreſcit, talem Calvinum eſſe, & Calvinum ab omnibus appellari. Omnes tum cives, « etiam mulieres, & ex infima plebe potior pars, hominis commercium refugiunt, & cujus « familiaritatem execrantur, aſpectum non ſuſtinent. Afflictatur interim ille infortunio, quum « nullum ullius ſortis hominem, etiam prægrandi oblata pecunia, conducere poſſet. Quare & « campi & vineæ incultæ mœrebant, & domeſticus cultus imminuebatur, quum non eſſet qui « operam præſtare vellet, tantum erat omnibus Calvini nomen exoſum. Quum obſiſtere malo « non valeret, in ſummum diſcrimen adductus, ad epiſcopum Latinum (erat is Benedictus «

Digitized by Google

ECCLESIA CHII. » Garettus, *col. 1064.* C.) accurrit, qui, ne aliis ſimilia in inſula attentandi anſa daretur, dixit » cum excommunicatum eſſe, non poſſe ſe, niſi prævia pœna, abſolvere. Offert ſe ad pœnam » libens. Hinc epiſcopus, die dominico, quum omnis Latinorum populus in eccleſiam ad » ſacrum.... audiendum venit, jubet eum extra portas eccleſiæ, genuflexum, & cervice curvata, » caput in corbem paleis aliiſque pabulis armentorum plenum, inclinare: frænum ori ad- » aptaverat, cujus lora per cervices in humeros defluebant. Ita vir iſte, ſane vir, qui tantæ » poteſtatis rigore non eſt perterritus, per totum ſacrum ſolemne, omnibus aſpectantibus & » admirantibus, nonnullis etiam parum æquis dicteriis ipſum inceſſentibus, immotus perſtitit. » Abſoluto ſacro, Pontifex, uti moris eſt, abſolvit, & dum ille delicti pœnitentiam poſcit, Pon- » tifex in lacrymas effuſus: Sat, ait, te pœnituit; ſat pœnarum datum eſt, ac laudatum coram » omnibus dimiſit.... Quotidie cernimus eoſdem Græcos, filios ſuos Romam, & in alias La- » tinorum provincias, non ſine ſumptu mittere; tantum ut litteris imbuantur, & doctrinam » veram hauriant: qui poſtea perdocti, & in Græciam reverſi, maxima apud omnes ſunt in » exiſtimatione; quibus à Græcis epiſcopis facultas fit ut, quam didicerunt doctrinam, alios » doceant, & palam populo annuntient. Quod aliter fit de iis qui in Angliam, aut alium de » hæreſi ſuſpectum locum profecti, inſtituti ſunt: illi enim, uti ſuſpecti ſemper rejiciuntur, » neque ſimilibus muneribus præficiuntur. Taceo ſodalitates & confraternitates, in quibus » certatim Græci & Latini conveniunt, quum tantum à Latinis inſtitutæ ſint, & ab illis re- » gantur, & exercitationibus, quibus Romana eccleſia ſuos ſolet exercere, delectentur; iis (vero) ſaniores redditi, ſchiſma & hæreſim deponunt.» Huc uſque Leo Allatius.

PROVINCIA SARDIUM.

I. ECCLESIA SARDIUM METROPOLIS.

SARDIS, urbs Lydiæ in Aſia minori Plinio, quæ *Sardes* Straboni, Xenophonti & aliis, olim regia Crœſi Lydorum regis, archiepiſcopalis fuit, cui plurimæ eccleſiæ ſuffraganeæ erant. Hanc *Tarnam* eſſe Homeri nonnulli exiſtimant, nunc exciſa jacet, & in vicum redacta, qui *Sardo* appellatur, cum caſtro antiquo, & aliquot antiquitatis veſtigiis ad Tmolum montem, unde Pactolus fluvius auri ramentis celebris defluens, illam interluit. Thyatira 36. milliar. & Philadelphia 26. diſtat. Ita Mich. Anton. Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 202. col. 2. Sardeis* aut *Sardes* plurali numero nuncupatur vulgo à Latinis, fuitque una de ſeptem eccleſiis quarum meminit Joannes Apoſtolus, *Apocal. cap. 3.* In notitiis Græcorum epiſcopatuum ad calcem Codini *de Officiis,* metropolis eſt Lydiæ, & ſextum locum occupat, *pp. 336. 365. & 379.* Επαρχίας Λυδίας ὁ Σαρδέων ς'. *In provincia Lydiæ, Sardium VI.* eique aſſignantur 27. ſedes ſuffraganeæ. *pp. 341. 342. 369. 370. & 384.*

ARCHIEPISCOPI SARDIUM.

I. JACOBUS.

II. FRANCISCUS.

JACOBO ex eccleſia Sardenſi tranſlato ad À Giſarclen (neſcio in qua regione) ad Sardenſem promotus eſt *Fr. Franciſcus de Domooſſole,* Ord. Min. anno 1396. die 13. Sept. Ita Wadding. *t. 4.* ad eum annum, *n. 2. p. 310.*

II. ECCLESIA TRIPOLIS.

TRIPOLIS iſta urbs eſt Aſiæ minoris ad Meandrum fluvium. Ex Baudrand, *tom. 2. pag. 335. col. 2.* In provincia Lydiæ ſub metropoli Sardium legitur ad calcem Codini *de Officiis, pp. 341. 370. & 384.* ὁ Τριπόλεως *Tripolis.* Nonnullos epiſcopos invenio Latini ritus ipſi adſcriptos.

Digitized by Google

EPISCOPI TRIPOLIS.

ECCLESIA TRIPOLIS.

I. Martinus.

DANIEL à V. M. *tom. 2. Specul. Carmel. pag. 943. num. 3315.* ſcribit *Fr. Martinum de Soto-Majori,* Carmelitam, electum eſſe epiſcopum Tripolitanum titularem in provincia Philippenſi ſub Patriarcha Conſtantinopolitano IX. kal. Octobris (id eſt die 23. Septemb.) anno 1440. *Ex Actis Conſiſtorial.* Eugenii IV. Quum in notit. Græc. epiſcopat. A nulla *Tripolis* extet in provincia Philippenſi, ſed in provincia Lydiæ, ut dictum eſt, de ea Tripoli hîc ſermo eſſe videtur.

II. Bartholomæus.

Ex Waddingo, *tom. 7.* ad annum 1479. *num. 16. p. 70. Fr. Bartholomæus de Giſulfis,* Minorita, eo anno die 10. Decemb. promotus eſt à Sixto IV. ad eccleſiam Tripolitanam in Lydia ſub archiepiſcopo Sardæorum.

PROVINCIA SEBASTES.

I. ECCLESIA SEBASTES METROPOLIS.

SEBASTE, olim *Cabira* in neutro plurali, in Mithridatico bello plurimum celebratur. Hæc eſt, inquit Cellarius, *tom. 2. geogr. antiq. lib. 3. pag. 332.* illa *Sebaſte* Armeniæ in Martyrologiis V. idus Jan. III. Non. Febr. & VII. idus Mart. laudatæ (quæ ſic dicitur) quia in Armeniæ finibus, minoris videlicet, poſita eſt. Eam Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 218. col. 1. Sebaſtiam* nominat, aitque urbem eſſe Aſiæ minoris in Cappadocia Plinio & Ptolemæo in Colopena tractu, quæ *Sebaſte* Antonino, nunc *Sauſtia* dicta, teſte Caſtaldo, prope montem Argæum, & archiepiſcopalem ſedem eſſe, cui Sebaſtopolis ſubeſt, à qua 70. milliar. recedit in ortum, & 80. à Setala in meridiem Cæſaream Mazæam verſus 90. circiter. Alia eſt *Sebaſte* in Palæſtina ſub Cæſarea metropoli, & alia in Cilicia ſub Tharſo.

In notitiis Græcor. epiſcopat. ad calcem Codini *de Officiis, Sebaſtea,* de qua hîc agimus, caput eſt Armeniæ primæ, & inter metropoles locum XI. ſervat: ὁ Σεβαςείας. *pp. 338. 343. 366. 372. 379. & 385.*

ARCHIEPISCOPI SEBASTES.

I. * * *

ANno 1210. ſedebat præſul quidam *Sebaſtienſis,* de quo Innocentius III. epiſtola 40. lib. XIII. *Heraclienſi archiepiſcopo, & Cardicenſi & Fermopilenſi epiſcopis* data eo anno die 30. Mart. *to. 2. edit. Baluz. p. 424. col. 2.* hæc ait: « Quum dilectus filius Benedictus, &c. » tunc apoſtolicæ ſedis legatus, *Sebaſtienſi* epiſcopo, ſalvo mandato noſtro, cuſtodiam monaſteriorum Montis ſancti (ſcilicet Montis Athos, ſic dicti ob multitudinem cœnobiorum ibi conditorum) quæ ad ſedem apoſtolicam immediate pertinere dicuntur, duxerit committendam, & ipſe illa multipliciter aggravarit, eaſque committat enormitates, quæ non ſunt dignæ relatu, fraternitati veſtræ, &c. mandamus, quatenus ipſum à cuſtodia monaſteriorum ipſorum penitus amoventes, &c. » Jubet itaque Pontifex, ut ei alius in illa monaſteriorum cura, aſſumpto Imperatricis Mariæ, Bonifacii marchionis Montisferrati B & regis Theſſalonicæ viduæ conſilio, ſubſtituatur.

II. Joannes I.

III. Everardus.

Waddingus, *to. 5. annal.* ad annum 1412. *num. 2. pag. 78.* refert, eccleſia Sebaſtenſi in Armenia ſub Patriarcha Conſtantinopolitano vacante per obitum *Joannis,* ei præpoſitum fuiſſe à Joanne XXIII. eo anno die 17. Martii *Fr. Everardum,* ſui Ordinis alumnum.

IV. Joannes II.

C Everardo fortaſſis ſucceſſit *Fr. Joannes de S. Facundo,* ejuſdem Ordinis Minor. quem præfatus Waddingus, *ibid.* ad annum 1425. *num. 7. pag. 166.* ſcribit ad *Sebaſtenenſem* eccleſiam in Armenia à Martino V. eo anno die 25. Maii fuiſſe evectum.

V. Martinus.

VI. Henricus.

Idem Waddingus, *tom. 2.* ad annum 1292.

Digitized by Google

ECCLESIA SEBASTES. *n.28.p.236.* agens de cœnobio Leonano ſive Lunano ſui Ordinis, Feretrinæ diœceſis in ducatu Urbini, hæc ait: «Primum fratrum » habitaculum erat extra oppidum, ſed tranſ- » latum eſt ad interiora oppidi anno 1362. In » hoc recentiori floruerunt.... magiſter Mar- » tinus Madronius epiſcopus Sebaſtenſis, magiſter, &c.» Nullibi indicat Waddingus, ſaltem quod in annalibus ejus repererim, vel quandonam poſt eum annum 1362. vixerit Martinus iſte, vel cujuſnam Sebaſteæ præſul fuerit, an quæ in Palæſtina, an quæ in Armenia, aut in Cilicia. Fortaſſis *Martinus* ille fuerit, per cujus obitum, *ex Actis Conſiſtorialibus* Eugenii IV. anno 1436. *Fr. Henricum*, Eremitam Auguſtinianum, diœceſis Caminenſis, inſtitutum fuiſſe epiſcopum *Sebaſtenſem* refert Thomas Herrera *Alphab. Auguſtinian. tom. 1. pag. 343. col. 1.*

Hunc autem Henricum ſcribit Thomas de Herrera, cognominatum *Woggherſin* ſive *Wugherſin*, filium conventus Tanglinienſis provinciæ Saxoniæ, electum eſſe 1435. epiſcopum Sebaſtenum, & de eo legi in Regiſtris Ordinis eo anno ad diem 14. Decemb. *Dedimus licentiam Fr. Henrico Wugherſin, ut poſſit aſſumere dignitatem epiſcopalem.* Et die 25. Jun. anno 1436. *Conceſſimus D. Henrico Wugherſin Ord. FF. Eremit. &c. Dei gratia epiſcopo Sebaſtenſi, ut poſſit tenere F. Henricum Fabri, ſui conventus Tanglinienſis.*

VII. Georgius.

Jam laudatus Waddingus, *tom. 6.* ad annum 1459. *n. 33. p. 451.* teſtatur occurrere mentionem eo anno ſub XIV. kal. Jul. (id eſt die 18. Jun.) *in Regeſto* Pii II. de *Fr. Georgio*, Minorita, olim theologiæ profeſſore, *epiſcopo Sebaſteno.* Verum non indicat, ſicut nec Herrera de Henrico, cujuſnam Sebaſteæ illi fuerint præſules.

II. ECCLESIA SEBASTOPOLIS.

De Sebaſtopoli hæc ſcribit Michael Antonius Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 218. col. 1.* «*Sebaſtopolis*, urbs Cappadociæ in Aſia minori Plinio, epiſcopalis ſub archiepiſcopo » Sebaſtenſi, nunc *Suvas* dicta à Caſtaldo, hodieque ampla & præclara, in qua ſedes præfecti » Turcarum in Amaſia regione in mediterraneis, & vix 50. milliar. ab Amaſia urbe in ortum hybernum.» In notitiis ſupra laudatis, ubi de Sebaſte verba egimus, Sebaſtopolis prima ſuffraganea hujus metropolis ponitur.

EPISCOPI SEBASTOPOLIS.

I. Petrus.

Anno 1330. quidam *Petrus Geraldus* creatus eſt epiſcopus Sebaſtopolis à Joanne XXII. teſte Raynaldo, *tom. 15.* ad hunc annum, *num. 57.* ubi ait: « Demandata » etiam eſt Sevaſtopolenſis eccleſia *Petro Ge-* » *raldo* epiſcopo deſignato, ut Evangelium propagaret.»

II. Joannes.
III. Paulus.

Vacante eccleſia Sebaſtopolitana in Armenia ſub Patriarcha Conſtantinopolitano per obitum *Joannis*, ei datus eſt epiſcopus à Martino V. anno 1428. die 23. Jul. *Fr. Paulus Franciſci*, Minorita. Ita refert Waddingus, *tom. 5.* ad hunc annum, *num. 3. pag. 197.*

III. ECCLESIA BERISSES.

Carolus à S. Paulo *geogr. ſac. p. 256. edit. Pariſ. 1641.* eccleſiam *Beriſſes* Sebaſteæ metropoli Armeniæ primæ quartam ſuffraganeam aſſignat. Certe in notitiis Græcorum epiſcopatuum ad calcem Codini *de Officiis, pp. 343. & 372.* ſub provincia Armeniæ & Sebaſte metropoli, *Beriſſe* conſtituitur, ſed modo *Ceriſſe* ὁ Κηελωσῆς, modo *Bireſſæ* ὁ Βιρήσσης; demum *pag. 385. Beriſſe* ὁ Βηελωσης, & *ad marg.* Μηελωσης *Meriſſe* nuncupatur. Duos nobis ex ejus præſulibus Latinis ſuppeditavit Waddingus.

EPISCOPI BERISSES.

I. Joannes.
II. Libertus.

Waddingus, *tom. 6. annal.* ad annum 1470. *n. 7. p. 708.* ſcribit, eccleſia Beriſſenſi in Armenia ſub archiepiſcopo Sebaſteno vacante per obitum *Joannis*, ad eam promotum eſſe eo anno à Paulo II. die 10. Decembris *Fr. Libertum de Brœhun*, Minoritam.

PROVINCIA

Digitized by Google

PROVINCIA SERRARUM.

I. ECCLESIA SERRARUM METROPOLIS.

De *Serris* hæc pauca tradit Baudrand, *tom. 2. geograph. pag. 229. col. 2.* « *Serræ*, urbs Macedoniæ Nicetæ & Cedreno, nunc etiam *Seres* dicta, teſte Leunclavio, archiepiſcopalis loco Amphipolis, inter ipſam, Theſſalonicam & Philippos, eſtque ampla & culta cum caſtro ſemi-diruto in colle ei adjacente. »

In notitia epiſcopatuum Græcorum, juxta diſpoſitionem Leonis Sapientis qui, mortuo Baſilio patre ſuo, ſolus regnare cœpit anno 886. inter octoginta metropoles Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubjectas extat quinquageſima octava *Serræ* νή Σέῤῥαι, *pag. 380.* ad calcem Codini *de Officiis*. Item *ibid. pag. 401. in expoſit.* Andronici Palæologi ſenioris, qui imperium auſpicatus eſt anno 1283. habetur, *num. 46. Serrarum. Hæc ex quinquageſimo octavo loco ad quadrageſimum ſextum aſcendit.* μς΄. ὁ Σέῤῥων· καὶ αὐτὴ νή. οὖσα, εἰς μς΄. ἀνήχθη.

ARCHIEPISCOPI SERRARUM.

Arnulphus.

Inter epiſtolas Innocentii III. una extat *Arnulpho Sarrenſi archiepiſcopo ejuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum*, data anno 1212. die 25. Maii, qua hanc eccleſiam recens ad communionem Romanam reverſam ſub protectione ſedis apoſtolicæ A recipit. In ea autem epiſtola, quæ quinquageſima ſeptima eſt lib. XV. *in editione Baluz. tom. 2. pag. 621. col. 2.* declarat Pontifex à ſe tranſlatum eſſe hunc Arnulphum *ab eccleſia Thermopilenſi ad Sarrenſem metropolim.* De eo Arnulpho jam ſupra egimus inter epiſcopos Thermopilenſes ſub metropoli Athenienſi, *col. 847.* C.

II. ECCLESIA ZICHNARUM.

Zichnæ urbs Macedoniæ, vulgo etiam *Zichne*, teſte Leunclavio, epiſcopalis prius ſub archiepiſcopo Serrano, poſtea archiepiſcopalis effecta, Serris proxima eſt ex Curopalate. Ita Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 414. col. 2.*

In notitia Græcorum epiſcopatuum ad calcem Codini *de Officiis, pag. 408.* inter epiſcopatus qui archiepiſcopatus honorem obtinuerunt, legitur, *num. 26.* κς΄. ἀπὸ τοῦ Σεῤῥῶν, ὁ Ζιχνῶν. *Ex Serrarum* (ſuffraganeis) *præſul Zichnarum.*

EPISCOPI ZICHNARUM.

Lucas.

Lucas *Manellus*, Ordinis Præd. de conventu Florentino ſanctæ Mariæ Novellæ, philoſophiæ ac theologiæ doctrina clarus, Ziconenſis epiſcopus creatus eſt à Clemente VI. initio ſui pontificatus, ſubindeque anno 1342. Tranſlatus eſt deinde ad eccleſiam Auximanam in Piceno ab eodem Papa anno 1345. die 5. Novemb. ex ea autem tranſ- B migravit ad Fanenſem anno 1360. Obiit Florentiæ anno 1363. vel ſequenti. Ita Fontana *Theat. Dom. p. 191. tit. 241. pag. 329. tit. 655.* & *pag. 621.* in Append. ex Ughello *tom. 1. Ital. ſac. in epiſcopis Auximanis.* Ejus quoque meminere R. P. Echardus, *tom. 1. Scriptorum, pag. 642. col. 1.* & doctiſſimus P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pag. 254.* ad annum 1358.

PROVINCIA SMYRNENSIS.

I. ECCLESIA SMYRNÆ METROPOLIS.

DE Smyrna hæc tradit Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 252. col. 2.* « *Smyrna,* urbs Ioniæ » regionis in Aſia minori Ptolemæo, Straboni & Plinio, prius *Naulochos* dicta, à Tantalo » ædificata, poſtea *Smyrna* vocata à Smyrne Amazone, teſte Sophiano, & Homeri patria, » cujus ibi ſtatua fuit, ut Varro ait; nunc vulgo etiam *Smyrne* dicitur ab Europæis, & *Iſmir* » à Turcis... Eſt (autem) archiepiſcopalis, perampla & probe culta, ſedes præfecti Turcarum, » quibus ſubeſt à tribus ſæculis: ſita eſt, partim in monte, partim in planitie ad Melem fluvium » cum portu capaci & tuto in ora maris Ægæi & ſinus Smyrnæi, eſtque emporium celebre » cum caſtro antiquo in monte, & duplici arce in ora, 40. milliaribus diſtans ab Epheſo in ſeptentrionem, & totidem à Chio in ortum. » Strabo, *lib. 14. pag. 646.* A. *edit. Caſaub.* duplicem Smyrnam, veterem ſcilicet & novam commemorat. « Inde alius ſinus, inquit, in quo vetus Smyrna 20. ſtadiis à nova (diſſita) eſt. »

In notitiis epiſcopatuum Græcorum ad calcem Codini *de Officiis, pp. 338. & 366.* inter archiepiepiſcopos Autophalos, id eſt, ut *p. 338.* exponitur, qui proprii ſunt juris, recenſetur quinto loco *Smyrnæ in provincia Aſiæ,* Επαρχία Ἀσίας ὁ Μύρης, *& ad marg.* ὁ Σμύρνης. De ea quoque fit mentio *pp. 380. 396. & 402.*

Anno 1344. claſſis Latinorum navibus copiiſque Clementis VI. regis Cypri, Venetorum, Genuenſium, & equitum Rhodiorum conflata, maritimam Aſiæ oram luſtrans, in Ioniam appulſa, Smyrnam ſubita oppugnatione ſubegit die 28. Octobris, cæſis ad internecionem incolis, quæ in Latinorum poteſtate multis annis permanſit, & exinde nonnulli hujus ritus præſules ei præpoſiti ſunt. In poteſtatem Turcarum rurſus venit ſub Tamerlane anno 1404. Subdita eſt iterum Latinis anno 1472. ſed à Venetis, opibus captiviſque abductis, incendio deleta eſt, teſte Raynaldo ad eum annum, *nn. 42. & 43.*

ARCHIEPISCOPI SMYRNÆ.

I. * * *

SMYRNA Saracenis erepta exeunte anno 1344. ut modo dictum eſt, proviſum ei eſſe à Clemente VI. de antiſtite Latino, quam citius id fieri potuit, credendum eſt, quamvis quis ille fuerit nos fugiat. Certe exordio anni 1346. jam ſediſſe Smyrnæ antiſtitem Latinum diſcimus ex Leandro Alberto *de viris illuſtribus Ord. Præd. lib. 5.* apud Raynaldum ad hunc annum, *n. 71.* Ait enim Venturinum Bergomatem, hujus Ordinis alumnum, eo anno cum *epiſcopo Smyrnæ* Smyrnam tendiſſe quo kal. Martii pervenit. Is autem præſul veriſimiliter *archiepiſcopus* ille *Smyrnenſis* fuit, cui anno 1348. unaque *Barnabæ de Parma Domicello Parmenſi Capitaneo civitatis Smyrnenſis,* litteras ſcripſit præfatus Clemens, datas Avin. XVI. kal. Septemb. anno VII. (id eſt die 17. Auguſti anno 1348.) quas exhibet Raynaldus ad eum annum, *num. 28.* gratulatorias de reportata victoria adverſus Marbaſſanum Turcarum ducem, qui Smyrnam obſidebat, cujuſque nece & copiarum ejus clade ea urbs liberata eſt, & Latinis conſervata.

A Haud ſcio autem an idem fuerit archiepiſcopus ille Smyrnenſis, cujus ex culpa maximum periculum Smyrna incurrerat an. 1350. unde & in ipſum laudatus Papa diligentis faciendæ inquiſitionis provinciam Raymundo epiſcopo Morinorum ſedis apoſtolicæ legato injunxit litteris datis Avin. idibus (id eſt die 13.) Jan. anno IX. Chriſti 1351. apud Raynaldum ad eum annum, *num. 21.* Quis fuerit exitus hujus inquiſitionis ignoramus.

II. PAULUS I.

B Alter prorſus à modo memorato Smyrnenſi archiepiſcopo, cujus nomen nos latet æque ac ſors, fuit *Paulus* iſte, qui ſedebat anno 1355. & præclara geſſit ſæpius miſſus, tam à Joanne Palæologo Imperatore Græco ad Innocentium VI. & Urbanum V. quam ab illis Pontificibus ad Joannem, pro redintegranda unione Græcorum cum ſede apoſtolica. Tranſlatus eſt ad eccleſiam Thebanam anno 1358. deinde ad dignitatem Patriarchæ Conſtantinopolitani Latini ritus aſſumptus ab Urbano V. Vide ſupra inter illos Patriarchas, *col. 822.* C.

Digitized by Google

III. Petrus I.

Paulo ad Thebanam eccleſiam tranſmiſſo, *Fr. Petrus Placentinus,* Ord. Min. Smyrnenſis archiepiſcopus renuntiatus eſt ab Innocentio VI. anno 1358. die 22. Jan. Ita Waddingus, *tom. 4.* ad eum annum, *num. 5. pag. 72.* qui diploma Innocentii exhibet, *ibid. in Regeſto Pontificio, pag. 50.*

Is probabiliter ille eſt *archiepiſcopus Smyrnenſis,* cui Urbanus V. unaque archiepiſcopo Coloſſenſi ſive Rhodio, & epiſcopo Chienſi injunxit, data epiſtola anno 1363. die 16. Jun. ut bona Fr. Petro Fanenſi, Minoritæ, ſuo in civitate Smyrnenſi quoad temporalia vicario erepta, reddi providerent. Scilicet Petrus iſte Fanenſis, cognomento *Patricelli,* frater erat converſus Ordinis Min. cui, teſte præfato Waddingo, *tom. 3.* ad annum 1347. *num. 12.* olim conceſſerat raro exemplo Clemens VI. eo anno 1347. facultatem conſcribendi milites, eoſque conducendi ad partes ultramarinas adverſus Saracenos; quippe qui jam eos frequenter, priuſquam religioſus fieret, armis repreſſerat, aggregato competenti bellatorum numero, inter quos ex uno ſupra viginti ipſius conſanguineorum, vitam amiſere duo ejus fratres, unus nepos, & quinque alii in diverſis præliis, ut fert pontificium diploma laudatæ conceſſionis à Clemente, incipiens: *Zelus amoris,* datum VII. idus (id eſt die 7.) Junii eo anno 1347. *ibid. in Regeſto Pontif. pag. 355.* Id itaque in cauſa fuerat cur hunc fratrem converſum tum ipſe Clemens VI. tum ejus etiam ſucceſſor Innocentius VI. vicarium ſuum in temporalibus crearint urbis Smyrnarum, ut nempe diligentius aliis ejus conſervationi proſpiceret. Innocentii diploma, datum an. 1353. die 12. Decemb. extat apud eumdem Waddingum, *tom. 4.* ad eum annum, *num. 3. pag. 31.*

IV. Joannes.

Daniel à V. M. *tom. 2. Speculi Carmelit. p. 936. n. 3281.* ſcribit *Joannem Leyceſtrum,* Ordinis Carmel. alumnum, archiepiſcopum Smyrnæ in Ionia anno 1398. fuiſſe renuntiatum à Bonifacio IX. *ex lib. de Regularibus* ſub ejus pontificatu, anno IX. *fol. 99.* obiiſſe vero anno circiter 1424.

V. Paulus II.

VI. Franciscus.

Joannem ſupra memoratum, diu antequam diem extremum clauderet, dimiſiſſe oportet Smyrnenſem eccleſiam, ſi reipſa, ut Waddingus aſſerit ad annum 1412. *tom. 5. annal. num. 2. pag. 78.* eo anno die 4. Jan. jam vacante per obitum *Pauli* Smyrnenſi ſede, ad eam *Fr. Franciſcus de Monte Granelli,* Minorita, à Joanne XXIII. evectus ſit.

VII. Eugenius.

Eugenius, Eremita Auguſtinianus, qui coram Patribus concilii Tridentini ſub Pio IV. plures conciones habuit, creatus eſt à Gregorio XIII. archiepiſcopus Smyrnenſis anno 1575. Obiit vero anno 1580. Herrera *Alphab. Auguſtin. tom. 1. pag. 213. col. 2.*

VIII. Petrus II.

Petrus de Marchis, Chienſis, Ord. Præd. vir doctrina, pietate, agendorumque peritia clarus, à Paulo V. ad eccleſiam Santerini in Archipelago promotus eſt anno 1611. die 18. Aprilis; deinde anno 1621. miſſus fuit à Gregorio XV. viſitator apoſtolicus Conſtantinopolim, Capham, in inſulas Archipelagi, ac per Tartariam; exinde ab Urbano VIII. ad eccleſiam Smyrnenſem tranſlatus eſt circa annum 1640. & tandem obiit circa annum 1645. Ita R. P. Echard. *tom. 2. Scriptor. pag. 547. col. 2.* Vide ſupra inter epiſcopos Santerinenſes, *col. 1010.* C.

IX. Hyacinthus.

Hyacinthus Subianus, Aretinus, Ordinis Præd. miſſionarius apoſtolicus in Orientem perrexit anno 1640. ibique per plures annos ſaluti animarum incubuit. Interim archiepiſcopus Edeſſæ ab Urbano VIII. renuntiatus eſt circa annum 1643. & coadjutor eccleſiæ Smyrnenſis, in qua deinde ſucceſſit Petro de Marchis anno circiter 1645. Romam poſtmodum reverſus anno 1655. obiit anno ſequenti die 15. Octob. in conventu S. Mariæ ſuper Minervam, anno ætatis ſuæ 63. graſſante lue extinctus. Fontana *Theat. Domin. pp. 74. & 75. tit. 44.* & *pag. 100. tit. 91.*

II. ECCLESIA PHOCÆÆ.

PHOCÆA urbs Æolidis in Aſia minori, & in limite Ioniæ Straboni & Tito-Livio, ſedes eſt epiſcopalis ſub Smyrnarum metropoli. *Phocis* appellatur Melæ, nunc autem vulgo *Fochia* ſeu *Fojavechia,* teſte Sophiano, eſtque vicus tenuis ſub Turcis cum portu capaci in ora ſinus Smyrnæi verſus oſtia Hermi fluvii, inter Cumam ad boream & Smyrnam ad auſtrum, à qua 20. milliar. diſtat, & ad duo milliaria ab ipſa ineſt altera *Phocæa, Fochia nova*

Digitized by Google

ECCLESIA PHOCÆÆ.

dicta, urbs ſatis culta cum arce & portu. Hæc Baudrand, *tom. 2. pag. 106. col. 1.*

Thomas de Pinedo in Stephanum Byzantium, *pag. 707. annot. 62. & 63.* ait *Phocidem* regionem fuiſſe circa Parnaſſum, ejuſque incolas Φωκεῖς dici à Græcis, urbis autem Phocææ cives Φωκαεῖς & Φωκαιεῖς; dictoſque ſimiliter à Latinis, prioris quidem *Phocenſes,* poſterioris vero *Phocaënſes* & *Phocæenſes:* in quibus, inquit, ceſpitant viri etiam eruditiſſimi. Phocæam tum veterem, tum novam, nobiles Genuenſium colonias, Tamerlanes Turcarum Imperator evertit anno 1404.

R. P. Bremond obſervat, *tom. 2. Bullar. pag. 706.* ubi Fr. Nicolai de Tuderto meminit epiſcopi Foliarum, Phocæam, urbem Æolidis in ora maris Ægæi ſub archiepiſcopo Smyrnenſi, *Foliarum* aliquando nomine deſignari, utpote quæ *Foïa Vechia, Foglia* & *Fochia Vecchia* appellatur. Aliquot autem occurrunt hujus eccleſiæ ſub diverſis iſtis nominibus Latini præſules.

EPISCOPI PHOCÆÆ.

A

I. Bartholomæus.

WADDINGUS, *tom. 3.* ad annum 1346. *n. 10.* ſcribit, poſt diutinam eccleſiæ *Folienſis* vacationem, ei præfectum eſſe à Clemente VI. eo anno die 14. Maii *Fr. Bartholomæum de Caſſino,* Januenſem, Ordinis Minor. & diploma *Attenta meditatione* exhibet *ibid. in Regeſto Pontif. pag. 343.*

II. Joannes I.

B

Daniel à V. M. *Speculi Carmelit. tom. 2. pag. 939. num. 3296.* meminit cujuſdam *Joannis* Ordinis Carmelit. epiſcopi *Folienſis,* qui aderat Genuæ die 19. Febr. anno 1383. Videtur autem fuiſſe *Phocææ* antiſtes, quippe quæ *Foïa* & *Foglia* nominatur.

III. Joannes II.

IV. Nicolaus.

C

Eccleſia Phocææ vacante per obitum *Joannis Rubei,* Martinus V. anno 1427. die 10. Jan. ei præfecit *Fr. Nicolaum de Tuderto,* Ordinis Prædic. Diploma promotionis ejus profert R. P. Bremond, *tom. 2. Bull. p. 675.* in quo uterque dicitur epiſcopus *Foliarum* & *Cumæ.* Nomine autem *Cumæ* intelligendam exiſtimat idem P. Bremond, *ibid. pag. 706.* *Foïam novam* in Æolide. Cæterum Nicolaum hunc ignorarunt omnes qui de rebus Ordinis Prædicatorum ſcripſere.

V. Ludovicus.

De *Ludovico* iſto hæc tradit R. P. Jacobus Echardus *in indice epiſcoporum Ord. Præd. præfixo tomo 1. Scriptorum ejuſdem Ordinis, pag. 26. col. 1.* « *Ludovicus de Foro,* (Ordinis Præd.) profeſſione Weſalienſis, epiſcopus *Fogienſis* circa 1450. ex chronica Weſalienſi antiqua mſ. à noſtro Henrico Hilden, S. T. M. Colonienſi viſa. Omittunt, aut non norunt noſtri. » Non explicat R. P. Echardus quis, vel ubi ſit epiſcopatus ille *Fogienſis;* verum exiſtimat R. P. Bremond, *to. 3. Bull. p. 333.* ad annum 1450. eſſe urbis *Phocææ,* vulgo *Foïa* dictæ ſub archiepiſcopo Smyrnenſi.

VI. Stephanus.

Fr. Stephanus Chaan, Ord. Præd. epiſcopus creatus eſt *Folianenſis* ſeu *Foliarum* in Æolide ſub archiepiſcopo Smyrnenſi anno 1457. Ita Fontana *Theat. Dom. pag. 193. tit. 247. ex lib. Proviſ. Prælat.* ſub Callixto III. Cavalerius, *tom. 1. pag. 259. num. 169.* & R. P. Bremond, *tom. 3. Bullar. pag. 373.*

VII. Ægidius.

Sede Folienſi vacante per obitum Stephani, ei præfectum eſſe à Sixto IV. anno 1475. die 28. Maii *Ægidium de Portu,* Minoritam Luſitanum, ſcribit Waddingus, *tom. 6. annal. pag. 831. num. 29.*

Digitized by Google

PROVINCIA THEBANA.

I. ECCLESIA THEBARUM METROPOLIS.

THEBÆ, urbs Bœotiæ caput in Græcia Plinio, Thucydidi, & aliis, ad Iſmenum fluvium, archiepiſcopalis cum arce Cadmæa dicta, nunc *Thiva* ſive *Stives*, paucis conſtans incolis, in loco edito ſub dominio Turcarum, paucis milliaribus diſtat ab Aſopo fluvio, 50. ab Athenis in occaſum æſtivum, 16. à Chalcide ſive Negroponto in occaſum, & 40. à Megara in ſeptentrionem. Ita Baudrand, *to. 2. pag. 306. col. 2.* Thomas de Pinedo in Stephanum Byzantium, *pag. 307. col. 1. annotat. 54.* ait eam urbem appellatam eſſe *Heptapylos,* quod ſeptem portas haberet, ad quas alludens Juven. *Satyr. 13.* canit:

Rari quippe boni, numero vix ſunt totidem, quot
Thebarum portæ, & divitis oſtia Nili.

In ſerie eccleſiarum Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubjectarum, juxta diſpoſitionem Leonis Sapientis, ad calcem Codini *de Officiis, pag. 380.* inter metropoles extat loco 57. νζ'. Αἱ Θῆβαι *Thebæ.* Et rurſus in ordine earumdem metropolitanarum ſedium ſancito ab Andronico Palæologo ſeniore *ibid.* legitur, *pag. 402. num. 68. Thebarum, ex quinquageſimo ſeptimo loco ad ſexageſimum nonum devenit.* ξη' ὁ Θηβῶν· καὶ αὐτὴ νζ'. οὖσα, ξθ'. γέγονεν.

Poſt captam à Francis & Venetis Conſtantinopolim initio ſæculi XIII. & ipſa Thebarum civitas Latinis ſubdita eſt, hujuſque ritus præſules accepit.

ARCHIEPISCOPI THEBARUM.

I. * * *

INitio anni 1207. electus eſt in archiepiſcopum Thebarum vir Latini ritus, cujus nobis nomen ignotum eſt. Nam Innocentius III. epiſtola 56. lib. X. data *capitulo [illegible]acenſi* eo anno die 24. April. de Patracen[illegible]ens præſule verba habens, Thebani q[illegible] meminit, ut recens ordinati. *Quum [illegible] Patriarcha* (Conſtantinopolit. Thom[illegible] Maurocenus) inquit, *tom. 2. edit. Bal[illegible] pag. 29. col. 2.* *tunc temporis eum* (Pat[illegible]enſem) *conſecrare nequiverit, quia coepiſ[illegible]os non habebat. Unde Athenienſem & Th[illegible]anum electos ad ſuam præſentiam acceden[illegible]s in Syriam deſtinavit, conſecrationis m[illegible]us inibi recepturos.* Idem Papa epiſtola 1[illegible]6. lib. XI. data anno ſequenti 1208. die 14. Julii, *nobilibus viris Dominis Thebarum* injunxit ut perſolvi decimas curarent eccleſiæ Thebanæ. Eodem anno *archiepiſcopo Thebano* directæ ſunt epiſtolæ 152. 154. & 171. præfati lib. XI. Huic rurſus, ut & Veriſienſi & Lariſſenſi præſulibus, mandavit idem Innocentius anno ſequenti 1209. epiſtola 114. lib. XII. data die 2. Novembris, ut Henrico Conſtantinopolitano Imperatori fidelitatem exhiberi ſatagerent à prælatis omnibus, tam Græcis quam Latinis earum regionum. Demum eidem Thebano archiepiſcopo datæ ſunt epiſtolæ 15. & 110. lib. XIII.

A anno 1210. at eo anno ejus obitu vacavit eccleſia Thebana, ut modo patebit.

* * * *electus.* II. A.

Anno 1210. electus eſt in archiepiſcopum Thebanum *A.* capellanus Henrici Imperatoris Conſtantinopolitani. Sic rem narrat Innocentius III. epiſtola 138. lib. XIII. *capitulo Thebano* data die 4. Octobris. «Thebana dudum eccleſia viduata paſtore, A. archidia-B conus veſter cum Gerardo de Beſentuno & J. cognato ſuo propria vota direxit in venerabilem fratrem noſtrum Davalienſem epiſcopum pro veſtro Pontifice poſtulandum, appellationem ad ſedem apoſtolicam interponens, ne cæteri canonici procederent ad electionem aliam faciendam. Qui tandem convenientes in unum, appellatione hujuſmodi pro inutili reputata, dilectum filium A. capellanum chariſſimi in Chriſto filii noſtri C Conſtantinopolitani Imperatoris illuſtris concorditer in archiepiſcopum elegerunt. Poſtmodum autem electione ipſius venerabili fratri noſtro Conſtantinopolitano Patriarchæ præſentata de more, quum ſibi demum per teſtes ab archidiacono & ejus ſociis introductos de appellatione interpoſita conſtitiſſet, negotium ipſum ad noſtram præſentiam deſtinavit. Conſtitutis itaque partibus coram nobis, & quæ fuerunt hinc inde propoſita,

Digitized by Google

» plenius intellectis, poſtulationem de memorato epiſcopo, tantummodo factam à tribus, quamquam perſona commendabilis haberetur, non duximus admittendam; electionem vero de capellano præfato à ſexdecim regulariter celebratam, quia ſtudiis & meritis potioribus juvabatur, juſtitia confirmavimus exigente. Quocirca, &c.» Caſtorienſi & Zaratorienſi epiſcopis eccleſiæ Thebanæ ſuffraganeis iiſdem die & anno epiſtolam 139. ſcripſit in eumdem modum, ut huic electo Thebano archiepiſcopo obedientiam præſtarent.

Is nondum conſecratus erat, neſcio qua de cauſa, die 21. Decembris hujus anni: in titulo enim epiſtolæ 192. lib. XIII. ipſi & aliis præſulibus directæ, *electus* duntaxat appellatur; at epiſtolæ 111. lib. XIV. anno 1211. & 26. 29. 44. 53. 60. 73. & 75. lib. XV. anno 1212. ipſi, ut *Thebano*, de variis negotiis datæ ſunt.

III. * * *

Anno 1241. ſedebat *archiepiſcopus Thebanus*, cui Gregorius IX. unaque Priori Ord. Præd. hujus urbis, necnon archidiacono de Nigroponte epiſtolam ſcripſit, datam eo anno die 29. Maii, qua iis mandabat ut *eccleſias cathedrales metropolitanorum & epiſcoporum, tum deinde omnes alias prælatorum & cœnobiorum ſive Græci ſive Latini ritus, ſive denique quocumque modo exemptorum ad decimandum cenſerent, & ad ſolvendum ex univerſo patriarchio compellerent Patriarchæ Conſtantinopolitano, qui per id temporis maximos ſumptus fecerat ob defenſionem Imperatoris Balduini, & ad extremam fere inopiam redigebatur.* Ita refert Bzovius, *to. 13. annal.* ad annum 1241. *num. 11. col. 475.*

IV. * * *

Quum Michael Palæologus, recuperata anno 1261. urbe Conſtantinopolitana, expeditionem pararet in Achaïam vicinaſque provincias, ut ex iis principes Latinos expelleret, Urbanus IV. litteras dedit anno 1263. *archiepiſcopo Thebano*, pluribuſque illarum regionum præſulibus ritus Latini, ut ad commune arcendum periculum Guillelmo Williarduino Achaïæ domino opem ferri curarent. Ex Raynaldo ad eum annum, *num. 21.*

V. Nicolaus I.

Quum Henricus rex Cypri, & Almaricus ejus frater princeps Tyri, de regni adminiſtratione contendentes, ſuos ea de re ad Clementem V. oratores miſiſſent, Pontifex *Nicolaum Thebarum archiepiſcopum*, ac Raymundum è Pinibus capellanum ſuum delegavit in Cyprum inſulam, ut ad concordiam eos revocarent; aut ſaltem, ſi pax inter eos ſanciri non poſſet, totius hujus negotii circonſtantias explorarent, & ſibi Papæ diligentius referrent. Diploma ejus legere eſt ſub hoc titulo: *Clemens, &c. venerabili fratri Nicolao archiepiſcopo Thebano, &c. dat. Pictavis X. kal. Febr. anno III.* (id eſt die 23. Januar. an. 1308.) apud Raynaldum ad eum annum, *n. 37.* Hoc eodem anno vel obiit Nicolaus iſte, vel ad aliam eccleſiam tranſlatus eſt.

VI. Isnardus.

« *Fr. Iſnardus* (Tacconus) Papienſis (Ord. Præd.) teſte Bernardo Guidonis, fuit factus archiepiſcopus Thebanus per Clementem Papam V. anno Domini 1308. circa feſtum Pentecoſtes, qui fecerat eum prius pœnitentiarium. Ei (hic) frater notus erat, quia in neceſſitate magna itineris ſibi adſtiterat, quum eſſet Burdigalenſis archiepiſcopus, & quaſi ignotus & ſolus per partes tranſiret Lombardiæ anno Domini 1302.» Lateranenſi eccleſia incendio fere conſumpta anno præfato 1308. die 6. Maii, Romam miſſus eſt Iſnardus, pontificii vicarii officio functurus. Dum autem ibi degeret, mandatum accepit ab eodem Papa litteris datis die 28. Junii anni 1313. quas profert Raynald. *to. 15.* ad annum 1310. *n. 37.* eos examinandi qui Bonifacium VIII. hæreſis inſimulabant. Patriarchatum Antiochenum cum adminiſtratione eccleſiæ Papienſis ad Papæ beneplacitum accepit idem Iſnardus anno 1311. die 5. Novembris: at apud Joannem XXII. anno 1319. accuſatus crimine rebellionis, omni ab eo dignitate exutus eſt. Illum tamen ipſemet Joannes ad ſedem Thebanam denuo evexit anno 1325. datis litteris *Aven. kal.* (id eſt die 1.) *Auguſti anno IX.* ut ſcribit Bzovius, *to. 14.* ad annum 1325. *num. 12.* Certe refert Raynaldus ad annum 1328. *num. 85.* *Iſnardo archiepiſcopo Thebano* à Joanne Papa demandatam eſſe provinciam incitandi Philippum Tarentinum & Joannem Achaïæ principes, ut ſeſe adjungerent Roberto Siciliæ regi & Venetis adverſus Turcas. De eo proinde intelligendus Sanutus Torcellus, *epiſt. 20.* ad calcem lib. cui titulus eſt: *Geſta Dei per Francos, &c. edit. Hanov. 1611.* ubi hæc habet, *p. 313. lin. 30.* « *D. & R. P. D. archiepiſcopus Thebanus* qui, ut ſcire poteſtis, fuit *Patriarcha Antiochenus*, qui venit ex parte ſummi Pontificis ad requirendos Venetos, habere ab ipſis auxilium de galeis armatis pro facto Turcorum: & dicit quod D. Papa debet eis mittere litteras ſuper hoc, quæ nondum venerunt, & ignoro ſi venient, de quo multum doleo, quia ſperabam quod aliquod bonum fieret in ſubſidium inſularum Romaniæ. Et ſi litteræ prædictæ non venerint

Digitized by Google

» per totum menſem Februarii, vel ante, credo » quod archiepiſcopus prædictus ad ſuum re» gredietur archiepiſcopatum.» Data eſt epiſtola hæc *Venetiis die 18. Januarii.* Annus ſiletur, ſed fuit 1328. aut 1329. nam in epiſtola ſequenti, data Venetiis anno 1329. ait idem Sanutus, *ibid. p. 314. lin. 44.* « *Archiepiſcopus* » *Thebarum* eſt adhuc Venetiis, & tractat quan» tum plus poteſt, conſervationem illarum ter» rarum de Romania occaſione Turcorum, & » etiam piratarum de mari, qui multum infeſtant » inſulas & partes alias Romaniæ, & credo quod » finaliter ſapientia & probitas ipſius D. archi» epiſcopi ducet ad executionem negotia hujuſ» modi, quæ eidem recommandata fuerunt.» Idem Sanutus epiſtolam ſequentem, ſcriptam Venetiis illo anno 1329. die 28. Octob. *ibid. p. 315. lin. 13.* ſic exorditur: « Noſcat veſtra » reverenda paternitas per præſentes, quod nu» per recepi litteras à reverendo D. D. *archiepi-* » *ſcopo Thebano,* olim Patriarcha Antiocheno, » qui eſt in illis partibus Romaniæ, qualiter Turchi, &c.» Ex quibus colligitur Iſnardum fuiſſe *archiepiſcopum* illum *Thebanum,* ad quem alioſque præſules extat Joannis XXII. epiſtola, data anno 1329. die 7. Maii, apud Raynaldum ad eum annum, *num. 3.* Hunc obiiſſe eo anno tradunt nonnulli ſcriptores.

VII. * * *

Anno 1344. ſedebat *Thebanus archiepiſcopus* vir quidam, de quo mentionem facit Clemens VI. eo anno in litteris quas *venerabili fratri Henrico Patriarchæ Conſtantinopolitano in partibus tranſmarinis A. S. L.* ſcripſit die 18. Septemb. apud Raynaldum ad eum annum, *n. 2.* in iis enim ait Pontifex: *Et nihilominus tam ipſe quam venerabilis frater noſter archiepiſcopus Thebanus, tuus delegatus ſeu commiſſarius, dilectum filium magiſtrum hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani, & Cyprenſes etiam requiſiverunt inſtanter, ut ad hoc ſuas galeas deſtinarent, eoſdem Cyprenſes ad id præfatus archiepiſcopus per excommunicationis ſententias compellendo,* &c. Is fortaſſis fuit *Thebanus* ille *archiepiſcopus,* cujus meminit Innocentius VI. in epiſtola data anno 1353. die 1. Decemb. *ibid. num. 19.*

VIII. Paulus I.

Paulus, de quo ſupra dictum eſt, tum inter Patriarchas Conſtantinopolitanos ritus Latini, in præſenti *tomo 3. col. 822.* C. tum inter archiepiſcopos Smyrnenſes, *col. 1076.* B. ex ea Smyrnenſi ſede tranſlatus eſt ad Thebanam ab Innocentio VI. anno 1358. die 22. Januar. ut conſtat ex diplomate *Dum juxta paſtoralis,* quod exhibet Waddingus, *tom. 4. annal. in Regeſto Pontif. pag. 59.* Hunc ait

A Rocchus Pirrus, *tom. 1. Sicil. ſac. pag. 349. num. 16.* indulgentias conceſſiſſe anno 1361. die 11. Maii monaſterio monialium Catanenſium S. Benedicti. *Ex lib. Proton.* ECCLESIA THEBARUM.

IX. Simon *ſive* Simeon.

Ughellus, *to. 9. Ital. ſac. vet. edit. col. 548. n. 13.* B. ſcribit *Simeonem* Conſtantinopolitanum Baſiliani Ordinis monachum, datum eſſe epiſcopum Hieracenſi eccleſiæ à Clemente VI. anno 1348. die 4. Aug. Poſtquam vero diœceſanam ſynodum ibi celebraſſet,
B tranſlatum eſſe ad Thebanam ſedem anno 1366. die 3. Auguſti, *ex Regeſto Vaticano.* Anno 1374. juſſus eſt Simon archiepiſcopus Thebanus à Gregorio XI. operam dare, cum nuntiis quos Conſtantinopolim mittebat, ad redintegrandam eccleſiæ orientalis cum occidentali unionem, teſte Raynaldo ad eum annum, *num. 2.*

Simonem hunc appellant auctores *Jacumæum* vel *Sacumæum,* vel etiam *Tacumæum:* Leo autem Allatius eum dicit fuiſſe Ordinis Præd. *lib. 2. de conſenſ. c. 15. n. 11. col. 774.*
C & in Diatriba de Simeonum ſcriptis, *p. 202.* ſed videtur ipſe tres *Simones* in unum hominem conflaſſe, ſcilicet *Simonem Conſtantinopolitanum,* Ordinis S. Dominici, qui obiit circa annum 1325. *Simonem Cretenſem,* ejuſdem Ordinis, qui florebat circa finem ſynodi Conſtantienſis, & *Simonem Jacumæum,* de quo hîc agimus, & qui probabiliter ad finem ſæculi decimi quarti non pervenit. Legendus R. P. Echard. *tom. 1. Script. pag. 737. col. 1.* ubi dubitat an Simeon iſte Jacumæus Ordinem Præd. amplexus ſit, eo præſertim quod
D nec Sixtus Senenſis, nec Auguſtinus Juſtiniani, qui Dominicani erant, ejus ſcripta in Biblia ſacra recenſentes, taceant *Dominicanum* fuiſſe.

X. Paulus II.

Rocchus Pirrus, *tom. 1. Sicil. ſac. in archiepiſcopis Montis Regalis, pag. 420. & ſeqq. num. 15.* meminit cujuſdam *Pauli* patria Romani, cujus inſtitutum ignorabat, eccleſiæ Æſernienſis in Italia primum antiſtitis, deinde ad archiepiſcopatum Montis Regalis promoti ab Urbano VI. anno 1379. ſed poſtmodum
E ejecti à Clemente VII. Papa Avenionenſi tempore ſchiſmatis. « Carebat, inquit, interim *Fr. Paulus* ſuæ eccleſiæ proventibus: ea de « cauſa Bonifacius IX. Pontifex (Urbani VI. « ſucceſſor) commendæ nomine ei dedit *The-* « *benſis* archiepiſcopatus jura & proventus (circa « annum 1396.) Anno autem 1407. 21. April. « Gregorius XII. largitus eſt (ei) prioratum « S. Euſebii Romæ Ord. Cœleſtinorum... Tra- « ditus deinde eſt anno 1418. Fr. Paulo Theſ- « ſalonicenſis archiepiſcopatus à Martino V.»

Digitized by Google

ECCLESIA THEBARUM.

A

XI. Andreas.

Andreas Furnarius, Piſanus, Ordinis Præd. renuntiatus eſt à Gregorio XII. archiepiſcopus Thebanus, qui dum ad eccleſiam ſuam pergeret, diem clauſit extremum anno 1409. Ita Fontana *Theat. Domin. pag. 104. tit. 102. ex antiquis monumentis cœnobii Piſani.*

XII. Nicolaus II.

Waddingus, *to. 5.* ad annum 1410. *n. 14. pag. 71.* refert *Fr. Nicolaum* Triviſanum, Venetum, Ordinis Præd. ſacræ theologiæ profeſſorem, electum fuiſſe ab Alexandro V. eo anno die 4. Aprilis *archiepiſcopum Thebanum.*

XIII. Jacobus.
XIV. Joannes.

Sede Thebana vacante per obitum *Jacobi*, huic præfectus eſt à Martino V. die 19. Febr. anno 1418. *Fr. Joannes de Pontremulo*, Minorita, in ſacra pagina magiſter. Ita præfatus Wadding. *ibid.* ad eum annum, *n. 35. p. 121.*

XV. Zanetus.

Idem Waddingus, *tom. 6.* ad annum 1475. *n. 7. p. 822.* ſcribit *Fr. Zanetum*, Utinenſem, Minoritam, eo anno archiepiſcopum Thebanum renuntiatum eſſe à Sixto IV. Papa. Addit vero *to. 7. p. 153.* eum obiiſſe an. 1483.

II. ECCLESIA CASTORIÆ.

SUPRA vidimus ſub archiepiſcopis Thebanis ritus Latini epiſtolam 139. lib. XIII. epiſtolarum Innocentii III. ſcriptam fuiſſe *Caſtorienſi & Zaratorienſi epiſcopis eccleſiæ Thebanæ ſuffraganeis* die 4. Octobris anno 1210. de obedientia ab ipſis præſtanda ſuo metropolitano archiepiſcopo Thebano recens promoto. De Caſtoria mentio fit *in hiſtoria belli ſacri, n. 9. tom. 1.* Muſæi Italici Mabillon. *pag. 145.* Caſtoriam abbas de Commanville *in ſerie epiſcopatuum totius orbis, p. 208.* ſub Thebis cum Zaradonia & Pelope recenſet. Alterius quoque Caſtoriæ meminit, *pag. 216.* ſub Achrida ſeu Juſtiniana prima, de qua facit quoque mentionem Mich. Anton. Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 242. col. 1.* & *Caſtoria Caſtra* nuncupat. Cæterum *Caſtoria* præſentis loci jam à primis ſæculi XIII. annis epiſcopos aliquot ritus Latini habuit.

EPISCOPI CASTORIÆ.

* * *

ANno 1208. ſedebat *epiſcopus Caſtoriæ*, cui eo anno, ut & Athenienſi & Thebano epiſcopis ſcripſit Innocentius III. epiſtolam 154. lib. XI. datam IV. Nonas (id eſt die 4.)

B Octob. pro viris eccleſiaſticis de Larce diœceſis Lariſſienſis, quos nobilis vir Guillelmus indebite vexabat. Eidem etiam, aliiſque præſulibus datæ ſunt epiſtolæ 139. & 192. lib. XIII. anno 1210. Quandonam ille obierit, quive fuerint ipſius ſucceſſores ignoramus.

III. ECCLESIA ZARATORIÆ.

DE *Zaratoria* nihil amplius ac de Caſtoria nobis compertum eſt. Huic ſcimus duntaxat initio ſæculi decimi tertii præfuiſſe epiſcopum Latini ritus, ad quem, vel de quo extant nonnullæ Innocentii III. epiſtolæ, ipſum vero Thebani ejuſdem generis archiepiſcopi fuiſſe ſuffraganeum.

EPISCOPI ZARATORIÆ.

* * *

REcens evecto ad eccleſiam Thebanam præſule, epiſcopis Caſtorienſi & *Zaratorienſi* ejuſdem ſuffraganeis ſcripſit Innocentius III. epiſtolam 139. lib. XIII. datam Later. IV. Non. (id eſt die 4.) Octobris anno 1210. ut ipſi tanquam metropolitano morem gererent. Iiſdem die & anno Davalienſi & *Zaratorienſi* epiſcopis, & electo Nazoreſcenſi exarata legitur epiſtola 153. ejuſdem libri XIII. pro fratribus militiæ Templi adverſus dominum

C Nigripontis, à quo illi vexabantur. Eodem quoque anno 1210. epiſtola 192. data eſt XII. kal. Januarii (id eſt die 21. Decemb.) Athenienſi, Neopatrenſi, & Lariſſeno archiepiſcopis, & Davalienſi.... Caſtorienſi, & *Zaratorienſi* epiſcopis, & Thebano, Citrenſi, Nazoreſcenſi, & Valacenſi, de reſignationibus factis per nobiles Theſſalonicenſes.

Notandum porro obiter, ex epiſtola 155. hujus libri XIII. data VII. kal. Novemb. (id eſt die 26. Oct.) quæ inſcribitur: Cardicenſi & Davalienſi epiſcopis, & *electo Zaratorienſi*, minime

Digitized by Google

minime eſſe inferendum eo anno 1210. poſt diem quartam menſis Octobris, epiſcopo *Zaratorienſi* mortuo, vel ad aliam eccleſiam tranſlato, novum præſulem fuiſſe ſubſtitutum; quia mendum hîc occurrere evidens eſt, & legendum *electo Nazoreſcenſi*, ut in epiſtola 154. præcedenti, data die 20. Septembris, & in modo laudata 192. Id porro conſtat ex epiſtola 111. lib. XIV. anno 1211. die 30. Septembris, data *archiepiſcopo* & *decano*, & alii *canonico Thebanis*, de re eadem ac in illa ipſa epiſtola 155. lib. XIII. Ibi enim habetur: « Venerabiles fratres noſtri Davalienſis & » Cardicenſis epiſcopi per ſuas nobis litteras » intimarunt, &c. inter dilectos filios fratres » militiæ Templi ex parte una, & venerabilem » fratrem noſtrum Patracenſem archiepiſco- » pum ex altera vertebatur, *eis & dilecto filio* » *Nazarocenſi* (id eſt *Nazoreſcenſi*) *electo* duxerimus committendam, &c. »

Anno 1211. *epiſcopo Zaratonienſi* inquirere contra archiepiſcopum Neopatrenſem juſſit Innocentius epiſtola 98. lib. XIV. data die 21. Auguſti.

Anno ſequenti 1212. Thebano archiepiſcopo injunxit idem Pontifex epiſtola 26. A lib. XV. data VI. idus (id eſt die 8.) Aprilis, ut Zaratonienſi epiſcopo inopi opem ferret. Quum vero idem Thebanus præſul variis moleſtiis Zaratonienſem epiſcopum afficeret, modo ejus diœceſanos ab ipſo rationabiliter excommunicatos, recipiendo Thebis ad divina, modo ejuſdem ditionis loca nonnulla occupando; quin etiam decanus & canonici, ac laïci quidam Thebani, *in domum ipſius irruentes, & manus temerarias in illum injicientes, hominem, quem propter eorum ſævitiam brachiis tenebat propriis amplexatum, capere præſumpſerunt, & arctæ cuſtodiæ manciparunt:* ad inquirendum de his gravaminibus epi- B ſcopo Zaratonienſi injuſte illatis, epiſtolas 28. 29. & 30. lib. XV. datas diebus 7. 8. & 9. April. anni 1212. ſcripſit Innocentius Papa, quæ extant *tom. 2. edit. Baluz.* Thebanum tamen & Zaratonienſem antiſtites paulopoſt fuiſſe ad invicem reconciliatos exinde colligere eſt, quod ſequenti menſe eos ſimul cum Davalienſi epiſcopo circa aliquot negotia commiſerit ipſe Pontifex, tum epiſtola 60. lib XV. data die 21. Maii, tum etiam epiſt. 77. data die 25. ejuſdem menſis. An præſul iſte Zaratonienſis ſucceſſores habuerit nos latet.

PROVINCIA THESSALONICENSIS.

I. ECCLESIA THESSALONICÆ METROPOLIS.

THESSALONICA, urbs ampla Macedoniæ in Amphaxiti tractu & in ora littorali Plinio, Straboni & Stephano Byzantio, olim *Therme* dicta, ut quidam exiſtimant, nunc *Salonichi* incolis & Italis, muris antiquis cincta & probe culta, ad radices collis, cum arce in monte & portu commodo in intimo receſſu ſinus cognominis, olim *Thermaici* dicti: eſt autem emporium celebre, & pro maxima parte à Judæis inhabitatur, prope oſtia Echedori fluvii. Vendita fuerat anno 1423. Reipublicæ Venetæ à Joanne Palæologo Conſtantini ultimi Græcorum Imperatoris fratre, eo quod illam Græci nullomodo poſſent adverſus Turcas defendere; ſed anno 1431. Sultanus Amurathes II. eam obſedit, & tandem Venetis eripuit. Diſtat 220. milliar. à Dyrrachio in ortum Byzantium verſus 350. à Sardica 120. in meridiem, & itinere 38. horarum à Lariſſa. Hæc Baudrand, *to. 2. geogr. p. 310. col. 1.*

In notitiis Græcorum epiſcopatuum, quæ extant ad calcem Codini *de Officiis*, legitur, *pag. 350. Theſſalonicam* & quaſdam alias diœceſes à Romana ſede fuiſſe avulſas, & throno Conſtantinopolitano mancipatas. De ea etiam fit mentio, *pp. 372. 379. & 406.*

Poſt expugnatam à Francis & Venetis Conſtantinopolim, Theſſalonicam occupavit Bonifacius comes Montisferrati, acceptaque in matrimonium Maria vidua Iſaaci Imperatoris Græcorum, regnum Theſſalonicenſe Latinum auſpicatus eſt, quod magna parte provinciarum orientalis Illyrici conſtabat. Exinde archiepiſcopi Latini ritus Theſſalonicæ præfuerunt.

ARCHIEPISCOPI THESSALONICÆ.

I. NIVELO.

NIVELO de Cheriſy, patre Girardo de Chiriſiaco, Chiriſiaci & Mureti domino, & matre C Agnete, quondam Longipontis domina, natus, ad Sueſſionenſem ſedem promotus eſt anno 1175. & conſecratus eodem anno die IX. Auguſti. Gaufridus Villarduinus Mareſcallus

Digitized by Google

ECCLESIA THESSALONICÆ.

Campaniæ, refert in chronico expeditionis Conſtantinopolitanæ, ipſum præfuiſſe duodecim proceribus qui Balduinum Flandriæ Comitem in Imperatorem Conſtantinopolitanum anno 1204. elegerunt. Anno ſequenti 1205. ipſe creatus eſt archiepiſcopus *Theſſalonicenſis*. Quum autem Conſtantinopolim reverteretur, multoſque ex omni Gallia in auxilium Latinorum collectos milites ſecum deduceret, apud Barrum in Italia diem ſupremum clauſit anno 1207. die 14. Septemb. quo die fit mentio ejus obitus in abbatia monialium S. Joannis in Boſco. Albericus in chronico mortem illius ſub anno 1205. perperam recitat, quippe quum ſuperſint illius adhuc viventis inſtrumenta eo anno poſteriora in archivis Longipontis. Hæc Sammarthani *Gall. Chriſt. edit. Pariſ. anno 1656. in epiſcopis Sueſſionenſibus, to. 2. part. 2. pag. 1051. col. 1. num. 57.* Raynaldus, *tom. 13.* ad annum 1206. *num. 8.* refert conceſſum fuiſſe ab Innocentio III. Niveloni, ut retenta ſua Sueſſionenſi eccleſia, ad Theſſalonicenſem promoveretur, ut novo Imperatori Conſtantinopolitano Henrico præſto eſſet, donec ejus ſtabiliretur imperium. Hinc procul dubio eum *Sueſſionenſem* duntaxat *epiſcopum* nominat præfatus Albericus *chronici part. 2.* ad annum 1205. *p. 441.* dum ait: « Nevelo Sueſſionenſis epiſcopus à Conſtantinopoli reverſus in Gallias, plurimas Sanctorum ſecum ferens reliquias, qui quum eſſet in itinere poſitus, obiit in Appulia, ſepultuſque fuit in Barrenſi ſancti Nicolai eccleſia. Reliquias vero quas habebat, ſub teſtamento deſignavit ad diverſas eccleſias: eccleſiæ Catalaunenſi dedit cubitum ſancti Stephani, & epiſcopus Garnerus miſit Trecas caput Philippi Apoſtoli. »

II. PETRUS *electus*.

Innocentius III. epiſtola 106. lib. XI. data V. kal. Julii (id eſt die 27. Junii) anno 1208. *tom. 2. edit. Baluz. pag. 188. col. 2.* cuidam *epiſcopo Yporienſi* ſcripſit in hunc modum: « Quum Theſſalonicenſis metropolis, quæ in regno Græcorum quaſi præcipua poſt Conſtantinopolitanam ſedem habetur, paſtoris ſit regimine deſtituta, nos ei volentes paterna ſollicitudine providere, perſonam tuam, quam multiplici dote virtutum reputamus idoneam, ejus regimini duximus deputandam, terræ Poteſtatis (id eſt Domini) accedente conſenſu, quin etiam deſiderio concurrente, &c. »

Yporienſis autem epiſcopus iſte in Theſſalonicenſem archiepiſcopum electus an. 1208. alius fuiſſe non videtur à *Petro,* de quo ita ſcribit Ughellus, *tom. 4. Ital. ſac. vet. edit. in Eporedienſibus epiſcopis, col. 1498. n. 24.* B. « Petrus, natione Pedemontanus, monachus Ordinis Ciſtercienſis, & abbas cœnobii Firmitatis (la Ferté) Cabilonenſis diœceſis, vir potens in opere & ſermone.... à capitulo Eporedienſi epiſcopus electus anno 1205. & confirmatus, quum ad eccleſiam ſibi creditam acceſſiſſet, poſt paucos dies, quieti & contemplationi intentus, illa abſque Romani Pontificis venia relicta, fugit in abditis nondum conſecratus. (At) Innocentius III. doctiſſimam ei ſcripſit epiſtolam, qua Patrum canonumque auctoritate pleniſſime docuit electum aliquando epiſcopum haud à ſponſæ vinculo abſolvi & divelli poſſe abſque Romani Pontificis auctoritate, non ſecus ac ſi conſecrationis munus recepiſſet. » Hanc epiſtolam, datam Later. XII. kal. Nov. anno IX. (id eſt die 21. Octob. anno 1206.) exhibet Ughellus, & ſtatim ſubdit, *col. 1501.* D. « Paruit Petrus ſummi Pontificis mandato, &... ad ſponſam reverſus, in epiſcopum conſecratur, & veluti lucidiſſimum ſidus eccleſiam ſuam, provinciamque totam inradiavit, &c. Anno 1209. Antiochenus Patriarcha in Oriente creatus, cujus mentio eſt in epiſtolis Innocentii. » Reipſa, in epiſtola 8. lib. XII. hujus Pontificis, *Patriarchæ Hieroſolymitano apoſtolicæ ſedis legato* data III. Non. (id eſt die 5.) Mart. anno XII. Chriſti 1209. legitur. « Attendentes, &c. poſtulationem quam dilecti filii canonici Antiocheni de venerabili fratre noſtro *Yporienſi epiſcopo,* tuo ſtudio mediante, fecerunt, de conſilio fratrum noſtrorum duximus approbandam, &c. » Item in epiſtola 38. ejuſdem libri, *decano & magiſtris R. & P. canonicis Antiochenis, & univerſis clericis in caſtro Curſarii commorantibus,* data Viterbii VII. kal. Jun. (id eſt die 26. Maii) eodem anno, ait: « Hinc eſt ſiquidem quod quum Antiochena eccleſia proprio viduata paſtore venerabilem fratrem noſtrum *Petrum,* nunc Patriarcham Antiochenum, *tunc Yporienſem epiſcopum poſtulaverit in paſtorem,* &c. »

Ughellus quidem eò loci nullum verbum habet de electione hujus Petri in archiepiſcopum Theſſalonicenſem; verum quum aſſerat *Petrum* eccleſiæ Yporienſi ab anno 1206. uſque ad 1209. præfuiſſe, conſtet etiam ex epiſtola 106. lib. XI. Innocentii ſupra laudata, Yporienſem epiſcopum fuiſſe electum *Theſſalonicenſem præſulem* anno 1208. ſequitur omnino præſulem hunc ipſum Petrum fuiſſe, qui tamen electioni ſuæ non conſenſerit, utpote qui anno 1209. ex ſede Yporiana ad patriarchatum Antiochenum fuerit tranſlatus. Obiit in Oriente anno 1217.

III. GUARINUS.

Guarinus ex eccleſia Verifienſi, (ad quam

Digitized by Google

ECCLESIA THESSALONICÆ

eum electum confirmaverat & conſecrarat Innocentius III. ut ipſe teſtatur epiſtola 35. lib. x. data die 30. Martii anno 1207.) ad Theſſalonicenſem tranſiit. Recuſante enim Petro epiſcopo Yporienſi anno 1208. hanc ſedem, Veriſienſem archiepiſcopum ſibi dari in præſulem poſtularunt ab Innocentio Papa non ſolum canonici ſanctæ Sophiæ Theſſalonicenſis, ſed etiam Maria vidua Bonifacii marchionis Montisferrati, aliique regni Theſſalonicenſis proceres. Id indicat Innocentius epiſtola 171. lib. XI. data eodem anno 1208. die 1. Novembris, qua *Lariſſeno & Thebano archiepiſcopis* injungebat ut de ea poſtulatione ſedulo inquirerent. Diu de ea poſtulatione litigatum videtur, ſiquidem anno duntaxat 1210. Guarinus eccleſiæ Theſſalonicenſis poſſeſſionem inire permiſſus eſt epiſtola 13. lib. XIII. Innocentii Papæ, archiepiſcopo Neopatrenſi & Cermopilenſi epiſcopo, & electo Avelelenſi data eo anno die XI. Mart.

Is anno 1212. eccleſiæ ſuæ Theſſalonicenſis privilegia à ſede apoſtolica confirmari obtinuit epiſtola 18. lib. XV. præfati Innocentii, *G. Theſſalonicenſi archiepiſcopo ejuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum,* data eo anno die 7. April. In ea ſuffraganeas Theſſalonicæ eccleſias recenſens ait: « Ad » hæc ipſi Theſſalonicenſi metropoli ſuam » confirmamus provinciam, in qua ſubſcriptos » epiſcopatus ſpecialibus nominibus duximus » exprimendos, videlicet *Citrenſem, Berienſem,* » *Campanienſem, Vardarienſem, Servienſem,* » *Petrenſem, Platomonenſem, Langardenſem,* » *Adramerienſem, Neriſienſem & Caſſandrenſem.* » Quæ probabiliter eædem ſunt ſedes ac in notitiis, *pag. 379.* ſed quarum nomina magna ex parte amanuenſium incuria corrupta ſunt. Eidem ſcriptæ hoc anno 1212. de variis negotiis occurrunt epiſtolæ, ſcilicet 42. 69. 75. & 80. lib. XV. Item in epiſtola 86. ejuſdem Papæ exhibetur quædam epiſtola hujus archiepiſcopi Theſſalonicenſis ad ipſum Papam. Nil autem vetat quin fuerit ille Theſſalonicenſis præſul, quem & ejus epiſcopos Pontifex ad concilium Lateranenſe vocavit. *In eodem modo* (archiepiſcopo & epiſcopis) *per Theſſalonicenſem* (provinciam conſtitutis) *tom. XI. conc. Labb. part. 1. col. 125.* C. Idem quoque fortaſſis extitit, de quo Raynaldus, *tom. 13. annal.* ad annum 1222. *n. 25. p. 322.* hæc ait: « Theodorus (Angelus Comnenus) » potiundi imperii ambitione æſtuans, quum » Demetrius Theſſalonicæ rex ad contrahenda » auxilia veniſſet in Italiam, ut Gregoras ſcribit » (lib. 2. cap. 2.) occaſione uſus, expugnatis » pluribus arcibus urbibuſque, Theſſalonicam » regni principem in ſuam poteſtatem redegit, » ac mox ea victoria elatus, imperialia ſigna corripere meditatus, quum *Theſſalonicenſem* « *archiepiſcopum,* ut iis ipſum redimiret, ad- « ducere non potuiſſet, ea à Bulgariæ archi- « epiſcopo eblanditus, Imperatorem ſe geſſit. » In indice ad calcem hujus voluminis Raynaldi *pag. 73. col. 3.* ubi de hoc Theodoro, additur: *Archiepiſcopum Theſſalonicenſem detrectantem ipſum inungere, pellit in exilium.*

IV. * * *

Ex Alberici chronico, *part. 2. pp. 572. & 573.* ad annum 1239. expeditione in Paleſtinam à Francis ſuſcepta, « juvenis Imperator Balduinus (hujus nominis II.) Petri Comitis « Antiſſiodorenſis filius ultimus, habuit in co- « mitatu ſuo viros nobiles, Thomam de Marla « fratrem Ingelrami de Coci de parentela ſua, « Humbertum de Bellojoco cognatum ſuum, « Joſſerannum Groſſum de Burgundia, *quem-* « *dam archiepiſcopum qui fuerat Theſſalonicenſis,* « &c. »

V. Ludovicus I.

Waddingus, *to. 3.* ad annum 1345. *n. 8. p. 531.* refert ad Theſſalonicenſem eccleſiam in Theſſalia ſub Patriarcha Conſtantinopolitano dudum vacantem, *Fr. Ludovicum de Urbe veteri,* Minoritam, evectum fuiſſe à Clemente VI. 30. Jul. eo anno per diploma, quod ipſe profert *in Reg. Pontif. pag. 324.*

VI. Ludovicus II.

Ughellus, *tom. 3. Ital. ſac. col. 550. vet. edit. num. 64.* B. ſcribit *Ludovicum Bonetum,* Siculum, patria Agrigentinum, ad eccleſiam Panormitanam evectum eſſe ab Urbano VI. anno 1383. deinde tranſlatum ſucceſſive ad plures alias, ſcilicet ad Antibarenſem anno 1395. à Bonifacio IX. *ad Theſſalonicenſem* anno 1396. die 22. Maii, ad Bergomenſem in Inſubria anno 1399. die 5. Septembris, ad Piſanam anno 1400. die 15. Novembris ab eodem Pontifice; denique ad Tarentinam ab Innocentio VII. anno 1406. eumdem Cardinalium quoque purpura ornatum fuiſſe à Gregorio XII. anno 1408. die 18. Septemb. obiiſſe tandem Arimini anno 1413. die 13. Septembris.

VII. Paulus.

Idem Ughellus, *tom. 6. Ital. ſac. vet. edit. col. 502. n 27.* D. de quodam Paulo hæc ait: « *Fr. Paulus de Urbe,* Ordinis Min. ſucceſſor datus eſt (in Æſernienſi ſede) Philippo ad « Tiburtinam eccleſiam tranſlato eodem anno « 1367.... eoque munere ſe abſolvit anno 1376. « ac deinde ab Urbano VI. tranſlatus eſt ad « archiepiſcopalem ſedem Montis Regalis in « Sicilia die 13. Februarii 1379. Varia deinde «

Digitized by Google

ECCLESIA CITRI.

» fortuna in ea dignitate vixit ad annum uſque A » 1418. quo à Martino V. ad Theſſaloni- » cenſem eccleſiam tranſlatus eſt; antea The- » banam habuerat commendatam, ut *in lib. oblig.* obſervavimus.» Hunc Waddingus non recenſet inter præſules ſui Ordinis, Rocchus autem Pirrus de eo agens inter archiepiſcopos eccleſiæ Montis Regalis in Sicilia, *tom. 1. Sicil. ſac. pag 420. num. 15.* ſe neſcire fatetur cujus inſtituti religioſi Paulus iſte fuerit.

II. ECCLESIA CITRI.

CITHRON ſive *Citrum,* urbs Macedoniæ Straboni, quæ poſtea *Pydna* dicta in Pieria, olim epiſcopalis ſub archiepiſcopo Theſſalonicenſi, deinde metropolis effecta, in ora ſinus Thermaici, nunc etiam *Chitro* dicta, teſte Sophiano, ab urbe Theſſalonica diſtat 40. circiter milliar. in meridiem. Ita Baudrand, *tom. 1. geogr.* ad vocem *Citron, pag. 274. col. 1.* & *tom. 2. pag. 151. col. 1.* ad vocem *Pydna.*

EPISCOPI CITRI.

I. * * *

ANno 1208. epiſcopo *electo Citrienſi* permiſit Innocentius III. epiſtola 115. lib. XI. data die 14. Jul. ut propter ipſius inopiam, ſimul cum Citrienſi eccleſia, Platamonenſem quoque ei contiguam adminiſtraret. Eidem ut electo inſcripta eſt, tum epiſtola 244. ejuſdem libri, data die 23. Jan. anni ſequentis, tum epiſtola 252. data die 6. Februarii de diverſis negotiis.

Is nondum conſecratus erat, neſcio qua de cauſa, anno 1210. quo adhuc *Citrenſis electus* memoratur in quibuſdam epiſtolis lib. XIII. præfati Pontificis, ſcilicet 103. & 111. B datis diebus 2. & 10. Jul. 151. & 152. datis die 18. Septembris, & 192. data die 21. Decembris. Nihil aliud circa illum præſulem mihi occurrit.

II. JOANNES.
III. HERMANNUS.

Joanne quodam epiſcopo Citrenſi mortuo, ei ſuffectus eſt anno 1432. die 26. Martii ab Eugenio IV. *Fr. Hermannus de Gherden,* Ordinis Præd. cujus non meminere præſulum hujus Ordinis nomenclatores; ſed id conſtat ex præfati Pontificis diplomate *Summi diſpoſitione Rectoris,* quod exhibet R. P. Bremond, *tom. 3. Bullar. pag. 213.* ad annum 1432.

PROVINCIA TRAJANOPOLIS.

I. ECCLESIA TRAJANOPOLIS METROPOLIS.

TRAJANOPOLIS, urbs Thraciæ Antonino & Ptolemæo, antea *Zernis* dicta, adhuc *Trajanopoli* appellatur, & archiepiſcopalis eſt ad Hebrum fluvium, 25. milliar. diſtans à Cypſella in ſeptentrionem, uti 40. ab ora maris Ægæi, Hadrianopolim verſus vix 45. eſtque nunc parva admodum & male culta. Ita Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 326. col. 2.* In notitiis Græcorum epiſcopatuum ad calcem Codini *de Officiis, pp. 338. & 366.* inter cæteras throno Conſtantinopolitano ſubditas, loco trigeſimo recenſetur Trajanopolis. *In provincia Rhodopes, Trajanopoleos XXX.* Ἐπαρχίας Ῥοδόπης, ὁ Τραϊανοῦ πόλεως λ'.

ARCHIEPISCOPI TRAJANOPOLIS.

I. LADISLAUS.
II. BENEDICTUS.

WADDINGUS, *tom. 7. annalium Min.* ad annum 1493. *num. 39. pag. 314.* refert poſt C obitum *Ladiſlai* archiepiſcopi Trajanopolis, ad eam ſedem promotum eſſe *Fr. Benedictum de Zegedino,* Minoritam, eo anno die 2. Januarii ab Alexandro VI.

Digitized by Google

II. ECCLESIA RUSII.

RUSIUM, urbs Thraciæ cis Rhodopen Cedreno, quæ *Topiris* Ptolemæo, & *Doberus* Thucydidi, epiſcopalis ſub archiepiſcopo Trajanopolitano, nunc *Ruſio* dicitur, teſte Sophiano. [Certe in notitiis ad calcem Codini *de Officiis, pag. 404.* legitur *Topirus nunc Ruſſium.*] Hæc civitas 8. milliar. diſtat ab ora maris Ægæi in ſeptentrionem, 90. vero ab Hadrianopoli in occaſum hybernum. Hæc Baudrand, *tom. 2. pag. 185. col. 1.*

EPISCOPI RUSII.

I. JOANNES.

FR. *Joannes Carnutenſis,* Gallus, Ordinis Prædic. inſignis theologus, Laureatus Pariſienſis, linguarum peritia excultus, ab Urbano V. Ruſionenſi eccleſiæ epiſcopus datus eſt anno 1368. Ita Fontana *Theat. Domin. p. 280. tit. 498.* ex Nicolao le Febvre ejuſdem Ordinis in Manuali eccleſiaſtico hiſtorico *in-8.º edit. Rupellæ 1646.* ad annum 1368. Addit Fontana *in monum. Domin.* ad annum 1366. A *p. 232. col. 1.* ab eo Joanne multos Græcos ad communionem Romanam fuiſſe perductos.

II. HENRICUS I.

III. HENRICUS II.

Sede Ruſionenſi vacante per obitum *Henrici,* renuntiatus eſt hujus eccleſiæ præſul à Bonifacio IX. anno 1391. die 29. Decemb. *Henricus Ringourt,* Ordinis Min. alumnus, teſte Waddingo, *to. 4.* ad eum annum, *n. 3. pag. 289.*

PROVINCIA TRAPEZUNTINA.

ECCLESIA TRAPEZI METROPOLIS.

TRAPEZUS, urbs ampla Aſiæ minoris in Cappadocia, cujus caput exiſtit, Straboni, Plinio & Melæ, Sinopenſium colonia, nunc *Tarabofan* dicta incolis & Turcis, teſte Leunclavio, & *Trebiſonda* Italis, urbs etiamnum clara, præfecturæ Trapezuntinæ caput, cum portu capaci in ora Ponti-Euxini: aliquando etiam Imperatorum Græcorum ſedes fuit, Imperatoreſque ſibi proprios è gente Laſcara per annos 200. habuit, nempe ab anno 1261. uſque ad annum 1460. quo tandem ſub Davide à Mahumete II. Imperatore Turcarum vaſtata eſt. Ejus regibus ſuberant Cappadocia & Colchis. Ipſa vero ſita eſt ad radices montis, ubi ora in boream Colchos verſus flecti incipit, vix 40. milliar. diſtans in ſeptentrionem à confinio Armeniæ minoris, 35. à confinio Colchidis in occaſum Polemonium verſus. Archiepiſcopalis eſt (tranſlata nempe ad eam metropolitica Phæſidis nunc dirutæ dignitate.) Ita Baudrand, *tom. 2. geogr. pp. 102. col. 2. & 329. col. 2.*

Inter metropoles Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubjectas *Trapezus* ſervabat locum 33. juxta diſpoſitionem Leonis Sapientis, ut conſtat ex notitiis Græcorum epiſcopatuum ad calcem Codini *de Officiis, pag. 379.* λγ'. Ἡ Τραπεζοῦς, *33. Trapezus.* Et *pag. 392.* ſub throno 33. τοῦ Τραπεζοῦντος Λαζικῆς *Trapezuntis Lazicæ* (provinciæ.) At eadem Trapezus ex diſpoſitione Andronici ſenioris, de loco 33. ad 40. deſcendit, *ibid. pag. 401. num. 40.* In anterioribus autem notitiis de Trapezunte nulla fit mentio, ſed provinciæ Lazicæ *Phazis* dicitur metropolis, eique aſſignatur locus 28. Ἐπαρχίας Λαζικῆς, ὁ τοῦ Φάσιδος κη'. *In provincia Lazicæ, Phaſidis XXVIII. pp. 338. 348. 366. & 377.* Trapezuntis non pauci ſuppetunt præſules Latini, utique tum propter Venetos & Genuenſes ibi degentes, tum etiam propter eos qui opera miſſionariorum ad fidem Romanam iis in regionibus convertebantur.

ARCHIEPISCOPI TRAPEZI.

I. ANTONIUS.

WADDINGUS, *tom. 3.* ad annum 1344. *num. 2. pag. 523.* profert epiſtolam Clementis VI. Guidoni regi Armeniæ datam III. idus (id eſt die XI.) Septemb. eo anno, in qua hæc ait Pontifex: « Pridem ad noſtram venientes præſentiam, & tuæ celſitudinis «

Digitized by Google

ECCLESIA TRAPEZI.

» litteras præſentantes venerabiles fratres noſ- A
» tros Joannem Maſcarenſem & *Antonium*
» *Trebeſonenſem* epiſcopos, ac dilectos filios
» Danielem Armenum Ordinis FF. Min. &
» nobilem virum Gregorium de Sargiis militem
» ambaxiatores & nuntios regios benigne recepimus, &c.» Probabile videtur duos illos epiſcopos ejuſdem fuiſſe ritus & communionis ac Fr. Danielem, Minoritam, eorum in hoc itinere ſocium: miſſi utique fuerant ab illo rege, qui fidem Romanam profitebatur, & pleniorem de ea inſtructionem à Clemente expetebat. Hujus Guidonis meminit Raynaldus ad eum annum, *num. 7.* Cæterum mihi perſpectum non eſt quænam fuerit eccleſia *Maſcarenſis,* cui tunc *Joannes* præerat. *Antonii* vero hîc meminimus ex hypotheſi quod præſul Latinus extiterit.

II. MATTHIAS.

Anno 1346. *Matthias* epiſcopus erat Trapezundæ, qui eo anno eccleſiam & altaria Clariſſarum monaſterii loci dicti *Condendoerſter* in Opbruſſella Cameracenſis diœceſis conſecravit ex commiſſione Pontificis, teſte C eodem Waddingo, *ibid.* ad annum 1344. *num. 15. pag. 528.*

III. ALEXANDER.

IV. JOANNES.

V. BARTHOLOMÆUS.

Ex jam laudato Waddingo, *tom. 4.* ad annum 1390. *num. 12. pag. 287.* eccleſia Trapezundenſi ad mare Euxinum ſub Patriarcha Conſtantinopolitano vacante per tranſlationem *Alexandri* ad Caffenſem die 9. Novemb. D eo anno, ei ſuffectus eſt *Fr. Joannes Mundel,* Minorita à Bonifacio IX.

Thomas Herrera, *Alphab. Auguſtin. to. 1. p. 106. col. 2.* ſcribit *Bartholomæum Joannis,* Eremitam Auguſtinianum, renuntiatum eſſe epiſcopum Trapeſundenſem an. 1390. die 15. Novembris. At non video quomodo id cohæreat cum promotione Fr. Joannis Mundel die 9. ejuſdem menſis facta, niſi Joannes iſte ſuæ electioni conſentire noluerit.

VI. * * *

VII. MICHAEL.

VIII. NICOLAUS.

Trapeſundarum in Lazica urbis archiepiſcopum *Fr. Michaelem* (Ordinis Minorum) ſedis apoſtolicæ pœnitentiarium, per obitum *N.* anno 1409. die 23. Octobris (renuntiavit Alexander V.) Ita præfatus Waddingus, *to. 5.* ad eum annum, *num. 15. pag. 64.* qui ſtatim ſubdit: *Trapezuſarum (urbs eſt mediterranea Ponti Cappadociæ) Fr. Nicolaum de Gummidia,* B *ſacræ theologiæ magiſtrum, per obitum N. die 2. Decemb.* Me fugit quænam ſit hæc *Trapezus* diverſa à priori. Fortaſſis eadem eſt, cui Gregorius XII. vel Benedictus XIII. ratam non habentes ab Alexandro V. peractam Michaelis promotionem, Nicolaum hunc præfecerit.

IX. PAULUS.

Idem Waddingus, *ibid.* ad annum 1414. *num. 8. pag. 88.* ait: «Trapeſundenſem archiepiſcopum ad mare Euxinum ſub Patriarcha «
Conſtantinopolitano *Fr. Paulum Marklini,* «
per obitum Nicolai de Gummidia, etiam «
Minoritæ, (die 31. Januar. eo anno inſtituit «
Joannes XXIII.)» Quibus verbis roborari videtur conjectura modo allata: quem enim *Trapezurarum* aſſeruerat præſulem Nicolaum Waddingus, hîc *Trapeſundenſem* archiepiſcopum fuiſſe ſcribit, nullo locorum adducto diſcrimine.

X. MARCUS.

Martinus V. anno 1427. die XI. Aprilis *Fr. Marcum Viarum,* Venetum, Minoritam, ad Trapezundarum archiepiſcopatum in mari Euxino evexit. Ita laudatus Waddingus, *ibid.* ad eum annum, *num. 20. pag. 190.*

XI. GREGORIUS.

Anno 1437. *Gregorius de Corſanego* de Pera, epiſcopus erat Trapeſundenſis: de eo enim mentionem fieri eo anno in Regiſtris Generalium Ord. Eremitarum S. Auguſtini teſtatur Herrera, *Alphabeti Auguſtinani to. 1. p. 297. col. 1.* qui exinde colligit Gregorium hunc ejuſdem Ordinis fuiſſe alumnum.

Digitized by Google

PROVINCIA VERISIENSIS.

I. ECCLESIA VERISIENSIS METROPOLIS.

IN epiſtolis Innocentii III. frequens de eccleſia Veriſienſi occurrit mentio, quæ extabat in Macedonia, vel Thracia, non longe à Theſſalonica, Thebis, ſimilibuſque harum regionum urbibus; at de ea alibi nihil potui detegere. Haud ſcio an de illa accipiendum ſit quod legitur ad calcem *geogr. ſac.* Caroli à S. Paulo, *edit. Pariſ. 1641. pag. 76. in notitia antiqua Latina regiæ bibliothecæ. Archiepiſcopus Veriſienſis hos habet ſuffraganeos, Ruſiorenſem, Aptenſem, Kiptalenſem.* Huic autem metropoli ſæculo decimo tertio nonnulli præfuerunt Latini ritus antiſtites.

ARCHIEPISCOPI VERISIENSES.

I. Guarinus.

GUARINUS iſte ad ſedem Veriſienſem evectus eſt exeunte anno 1206. vel initio anni ſequentis. Id colligitur ex epiſtola 35. lib. x. epiſtolarum Innocentii III. *clero & populo Veriſienſi* data die 30. Mart. anno 1207. *tom. 2. edit. Baluz. pag. 17. col. 1.* Epiſtola autem 37. eodem die data illi permiſit ut, « quum Conſtantinopolitanum imperium » nondum ſit adeo ſolidatum, quin adhuc ex » magna parte fluctuet, &c. beneficia quæ in » prænominata civitate (Conſtantinopolitana) » antequam ad onus paſtoralis officii fuiſſet aſ- » ſumptus, canonice fuerat aſſequutus, cum » omnimoda integritate retineret, donec ſibi » (Papæ) & ſucceſſoribus ſuis viſum fuerit expedire.» Eidem quoque ſcriptæ fuerunt de variis negotiis epiſtolæ 36. & 125. ejuſdem libri x. anno præfato 1207. epiſtolæ itidem 13. 16. 18. 35. 41. & 77. lib. xi. anno 1208. ſimiliter epiſtolæ 114. & 115. lib. xii. anno 1209. Electus eſt anno ſequenti 1210. in A archiepiſcopum Theſſalonicenſem, ut ſupra dictum fuit, *col. 1092.* E. & *col. 1093.* A.

II. ***

Guarino è ſede Veriſienſi ad Theſſalonicenſem tranſlato ſuffectus eſt aliquis, cujus nomen ignoramus. Is electus quidem erat die 7. Decemb. anno 1210. ut modo patebit, at non conſecratus fuit, niſi poſt diem 26. Julii anni ſequentis 1211. epiſtola enim 90. lib. xiv. Innocentii III. iis die & anno data, B inſcripta eſt *epiſcopo Salimbrienſi, & Variſienſi electo,* &c. quos ſcilicet committit Pontifex, ut de validitate electionis præſulis Nicomedienſis inquirerent, eamdemque, ſi rite factam repererint, auctoritate apoſtolica confirmarent.

Is probabiliter fuit, quem idem Pontifex ſuis litteris encyclicis, datis die 19. Aprilis anno 1213. ad ſynodum Lateranenſem anno 1215. celebrandam vocavit. *In eodem modo archiepiſcopo & epiſcopis per Veriſienſem* (provinciam *conſtitutis*) *to. XI. conc. Labb. part. 1. col. 126.* A.

II. ECCLESIA MEDENSIS.

DE eccleſia Medenſi nihil aliud nobis compertum eſt, niſi hanc initio ſæculi decimi tertii Veriſienſis metropolis fuiſſe ſuffraganeam, & anno 1210. eidem Veriſienſi unitam eſſe ab Innocentio III. Id conſtat ex ejus epiſtola 185. lib. xiii. data eo anno die 7. Decemb. in qua hæc legere eſt: « Quum eccleſia Veriſienſis, quæ metropolitica eſt prædita dignitate, in redditibus ſit exilis, ne præ nimia paupertate in ea nomen epiſcopale vileſcat, nobis fuit « humiliter ſupplicatum ut Medenſem eccleſiam in ejus provincia conſtitutam, eidem adjun- « gere dignaremur, quum nondum quiſquam ejus regimini ſit præfectus. Quocirca diſcretioni « veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatenus, ſi eam vacare, ac de ipſius provincia eſſe « conſtiterit, curam ejuſdem dilecto filio Variſienſi electo auctoritate apoſtolica committatis, « ut eam teneat commendatam, donec de illa nos vel ſucceſſores noſtri aliter duxerimus diſ- « ponendum; ita quod diſtrahendi vel alienandi quoquomodo poſſeſſiones ipſius nullam habeat « penitus poteſtatem, &c.» Quid circa illam eccleſiam deinceps ordinatum fuerit nos latet.

BIBLIOTECA ... CENTRAL

Digitized by Google

PROVINCIA ZICHIÆ *ſive* ZECHIÆ IN SCYTHIA.

CAROLUS à S. Paulo *geogr. ſac. edit. Pariſ. anni 1641. p. 235.* ſcribit tres in Scythia ſedes epiſcopales erui ex notitia Græca, ſcilicet *Cherſonum, Boſphorum* & *Zicchiam.*

Cherſonus eadem eſt veriſimiliter, ac *Cherſoneſus* in Taurica Cherſoneſo.

Boſphorus ſive *Voſprus* extat pariter in Taurica Cherſoneſo.

Zicchia demum, ut caput provinciæ ejuſdem nominis recenſetur in notitiis Græco-Latinis, ad calcem Codini *de Officiis,* ſic *pag. 403. num. 93. Zecchiæ civitas, quum archiepiſcopatus eſſet, ad metropolitani honorem evecta eſt:* ſic etiam ſuperius, *p. 339. In provincia Zicchiæ* (epiſcopus) *Cherſonis.*

Zecchiæ quidem archiepiſcopum Latini ritus ſub *Zecchiæ* nomine adhuc reperi neminem; at probabile eſt archiepiſcopum *Matrigenſem* in regno *Zecchiæ,* cui aſſignatos infra videbimus quoſdam ſuffraganeos epiſcopos Latinos, vel fuiſſe ipſum *Zecchiæ* metropolitam, vel in ejus locum ſucceſſiſſe. Certe una ex notitiis laudatis inter archiepiſcopos Autophalos, omiſſa Zecchia, habet *Metrachia, pag. 381. num. 39.* Urbs porro *Metrachia* apud abbatem de Commanville, *pag. 227.* cum Zichia, Tomis, Cherſone, Boſphoro, Alania, Litbadia, Nicopſi & Monte Caucaſo, ſub Caffa ſeu Theodoſia metropoli in Scythia & Cherſoneſo Taurica legitur: ita ut extra omnem rationem non fuerit, ex ſede *Metrachenſi Matrigenſem* archiepiſcopum eſſe denominatum.

In Taurica autem Cherſoneſo & locis adjacentibus nobis occurrerunt præſules Latini Caffenſes, Soldayenſes, Saraënſes, Camacenſes ſive Cumuchenſes, Symbolienſes, Tanenſes, Cherſonenſes, Voſprenſes, Matrigenſes, Sybenſes & Lucucenſes, de quibus ſigillatim nonnihil dicendum.

I. ECCLESIA CAFFENSIS.

CAFFA ſive *Capha,* ex Mich. Anton. Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 205. col. 2.* & *tom. 2. pag. 308. col. 1.* urbs eſt Tartariæ minoris in Taurica Cherſoneſo, ampla & probe culta, cum portu & emporio in ora Ponti-Euxini, ſub dominio Turcarum: antea epiſcopalis erat nemini ſuffraganea. Vulgo creditur eſſe, quæ antiquitus dicebatur *Theodoſia* ſeu *Theudoſia*: cenſet tamen D. Sanſon *Theodoſiam* fuiſſe olim, quæ nunc *Tuſba* appellatur; *Caffam* vero fuiſſe *Cavum,* ubi Tauro-Scytharum portus, & creviſſe ex Theodoſiæ ruinis, à qua 30. milliaribus diſtat in occaſum.

EPISCOPI CAFFENSES.

Joannes. I. HIERONYMUS I.

CAVALERIUS, *tom. 1. pag. 28. num. 67.* & P. Echardus, *tom. 1. in indice epiſcoporum p. 26. col. 2.* aſſerunt quemdam *Fr. Joannem,* Rotomagenſem, Ord. Præd. à Clemente IV. eccleſiæ Caphenſi fuiſſe præpoſitum circa annum 1268. Verum quia urbem hanc in ſedem epiſcopalem erexit Joannes XXII. anno 1317. vel ſequenti, primumque ejus epiſcopum conſtituit Fr. Hieronymum, Minoritam, dicendum Joannem hunc videtur, ſi unquam eccleſiæ præfuit Caffenſi, Hieronymo iſto eſſe poſteriorem.

Hieronymus autem unus fuerat ex epiſcopis Minoritis miſſis in Tartaria à Clemente V. abſque titulo alicujus eccleſiæ, quem Joannes XXII. erecta villa Caphenſi diœceſis Cam-A balienſis in civitatem & ſedem epiſcopalem, ei in epiſcopum præfecit anno 1318. Certe in diplomate *Exultavit,* dato eo anno die 28. Mart. quod profert Raynald. ad illum annum, *nn. 13. & 14.* nominatur *epiſcopus Caphenſis.* Vivebat adhuc anno 1323. quo conſtitutioni ejuſdem Pontificis, latæ die 12. Novembris de paupertate Minoritarum, ſubſcripſit, teſte eodem Raynaldo ad eum annum, *num. 63.* Legendus Waddingus, *tom. 3. annalium* ad B annum 1320. *n. 7. p. 246.* & ad annum 1323. *num. 3. pag. 295.* & *in Regeſto Pontif. pag. 116.* Legenda quoque epiſtola 8. Sanuti Torcelli ad hunc Hieronymum ſcripta anno 1324. ad calcem libri *Geſta Dei,* &c. *pag. 299.*

II. THADDÆUS.

Ante menſem Octob. anni 1323. eccleſiæ Caffenſi

Caffenſi deſierat præeſſe Hieronymus. Id A conſtat ex litteris, quas *Vidimus* appellant, Bullæ canonizationis S. Thomæ de Aquino in conventu FF. Prædicatorum Tiburtino ſervatis, in quibus habetur: « Nos fratres » Guillelmus Dei gratia Soldanienſis archiepi- » ſcopus, & *Thaddæus Caffenſis epiſcopus*, notum » facimus, &c. Anno Nativitatis Dom. 1323. » Indict. VI. die 2. menſis Octobris, pontif. Joannis XXII. anno XIII. » Apud Fontanam, *Theat. Dom. p. 680.* ubi tamen pro anno XIII. legendum anno VIII. quo erat Indictio VI. nam annus XIII. fuit 1328. Chriſti, qui cum B Indictionis anno XI. concurrebat. Is togam Dominicanam aſſumpſerat, plurimamque cum Bartholomæo Parvo ejuſdem Ordinis, reductioni Armenorum ad S. Romanæ eccleſiæ communionem, navavit operam, poſt cujus obitum, congregationis Fratrum unitorum in Armenia promotor & tutor extitit. Vide P. Echardum, *tom. 1. pag. 537. col. 2. & pag. 538. col. 1. Epiſcopi Caffenſis* meminit Raynaldus ad annum 1354. *num. 31.*

III. CONRADUS.

Thaddæo mortuo ſuffecit Innocentius VI. C in ſede Caffenſi *Fr. Conradum de Pregoantia,* Minoritam, anno 1358. die 29. Januarii, teſte Waddingo, *to. 4.* ad eum annum, *n. 5. pag. 72. & in Regeſto Pontif. pag. 59.*

IV. ALEXANDER.

Alexander præſul Trapezundenſis ad Caphenſem tranſlatus eſt à Bonifacio IX. anno 1390. die 9. Decemb. ex eodem Waddingo ad eum annum, *num. 12. pag. 287.*

V. BARTHOLOMÆUS.

Anno 1391. die 27. Febr. *Bartholomæus* D *Ventura,* Dominicanus, ab eodem Bonifacio IX. renuntiatus eſt epiſcopus Caffenſis. Ita Fontana ex mſſ. Bzov. *Theat. Dom. p. 622.*

VI. JOANNES.

Waddingus ad annum 1398. *n. 2. p. 320.* refert hoc anno varia privilegia collata eſſe cuidam *Fr. Joanni,* Minoritæ, epiſcopo Caphenſi, à præfato Bonifacio IX. cujus diploma ſubminiſtrat, *ibid. in Regeſto Pontif. pag. 207.*

VII. HIERONYMUS II.

Fr. Hieronymus de Genua, Ord. Præd. eccleſiæ Caffenſis antiſtes conſecratus eſt circa annum 1404. ex P. Echard. *t. 1. p. 799. col. 1.*

VIII. GIFREDUS.

IX. JACOBUS.

Raynaldus ad annum 1439. *n. 17.* epiſtolam profert Eugenii IV. *epiſcopo Caphenſi* ſcriptam eo anno die 15. Decemb. de archiepiſcopo Armenorum non moleſtando. Is epiſcopus Caffenſis probabiliter *Gifredus fuit,* cui amoto ſubſtituit idem Pontifex anno 1441. die 23. Januarii *Fr. Jacobum* Ord. Præd. diplomate quod legi poteſt apud R. P. Bremond, *to. 3. Bullar. pag. 228.*

Is fortaſſe vel ejus ſucceſſor fuit *epiſcopus* ille *Caphenſis,* qui, teſte Ænea Sylvio, poſtea Pio II. Papa *in hiſt. de Aſia minori, pag. 356. D. edit. Baſil. 1571.* ſub Calliſto III. (electo anno 1455. & defuncto anno 1458.) florebat. *Epiſcopus Caphenſis,* inquit, *Calliſto Pontifici Maximo, nobis præſentibus, hæc enarravit, qui tunc tranſitum per Mitylenem fecerat, ab eccleſia ſua Romam petens.*

X. ALBERTUS I.

Fr. Albertus Szczecin, Ordinis Præd. epiſcopus Theodoſienſis ſeu Caffenſis creatus eſt ab Alexandro VI. anno 1493. Ita R. P. Bremond, *tom. 4. Bullar. pag. 193.* ex Dominico Frydrychowicz, in S. Hyacintho Poloniæ patrono, *pag. 213.*

XI. ALBERTUS II.

Alberto memorato veriſimiliter ſucceſſit *Albertus* alter, *à Secinia* dictus, & ejuſdem Ordinis Prædic. circa annum 1502. Hujus meminere Fontana *Theat. Dom. pp. 307. & 364.* Cavalerius, *tom. 1. pag. 313. num. 338.* & R. P. Bremond, *tom. 4. Bullar. pag. 212.*

XII. SIGISMUNDUS.

Eccleſiæ *Theodoſienſis* (quæ probabiliter Caffenſis eſt) adminiſtrator renuntiatus eſt & epiſcopus Cherſonenſis ab Urbano VIII. anno 1643. *Fr. Sigiſmundus Miaſzkowski,* Polonus, Ordinis Præd. ex Fontana *Theat. Dom. pag. 167. tit. 165.* & ex R. P. Bremond, *tom. 6. Bullar. pag. 142.*

II. ECCLESIA SOLDAIÆ.

MICHAEL Antonius Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 658. col. 2.* ſcribit *Soldadiam* vel *Soldaïam* eſſe, quæ appellatur *Lagyra* oppidum Tartariæ minoris. Lagyram autem ait, *to. 1. p. 551. col. 1.* urbem eſſe Tauricæ Cherſoneſi Ptolemæo, in ejus parte meridionali, quæ nunc quibuſdam eſt *Soldadia* urbecula, inter Criumetopon promontorium ad occaſum, & Theodoſiam (ſive Capham) urbem ad ortum: aliis vero eſt *Camba* oppidum cum portu

Digitized by Google

ECCLESIA SOLDAIÆ. in viciniis, ut didici, inquit, ex nautis qui illas partes pluries luſtrarunt. Diœceſis quidem *Soldaïenſis* in quodam diplomate Eugenii IV. infra memorando, ſita dicitur *in Armenia majore;* ſed doctiſſimus P. Bremond, qui illud recitat, *tom. 3. Bullar. p. 214.* ſimul obſervat hîc *Armeniam majorem* late ſumi, *ut nonnullis,* inquit, *antiquis familiare fuit.* Ei præfuerunt aliquot antiſtites Latini.

EPISCOPI SOLDAIÆ.

I. LUDOVICUS.

II. AUGUSTINUS.

LUDOVICO epiſcopo Soldaïenſi mortuo, illi ſubſtituit Eugenius IV. Papa anno 1432. die 23. Jul. *Fr. Auguſtinum de Capha,* Ordinis Prædic. Id conſtat ex diplomate pontificio, quod profert modo laudatus R. P. Bremond. Licet enim in eo diplomate uterque nominetur *epiſcopus Soldagienſis,* in altero tamen, dato die 18. Auguſti ejuſdem anni, & ibidem quoque recenſito, Auguſtinus dicitur *epiſcopus Soldayenſis.* En verba: « *Venerabili* » *fratri Auguſtino epiſcopo Soldayenſi,* &c. Tuis » itaque in hac parte ſupplicationibus inclinati, » (concedimus) ut unum de quacumque domo A Ordinis FF. Prædicatorum, in ſacerdotio « conſtitutum, ad hoc tamen voluntarium, « quum, ſicut aſſeris, *in partibus Armeniæ ma-* « *joris, in quibus Soldaïenſis eccleſia, cui præeſſe* « *dignoſceris, ſita eſt,* catholici ſæculares com- « mode haberi non poſſunt, recipere, & in « tuum capellanum, & ſocium pro dicendis « horis canonicis, & divinis celebrandis officiis, « retinere; dictuſque frater domum (domo) de « qua ipſum receperis, abſque ſui ſuperioris « licentia exire, tecumque in dicta eccleſia re- « ſidere, libere & licite valeat: ita tamen quod « idem frater habitum dicti Ordinis retinere, & « juxta illius inſtituta regularia vivere teneatur, « &c. »

III. ECCLESIA SARAENSIS.

WADDINGUS, *tom. 4. annal. Ordinis Min.* ad annum 1400. *num. 25. pag. 395.* tradit cœnobia Tanæ & de Sarai ſive Sarar, ſui Ordinis, fuiſſe de cuſtodia Saraiæ vicariatus Tartariæ Aquilonaris. Dixerat autem, *tom. 3.* ad annum 1345. *num. 8. pag. 530.* urbem Tanenſem eſſe in extimis terminis Ponti-Euxini: ex quibus colligere eſt urbem Saraënſem fuiſſe etiam in illis regionibus. Idem rurſus meminit, in locis infra citandis, eccleſiæ *Saraïcenſis Armenorum,* & *Saraënſis Tartarorum,* quæ fortaſſis eadem eſt. Baudrand ait de *Sara, tom. 2. geogr. pag. 450. col. 2.* hæc pauca duntaxat: *Sara, Sala, urbs Armeniæ majoris.* Cæterum de ea nihil aliud mihi compertum eſt, niſi huic ſub alterutro nomine duos præfuiſſe epiſcopos Minoritas.

EPISCOPI SARAENES.

I. STEPHANUS.

II. COSMAS.

EX præfato Waddingo, *tom. 3.* ad annum 1321. *num. 38. pag. 266.* Joannes XXII. Papa renuntiavit eo anno epiſcopum *Saraïcenſem Armenorum F. Stephanum,* Minoritam.

B Idem ſcriptor, *tom. 4.* ad annum 1370. *num. 1. pag. 133.* refert *F. Coſmam,* præfati Ordinis alumnum, eo anno tranſlatum eſſe ab Urbano V. ex eccleſia Cambalienſi (Cambalu ſive Pekin in regno Sinarum) ad *Saraënſem in Tartaria.*

IV. ECCLESIA CAMACHÆ.

CAMACHUS, ex Baudrand, *to. 1. geogr. p. 213. col. 1.* urbs eſt Ciliciæ, teſte Balſamone, A Leone Sapiente (ſede archiepiſcopali) ornata fuit ſub patriarchatu Conſtantinopolitano; nunc vulgo *Chemach* dicitur, teſte Leunclavio, eſtque parva admodum ſub dominio Turcarum in Armeniæ minoris confinio. In notitia Græcorum epiſcopatuum, quæ extat ad calcem Codini *de Officiis, edit. Pariſ. 1648. pag. 396.* legitur ſub throno 46. *Camachi Armeniæ.* τοῦ Καμάχου Ἀρμενίας, cum octo ſuffraganeis ei aſſignatis. Item *pag. 402. num. 58. Camachi: ex ſede 46. quinquageſima nona facta eſt.* νή ὁ Καμάχου· καὶ αὐτὴ μς'. ἔσω, νθ'. γέγονεν. Waddingo, *tom. 5.* ad annum 1422. *num. 17. pag. 151.* extat in Tartaria circa montes Caſpios.

Digitized by Google

EPISCOPI CAMACHÆ.

A

I. Emericus.

THomas de Herrera, *tom. 1. Alphabeti Auguſtiniani pag. 213. coll. 1. & 2.* narrat *Fr. Emericum*, Eremitam Auguſtinianum, in Regiſtris Generalium hujus Ordinis notari ad annum 1391. ut *Camocenſem* (fortaſſis *Camacenſem* ſive *Camachæ*) epiſcopum, cui conceditur unum fratrem ſecum retinere.

II. Joannes.
III. Ambrosius.

Waddingus ſupra laudatus refert eccleſiæ Cumuchenſi (Camachenſi) in Tartaria vacanti per obitum *Joannis*, præfectum eſſe à Martino V. Papa an. 1322. die 24. Novemb. *Fr. Ambroſium Scipionis de Caſſa* (fortaſſis *Caffa* ſeu *Capha*) Minoritam, & diploma pontificium exhibet, *ibid. in Regeſto pag. 91.* ubi ea eccleſia dicitur *circa montes Caſpios ſub dominio Tartarorum.*

V. ECCLESIA SYMBOLIENSIS ſive SIBULÆ.

SYmbolon portus eſt Tauricæ Cherſoneſi Ariano, Straboni, & Plinio, qui à Strabonis interpretibus *Pactorum portus* dicitur, prope Eupatoriam urbem ad fauces ſinus Carcinitis & Cherſonum urbem, nunc *Sibula* dictus, teſte Mercatore. Ita Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 277. col. 2.* qui etiam *pag. 656. col. 1.* hæc pauca addit: *Sibula, Symbolon, Symbolorum portus, Pactorum portus, oppidum & portus Tartariæ minoris.*

EPISCOPI SYMBOLIENSES ſive SIBULÆ.

I. Joannes.
II. Michael.

R. P. Antoninus Bremond, *tom. 3. Bullar. Ord. Præd. pag. 438.* ad annum 1462. refert poſt obitum *Joannis, Fr. Michaelem de Rentelem*, hujus Ordinis profeſſorem, eccleſiæ *Simbalienſi*, fortaſſis *Symbolienſi*, inquit, oppidi vulgo dicti *Sibula* in Taurica Cherſoneſi, præfectum eſſe à Pio II. Papa eo anno 1462. die 9. April. hunc vero arbitratur eſſe procul dubio illum *Fr. Michaelem Ruthelem*, virum

B Græcum Ord. Præd. quem Fontana *Theat. Dom. pag. 184. tit. 213.* & Cavalerius, *Galler. Domin. tom. 1. pag. 270. num. 192.* ſcribunt poſt Plodium ſive Michaelem Pio, *part. 2. lib. 3.* & Fernandez, eccleſiæ *Cunabulenſis* in Græcia, nobis prorſus ignotæ, fuiſſe à Pio II. renuntiatum epiſcopum circa annum 1460. & quum illam pluribus annis ſingulari pietate, doctrina ac prudentia ornatus optime gubernaſſet, deceſſiſſe anno circiter 1465. Diploma pontificium ibidem exhibet laudatus R. P. Bremond.

VI. ECCLESIA TANENSIS.

TAnenses nonnulli occurrunt epiſcopi ritus Latini modo recenſendi, qui jus dixiſſe, non civitati *Tanis* Ægypti ſub patriarchatu Alexandrino videntur, utpote quam uno duntaxat anno & paucis menſibus tenuerint Latini initio ſæculi XIII. ſed potius urbi Tanæ, quam Caffenſi proximam ad littora Ponti-Euxini innuit Martinus V. in epiſtola data an. 1425. die 3. Jun. in qua hæc ait: « In partibus ultramarinis, præſertim in *Caffenſi & Tanenſi civitatibus*, &c. » apud Raynaldum ad eum annum, *num. 19.* hanc vero Waddingus ſcribit, *tom. 3. annal.* ad annum 1345. *num. 8. pag. 530.* in extimis Ponti-Euxini terminis ſitam, ad Tanaim fluvium. Ex quo probabiliter nomen *Tanæ* accepit, ut & *Tanaitæ* hujus regionis incolæ. Tanam reponit Cellarius, *tom. 1. geographiæ antiq. pag. 494. in ſua Mappa*, juxta paludem Mæotidem & fluvium Tanaim. Lege Raynaldum ad annum 1443. *num. 22.* Alia eſt urbs *Thana* in India orientali, cum iſta minime confundenda.

EPISCOPI TANENSES.

I. Raynoldus.

RAynoldus ſive *Reginaldus de Spoleto*, Ordinis Præd. Tanenſis epiſcopus fuit circa finem ſæculi XIII. vel initium ſequentis, cujus meminit Bernardus Guidonis inter epiſcopos

C provinciæ Græciæ, teſte R. P. Bremond, *to. 2. Bullar. p. 38.* qui tamen hunc cenſet eccleſiæ *Tanis* in Ægypto præfuiſſe.

II. Henricus.

Ad Tanenſem eccleſiam in extimis Ponti-

Digitized by Google

ECCLESIA TANENSIS.

Euxini jam dudum vacantem, *Fr. Henricus*, Minorita, à Clemente VI. anno 1345. die 15. Auguſti promotus eſt. Ita Waddingus, *to. 3.* ad hunc annum, *n. 8. p. 530.* & *in Regeſto Pontif. pag. 329.*

III. MATTHÆUS.

IV. ANTONIUS.

Poſt obitum *Matthæi* epiſcopi Tanenſis, huic eccleſiæ præpoſitus eſt à Martino V. anno 1423. die 3. Jul. *Fr. Antonius de Levanto*, Dominicanus. Id conſtat ex hujus Pontificis diplomate, quod profert R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pag. 608.*

V. FRANCISCUS.

VI. BASILIUS.

Vacanti per obitum *Franciſci* eccleſiæ Tanenſi præfecit Eugenius IV. anno 1439. die 11. Novemb. *Fr. Baſilium*, Ordinis Min. ex Waddingo, *tom. 5.* ad eum annum, *n. 56. pag. 369.* & *in Regeſto Pontif. pag. 269.*

VII. ECCLESIA CHERSONESI.

CHERSONESUS, urbs Tauricæ Cherſoneſi in ora occidentali, aliàs etiam *Heraclea* dicta, & *Cherſo*, nunc *Topetorkan* à recentioribus appellatur, S. Clementis Papæ exilio ac martyrio celebris eſt. Epiſcopalis ſedes fuit, poſtmodum metropolitana. Diſtat autem 50. milliar. à promontorio *Fronte-Arietis* in ſeptentrionem, Carcinem urbem verſus 70. & 120. à Taphris in meridiem prope Parthenium promontorium. Hæc Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 263. col. 2.*

EPISCOPI CHERSONESI.

I. RICHARDUS.

RAYNALDUS, *tom. 15. annal.* ad annum 1333. *n. 17.* narrat Andronicum Græcorum Imperatorem attritum Turcarum incurſionibus, reducendæ ad S. R. eccleſiæ obſequium orientalis ſuæ aliquam demonſtraſſe voluntatem, eaque de re contuliſſe cum duobus antiſtibus Dominicanis ad Joannem XXII. revertentibus, poſt amplificatam inter Zichos & Gochos longe lateque fidem catholicam, quorum unus *Richardus* fuit *epiſcopus Cerſonenſis*, ut eum appellat Joannes XXII. in epiſtola reſponſiva ad hunc Imperatorem, data eo anno die 4. Auguſti, quæ apud eumdem Raynaldum legi poteſt.

II. SIGISMUNDUS.

Fr. Sigiſmundus Miaſzkowski, Polonus, Ord. Præd. epiſcopus *Cherſonenſis* & adminiſtrator eccleſiæ Theodoſienſis (ſive Caffenſis) conſtitutus eſt ab Urbano VIII. anno 1643. teſtibus Fontana *Theat. Dom. p. 167. tit. 165.* Dominico Frydrychowicz, *pag. 232.* & R. P. Bremond, *tom. 6. Bullar. pag. 142.* Obiit circa annum 1650.

VIII. ECCLESIA VOSPRI ſive BOSPORI.

VOSPRUS ipſa eſt *Boſporus* vel *Boſphorus*, urbs Tauricæ Cherſoneſi in ora Boſphori Cimmerii, quæ nunc *Voſpero* dicitur, portu gaudens capaci verſus Mæotim paludem. Ita Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 179. col. 2.*

EPISCOPI VOSPRI.

FRANCISCUS.

FRANCISCUS iſte, Ord. Præd. præſul *Voſprenſis*, alter antiſtes fuit, qui cum Richardo epiſcopo Cherſonenſi ab Andronico Græcorum Imperatore ad Joannem XXII. miſſus eſt, cujuſque meminit Pontifex in epiſtola ſua reſponſiva ad hunc Imperatorem, de quibus vide Raynaldum ad annum 1333. *nn. 17. 36. 37. & ſeqq.*

IX. ECCLESIA MATRIGENSIS.

DE ſede Matrigenſi in provincia Zecchiæ nihil mihi compertum eſt, niſi ſit urbs Metracha, de qua, ut ſupra obſervatum eſt, *coll. 1103. 1104.* mentio fit, tum in notitiis Græcis, tum apud abbatem de Commanville, qui hanc addit *in Tab. Alphab. pag. 157.* eſſe nunc oppidulum dirutum Cherſoneſi Tauricæ, cui inſidet archiepiſcopus ad honorem ſub Conſtantinopolitano Patriarcha.

Digitized by Google

ARCHIEPISCOPI MATRIGENSES.

ECCLESIA MATRIGENSIS.

JOANNES.

WADDINGUS, *tom. 3.* ad annum 1349. *num. 11. pag. 565.* ſcribit promotum à Clemente VI. eo anno die 23. Aprilis ad Matrigenſem eccleſiam in regno Zecchiæ ſub Patriarcha Conſtantinopolitano, *Fr. Joannem*, Minoritam, ex iis partibus oriundum, & per Minoritas in fide catholica inſtructum. Diploma refert, *ibid. in Regeſto Pontif. pag. 381.*

X.

ECCLESIA SYBENSIS.

SYBENSEM eccleſiam erexit Clemens VI. anno 1349. ſub Matrigenſi archiepiſcopo, ut modo palam fiet.

EPISCOPI SYBENSES.

I. THOMAS.

II. THEALDUS.

AD Sybenſem eccleſiam in regno Zecchiæ in civitatem & cathedram erectam anno 1349. die 30. April. ſub archiepiſcopo Matrigenſi, evexit Clemens VI. iiſdem die & anno *Fr. Thomam de Birago*, Minoritam, qui primus ejus antiſtes fuit. Ita Waddingus, *tom. 3.* ad eum annum, *num. 11. pag. 565. & in Regeſto Pontif. pag. 383.* Obiit anno 1367.

Thomæ ſubſtituit Urbanus V. eodem anno die 16. Novembris *Fr. Thealdum* ejuſdem Ordinis Min. ex præfato Waddingo, *tom. 4.* ad eum annum, *num. 9. pag. 120.*

XI.

ECCLESIA LUCUCENSIS.

CLEMENS VI. iiſdem die & anno, quibus locum Sybæ ad dignitatem civitatis epiſcopalis extulit, ſimili quoque vicum *Lucucenſem*, inde duntaxat nobis notum, in regno Zecchiæ, honore decoravit, teſte eodem Waddingo, *tom. 3.* ad annum 1349. *n. 11. p. 565.*

EPISCOPI LUCUCENSES.

JACOBUS.

WADDINGUS nunc citatus tradit à Clemente VI. anno 1349. die 23. April. primum *Lucucenſis* eccleſiæ præſulem ſub archiepiſcopo Matrigenſi, renuntiatum eſſe *Fr. Jacobum de Ponteturno*, Minoritam, & diploma profert, *ibid. in Regeſto Pontif. pag. 384.*

Sedes quædam epiſcopales hactenus non recenſitæ.

ECCLESIAS infra referendas huc reſervavimus, vel quod ſatis compertum non habeamus cuinam metropoli obtemperarint, vel quod earum metropoles præſulibus Latinis caruerint, vel quod non conſtet an Patriarchæ Conſtantinopolitano unquam ſubditæ ſint. Eas autem ordine alphabetico proponemus.

A.

I.

ECCLESIA ABIENSIS.

ECCLESIA *Abienſis* duplex eſt Waddingo, una ſub Conſtantinopolitano Patriarcha, altera ſub Antiocheno. At ubinam urbes hujus nominis ſitæ ſint nec indicat, nec alibi reperire licuit. Hic de epiſcopis Abienſibus prioribus nobis ſermo eſt.

EPISCOPI ABIENSES.

I. VITALIS.

II. CONRADUS.

WADDINGUS, *to. 5.* ad annum 1411. *n. 4. pag. 77.* ſcribit *Fr. Vitalem*, Minoritam, ex eccleſia Melenſi ad *Abienſem* ſub Patriarcha Conſtantinopolitano à Bonifacio IX. tranſlatum fuiſſe anno 1399. & poſt ejus obitum huic ſedi ſuffectum eſſe à Joanne XXIII. anno 1411. die 28. Novembris *Conradum.*

Digitized by Google

II. ECCLESIA AJACIENSIS.

AJACIUM in Ciliciæ extrema ora maritima ſitam tradit Raynaldus, *tom. 15. annalium* ad annum 1318. *n. 15.* ibique refert epiſtolam Joannis XXII. *Oſſinio regi Armeniæ datam Avin. VI. idus* (id eſt die 8.) *Jun. anno II.* Chriſti 1318. in qua ait Pontifex: «.... Providendo celerius, ut certa loca in regno tuo, & præcipue *in civitate Ajacii,* prædictis Dei famulis « (Ord. FF. Præd.) aſſignentur, &c.»

EPISCOPI AJACIENSES.

NICOLAUS ſive JOANNES.

WADDINGUS, *tom. 3.* ad annum 1328. *num. 23. pag. 357.* meminit *Fr. Nicolai,* quem tamen *Joannem* appellat Joannes XXII. in diplomate ejus promotionis, dato eo anno die 17. Novemb. *ibid. in Reg. Pont. pag. 190.* in quo hæc leguntur: «... *Ajacienſi eccleſiæ...* providemus; teque illi, necnon omnibus & « ſingulis Armenis & Latinis degentibus *in civitate & diœceſi Ajacienſi* præfecimus in epiſcopum, &c.»

III. ECCLESIA ARCÆ.

ARCA urbs fuit provinciæ ſecundæ Armeniæ ſub Melitene metropoli. In notitiis Græco-Latinis, quæ ſunt ad calcem Codini *de Offic.* poſt Melitenem legitur ὁ Ἄρκης *pp. 342, 372. & 386.*

EPISCOPI ARCÆ.

THOMAS.

THOMAS Ordinis Min. creatus eſt epiſcopus *Archenſis* in regione Melitenes in Armenia à Nicolao V. anno 1449. die 5. Jul. ex Waddingo, *tom. 5.* ad hunc annum, *num. 32. pag. 567.*

IV. ECCLESIA AVENETENSIS.

ABYDUS, nunc *Aveo,* & Turcis *Aidos,* urbs eſt Phrygiæ minoris ſeu Miſiæ in ora Boſphori Thracici contra Seſton urbem Thraciæ, mari ad 40. ſtadia interfuſo: olim epiſcopalis erat ſub Cyzico metropoli inde 21. milliar. in auſtrum diſtanti, nunc metropolis effecta eſt. Ita Baudrand, *tom. 1. geog. pag. 6. col. 1.*

EPISCOPI AVENETENSES.

I. PETRUS.
II. JOANNES.
III. LUDOVICUS.

ECcleſiæ Avenetenſi, *Petro* mortuo, in epiſcopum datus eſt à Sixto IV. anno 1477. die 16. Aprilis *Fr. Joannes Robillerius,* Ordinis Prædic. Diploma extat *tom. 3. Bullar.* R. P. Bremond, *pag. 640.*

Fontana *Theat. Domin. pag. 134. tit. 63.* ſcribit *Fr. Ludovicum Combonet,* Gallum, ejuſdem quoque Ordinis, renuntiatum eſſe *Avenetenſem* paſtorem in partibus Infidelium, & ſuffraganeum Coriſopitenſem in Britannia majori, à Paulo III. anno 1528. die 28. Jul. *Ex Actis Conſiſtorialibus* hujus Pontificis.

V. ECCLESIA AUGURIENSIS.

DE eccleſia *Augurienſi* mentio reperitur in diplomate quodam Eugenii IV. dato anno 1434. die 22. Decemb. teſte R. P. Bremond, *tom. 3. Bullar. pag. 218.* Fontana modo citatus, *tit. 64.* & quidam alii hanc cenſent extare in Anglia. Verum quia nulla hujus nominis ſive ſedes epiſcopalis, ſive etiam civitas legitur in eo regno, conjicit præfatus R. P. Bremond eſſe *Ancyram,* vulgo *Anguri,* & rectius *Angyram* in Phrygia ſub archiepiſcopo Hierapolitano.

Ancyram quidem, ſeu potius *Angyram* ex codice Græco Ptolemæi, urbem Aſiæ minoris in Phrygia Pacatiana epiſcopalem ſub archiepiſcopo Hierapolitano memorat Baudrand,

Digitized by Google

tom. 1. geogr. pag. 57. col. 2. eſſeque ait in limite Myſiæ, 30. milliaribus ab urbe Nicæa in auſtrum. At aliam eſſe quæ *Anguri* ſive *Angouri*, & Turcicè *Engouri* nuncupatur, obſervat paulo ſupra, *Ancyram* ſcilicet Galatiæ metropolim. Alterutrius autem ex duabus illis eccleſiis duos nobis præſules ſuppeditat diploma Eugenii IV. cujus modo meminimus. ECCLESIA AUGURIENSIS.

EPISCOPI AUGURIENSES.

I. FRANCISCUS.

II. GUNDISALVUS.

CUidam *Franciſco* epiſcopo *Augurienſi* (probabiliter *Angurienſi* ſive *Angyrienſi*) ſubſtituit Eugenius IV. anno 1434. die 22. Decemb. *Fr. Gundiſalvum de Curiola*, Ordinis Præd. A Hunc appellant *Conſalvum* Fontana, & alii, & *Anglum* fuiſſe dicunt, fortaſſis quod ſedem *Augurienſem* in Anglia ſitam exiſtimarent. R. P. Bremond aſſerit, *ibid.* diploma hujus promotionis haberi in archivo Ordinis Præd. Romæ. *Ex Archivo Apoſt. lib. 51. fol. 249.*

B.

ECCLESIA BACCOVIÆ.

BAccovia ſive *Backow*, urbs eſt Moldaviæ ad Ararium fluvium, 30. milliar. diſtans à Targoviſco in ſeptentrionem, Stephanopolim verſus paulo plus, eſtque in limite Walachiæ & ſatis culta, ſed male in Tabulis recentioribus appellatur *Brackovia* & *Braiſlow* à quibuſdam. Sedes epiſcopalis evaſit, ad eam tranſlata Ceretenſi ſub Clemente VIII. teſte Miræo cum aliis. Ita Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 135. col. 1.*

EPISCOPI BACCOVIÆ.

I. JOANNES-BAPTISTA.

ANno 1633. die 18. Jul. eccleſiæ Baccovienſi præpoſitus eſt ab Urbano VIII. *Fr. Joannes-Baptiſta Zamoyski*, Ordinis Præd. de provincia Ruſſiæ, qui quum annos 15. hanc pie prudenterque rexiſſet, obiit anno 1649. Ita Fontana *Theat. Domin. pag. 135. tit. 70. Ex Reg. Cancel. Apoſt.* & Simone Okolski *in Ruſſia Florida.*

II. JACOBUS.

Fr. Jacobus Goreſchi, ejuſdem Ord. Præd. propoſitus fuit Romæ in Conſiſtorio coram SS. Papa Innocentio XI. ad epiſcopatum Baccovienſem anno 1678. menſe Februario. Ex nunciis publicis Gallicis hujus anni, *p. 190.*

III. JOANNES.

IV. ARNALDUS.

V. DAMASCENUS.

VI. THOMAS.

VIII. RAYMUNDUS.

Renuntiati ſunt epiſcopi Baccoviæ B *Joannes Franciſcus Louſony* ab Innocentio XI. die 23. Septembris.

Fr. Arnaldus ſive *Amandus* & *Arnandus Victorinus Cieſeyko*, Vilnenſis, Ordinis Prædicatorum, ab Innocentio XII. anno 1694. die 15. Martii.

Fr. Joannes Damaſcenus Lubienski, Polonus, Ordinis Prædicatorum, qui erat theologus collegii Caſanatenſis, à Clemente XI. anno 1711.

Fr. Thomas Szklubiczaleski, Polonus, Ordinis Prædicatorum, qui erat Prior cœnobii C Luceorienſis, à Clemente XII. die 13. Aprilis.

& *Fr. Raymundus Jeſierski*, Polonus, Ord. Præd. ab eodem Pontifice anno 1737. die 23. Decembris. Ita diſcimus de *ſecundo* quidem & *tertio*, ex R. P. Bremond, *tom. 6. Bullar. pp. 435. & 519.* de *primo* autem, *quarto*, & *quinto*, ex nunciis Gallicè ſcriptis anno 1680. *pag. 564.* anno 1733. *p. 236.* & anno 1738. *pag. 31.*

C.

ECCLESIA CERETI.

SÆculo decimo quarto Latsko dux Moldavienſis prædicatione quorumdam Minoritarum ſchiſma Græcorum ejuravit, petiitque ab Urbano V. Papa, ut ad religionis catholicæ propagationem ſedes epiſcopalis in *Ceretenſi* oppido ſui ducatus inſtitueretur. Id conſtat ex diplomate hujus Pontificis, archiepiſcopo Pragenſi, & Wratiſlavienſi & Cracovienſi epiſcopis dato anno 1370. die 24. Jul. apud Raynaldum ad eum annum, *num. 7.*

Digitized by Google

EPISCOPI CERETI.

I. ANDREAS.

RAYNALDUS ſcribit ad annum 1370. *n. 8.* injunctam provinciam ab Urbano V. eo anno ſupra dictis præſulibus, ut *Fr. Andream è Cracovia*, Ordinis Min. Moldaviæ epiſcopum ordinarent. Addit autem ad annum 1372. *n. 32.* quia epiſcopus Halicienſis Græcorum ſchiſmate laboraret, huic Andreæ epiſcopo Ceretenſi commiſſam eſſe eo anno à Gregorio XI. Catholicorum iſtius regionis curam. Ad eccleſiam Vilnenſem in Lithuania tranſlatus eſt ab Urbano VI. anno 1386. Hujus meminere Dlugoſſus *hiſt. Polon. l. 10. coll. 47. & 112.* Cromerus, *lib. 13. pag. 228.* & *lib. 15. pag. 243.* & Waddingus, *tom. 4.* ad annum 1386. *num. 2. pag. 271.*

II. STEPHANUS I.

R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pag. 304.* narrat *Fr. Stephanum Rutenum*, Ord. Præd. renuntiatum eſſe epiſcopum Ceretenſem in Walachia inferiori ab Urbano VI. circa annum 1380. Verum hunc ſucceſſiſſe oportet Andreæ, quando ad eccleſiam Vilnenſem tranſlatus fuit anno 1386. ſubindeque vel eo anno vel ſequenti.

III. JOANNES I.

IV. STEPHANUS II.

Stephano veriſimiliter ſubſtitutus eſt in ſede Ceretenſi *Joannes*, quem mortuum excepit *Stephanus* alter cognominatus *Martini* anno 1394. die 8. Junii. Diploma Bonifacii IX. legi poteſt apud R. P. Bremond, *ibid. p. 344.*

Nicolaus. V. JOANNES II.

Ceretenſis fortaſſe præſul fuit *Nicolaus* quidam Ord. Præd. corrupte *Ciethenſis* antiſtes dictus in Bzovianis mſſ. hoc modo, teſte Fontana *Theat. Dom. p. 623. col. 1. Nicolaus Ord. Præd. epiſcopus Ciethenſis à Bonifacio IX. 11. kalend. Decemb. anno XII.* (id eſt die 30. Nov. anno 1401.) Latet enim nos eccleſia Ciethenſis, à Ceretenſi diſtincta.

Joannem quidem *Sartorium Rutenum*, ejuſdem Ordinis Præd. creatum *Ceretenſem* epiſcopum à Bonifacio IX. circa annum 1400. tradit R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. p. 468.* ſed promotionem hanc, de cujus anno incertum ſe ipſe innuit, protelari ad annum 1402. aut 1403. quid vetat? Fontana enim *Theat. Dom. pag. 165. tit. 160.* de Joanne Ruteno ſolum ait, eum eccleſiæ S. Joannis Ceretenſi indulgentiam aliquam conceſſiſſe anno 1403. Obſervat R. P. Bremond, *ibid. Joannem Sartorium* & *Joannem Rutenum* duos nonnullis eſſe epiſcopos *Ceretenſes:* ſic profecto cenſuiſſe Fontanam citatum ex eo colligitur, quod poſt laudatum, *n. 2.* Joannem Rutenum, ut modo dictum eſt, eidem ſedi A aſſignet, *n. 4. Sartorium de Cracovia.* Subdit tamen, quo tempore is ſederit non exprimi in mſſ. Bzovianis: doctiſſimo itaque P. Bremond unum virum aſſerenti ſuffragandum videtur.

VI. STEPHANUS III.

Fr. Stephanus Zajaches vel *Zarazech*, Polonus, Ordinis Prædic. eccleſiæ Ceretenſi præerat anno 1412. quo accedente apoſtolica auctoritate, omnia ſua Cracovienſi conventui poſt obitum reliquit, ex Bzovio *de rebus geſtis in Polon. c. 6.* apud Fontanam, *ibid. num. 3.* B Hujus quoque meminit R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pag. 529.*

VII. THOMAS I.

Idem Fontana, *ibid. pag. 623.* refert *Fr. Thomam Erneber*, Ordinis Præd. à Joanne XXIII. eccleſiæ Ceretenſi præpoſitum eſſe anno 1413. menſe Aug. ex mſſ. Bzovianis.

VIII. NICOLAUS.

IX. JOANNES III.

Waddingus, *tom. 5.* ad annum 1433. hæc ſcribit: « *Cereten.* an forte *Cariaten.* in regno C Neapolitano unita Geruntenſi ſub archiepiſcopo Roſanenſi vel Tereten. (S. Severinæ) « *Fr. Joannes*, Minorita, per obitum *Nicolai* « IV. kal. Jan. (id eſt die 29. Decembris) ſub « Eugenio Papa IV. » Verum eccleſia *Cariaten.* ab anno 1429. ad 1437. non vacavit, juxta Ughellum, *tom. 9. Ital. ſac. col. 705. A. vet. edit.* Eccleſiæ igitur Ceretenſi in Moldavia præfuiſſe cenſendi ſunt *Nicolaus* & *Joannes.*

X. JOANNES IV.

Quum epiſcopatus Ceretenſis erectus fuerit ut hujus eccleſiæ præſul omnium fidelium D curam gereret, qui in Moldavia degebant, ex ſupra dictis ſub Andrea primo Ceretenſi antiſtite, idem videtur fuiſſe qui *Ceretenſis*, & qui *Moldavienſis.* Hujuſmodi extitit *Joannes Roſa*, Ordinis Præd. epiſcopus Moldavienſis conſtitutus anno 1451. ex R. P. Bremond, *tom. 3. Bullar. pag. 334.*

XI. SIMON.

XII. THOMAS II.

Simoni epiſcopo Moldavienſi mortuo ſuffectus eſt ab Alexandro VI. anno 1497. E die 20. Septemb. *Fr. Thomas de Zagrodino*, Ordinis Præd. Diploma pontificium exhibet R. P. Bremond, *tom. 4. Bullar. pag. 203.* Exinde alii non occurrunt epiſcopi ſive *Ceretenſes* ſive *Moldavienſes* uſque ad *Joannem-Baptiſtam*, qui, tranſlata *Ceretenſi* ſede ad eccleſiam *Baccoviæ* à Clemente VIII. exeunte ſæculo XVI. vel ineunte ſequenti, huic eccleſiæ Baccovienſi præfuit anno 1633. ut dictum eſt *pag. præcedenti col. 1117. B.*

ECCLESIA

Digitized by Google

ECCLESIA CUMANORUM.

II. # ECCLESIA CUMANORUM.

SPONDANUS, *tom. 1. annal.* ad annum 1220. *num. 9. pag. 109.* ſcribit à Roberto archiepiſcopo Strigonienſi in Hungaria baptizatum eſſe eo anno *Cumanorum* proximæ gentis regem, cum filio ejus & quindecim aliorum millibus: in reliquis autem Cumanis ad fidem Chriſti convertendis plurimam à FF. Prædicatoribus navatam operam. Hæc de ea gente habet R. P. Bremond, *tom. 1. Bullar.* ad diploma XXIV. Gregorii IX. *nota 2.* « Quinam fuerint Cumani.... haud plane compertum. Arridet tamen nonnullorum ſententia, qui ex Comania Aſiæ regione Georgiam inter & Tanaim fluvium ſita ſuis forſitan ſedibus expulſos, ad fines Hungariæ profectos, ibi tandem conſediſſe Cumanos autumant. » Favet Gregorius IX. qui in epiſtola data anno 1228. die 21. Mart. *Priori FF. Prædicatorum* apud eumdem R. P. Bremond, *ibid. pag. 26.* eos appellat *gentem vagam.*

EPISCOPI CUMANORUM.

THEODERICUS.

THEODERICUS Ord. Præd. conſtitutus eſt à Gregorio IX. anno 1227. vel ſequenti, primus Cumanorum epiſcopus, de quo legendæ hujus Pontificis epiſtolæ, quas profert idem R. P. Bremond, *ibid. pp. 22. 26. & 27.*

A Num vero poſt hunc Theodericum Cumanorum genti aliquis præfuerit epiſcopus nos latet. Legendi tum Waddingus, *tom. 1.* ad annum 1245. *num. 7. pag. 643.* & *tom. 2.* ad annum 1278. *num. 12. pag. 442.* & ad annum 1288. *n. 23. pag. 537.* tum etiam Raynaldus ad annum 1279. à *num. 35.* ad *num. 42.*

D.

I. # ECCLESIA DIONYSIOPOLIS.

DIONYSIOPOLIS ſive *Dionyſopolis* in Mœſia inferiori, antea *Crunos* appellata, nunc quibuſdam *Varna* dicitur. Urbs eſt autem Bulgariæ ad Zyram fluvium, qui paucis milliaribus infra in Pontum-Euxinum labitur: paucis leucis diſtat à confinio Thraciæ in ſeptentrionem, 180. milliaribus à Byzantio, & 25. à Meſembria urbe Thraciæ extrema. Dionyſiopolim Niger cenſet eſſe *Chaliacra* in ora littorali Bulgariæ. Ita Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 336. col. 1.*

Dionyſiopolim non ſolum exiſtimari eamdem eſſe ac *Varnam* à multis, quibus aſſentitur Cromerus, *hiſt. Polon. lib. 21. pag. 326.* B. ſed etiam eamdem eſſe ac *Tiberiopolim*, colligitur ex notitia Græca ad calcem Codini *de Officiis, pag. 407.* quæ ſic habet: « *Varna,* ut quidam ſentiunt, eſt *Tiberiopolis:* propterea in expoſitione non comparet, neque inter metropoles, « neque inter archiepiſcopatus, neque inter epiſcopatus; ſed antiſtes Varnenſis idem eſt ac Tiberiopolitanus. » Si itaque *Dionyſiopolis, Varna* & *Tiberiopolis* differunt ab invicem, ſaltem in uno & eodem epiſcopatu comprehenduntur.

EPISCOPI DIONYSIOPOLIS.

I. JOANNES I.
II. NICOLAUS I.

ECcleſia Varnenſi vacante per obitum *Joannis* ejus epiſcopi, ei præfecit Bonifacius IX. anno 1393. die 24. Jan. *Fr. Nicolaum Staynecker,* Ord. Præd. Ita R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pag. 336.* ubi & diploma pontificium exhibet.

III. ANTONIUS.

Thomas de Herrera *Alphab. Auguſtin. to. 1. p. 39. col. 1.* refert *Fr. Antonium de S. Cantiano,* Eremit. Auguſtin. creatum eſſe à Bonifacio IX. epiſcopum *Varmenſem* (probabiliter *Varnenſem*) die 5. Oct. anni 1396. *ex Reg. Vatic.*

B
IV. NICOLAUS II.

Nicolaus de Marciariis Peruſinis Callienſem rexit eccleſiam ab anno 1398. uſque ad annum 1414. quo tranſlatus eſt ad *Dionyſienſem, ex lib. Proviſ. Prælat.* Hæc Ughellus, *tom. 2, Ital. ſac. col. 904. num. 35.* C. *vet. edit.*

V. ARNOLDUS.
VI. JOANNES II.

Poſt *Arnoldi* Dionyſienſis epiſcopi obitum huic ſedi præpoſitus eſt à Sixto IV. an. 1476. die 24. Maii *Fr. Joannes de Ilten,* Ord. Præd. Id conſtat ex duplici hujus Pontificis diplomate, quæ profert R. P. Bremond, *tom. 3. Bullar. pag. 637.*

Digitized by Google

II. ECCLESIA DIMITACENSIS.

Ecclesiæ *Dimitacenſis* alia mihi non eſt notitia quam ex Waddingo nunc citando.

EPISCOPI DIMITACENSES.

I. Joannes I.

II. Joannes II.

Waddingus, *tom. 4.* ad annum 1366. *num. 18. pag. 117.* de duobus iſtis epiſcopis *Joannis* nomine inſignitis hæc nos docet: A « Ad *Dimitacenſem* ſub Patriarcha Conſtantinopolitano per obitum *Joannis, Fr. Joannes* « (Minorita) aſſumptus à Guillelmo Patriarcha: « ſed quum id ratum non haberet Pontifex « (Urbanus V.) ſua eum promovit auctoritate « VII. kal. Febr. » (id eſt die 26. Januarii.)

H.

ECCLESIA HIERAPOLIS.

In Phrygia Salutari ſub Synnada, cui nullum invenimus præfuiſſe archiepiſcopum Latinum, extat urbs *Hierapolis,* quæ præſulum aliquot Latinorum ſedes fuit. Phrygia Salutaris, teſte Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 108. col. 1.* provincia eſt Aſiæ minoris, ſeſe extendens à *Comopoli,* quæ dicitur *Merus,* uſque ad Iconium. Obſervat autem Cellarius, *to. 2. geogr. antiq. lib. 3. pp. 172. & 173.* diviſionem *Phrygiæ magnæ* in *Phrygiam Capatianam,* ſive *Pacatianam* & *Phrygiam Salutarem,* eſſe medii ævi, & ad illius temporis geographiam pertinere, ideoque nunc in uſu eſſe, ut ex qua parte notitiarum ſedes aliqua deſumpta eſſet, diſtinctius palam fieret.

Carolus à S. Paulo *geogr. ſac. pag. 242. edit. Pariſ. anni 1641.* unam duntaxat *Hierapolim* in Phrygia commemorat, quam in Phrygia Pacatiana recenſet, aitque metropolim factam. Verum huic eruditi viri duas Hierapoles in unam conflantis ſententiæ refragari videtur, quod in omnibus notitiis Græcis ab anno 886. uſque poſt annum 1283. exaratis, quas P. Goar exhibet ad calcem Codini *de Officiis edit. Pariſ. anni 1648.* præter *Hierapolim* in provincia Phrygiæ Salutaris ſub Synnada metropoli, alia extet *Hierapolis* unius partis Phrygiæ Pacatianæ in duas provincias eccleſiaſticas diviſæ metropolis, dum altera pars Laodiceæ ſubeſſet. Legi poſſunt *pp. 346. 349. 375. 376. 377. 378. 389. 390. 395. & 402.* Nunc autem nobis ſermo eſt de epiſcopis Latinis illius *Hierapolis,* quæ Synnadam metropolim habet.

EPISCOPI HIERAPOLIS.

I. Joannes I.

II. Gerlacus.

Diutius poſt mortem *Joannis* epiſcopi *Hierapolis* vacavit iſta eccleſia, cui tandem Nicolaus V. præfecit anno 1449. die 24. Jan. *Fr. Gerlacum Gildehuiſen,* Ordinis Præd. qui Leydenſium Sanctimonialium ſacellum conſecravit anno 1450. menſe Julio. Diploma profert R. P. Bremond, *to. 3. Bullar. p. 330.*

III. Judocus.

IV. Joannes II.

V. Ulricus.

Gerlaco ſucceſſit *Fr. Judocus Bar,* ejuſdem Ordinis Præd. anno 1453. die 14. Maii, ex diplomate præfati Nicolai V. apud R. P. Bremond, *ibid. p. 336.* Obiit anno 1470. die 25. Julii, ſed pluribus antea annis eccleſiam hanc B dimiſerat: nam Waddingus, *tom. 6.* ad annum 1456. *num. 243. pag. 356.* ſcribit ad ſedem Hierapolitanam in Phrygia ſub archiepiſcopo Synnadorum promotum eſſe à Calixto III. eo anno die 23. Julii poſt obitum *Joannis,* qui ſubinde Judoco jam ſucceſſerat, *Fr. Ulricum Anmeir,* Minoritam.

VI. Goswinus.

De eo Goſwino hæc ſcribit Daniel à V. M. C *Specul. Carmel. tom. 2. pag. 923. num. 3227.* » *Fr. Goſwinus* Ord. Carmel. ſacræ theologiæ profeſſor, eligitur epiſcopus Hierapolitanus « XI. kal. Julii (id eſt die 21. Junii) anno 1469. « Quum vero ad eccleſiam prædictam propter « Infideles non detur acceſſus, conceditur ei « uſus pontificalium in diœceſi Trajectenſi. « Obiit Ultrajecti, ubi hoc epitaphium: *Conditur hìc D. Goswinus, & Ordinis hujus Fra-* « *trum conventus, qui fuit eximius doctor Pariſius,* «

Digitized by Google

præſul Hierapolit. Loenhout quem genuit, proh dolor! hic obiit an. D. 1475. ultima die Mart.

A an vero alteri in Arabia ſub archiepiſcopo Petracenſi.

VII. GUILLELMUS.

Fr. Guillelmus Turin, Ordinis Prædic. ſedi Hierapolitanæ præpoſitus eſt anno 1478. à Sixto IV. cujus tria diplomata refert R. P. Bremond, *tom. 3. Bullar. pp. 642. & 643.* dubitans tamen an huic præfuerit Hierapoli,

VIII. VINCENTIUS.

Anno 1490. die 20. Decembris *Fr. Vincentius*, Minorita, renuntiatus eſt epiſcopus Hierapolitanus in Phrygia ſub archiepiſcopo Synnadæ, ab Innocentio VIII. teſte Waddingo, *tom. 7.* ad eum annum, *n. 20. p. 247.*

K.

ECCLESIA KIOVIÆ.

LICET præſul diœceſis *Kioviæ* à ſæculo IX. excunte aut ſequenti, ſuffraganeus ſit eccleſiæ Leopolienſis, ipſa tamen Kiovia olim ſedes metropolitana fuit, cui civitas Leopolienſis ſuberat.

Kiovia autem, *Kiow* incolis, qui *Kiout* pronuntiant, & *Kiaff* Germanis, eſt, teſte Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 545. col. 1.* urbs regni Poloniæ in Ukrania, ſeu Palatinatu ab ea *Kiovienſi* dicto, ad Boryſtenem fluvium cum arce munita. Condita fuit à Kio principe quondam Ruſſico anno 861. & ab eo tempore caput extiterat Tauro-Scythiæ ex Cinnamo: deinde facta eſt ſedes imperii Ruſſici in Ruſſia Rubra late ſumpta; poſtea principes habuit proprios. Anno 1604. capta eſt & vaſtata à Turcis, varias exinde experta vices, nunc ſubeſt Moſcis. Diſtat porro 40. milliar. Polonicis à confinio Moſcoviæ in occaſum, Camenecium verſus 70. & Varſoviam 100. circiter.

Ejus meminit notitia Græco-Latina, quæ eſt ad calcem Codini *de Officiis, pag. 399.* S. Hyacinthus Ord. Præd. ejuſque ſocii ac diſcipuli ſtrenuam operam navarunt ſæculo XIII. ut eccleſiam Kiovienſem, cæteraſque harum regionum gentes ad obſequium ſedis apoſtolicæ inducerent, de quorum adventu in Poloniam hæc tradit Cromerus, *lib. 7. hiſt. pag. 125.* B. *edit. Baſil. 1568.* «Vincentio (epiſcopo Cracov.) qui ſucceſſit Ivo Sauli filius.... Romam profectus, ac Dominici Calaguritani, qui tunc novæ ſectæ & ſodalitatis, quam à ſtudio concionandi *Prædicatorum* vocant, auctor florebat, doctrinam vitamque admiratus, *Jacicum* ſive *Jacinctum* gentilem ſuo de territorio Oppolienſi canonicum Cracovienſem, atque tres alios de comitibus ſuis, à Dominico inſtitutum vitæ illius edoctos atque profeſſos Cracoviam ſecum reduxit. Novæ ſodalitati primarium in urbe Cracovienſi templum, quod Trinitatis nomine appellatur, attribuit, copioſam ſuppellectilem templo dicavit, victum veſtitumque ſodalibus ſuppeditavit. Parœciam vero inde ad templum Virgini Matri Dei Mariæ dicatum, ob id tunc à ſe conſtructum, tranſtulit: complura deinde eidem ſodalitati cœnobia in Polonia condita ſunt. *Quin Kioviam quoque & Haliciam ea paulopoſt colonias ſuas deduxit; ſed non potuit eam ferre Kioviæ Dux Volodomirus, veritus ne ab ea Ruſſi ſui à ſchiſmate & ritibus Græcorum abſtraherentur.*» Addit Fontana *Theat. Domi. pag. 77. tit. 48.* ex Bzovio *in annal. eccl.* ad annum 1233. *num. 4.* Fr. Bernardum, Polonum, Dominicanum, qui Infidelium & Schiſmaticorum converſioni in his plagis ſtrenue incumbebat, *Halicienſi* eccleſiæ præfectum eſſe à Gregorio IX. annoque 1233. crudele ſubiiſſe martyrium, ſerra diſſectum, & in ignem disjectum.

Idem Cromerus, *lib. 20. pag. 308.* B. ſcribit Jagellonem regem Poloniæ, qui obiit anno 1434. die 31. Maii, baſilicas Chelmenſem atque Kiovienſem in Ruſſia inſtituiſſe, & epiſcopis attribuiſſe; quod, ſtricte loquendo, verum omnino non videtur, quandoquidem apud Raynaldum legitur, *tom. 16.* ad annum 1375. *num. 28.* Chelmenſem eccleſiam eo anno, tempore Ludovici regis Poloniæ Jagellonis prædeceſſoris, à Gregorio XI. fuiſſe erectam, niſi fortaſſis Jagello has ſedes jam quidem erectas deſtinatione, ſed nondum occupatas, ipſe præſulibus tradiderit.

EPISCOPI KIOVIÆ.

I. HENRICUS.

ANte præfatam eccleſiæ *Kiovienſis* in ſedem epiſcopalem ritus Latini à Gregorio XI.

B erectionem, ſi cum Chelmenſi eam ipſe conſtituit, antiſtites quoſdam ei præfectos, ſaltem quoad nomen, innuit Spondanus, *to. 1. annal.* ad annum 1321. *n. 3.* ubi ſic loquitur

Digitized by Google

ECCLESIA KIOVIÆ.

ex Bzovio: «Et *Kioviæ* in confinibus Rute- A
» norum & Tartarorum epiſcopum reſtituit
» (Joannes XXII.) quum propter ſchiſma
» Græcanicum, paſtorem & clerum catho-
» licum, quin & populum habere deſiiſſent;
» hoc autem tempore opera FF. Præd. ad
fidem reverti cœpiſſent.» Certe *Fr. Henricus Dacus,* hujus Ordinis alumnus, epiſcopus *Kiovienſis* fuit ante annum 1394. ex Laurent. Pignon, teſte P. Echard. *in indice epiſcoporum initio tom. 1. Scriptor. pag. 25. col. 1.* Hujus etiam meminit R. P. Bremond, *tom. 2. Bull. pag. 209.* ſub annum 1321. ubi citat Dominicum Frydrycowicz, *pag. 125.* & Simonem Okolski, *pag. 58.* Addit vero hunc eſſe veriſimiliter *Henricum* illum *de Dacia,* quem Sampaio, Mich. Pio, Fontana & Cavaler. *epiſcopum Birionenſem* per corruptionem dicunt. B

II. Jacobus.

Fr. Jacobus ejuſdem Ordinis, *Kiovienſis epiſcopus,* Leopoli ſepultus fuit anno 1377. ut ex ejus epitaphio conſtare ſcribit Simon Okolski in Ruſſia Florida, *pag. 58.* De eo mentionem facit poſt Fontanam Cavalerius. C
Ita R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pp. 294. & 295.*

III. Philippus.

Fr. Philippus, etiam Dominicanus, circa annum 1387. eccleſiæ Kiovienſi præfuit. Ex Fontana *Theat. Domin. pag. 209. tit. 309.* & R. P. Bremond, *ibid. pag. 306.*

IV. Michael I.

Poſt obitum Philippi *Fr. Michael Treſtka,* ejuſdem quoque Ordinis, renuntiatus eſt *Kio-* D
vienſis epiſcopus à Joanne XXIII. anno 1410. die 19. Novemb. cujus diploma profert R. P. Bremond, *ibid.*

V. Andreas.

Fr. Andreas, pariter Dominicanus, eccleſiæ Kiovienſi præerat anno 1420. quo partem ligni S. Crucis cœnobio Lublinenſi ſui Ordinis dedit. R. P. Bremond, *ibid. pag. 702.*

VI. Michael II.

Michael alter, ejuſdem Ordinis, ſedit anno E
1439. R. P. Bremond, *tom. 3. Bull. pag. 225.*

VII. Joannes.

Fr. Joannes epiſcopus Kiovienſis, Dominicanus, ſubſcripſit Caſimiro unà cum Januſſio epiſcopo Vilnenſi, ex Simone Okolski, qui tempus ſilet. Ita Fontana, *ibid. pag. 209.* Porro Caſimirus iſte regnavit in Polonia ab anno 1447. uſque ad 1492. quo obiit die 7. Junii.

VIII. Clemens.

IX. Albertus.

Martinus Cromerus horum epiſcoporum meminit, *lib. 28. p. 408.* B. «*Clemens* quoque Kiovienſis epiſcopus, inquit, homo plebeius, « ſed probus, eo anno (1473.) defunctus, *Albertum Narbutum,* equeſtri apud Lithuanos « familia ortum, ſucceſſorem accepit. Tartari « vero Meſcenenenſe territorium Kioviæ vici- « num depopulati, ad ſeptingentos homines « captivos abegerunt.»

X. Stanislaus I.

XI. Michael III.

Vacante eccleſia Kiovienſi per obitum *Staniſlai,* ei præfecit Innocentius VIII. an. 1487. die 22. Jun. *Fr. Michaelem de Leopoli,* Ord. Præd. Triplex diploma exhibet R. P. Bremond, *tom. 4. Bullar. pag. 80.*

Tempore hujus Michaelis ſimul ſedebat *Kioviæ* Joſephus antiſtes Græcus, qui quum ipſe, aliique ejuſdem ritus præſules in Lithuania & Ruſſia à catholicis epiſcopis vexarentur, eo quod ſynodum Florentinam non reciperent, Niphonem Patriarcham Conſtantinopolitanum conſuluit quid de ea ſynodo ſibi ſentiendum eſſet. Reſponſum Patriarchæ refert Raynaldus ad annum 1486. *num. 62.* merito hîc tranſcribendum.

«Nipho, &c. piiſſimo & Dei dilecto Joſepho fratri & conſervo metropolitæ Kiovienſium & totius Ruſſiæ ſalutem, &c. «

Accepimus litteras dilectionis tuæ ſcriptas « humilitati noſtræ, quibus ſignificas Romanorum eccleſiæ epiſcopos Rutenos & Lithuanos « vobis moleſtos eſſe, voſque compellere ad « unitatem eccleſiaſticam Florentiæ decretam, « unde metuis ingentia pericula, amiſſionem « privilegiorum & libertatis, quæ illo tempore, « quando unio decreta eſt, à regibus Poloniæ « vobis conceſſa ſunt. Poſtulas itaque à nobis « auxilium, & ad veſtrum potentiſſimum regem « commendatorias. Deſideras inſuper ſcire de « hac ſynodo, quomodo fuerit tranſacta, ut « poſſis reddere rationem omnibus perſequentibus & compellentibus ad unionem. Scias « igitur eam ſynodum legitime fuiſſe congregatam, & magnifice totius orbis lætitia & « conſenſu comprobatam, idque præſentibus « illuſtri Imperatore noſtro Joanne Palæologo, « & SS. Patriarcha Conſtantinopoleos B. mem. « Joſepho, non ita pridem ante nos ſedente, « & vicariis ſex legatis fratrum noſtrorum Patriarcharum, archiepiſcoporum & principum « orientalem eccleſiam repræſentantium, præſente quoque epiſcopo Romano unà cum « ſuis. Cæterum quum nonnulli gentis noſtræ, « qui domi remanſerant, noluiſſent decretam «

Digitized by Google

» amplecti unionem, forte ex odio in Latinos, A » ideo apud nos confuſio & nullus ordo, quando » oves nobis concreditæ imperium & arbitrium » in nos ſibi uſurpant, quorum pervicaciæ re- » ſiſtere non poſſumus. At quis ſcit ſi non ideo » divinæ iracundiæ furor in nos deſævit, & in » dies deſævire non intermittit, quod ſanctam » unitatem reſpuerimus, ut præteream, quod » ſubſidia Latinorum non tantum amiſerimus, » ſed etiam eos offenderimus? Quamobrem » neque mirari oportet, ſi etiam vobis ſunt » difficiles, quamvis non injuſtam excuſationem B » habeas, dum inſcio Patriarcha Conſtantino- » politano quidquam tibi licere dicis. Nos certe, » quamquam maxime cuperemus, nihil facere » poſſumus eorum quæ nobis expediunt. Ergo » illi minime de nobis conquerantur, ſed potius » calamitatibus noſtris compatientes, Deum » nobis propitium reddant, ut à tyrannica ſer- » vitute liberati, denuo uniamur, divina favente » clementia. Tu vero ne nimium reluctaveris, » ſed amice cum Latinis verſare: nam & noſtris » ſacerdotibus in dominio Veneto degentibus C » nos utique injunximus, ut unà cum iiſdem » Latinis, ſervato tamen eccleſiæ orientalis ritu, » ſimul orent & congregentur; ſed ritus patrios » obſerva. Namque non prius majores noſtri in » unionem Florentinam conſenſerunt, quam » privilegia noſtra fuiſſent confirmata. Scrip- » ſimus principibus & antiſtibus Rutenis, ac » Lithuanis noſtri ritus, ut tibi in omnibus ad » nutum ſint. Anno ſepties milleſimo die 5. April. Indict. XI. (id eſt Chriſti 1492.»)

XII. Moyses.

Moyſes Ordinis Prædic. ad Kiovienſem epiſcopatum aſſumptus eſt anno 1514. Ita Fontana, *ibid.* ex Actis provinciæ Poloniæ Luceoriæ habitis.

XIII. * * *

In nunciis publicis Gallicis anni 1641. *pag. 233. quidam non nominatus* propoſitus ad epiſcopatum Kioviensem eo anno die 18. Martii Romæ in conſiſtorio coram SS. Papa Urbano VIII. refertur.

XIV. Stanislaus II.

In nunciis ſimilibus anni 1679. *pag. 214.* extat *D. Staniſlaum Witwiski* eodem modo ad eam ſedem fuiſſe promotum eo anno die x. Aprilis.

XV. * * *

Ex nunciis quoque Gallicis anni 1699. *p. 284. epiſcopus Kioviensis* (qui alius fortaſſis à Staniſlao fuit) tranſlatus eſt eo anno die 18. Maii ad eccleſiam Poſnanienſem.

XVI. Joannes II.

D. Joannes Tarlot, epiſcopus Kioviensis, transferendus ad ſedem Poſnanienſem relatus eſt Romæ anno 1723. diebus 20. Jan. & 15. Mart. Ex nunciis hujus anni, *pp. 91. & 187.*

XVII. Samuel.

Eodem anno 1723. die 30. Septembris *D. Samuel de Oſſa-Ozga* eccleſiæ Kioviensi præficiendus oblatus fuit Romæ in conſiſtorio. Ex præfatis nunciis, *pag. 477.*

M.

ECCLESIA MOSCOVIÆ.

MOSCOVIA, quæ & *Ruſſia magna* ac *nigra* dicitur, *Ruska-Ziemia* & *Moskwa* Polonis; *Ruſſenland* Germanis, *Muſcovi* Anglis, *Ruſlant* Belgis, & *Ruſſa* Turcis, regio ampliſſima eſt Europæ verſus ſeptentrionem, olim maximam partem Sarmatiæ Europeæ continens cum aliqua parte Aſiaticæ. Terminatur à ſeptentrione mari concreto ſive glaciali & freto Vaigatio, quo ſeparatur à nova Zembla: ab ortu dividitur à Tartaria magna, fluviis Peiſida, Obio & Jaicio: à meridie fluviis Tanai minori, vulgo Donetz, Deſna & Pſola, quibus ſeparatur à Tartaria minori. Denique ab occaſu à fluviis Boryſtene & Narva, quibus dividitur à Poloniæ regno.

Totius regionis primaria urbs eſt *Moſcua* ſeu *Moſcha*, à qua *Moſcoviæ* nomen deductum eſt, non vero à *Moſchis* populis ultra Pontum-Euxinum, Cholchis finitimis, apud quos Ruſſi rerum aliquando potiti ſunt, à *Roxolanis* Ptolemæo Sarmatiæ Europeæ populis, forte deflexo paululum nomine, oriundi: eos quippe obſervat Cromerus, *lib. 1. c. 8. pag. 9.* A. pro *Roxolanis* vel *Roxanis* appellari *Roſſos* à Græcis recentioribus, ab aliis *Ruſſos*, *Rutenos* quoque vulgo à Latinè ſcribentibus. Ruſſorum principes imperii ſui ſedem, primo Novogardiæ, deinde Kioviæ, poſtremo Volodimiriæ, antequam *Moſcuam* transferretur, ex qua proinde *Moſchi* ſive *Moſci* & *Moſcovitæ* dicti ſunt. Ab ea etiam una ex hujus imperii provinciis *Moſcoviæ* ducatus nuncupatur, cujus ipſa caput eſt, ſedeſque magni Ducis Ruſſorum. Extat porro urbs iſta, ubi Moſcus fluvius recipit Neolinam & Jayuſam: diſtat 170. milliar. Polonicis à confinio Lithuaniæ in ortum, 54. à Smolensko, 280. à Novogardia parva in occaſum hybernum, & 370. à Novogardia magna in ortum hybernum. Ita Baudrand, *to. 1. geogr. pag. 680.*

Digitized by Google

ECCLESIA MOSCOVIÆ.

Abbas de Commanville *Tab. Alphab. p. 163.* ſcribit Moſcuam, quæ ſaltem à ſæculo XIV. archiepiſcopalis erat ad honorem, erectam eſſe in ſedem patriarchalem totius Moſcoviæ anno 1588. eique ſubeſſe refert, *part. 3. cap. 2. pp. 306. & 307.* metropoles *Novogardiam magnam, Roſtovium, Caſanum* & *Cæſaris caſtellum*; archiepiſcopatus *Vologdam, Reſaniam, Suſdalam, Tuveriam, Fubolſcam, Aſtracanum, Pleſcoviam, Archangelopolim,* & *Smolenſcum:* denique epiſcopatus *Columnam* & *Viatkam.*

Narrat Raynaldus, *tom. 13.* ad annum 1227. *num. 8. pag. 371.* Ruſſiæ proceres ad Guillelmum Mutinenſem epiſcopum, ſedis apoſtolicæ legatum, oratores miſiſſe, qui paratos ſe ſignificarent ad Chriſti caſtra tranſvolare ab erroribus quibus ob præconum evangelicorum inopiam involuti erant: Honorium III. vero, eo accepto nuncio, illis pollicitum eſſe, ſi in illa voluntate perſeverarent, & legatum peterent ab apoſtolica ſede, ipſorum ſe votis minime defuturum. Litteras pontificias *ibid.* exhibet, datas die 17. Januar. eo anno.

Ruſſiæ regem ſchiſma Græcorum deſerendi propoſitum aliquod præ ſe tuliſſe anno 1231. diſcimus ex epiſtola Gregorii IX. data eo anno die 18. Julii apud eumdem Raynaldum, *ibid. num. 43.*

EPISCOPI MOSCOVIÆ *ſive* RUSSIÆ.

I. Albertus.

Albertus iſte ex Armachana ſede ad archiepiſcopatum Pruſſiæ, Livoniæ & Eſtoniæ in oris ſeptentrionalibus tranſlatus fuerat ab Innocentio IV. ineunte anno 1246. ex Raynaldo ad eum annum, *num. 28.* Is etiam poſtea curam ſuſcepit *Ruſſiæ,* ejus *archiepiſcopus* dictus ab eodem Raynaldo ad annum 1249. *num. 15.* ſcilicet, ut ipſe ſcribit loco primum citato. « Procubuere in Romanæ eccleſiæ obſequium Ruſſi anno 1246. qui, licet antea evangelica luce eſſent colluſtrati, in Græcorum tamen ſchiſmate atque erroribus merſi jacuerant: quorum converſionem Longinus, non tam Danielis ipſorum principis pietati, quam ambitioni tribuit. Quum enim ampliſſimis opibus ſubditarum gentium multitudine polleret, *Ducis* nomine abjecto, ad *regiam* dignitatem aſſurgere in animum induxit; quam ut conciliaret ſibi, oratores ad Opizonem abbatem è Mezano in Polonia, legatum maxima auctoritate à ſede apoſtolica inſtructum miſit, obtulitque ſe populos ſibi ſubditos ad Romanæ eccleſiæ obſequium adducturum, vireſque ad propulſandos Tartaros cum cæteris catholicis conjuncturum, ſi *regium* ſibi diadema imponeret: illum vero & divinæ gloriæ amplificandæ, & illuſtrandæ legationis ſuæ cupidum, renitentibus (licet) Polonis præſulibus, quos invidia agi putabat, regiis ornamentis Danielem ſacramento adactum ſe ſuoſque ſedi apoſtolicæ obſequentes futuros induiſſe, &c. Hoc nuntio excitatus Innocentius IV. Pruſſiæ archiepiſcopum, quem ex Armachana ad illam ſedem ineunte anno tranſtulerat, apoſtolicæ ſedis legati dignitate ornatum ad Ruſſos miſit, redeuntibuſque ad eccleſiæ (Romanæ communionem) gratulatoriis litteris fauſta precatus eſt.» Has litteras, datas eo anno die 3. Maii, profert Raynaldus, *ibid. num. 29.* ut & alias eidem archiepiſcopo datas die 19. Mart. & die 26. Aprilis eodem anno 1246. *nn. 30. & 31.* Item ad annum 1247. *num. 28.* alias eidem præſuli, datas eo anno die 7. Septembris.

Verum anno 1249. ad vomitum rediit Daniel, & *Albertum Armachanum olim epiſcopum, tunc Ruſſiæ archiepiſcopum,* verba ſunt Raynaldi ad eum annum, *num. 15.* ad ſe miſſum ab Innocentio IV. indigne ejecit. Litteras Alexandri IV. ad Danielem, datas anno 1257. die 13. Febr. refert idem Raynaldus ad eum annum, *nn. 26. 27. & 28.* ſed incaſſum: hunc enim reſipuiſſe nemo narrat. Obiit autem, juxta Cromerum, *lib. 9. p. 160.* B. (qui de ejus perfidia loquitur, *p. 159.* A.) circa annum 1264. & juxta Raynaldum ad annum 1266. *num. 40.* eo anno.

II. Jacobus.

Ughellus, *tom. 5. Ital. ſac. col. 191. n. 44.* A. *veteris editionis,* ſcribit *Jacobum de Bruna,* Bohemum, *rectorem* fuiſſe *eccleſiæ patriarchalis in Moſcovia diœceſis Olmicienſis* (veriſimiliter ut Catholicorum ibi degentium curam gereret à ſummo Pontifice delegatus) ex quo munere ad epiſcopatum Bellunenſem in Italia tranſlatus eſt ab Innocentio VI. anno 1353. die 21. Novemb. *Ex Reg. Vatic.* Obiit vero anno 1369.

III. * * *

Joannes Baſilius Ruſſorum Dux ſolemnem ad Sixtum IV. legationem miſit anno 1472. de qua ait Raynaldus ad eum annum, *n. 48.* « XXII. Maii vocati ſunt in concilium Patres. Vocationis (autem) cauſam præbuerunt oratores Joannis Ducis albæ Ruſſiæ: ii venerunt ut venerarentur primo Romanum Pontificem, inde deſponderent filiam Deſpoti olim Peloponneſi, quæ Romæ unà cum duobus fratribus patria profugis, pietate ſedis apoſtolicæ alebatur, &c. Dictæ ſententiæ ſunt,

Digitized by Google

» decretum conjugium: permiſſum quoque ut » ſponſalia, ſicut poſtulabatur, in baſilica SS. » Apoſtolorum Petri & Pauli.... fierent, &c. » Harum rerum allatæ rationes, quod Rutheni » olim concilium Florentinum acceperint, & » *archiepiſcopum Latinum à ſede Romana ha-* » *buerint:* nam Græcis à Patriarcha Conſtanti- » nopolitano mos erat accipere, & oratorem » ad ſe mitti nunc poſtulant, qui fide eorum » omnium inſpecta, rebus etiam cognitis, ſi » quid devium eſt, in viam rectam reducat, & » an ad profitendam etiam obedientiam acceſſe- rint, &c.» Hæc ex mſ. Vaticano Volaterrani tranſcripſit Raynaldus, qui ſubjungit ad annum 1484. *num. 26.* «Non perfecta eſt Moſ- » coviticæ eccleſiæ cum Romana conjunctio, » quæ ad augendas chriſtianas vires, Mahume- » ticamque ſuperſtitionem obterendam, admodum erat neceſſaria, &c.»

Sigiſmundus Liber Toparcha *in comment. Moſcoviticis, p. 12. lin. 9. edit. Francof. 1600.* hæc ſcribit: «Sunt qui principem Moſcowiæ » *Album regem* nuncupant. Ego quidem cauſam » diligenter quærebam cur *regis Albi* nomine » appellaretur, quum nemo principum Moſ- » cowiæ eo titulo antea eſſet uſus, imo conſi- » liariis ipſis ſæpe, data occaſione, & aperte dixi, nos non *regem*, ſed *magnum Ducem* agnoſ- « cere. Plerique tamen hanc *regii* nominis ra- « tionem eſſe putabant, quod ſub imperio ſuo « reges haberet: *Albi* vero rationem nullam « habebant. Credo autem, ut Perſam nunc » propter rubea tegumenta capitis *Kiſilpaſſa*, id « eſt, *rubeum caput* vocant, ita illos propter alba « tegumenta, *Albos* appellari.» Nihil aliud novimus de *archiepiſcopo Latino*, qui Ruſſis à Romano Pontifice ad eorum petitionem poſt ſynodum Florentinam datus fuerit. De Moſcovitis legendus idem Raynaldus, *tom. 20.* ad annum 1519. *n. 60.* ad annum 1524. *n. 72.* ad annum 1525. *nn. 67. & 73.* ad annum 1553. *num. 40.* & ad annum 1561. *nn. 17. & 29.* Verum nihil tunc, nec deinceps, pro eccleſiæ Moſcoviticæ cum Romana unione confectum eſt.

ECCLESIA MOSCOVIÆ.

Daniel à V. M. *tom. 2. Speculi Carmelit. pag. 926. num. 3241.* ſcribit *Fr. Henricum de Brommelsheim*, Carmelitam conventus Mænawenſis provinciæ Allemaniæ inferioris, anno circiter 1473. aſſumptum in epiſcopum *Aſtarcanenſem* & ſuffraganeum Hildeſienſem; apud Munſterum autem legi, *Aſtarcan* ſive *Aſtracam* urbem eſſe ditionis Moſcoviticæ, haud procul à mari Caſpio.

N.

I. ECCLESIA NATURENSIS.

IN notitia quadam quatuor patriarchatuum, quam ex bibliotheca regia edidit Carolus à S. Paulo in fine ſuæ geographiæ ſacræ, *pag. 76.* legitur: «Conſtantinopolitana eccleſia hos habet ſuffraganeos & metropolos, Solumbrienſem, *Naturenſem*, &c.» At, nec ipſe Carolus, nec ullus alius, quod ſciam, indicat ubinam ſit urbs *Natura* dicta, cui tamen à ſæculo XIV. nonnullos antiſtites ritus Latini præfuiſſe reperimus.

EPISCOPI NATURENSES.

I. THEODORICUS I.

P. ECHARDUS *in indice epiſcoporum*, quem præfixit *tom. 1. Scriptor.* hæc ſcribit, *pag. 26. col. 2.* «*Theodoricus de Wiſchel*, Teuto, (Ord. » Præd.) conventus Weſalienſis alumnus, *epi-* » *ſcopus Naturenſis*, circa (annum) 1350. cœ- » nobium ſuum Weſalienſe die 7. Auguſt. caſu » totum igne conſumptum, ſuis curis & largiſ- » ſimis eleemoſinis reparavit. Sic refertur in » quodam codice antiquo mſ. cui titulus *Chro-* » *nica Weſalienſis*. Hunc non norunt noſtri. » Eccleſia Naturenſis in antiqua notitia eccle- » ſiaſtica mſ. quam habeo præ manibus, ponitur ſub Conſtantinopolit. Patriarcha immediate.»

II. THEODORICUS II.

III. ANTONIUS I.

Waddingus, *to. 4.* ad annum 1392. *n. 32. p. 225.* refert poſt obitum Theodorici (qui probabiliter alius à præcedente fuit) *Fr. Antonium de Fremonia*, Monaſterienſem, Minoritam, renuntiatum eſſe eccleſiæ Naturenſis ſub Patriarcha Conſtantinopolitano epiſcopum à Bonifacio IX. eo anno die 15. Jan.

IV. JOANNES I.

Antonio ſucceſſit *Joannes*, Eremita Auguſtinianus, per ejus ceſſionem, anno 1402. die 18. Januar. Ita Thomas Herrera *Alphab. Auguſtinani tom. 1. pag. 428. col. 2.*

V. ERASMUS I.

«Naturenſis eccleſia in Romania ſub Conſ- tantinopolit. patriarchatu epiſcopum habuit « *Fr. Eraſmum Villis* (Ord. Præd.) à Joanne « XXIII. creatum IV. Non. (id eſt die 4.) « Mart. anno 1414. de quo mſſ. Bzoviana, &c.» Hæc Fontana *Theat. Dom. p. 245. tit. 413.*

ECCLESIA NATURENSIS.

VI. Joannes II.
VII. Joannes III.

Waddingus, *to.* 5. ad annum 1430. *n.* 32. *pag.* 225. narrat *Joanni* epiſcopo Naturenſi mortuo ſuffectum eſſe à Martino V. eo anno die 30. Octobris, *Joannem* alterum cognomento *Fabri*, Minoritam, Paderbornenſem, & diploma exhibet, *ibid. in Reg. Pont. p.* 184.

VIII. Erasmus II.
IX. Joannes IV.

Poſt obitum *Eraſmi* epiſcopi Naturenſis, A Eugenius IV. huic ſedi præfecit anno 1434. die 30. Novemb. *Fr. Joannem Joannis*, Minoritam, ex eodem Waddingo, *ibid.* ad hunc annum, *n.* 4. *p.* 264. & *in Reg. Pont. p.* 219.

X. Joannes V.
XI. Antonius II.

Idem Waddingus ſcribit, *tom.* 6. ad annum 1469. *num.* 16. *pag.* 700. *Joanni* (quem non dicit fuiſſe Minoritam) ſucceſſiſſe eo anno die 30. Jun. *Fr. Antonium Nicolai*, Ordinis Minor. qui ſuffraganeus fuit archiepiſcopi Gneſnenſis.

II. ECCLESIA NEÆ *ſive* NIO.

NEA, teſte Baudrand, *to.* 2. *geogr. p.* 14. *col.* 2. inſula eſt parva admodum maris Ægæi, inter Lemnum & Helleſpontum. *Nio* apud Nigrum appellatur ex Ortelio.

EPISCOPI NEÆ.

I. Hector.
II. Michael.

Hectore epiſcopo Niocenſis eccleſiæ mortuo, hujus ſedis epiſcopus renuntiatus eſt ab Eugenio IV. anno 1443. die 4. Nov. *Fr. Michael de Padrolo*, Ordinis Prædic. ut conſtat ex ejus diplomate, quod profert R. P. Bremond, *tom.* 3. *Bullar. pag.* 231.

III. Petrus.
IV. Hieronymus.

Fontana *Theat. Dom. pag.* 249. *tit.* 424. tradit ex Regeſtis apoſtolicæ cancellariæ, & ex quibuſdam Ughelli mſſ. *Fr. Petrum de Xaque*, Hiſpanum, Ord. Præd. præfectum eſſe eccleſiæ Niocenſi à Pio IV. anno 1560. die 4. Septembris.

B Mich. Pio in Append. ad 2. *part. col.* 404. meminit ſub anno 1304. *Fr. Petri Xaquez*, Ord. Præd. epiſcopi *Niochenſis*.

Idem *ibid. lib.* 3. *col.* 74. ſub anno 1486. *Fr. Petrum Pagne*, Ord. Præd. commemorat epiſcopum *Neoginenſem*, ex Steph. Sampaio.

Denique Joannes Lopez, 4. *part. lib.* 2. *cap.* 2. *pag.* 329. *col.* 1. inter epiſcopos Ord. Præd. qui florebant anno 1553. recenſet *Fr.* C *Petrum Xaquez* epiſcopum *Niquenſem*. Hos autem conjicit Cavalerius, *tom.* 1. *pag.* 404. tres fortaſſis fuiſſe epiſcopos *Niocenſes*, qui diverſis illis temporibus vixerint.

Utut ſit, Petro de Xaque ſucceſſit *Fr. Hieronymus Clavigo*, ejuſdem Ordinis Prædic. anno 1564. die 28. Auguſti. *Ex Reg. apoſt. Cancell.* apud Fontanam, *ibid.*

III. ECCLESIA NELIENSIS.

STRABO, *lib.* 9. *pag.* 436. B. *edit. Caſaub.* meminit cujuſdam *Neliæ* in Theſſalia. Verum me fugit an huic præfuerit epiſcopus qui ſequitur.

EPISCOPI NELIENSES.

Petrus.

DANIEL à V. M. ſcribit, *tom.* 2. *Speculi Carmel. pag.* 949. *n.* 3341. *ex lib.* 3. *Proviſ.* D *Prælat.* ſub Urbano V. anno 1. *Fr. Petrum Ordinis Carmelitarum*, *in ſancta Pagina* magiſtrum, inſtitutum eſſe epiſcopum *Nelienſem* XII. *kal. Aug.* (id eſt die 21. Jul.) *anno* 1363.

P.

ECCLESIA PERGETENENSIS.

COMPERTUM mihi non eſt quænam ſit eccleſia *Pergetenenſis* in Lycaonia, cujus meminit Waddingus modo citandus.

EPISCOPI

ECCLESIA PERGETENENSIS.

EPISCOPI PERGETENENSES.

JOANNES.

WADDINGUS, *tom. 5.* ad annum 1412. *num. 2. pag. 78.* refert *Fr. Joannem de Strans,* A Minoritam, eccleſiæ *Pergetenenſi in Lycaonia* ſub Iconio metropoli, præfectum eſſe hoc anno die 18. Aprilis.

R.

ECCLESIA RUTENORUM.

RUTENI populi ſunt Europæ, Ruſſiam rubram incolentes, quæ *Ruſſia* quoque propriè dicta, & *Roxolania* nuncupatur, inter Poloniam propriam & Moſcoviam. Hi etiamnum religionem Græcam ejuſque ritum ſervant: ſed regio ipſa à Caſimiro II. Poloniæ rege huic regno acquiſita eſt anno 1345. Ita Baudrand, *tom. 2. geogr. pp. 185. & 186.*

EPISCOPI RUTENORUM.

I. GERARDUS.

GERARDUS Ord. Præd. ex Provinciali Poloniæ creatus eſt à Gregorio IX. primus Rutenorum epiſcopus circa annum 1233. de quo hæc habet Cromerus, *lib. 9. p. 153.* A. « Anno ſequenti (id eſt 1254.) Prendota » epiſcopus Cracovienſis ſacri corporis ejus » (S. Stanislai) reliquias ſolemni pompa de » ſepulcro levavit, & hominum venerationi ex- » poſuit. Interfuere autem ei celebritati archi- » epiſcopus (Gneſnenſis) & epiſcopi Poloniæ, » quicumque per valetudinem potuerunt; item- » que *Gerardus Ruſſorum* (ad marg. *Ruſſorum* » *epiſcopus catholicus*) & Vitus Lithuanorum » (ad marg. *Lithuanorum epiſcopus primus*) epi- » ſcopi. Nam & hi (Lithuani) ad religionem » chriſtianam jam accedebant, & illi (Ruſſi) » ad ſocietatem eccleſiæ catholicæ ſeſe ad- junxerant. »

De eodem Gerardo addit Spondanus, *tom. 1.* ad annum 1231. *num. 7. pag. 155.* « Hoc item anno quum apud Ruſſos ſive » Rutenos negotium fidei catholicæ opera FF. » Præd. felices progreſſus feciſſet, Gregorius B Pontifex eis antiſtitem vitæ ſanctimonia & « eccleſiæ adminiſtrandæ peritia inſignem præ- « ficere rogatus, *Gerardum* ejuſdem Ordinis « profeſſorem, Provincialis Poloniæ officio « nuper egregie perfunctum, primum ei genti « conſtituit epiſcopum. » *Vitus,* de quo ſupra, Dominicanus quoque fuit.

II. HENRICUS.

III. THEODERICUS.

Sede Rutenenſi vacante per obitum *Henrici,* renuntiatus eſt epiſcopus ab Urbano V. anno 1367. die 30. April. C *Fr. Theodericus de Indagine,* Eremita Auguſtinianus. Ita Thomas de Herrera *Alphab. Auguſtinian. tom. 2. pp. 448. & 449.*

IV. JOANNES.

« *Joannes Hoppe,* Ordinis Præd. epiſcopus Rutenenſis in Livonia provincia Rigenenſi « à Bonifacio IX. IV. Non. Maii anno XIV. » (id eſt anno 1403. die 4. Maii.) Ex mſſ. Bzovianis apud Fontanam *Theat. Dom. pag. 280. tit. 499.* Ejus meminit R. P. Bremond, *to. 2. Bullar. pag. 470.*

S.

I. ECCLESIA SCOPIENSIS.

SCOPIA ſive *Scupi, Uſchub* Turcis, urbs Mœſiæ ſuperioris, Dardaniæ caput, in Macedoniæ confinio verſus Scardum montem, ſub dominio Turcarum, 10. milliar. diſtat à Theſſalonica in occaſum æſtivum, 80. à Sophia in occaſum, 60. à Philippopoli, Scodram verſus paulo plus. Epiſcopalis ſedes fuit, poſtea metropolis effecta. Hæc Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 216. col. 1.*

EPISCOPI SCOPIENSES.

I. JOANNES.

II. FREDERICUS.

HIc *Joannes* duos omittimus, qui proba- D bilius ſedi *Scopelenſi* præfuerunt ſub archiepiſcopo Hadrianopolitano, de quibus vide ſupra inter archiepiſcopos Scopelenſes, *col. 963.* B. Waddingus, *to. 4.* ad annum 1351. *n. 42.*

ECCLESIA SCOPIENSIS.

pag. 22. refert, eccleſia Scopienſi vacante per A obitum *Joannis*, ei præpoſitum eſſe à Clemente VI. eo anno die 8. Jun. *Fr. Fredericum de Reterſberck*, Minoritam, & diploma exhibet *in Regeſto Pontif. pag. 13.*

III. Hermannus.

IV. Antonius.

Poſt obitum *Hermanni* epiſcopi Scopienſis ſub archiepiſcopo Præſtamenſi, creatus eſt hujus eccleſiæ præſul à Bonifacio IX. anno 1400. die 5. Jul. *Fr. Antonius de Terano*, Minorita, ex Waddingo, *to. 4.* ad hunc annum, *num. 3. pag. 368.*

V. Hyacinthus.

Fr. Hyacinthus Macripodanus, Ord. Præd. Chienſis, Scopienſis antiſtes renuntiatus eſt ab Innocentio X. anno 1649. die 11. Octob. *ex Regeſtis Cancellariæ apoſt.* Hujus meminit Fontana *Theat. Domin. pag. 169. tit. 168.* & *pag. 292. tit. 536.*

II. ECCLESIA SMOLENSCENSIS.

Smolenscium, Smolensko, urbs Lithuaniæ & Ruſſiæ albæ ad fluvium Boryſtenem; prope fines Moſcoviæ, olim Ruſſicis Ducibus cum tota regione paruit: ſed anno 1403. Vitondus magnus Dux Lithuaniæ eam ſibi ſubjecit; capta eſt deinde à Caſimiro rege Poloniæ anno 1452. ac poſtea à Moſcis anno 1514. Eamdem recuperavit Sigiſmundus III. rex Poloniæ anno 1611. poſt duorum fere annorum obſidionem, ſicque Polonici juris manſit uſque ad annum 1654. quo expugnata eſt die 13. Octobris ab Alexio Michaelitio magno Moſcoviæ Duce, & exinde Moſcis ſubditur. Diſtat 20. milliar. Polonicis à Vitebſcia in ortum hybernum, 150. à Varſovia in ortum, 100. à Vilna, Moſcuam verſus 54. circiter, & 150. à Kiovia in ſeptentrionem. Epiſcopatum Latini ritus in ea urbe conſtitui à ſummo Pontifice curaverat Wladiſlaus (VI.) Poloniæ rex, ex deſtinatione patris ſui Sigiſmundi III. (qui obiit anno 1632. ipſeque diem clauſit extremum anno 1648.) Ita Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 252. col. 2.* In notitia Græcorum epiſcopatuum, quæ extat ad calcem Codini *de Officiis*, legitur *pag. 399.* Græcè & Latinè, ſub Ruſſia minori loco ſeptimo τὸ Μολίσμον *Moleſmum*, & ad marginem utrobique Σμολενκόν *Smolencum*.

EPISCOPI SMOLENSCENSES.

I. Petrus.

In notitiis publicis Gallicè conſcriptis per annum 1636. legitur, (ſic autem Latinè reddo) « Die 1. Septemb. eo anno propoſita fuit in » conſiſtorio (coram SS. Papa Urbano VIII.) » erectio ſedis epiſcopalis in urbe Smolenſcio, » à paucis annis Moſcovitis erepta à Poloniæ » rege (Sigiſmundo III.) primuſque ejus epi- » ſcopus (ritus Latini) renuntiatus eſt *Petrus Parazenski*, Polonus. »

II. Carolus.

Carolus Petrus Pancerzinski, antea epiſcopus *in partibus Infidelium*, pro epiſcopatu Imolensko (Smolensko) in Lithuania pro- C clamatus eſt anno 1721. die 14. Septembris Romæ. Is deinde anno 1724. die 12. Jun. & die 11. Septemb. propoſitus eſt ad eccleſiam Vilnenſem in Lithuania transferendus. Hæc ex nunciis præfatis anno 1721. *pag. 527.* & anno 1724. *pp. 363. & 520.* In poſtremo autem loco *Carolus* iſte *Pancerzinski* dicitur *epiſcopus Smolensko*.

D

III. Bogislaus.

Diebus 20. Decembris anni 1724. & 29. Februar. anni ſequentis 1725. Romæ denunciatus eſt ad eccleſiam Smolenſcenſem promovendus *Bogiſlaus Corvinus Goziewski*. Ex nunciis anni 1725. *pp. 32. & 103.*

Monitum. Casu omiſſus fuit ſupra, *col. 1070.* C. inter præſules *Sebaſtes* in Armenia, poſt *IV. Joannes II.* antiſtes nomine *Paulus*, Minorita, de quo Waddingus ita loquitur, *tom. 5.* ad annum 1428. *num. 3. pag. 197.* « *Fr. Paulus Franciſci*, epiſcopus Sebaſtenus in Armenia, per obitum Joannis x. kal. Aug. » (id eſt die 23. Jul. eo anno.)

Digitized by Google

PATRIARCHATUS ALEXANDRINUS
RITUS LATINI.

QUÆ ad Patriarchatum Alexandrinum qualitercumque ſpectant, jam expoſita fuere *tomo 2.* hujus operis, *col. 329.* & ſequentibus: unde pauca duntaxat hîc ſubjiciam de urbe Alexandria, ut ad Patriarchas ritus Latini, alioſque præſules ipſis obtemperantes, deveniam.

Inter urbes octodecim *Alexandriæ* nomine donatas in diverſis orbis partibus, quas recenſet Stephanus Byzantius *in tractatu de urbibus & populis, edit. Amſtelod. 1678. pag. 61.* præeminet omnimodo *Alexandria* Ægypti caput, quæ primis eccleſiæ ſæculis ſecunda fuit ſedes patriarchalis immediate poſt Romanam; emporium quoque celeberrimum quo merces, & præſertim aromata per univerſam Europam diſtribuenda advehebantur. Hæc appellata eſt olim *Libyſſa, Rhacatis, Pharos, Leontopolis, Sebaſte,* id eſt, *Auguſta, Julia, Claudia, Domitiana,* nunc vero à Turcis *Scanderik* ſive *Scanderia,* ex nomine corrupto Alexandri magni, à quo condita refertur olympiade 112. annis circiter 330. ante Chriſti nativitatem.

Alexandria hodie majori ſui parte in ruinis jacet ſub dominio Turcarum, qui baſilicam S. Athanaſii, olim Patriarcharum ſedem, in Moſchæam vertere: unde templum pervetuſtum S. Catharinæ virginis & martyris ei à Græcis ſubſtitutum eſt. At eccleſia Francorum ibi cæteris præcellit Orientis Catholicorum.

Antequam Mahumetanis ſubjiceretur præclara hæc civitas, valde florebat: ſed ab Amro expugnata, poſt obſidionem tredecim menſium anno Chriſti 640. exeunte, cœpit exinde paulatim minui. Diſtat autem à Cairo 125. milliar. in occaſum æſtivum, 12. milliar. à Nili oſtio Canopico in occaſum, 460. milliar. in boream à Syene ultima Ægypti urbe meridionali, 150. à Peluſio in occaſum, Cyrenen verſus 60. Hæc Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 36. col. 1.*

Willelmus Tyrius, *lib. 19. c. 24. & ſeqq.* pluribus refert Amalricum III. Hieroſolymorum regem Alexandriam obſidione cinxiſſe, ac tandem occupaſſe, *Soldano in ſua adminiſtratione confirmato,* anno 1167. ante XII. kal. Septemb. (id eſt diem 21. Aug.) Quam expeditionem ſic paucis narrat Robertus de Monte in chronico ad annum 1168. apud R. P. Pagi, *tom. 4. crit. annal. Baron.* ad annum 1167. *num. 32. pag. 630. col. 2.* « Amalricus rex Hieruſalem evocatus ab Amiralio Babyloniæ (ſeu procuratore & præfecto, *Siracono* à Tyrio appellato) « cui confœderatus erat, obſedit Alexandriam, quæ caput eſt Ægypti, & cepit, & reddidit « eam Amiralio, qui pepigit ei ſingulis annis tributum de eadem civitate, quinquaginta ſeptem « millibus (videtur deeſſe *aureis Byzantiis*) quos habet de Babylone. »

Eamdem urbem Alexandriam cepit Petrus rex Cypri anno 1365. ut ſcribit Philippus è Mazeriis, teſtis oculatus, in vita S. Petri Thomaſii Patriarchæ Conſtantinopolitani ritus Latini, Ordinis Carmelitarum, apud Raynaldum, *tom. 16. annal.* ad annum 1365. *num. 10.*

Verum in his expeditionibus datus non videtur Alexandriæ Patriarcha Latinus, qui in ea urbe vel tantiſper ſederit: nam in prima quidem Amalricus non ſibi aut Latinis eam cepit, ſed Soldano Babyloniæ, cui ſtatim eam remiſit: certe non multo poſt Nicolaus Græcus huic præerat Patriarcha Melchita, qui Innocentii III. & Honorii III. communionem fovebat, ad eos litteras ſcribens benevolentia & veneratione refertas, de quibus legendæ tum Innocentii epiſtolæ 146. 147. & 148. lib. XIV. anno 1211. menſe Januario, & 34. lib. XVI. anno 1213. qua eum invitabat ad concilium Lateranenſe, tum ipſius Nicolai epiſtola ad Honorium, quam profert Raynaldus, *tom. 13.* ad annum 1223. *n. 9. pag. 328. col. 2.* In ſecunda vero circa Alexandriam expeditione, hanc vix aliquot diebus Latini detinuerunt, eam ſtatim deſerentes, fruſtra obſiſtentibus Petro rege Cypri, & B. Petro Thomaſio, Carmelita.

D. abbas de Commanville *in Tabula Alphab. Gallica epiſcopatuum totius orbis, pag. 10.*

Digitized by Google

Alexandriæ præfuiſſe aſſerit Latinos præſules, dum Latini in Oriente bellum Turcis intulerunt. Quod licet inficiari non auſim, non tamen mihi conſtat quandonam inceperit illa Patriarcharum Alexandrinorum ritus Latini ſeries, quiſnamve fuerit eorum primus. Eos itaque ſubjiciam, qui à ſæculo XIV. hac dignitate inſtructi à ſcriptoribus perhibentur.

PATRIARCHÆ ALEXANDRINI RITUS LATINI.

Athanaſius. I. ÆGIDIUS.

ATHANASIUS quidam Patriarcha Alexandrinus ſæculo XIII. non multum adulto commemoratur apud doctiſſimos Bollandiſtas in *hiſt. chronol. Patriarch. Alexandr.* præfixa tom. 5. Junii *pag. 105. col. 1. num. 575.* ubi *Additamentum. De Patriarchis pleriſque Latinis, ex magno Lexico biblico Simonii, edito Lugduni anno 1703.* De qua Patriarcharum ſerie ſic ipſimet ſcribunt: *Quam vero à recta chronologia paſſim auctor ille deficiat per te, lector, judicare poteris, ſi Simonii laciniam cum noſtro tractatu conferas.* In ea autem legitur, *num.* LIII. *S. Athanaſius Claromontanus pro Latinis 1219.* Verum eo anno ſedebat Patriarcha Alexandrinus Græcus Melchita *Nicolaus,* cui profectò, utpote eccleſiæ Romanæ addicto ex paulo ſupra dictis, alium Patriarcham Romani Pontifices non ſubſtituerunt. Daniel à V. M. Carmelita, *tom. 2. Speculi Carmel. p. 353. num. 1250.* refert ex Lezana in annalibus Carmelitarum, cuidam ſynodo Hieroſolymis congregatæ an. 1222. adfuiſſe præſules Syro-Græcos 36. & inter eos *Athanaſium de Claromonte, Patriarcham Alexandrinum.* At de ea ſynodo fides ſit penes illos, qui eam celebratam tradunt.

Quod ſpectat ad *Ægidium* (quem ideo primum aſſigno Patriarcham Alexandrinum ritus Latini, quia me fugit quis fuerit alius eo antiquior in illa dignitate,) Ughellus *in Patriarchis Gradenſibus, tom. 5. Italiæ ſacræ col. 1214. vet. edit. num. 48.* D. hæc de eo habet: « *Fr. Ægidius,* Ferrarienſis, Ordinis » Præd. inſignis alumnus, ad ſedem Gradenſem » aſſumptus eſt à Bonifacio VIII. anno 1295. » XIV. kal. Jun. (id eſt die 19. Maii.) Is anno » 1308. à Clemente V. Papa, unà cum FF. » Lupo Ord. Prædic. & Athanaſio Ord. Min. » legatus miſſus eſt ad regem Raſciæ Vroſium, » de quo legendus Odericus Raynaldus, *to. 15.* » Tranſlatus deinde eſt Ægidius à Clemente V. » ad Alexandrinum Patriarchatum anno 1310. ut *in Reg. Vatic.* habetur.» Eſt autem *Raſcia,* teſte Baudrand, *to. 2. geogr. pp. 159. & 160.* regio ſeptentrionalis Serviæ, ſic dicta à fluvio *Raſca* per eam labente, extenditurque ubi olim Dardania in Mœſia ſuperiori. Quandonam obierit Ægidius ille non reperio, ſed annum 1322. non exceſſit.

II. OTTO ſeu ODO.

Otto ſeu *Odo* & *Oddo de Sala,* è primaria
A Piſanorum nobilitate, Ordinis Præd. doctor Univerſitatis Pariſ. epiſcopus autem ſucceſſive Teralbenſis in Sardinia, Polenſis, Arborenſis, & Piſanus, demum Alexandrinus Patriarcha creatus à Joanne XXII. anno 1322. die 22. Maii. Montis Caſſini adminiſtrator renuntiatus eſt eodem anno die 2. Maii, ibique obiit anno ſequenti 1323. die 9. Novemb. Ejus meminere Fontana *Theat. Dom. p. 44. tit. 2.* Ughellus, *tom. 2. col. 1032. num. 1.* B. & *tom. 3. col. 529. num. 55.* C. *veteris edit.*
B Cavalerius, *tom. 1. pag. 89. num. 25.* & R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pag. 205.*

III. JOANNES I.

Joannes iſte, filius Jacobi II. regis Aragonum, anno ætatis 17. factus archiepiſcopus Toletanus, ſic dono ſcientiæ & gratia prædicationis floruit, ut nullus illo ævo in hoc ei ſimilis crederetur. Carnem ſuam jejuniis & ciliciis macerabat. Anno autem ætatis 28.
C creatus Patriarcha Alexandrinus & adminiſtrator eccleſiæ Tarraconenſis, conſtructo monaſterio *Scala Dei* dicto, Ordinis Carthuſienſis, in iſta diœceſi, piiſſime obiit die 19. Aug. anno 1334. ætatis ſuæ 33. quem Deus tam in vita quam poſt mortem multis miraculis illuſtravit. Hæc deſumpta ſunt ex ejus epitaphio in baſilica Scalæ Dei, quod exhibet Diego de Caſtejoni Fonſeca, *tom. 2. hiſt. Toletanæ eccleſ. editæ Madriti anno 1645. part. 3. c. 18. p. 795.* Extat apud Raynaldum
D ad annum 1329. *num. 83.* epiſtola Joannis XXII. Papæ, data pridie idus (id eſt die 14.) Octob. pontificatus anno XIII. Chriſti ſubinde 1328. cujus titulus eſt: *Joannes,* &c. *Joanni olim archiepiſcopo Toletano in Patriarcham Alexandrinum electo.* Ex quo colligitur hunc eo anno titulo illo fuiſſe ornatum. Leguntur *tom. 4. theſauri novi Anecdot. edit. Pariſ. an. 1717.* à *col. 283.* uſque ad *col. 323.* Acta IV. conciliorum Tarraconenſium *ſub Joanne Patriarcha Alexandrino & adminiſtratore eccleſiæ Tarraconenſis,* quorum primum
E celebratum eſt *anno 1329. IV. kal. Mart.* (id eſt die 26. Febr.) Waddingus ad annum 1331. *num. 9. p. 383.* refert epiſtolam, quam *venerabilibus,* &c. *FF. Minorum Generali miniſtro, cæteriſque fratribus apud Perpinianum in generali capitulo congregatis, Joannes proviſione divina ſanctæ ſedis Alexandriæ Patriarcha, & adminiſtrator ſanctæ eccleſiæ Tarraconenſis,* ſcripſit *propria manu Gerundæ die Martis poſt*

Digitized by Google

Aſcenſionem Domini (id eſt die 14. Maii) depopulabatur. Hanc profert Raynaldus ad eum annum, *num. 1.*

VIII. Petrus I.

Petrus Amelii de Brenaco, Ordinis Eremit. S. Auguſtini, conventus Limoſi Narbonenſis diœceſis alumnus, ex ſacriſta pontificio epiſcopus Senogallienſis conſtitutus, deinde epiſcopus Tarentinus, & anno 1388. vel ſeq. Patriarcha Gradenſis; demum *Alexandrinus Patriarcha* & adminiſtrator eccleſiæ Aquenſis in Vaſconia, vixit uſque ad tempora Bonifacii IX. Hæc Thomas de Herrera *Alphab. Auguſtin. to. 2. p. 261. col. 2. & p. 262. col. 1.*

IX. Petrus II.

Petro modo laudato fortaſſis ſucceſſit alter *Petrus* cognominatus *Alexander,* quem præfatus Papa Bonifacius tranſtulit anno 1400. ex ſede patriarchali Gradenſi ad Alexandrinam. Hanc enim tranſlationem teſtatur ipſemet Pontifex in diplomate quo ipſi ſufficiebat in eccleſia Gradenſi Fr. Joannem Benedictum Ordinis Præd. ipſique hanc dignitatem recuſanti ſubrogavit Petrum Canche Caſtellanæ diœceſis, eo anno die 22. Septembris, apud R. P. Bremond, *to. 2. Bull. pp. 459. & 460.*

X. Leonardus.

Leonardus Delphinus, Venetus Patritius & archiepiſcopus Cretenſis, ad eccleſiam Venetiarum tranſiit anno 1392. die 29. April. quam adminiſtravit uſque ad annum 1401. tunc quippe eum tranſtulit Bonifacius IX. ante diem 27. Aug. ad patriarchalem Alexandrinam. Ita Ughell. *to. 5. Ital. ſac. col. 1354. num. 46.* D. *vet. edit. ex lib. oblig. Prælat.*

XI. Ugo.

Ugo de Robertis de Tripoli, Regienſis, primum epiſcopus Adrienſis, deinde per commutationem cum Joanne, Patavinus anno 1393. demum ex ea ſede ad patriarchatum Alexandrinum pervenit anno 1402. Idem Ughellus, *ibid. col. 433. num. 87.* D.

Cæteros qui deinceps Patriarcharum Alexandrinorum titulo potiti ſunt, mitto, ut ad paucas illas deveniam hujus patriarchatus eccleſias, quibus præfuerunt antiſtites aliquot Latini.

anno 1331. De eo inſuper legi poteſt præfatus Raynaldus ad annum 1328. *nn. 53. & 66.* ad annum 1330. *num. 26.* & *pag. 3.* ante finem ejuſdem tomi XV. *col. 2.* paulo ante medium. Item *tom. 16.* ad annum 1336. *num. 47.*

IV. Guillelmus.

Guillelmus de Chanac, nobilis Lemovicenſis, epiſcopus Pariſienſis, qui collegium S. Michaelis, aliàs de Chanaco, Pariſiis fundavit, creatus eſt Patriarcha Alexandrinus anno 1342. & obiit die 3. Maii anno 1348. Ita DD. Sammarthani, *tom. 1. Galliæ chriſt. edit. Pariſ. anno 1656. pag. 452. col. 2. n. 83.* C. & *pag. 453. col. 1. num. 84.* C.

V. Humbertus.

Sereniſſimus princeps *Humbertus,* Delphinus Viennenſis, terreno principatu in Joannem Philippi regis Francorum filium natu majorem, tunc Normanniæ Ducem, tranſmiſſo, votiſque ſolemnibus Ord. Præd. cooptatus, Alexandrinus Patriarcha renuntiatus eſt à Clemente VI. initio anni 1351. & anno ſequenti adminiſtrationem perpetuam eccleſiæ Rhemenſis ſuſcepit. Obiit apud Clarummontem in Arvernia anno 1355. die 22. Maii, indeque corpus ejus Lutetiam delatum eſt, & in æde Dominicanorum ſepultum.

VI. Arnaldus.

Oldoinus, *tom. 2. hiſt. Rom. Pont. & DD. Card. edit. Romæ anno 1677. col. 566. n. VI.* D. refert *Arnaldum Bernardi de Montemajori,* natione Gallum; ex *Patriarcha Alexandrino* preſbyterum Cardinalem & S. R. E. Camerarium ab Urbano V. renuntiatum eſſe, non in ſecunda, ut ſcribit Frizonius, ſed ex Contelerio & Ciaconio, in tertia Cardinalium creatione, anno 1368. die 22. Septembris. Viterbii peſte periit anno 1369. Meminere hujus Regeſta Urbani V.

VII. Joannes II.

Anno 1372. titulo Patriarchæ Alexandrini fruebatur *Joannes* quidam, ad quem epiſtolam ſcripſit Gregorius XI. datam eo anno VII. kal. Aug. (id eſt die 26. Jul.) adverſus Bernabonem de Vice-comitibus, militem Mediolanenſem, qui multas Italiæ civitates

I. ECCLESIA DAMIATÆ.

BAUDRAND, *tom. 2. geogr. pag. 91. col. 1.* obſervat ex ruinis Peluſii redacti in vicum *Belbaïs* nuncupatum, teſtibus Tyrenſi, Nigro, & aliis, creviſſe *Damiatam* urbem, ei fere adjacentem in adverſa Nili Peluſiaci ripa, quæ ei ſucceſſit in ſede archiepiſcopali ſub Patriarcha Alexandrino, unde etiam ſæpius, ſed male à recentioribus pro ipſa Peluſio

Digitized by Google

ECCLESIA DAMIATÆ.

ſumitur. Hanc porro ſic deſcribit Jacobus de Vitriaco, *lib. 3. n. 6.* apud R. P. D. Edmund. Martenne, *tom. 3. theſ. nov. Anecdot. col. 274.* B. « In terra illa ubi major pars Nili recipitur » in mari, inter ripas Nili & littus maris ſita eſt Damiata civitas pulcherrima & firmiſſima, 32. » turribus altis & aliis infinitis minoribus decorata, habens contra fluvium murum, & ſic verſus » terram, & unum foſſatum interius & exterius bene pavatum. Eſt autem in medio Nili ante » Damiatam firmiſſima turris erecta, à cujus pede duæ maximæ catenæ ferri uſque ad muros » civitatis contra turrim Sodanni protenduntur, ne pateat navigio intrantibus vel egredientibus » Ægyptum, niſi de licentia Sodanni. Hac enim via exeunt naves cum ſpeciebus aromaticis » oneratæ ab India venientes, & tendentes verſus Antiochiam, Syriam, Armeniam, Græciam » & Cypriam, &c. Hæc civitas clavis eſt & caput totius Ægypti: ab hac civitate ſunt octo » dietæ uſque ad montem Synai, ubi requieſcit corpus B. Catharinæ. In magna veneratione tenent locum illum Sarraceni, & monachos ejuſdem loci. »

Ibidem etiam, *col. 303.* C. extat epiſtola IV. Jacobi de Vitriaco, in qua ad Honorium III. ſcribens de expugnatione Damiatæ per Chriſtianos die 5. Novemb. anni 1219. ait: « Purgata » autem civitate, dominus legatus & Patriarcha (Hieroſolymitanus) cum clero & univerſo » populo accenſis candelis & luminaribus, cum hymnis & canticis, cum laudibus & gratiarum » actione, in die Purificationis B. Mariæ proceſſionaliter ingreſſus eſt civitatem. Fecerat autem » dominus legatus præparari maximam baſilicam, in qua in honorem B. V. Mariæ cum » lacrymis & devotione magna, populo circumſtante, celebravit: *in qua ſedem archiepiſcopalem* » *inſtituit,* multis etiam aliis infra ambitum civitatis conſtitutis eccleſiis, ejecto perfido Ma- » chomete, divinum officium diebus ac noctibus ad honorem Dei & Sanctorum ejus jugiter » adimpletur, & diverſis in eccleſiis diebus ſingulis à ſacerdotibus illic conſtitutis, Patris Filius offertur. » Et nonnullis interjectis: « Nec ſolum iſtam (Damiatam) ſed civitatem » (quoque) *Thanaos* cum ſua diœceſi.... nobis Deus ſubjecit, (quæ) ſub Damiata metropoli continetur. »

Verum Damiata & Thanais iterum in Saracenorum poteſtatem venere anno 1221. die 9. Septembris. De qua Latinorum clade legi poſſunt *chronicon* Lamberti Parvi à Reinero monacho continuati, *tom. 5. veterum Scriptor. & monum. ampl. collect. col. 63.* D. *chronicon* Joannis Iperii, dictum *S. Bertini, tom. 3. theſ. novi Anecdotor. col. 703.* D. & *chronicon* Alberici ad annum 1221. *part. 2. pag. 507.*

Anno autem 1249. eamdem urbem S. Ludovicus rex Franciæ miraculoſe ſubegit ante diem 20. Novembris, quo ex ea receſſit, ut adverſus copias Sarracenorum præliaretur, ipſo teſte in epiſtola, quam ad proceres Galliarum ſcripſit anno ſequenti menſe Auguſto, apud Raynaldum, *tom. 13.* ad annum 1250. *num. 13.* ſed die 5. April. hujus anni 1250. victus eſt & captus piiſſimus rex, nec, niſi Damiata reſtituta, ſibi ſuiſque libertatem potuit impetrare. « Sane, inquit rex in præfata epiſtola, *ibid. num. 19.* poſt captionem noſtram, per dies » aliquot jam dictus Soldanus requiri nos fecit de treugis faciendis, petens inſtanter, non ſine » minis & auſteritate verborum, quod ſublato moræ diſpendio, faceremus ſibi reſtitui Da- » miatam cum omnibus rebus ibidem inventis, & reſarciremus omnia damna, & expenſas quas fecerat uſque ad tempus illud, à die qua receperant Damiatam Chriſtiani, &c. » Me fugit an urbibus Tani & Damiatæ dati fuerint præſules, quando in ditionem Latinorum tranſierunt exeunte anno 1219. quamvis hanc, poſtremam in archiepiſcopalem cathedram, alteram vero in epiſcopalem ei ſuffraganeam, tunc erexerit Pelagius ſedis apoſtolicæ legatus. At Damiatæ præfectum eſſe archiepiſcopum Latini ritus anno 1249. nunc palam fiet.

ARCHIEPISCOPI DAMIATÆ.

ÆGIDIUS.

STatim atque S. Ludovicus rex Francorum Damiatæ poſſeſſionem iniit anno 1249. ibi ipſe præſuli qui conſtitueretur, aliiſque ſacri altaris miniſtris, certos proventus aſſignavit, ut legere eſt in charta hujus fundationis, apud clariſſ. Baluzium, *tom. 4. Miſcellan. pag. 491.* Porro qui tunc in archiepiſcopum electus eſt, quemdam fuiſſe *Ægidium* colligitur ex Guillelmi Tyrii continuatore, qui hæc ſcripſit ad annum 1253. in lingua Gallica ſui temporis: *Morurent li rois Henry de Chipre, &* A *l'eveſque de Jaffe Gui de Nimars.... & Nicolas Larcat arceveſque de Sur: après luy fû poſtulé à arceveſque Giles, qui fû de Damiete, tom. 5. veterum Scriptor. & momum. ampliſſ. collect.* R. P. D. Martenne Benedict. *col. 735.* B. quod Latinè ſonat: *Anno 1253. deceſſerunt Henricus rex Cypri, & epiſcopus Joppenſis Vitus.... & Nicolaus Larcat archiepiſcopus Tyri, in cujus locum poſtulatus eſt Ægidius, qui Damiatæ præfuerat.* Nicolaus iſte Larcat paulo ſupra ab eodem ſcriptore *Petrus* Larcat appellatur, *ibid. col. 734.* E. De *Ægidio* itaque intelligendus videtur S. Ludovicus in epiſtola

Digitized by Google

quæ extat apud præfatum Baluzium, *p. 495.* ubi ait: « Ludovicus, Dei gratia Francorum » rex, notum facimus quod Nos attendentes, » quod dilectus ac fidelis noſter E. Dei gratia » *Damiatanus epiſcopus* factus erat pauper prop- » ter Chriſtum, & etiam propter gratum ejus » ſervitium, quod nobis impendit in partibus » ciſmarinis, dedimus & conceſſimus eidem » ducentas libras annui reditus, quandiu vixerit » ſine epiſcopatu vel archiepiſcopatu, perci- » piendas in feſto omnium Sanctorum annua- tim in coffris noſtris, ita quod poſt ejus de- « ceſſum, vel poſtquam proviſum fuerit ei de « epiſcopatu vel archiepiſcopatu, idem reditus « ad nos & hæredes noſtros libere revertatur, « &c. Actum in caſtris juxta Joppen anno « Domini 1252. menſe Julii.» Alii non occurrerunt Damiatæ archiepiſcopi, niſi ſæculo proxime elapſo, qui proinde ſolo ejus titulo potiti ſunt, ſine ulla ſpe Damiatæ unquam ſedendi.

ECCLESIA DAMIATÆ.

II. ECCLESIA TANIS *ſive* THANIS.

TANIS, urbs Ægypti Straboni & Ptolemæo, quæ *Thanis* Antonino, & *Thamna* Egeſippo, ad Tanaïticum oſtium Nili, urbs quondam magna & Pharaonis regia, ubi Moyſes tot ſigna edidit, teſte Iſidoro. Vocem enim Hebraicam *Tſoan, Numeror. cap. 13. verſ. 23. Iſay. cap. 19. verſib. 11. & 13.* & *Pſ. 78.* (77.) *verſib. 13. & 44.* Græci interpretes reddiderunt, per vocem Τάνις *Tanis;* ita etiam paraphraſtes Chaldaicus *Iſay. c. 19. verſ. 13.* Dicitur *Thampnis* in hiſtoriis belli ſacri: nunc *Tanes* nuncupatur, 18. milliaribus diſtans à Pelufio in occaſum hybernum. Ita Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 285. col. 2.* Vide quæ de ejus, ut & Damiatæ captione anno 1219. ſcripſimus paulo ſupra, *pagina præcedenti.*

EPISCOPI TANIS.

I. RAYNOLDUS.

RAYNOLDI cujuſdam, ſive *Reginaldi de Spoleto,* Ordinis Præd. & *epiſcopi Tanenſis,* meminit Bernardus Guidonis in epiſcopis provinciæ Græciæ, teſte R. P. Bremond, *to. 2. Bullar. pag. 38.* qui eum exiſtimat epiſcopum fuiſſe eccleſiæ *Tanis* in Ægypto, idque ante annum 1331. quo obiit Bernardus. Neſcio tamen an non potius præfuerit Raynoldus iſte B eccleſiæ Tanenſi juxta Pontum-Euxinum, ubi jam de eo mentionem fecimus, *col. 1109.* C.

II. NICOLAUS.

Waddingus, *tom. 5. annalium Minor.* ad annum 1425. *num. 7. pag. 166.* ſcribit *Fr. Nicolaum de Troja,* Minoritam, renuntiatum eſſe epiſcopum Thanenſem in Ægypto ſub archiepiſcopo Damiatæ à Martino V. Papa, eo anno XIII. kal. Aug. (id eſt die 20. Jul.)

III. ECCLESIA CAIRI *ſive* MEMPHIS.

MEMPHIS urbs fuit Ægypti regia, quæ Hebræis *Maph* vel *Noph,* & *Migdol* ad Nilum fluvium ex adverſo Babylonis, ab Oſyride condita, teſtibus Plinio, Ptolemæo & aliis. Exciſa fuit ab Amro Alaſi filio, qui in oppoſita Nili ripa *Fuſtatam* condidit, ubi nunc *Cairus, le Caire* Gallis dicta, *Alcairo* & *Cairo* Italis, quæ caput eſt Ægypti & regia. Hæc ex Mempheos ruinis crevit: nunc autem ſenſim deficit, ex quo pro Calipha præfectum duntaxat habet ſub dominio Turcarum, quibus ſubeſt ab anno 1517. cum tota regione. In ea innumeræ ſunt Meſquitæ, Græcorum ſex eccleſiæ, duæ Catholicorum in domibus conſulis Franci & conſulis Veneti, cum hoſpitio Franciſcanorum & Capucinorum. Diſtat 80. milliaribus ob ora maris mediterranei in auſtrum, & 120. ab Alexandria. Ita Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 206. col. 2. & pag. 645. col. 1.* Hos duntaxat Latini ritus *Cairi* reperi præſules.

EPISCOPI CAIRI.

I. JACOBUS.

DANIEL à V. M. *tom. 2. Speculi Carmel. pag. 930. n. 3257.* refert *Jacobum Wemmers,* Belgam, Carmelitam, qui præfectus Æthiopicæ miſſionis electus fuerat anno 1640. à Congregatione de Propaganda Fide, poſtea C renuntiatum eſſe epiſcopum *Memphis,* vulgo Cairi, & vicarium apoſtolicum in partibus Æthiopiæ anno 1645. die 24. Aprilis; ſed obiiſſe Neapoli eodem anno die 21. Aug.

II. FRANCISCUS.

Ex eodem Daniele à Virgine M. *p. 921;*

Digitized by Google

ECCLESIA CAIRI. ſive MEMPHIS. *num. 3218. Fr. Franciſcus Suarez de Villegas,* Luſitanus, Carmelita, electus eſt epiſcopus Memphis ſeu Cairi anno 1649. die 6. Decembris. In Cairum profectus, ibi per aliquot annos degit: poſtmodum venit Romam (ubi die 17. Auguſti anni 1659. morabatur, teſte A Ughello, *tom. 9. Ital. ſac. col. 64. n. 63.* D. *vet. edit.*) Obiit tandem Pariſiis anno 1664. die 17. April. De eo mentio fit in nunciis publicis Gallicè ſcriptis, tum per annum 1649. *pag. 1194.* tum etiam per annum 1661. *pag. 1178.*

IV. ECCLESIA CYRENENSIS.

CYRENAICA regio extat in Libya Ptolemæo, mari mediterraneo expoſita, ab eo terminata ad ſeptentrionem, ab ortu regione Marmarica, ab occaſu Tripolitana, & à meridie Garamantibus, ubi nunc pars occidentalis regni dicti *Barca* in Barbaria. In ea eſt Pentapolis provincia, quæ nunc *Meſtrata* à quibuſdam nuncupatur, & nautis *littus Droceanum.* In ejus parte ſeptentrionali exiſtit urbs *Cyrene,* olim totius regionis primaria, ſed nunc Barcæ præcipua. *Cairoan* vulgo appellatur, teſte Poſtello; ſedet in monte, diſtatque 32. milliaribus ab ora maris mediterranei, 25. leucis Gallicis à Barca ſeu *Barce* in ſeptentrionem, Phycantem promontorium verſus 30. & 125. ab Ammonis templo ad occaſum, licet Plinius 400. milliaria numeret. Condita fuit, ut quidam tradunt, à Batto rege anno mundi 3563. urbis autem Romæ 143. & à Cyrene Penei filia nomen ſumpſit. Dominio Turcarum cum tota regione ſubjicitur, & in dies deficit. Hæc Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 318. coll. 1. & 2.* Porro Cyrene archiepiſcopalis ſedes eſt, cujus aliquot præſules Latini recenſentur.

EPISCOPI CYRENENSES.

I. MATTHIAS.

EX Daniele à V. M. Carmelita, *tom. 2. Speculi Carmelit. pag. 944. num. 3319. Fr. Matthias Emich,* Germanus, ejuſdem Ord. epiſcopus Cyrenenſis fuit renuntiatus & ſuffraganeus Moguntinus, anno 1477. Obiit vero anno 1480. die 24. Maii.

II. HENRICUS.

III. JOANNES I.

Waddingus, *tom. 7. annalium Minor.* ad annum 1482. *n. 82. p. 137.* refert, vacante eccleſia Cyrenenſi in partibus Infidelium per obitum *Henrici* ejus antiſtitis, ad eam promotum eſſe à Sixto IV. *Fr. Joannem Spenner,* Minoritam, eo anno pridie Nonas (id eſt die 4.) Novembris.

IV. JOANNES II.

Anno 1485. XVII. kal. Jun. (id eſt die 16. B Maii) *Fr. Joannes de Beerſel,* Ord. Min. ad Cyrenenſem eccleſiam ſub Patriarcha Alexandrino evectus eſt, teſte eodem Waddingo ad eum annum, *num. 14. pag. 190.*

V. NICOLAUS.

Fr. Nicolaus Melchioris, Ordinis Prædic. promotus eſt ad eccleſiam Cyrenenſem in partibus Infidelium à Leone X. anno 1518. die 18. Aprilis, ſimulque conſtitutus ſuffraganeus S. Pontii Tomerarium in Gallia. Ita C Fontana *Theat. Dom. pag. 185. tit. 216.* ex Actis Conſiſtor. hujus Pontificis, qui addit eum obiiſſe anno 1535.

VI. JOANNES III.

Rocchus Pyrrus, *tom. 1. Sicil. ſac. p. 433. n. 26.* meminit cujuſdam *Joannis Petri Fortiguerra,* epiſcopi Cyrenenſis anno 1557.

Monitum. WADDINGUS, *tom. 8.* ad annum 1514. *n. 31. p. 219.* ſcribit *Fr. Antonium de Garay,* Minoritam, Hiſpanum Burgenſem, poſtquam annis 20. Antillæ in Ægypto prope Alexandriam epiſcopum *Tamacenſem* egiſſet, huic præſulatui Romæ ceſſiſſe. Addit autem *Tamam* oppidum eſſe in Ægypto ad Nilum prope Hieroſycaminum.

Nihil aliud reperi de Patriarchatu Alexandrino Latini ritus.

PATRIARCHATUS

Digitized by Google

PATRIARCHATUS ANTIOCHENUS

RITUS LATINI.

QUUM de Patriarchatu Antiocheno multa jam dicta fuerint *tomo 2.* hujus operis, *col. 669. & ſeqq.* novus itidem ejus ſtatus poſt captam à Francis & Latinis Antiochiam anno 1098. die 28. Junii, expoſitus, *col. 694. num. 28.* hîc duntaxat ſeriem ſubjungimus Patriarcharum Latinorum hujus eccleſiæ, cæterorumque præſulum ejuſdem ritus his Patriarchis ſubditorum toto tempore quo Latini in Oriente contra Moammedanos bella geſſerunt.

Porro *Antiochia* cognomento *Magna,* urbs Syriæ regionis quondam primaria fuit. *Theopolis* etiam dicta, & ab Antiocho patre Seleuci condita perhibetur: *Antachia* nominatur à Turcis, & *Anthakia* ab Arabibus; ſedet partim in clivo & partim in plano juxta Orontem fluvium, qui ibi ponte lapideo trajicitur. Muri urbis adhuc extant fere integri; at ipſa ſemi-diruta paucos habet incolas. Duodecim leucis diſtat à mari mediterraneo in ortum, 16. à Laodicæa, 22. ab Aleppo in occaſum hybernum, & 120. à Tarſo in ortum hybernum, eſtque ferme media inter Byzantium & Alexandriam Ægypti, itinere terreſtri diſtans 700. milliar. ab Alexandria in ortum æſtivum, & paulo plus à Byzantio in ortum hybernum: nunc ſedet Damaſci Patriarcha ejus Græcus. Ita Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 68. col. 1.*

PATRIARCHÆ ANTIOCHENI LATINI RITUS.

I. Bernardus.

QUando Antiochia in Latinorum poteſtatem venit anno 1098. ut ſupra dictum eſt, Patriarcha Græcus ſedebat Joannes, qui egregius nominis Chriſti ſub Saracenis fuerat confeſſor. Hunc perſeverare in ſua dignitate ultro permiſerunt Latini; verum *vix evoluto biennio, videns ipſe quod non ſatis utiliter præeſſet Græcus Latinis,* inquit Willelmus Tyr. *lib. 6. cap. 23. urbe cedens, Conſtantinopolim abiit.* Itaque *poſt ejus diſceſſum convenientes ejuſdem civitatis clerus & populus, Artaſienſem epiſcopum, Bernardum nomine, natione Valentinum* (id eſt Valentia ortum in Gallia) *qui in eadem expeditione D. Podienſem epiſcopum & legatum ſequutus fuerat capellanus ejus, ſibi præfecerunt Patriarcham.* Huc uſque Tyrius. Antiochenam ſedem adiit Bernardus iſte anno 1100. medio circiter, quam ex eodem Tyrio, *lib. 14. c. 10.* adminiſtravit 36. annis.

Anno mundi juxta Græcos 6617. Chriſti 1108. Boamundus Antiochiæ princeps Conſtantinopolim petiit, paciſcendi cum Alexio Comneno Imperatore fœderis cauſa, inter cujus præcipua capita hoc etiam unum fuit, ut Antiochenus Patriarcha non de Latino ſed de Græco genere, & de clero magnæ eccleſiæ Conſtantinopolitanæ in poſterum aſſumeretur. Formam juramenti ea in re à Boamundo præſtiti ſupra retulimus Græcè & Latinè, *col. 787.* B. C. hujus tomi 3. At obſervatum minime fuit pactum iſtud, licet ſub Manuele Comneno Alexii nepote, Cinnamo teſte, *lib. 4. capp. 18. & 20.* denuo ſancitum, qui etiam ſcribit, *cap. 21.* quum Manuel Antiochiam veniſſet, eum ab hujus urbis Pontifice ſacris induto veſtibus perhonorifice exceptum.

Præfatus Willelmus Tyrius, *lib. XI. c. 27.* narrat Balduinum Hieroſolymorum regem à Paſchali II. per nuntios poſtulaſſe ut quaſcumque urbes *ſibi poſſet vendicare, omnes ditioni & regimini Hieroſolymitanæ eccleſiæ ſubjacerent:* quod obtinuit reſcripto, dato *Laterani v. idus* (id eſt die XI.) *Julii.* Gibelino quoque Hieroſolymorum Patriarchæ conceſſit Papa litteris nullo quidem die aut menſe notatis, ſed quæ videntur eodem die datæ ac reſcriptum modo memoratum, idque fortaſſis an. 1111. quo exeunte Gibelinus obiit: conceſſit, inquam, ut ad patriarchatum ipſius pertinerent urbes & provinciæ, *quæ glorioſi regis Balduini, ac exercituum eum ſequentium ſanguine per Dei gratiam acquiſitæ ſunt.* Eas habet poſt Tyrium, *lib. XI. cap. 28.* Baronius ad annum 1108. *nn. 11. & 12.* Porro Bernardus Antiochiæ præſul apud Paſchalem de illata eccleſiæ ſuæ eo pontificio decreto injuria graviter conqueſtus eſt, qui litteris,

datis *Laterani VII. idus* (id eſt die 7.) *Auguſti,* & à Tyrio ibidem recitatis, ipſi reſpondit, actum id eſſe propter ignorantiam & locorum prolixam longinquitatem, ſeque jus & honorem quibuſque eccleſiis conſervaturum. Baronius ad annum 1113. *num. 2.* refert alias litteras Paſchalis ad Bernardum, datas *Beneventi XV. kal. Aprilis* (id eſt die 18. Martii) quibus ait ſe jam revocaſſe conceſſionem factam *felicis memoriæ Gibelino Hieroſolymitano Patriarchæ.* Eadem die Balduino Hieroſolymorum regi ſcripſit, quod *Hieroſolymitanæ eccleſiæ ſint jure contenti* (Patriarchæ hujus ſedis;) *nec injuſte aut procaciter uſurpare ea contendant, quæ certo ſciuntur ad jus Antiochenæ eccleſiæ pertinere.* Datæ ſunt *Laterani XV. kal. April.* ſed legendum eſt *Beneventi,* quum uno eodemque die Paſchalis II. Romæ & Beneventi eſſe non potuerit. Ita advertit Pagius, *tom. 4. crit. Baron.* ad annum 1113. *nn. 6. & 7.* Has poſtremas litteras recitat Baronius laudatus, *n. 3.* Honorius II. Paſchalis ſucceſſor, litteris datis *in territorio Barenſi VIII. idus* (id eſt die 8.) *Julii,* quarum Baronius meminit ad annum 1127. *num. 22.* Bernardo mandavit, ut præſuli Tyrenſi ſuffraganeos ejus eccleſiæ reſtitueret. Bernardus obiit ex Tyrio, *lib. 14. c. 10. trigeſimo ſexto ſui patriarchatus anno:* ſubindeque an. 1135. aut 1136. Cangius tamen in librum XIII. Alexiados Annæ Comnenæ, *pag. 400. A.* monet ex tabulario Manoſcenſi ſeu Manueſcano in Provincia haberi eum potitum patriarchica dignitate uſque ad annum 1134.

II. RADULPHUS.

De hujus *Radulphi* inthronizatione Willelmum Tyrium audire juvat. « Poſt obitum » (Bernardi) inquit, *lib. 14. c. 10.* quum uni- » verſi illius ampliſſimæ ſedis ſuffraganei, tam » archiepiſcopi, quam epiſcopi de more con- » veniſſent, ut eccleſiæ paſtoris deſtitutæ ſolatio » utiliter providerent..... Radulphus quidam » Mamiſtanus archiepiſcopus, de caſtro Dam- » frunt oriundus, quod in confinio Norman- » niæ & Cenomanenſis diœceſeos ſitum eſt, » vir militaris, magnificus & liberalis plurimum, » plebi & equeſtri admodum acceptus ordini, » abſque fratrum & coepiſcoporum conſcientia, » ſolo populi, ut dicitur, ſuffragio electus eſt, » & in cathedram principis Apoſtolorum in- » thronizatus. Quod audientes, qui ad hoc ut » ſibi Patriarcham, auctore Domino, præfi- » cerent convenerant, timentes furentis & vo- » ciferantis populi indiſcretos impetus, diviſi » ſunt, ab invicem ei quem non elegerant obe- » dientiam exhibere recuſantes. Ille tamen » nihilominus eccleſiam & palatium occupans, » ſtatim ſine mora pallium de altari B. Petri, nulla ad eccleſiam Romanam habita reve- « rentia, ſibi aſſumpſit. Proceſſu quoque tem- « poris nonnullos de ſuffraganeis eccleſiæ (An- « tiochenæ) in ſuam attraxit communionem. » Is ſcilicet Romanum Pontificem parem ſibi, non ſuperiorem autumabat; dicens, inquit idem Tyrius, *lib. 15. c. 13. utramque* (Antiochenam & Romanam) *Petri eſſe cathedram, eamque* (Antiochenam) *quaſi primogenitæ inſignem prærogativa.* Horum itaque aliorumque facinorum ab æmulis ſuis actus reus, ab Antiochiæ principe compulſus eſt accuſatores ſuos Romam ſequi: ubi tamen amicorum opera honorifice exceptus, damnationis ſententiam eluſit. Cæterum Innocentius II. Papa eum juſſit pallium dimittere, quod Antiochiæ ſibi ſumpſerat, aliudque de B. Petri corpore accipere more ſolito: tum deinde redire Antiochiam, cauſam illic dicturum coram ſedis apoſtolicæ legato qui in Orientem mittebatur.

Radulphus in Syriam reverſus, à principe & clero non niſi poſt longas moras admiſſus eſt: legatus interim, Petrus nimirum Lugdunenſis archiepiſcopus, in Palæſtinam quum appuliſſet, Hieroſolymis Antiochiam profectus, Accone ſive Ptolemaïde obiit; cujus morte Romæ nuntiata, Albericus Cardinalis epiſcopus Oſtienſis, natione Gallus, in ejus locum legatus Antiochiam miſſus eſt, qui anno circiter 1136. vocatis in eam urbem epiſcopis Palæſtinæ & Syriæ, inprimiſque Willelmo Hieroſolymitano Patriarcha, & Fulcherio Tyri archiepiſcopo, concilium celebravit, in quo Radulphus ter accerſitus, nec comparens, depoſitionis ſubiit ſententiam, nullaque mora palatio extractus, vinculiſque conſtrictus, carceri in S. Simeonis monaſterio traditus eſt. At inde clam elapſus, Romam fugit: dum vero ſedis apoſtolicæ indulgentiam impetraturus putaretur, obiit, veneno, ut fertur, necatus. Hæc omnia geſta ſunt à morte Bernardi uſque ad annum 1142. unaque ſerie leguntur apud Willelmum Tyrium, *lib. 14. c. 10.* & *lib. 15.* à *cap. 12.* ad *17.*

III. AYMERICUS.

Præfatus Tyrius, *lib. 15. cap. 18.* hunc *Aymericum* ſic nobis deſcribit: « Clerus Antiochenus, & maxime qui in depoſitione D. « Radulphi conſpiraverant, inſtinctu & ſuggeſ- « tione (Raymundi) principis (Antiocheni) & « maximorum, ut dicitur, interventu mune- « rum, elegerunt ſibi quemdam ejuſdem ec- « cleſiæ ſubdiaconum, *Aymericum* nomine, « Lemovicenſem natione, hominem abſque « litteris.... quem prædictus D. Radulphus, ar- « bitrans eum ſibi reddere obligatiorem & fide- « liorem amplius, in decanum ejuſdem eccleſiæ « promoverat, ſpe fruſtratus. Nam ab ea die «

Digitized by Google

» cum ejus adverſariis dicitur conveniſſe, & » in benefactoris ſui, fidelitatis immemor, conſpiraſſe depoſitionem. » Electus videtur Aymericus adulto jam anno 1142. ſiquidem anno ejus pontificatus xx. Chriſti 1162. *duodecimo kal. Martii* (id eſt die 18. Febr.) Amalricus fratri ſuo Balduino regi Hieroſolymorum *die 8. poſt* (ejus) *obitum* ſucceſſit, teſte eodem Tyrio, *lib. 19. cap. 1.* Mendum quippe eſt, quod ibidem legitur Amalricum Balduino ſuffectum eſſe *anno ab Incarnat. Dom. 1163.* capite enim præcedenti dixerat Balduinum obiiſſe *anno ab Incarn. Dom. 1162. quarto idus* (id eſt die 10.) *Februar.* Adde ex eodem Tyrio, *lib. 16. c. 3.* quando Balduinus regnum auſpicatus eſt die natali Domini anno 1142. id geſtum eſſe, *præſidente...... eccleſiæ...... Antiochenæ D. Aymerico.*

Anno 1182. Maronitarum multitudinem non parvam ab erroribus Monothelitarum ad fidem & communionem Romanæ eccleſiæ traductam ab Aymerico narrat idem Tyrius, *lib. 22. cap. 8.* Quod licet de tota Maronitarum gente ipſe aſſerere videatur, de aliqua tamen duntaxat eorum parte, quæ libro hæretico cujuſdam Thomæ Haranitis, Monothelitæ, epiſcopi Caphartabenſis, ſeducta fuerat, intelligendum ſupra obſervavimus in diſſertatione ſpeciali de Maronitis, *num. 26. col. 34. & ſeqq.* hujuſce III. voluminis.

Vivebat adhuc Aymericus anno 1187. ut conſtat ex ipſius epiſtola ad Henricum II. Angliæ regem, data eo anno, dum Saladinus urbem ſanctam obſideret menſe Septembri, quam legere eſt apud Rogerum Hovedenum in Henrico II. verſus finem, & apud Baron. ad eum annum, *num. 5.* At non diu poſtea in humanis fuit. Illo ipſo anno mortuum ſcribunt Onuphrius, Genebrardus, & alii.

IV. Radulphus II.

Onuphrius Panvinius, Genebrardus, aliique recentiores, imo & catalogus Arabicus clariſſimi viri Aſſemani, cujus meminerunt doctiſſimi Bollandiſtæ *in hiſtor. chronol. Patriarch. Antioch. præfixa tom. 4. Jul. pag. 239. col. 1. n. 659.* A. *Radulphum* quemdam Aymerico ſubjungit in patriarchatu Latinorum Antiocheno, rectene an ſecus, pronuntiare non auſim: at erraſſe, quotquot illi 33. annos regiminis aſſignant, certo certius eſt, ut ex infra dicendis modo patebit. Si enim Radulphus iſte aliquando ſedit, non profecto ultra annum 1200. qui ſolum decimus tertius ſuæ præfecturæ extitiſſet, à fine ſcilicet anni 1187. vel ab anno ſequenti 1188. Panvinius duplicem Petrum omittit, qui in eo 33. annorum ſpatio Antiochenam eccleſiam adminiſtrarunt.

V. Petrus I. *** *Græcus intruſus.*

Petrus iſte ſedebat Patriarcha Antiochenus anno 1201. quo juxta Sanutum, *lib. 3. part. 2. c. 1.* Raymundus, Comes Tripolitanus, principatum Antiochenum adiit: is tunc enim huic Patriarchæ ſeſe obſtrinxerat jurejurando. Verum anno 1208. ex eodem Sanuto, *c. 3. civitas Antiochena ad inductionem Patriarchæ principi* (Raymundo) *rebellavit, & expulſi per* (eum) *principem milites* (Armeni) *rediere. Comes vero* (Tripolitanus) *aſſumptis armis de caſtro deſcendens, communitatem ejuſque auxiliarios ſuperans, Patriarcham non dubitavit carcere includere, ibique affligendo perimere.*

Hujus odii Raymundi in Petrum Patriarcham cauſa fuit, quod is Leonis Armeniæ regis, ac nepotis ejus Rupini quem poſt præſtitum ſibi homagium ligium *de corporali poſſeſſione civitatis totiuſque principatus Antiocheni Patriarcha ſanciverat,* ut ipſe Leo ad Innocentium III. ſcribit apud Raynaldum ad annum 1205. *n. 37.* partes amplexus ſit. Id etiam teſtatur Innocentius Papa in epiſtola quam refert idem Raynaldus, *ibid. num. 28.* Controverſiam autem hanc ſic explicat Raynaldus, *ibid.* ad annum 1199. *n. 67.* « Emerſerat, inquit, ingens ea diſcordia ex immatura « Rupini majoris natu filii Raymundi (patris « Raymundi Comitis Tripolitani) Antiochiæ « principis morte. Is enim, ſuſcepto ex Aliza « uxore Leonis Armeniæ regis nepte filio, in « extremis vitæ confiniis patrem obſecravit ut « principatum Antiochenum, qui naturæ jure « in ſe transfundendus erat, ſi ſuperſtes foret, « in filium eumdemque ipſius nepotem tranſ- « mitteret. Sublato in ipſo ætatis flore Rupino, « triſtis pater, filio juſtis perſolutis, nepotem « ſuum, qui filium ipſi redivivum referebat, « Antiocheno principatu ornavit, atque ut « hæredi legitimo nobiles populumque ſacra- « mento adegit. Rem tulit graviter Tripolitanus « Comes defuncti frater, atque ad invadendum « principatum Hoſpitalariis ac Templariis fultus ſe comparavit, ſubornatis civibus, Antio- « chiam occupavit, eoſque, priori ſacramento « abjurato, novo alio ſibi devinxit: quo facto « non modo Raymundo parenti, verum etiam « Leoni Armeniæ regi, cujus neptis filius pa- « tria hæreditate exuebatur, graviſſimam inju- « riam intulit. Armenus igitur, Templariis atque « Hoſpitalariis paulopoſt Tripolitanum deſe- « rentibus, ejectum.... reſtituit, atque Inno- « centium rogavit, ut apoſtolicam in tanta re « auctoritatem adhiberet, ac jura Rupini de- « functi filii, avumque à Tripolitani conatibus « vindicaret; cui Innocentius, ut melius dubia « explicarentur, & æqua ferri poſſet ſententia, « legatos in Orientem ſe miſſurum reſpondit. »

Digitized by Google

Incarcerationem hanc Petri Patriarchæ A moleſte ferens Innocentius III. ita ſcripſit epiſtola 214. lib. x. data die 13. Februarii an. 1207. ad Hieroſolymitanum Patriarcham ſedis apoſtolicæ legatum, *tom. 2. edit. Baluz. p. 130.* « Specialiter autem nobilis vir Comes » Tripolitanus, ſicut ex quam plurium litteris & » relatione multorum accepimus, in Chriſtum » Domini venerabilem fratrem noſtrum Pa- » triarcham Antiochenum, dominum ſuum, » cujus eſt homo juratus, compater & filiolus, » ſacrilegas manus miſit, & ipſum, imo Chriſ- » tum in eo, cum duobus ejus nepotibus in B gravi non metuit cuſtodia detinere. »

Ipſo adhuc vivente, intruſum eſſe aliquem *Græcum*, quem deponi curavit Innocentius, habetur ex ejus epiſtola 9. lib. xi. data die 4. Mart. anno 1208. *Patriarchæ Hieroſolymitano apoſtolicæ ſedis legato, t. 2. edit. Baluz. p. 142. col. 2.* Quod etiam eruitur ex epiſtola 2. ejuſdem Papæ lib. xvi. data die 28. Febr. anno 1213. *Regi Armeniæ, ibid. pag. 734. col. 2.* in qua ait Pontifex, *pag. 735. col. 1.* « Quum » enim venerabilis frater noſter Patriarcha Hie- » roſolymitanus apoſtolicæ ſedis legatus quem- C » dam, *qui ſe Patriarcham Antiochenum appellat,* » de ſpeciali mandato noſtro duxerit, exigente » juſtitia, deponendum, & in omnes qui eidem » tanquam Patriarchæ intenderent, excommu- nicationis ſententiam promulgarit, &c. » Deceſſit autem in carcere Petrus ante diem 12. Jul. anni 1208. Idem enim Papa epiſtola 110. lib. xi. iis die & anno data ad præfatum ſuum legatum, *ibid. pag. 190.* de ejus morte hæc habet: « .... appoſuit Tripolitanus Comes » mittere manum ſuam in Chriſtum Domini » piæ memoriæ Patriarcham Antiochenum, D » patrem ac dominum ſuum, carceri manci- pando, in quo tandem miſerabiliter expiravit. » Hunc Patriarcham nominatum fuiſſe *Petrum* indicat Innocentius iſte epiſtola 181. lib. xv. data die 10. Octobris anni 1212. *ibid. p. 685.* In ea quippe ait: « Felicis memoriæ *Petrus....* » qui propter juſtitiam non ſolum perſecu- tionem paſſus eſt, ſed & mortem, &c. »

VI. Petrus II.

Innocentius III. accepto Petri Patriarchæ Antiocheni obitu, ejus continuo ſucceſſoris E electionem Patriarchæ Hieroſolymitano, ſedis apoſtolicæ legato, maturandam commendavit epiſtola 110. lib. xi. data anno 1208. die 12. Jul. *tom. 2. edit. Baluz. pag. 190.* In eam curam legatus haud ſegniter incubuit. Convenere tandem canonicorum Antiochenorum ſuffragia in alterum *Petrum,* tunc Yporienſem epiſcopum, qui paulo ante ad Theſſalonicenſem eccleſiam electus, conſenſum ſuum recuſarat. Hunc pallio de B. Petri corpore ſumpto donatum, ac prolixis laudibus exornatum idem Innocentius Antiochiam miſit, præcipiens clero ac populo Antiocheno, ipſi etiam Comiti Tripolitano, ut ei debitam reverentiam & obedientiam exhiberent. Vide Innocentii III. epiſtolas 110. lib. xi. anno 1208. 38. & 39. lib. xii. anno 1209. 63. & 70. lib. xiv. anno 1211. 179. & 205. lib. xv. anno 1212. & 177. lib. xvi. anno 1213. item Raynaldum, *tom. 13. annal.* ad annum 1211. *num. 26.* & ad annum 1213. *n. 4.* Ad concilium Lateranenſe anno 1215. celebratum gravi languore detentus venire non potuit, ſed præſulem Antaradenſem in ſui locum miſit, teſte Pariſio aliiſque. Jam vivere deſierat Petrus iſte die 31. Octobris anni 1217. ut ex litteris ab Honorio III. ad decanum & capitulum eccleſiæ Antiochenæ iis die & anno datis, colligit Spondanus, *to. 1. annal.* ad annum 1219. *num. 11.* quamquam id perperam referat ad obitum Radulphi II. omiſſo duplici Petro. De poſteriori jam ſupra egimus inter archiepiſcopos Theſſalonicenſes, *col. 1091.* D.

Is utique fuit *abbas* ille *Petrus de Ludio in Lombardia, & poſtmodum Primarcha Antiochenus,* quem recenſet Albericus in chronico ad annum 1204. *part. 2. p. 437. edit. Lipſiæ 1698.* inter duodecim electores Balduini I. Imperatoris Conſtantinopolitani.

Petrus. VII. Raynerius.

Ab obitu Petri eccleſia Antiochena vacavit uſque ad annum 1219. Interim tamen ejus regimini præfecerat Honorius III. *Petrum* quemdam Capuanum, quem quum hoc ipſo anno 1219. Cardinalem nominaſſet, *Raynerium* S. R. E. Vicecancellarium ad patriarchatum Antiochenum promovit. Id conſtat ex epiſtola hujus Pontificis, data eo anno die 7. Septembris, cujus fragmentum extat apud Raynaldum ad illum annum, *num. 20.* Deceſſit Raynerius anno 1226. Eo quippe anno, ut refert idem Raynaldus citans epiſtolam 356. lib. x. Honorii ad hunc annum, *n. 59.* Antiochenis canonicis præcepit Pontifex, ut menſis ſpatio ab acceptis ſuis litteris Patriarcham ſibi deſignarent.

VIII. Albertus.

Apud Onuphrium Panvinium in chronico ſuo eccleſiaſtico legitur, teſtibus doctiſſ. Bollandianis *in hiſt. chron. Patriarch. Antioch. præfixa tomo 4. Jul. pag. 545. n. 671.* « Anno Chriſti 1239. *Helias Robertus*, Regienſis, ex « epiſcopo Brixiano ſextus ex Latinis Antio- « chenus Patriarcha ſedit annos viii. » Et inferius ad annum 1247. « Quis poſt Heliam ex Latinis Patriarcha Antiochenus fuerit, « incompertum. »

Digitized by Google

Verum jam ab anno 1226. Raynerio ſucceſſiſſe aliquem ex ſupra dictis colligitur: hunc vero nominatum fuiſſe *Albertum* plura indicant. Scilicet 1.° quod inter Brixienſes epiſcopos hujus ævi nullus occurrat *Helias Robertus* apud Ughellum, *tom. 4. Ital. ſac.* bene vero *Albertus, ibid. col. 743 .n. 68.* C. *vet. edit.* qui huic eccleſiæ præfuit ab anno 1213. ſucceſſoremque habuit, quando ad ſedem Antiochenam tranſlatus eſt, *ibidem n. 69.* A. Fr. Guallam, unum ex ſociis S. Dominici Ordinis Præd. inſtitutoris, anno 1229. vel etiam, teſte Marcheſio, *to. 5. ſacri Diarii Domin.* ad diem 3. Septembris anno 1228. 2.° quod Albericus, hujus temporis ſcriptor, ſic habeat in chronico ad annum 1233. *p. 548.* « Poſt Patriarcham Antiochiæ Petrum » fuit Patriarcha quidam Renerus (Raynerius) » de Tuſcia, & poſt eum diebus iſtis ſedem » obtinebat *Albertus*, epiſcopus quondam Brixianus. » 3.° quod bullæ ab Innocentio IV. in concilio Lugdunenſi I. editæ anno 1245. expreſſis verbis ſubſcripſit *Albertus Patriarcha Antiochenus, lib. de geſtis Dei per Francos, pag. 1195.* Denique, quod *tom. 4. theſ. novi Anecdotorum col. 1386.* inter ſtatuta capituli generalis Ordinis Ciſtercienſis anni 1246. octavum iſtud referatur. « Bonæ memoriæ » *D. Alberto, quondam Patriarchæ Antiocheno,* » qui exiſtens in curia D. Papæ, ex maxima de» votione quam habebat ad Ordinem, in domo » Ciſtercii, quæ eſt mater noſtra, ſuam elegit » ſepulturam, conceditur plenarium officium per univerſum Ordinem. » Conſtat itaque *Albertum* hunc eccleſiæ Antiochenæ præfuiſſe poſt Raynerium ab anno 1226. aut 1227. certe ante completum annum 1228. uſque poſt concilium Lugdunenſe I. abſolutum, & obiiſſe anno 1245. aut 1246. Ex quibus recte infertur ad eum *Albertum* ſpectare quidquid de *Patriarcha Antiocheno*, tacito ejus nomine, tradit Raynaldus ſub annis 1232. *num. 45.* 1234. *num. 27.* 1235. *nn. 13. & 43.* 1238. *n. 34.* 1243. *n. 50.* & 1245. *n. 25.*

IX. Elias.

Alberto in curia Romana mortuo ſubrogatus eſt *Fr. Elias,* Dominicanus, non quidem anno 1240. ut habet Rodericus de Acuña, Bracarenſis in Luſitania archiepiſcopus, *tract. de primatu Bracarenſi pag. 202. edit. 1632.* qui ſcribit *Eliam Regienſem ex Ordine Præd. Patriarcham Antiochenum ſediſſe ab anno 1240. ad 1250.* ſed anno duntaxat 1245. aut 1246. quo obiit ejus anteceſſor, ex ſupra dictis. Ita R. P. Echardus, ex quo id refert R. P. Bremond, *tom. 2. Bull. pag. 112.*

X. Christianus.

Anno 1268. quo Chriſtianis à Soldano, Babyloniæ die 29. Maii juxta Sanutum, *lib. 3. part. 12. c. 9.* Antiochia erepta eſt, ſedebat Patriarcha *Fr. Chriſtianus* Ordinis Præd. qui coram altari ſacris veſtibus indutus Infidelium gladio occubuit cum quatuor ſui Ordinis fratribus. Hujus, ut Dominicani, ſed tacito ejus nomine, meminit Nicolaus Trevetus, ejuſdem Ord. ſcriptor, ineunte ſæculo XIV. in ſuo chronico ad annum 1267. At Bzovius ad annum 1269. *n. 12.* Raynaldus ad eumdem annum, *num. 53.* Leander Albertus, *lib. 1. de viris illuſtribus Ordinis Præd.* & alii ipſum appellant *Chriſtianum.* Hic probabiliter fuit *Antiochenus* ille *Patriarcha,* de quo, ſuppreſſo ejus nomine, mentionem facit Raynaldus ſub annis 1255. *num. 74.* & 1256. *nn. 45. & 49.* qui etiam narrat, *n. 45.* nunc laudato, quum ob hoſtium incurſiones vectigalia Antiocheni patriarchatus adeo fuiſſent imminuta, ut ſuſtentandæ dignitati paria non eſſent, ab Alexandro IV. cujus epiſtolæ III. idus (id eſt die XI.) Febr. anni 1256. datæ, fragmentum refert, Nimoſienſis in Cypro eccleſiæ adminiſtrationem eſſe collatam.

XI. Opizio. *Othobonus.*

Quamvis ab anno 1268. Antiochia Latinorum dominio ſubjici deſiiſſet, huic nihilominus Patriarchas Latinos præficiebant Romani Pontifices, qui fidelium ejuſmodi ritus in Syria degentium curam gererent. *Opizio* poſt Chriſtiani necem ita renuntiatus videtur. Is certe anno 1274. concilio Lugdunenſi II. interfuit, apud Labb. *tom. XI. conc. part. 1. col. 956.* & Raynaldum ad illum annum, *n. 3.* Ughellus, *tom. 4. Ital ſac. col. 1229. num. 7.* D. *vet. edit.* refert Nicolaum IV. anno 1287. Opizionem (quem Obizonem appellat) tunc Antiochenum Patriarcham, in adminiſtratorem Januenſis eccleſiæ elegiſſe, quouſque eidem eccleſiæ provideretur; & citat epiſtolam 70. ejus, eidem Obizoni ſcriptam die 4. Jun. 1288. Addit, *col. ſeq. 1230. num. 8.* A. Obizzonem hunc è Fliſca Januenſi nobiliſſima gente oriundum, Innocentii IV. & Adriani V. ſummorum Pontificum fuiſſe nepotem; quum vero Antiochenus Patriarcha factus, à Saracenorum ſecta, ſua ſede deturbaretur, Tranenſis primum eccleſiæ curæ admotum, deinde ad patriæ ſuæ ſedem adminiſtrandam vocatum; obiiſſe demum anno 1292. Idem fuiſſe videtur ac *Othobonus,* de quo idem Ughellus, *tom. 7. col. 1229. n. 17.* D. *veter. edit.* ita loquitur: « *Othobonus Antiochenus Patriarcha,* factus eſt hujus ſedis « (Tranenſis) adminiſtrator à Nicolao III. anno « 1280. kal. Aprilis.... Epiſtola eſt *num. 34.* « *fol. 28.* anni III. *in Regeſto Vaticano.* »

XII. Isnardus. A

Poſt Opizionem nullum reperimus Antiochenum Patriarcham ritus Latini ante *Iſnardum Tacconum*, Papienſem, Dominicanum, de quo jam egimus inter archiepiſcopos Thebarum, *col. 1084.* B. Hîc dicere ſufficiet ipſum jam præſulem Thebanum factum anno 1308. à Clemente V. renuntiatum deinde Patriarcham Antiochenum ab eodem fuiſſe anno 1311. die 5. Novembris, B quamvis patriarchatus iſte vacaret jam ab anno 1307. ut ex eo colligitur, quod Clemens præfatus encyclicis ſuis litteris eo anno die 12. Auguſti datis, præſules Latinos in Oriente degentes ad ſynodum Viennenſem vocans, *Patriarcham Antiochenum*, ut & Alexandrinum prætermittat. Titulo Patriarchæ, & ſimul adminiſtratione eccleſiæ Papienſis potitus eſt Iſnardus uſque ad annum 1319. quo Joannes XXII. ipſum omni dignitate C privavit. Anno tamen 1325. idem Pontifex illum ad eccleſiam Thebanam denuo evexit, & legatum miſit in Orientem, non tamen ei conceſſit titulum Patriarchæ Antiocheni, qui vacavit ab anno 1319. uſque ad annum 1342. ut infra patebit. Iſnardum obiiſſe anno 1329. tradunt ſcriptores Dominicani. Ejus meminit Raynaldus, *tom. 15.* ad annum 1311. *num. 74.*

XIII. Geraldus.

Geraldus Odonis ſive *Ottonis*, Ordinis Min. Generalis Miniſter, in Hungariam miſſus apud Carolum regem à Benedicto XII. quum inde reverteretur anno 1340. per Boſniam Caroli hortatu iter direxit, à cujus Bano ſive principe Stephano honorifice exceptus, ipſum cognovit optime affectum erga eccleſiam Romanam, modo eumdem Papa & Carolus adjuvarent, teſte Raynaldo ad eum annum, *num. 73.* Duobus poſtea annis, anno ſcilicet 1342. die 27. Novemb. Clemens VI. Geraldum renuntiavit Patriarcham Antiochenum litteris quas exhibet Waddingus, *to. 3. in Reg. Pontif.* ad eum annum, *p. 276.* in quibus ait Pontifex in rem noſtram. « Quum autem eccleſia Antiochena ex eo jam dudum paſtoris « regimine deſtituta, quod dictus Joannes « (XXII.) prædeceſſor noſter bonæ memoriæ « Iſnardum archiepiſcopum Thebanum, tunc « Patriarcham Antiochenum, ex certis cauſis « patriarchali dignitate amovit; nos conſiderantes, « quod nullus de ipſa Antiochena eccleſia, « de qua ſic vacante Joannes & Benedictus « præfati, dum vixerunt, minime ordinarunt, &c. » Huic Geraldo Clemens Catanenſem eccleſiam in Sicilia adminiſtrandam præbuit, cujus redditibus ſuſtentaretur.

Patriarchas poſteriores mitto, ſolo titulo, abſque ulla ſpe recuperandæ ſedis, potitos.

Digitized by Google

PROVINCIA ANTIOCHENA.

POST ereptas Saracenis Antiochiam aliaſque Orientis urbes, huic eccleſiæ patriarchali ut ſuffraganeæ aſſignatæ ſunt *Laodicea, Gabala, Antaradus, Tripolis* & Byblus, de quibus nunc agendum eſt. Cæteras deinde ſubjungemus ab eodem patriarchatu dependentes.

I. ECCLESIA LAODICEÆ.

LAODICEA Syriæ, ſola ex urbibus Antiochiæ vicinis, bellorum ſacrorum tempore ditioni Imperatoris Græcorum ſubdita remanſerat, teſte Tyrio, *lib. 7. cap. 16. p. 738.* Hanc Balduinus Godefridi Bullonii frater occupavit, cui exinde Latini ritus antiſtes datus eſt, ſed ſub epiſcopi duntaxat titulo, primique ſuffraganei ſedis Antiochenæ. De ea urbe ſcribit Stephanus Byzantius, hanc prius Λευκὴ ἀκτὴ (id eſt *Album littus*) dictam, & antehac *Ramitha*, quia fulmine ictus paſtor quidam dixit *Ramanthas*, hoc eſt, *ab alto Deus*. *Raman* enim *altitudinem*, *Athas* vero *Deum* ſignificat, ſic Philo: ſubdit quoque eamdem urbem appellari *Laodiceam* à *Laodice* matre Seleuci Nicatoris, & eſſe vini optimi feracem, cæteriſque fructibus abundantem. Obſervat demum ibidem aliam eſſe Laodiceam Lydiæ, aliam Licaoniæ, & aliam Mediæ. Strabo, *lib. 16. pag. 749.* D. *edit. Caſaub.* tradit « Antiochiam (quæ extat) apud Daphnen, Seleuciam in Pieria, Apameam, & Laodiceam, propter concordiam ſorores cognominatas; conditas vero fuiſſe à Seleuco Nicatore, (qui) maximam à ſuo patre Antiocho *Antiochiam* denominavit; *Seleuciam* munitiſſimam à ſeipſo; *Apameam* ab uxore ſua Apama, & *Laodiceam* à matre. » Thomas de Pinedo in locum allatum apud Stephanum, *not. 48. p. 416. col. 2. edit. Amſtel. 1678.* ait « nomen *Rhamitha* (olim Laodiceæ impoſitum) videri derivatum à voce Syriaca *Rama*, ex qua prodierit *Ramatha*, id eſt, *excelſa*, quod eſt nomen urbium in illis regionibus haud infrequens, ut norunt qui in ſacris libris non ſunt hoſpites: etſi (Stephanus) ejus etymologiam aliter afferat ex Philone, qui Sanchoniathonem antiquiſſimum rerum ſcriptorem ex Phænicio in Græcum ſermonem tranſtulit. » Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 554. col. 2.* hanc urbem ita deſcribit: « *Laodicea*, urbs Syriæ Ptolemæo & Straboni, *Rhamata* Hebræis, in ora littorali maris Syriaci, archiepiſcopalis & metropolitana ſub Patriarcha Antiocheno, in Theodoriade tractu.... nunc *Lyche* incolis, teſte Moletio, & *Ladikia* Arabibus, à Strabone *Laodicea ad Libanum* dicta, urbs amplo gaudens portu, inter Antiochiam ad ſeptentrionem & Tripolim ad meridiem, ante Scabens caſtellum, quod eſt Platanus Antonini, teſte Gollio in notis ad Alferganum, eſtque parva, & ſenſim deficit. » Laodiceam Græcis ereptam à Tancredo ante annum 1103. refert Willelmus Tyrius, *lib. x. cap. 23.*

EPISCOPI LAODICEÆ.

I. GERARDUS.

GERARDUS Laodiceæ epiſcopus erat, quum Albericus ſedis apoſtolicæ legatus conventum epiſcoporum habuit Antiochiæ pro cauſa Radulphi hujus ſedis Patriarchæ diſcutienda anno 1136. de qua vide ſupra *col. 1156.* C. ubi de Radulpho egimus. Willelmus quippe Tyrius, *lib. 15. cap. 16. Gerardum Laodicenſem* inter alios recenſet, aitque pro canonicis Antiochenis ſtetiſſe contra Patriarcham. Subdit idem ſcriptor, *lib. 18. cap. 23.* Rainaldum principem Antiochenum, « *Gerardo venerabili Laodicenſium epiſcopo* ſibi facto itineris conſorte, in Ciliciam, ubi dominus Imperator (Manuel Comnenus) erat.... ad urbem Mamiſtram perveniſſe, ubi.... Im-
A periali reconciliatus eſt excellentiæ, &c. » Id refert Tyrius, regnante Hieroſolymis Balduino III. qui obiit anno 1162. menſe Febr. Quarumdam Gerardi lucubrationum meminit Simlerus, *pag. 237.*

II. PETRUS.

Urbanus IV. paulo ante ſuam mortem, quæ contigit anno 1264. die 2. Octobris,
B *Fr. Petrum de S. Hilario*, Ordinis Præd. renuntiarat epiſcopum Laodiceæ. Hanc vero promotionem confirmavit ſucceſſor ejus Clemens IV. & eumdem Petrum conſecrari curavit per epiſcopum Bethleemitanum (Thomam Agni de Lentino.) Id conſtat ex quatuor Clementis diplomatibus, datis an. 1265. die 21. Septemb. quæ citat R. P. Bremond,

Digitized by Google

tom. 1. Bull. p. 448. & profert, *ibid. pp. 456. & 457.* In iis omnibus locis appellatur *Petrus de S. Ylario.*

III. Auguſtinus.

Pithæus in libro de ſcriptoribus Angliæ tradit *Auguſtinum,* Minoritam, Guillelmi qui ex Eboracenſi canonico Franciſcanum Ordinem amplexus eſt germanum fratrem, Laodiceæ factum epiſcopum à Clemente V. qui obiit anno 1314. die 20. Aprilis. De hujus tamen epiſcopatu Waddingus ait ad annum 1334. *num. 27. pag. 419.* nullam ſe alibi inveniſſe mentionem.

IV. Simon.

Anno 1366. epiſcopus erat Laodiceæ *Simon* quidam, Dominicanus, de quo hæc leguntur in vita B. Petri Thomæ Ordinis Carmelitarum, ſcripta per Joannem Carmaſſonum magiſtrum in ſacra theologia, & miniſtrum Ord. Min. Terræ Sanctæ, *cap. 12.* apud Danielem à V. M. *tom. 2. Spec. Carmel. p. 189. n. 679.* « Anno D. N. J. (C.) 1366. die 14. menſis April. iv. Indict. in civitate Famaguſtæ R. in Chriſto P. & DD. *Fr. Simon Ordinis Præd.* Dei & apoſtolicæ ſedis gratia *epiſcopus Laodicenſis,* vicarius eccleſiæ Famaguſtæ, de requiſitione illuſtriſſimi & perfectæ fidei triumphatoris ac DD. Petri (de Luzignano) Dei gratia regnorum Hieruſalem & Cypri regis, eidem D. vicario facta per nobilem & ſapientem virum D. Philippum de Mazzeriis militem, dicti D. regis cancellarium, fecit ut requireret, congregaret, & uniret videlicet in ſacriſtia B. M. de Carmelo doctores canonicos, aſſiſios, & ſacerdotes religioſos, & nobiles infra ſcriptos, &c. Et fecit prædictus D. vicarius inquiſitionem de aliquibus maniſeſtiſſimis miraculis factis per bonæ memoriæ reverendiſſimum in Chriſto patrem P. & D. Fr. Petrum Thomæ Dei & apoſtolicæ ſedis gratia Patriarcham Conſtantinopolitanum, & pro paſſagio Terræ Sanctæ in partibus ciſmarinis legatum, &c. » Ad quem locum ita obſervat præfatus Daniel à V. M. *in not. f. col. 1.* « Pro *Laodicena* Mazzerius & Waddingus (in vita B. Petri Thomæ) habent *Laudenſi:* ſed tenenda eſt hæc lectio *Laodicenſi.* (Ita) ad hunc locum vitæ annotavit P. Godefridus Henſchenius Societatis Jeſu, qui eam (lectionem) nobis communicavit: hinc mendum, quod vitio Amanuenſium in alteram vitam per Philippum Mazzerium, *num. 120.* irrepſerat, eſt corrigendum, & pro epiſcopo *Laudunenſi,* ſcribendum *Laodicenſi;* & delenda eſt notatio litteræ D. quæ indicabat epiſcopum *Laudunenſem,* qui tunc temporis vivebat. Inter quatuor autem urbes epiſcopales *Laodiceas* appellatas, & in geographia ſacra Caroli à S. Paulo indicatas, videtur intelligenda *Laodicea Syriæ,* è regione inſulæ Cypri in regione littorali, ubi Laodicea à Latinis occupata fuerat ſedes epiſcopalis ſub Patriarcha Antiocheno. » Hucuſque Daniel à V. M. Simon iſte extremam unctionem B. Petro Thomæ adminiſtravit, apud Bollandum, *t. 2. Jan. die 27. pag. 1019. num. 120. col. 1.*

Simonem præfatum non fuiſſe epiſcopum Laudunenſem in Gallia anno 1366. palam fit inſuper ex Sammarthanis qui, *tom. 2. Gall. Chriſt. edit. Pariſ. 1656. fol. 623. col. 4. n. 62.* C. D. *in epiſcopis Laudunenſibus,* ſcribunt *Gaufridum le Meindre de Boucicaut,* factum epiſcopum Laudunenſem anno 1363. & obiiſſe Bononiæ in Italia anno 1370. circa feſtum S. Andreæ, cui ſucceſſit Petrus Aiſcelin die 10. Jan. anni 1370. (id eſt 1371. ante feſtum Annuntiationis, vel ante Paſcha.)

V. Martinus I.
VI. Andreas.

Waddingus, *tom. 4.* ad annum 1396. *n. 2. pag. 310.* refert poſt obitum *Martini* epiſcopi Laodicenſis in Syria ſub Patriarcha Antiocheno, huic ſedi præfectum à Bonifacio IX. *Fr. Andream Petri de Monte Laterano,* Minoritam, eo anno die 7. Januarii.

VII. Martinus II.
VIII. Benedictus.

Idem Waddingus, *ibid.* ad annum 1400. *num. 3. pag. 368.* ſcribit eccleſiæ Laodicenæ in Syria ſub Patriarcha Antiocheno vacanti per obitum *Martini* ſuffectum eſſe à præfato Bonifacio eo anno die 28. April. *Fr. Benedictum Nicolai,* Minoritam.

Cæteros dimitto ſolo titulo potitos, præter *Eduardum,* qui miſſionarius apoſtolicus fuit in Indiis.

IX. Eduardus.

Ut apud orientales Indos degeret epiſcopus, qui & pontificalia exerceret, & ſacramentalia miniſtraret, ad preces Luſitaniæ Regis miſſus eſt illuc ab Alexandro VI. Papa, *Fr. Eduardus Nunius, epiſcopus Laodicenus,* Ordinis Præd. eximius verbi Dei præco, qui cum ſociis ſuis Dominicanis meſſem multam in horrea eccleſiæ congregavit, & in regno Coulan maxime, aliiſque adjacentibus locis gentiles plurimos ad fidem Chriſti convertit. Hæc Fontana *in monumentis Domin.* ad annum 1503. *pag. 403. col. 2.*

ECCLESIA

Digitized by Google

II. ECCLESIA GABALÆ.

GABALA ſive *Gabula* urbs eſt Cœleſyriæ in ora littorali maris Syriaci Ptolemæo, epiſcopalis ſub Patriarcha Antiocheno, hodie *Gibel* dicta, prope montem Anticaſſium, 46. milliaribus ab Antarado in boream. Ita Baudrand, *tom. 1. pag. 416. col. 1.* Willelmus Tyrius, *lib. 7. hiſt. cap. 17.* hujus urbis meminit. « Egreſſus igitur, inquit, è Laodicia Syriæ exercitus, receptis his quos in eadem urbe repererant.... oram legentes maritimam, ad urbem « *Gabulenſem*, quam vulgari appellatione *Gibellum* dicunt, quæ à prædicta Laodicia duodecim « diſtat milliaribus, pervenerunt, &c.» Hanc quidem tunc obſederunt cruceſignati, anno videlicet 1098. ſed ſtatim juſſi à Comite Toloſano obſidionem ſolvere, ab ea receſſerunt. Poſtmodum tamen in Latinorum poteſtatem venit, & epiſcopi ejuſdem ritus adminiſtrationi ſubjecta eſt ineunte ſequenti ſæculo.

EPISCOPI GABALÆ.

I. WILLELMUS.

DE quodam *Willelmo* hæc nos docet poſt annum 1115. Gauterius cancellarius in lib. cujus titulus: *Bella Antiochena.* « *Willermus*, » inquit, *pag. 446.* voluminis dicti, *Geſta Dei* » *per Francos, epiſcopus Gibellenſis*, vir per om- » nia laudabilis, populum à Deo ſibi commiſ- » ſum verbis & exemplis eidem feſto (Exalta- » tionis Sanctæ Crucis menſe Septembri) congruentibus inſtruxit, monuit & armavit, &c.»

II. HUGO.

Concilio Antiocheno pro diſcutienda Radulphi Patriarchæ hujus ſedis inthronizatione congregato anno 1136. interfuit *Hugo* epiſcopus Gabulenſis, ibique canonicis Antiochenis contra eumdem Radulphum patrocinatus eſt. Ita refert Willelmus Tyrius, *lib. 15. cap. 16.* Vide ſupra, ubi de eo Radulpho, *col. 1156.* C.

III. * * *

Alter fortaſſis fuit à præfato Hugone *epiſcopus* ille *Gabulenſis*, de quo hæc leguntur in Alberici chronico, *part. 2. pag. 307. edit. Lipſiæ 1698.* ad annum 1145. (ex Ottone Friſingenſi lib. 7. cap. 33.) « Vidimus etiam » ibi tunc prætaxatum de Syria *Gabulenſem epi-* » *ſcopum*, cujus præcipue opere ad plenum An- » tiochia Romanæ ſedi ſubeſſe cœpit, tam de » Patriarcha ſuo Antiocheno, & de principis » matre Balduini Hieroſolymitani quondam » regis filia querimoniam facientem, quam » de ſpoliis Saracenis ablatis, jure antiquitatis » decimas, exemplo Abrahæ, qui eas.... Mel- » chiſedech dedit, exigentem, ac ſuper hoc » apoſtolicæ ſedis auctoritatem requirentem. » Audivimus eum periculum tranſmarinæ ecclefiæ poſt captam Ediſſam lacrymabiliter « querentem, & ob hoc Alpes tranſcendere ad « reges Romanorum & Francorum pro flagi- « tando auxilio volentem, &c.» Nihil aliud nobis de eo epiſcopo notum eſt.

IV. W.

Inter epiſcopos qui anno 1179. concilio III. Lateranenſi ſub Alexandro III. celebrati interfuerunt, & quorum nomina exhibentur Spicilegii Dacheriani, *tom. 12. pag. 643.* extat *provinciæ Cœleſyriæ. W. Glambulepcenſis epiſcopus.* Mendum eſt Amanuenſium, & legendum probabiliter *Gabulenſis* in Cœleſyria.

V. GUALTERUS.

Bzovius, *tom. 13. annal.* ad annum 1264. *num. 10. col. 706.* ſcribit *Fr. Gualterum*, Calabrum, Ordinis Prædic. Gabulenſi eccleſiæ præfectum eſſe ab Urbano IV.

VI. ADAMUS.

Ex Waddingo, *tom. 3.* ad annum 1345. *num. 8. pag. 530.* ad Gabulenſem eccleſiam ſub Patriarcha Antiocheno jam dudum vacantem promotus eſt eo anno die 28. Jun. à Clemente VI. *Fr. Adamus*, Minorita.

VII. HENRICUS.

R. P. Echardus *in indice epiſcoporum initio tomi 1. Scriptor. pag. 25. col. 1.* recenſet ex Laurentio Pignon *Fr. Henricum de Henreberch*, Dominicanum, epiſcopum *Gabanligenſem* ante annum 1394. & ſubdit: *Quæ hæc eccleſia! an Gabulenſis!* Gabulenſem cenſeo, donec altera ad prioris nomen propius accedens occurrat.

III. ECCLESIA ANTARADI.

ANTARADUS, urbs Phœniciæ in ora maris Syrii Plinio & Ptolemæo, quæ poſtea *Orthoſia* dicta, nunc *Tortoſa*, epiſcopalis ſub Patriarcha Antiocheno, olim vero archiepiſcopi Tyrenſis ſuffraganea, aliquando *Conſtantia* ex nomine Conſtantini magni appellatur

Digitized by Google

ECCLESIA ANTARADI.

in libro conciliorum. Extat inter Balaneam ſive Balaneas ad boream, & Tripolim ad meridiem, inde 34. hinc 28. milliar. diſſita. In ruinis fere deſerta jacet ſub dominio Turcarum, juxta quam ineſt modica inſula, ubi antiqua urbs *Arados,* quæ nunc quoque in ruinis jacet. Ita Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 66. col. 1. Antaradum* nihilominus & *Orthoſiam* ut duas urbes epiſcopales ſub Tyro metropoli recenſent Willelmus Tyrius ad calcem ſuæ hiſtoriæ, *pag. 1044.* in volumine, *Geſta Dei per Francos,* Carolus à S. Paulo *geogr. ſac. pag. 304. edit. 1641.* & abbas de Commanville, *epiſcoporum totius orbis pag. 268.* Fortaſſis utraque ad eamdem diœceſim Antaradenſem pertinebat temporibus præſulum Latinorum, ut & *Aradienſis* & *Maracleenſis,* quibus, teſte Willelmo Tyrio, *lib. 14. cap. 14.* epiſcopus Antaradi jus dicebat.

Antaradum habitatoribus vacuam repertam occuparunt cruceſignati, dum, capta Antiochia, Palæſtinam verſus tenderent anno 1098. ceſſitque in ſortem Willelmi Jordani, qui Bertramni Tripolitani Comitis conſanguineus erat, ſeque Boamundi Antiochiæ principis clientem ſacramento profeſſus eſt. Exinde ſedi Antiochenæ addicta manſit Antaradus, licet hanc Innocentius II. Tyro metropoli Hieroſolymitani regis ditionis factæ, ſuffraganeam declaraverit. Sæculo autem XIV. medio unita eſt ſedi Famaguſtanæ in Cypro inſula. Vide *coll. 827. 828. tom. 2.* hujus operis.

EPISCOPI ANTARADI.

I. R.

TEmpore Innocentii II. qui electus eſt in Romanum Pontificem anno 1130 die 17. Febr. *Tortoſæ* ſive *Antaradi* ſedebat epiſcopus, cujus nomen incipiebat à littera R. Willelmus enim Tyrius, *lib. 14. c. 13.* profert epiſtolam hujus Pontificis, datam die 17. Jan. annus deſideratur, qua Gerardo Tripolitano, *R. Tortoſano,* & H. Byblienſi epiſcopis, mandabat, ut Tyrenſi archiepiſcopo ſuo metropolitano parerent.

II. PETRUS.

Synodo Lateranenſi ſub Innocentio III. anno 1215. interfuit, viceſque geſſit Petri Antiocheni Patriarchæ *Petrus* alter epiſcopus *Antaradenſis.* Is fortaſſis *epiſcopus* fuit *Anteradenſis,* cujus meminit præfatus Innocentius epiſtola 186. lib. X. data anno 1208. die 9. Januar. *edit. Baluz. tom. 2. pag. 105. col. 1.* & epiſtola 177. lib. XVI. data anno 1213. die 27. Jan. *ibid. pag. 832. col. 1.* Apud Raynaldum, *tom. 13.* ad annum 1211. *num. 23.* extat pars quædam epiſtolæ ejuſdem Innocentii, datæ eo anno die 17. Maii Patriarchæ Hieroſolimitano, in qua de epiſcopo Antaradenſi mentio fit.

III. * * *

Quum mos eſſet Antiochiæ principem *à Patriarcha inveſtituram recipere per vexillum, juramentumque fidelitatis ipſi & eccleſiæ Antiochenæ præſtare,* princeps novus anno 1238. *à veſtigiis prædeceſſorum ſuorum pro ſua voluntate recedens, non ſolum* (hanc) *inveſtituram* (à Patriarcha Alberto) *recipere, ac fidelitatis præſtare* (nolebat) *juramentum, ſed etiam adverſus.... eccleſiam Antiochenam ſe extollens, uſque ad gravamina & injurias* extendebat *illicite manus ſuas.* Quocirca Acconenſi &
A *Antaradenſi* epiſcopis partes impoſuit Gregorius IX. epiſtola data eo anno die 31. Jul. ut cenſurarum incuſſa religione, principem ad officium reducerent. Hanc epiſtolam profert Raynaldus, *to. 13.* ad eum annum, *n. 35.*

IV. GUILLELMUS.

Anno 1247. die 1. Octob. ſedebat *Guillelmus* Ordinis Præd. epiſcopus Antaradenſis: diploma enim Innocentii IV. iis die & anno datum RR. PP. Carmelitis pro approbatione
B correctionis factæ ex ſua auctoritate in eorum regula, per Hugonem Cardinalem S. Sabinæ Ordinis quoque Præd. & per præfatum *Guillelmum,* quem appellat *epiſcopum Anteradenſem,* exhibet R. P. Bremond, *tom. 1. Bullar. pag. 177.* Item Bernardus Guidonis apud R. P. Echard. *tom. 1. Script. pag. 121. col. 2.* de Innocentio IV. loquens in chronico ſummorum Pontificum, ait: « Anno Domini 1247. in kal. Oct. Innocentius Papa ponti- «
C ficatus ſui anno quinto confirmavit regulam « fratrum Ordinis de Carmelo modificatam ex « commiſſione ejuſdem per D. Hugonem preſ- « byterum Cardinalem tituli S. Sabinæ, & per « Fr. Guillelmum epiſcopum Anteradenſem « ex prima regula ipſorum, quam dederat eis « Albertus Patriarcha Hieroſolymitanus. »

V. * * *

Matthæus Paris ad annum 1249. memi-
D nit his verbis cujuſdam epiſcopi Tortoſæ *edit. Pariſ. 1644. p. 512. col. 2.* B. « Eodem tempore epiſcopus de Tortuſa, cujus epi- « ſcopatus eſt in Syria, Anglicus natione, & « frater de Ordine Prædicatorum, venit in « Angliam gratia natalis ſoli, & ſi quos haberet « parentes viſitandi. Erat enim non procul à « Redingo.... Hic aſſertione certiſſima con- « ventui de Radingo, ubi in die inventionis «

Digitized by Google

» S. Crucis majorem miſſam celebrarat, enarravit, &c.»

VI. DANIEL I.

Quum Willelmus Tyrius aſſerat, *lib. 14. cap. 14.* epiſcopum Antaradenſem eccleſiæ Aradienſis ſuo tempore geſſiſſe curam, præſulibus Antaradenſibus accenſeri poſſe videtur *Daniel,* Carmelita, quem Daniel alter à V. M. *tom. 2. Speculi Carmel. p. 917. n. 3196.* ſcribit epiſcopum fuiſſe *Aradienſem* ſub metropoli Tyrio, & ſuffraganeum Henrici à Gueldria epiſcopi Leodienſis, qui Daniel obiit circa annum 1274. Dionyſius Sammarthanus *Gall. Chriſt. tom. 3. edit. Pariſ. 1725.* de Henrico Othonis III. Comitis Gueldriæ fratre agens, qui anno 1247. die 10. Octob. Leodienſis epiſcopus renuntiatus eſt, hancque eccleſiam primis duodecim annis, nec ſacerdos, nec epiſcopus, ſed ſolo *electi* titulo rexit, ait, *col. 888.* C. « Primus, ut tradunt, » epiſcopum titularem in muneribus Pontificis » vicarium ſibi ſubſtituit anno 1249. *Danielem* » *Carmelitam,* quod exemplum amplexi ſunt ejus ſucceſſores. » Epiſcopus ille probabiliter in Orientem non perrexit.

VII. BARTHOLOMÆUS.

Ex veteri continuatore Gallico hiſtoriæ Willelmi Tyrii, *tom. 5. veter. Script. ampliſſ. collect. edit. Pariſ. anno 1729.* Tortoſæ præerat quidam *Bartholomæus* nomine an. 1274. Sic enim legitur, *coll. 747. & 748. num. 20.* « A MCCLXXIV. &c. morut Beumont » prince d'Antioche, & Cuens de Triple (Tri- » poli) à XX. jors de Mars, & fu fait prince » Beumont ſon fils, qui alla en la Hermenie » (l'Armenie) por eſtre chevalier de la main » du roy d'Hermenie ſon oncle, par le conſeil » de la princeſſe ſa mere, & de *Berthelemeu* » *evêque de Tortouſe,* qui gouvernoit tout ſon fait, parce qu'il eſtoit menor d'aige.»

VIII. * * *

Raynaldus, *to. 4.* ad annum 1278. *n. 81.* ſcribit eo anno ab *Antaradenſi* præſule crudeliter adeo exagitatum fuiſſe Tripolitanum epiſcopum, ut ob inſidias vitæ ſuæ comparatas fugere compulſus fuerit. Quare Nicolaus III. Sidonis & Beriti epiſcopis injunxit ut Antaradenſem hunc antiſtitem ad Romanam curiam proficiſci compellerent.

IX. MARCUS.
X. ITERIUS.

Marcus Famaguſtanus & *Anteradenſis* epiſcopus dicitur in actis ſynodi Nicoſienſis celebratæ anno 1340. die 27. Januar. *tom. XI. conc. Labb. part. 2. col. 2432.* C. ſub Helia II. archiepiſcopo Nicoſienſi, de qua ſynodo infra agemus, ubi de eo Helia.

Huic autem Marco poſt ejus obitum ſucceſſiſſe in utraque ſede, Anteradenſi nimirum & Famaguſtana, anno 1346. die 26. Jun. *Fr. Iterium de Nabinallis,* Minoritam, ſcribit Waddingus, *tom. 3.* ad eum annum, *num. 10. pag. 539.* & diploma Clementis VI. exhibet, *ibid. in Reg. Pont. pag. 344.*

XI. LUCIANUS.
XII. DANIEL II.

Idem Waddingus, *tom. 5.* ad annum 1412. *num. 2. pag. 78.* refert ſedi Atteradenſi (Anteradenſi) poſt *Luciani* obitum vacanti, *Fr. Danielem de Caſtagnolo,* Minoritam, fuiſſe præfectum eo anno die 26. Maii.

XIII. SALOMON.

Præfato Daniele mortuo, ſucceſſor datus eſt à Martino V. anno 1420. die 16. Decemb. *Fr. Salomon Cardon,* Ord. Præd. ut conſtat ex diplomate hujus Pontificis apud R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pag. 595.*

IV. ECCLESIA TRIPOLIS.

TRIPOLIS, urbs Syriæ in Phœnicia, ſic dicta quod tribus urbibus ſtadio inter ſe diſtantibus olim conſtaret, teſte Stephano Byzantio, nunc *Tarabolos ſcham* Turcis & incolis, juxta clivum ſe porrigit potiore ſui parte, à dextra habens planitiem peramplam: in clivo autem arx ipſi imminet. Portu gaudet ſatis capaci, eſtque inter Orthoſiam ad ſeptentrionem, & Byblum ad meridiem: illi præfuerunt, totique ditioni cognomini, belli ſacri temporibus, principes proprii, qui *Tripolitani Comites* dicebantur. Hæc Baudrand, *tom. 2. geogr. p. 335. col. 2.* Vide *coll. 821. & 822. tom. 2.* hujus operis, & *coll. 79. & 80. præſentis tomi 3.*

Tripolim ceperunt Latini anno 1099. ante feſtivitatem Paſchalem, quam in ea celebrarunt, ſubditaque fuit Patriarchæ Antiocheno, quaſi metropolitæ. Statuit quidem poſtea Innocentius II. ut hæc Tyrenſi archiepiſcopo obnoxia foret, ac Palæſtinæ diœceſis cenſeretur; verum ea conſtitutio non videtur fuiſſe executioni mandata: obſervat autem Willelmus Tyrius, *lib. 14. cap. 14.* epiſcopum Tripolitanum jus dixiſſe eccleſiis Botrienſi, Archenſi & Artuſcenſi.

EPISCOPI TRIPOLITANI.

I. GERARDUS.

Fortaſſis ante hunc *Gerardum* aliquis eccleſiæ Tripolitanæ præfuerit nobis ignotus: cæterum ſedebat iſte tempore Innocentii II. anno 1130. in Papam electi. Profert enim Willelmus Tyrius, *lib. 14. cap. 13.* epiſtolam hujus Pontificis, inſcriptam *venerabilibus fratribus Gerardo Tripolitano,* &c. datam die 17. Jan. omiſſo anno, qua illi & epiſcopis Tortoſano & Byblienſi injungebat, ut Tyrenſem archiepiſcopum pro ſuo metropolitano haberent. Captus fuit Gerardus à Saracenis ante annum 1137. *ibid. cap. 23.*

II. ROMANUS.

Concilio Lateranenſi III. ſub Alexandro III. anno 1179. interfuit cum quibuſdam aliis præſulibus ritus Latini *Romanus epiſcopus Tripolitanus,* teſte præfato Tyrio, *lib. 21. c. 26.* Eorum ſubſcriptiones leguntur *Spicil.* Dacher. *tom. 12. pag. 643.*

III. LA.

Initio pontificatus Innocentii III. &, ut quidem videtur, anno 1198. vir quidam, cujus nomen incipiebat à litteris *La.* archiepiſcopus electus Apameenſis, ſed nondum conſecratus, tranſlatus eſt ab Antiocheno Patriarcha (qui fuit vel Radulphus II. vel Petrus I.) propria auctoritate ad eccleſiam Tripolitanam. Id ægre tulit Innocentius Papa, ideoque Patriarcham ſuſpendit ab epiſcoporum confirmatione, uſquequo ſuper hoc aliud ipſe ſtatuiſſet. Epiſtola ejus 50. lib. I. data die 17. Mart. legenda eſt *tom. 1. edit. Baluz. pag. 28. col. 2.* & *pag. 29. col. 1.* In ipſum quoque La. quod huic tranſlationi, inconſulta ſede apoſtolica, operam dediſſet, ſententiam ſuſpenſionis ab officii pontificalis executione pronuntiavit idem Innocentius epiſtola 51. ad eum ſcripta, *ibid.* De hac duplici epiſtola ſua mentionem facit ipſemet Innocentius epiſtola 117. lib. I. data die 27. April. *ibid. p. 67. col. 1.* A prædicta tandem ſuſpenſione archiepiſcopum Apameenſem electum *La.* abſolvit, & auctoritate apoſtolica ad ſedem Tripolitanam tranſtulit Innocentius eo anno die 31 Decemb. ut conſtat ex ejus epiſtola 502. *ibid. pag. 287. col. 2.* Abſolvit ſimiliter Patriarcham Antiochenum epiſtola 508. eadem die, *pag. 249. col. 1.* injunxit poſtea epiſcopo & capitulo Tripolitano epiſtola 529. data eadem die, *ibid. pag. 300. col. 1.* ut primo vacaturum canonicatum cuidam Raymundo conferrent. Is probabiliter fuit *Tripolitanus* ille *epiſcopus,* cujus meminit præfatus Papa in epiſtola 186. lib. X. *Patriarchæ Hieroſolymitano* data die 9. Jan. anno 1207. *tom. 2. edit. Baluz. p. 105. col. 1.* Item in epiſtola data anno 1211. die 17. Maii Patriarchæ Hieroſolymitano, apud Raynaldum, *tom 13.* ad eum annum, *num. 25.* Denique in epiſtolis 162. lib. XV. anno 1212. die 18. Septemb. *tom. 2. laudatæ edit. Baluz. pag. 680. col. 2.* & 177. lib. XVI. anno 1213. die 29. Jan. *ibid. pag. 832. col. 1.*

IV. GAUFRIDUS.

In chronico Alberici, *parte 2.* ad annum 1211. *pag. 458.* legitur: «Proſecutor dictæ cauſæ (inter archiepiſcopum Turonenſem & « epiſcopum Dolenſem) archidiaconus *Gaufridus,* electus eſt poſt aliquot annos in epiſcopum *Tripolitanum* ultra mare, qui Gaufridus « ſororem habuit Flandriam nomine, ſanctam « matronam, quæ etiam narratur quædam fe- « ciſſe miracula.» Is ſubinde extitit, quem quaſi archipræſulem Innocentius III. encyclicis ſuis litteris ad concilium Lateranenſe anno 1215. celebrandum invitavit. *In eodem modo* (archiepiſcopo & epiſcopis (*per Trinopolitanam* (Tripolitanam) *provinciam* (conſtitutis) *tom. XI. conc. Labb. part. 1. col. 126.* A.

V. * * *

Anno 1234. Innocentius IV. mandavit archiepiſcopo Tyrenſi, & *epiſcopo electo Tripolitano,* ut in Byblienſem epiſcopum nullius litteraturæ hominem, & Patriarchæ Antiocheno rebellem inquirerent, & ad ipſum referrent. Ita Raynaldus, *to. 13.* ad eum annum, *num. 50.*

VI. WILLELMUS.

Idem Raynaldus, *tom. 14.* ad annum 1263. *num. 12.* ſcribit ex epiſtolis 45. & 76. lib. II. epiſtolarum Urbani IV. *Willelmum* Tripolitanum (epiſcopum) Ordinis Præd. ad hunc Pontificem acceſſiſſe, ut ei exponeret Terræ Sanctæ diſcrimina.

VII. PAULUS.

Anno 1274. ſedebat epiſcopus Tripolitanus *Paulus* Ord. Min. quippe qui eo anno concilio II. Lugdunenſi adfuit, ex Waddingo, *tom. 2.* ad illum annum, *num. 10. pag. 321.* & *tom. 7. num. 14. pag. 103.* Is probabiliter *epiſcopus* ille *Tripolitanus* fuit, qui anno 1278. ab Anteradenſi epiſcopo graviter vexatus, ob inſidias vitæ ſuæ comparatas fugere compulſus eſt, teſte Raynaldo ad eum annum, *num. 81.* Anno ſequenti 1279. ei impoſita provincia eſt à Nicolao III. ut ad Radulphum regem

Digitized by Google

Romanorum ſe conferret pro coeundo fœdere inter ipſum & Carolum regem Siciliæ, ex eodem Raynaldo ad eum annum, *num. XI.* qui ſubdit, *ibid. num. 49.* ab illo Pontifice ſuſceptam epiſcopi *Tripolitani* cauſam, quem Boamundus Comes Tripolitanus, iniquis impulſus conſiliis, Tripoli pepulerat, ſcriptamque eo anno die 1. Junii huic Comiti epiſtolam refert, in qua ait: « Ad audientiam » apoſtolatus noſtri pervenit quod tu non at- » tendens, ut convenit, quod venerabilem » fratrem noſtrum *P. epiſcopum Tripolitanum* te » decet tam ratione officii pontificalis quo præ- » eminet, quam etiam conſanguinitatis qua » ſibi noſceris conjunctus, &c. dictum epi- » ſcopum, præter atroces injurias & gravamina » per te ac tuos ſibi ſuæque familiæ irrogata, » &c. ab epiſcopali ſede Tripolitana auſu ſacrilego ejeciſti, &c. » Hunc appellat *Romanum* Sanutius, ad annum 1275. fortaſſis ex ipſius genere. *Quia,* inquit, *epiſcopus Tripolitanus Romanus Romanos defendebat.*

VIII. CYNTHIUS *electus.*

Ughellus, *to. 6. Ital. ſac. col. 419. n. 24.* D. *vet. edit.* tradit *Cynthium de Pinea,* nobilem Romanum, *ex electo Tripolitano epiſcopo,* ab Honorio IV. ſublectum eſſe archiepiſcopum Capuanum die 28. Maii anno 1286. obiiſſe demum anno 1290.

IX. B.

Expugnata Tripoli à Soldano Babyloniæ Melec-Meſſor anno 1289. die 27. Aprilis, ſcripſit Nicolaus IV. *epiſcopo Tripolitano* eodem anno die 1. Septemb. injungens ei ut pro concione populos Occidentis ad bellum ſacrum adverſus Saracenos concitaret. Epiſtolam profert Raynaldus ad eum annum, *n. 66.* Idem videtur, ad quem extat ejuſdem Pontificis epiſtola, data anno ſequenti 1290. die 20. Octob. *ibid.* ad eum annum, *num. 8.*

X. VIDO.

Ughellus, *tom. 2. Ital. ſac. col. 304. n. 61.* D. & *col. 385. num. 93.* D. ſcribit *Vidonem Abiſium* ſive *Albaiſium,* Regienſem civem & epiſcopum, antea *Tripolitanum* præſulem, ad archiepiſcopatum Ravennatem tranſlatum eſſe anno 1332. obiiſſe vero Bononiæ anno ſequenti 1333. menſe Septembri.

XI. JOANNES I.

Joanne epiſcopo Tergeſtano ſub Patriarcha Aquileïenſi ad eccleſiam *Tripolitanam* tranſeunte, *Fr. Nicolaus de Caturis,* Minorita, ei in ſede Tergeſtina ſucceſſit anno 1409. die 9. Auguſti. Ita Waddingus, *tom. 5.* ad eum annum, *num. 15. pag. 63.*

XII. PETRUS I.
XIII. SIMON.

Idem Waddingus, *ibid.* ad annum 1414. *num. 8. pag. 88.* ait eccleſiæ Tripolitanæ in Syria vacanti eo anno per obitum *Petri,* præfectum eſſe die 28. Januar. *Fr. Simonem,* Minoritam.

XIV. PETRUS II.
XV. NICOLAUS.

Ex eodem Waddingo, *ibid.* ad annum 1435. *num. 16. pag. 273. Petro* Tripolitano præſuli mortuo ſubſtitutus eſt eo anno die 14. Nov. *Fr. Nicolaus del Nevo,* Ord. Min. Diploma Eugenii IV. profert *in Reg. Pont. pag. 224.*

XVI. ANTONIUS.
XVII. BENEDICTUS.

Anno 1451. ſede Tripolitana in Syria vacante per obitum *Antonii,* renuntiatus eſt hujus eccleſiæ epiſcopus *Fr. Benedictus de Adoaria,* Minorita, eo anno die 21. Maii. Idem Waddingus, *tom. 6.* ad eum annum, *num. 55. pag. 33.*

V. ECCLESIA BYBLI.

BYBLUS, teſte Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 200. col. 2.* urbs Syriæ in Phœnicia, *Byblos* Plinio, *Giblet* hodie ſive *Zibellet,* in excelſo loco ſita in ora littorali, ubi Adonis fluvius nunc Canis dictus, ſub mœnibus in mare labitur: antiquitus *Evea* nuncupata fuit. Diſtat à Botry 10. milliar. ad meridiem, inter Tripolim ad ſeptentrionem, & Beritum in meridiem; ab illa quidem urbe 30. milliar. ab iſta vero 24. Vide *tom. 2.* hujus operis, *coll. 819. 820.* & *coll. 89. 90. hujus tom. 3.* Hæc porro civitas poſt captam Tripolim in Bertramni Comitis etiam poteſtatem venit, & ab Antiocheno Patriarcha Latinum recepit epiſcopum, qui ipſi immediate ſubderetur.

EPISCOPI BYBLI.

I. H.

TEmpore Innocentii II. in ſummum Pontificem electi anno 1130. ſedebat epiſcopus E Bybli vir quidam, cujus nomen incipiebat à littera H. Id conſtat ex epiſtola hujus Papæ, data die 17. Januarii, omiſſo anno, apud Willelmum Tyrium, *lib. 14. cap. 13.* in titulo

Digitized by Google

ECCLESIA BIBLI.

enim ejus legitur: *Gerardo Tripolitano, R. Tortoſano, & H. Byblienſi epiſcopis*. Injungebat ſcilicet illis, ut archiepiſcopo Tyrenſi obtemperarent.

II. * * *

Anno 1298. die 23. Decembris ſcripſit Innocentius III. Sidonienſi, Beritenſi & *Byblienſi* epiſcopis, de ſolutione decimarum. Epiſtola eſt 516. lib. I. *tom. 1. edit. Baluz. pag. 296. col. 2.* quæ rurſus repetitur *p. 564. col. 1.* Trium quoque iſtorum epiſcoporum meminit idem Papa epiſt. 257. lib. II. *p. 508. col. 1.* Patriarchæ Hieroſolymitano, Tyrenſi archiepiſcopo, & Acconenſi epiſcopo, data die 15. Decembris anno, ut probabile eſt, 1199. non enim ibi exprimitur, ſicut nec ullibi nomen hujus epiſcopi Byblienſis.

III. * * *

Anno 1243. Innocentius IV. ſcripſit archiepiſcopo Tyri & Tripolitano electo, ut in epiſcopum *Byblienſem*, virum illiteratum, Patriarchæ Antiocheno inobſequentem, cenſuras ſpernentem, eccleſiæ ſuæ bona diſſipantem, aliaque perpetrantem impune facinora, inquirerent, certioremque hujuſmodi rerum ſe facerent, quatenus juſtis ipſum pœnis percelleret. Ita refert Raynaldus, *tom. 13. annal.* ad eum annum, *num. 50.*

IV. GARZIAS.

In dormitorio cœnobii SS. Joannis & Pauli Ord. Præd. Venetiis, teſte Cavalerio, *tom. 1. pag. 311. nn. 328. 329.* extat pictura plures Cardinales ejuſdem Ordinis repræſentans, & unum epiſcopum cum ea inſcriptione. *Fr. Garzias de Martinis, primo converſus, profeſſus, clericus, ſacerdos, tandem factus epiſcopus Bybli, obiit anno 1382.* Nihil aliud nobis de eo notum eſt.

V. VOLKERUS.

VI. JACOBUS I.

Volkero epiſcopo Byblienſi mortuo ſubſtituit Bonifacius IX. anno 1396. die 19. Jan. *Fr. Jacobum de Weſep*, Ord. Præd. Id conſtat ex diplomate hujus Pontificis, *tom. 2. Bullar.* R. P. Bremond, *pag. 357.* qui ejus etiam meminit, *pag. 466.*

VII. SOLKERUS *ſive* FOLKERUS.

VIII. ULRICUS.

Idem R. P. Bremond exhibet, *ibid. p. 462.* diploma aliud præfati Pontificis, datum anno 1400. die 8. Novemb. quo eccleſiæ Gybeldenſi ſive Byblienſi per obitum *Solkeri*, qui & *Folkerus* infra appellatur, vacanti præficit *Fr. Ulricum Galgari*, Ordinis Præd.

IX. JACOBUS II.

X. JACOBUS III.

Fr. Jacobus de La, Gandavenſis, Ordinis Præd. epiſcopus erat Byblienſis ſive Gybeldenſis anno 1422. quo deceſſit. Ex R. P. Echardo *in indice epiſcoporum initio 1. tom. Scriptorum Ordinis Præd. pag. 25. col. 2.* & R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pag. 703.*

Huic autem Jacobo ſucceſſit eodem anno die 23. Jan. *Jacobus* alter *de Weſp.* Ordinis Præd. de quo ſic loquitur Fontana *in monum. Domin. pag. 313. col. 2.* ad annum 1422. « Promovit Pontifex (Martinus V.) ad cuſtodiendas Chriſti oves in eccleſia Gaſbeldenſi « à malignantium hæreticorum preſſuris, pravíſque dogmatibus, P. Jacobum de Weſp. « per apoſtolicas litteras creatum, expeditas « x. kal. Febr. quæ in archivo Ordinis ſunt.» Quæ ſit eccleſia illa *Gaſbeldenſis* nos latet: R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. p. 704.* hunc Jacobum de Weſp. ait epiſcopum fuiſſe *Gybeld. Gybeleten.* ſive *Byblienſem, Gibel Giblet* in Phœnicia ſub Patriarcha Antiocheno, & remittit ad Fontanam nunc relatum.

VI. ECCLESIA SELEUCIÆ.

DUPLEX *Seleucia* fuit archiepiſcopalis ſub patriarchatu Antiocheno; una in provincia Iſauriæ, hæcque *Trachæa* ſive *Aſpera* dicta eſt, *Albia* quoque & *Hyria*, teſte Stephano, nunc autem *Seleſchia* appellatur, quæ diſtat 12. milliar. ab ora maris Cilicii in ſeptentrionem, 70. à Tarſo in occaſum, 15. à Coryco in occaſum æſtivum, & 170. à *Seleucia Pieria*, quæ altera eſt urbs hujus nominis in provincia Syriæ primæ, & *Portus S. Simeonis* dicitur in hiſtoria Willelmi Tyrenſis de bello ſacro, nunc vero *Seleuche Jelber*, diſtans ab Antiochia 10. milliar. & 3. ab oſtio Orontis fluvii in ſeptentrionem. Hæc habet de utraque ea urbe Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 223. col. 1.* Vide *tom. 2.* hujus operis, *coll. 777. & 1009.* Aliquot archiepiſcopi occurrerunt ritus Latini Seleucienſes ſub patriarchatu Antiocheno, quos, quum ignoremus cuinam earum præfuerint, hîc recenſemus.

Digitized by Google

EPISCOPI SELEUCIÆ.

I. PONTIUS.

WADDINGUS, *tom.3.* ad annum 1345. *num.7. pag. 531.* ſcribit *Fr. Pontium*, Minoritam, eo anno die 7. Aug. promotum eſſe ad eccleſiam Seleucienſem ſub patriarchatu Antiocheno. Apud Raynaldum legitur, *t.16.* ad annum 1346. *n.70.* epiſtola Clementis VI. archiepiſcopo Soltanienſi ejuſque ſuffraganeis data II. kal. Aug. (id eſt die 31. Jul.) eo anno, in qua judicium intendit *Pontio archiepiſcopo Seleucienſi*, qui Pſeudominoritarum aſſerta circa paupertatem Chriſti & Apoſtolorum, compoſita poſtilla quadam ſuper evangelium S. Joannis, & in linguam Armenam tranſlata, ſpargere in Perſide annitebatur: dat autem provinciam illis præſulibus, ut, comperta re, eum ad ejurandum publice errorem adigerent, detrectantique diem aſſignarent, ut apoſtolico conſpectui præſentem ſe ſiſteret. Hujus Pontii meminit Galanus, *tom. 1. conciliat. eccl. Armenæ cum Romana, cap.30. num.15. pag.512.*

II. MARTINUS.

III. CHRISTIANUS.

Idem Waddingus, *tom.4.* ad annum 1394. *n.5. p.306.* refert eccleſiæ Seleucienſi ſub patriarchatu Antiocheno vacanti per obitum *Martini* ejus archiepiſcopi, *Fr. Chriſtianum Bellemares*, Ordinis Min. præfectum fuiſſe eo anno die 18. Septembris.

PROVINCIA CILICIÆ PRIMÆ.

ECCLESIA TARSI METROPOLIS.

LATINORUM exercitu per Aſiæ minoris ſive, ut hodie loquuntur, Anatoliæ provincias Syriam verſus pergente, Tancredus Boamundi Tarentini conſanguineus in Ciliciam devenit, ejuſque metropolim Tarſum obſedit, Chriſtianis habitatoribus, Armenis & Græcis refertam, præter Saracenos exiguo ſatis numero. Urbem brevi ſubegit anno 1098. ut colligitur ex auctore anonymo hiſtoriæ belli ſacri, *tom. 1. num. 31. Muſæi Ital.* Mabill. *pp. 157. 158. & 163.* Hæc nunc *Teraſſa* dicitur incolis, *Terſis* Turcis, & *Tarſo* Italis. Hanc Cydnus fluvius mediam ſecat: media eſt autem inter Seleuciam aſperam ad occaſum, & Cæſaream penes Anazarbum ad ortum, ſexque milliar. tantum diſtat ab ora maris. Ita Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 289. col. 2.*

ARCHIEPISCOPI TARSI.

I. ROGERIUS.

AUctor ſupra citatus hiſtoriæ belli ſacri, *n. 135. ibid. pag 231.* refert ad annum 1100. Dayberto in Patriarcham Hieroſolymitanum ſublimato, « ordinatos (ante feſtum Paſchæ) » epiſcopos quatuor, ſcilicet *Roggerium Tarſi*, » Mamyſtæ Bartholomæum, Bernardum Artaſii, & Benedictum Edeſſæ, qui cum Boamundo & Baldoyno in preſbyteratus officio » poſiti venerant: expleta (autem) ſolemnitate » paſchali, Boamundum (principem Antiochiæ) cum tribus ſuis patribus reverſum; » Baldoynum quoque cum ſuo archiepiſcopo » Benedicto Edeſſam, cujus ipſe comitatum tenebat, rediiſſe. » Is videtur fuiſſe *epiſcopus* ille *Tarſi*, qui cum ſeptemdecim aliis præſulibus affuit cuidam ſynodo Hieroſolymis coactæ adverſus præfatum Daibertum, teſte Alberto Aquenſi, *lib. 9. hiſt. Hieroſolymitanæ cap. 16.* qui etiam *epiſcopi Tarſenſis* meminit, *lib. XI. cap. 40.*

II. STEPHANUS.

Synodo Antiochenæ anno circiter 1136. habitæ pro examinanda Radulphi hujus ſedis Patriarchæ inthronizatione, interfuit *Stephanus* archiepiſcopus Tarſi, parteſque canonicorum adverſus eum propugnavit, ex Willelmo Tyrio, *lib. 15. cap. 16.* Vide ſupra, ubi de Radulpho inter Patriarchas Antiochenos, *col. 1156.* C.

III. AUBERTUS.

Anno 1190. ſedebat *Aubertus* archiepiſcopus Tarſi, de quo mentio fit in quodam privilegio, quod Januenſibus conceſſit eo anno Boamundus princeps Antiochiæ, apud Ughellum, *to. 4. Ital. ſac. coll. 1215. & 1216. vet. edit.* legitur enim ad calcem: « Actum eſt

ECCLESIA TARSI.

» hoc privilegium anno Incarnationis Dom. A
» M. C. XC. Indict. VIII. prima die menſis
» Septemb. Datum per manum *Auberti Tarſenſis archiepiſcopi & principalis curiæ cancellarii*, &c.»

IV. N.

Innocentius III. epiſtola 50. lib. I. data die 17. Mart, omiſſo anno, ſed probabiliter primo ſui pontificatus, Chriſti 1198. *Patriarchæ Antiocheno, tom. I. editionis Baluz. p. 29. col. I.* refert Patriarcham, hujus prædeceſſorem, motu propriæ voluntatis archiepiſcopum *Tharſenſem* ad Mamiſtanam eccleſiam B tranſtuliſſe: iſtius porro præſulis nomen incepiſſe à littera N. colligitur ex epiſtola 502. ejuſdem lib. I. data die 31. Decemb. *epiſcopo Tripolitano, pag. 287. & ſeqq.* In ea enim ait Pontifex: « Sane quum ad apoſtolatus noſtri
» notitiam luce clarius perveniſſet, quod venerabilis frater noſter Antiochenus Patriarcha,
» *prædeceſſoris ſui exempla ſequutus, qui motu propriæ voluntatis N. Tharſenſem in Mamiſtan. dicitur tranſtuliſſe*, &c.»

V. * * *

Raynaldus, *to. 13. annal.* ad annum 1205. *num. 36.* profert epiſtolam Leonis regis Armeniæ ad Innocentium III. Papam eo anno ſcriptam, in qua legitur, *n. 38.* « Poſtquam
» vidimus dominum Patriarcham (Antiochenum Petrum I.) feciſſe judicium & juſtitiam,
» conceſſimus ei reſtituere *Tarſenſem eccleſiam*
» cum omnibus.... ſuis, in qua diu ſuo orbata
» paſtore *conſecratus eſt archiepiſcopus venerabilis cantor Antiochenæ eccleſiæ*, &c.»

VI. * * * *electus*.

Anno 1213. idem Innocentius III. epiſtola 2. lib. XVI. data *regi Armeniæ* die 28. Februar. *tom. 2. edit. Baluz. pag. 134.* eum graviter arguit, non ſolum quod Patriarcham Græcum ſedi Antiochenæ intruſum, de quo nos ſupra, *col. 1159.* B. pro legitimo Patriarcha habuerit, ſed etiam quod, archiepiſcopo *electo Tharſenſi* ſublato de medio, quum Patriarcha (Petrus) ſperaret ut juxta regis ipſius promiſſionem archiepiſcopus inſtitueretur (Latinæ communionis;) è contrario, redditibus & caſilibus hujus eccleſiæ militibus ſuis ſacrilega præſumptione diviſis, & Latinis clericis expulſis ab eadem, Græcos illuc intruſerit. Attamen ex ejuſdem Papæ epiſtola 7. *ibid. p. 738.* colligi poſſe videtur, regem illum ab incepto aliquatenus reſipuiſſe. Utut ſit, inter epiſtolas encyclicas, quibus Innocentius præſules Latinos Orientis ad concilium ſuum Lateranenſe vocabat, nulla legitur pro archiepiſcopo Tarſenſi, quaſi hæc tunc adhuc vacaret.

VII. * * *

Honorius III. anno 1224. die 17. Decemb. Hieroſolymitano Patriarchæ ſedis apoſtolicæ legato ſcripſit, ut archiepiſcopos *Tarſenſem* & Mamiſtanum, ab Armenis ſuis ſedibus pulſos, iis reſtitui curaret. Ita Raynaldus, *tom. 13. annal.* ad eum annum, *num. 27.*

VIII. JOANNES I.

IX. DANIEL.

Eccleſia Tarſenſi vacante per obitum *Joannis* ipſius archiepiſcopi, Clemens V. Papa anno 1310. die 22. Junii *Fr. Danielem de Terdona*, Minoritam, ad eam ſedem electum confirmavit, teſte Waddingo, *tom. 3.* ad annum 1311. *num. 3. pag. 128.* qui diploma pontificium exhibet, *ibid. in Regeſto, p. 41.* Hujus Danielis meminit Raynaldus, *to. 15.* ad annum 1311. *num. 74.*

X. * * *

Idem Raynaldus, *to. 16.* ad annum 1341. *n. 46.* refert à Benedicto XII. ſollicitatum C *Tarſenſem archiepiſcopum* cum præſulibus S. Thadæi in majori Armenia, Navarzanenſi, & Soldanienſi, ut curarent Armenorum Patriarcham ſynodum celebrare, multoſque errores damnare, qui Armenis imputabantur.

XI. PONTIUS.

XII. JOANNES II.

Waddingus, *to. 4.* ad annum 1366. *n. 18. pag. 117.* ſcribit eo anno die 26. Novemb. *Pontio* Tarſenſi archiepiſcopo mortuo ſuffectum eſſe ab Urbano V. *Fr. Joannem*, D Minoritam.

XIII. JOANNES III.

XIV. JULIANUS.

Idem Waddingus, *ibid.* ad annum 1396. *num. 2. pag. 310.* refert Tarſenſi eccleſiæ in Cilicia vacanti per obitum *Joannis*, quem non dicit fuiſſe ſui Ordinis alumnum, ſucceſſiſſe eo anno die 17. Maii *Fr. Julianum Hectoris*, Piſanum, Minoritam.

E

XV. JOANNES IV.

Joannes quidam archiepiſcopus Tarſenſis, Paphenſis eccleſiæ in inſula Cypro adminiſtrator creatus eſt à Joanne XXIII. per ipſum, quoad viveret, tenendæ & gubernandæ, cui vita functo ſubſtitutus eſt in ſede Paphenſi Fr. Angelus Narnienſis, Ord. Min. à Martino V. anno 1428. die 5. Maii. Ex Waddingo, *tom. 5.* ad annum 1427. *num. 20. pag. 190.* qui etiam diploma hujus Pontificis profert *in Regeſto, pag. 159.*

XVI.

Digitized by Google

XVI. Jacobus.

Fr. Jacobus de Cluſio, Ordinis Præd. ex Romana provincia anno circiter 1449. renuntiatus eſt à Nicolao V. Tarſenſis archiepiſcopus, qui quum linguarum peritia polleret, plurimos Infideles ad Chriſti fidem convertit. Ita Fontana *Theat. Dom. p. 303. tit. 573.* ubi citat Ugurgerium in Pompis Senenſ. *tit. 7.* Fernandez ad annum 1450. & A Plodium ſive Michaelem Pio, *part. 2. lib. 3.*

XVII. Thomas.

XVIII. Ubertinus.

Waddingus, *to. 6.* ad annum 1460. *n. 34. pag. 480.* narrat ſedi Tarſenſi vacanti per tranſlationem *Thomæ* ejus præſulis ad archiepiſcopatum Tarentaſienſem, ſubrogatum eſſe eo anno die 6. Febr. *Fr. Ubertinum de Monte-Callerio*, Minoritam.

PROVINCIA OSRHŒNES.

ECCLESIA EDESSÆ METROPOLIS.

EDESSA, urbs Meſopotamiæ, *Rhoa*, *Rohas* & *Orrhoai* Arabibus dicta, ampla & archiepiſcopalis, quam à Nembrot conditam tradit Iſidorus, media eſt inter Aleppum ad occaſum, & Amidam ad ortum, uti inter Euphratem fluvium ad occaſum, & Chaboram ad ortum: diſtat vero 49. milliaribus à Samoſata in ortum, & 45. ab Hierapoli. Comites habuit proprios tempore belli ſacri & regum Hieroſolymitanorum. Ita Baudrand, *tom. 1. geogr. pp. 353. & 354.* Albertus Aquenſis hæc de ſubjectione hujus urbis ſpontanea Latinorum ditioni poſt ingreſſum eorum in Syriam ſcribit, *lib. 3. hiſt. Hieroſ. cap. 19.* « Fama Baldewini (Balduini fratris Godefridi Bullonii primi Hieroſolymorum regis) longe lateque crebreſcente, & bellorum ſuorum virtute ſuper omnes hoſtes ſuos divulgata, Dux civitatis *Kohas*, quæ dicitur *Edeſſa*, ſita in regione Meſopotamiæ, epiſcopum (utique Græcum) ejuſdem urbis cum duodecim majoribus civitatis, quorum conſilio omnis ſtatus regionis fiebat, ad ipſum Baldewinum miſit, quatenus cum Gallis militibus ad urbem deſcenderet, terram adverſus Turcorum infeſtationes defenderet, & cum Duce communi potentia & dominio univerſos reditus & tributa obtineret. Qui tandem conſilio accepto, acquievit, &c.» Deinde narrat uſque ad caput 25. quomodo Edeſſam, occiſo ſuo Duce, quem non diligebant, Balduinum hujus necis minime participem, ac renitentem, Ducem ſuum crearint. Id contigit anno 1097. ante obſidionem Antiochiæ.

ARCHIEPISCOPI EDESSÆ.

I. Benedictus.

BENEDICTUS iſte archiepiſcopo illi Græco ſucceſſiſſe videtur, qui Balduinum acciverat. Hunc conſecravit Daibertus Patriarcha Hieroſolymitanus, ſtatim atque ipſe patriarchatum auſpicatus eſt an. 1100. circa feſtum Paſchæ, teſte auctore anonymo hiſtoriæ belli ſacri, apud Mabillonem, *tom. 1. Muſæi Ital. pag. 231. num. 135. Daybertus....* inquit, *in patriarchatum Hieruſalem ſublimatur*, &c. *Ordinantur ibi quatuor epiſcopi, ſcilicet.... Benedictus Edeſſæ*, &c. *Expleta itaque ſolemnitate paſchali*, &c. *Baldoynus quoque cum ſuo archiepiſcopo Benedicto Edeſſam, cujus ipſe comitatum tenebat, rediit.* Anno 1104. ut refert Fulcherius Carnotenſis, *lib. 2. hiſt. Hieroſ. c. 26.* captus eſt Benedictus à Turcis. *Quem quum de reculis ſuis & utenſilibus ut jumentum Turci oneraſſent, patrocinio cujuſdam militis* B *armipotentis, qui pro eo animam ſuam charitative poſuit, opitulante Deo, de manibus eorum miro ſuo auſu eum eripuit.* Ejus etiam meminit Albertus Aquenſis, *lib. 9. capp. 39. & 40.*

II. Hugo.

Anno 1142. exeunte præerat ſedi Edeſſanæ *Hugo*, qui ea civitate capta à Saracenis, cum pluribus aliis ejus incolis periit. « Tantus (enim) in introitu concurrentium populorum factus eſt tumultus, inquit Willelmus C Tyrius, *lib. 16. hiſtoriæ cap. 5.* ut præ turba comprimente multi miſerabiliter ſuffocati interirent; inter quos & *reverendiſſimus vir Hugo, ejuſdem civitatis archiepiſcopus*, cum quibuſdam clericis ſuis eodem dicitur modo occubuiſſe, &c.» Id eveniſſe refert chronicon Alberici, *part. 2. p. 306.* ipſo natalis Dominici die.

PROVINCIA SYRIÆ SECUNDÆ.

I. ECCLESIA APAMEÆ METROPOLIS.

APAMEA urbs Syriæ, inter Antiochiam ad boream, & Emeſam ad auſtrum ſita eſt, 40. milliar. à mari Syriaco in ortum; nunc *Hamous* vel *Hama* dicitur, ex Baudrand, *tom. 1. pag. 71. col. 2.* Vide *tom. 2.* hujus voluminis, *coll. 909. 910.* Fulcherius Carnot. *lib. 2. hiſt. Hieroſol. cap. 43.* ad annum 1111. civitatem hanc ſcribit Tancredi jam dudum juris fuiſſe, utpote ab eo expugnatam.

ARCHIEPISCOPI APAMEÆ.

I. Petrus.

Gauterius cancellarius, cujus elucubratio *de bellis Antiochenis* extat in volumine dicto, *Geſta Dei per Francos*, à *pag. 441.* ad *466.* cujuſdam *Petri* archiepiſcopi Apamienſis meminit, primam duntaxat exprimendo ejus nominis litteram P. ſedentis anno 1119. quo Rogerus princeps Antiochiæ in prælio contra Turcas interfectus eſt. Ait enim, *pag. 451. lin. 40. Actumque eſt, P. archiepiſcopo Apamienſi conſulente, ut omnes unà, facto edicto per exercitum, ante lucem ad capellam conveniant, quatinus ibi vita & moribus emendati, cibo potuque cæleſti refecti, in Dei ſervitio & in nomine ejus, ut decet milites, vivere & mori valeant*, &c. Et *pag. 452. lin. 50. Quem* (Rogerum) *archiepiſcopus vice beati Petri ſuſcipiens ab omnibus peccatis abſoluturus, in nomine Domini & in nomine veræ pœnitentiæ præcipit bellum præſens aggredi, & agere vel recipere quod divinæ majeſtati placeret: mori vel vivere*, &c. Hunc archiepiſcopum Willelmus Tyrius, *lib. 12. hiſt. c. 10.* ad annum 1119. diſerte *Petrum* nuncupat: loquens quippe de eadem morte Rogeri, hæc habet: *Dicitur tamen quod in ea expeditione, qua confeſſus interiit, apud dominum Petrum, venerabilem virum, Apamienſem archiepiſcopum, qui eidem neceſſitatis articulo præſens interfuerat, corde contrito & humiliato delicta ſua coram Deo confeſſus fuerat, promittens, auctore Domino, pœnitentiæ fructus condignos: & ſic vere pœnitens, prælii diſcrimen ingreſſus eſt*, &c.

II. Serlo.

In concilio Antiocheno, quod anno circiter 1136. Radulphi I. Patriarchæ cauſa celebratum eſt, ſedebat *Serlo Apamienſis* præſul qui, *licet ei ab initio adverſarius fuiſſet*, inquit Willelmus Tyrius, *lib. 15. converſus ad eum,* A *domino Patriarchæ ſuum manifeſte* (præſtitit) *patrocinium*. Et non multo poſt: *Interim Serlo Apamienſis epiſcopus in choro Pontificum ſine veſte reſidens nuptiali: non enim more aliorum indutus erat pontificalibus: à domino legato* (ſedis apoſtolicæ) *convenitur, quare reliquis fratribus non conſonaret, & quare ad accuſandum* (Patriarcham) *ſicut aliquando fecerat, non procederet. Reſpondit:* « Quod aliquando feci, inconſulto calore & contra « ſalutem animæ meæ...... operatus ſum, & « B nunc ab errore devio me, auctore Domino, « revocans, nec eum accuſare, nec judicare « præſumptuoſe tentabo; ſed pro ejus ſtatu & « incolumitate paratus ſum uſque ad mortem « decertare. » *Præcipitur ergo exire, & data in eum ſententia excommunicationis ſimul & degradationis, ſive injuſte, ſive aliter, ab omni officio ſacerdotali & pontificali depoſitus eſt*, &c. *Serlo igitur, ſive de facto, ſive de jure depoſitus, Antiochia egrediens, in ſuam diœceſim ſe contulit, pervenienſque ad caſtrum Harene, ægritudine præventus, & curarum an-* C *xius pondere, lecto decubuit, & converſus ad parietem, injuriarum enormitatem non ferens, expiravit.*

III. La. *electus.*

Initio pontificatus Innocentii III. &, ut videtur, ipſomet anno I. Chriſti 1198. vir quidam, cujus nomen incipiebat à litteris *La.* jam electus archiepiſcopus Apamienſis, ab ea eccleſia, inconſulta ſede apoſtolica, à Patriarcha Antiocheno tranſlatus fuit ad Tri- D politanam: propter quod utrumque ſuſpenſionis ſententia mulctavit præfatus Pontifex: « Licet enim, inquit epiſtola 50. lib. I. data die 17. Mart. Antiocheno Patriarchæ, *tom. 1.* « *edit. Baluz. pag. 29. col. 1.* nondum fuiſſet « in archiepiſcopum conſecratus, confirma- « tionis tamen munus receperat, & archiepi- « ſcopalia, quantum ei licuerat, miniſtrarat, « ſicut ipſius nobis relatione innotuit, qui ſe «

Digitized by Google

» Valenienſem epiſcopum, quum in noſtra A » eſſet præſentia conſtitutus, aſſeruit confirmaſſe.» Eum tamen poſtea ad Tripolitanam ſedem transferri conſenſit Innocentius, ut ſupra inter Tripolitanos præſules obſervavi, *col. 1175.* C.

IV. * * *

Quum graves querelas apud ſedem apoſtolicam Albertus, Antiochenus Patriarcha, adverſus Armeniæ Catholicum ſuæ obnoxium auctoritati attuliſſet, illum ſcilicet præter morem ab Antiocheni patriarchatus obſequio ſe divulſiſſe, Gregorius IX. Papa ad *Apamienſem* & Mamiſtranum archiepiſcopos ſcripſit anno 1238. die 26. Junii, ut ipſum ad officium revocarent. Epiſtolam profert Raynaldus, *tom. 13.* ad hunc annum, *n. 34.*

II. ECCLESIA BALANEÆ.

BALANEA, quæ *Balanææ* Ptolemæo, *Balaneæ* Stephano, *Valania* Nigro, *Bagnias* Poſtello nuncupatur, in Theodoriade ad oſtia Eleutherii fluvii in ora maris Phœnicii, media inter Gabalam ad ſeptentrionem 27. milliar. & Antaradum ad meridiem 24. milliar. diſtans, à Tripoli vero 74. in boream: ſedes epiſcopalis fuit ſub archiepiſcopo Apameno; ſed nunc iſta ſedes Maronienſi unita eſt. Ita Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 138. col. 2.* Urbem *Valeniam* ſub oppido Margat in littore maris ſitam aſſeruit Willelmus Tyrius, *lib. 7. hiſtoriæ, cap. 17.*

EPISCOPI BALANEÆ.

* * *

VIdimus paulo ſupra *epiſcopum Valanienſem* (ſive *Balaneæ*) ab archiepiſcopo Apameno *La.* dicto eſſe confirmatum circa initia pontificatus Innocentii III. teſte eodem Papa epiſtola 50. *lib. 1. tom. 1. edit. Baluz. pag. 29. col. 1.* Is probabiliter epiſcopus ille *Valenienſis* eſt, cui, & Patriarchæ Antiocheno, ac archiepiſcopo Nazareno præfatus Innocentius quædam mandata injunxiſſe ſe adverſus Fratres Militiæ Templi ſcribit epiſtola 567. *Magiſtro & Fratribus Hieroſolymitani Hoſpitalis* data die 8. Febr. *ibid. pag. 325. col. 2.* ubi ait: « Quod ſi forte noluerint, venerabilibus » fratribus noſtris Patriarchæ Antiocheno, ar» chiepiſcopo Nazareno, & *Valenienſi epiſcopo* » dedimus in mandatis, ut eos ad præſtandum » hujuſmodi juramentum per cenſuram eccle- B ſiaſticam, appellatione remota, compellant, « &c.» Annus omittitur, quem fuiſſe conjicimus Chriſti 1199. aut 1200.

Idem rurſus fortaſſis, vel ejus ſucceſſor, epiſcopus ille extitit, qui per mendum *Valacienſis* pro *Valanienſi* dicitur in epiſtola 186. lib. x. ejuſdem Innocentii III. *Patriarchæ Hieroſol. A. S. L.* data v. idus (id eſt die 9.) Jan. anno 1207. ſuper proviſione archidiaconatus Antiocheni facienda idoneo viro. In ea enim C epiſtola legitur, *tom. 2. edit. Baluz. pag. 105. col. 1.* « Præterea ſupradictus (Petrus Cardinalis tituli S. Marcelli) legatus Antiochenos « canonicos, quos pro eo quod ordinationi « ſuæ contumaciter reſtiterunt, ſuſpenſionis « primo, & poſtmodum excommunicationis « ſententia innodarat, per *Valacienſem epiſcopum* « & collegas ipſius recepta juratoria cautione, « mandavit abſolvi, &c.»

III. ECCLESIA ARTESIÆ.

URBS tractus Antiocheni, quæ à belli ſacri ſcriptoribus *Artaſium* ſive *Artheſia* dicitur, omiſſa *Arethuſa,* eadem fuiſſe *Arethuſa* videtur, nunc *Fornacuſa* appellata, haud procul ab Apamea, & epiſcopalis ſub archiepiſcopo Apameno. Hanc occuparunt Latini anno, ut videtur, 1097. utpote ante obſeſſam eo ipſo anno Antiochiam: illam enim expeditionem iſti præmittit Albertus Aquenſis, *lib. 3. hiſt. cap. 28.*

EPISCOPI ARTESIÆ.

I. BERNARDUS.

BERNARDUS iſte, Valentiæ in Gallia natus, & Podienſis epiſcopi ſedis apoſtolicæ legati capellanus, eum in expeditione Hieroſolymitana ſequutus eſt. Hunc Daibertus Patriarcha Hieroſolymitanus conſecravit epi- D ſcopum *Artaſii,* teſte auctore hiſtoriæ belli ſacri, apud Mabillonem, *tom. 1. Muſæi Ital. pag. 231.* circa feſtum Paſchæ, dum adhuc viveret rex Godefridus Bullonius, ſubindeque anno 1099. Anno ſequenti primus conſtitutus eſt Antiochenus Patriarcha, de quo vide ſupra *col. 1153.* A.

Digitized by Google

ECCLESIA ALBARIÆ.

II. * * *

Gauterius cancellarius in libro *de bellis Antiochenis* prælium deſcribens Rogeri principis Antiocheni adverſus Turcas, in quo ipſe periit anno 1119. meminit cujuſdam *epiſcopi Arteſii:* extat in volumine cujus titulus *Geſta Dei per Francos*, &c. *pag. 451.* A *lin. 54. Actum*, inquit, *ut vaſa pretioſa & omnis ſuppellex honeroſa, nocte ad turrem Arteſii, epiſcopo commendanda deferrentur*, &c. Et *pag. 452. lin. 8. Princeps publice.... voluptatibus præteritis, præſentibus, & futuris abrenuntiando, Deo & epiſcopo pro lege Domini moriturum, ut decet Chriſtianum, eiſdem galeæ ſuæ laqueis ſe ſervum tradidit*, &c.

IV. ECCLESIA ALBARIÆ.

ALBARA ſive *Albaria* epiſcopalis ſedes erat ſub Apamea metropoli, quam Bernardus primus Antiochiæ Patriarcha ad dignitatem archiepiſcopalem erexit. De ea hæc ſcribit Willelmus Tyrius, *lib. 7. hiſt. c. 8.* « Comes Toloſanus cum ſuo comitatu & multo » pauperum populo egreſſus Antiochia, ne interim otioſus torpeſceret, Albaram urbem » munitiſſimam in Appamienſi provincia conſtitutam, ab Antiochia quaſi duorum dierum itinere diſtantem, obſedit, & obſeſſos in ea cives violenter compulit ad ditionem, &c. » Huic autem epiſcopum præfici ſtatim curavit anno, ut videtur, 1098.

EPISCOPI ALBARIÆ.

I. PETRUS.

PRæfatus Willelmus poſt verba modo relata ſubdit: « Urbe vero capta, & adjacente » ſibi cum univerſis ſuburbanis ſubjecta re» gione, quemdam *Petrum*, Narbonenſem ge» nere, de ſuo comitatu, virum honeſtæ con» verſationis & valde religioſum, in ejuſdem » loci elegit epiſcopum, cui ſtatim dimidium » civitatis & univerſi contulit territorii, Deo » gratias exhibens, quod per ejus operam & » ſtudium Oriens epiſcopum haberet Latinum: C » qui Antiochiam ut ſuæ conſecrationis munus » ſuſciperet, de mandato Comitis profectus, » pontificalis adeptus eſt plenitudinem poteſ» tatis. Poſtmodum vero Antiochena ordinata » eccleſia, per dominum Bernardum ejuſdem » civitatis Patriarcham Latinorum primum, » ſuæ metropolis in eamdem eccleſiam tranſ» tulit dignitatem, ſuſcepto ab eodem pallii genio, factus archiepiſcopus. » Hunc tamen B ejuſque ſucceſſorem appellat Tyrius laudatus ſolummodo *epiſcopum Albarienſem, ibidem capp. XI. XVII. XVIII. XIX. & XX.* & *lib. 9. cap. 1.*

II. WILLELMUS.

Idem Willelmus Tyrius, *lib. 8. cap. 19.* *Willelmum* epiſcopum Albarienſem, Petri ſubinde, quacumque id ratione contigerit, ſucceſſorem, adfuiſſe narrat expugnationi urbis Hieroſolymorum anno 1099. menſe Julio. « Ingreſſus eſt igitur, inquit, Toloſanus Comes, &.... *Willelmus de Sabran epiſcopus Albarienſis*, & alii multi nobiles.... Hi « omnes unanimiter, junctis agminibus, ad « unguem armati, per mediam urbem diſcur- « rentes, ſtragem operati ſunt horrendam, « &c. » De *epiſcopo Albarienſi*, ſive Petro, ſive Willelmo, tacito nomine, frequens mentio occurrit in volumine cui titulus *Geſta Dei per Francos*, puta *pp. 23. 123. 161. 168. 341. 367.* &c.

V. ECCLESIA LARISSÆ.

LARISSA nunc *Laris*, urbs Syriæ, extat inter Apameam, cujus ſuffraganea eſt, & Epiphaniam, habuitque epiſcopos aliquot ritus Latini.

EPISCOPI LARISSÆ.

I. JOANNES I.

F. JOANNES *Faber*, Ordinis Minor. ad eccleſiam Lariſſæ in Syria promotus eſt anno 1437. die 13. Septembris ab Eugenio IV. Papa. Ita Waddingus, *to. 5.* ad eum annum, *num. 34. pag. 320.*

D

II. JOANNES II.

III. WERBOLDUS.

Idem Waddingus, *to. 6.* ad annum 1470. *n. 7. p. 708.* refert mortuo *Joanni* epiſcopo Lariſſenſi ſub patriarchatu Antiocheno ſubſtitutum eſſe à Paulo II. *Fr. Werboldum de Heyſs*, Minoritam, eo anno die 10. Decemb.

Digitized by Google

VI. ECCLESIA MARIAMMES.

MARIAMME urbs eſt ſuffraganea Apameæ in Syria ſub Patriarcha Antiocheno, quam Stephanus *Mariammiam* appellat, & dicit urbem eſſe Phœnicum. De ea vide *tom. 2.* præſentis operis, *coll. 919. 920.*

EPISCOPI MARIAMMES.

I. DIONYSIUS.

II. DURANDUS.

EX Waddingo, *tom. 5.* ad annum 1450. *num. 17. pag. 587. Dionyſio* epiſcopo Mariammes ſub ſede Apameæ mortuo, ad eam eccleſiam evectus eſt à Nicolao V. Papa, *Fr. Durandus Sapelli*, Ord. Min. eo anno die 6. Novembris.

PROVINCIA EUPHRATENSIS.

I. ECCLESIA HIERAPOLIS METROPOLIS.

HIERAPOLIS urbs eſt Syriæ, *Bambyce* Plinio dicta, poſtea *Menba* ſive *Manba* ab Orientalibus nuncupata, & *Menbigium* à Latinis, vulgo *Menbigz*, ſed fere diruta eſt & in vici formam redacta, teſte Gollio in notis ad Alferganum. Ab Aleppo bidui itinere diſtat, & ab Euphrate vix die uno. Hæc Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 480. col. 2.* Vide *tom. 2.* præſentis operis, *coll. 925. 926.* Hierapolim ſubegere Latini exeunte ſæculo XI. vel ineunte ſequenti, eique præfici curarunt ſui ritus archiepiſcopum.

ARCHIEPISCOPI HIERAPOLITANI.

FRANCO.

ANno 1136. circiter, quo agitata eſt in concilio Antiocheno, legato apoſtolico præſide, inthronizatio Radulphi hujus urbis Patriarchæ, ſedebat *Franco* archiepiſcopus Hierapolitanus, qui præfato concilio interfuit, & Patriarchæ cauſam adverſus canonicos totis viribus propugnavit. « Favebant prædicto Patriarchæ, inquit Willelmus Tyrius, *lib. 15. cap. 14.* illius regionis epiſcopi, & tanquam dominum & patrem devote venerabantur, Edeſſanus videlicet, Coricienſis, & *Hierapolitanus* archiepiſcopi, &c. » Et *c. 16.* « *Franco* autem *Hierapolitanus*, & Coricienſis.... domino Patriarchæ ſuum manifeſte præſtabant patrocinium, &c. » Hierapolim amiſerunt Latini ante annum 1152. ſaltem elapſum: nam idem Willelmus Tyrius, *lib. 17. cap. 17.* poſt annum 1148. & ante 1152 ait: « Deceſſerunt itaque eccleſiæ Antiochenæ in partibus illis tres archiepiſcopi, Edeſſanus, *Hierapolitanus*, & Coricenſis, quorum eccleſias etiam nunc infidelitas detinet, & gentilis ſuperſtitio, licet invitas. »

II. ECCLESIA CYRRHI.

CYRRHUS ſive etiam *Cyrrhos*, urbs Syriæ in Cyrreſtica Ptolemæo & Stephano, *Cyrus* quoque à Cyro rege conditore, nunc vero *Quars* ſeu *Carin*, diſtat 45. milliaribus à Zeugma in occaſum hybernum, & totidem ab Euphrate fluvio in occaſum, 25. autem infra Berrœam ſeu Aleppum in ſeptentrionem. Fuit primum epiſcopalis ſub archiepiſcopo Hierapolitano; poſtea metropolis evaſit ſub Patriarcha Antiocheno. Ita Baudrand, *tom. 1. pag. 318. col. 2.* Vide *tom. 2.* præſentis operis, *coll. 929. 930.*

Digitized by Google

ECCLESIA CYRRHI.

EPISCOPI CYRRHI.

I. Petrus.

F. Petrus *de Confleto* vel *Conflitto*, natione Burgundus, Ord. Præd. archiepiſcopus Cyrenſis in Syria, de quo Bernardus Guidonis in epiſcopis provinciæ Græciæ ait: *Fr. Petrus de Confleto, Burgundus, archiepiſcopus Cyrenſis, ſepultus in S. Dionyſio.* Florebat Petrus iſte anno 1271. quo adfuit capitulo generali ſui Ordinis apud Montem-Peſſulanum, ut conſtat ex hujus capituli Actis: poſtea autem archiepiſcopus Cyrenſis A creatus eſt circa annum 1272. Hæc R. P. Bremond, *tom. 1. Bull. p. 538.* ad annum 1272.

II. Siffridus.

Fr. Siffridus, Teuto, Ord. Præd. epiſcopus Cyrrhi, vulgo Quars, ante annum 1459. creatus eſt, quo obiit Theodoricus archiepiſcopus Moguntinus, cujus ſuffraganeus fuit. Adeas R. P. Echard. *tom. 1. Script. pag. 820. col. 1.* & R. P. Bremond, *to. 3. Bull. p. 220.* ad annum 1436.

III.

ECCLESIA VENECOMPONENSIS.

Ecclesiam *Vencoporienſem*, quæ eadem videtur ac *Venecomponenſis* ſive *Venetopolitana*, ſed aliàs nobis ignota eſt, ait Waddingus infra laudandus eſſe in Armenia ſub archiepiſcopo Sergiopolenſi. Porro Sergiopolis, teſte Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 229. col. 1.* urbs eſt Syriæ in Euphrateſia provincia ad Euphratem fluvium, ſic à S. Sergio martyre dicta, quum antea Barzalium nuncuparetur, à Juſtiniano Imperatore inſtaurata, & ſita inter Melitam ad ſeptentrionem, & Samoſatam ad meridiem, non longe à Sura. Olim epiſcopalis erat ſub Hierapoli, ſed poſtmodum in ſedem archiepiſcopalem erecta eſt, cui ſubinde probabiliter inter ſuffraganeas aſſignata eſt eccleſia Venecomponenſis.

EPISCOPI VENECOMPONENSES.

I. Articus.

Valerius Muſcheta, Ordinis Præd. in vita B. Joannis Vicentini, ejuſdem Ordinis, quæ extat apud doctiſſimos Bollandiſtas, *tom. 1.* Julii ad diem ſecundam, inter præſules Dominicanos ex cœnobio Tarviſino aſſumptos nominat, *cap. 3. pag. 476. n. 33. col. 1.* B. *Fr. Articum Bandachinum epiſcopum Venetopolitanum* (qui) *deceſſit anno 1326.*

II. Bonifacius.

Daniel à V. M. *to. 2. Spec. Carmel. p. 915. num. 3186.* ſcribit hoc legi epitaphium in templo Carmelitarum Venetiis: *Hic jacet venerabilis P. & D. frater Bonifacius Ordinis divæ Mariæ de Carmelo, epiſcopus Venecomponenſis, qui obiit anno 1374.* (die) *26. menſis Aprilis.*

III. Conradus.

Idem Daniel à V. M. *ibid. p. 916. n. 3191.* aliud refert epitaphium, quod extat in baſilica Carmelitarum Colonienſium. Eſt hujuſmodi: *Anno Domini 1433. die ultima menſis Julii, obiit quondam R. P. & DD. Conradus de Arnſberg, Dei gratia epiſcopus Venecomponenſis, Ordinis Carmelitarum, reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri D. Theodorici de Morſa, eadem gratia S. Colonienſis eccleſiæ* B *archiepiſcopi in pontificalibus vicarius generalis, hic ſepultus*, &c. Electus fuit anno 1397.

IV. Joannes.

Ex Waddingo, *tom. 5.* ad annum 1434. *num. 5. pp. 263. & 264. Venecoporienſis* (eccleſiæ) *in Armenia ſub archiepiſcopo Sergiopolis* (ſedis) *Fr. Joannes Slethter* (Minorita) *ſacræ theologiæ profeſſor, per obitum Conradi* (diplomate Eugenii IV.) *Apoſtolatus officium,* C *VI. kal. Nov. anno IV.* (id eſt die 27. Octob. anno 1434.) quod exhibet idem Waddingus, *ibid. in Regeſto Pontif. pag. 217.*

V. Henricus.

Henricus de Rubenach (Ord. Præd.) epiſcopus Venecomponenſis, ſacræ theologiæ magiſter, Roberti Bavari archiepiſcopi Colonienſis ſuffraganeus ab anno 1458. Roberto D abdicante, & ipſe abdicavit: deinde Coloniæ legit publice theologiam, & decanus fuit gymnaſii theologici, & obiit anno 1484. Sepultus ad Prædicatores. Sic Heiſter *in ſuffraganeis Colonienſibus, pag. 98.* à noſtris *de Ravennato* vel *Rivenio* corrupte dictus. Hæc R. P. Echard. *in indice epiſcopor. initio tom. 2. Script. p. 25. col. 1.* Ejus meminit Fontana *Theat. Dom. p. 67. tit. 27. num. 2.* & *p. 318. tit. 622.*

Digitized by Google

PROVINCIA CILICIÆ PRIMÆ.

ECCLESIA CORYCI METROPOLIS.

CORYCUS, urbs Ciliciæ in Aſia minori, quæ à quibuſdam *Corycium* dicitur, nunc *Carachiſar* Turcis, *Churco* & *Churc* nautis, in Caramania regione, cum portu capaci & arce munita in ora maris Cilicii, 25. milliaribus diſtat à Pompeiopoli in occaſum, 60. à Tarſo (cujus ſuffraganea fuit) & 46. ab ora proximiori Cypri inſulæ in ſeptentrionem. Ita Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 303. col. 1.* Vide *tom. 2.* præſentis operis, *coll. 879. 880.* Hanc urbem cum omni regione occupaverant Franci & Latini ſub finem ſæculi XI. vel initio ſequentis, ſedemque archiepiſcopalem ad honorem conſtituerat Patriarcha Antiochenus, ſed medio eodem ſæculo in Turcarum poteſtatem unà cum Edeſſa & Hierapoli rediit, ut paulo ſupra obſervatum eſt ex Willelmo Tyrio, *lib. 17. hiſt. cap. 17.*

ARCHIEPISCOPI CORYCI.

GERARDUS.

IN concilio Antiocheno pro cauſa Radulphi I. ipſi patrocinatus eſt *Gerardus Coriciensis archiepiſcopus,* teſte præfato Willelmo Tyrio, *lib. 15. capp. 14. & 16.* Vide ſupra, ubi de Francone archiepiſcopo Hierapolitano, *col. 1193.* B.

PROVINCIA CILICIÆ SECUNDÆ.

ECCLESIA MAMISTRÆ METROPOLIS.

MAMISTRA ſive *Malmiſtra,* ipſa eſt *Mopſueſtia* urbs Ciliciæ in Aſia minori, quæ *Mopſus* Plinio dicitur. In mediterraneis extat ad Saronem fluvium, à quo in duas partes dividitur, veterem & novam. Hæc Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 677. col. 1.* Vide *to. 2.* præſentis operis, *coll. 889. 890.* Obſervandum autem, *col. 891.* ubi de Theodoro II. epiſcopo Mopſueſtiæ, *lin. 10.* B. delendam eſſe vocem *Sedebat.* Ea urbs in poteſtatem Latinorum venit, antequam Antiochiam obſiderent anno 1097. Hanc ad ſedem epiſcopalem evexit Patriarcha Antiochenus.

ARCHIEPISCOPI MAMISTRÆ.

I. BARTHOLOMÆUS.

ANno 1100. circa feſtum Paſchæ, Daybertus Hieroſolymitanus Patriarcha præſules quatuor conſecravit, inter quos fuit *Bartholomæus* pro eccleſia Mamiſtræ. Ita auctor hiſtoriæ belli ſacri, *tom. 1. Muſæi Ital.* Mabillon. *num. 135. pag. 231.* Hic ſubinde fuit *epiſcopus* ille *de Mamiſtra,* quem Albertus Aquenſis, *lib. 9. cap. 16.* affuiſſe ait cuidam concilio Hieroſolymitano adverſus præfatum Daybertum Patriarcham coacto prioribus ſæculi duodecimi annis.

II. RADULPHUS.

Radulphus iſte, de quo jam mentionem fecimus inter Antiochenos Patriarchas ritus Latini, *col. 1155.* D. utpote qui eam ſedem obtinuit anno 1134. aut 1135. poſt obitum Bernardi Patriarchæ primi, ex eccleſia *Mamiſtrana* ad hanc patriarchalem tranſivit.

III. * * *

Inter regum & principum epiſtolas XXVIII. quæ extant in volumine dicto *Geſta Dei per Francos,* à *pag. 1172.* uſque ad *pag. 1185.* epiſtola 4. quæ eſt Amalrici Hieroſolymorum ab anno 1162. regis, ad Ludovicum VII. regem Franciæ ſcripta, hujus latorem indicat *archiepiſcopum Mamiſtræ.* « De cætero, inquit rex Amalricus, *pag. 1174. lin. 20.*

Digitized by Google

» veſtræ commendamus paternitati præſen- A
» tium latorem magnæ honeſtatis virum &
» venerabilem *Mamiſtriæ archipræſulem*, ad
» omnia bene agenda ſtrenuum, quatinus
» eum benigne recipiatis, & ei ſicut ori
noſtro credatis, &c.» Idem Amalricus in epiſtola 9. *ibid. pag. 1176.* auxilium petens à præfato Ludovico, ait: «Et negotii illius
» pro quo venerabilis *archiepiſcopus Mamiſ-*
» *trenſis* Galliarum partibus deſtinatus eſt, me-
» mores ſitis, quoniam in inſtanti plus quam
» lingua queat exprimi, neceſſe eſt fieri. Præ-
» terea ex quo *Mamiſtrenſis archiepiſcopus* à B
nobis diſceſſit, &c.»

I V. N.

V. * * *

Innocentius III. epiſtolis 50. & 502. lib. I. *tom. I. edit. Baluz. pp. 29. & 287.* meminit cujuſdam archiepiſcopi Tharſenſis *N.* (fortaſſis *Nicolai*) qui ab Antiocheno Patriarcha, prædeceſſore illius Patriarchæ ad quem tunc ipſe anno circiter 1198. ſcribebat, ad *Mamiſtranam* eccleſiam propria auctoritate tranſlatus fuerat. Vide ſupra de eo inter epiſcopos C Tharſenſes, *col. 1183.* A. B.

Alter fortaſſis ab eo fuit *archiepiſcopus* ille *Mamiſtanus*, de quo idem Innocentius laudata epiſtola 50. hæc loquitur: «Sciturus,
» quod nos ab exauditione petitionis quam
» pro *venerabili fratre noſtro archiepiſcopo Mamiſtano* porrexeras, revocavit, &c.»

V I. * * *

Quum anno 1224. Armeni Tarſenſem & *Mamiſtanum* archiepiſcopos, cæteroſque earum regionum clericos expuliſſent, Honorius III. Papa injunxit Hieroſolymitani Patriarchæ ſuffraganeis, ut eorum catholicon, alioſque Armeniæ proceres pro viribus inducerent ad reſtituendas illis archiepiſcopis & capitulis ſuas eccleſias. Epiſtolam hanc, datam eo anno die 17. Decembris, exhibet Raynaldus, *tom. 13. annal.* ad illum annum, *num. 27.*

VII. * * *

Idem Raynaldus, *ibid.* ad annum 1238. *num. 34.* ſcribit à Gregorio IX. injunctum Apamienſi & *Mamiſtano* archiepiſcopis, epiſtola data hoc anno die 26. Jun. ut Armeniæ catholicon, qui Antiocheni patriarchatus ſe ſubſtrahebat obſequio, ad officium revocare conarentur.

VIII. CONSTANTINUS.

Clemens V. in epiſtola quam Gregorio Patriarchæ & Leoni regi Armenorum de copiis auxiliaribus ad eos trajecturis ſcripſit anno 1306. die 2. Jul. apud præfatum Raynaldum, *to. 15.* ad eum annum, *n. 13.* *Conſtantinum archiepiſcopum Mamiſtanum* commemorat. «Sicut primo, inquit, per venerabilem fratrem noſtrum *Conſtantinum archiepiſcopum Mamiſtanum*, & deinde per dilectos « filios magiſtrum Joannem Antiochenum, & « Colozanum, & Ægidium nuntios veſtros « accepimus, &c.»

PROVINCIA

PROVINCIA CYPRI.

HIS quæ de Cypro inſula fuſe dicta ſunt *tom. 2.* hujus operis, *coll. 1037. 1038. & ſeqq.* & *coll. 83. & 84.* præſentis *tom. 3.* ſubjungenda duntaxat ducimus pauca quædam ex Baudrand, *tom. 1. geogr. p. 317. col. 2.* «*Cyprus*.... multis olim nominibus appellata (eſt) teſte Plinio, *Acamantis, Amathuſa, Aſpelia, Ceraſtis, Colinia, Cryptus* & *Macaria.* Extenditur (vero) ab ortu in occaſum, inter mare Cilicium ad ſeptentrionem, (mare) Syriacum ad ortum, (mare) Ægyptiacum ad meridiem, & (mare) Pamphilium ad occaſum. Ejus longitudo eſt 220. milliar. inter Acamantem promontorium occidentale, & Clides promontorium orientale: latitudo vero eſt 60. milliarium. Dicta fuit etiam *Chitim* & terra *Citim,* ut Ziegletus ſcribit, & *Chetima* à Joſepho; (nunc).... *Kubros* Turcis (&) *Kubrus* Arabibus (nomen habet,) 75. milliar. diſtans ab ora Syriæ in occaſum, & vix 50. ab ora Ciliciæ & Amathus, Salamis & Paphos: nunc totius inſulæ caput eſt Nicoſia, olim Leucoſia.... Hæc inſula habet duas urbes metropoles, ſive archiepiſcopales ſecundum alios, unam Græcorum, quæ olim *Salamis* & poſtea *Conſtantia* dicta eſt, cui epiſcopi ſuffragabantur quatuordecim, &c. alteram Latinorum, (ſcilicet) *Leucoſia* ſive *Nicoſia,* cui ſuffragantur *Hamacoſtos* (ſive *Famagoſta*) *Paphos,* & *Neapolis* (Nimeſi) epiſcopatus Latini, &c.» Quibus etiam addenda videtur *Ceraunia* ſive Gallicè *Cerines,* ob nonnullos ejus Latini ritus præſules.

I. ECCLESIA NICOSIÆ METROPOLIS.

DE Nicoſia urbe hæc tradit præfatus Baudrand, *tom. 2. pag. 23. col. 2.* «*Nicoſia*.... urbs Cypri inſulæ, archiepiſcopalis & permunita, in meditullio inſulæ.... in planitie admodum irrigua, 36. milliar. diſtans à Famaguſta in occaſum, & 30. à Pedalio promontorio in ſeptentrionem.» Olim *Leucoſia* nuncupabatur, *Ledra* quoque plurali numero ſive *Ledrum,* & *Leutheon,* ut præfato *tom. 2.* præſentis operis, *coll. 1075. 1076.* obſervatur. Hæc totius regni Cyprii caput facta eſt à Guidone Luſinianorum regum primo, qui obiit anno 1194. Scribunt quidem Stephanus Luſinianus *hiſt. gener. regni Cyprii cap. 19. fol. 85.* & Henricus Giblet, *pag. 31.* Aliſiam uxorem Hugonis I. regis Cypri, dum ipſe abſens erat, adverſus Turcas bellum gerens, legatum miſiſſe cum litteris ad Innocentium III. & ſynodum Lateranenſem, quibus enixe petebat ut, quemadmodum olim, Salamina deſtructa, ſedes ejus archiepiſcopalis ad urbem Famaguſtam tranſlata fuerat, ſic quoque ex ea ad urbem Nicoſiam transferretur; quod conſequuta eſt: verum tranſlationem hanc eſſe antiquiorem, & in ipſis fortaſſis regni Cyprii exordiis ſub Guidone, vel ejus fratre ac ſucceſſore Amalrico Hugonis I. patre obtentam, arguere videtur de *archiepiſcopo Nicoſienſi* mentio non ſemel occurrens ante annum 1215. ut ex modo dicendis palam fiet: quamvis præfatam tranſlationem in ſynodo Lateranenſi confirmari potuiſſe non inficier.

ARCHIEPISCOPI NICOSIÆ.

I. * * * *Durandus electus.*

II. * * *

RAYNALDUS, *tom. 13.* ad annum 1206. *num. 6.* refert *Nicoſienſem archiepiſcopum* hoc ipſo anno in jus vocatum eſſe ab Innocentio III. epiſtola 145. lib. IX. ut cognoſceretur an Conſtantinopolitano Patriarchæ ſubjici deberet, an non. Is autem probabiliter Latinus fuit, primuſque hujus ritus in inſula Cypro archipræſul, qui obiit ante annum 1211. elapſum.

A *Durandus* quippe eccleſiæ Nicoſienſis theſaurarius in archiepiſcopum à capitulo ejuſdem eccleſiæ eo anno electus eſt; ſed quia vir quidam nobilis aliquid contra eum ſcripſerat ad Innocentium III. quod ipſe electus falſum eſſe proteſtabatur, Papa commiſit Patriarcham Hieroſolymitanum, qui ea de re diligentius inquireret; ſi vero deprehenderet inſontem, illum faceret conſecrari, pallioque quod illi mittebat, eumdem ornaret. Epiſtola eſt 134. lib. XIV. data die 30. Decemb. anni 1211. *tom. 2. edit. Baluz. p. 570.*

BIBLIOTECA DERECHO

Digitized by Google

col. 2. Hanc tamen electionem irritavit Patriarcha, *non perſonæ, ſed electionis vitio,* verba ſunt Papæ in epiſtola 206. lib. XV. *capitulo Nicoſienſi* data die 15. Januarii anno 1212. *pag. 706. col. 1.* cujus hanc rationem ipſe profert epiſtola 204. *illuſtri regi Cypri* data die 13. Jan. *p. 705. col. 2. Ecce Nicoſienſem eccleſiam tam duræ conditionis ſubicere* (ſubjicere) *jugo laboras, quod ei non pateris per electionem canonicam de perſona idonea provideri, ejuſdem canonicis eligendi neceſſitatem indicens illum quem de duobus tibi nominandis ab ipſis tu primo duxeris eligendum,* &c.

Porro niſi Durandus iſte iterum electus ſit eo anno 1212. alius fuit nobis ignotus, quem & ejus epiſcopos Innocentius III. vocavit ad concilium Lateranenſe litteris ſuis encyclicis, datis anno 1213. die 19. Aprilis. *In eodem modo* (archiepiſcopo & epiſcopis) *per Cyprum* (conſtitutis) *tom. XI. conc. Labb. part. 1. col. 125.* B.

III. Euſtorgius.

Euſtorgius, ex Stephano Luſiniano *in viris illuſtribus,* conſecratus fuit ab Innocentio III. eo anno in concilio Lateranenſi archiepiſcopus Nicoſienſis, qui ſubinde archiepiſcopus ille Nicoſienſis fuiſſe videtur, quem Jacobus de Vitriaco, *lib. 3. hiſt. Hieroſ.* refert ad annum 1217. tranſiiſſe cum pluribus aliis epiſcopis in Terram-Sanctam. Anno autem ſequenti ipſe cum Joanne rege Hieroſol. Duce Auſtriæ, Patriarcha item Hieroſolymitano, aliiſque præſulibus ſcripſere de obſidione Damiatæ à Latinis epiſtolam, cujus fragmentum tradit Raynald. ad annum 1218. *num. 6.* De eo Euſtorgio hæc ait etiam Albericus in chronico ad annum 1219. *part. 2. p. 505.* « Epiſcopo Roberto de Podio occiſo ſuccedit Bernardus de Monteacuto, nepos ex fratre *Euſtorgii de Alvernia Nichoſienſis archiepiſcopi,* & epiſcopi (Limiconienſis) Fulconis, &c.» Et infra ad annum 1239. *p. 574.* de ejus morte. « Mortuus eſt archiepiſcopus Nicoſienſis in Cypro *Euſtorgius,* qui fratrem habuit Fulconem Limiconienſem epiſcopum.» Legendus Raynaldus ad annum 1222. *num. 10.* ad annum 1225. *num. 9.* & ad annum 1226. *num. 57.*

IV. Elias I.

Euſtorgium probabiliter excepit *Elias,* de quo, tacito nomine, hæc nos docet Raynaldus præfatus ad annum 1240. *num. 44.* « *Archiepiſcopus Nicoſienſis* apoſtolico juſſu, ut Græcum clerum in Cypro ad hæreſim omnem evomendam, atque ad ſedis apoſtolicæ accipienda imperia impelleret, egregiam operam navarat, reluctantibuſque anathema intentarat. At Græci clerici, petito ad deliberandum ſpatio, magna ex parte expilatis eccleſiarum ſuarum ac monaſteriorum opibus, in Armeniam profugerant, atque anathema in eos intorſerant, qui Latino archiepiſcopo parerent. Qua de re admonitus Nicoſienſis archiepiſcopus, Romanum Pontificem (Gregorium IX.) quid facto opus eſſet conſuluit; qui illi ut viduis eccleſiis idoneos paſtores præficeret imperavit.» Epiſtolam Papæ refert, *num. ſeq.* datam eo anno die 13. April. Idem narrat ad annum 1248. *num. 33.* quum S. Ludovicus rex Francorum in Palæſtinam iter dirigens, ad inſulam Cyprum eo anno applicuiſſet, Græcum archiepiſcopum hujus inſulæ, qui ſe à *Latini archiepiſcopi* obſequio ſubduxerat, eſſe reverſum, atque alios qui anathemate defixi fuerant, in eccleſiæ gratiam reſtitutos, & ad gaudii publici cumulum, Sarracenos plures qui in vinculis tenebantur, poſt ardentiſſimas eorum preces undis baptiſmalibus luſtratos.

Tom. XI. conc. Labb. part. 2. col. 2400. A. extat conſtitutio Heliæ archiepiſcopi Nicoſienſis, de Canonicis ſupernumeratis, quæ ſic incipit: « In nomine Domini. Amen. Nos frater *Helias,* Dei & apoſtolicæ ſedis gratia, *archiepiſcopus Nicoſienſis,* &c.» Et infra *ibid.* D. E. « Ordinationes ſeu inſtitutiones D. Odonis Tuſculani epiſcopi, A. S. L. in regno Cypri anno 1248. Conſiderantes, &c. tam venerabilem P. *E.* (Eliam) *archiepiſcopum....* adſtrinximus juramento, &c. Actum anno 1248. menſe Martio.» *Ibid. col. 2405.* C.

Anno 1250. Cyprii Græci plures à fidelium communione alieni Innocentio IV. ſe ſubjecerunt, quibus ille nonnulla beneficia expoſcentibus, ſcilicet ut ſuæ nationis præſules quatuordecim epiſcopatibus, pro more antiquo, præficerentur, nec ſubeſſent Latinis præſulibus, ſed pari cum ipſis libertate ſedi apoſtolicæ tantum eſſent obnoxii, hæc liberaliter indulſit. Ita idem Raynaldus ad annum 1250. *num. 41.* ubi & profert epiſtolam Pontificis, epiſcopo Tuſculano (Odoni) A. S. L. ea de re datam illo anno die 21. Jul. Obiit Elias eodem anno, vel initio ſequentis 1251.

V. Hugo.

Hugo iſte archiepiſcopus Nicoſienſis erat initio anni 1251. nam *tom. XI. conc. Labb. part. 2. col. 2400.* A. in fine cujuſdam conſtitutionis, qua declarantur & denuntiantur excommunicati, habetur: « Recitata ſunt prædicta populo in magno cœmeterio Nicoſienſis eccleſiæ, in die Palmarum, tempore *D. Hugonis Nicoſienſis electi* conſecrati anno Domini 1251. Non. idus April. (Fortaſſis redundat vox *idus,* & legendum *Nonis* April.

Digitized by Google

A id eſt die 5. menſis hujus: in nullo enim menſe plures numerantur idus quam VIII.) Extat etiam, *ibid. col. 2382.* B. ſtatutum legati Odonis, *venerabili P. H. Dei gratia archiepiſcopo Nicoſienſi: Odo,* &c. *datum in Joppe anno Dom. 1252. Nonis* (id eſt die 5.) *Jan.* Item aliud, *Nihilominus,* &c. *datum in Joppe anno D. 1252. IV. Non.* (id eſt die 4.) *Mart. ibid. col. 2383.* A. B. Item anno Domini 1253. XIV. kal. Jul. (id eſt die 18. Jun.) in ſynodo ab eodem D. Hugone Nicoſienſi archiepiſcopo in Nicoſiæ eccleſia publicatæ B fuerunt duæ conſtitutiones, &c. *ibid.* B. C. Item *col. 2405.* C. « Conſtitutio Odonis legati contra Simoniacos lata in concilio provinciali Syriæ anno 1254. cujus initium: *Venerabili in Chriſto P. H.* (Hugoni) *Dei gratia archiepiſcopo Nicoſienſi, vel ejus vicariis,* &c. » Finis autem: « *Actum in Accon anno Dom. 1254. VIII. idus* (id eſt die 6.) *Aug.* » *ibid. col. 2409.* C. De eo vide inſuper *coll. 2384.* D. E. *2385.* E. & *2386.* C.

Hujus Hugonis tempore gravis inter ipſum & Germanum, Græcorum ejuſdem inſulæ C archiepiſcopum, exarſit controverſia de Latini metropolitæ auctoritate in Græcos Cyprios. Germanus quippe ſe legitime electum à Græcis epiſcopis de licentia Innocentii IV. Papæ contendebat: id è contra inficiabatur Hugo, aſſerens poſt ſubactam à Latinis Cyprum inſulam, unam ejus metropolim eſſe à Cœleſtino III. inſtitutam, cui cæteri epiſcopi, tum Latini, tum Græci parerent: unde Germanum ut contra leges promotum archiepiſcopali gradu deturbabat. His autem petitus injuriis Græcus antiſtes, ad Alexandrum D IV. anno 1260. confugit; qui, cognita cauſa, Hugoni quidem indulſit, ut poſt Germani obitum ſive ceſſionem nullus deinceps metropolita Græcus ejus in locum ordinaretur, quatuor etiam ſolummodo Græci ritus epiſcoporum ſedes forent, *Solienſis* nimirum in diœceſi Nicoſienſi, *Arſinoënſis* in Paphenſi, *Carpaſienſis* in Famaguſtana, & *Leucarenſis* in Nimoſienſi: hi vero ſpeciali ſacramento Latinorum epiſcoporum clientes ſe profiterentur. At Germanum, quandiu ſuperſtes eſſet, archiepiſcopi Græcorum honore & ju- E ribus potiturum; ſic tamen ut vel in urbe Soliorum, cujus præſul ad urbem Arſinoën tunc vacantem tranſiret, vel in monaſterio S. Barnabæ Solienſi moraretur. Conſtitutionem Alexandri Papæ, ea de cauſa datam anno 1260. die 3. Jul. legere eſt *tom. XI. conc. Labb. part. 2.* à *col. 2352.* C. ad *col. 2359.* C.

VI. Raphael.

Hugoni ſucceſſiſſe videtur *Raphael,* cujus una conſtitutio pro inſtructione Græcorum, his verbis incipiens: *Ecce iſti de longe venient,* &c. refertur eodem *tom. XI. Labb. col. 2386.* E. Plura capitula continet ſancita in quodam concilio provinciali, cui præfuerat iſte Raphael: nam in concluſione legitur, *ibidem col. 2388. Hæc & multa alia conſiderantes nos Raphael, miſeratione divina Nicoſienſis archiepiſcopus,* &c. Tacetur autem quo anno ea edicta fuerint. Fortaſſis fuerit archiepiſcopus ille Nicoſienſis, de quo ita loquitur Raynaldus ad annum 1264. *n. 66.* « Diuturnas Græcos inter ac Latinos regni Cypri præſules controverſias deciderat Alexander (IV.) ſed Græci ac Syri non ſtetere pontificiæ ſententiæ, atque à *Nicoſienſi archiepiſcopo* inſulæ metropolita defecere: quumque archiepiſcopus infanda crimina, quæ Nicoſiæ patrabantur, plectere meditaretur, magiſtratuumque auxilio deſtitutus, impunita relinquere cogeretur, vitia in dies pullulabant. Quo audito, Pontifex (Urbanus IV.) ad regiæ aulæ procuratorem ac proceres ſcripſit, ut archiepiſcopo Græcos Syroſque ad officium revocanti, immaniaque crimina..... punienti opem explicarent; ni facerent, ſe archiepiſcopi eorum auxilio deſtituti in eos latas ſententias firmas juſtaſque habiturum.» Partem epiſtolæ Pontificis exhibet ibid. Raynaldus.

VII. Ranulphus.

VIII. Joannes I.

Sede Nicoſienſi vacante per obitum *Ranulphi* ejus archiepiſcopi, Nicolaus IV. duobus rejectis qui à capitulo, ſuffragiis diſſidentibus, electi fuerant, *Joannem,* Minor. renuntiavit hujus eccleſiæ præſulem anno 1288. die 20. Octobris. Ita Waddingus, *tom. 2.* ad hunc annum, *num. 37. pag. 542.* qui diploma, *Sponſo cœleſti* profert, *ibid. in Regeſto Pontif. pag. 182.*

IX. Gerardus.

Joanne, illo probabiliter quem modo memoravimus, ad Turritanam eccleſiam ex Nicoſienſi tranſlato anno 1295. ut habet Ughellus, *tom. 2. col. 1052. num. 16.* D. *vet. edit.* in ejus locum aſſumptus eſt *Gerardus,* qui anno 1298. ſynodum provincialem Nimocii celebravit die 22. Septemb. ejuſque acta promulgavit ibidem die ſequenti. Vide *tom. XI. conc. Labb. part. 2. coll. 2409.* D. *& 2417.* E. Hujus meminit, tacito nomine, Bonifacius VIII. in epiſtola Henrico regi Cypri data anno 1299. die 10. Junii apud Raynaldum ad eum annum, *num. 38.* Is anno 1303. in Galliis morabatur, regiſque Philippi Pulchri adverſus Papam ſimultatum habebatur fautor, propter quod Bonifacius, diplomate dato eo anno Anagniæ die 15.

Digitized by Google

ECCLESIA NICOSIÆ.

Aug. eumdem ab adminiſtratione bonorum omnium ſpiritualium & temporalium eccleſiæ Nicoſienſis ſuſpendit. Diploma illud, in quo appellatur *Gerardus*, tranſcripſit idem Raynaldus ad eum annum, *num. 37.* Non alius ab eo fortaſſis fuit archiepiſcopus ille *Nicoſienſis*, quem Clemens V. litteris encyclicis, datis anno 1307. die 12. Aug. invitavit ad concilium Viennenſe, *tom. XI. conc.* ſupra cit. *col. 1548.* C. *Nicoſienſi* & Paphenſi; quem etiam aliis litteris, datis anno 1311. die 29. Aug. quas exhibet præfatus Raynaldus ad eum annum, *num. 53.* de cauſa Templariorum certiorem fecit.

X. JOANNES II.

Joannes de Polo, quem Ughellus *de Provincialibus* cognominat, *tom. 3. Italiæ ſac. col. 528. num. 54.* B. C. *veter. edit.* Piſanus, Ord. Præd. ad ſedem Piſanam evectus eſt anno 1299. die 13. Febr. à Bonifacio VIII. & ex ea ad Nicoſienſem in Cypro tranſlatus à Clemente V. anno 1213. die 10. Maii. Has autem ex ejuſdem eccleſiæ Nicoſienſis conſtitutionum codice mſ. optimæ notæ refert Labb. *tom. XI. conc. part. 2.* à *col. 2424.* B. ad *col. 2431.* C. D. ſcilicet anno 1320. die 7. April. conſtitutiones 19. Anno 1321. die 17. Jun. alias conſtitutiones. Anno 1323. die 31. Auguſti alias. Denique anno 1325. die 30. Mart. alias conſtitutiones. Ita R. P. Echard. *tom. 1. Script. pag. 559.* ad annum 1325. *coll. 1. & 2.* qui ſupra, *p. 418.* agens de Joanne Columna archiepiſcopo Meſſanenſi, ad annum 1290. obſervat Stephanum Sampayo deluſum ex Laurentio Pignon male intellecto, alios in errorem induxiſſe. Dixit enim Pignon tantummodo, *Fr. Joannes Romanus* (ipſe eſt *Joannes de Polo*, quem *Romanum* nuncupat, eo quod eſſet Romanæ provinciæ alumnus) *fuit archiepiſcopus Nicoſienſis. F. Joannes Columna Provincialis Tuſciæ archiepiſcopus Meſſanenſis.* Sampayo autem utrumque cognominavit *de Columna.* Hinc porro Rochus Pirrus *Sicil. ſac. to. 1. p. 335. num. 5.* poſt Mich. Pio, quem citat, ſcribit *Joannem de Columna*, archiepiſcopum Meſſanenſem, ad *Nicoſiæ* eccleſiam in Cypro inſula anno 1262. tranſlatum eſſe, ibique obiiſſe anno 1264. Joannes quippe de Columna archiepiſcopus Meſſanenſis fuit, at nunquam Nicoſiæ. *Giovanni dal Conte Arciveſcovo di Cypro* meminit Henricus Giblet, *pag. 290.* ad annum 1324. qui ſubinde ipſe eſt, quem nunc laudamus. Obiit anno 1332.

XI. HELIAS II.

Helias de Nabinallis, Ordinis Min. Gallus Petragoricenſis, poſt Joannis obitum in Nicoſienſem archiepiſcopum electus eſt anno 1332. die 16. Novembris. Ita Waddingus, *tom. 3.* ad eum annum, *num. 7. pag. 392.* qui etiam diploma Joannis XXII. *Militanti* refert *in Regeſto Pontif. pag. 227.*

Tom. XI. conc. Labb. part. 2. col. 2431. E. extat hujus Heliæ Nicoſienſis archiepiſcopi conſtitutio ſine nota temporis: incipit, *Quum laudandæ*, &c. quam ſubſequuntur acta concilii Nicoſiæ celebrati ab Helia archiepiſcopo, ejuſque ſuffraganeis anno 1340. Initium eſt, *col. 2432.* B. C. « Congregato & convocato provinciali concilio regni Cypri in aula archiepiſcopatus Nicoſienſis per R. in Chriſto P. & DD. Fr. Heliam, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia archiepiſcopum Nicoſienſem, metropolitanum regni prædicti, unà cum ſuffraganeis ſuis RR. in Chriſto PP. dominis Odone Paphenſi, Lambertino Nimocienſi, & Fr. Marco Famaguſtano & Anteradenſi epiſcopis; & præſentibus, & eidem concilio intereſſentibus venerabilibus in Chriſto Patribus Fr. Leondio de Solia Nicoſienſis, Fr. Matthæo de Larſino Paphenſis, Fr. Clemente de Leſcara Nimocienſis, & Fr. Michaele de Carpaſio Famaguſtanæ diœceſum Græcorum epiſcopis; & Fr. Georgio Maronitarum (*Georgius* hic Maronitarum præſul in inſula Cypro, omiſſus fuit inter antiſtites Maronitarum, *col. 83.* C. hujus tomi, ubi locum habere debuerat, ante *Joannem* qui primus recenſitus eſt Maronitarum archiepiſcopus) & Fr. Gregorio Armenorum præſulibus & epiſcopis; & aliarum nationum, videlicet Neſtorinorum & Jacobitarum rectoribus; & aliorum clericorum Latinorum & Græcorum & dictarum nationum multitudine copioſa: præfatus D. archiepiſcopus, &c. » Deinde *col. 2433.* A. legitur: « Confeſſio fidei, *Quoniam in regno Cypri*, &c. » Qua recitata, ſubjungitur, *col. 2435.* E. « Memorati Græcorum, Maronitarum & Armenorum epiſcopi, & præmiſſarum aliarum nationum majores pro ſe & ſubditis ſuis, intellectis omnibus & ſingulis ſupradictis, & ſuper ſingulis articulis fidei, &c. Singuli ſingulariter, & univerſaliter univerſi.... clare, aperte, diſtincte, & ſingulariter & explicite recognoverunt.... & devota confeſſione profeſſi, illa omnia & ſingula in dicti ſcripti ſerie comprehenſa vera eſſe, & quod illa omnia & ſingula firmiter credebant.... quod ita erat ab omnibus catholicis abſque dubietate credendum, & quod ſacroſancta Romana eccleſia erat mater omnium fidelium, & magiſtra ſuper omnes eccleſias plenum principatum obtinens & primatum; & quod SS. in Chriſto P. D. Benedictus, divina Providentia Papa XII. ſucceſſor B. Petri, & in terris vicarius J. C. erat cunctorum

Monitum.

» fidelium pater, & paſtor, & dominus, cui » ſinguli prælati eccleſiarum omnium debent » reverentiam humilem, ipſique reverentiam » eidem & obedientiam promittebant. Petentes » humiliter quod eis liceret in ſuis ritibus fidei » non contrariis permanere, ac deprecantes » dictum D. archiepiſcopum, ut devotionem » eorum intimare domino ſummo Pontifici dignaretur, &c.» *ibid. col. 2436.* A. B. « Lectæ, » &c. Et ſcriptum per me Notarium infra » ſcriptum ſub anno à nativitate Domini 1340. Indict. VIII. die Lunæ 17. menſis Januar.» *ibid. col. 1439.* B. C. De eo Helia intelligendus eſt Raynald. *to. 16.* ad annum 1335. *num. 35.* & ad annum 1336. *num. 41.* quem reipſa *Eliam* appellat ad annum 1338. *n. 71.* additque ad annum 1342. *num. 24.* à Clemente VI. Hieroſolymorum Patriarcham creatum, relicta nihilominus ipſi eccleſiæ Nicoſienſis adminiſtratione: legendus quoque Waddingus, *tom. 3.* ad annum 1342. *num. 4. pag. 480.* qui etiam diplomata Clementis VI. *Romana eccleſia* & *Cum eccleſiarum,* data die 12. Jul. eo anno exhibet, *ibid. in Regeſto Pontif. pag. 265.* Eodem rurſus anno die 20. Septembris Helias renuntiatus eſt Cardinalis, & demum obiit anno 1367. die 4. Octobris.

XII. Philippus I.

Heliæ ſucceſſit in ſede Nicoſienſi *Philippus,* qui an. 1350. & ſeqq. conſtitutiones 4. edidit legendas *tom. XI. conc. Labb. part. 2. coll. 2439.* D. *&* *2441.* A. B. C. Raynaldus ad annum 1350. *num. 37.* epiſtolam Clementis VI. tranſcribit, datam *venerabili fratri Philippo archiepiſcopo Nicoſienſi* eo anno die 16. Septemb. qua ipſi injungebat ut errores quoſdam ab Armenis ejurari curaret. Anno ſequenti 1351. eidem ejuſque ſuffraganeis epiſcopis mandavit epiſtola, data die 22. Septembris, ut ſapientem aliquem virum catholicæ fidei ſtudio ſuccenſum ad Armenorum Catholicum abſque mora tranſmitterent, ex eodem Raynaldo ad hunc annum, *num. 19.* qui etiam ad annum 1353. *num. 25.* epiſtolam refert Innocentii VI. datam *venerabili fratri Nerſes archiepiſcopo Maneſguerdenſi* die 1. Octob. hujus anni, in qua Philippi archiepiſcopi Nicoſienſis meminit.

XIII. Raymundus.

Anno 1367. *Raymundus* iſte ſedebat Nicoſienſis archiepiſcopus, quem, præfato Raynaldo teſte ad eum annum, *n. 14.* Urbanus V. juſſit incumbere opportune importune, precibus, mandatis, blanditiis, minis, apud Petrum regem Cypri, ut conjugem ſuam quam ejecerat, revocaret, atque ab Occidente repetendo ad monomachiam committendam cum Florimundo Spartæ regulo deterreret. Ad Petrum ipſe quoque ſcripſit Pontifex eo anno die 2. Decemb. cujus epiſtolam ibidem legere eſt.

XIV. Conradus I.

Idem Raynaldus, *to. 17.* ad annum 1396. *num. 3.* epiſtolam profert Bonifacii IX. *venerabili fratri Conrado archiepiſcopo Nicoſienſi Camerario noſtro,* &c. datam *Romæ VI. idus* (id eſt die 8.) *April. anno VII.* Chriſti 1396. adverſus quemdam Franciſcum epiſcopum Segobienſem Benedicti XIII. fautorem, à quo ipſe proditus fuerat.

XV. Conradus II.

Conradus Caracciolus, Neapolitanus, ad Romanam curiam acceſſit, ſedente Urbano VI. à cujus ſucceſſore Bonifacio IX. quum eccleſiæ S. Stephani prope Aquileiam præpoſitus fuiſſet, ſubdiaconus apoſtolicus factus eſt & Procamerarius. Deinde anno 1402. VI. Non. (id eſt die 2.) Oct. archiepiſcopus Nicoſienſis in inſula Cypro evaſit, poſtea Melitenſis epiſcopus cum ejuſdem archiepiſcopatus commendatione. Eumdem Innocentius VII. anno 1405. Cardinalem preſbyterum tituli S. Chryſogoni creavit. Is interfuit ſynodo Piſanæ anno 1409. & obiit anno 1411. die 15. Februarii. Ita Oldoinus *hiſt. Roman. Pontif. & DD. Card. tom. 2. col. 718. num. 1.* D.

XVI. Stephanus.

Ughellus, *to. 5. Ital. ſac. col. 434. n. 88.* B. *veter. edit.* ſcribit *Stephanum* è clariſſima gente Carrara Patavii domina, electum eſſe archiepiſcopum Nicoſiæ ab Innocentio VII. Hunc dixerat, *tom. 1. col. 407. n. 27.* C. D. ex archiepiſcopo Nicoſienſi ad ſedem tranſiiſſe Aprutinam anno 1412. die 3. Octob. & obiiſſe anno 1449. die 10. Julii.

XVII. Ugo II.

Waddingus, *tom. 5.* ad annum 1420. exhibet epiſtolam Martini V. venerabilibus Patriarchæ Gradenſi, & *Nicoſienſi,* ac Coloceni archiepiſcopis datam VII. idus (id eſt die 9.) Jul. eo anno in gratiam FF. Minorum Terræ Sanctæ. Is *Hugo* fuit *Luſignanus,* Græcus, filius Jacobi regis Cypri, & frater Jani ſimiliter regis Cypri, qui propter nonnullas cum fratre ſuo ſimultates Italiam petiit, priuſquam conſecrationem reciperet; anno autem 1413. in Cyprum reverſus, ibidem de more ordinatus fuit. Hunc Martinus V. renuntiavit Cardinalem anno 1426. die 24. Maii. Diem clauſit extremum in Sabaudia

Digitized by Google

ECCLESIA NICOSIÆ.

anno 1442. menſe Auguſto. De eo Hugone legendi Henricus Giblet, *lib. 9. pp. 543. & 566.* & *lib. 10. pag. 580.* & Oldoinus, *lib. 2. col. 660. num. XVI.* C.

XVIII. Galesius.

Raynaldus ad annum 1445. *n. 20.* ſcribit *Galeſium,* quum archiepiſcopali ſedi Nicoſiæ eſſet præpoſitus, in hujus eccleſiæ poſſeſſionem venire prohibitum à Joanne rege Cypri: illum vero ad Eugenium IV. confugiſſe, qui controverſiæ dirimendæ provinciam dedit Joanni epiſcopo Præneſtino, & Joanni S. Laurentii in Lucina Cardinalibus, ut nonnullas ad archiepiſcopum regemque conciliandos leges conſtituerent, quas ipſe auctoritate apoſtolica firmavit, traduxitque Galeſium à ſede Nicoſienſi ad Cæſarienſem in Cappadocia. Quia vero rex eccleſiæ Nicoſienſis vectigalia aliaque prædia invaſerat, Urbevetanum epiſcopum ejus adminiſtrationi præfecit, regemque cogi juſſit cenſuris ad illa reſtituenda. Urbevetanus iſte præſul erat Jacobus Benedictus è Luceriana ſede ad illam nuper ab Eugenio, Ughello teſte, *to. 1. Ital. ſac. col. 394. n. 47.* C. tranſlatus. Tandem Joannis Laſtici Hieroſolymitanæ Religionis Magiſtri opera, Nicoſienſis eccleſiæ regimen Galeſio permiſſum eſt, qui poſt paucos menſes è vivis exceſſit circa annum 1447. ut refert Henricus Giblet, *lib. 10. pag. 580. & ſeqq.*

XIX. * * *

Quum accepiſſet Nicolaus V. nonnullos ex Chaldæis in inſula Cypro commorantibus ad veteres errores eſſe reverſos, *Nicoſienſi archiepiſcopo* mandavit epiſtola data Romæ anno 1450. quam refert Raynaldus, *tom. 18.* ad eum annum, *num. 14.* ut eos moneret officii, pertinaceſque à fidelium communione depelleret.

Jacobus. XX. Elias III.
XXI. Isidorus.

Henricus Giblet, *lib. 10. hiſt. de Re. Luſignani* ad annum 1459. *pag. 588. & ſeqq.* narrat *Jacobum* filium illegitimum Joannis regis Cypri, anno ætatis 17. in archiepiſcopum Nicoſienſem deſignatum eſſe, qui, mortuo patre, regnum Cyprium invaſit, relicto præſulatu, quum ſolum ſubdiaconatum ſuſcepiſſet. Raynald. *to. 18.* ad annum 1459. *num. 85.* ita de eo loquitur: «Commendata » eſt à Pio (II.) eidem Cardinali *Iſidoro* (Græco) » Nicoſienſis eccleſia, adeo ut unà cum ea » epiſcopatum Sabinenſem, Nigropontenſem, » & patriarchatum Conſtantinopolitanum ge» reret. Exambiverat Nicoſienſem ſedem *Jacobus* Joannis Cyprii regis filius nothus, cui « reginæ Cypri Helena & Carlotta adverſatæ « ſunt, ſcripſereque ad Pontificem, indignum « illum eccleſiaſtico faſtigio, ut qui manus « humano ſanguine inquinaſſet; quas litteras « quum intercepiſſet Jacobus, efferatus odio, « contracta valida factioſorum manu, Nicoſiam ingreſſus eſt, ac ſibi infenſos contrucidavit, illiuſque urbis imperium occupavit, « donec adventu Ludovici Ducis Sabaudiæ « filii, qui ad Carlottæ viduæ thorum Cypriorumque ſolium vocabatur, territus ad « Sultanum Ægypti profugit. Porro Ludovicus.... ad Sultanum (quoque) Ægyptium « veluti illius imperii vectigalis oratores miſit, « ut regias veſtes ab illo impetraret: jamque « Sultanus ei dandas decreverat, quum Amiræ « ac Mamaluchi, qui Jacobo ſtudebant, ut « qui, juxta Mahumeticam impietatem, licet « ſpurius ſorori legitimæ præferendus eſſet, « obſtiterunt: Mahumetes etiam II. Turcarum « Imperator hortatus eſt Sultanum Ægyptium « ut Jacobum Carolæ præferret, cujus vir « (Ludovicus) Gallico cretus ſanguine, Gallos « in Syriam inducere poſſet; quibus permotus « Sultanus, Jacobum regem Cypri pronuntiavit, quum prius illum impio & nefandiſſimo ſacramento ſibi obſtrinxiſſet, ac regiis « veſtibus ac diademate inſignitum per urbem « circumduci juſſit. Tum *Eliam* pſeudocarmelitam (vel Eremitam Auguſtinianum, ut « aſſerit Stephanus Luſinianus *hiſt. gener. Cypri pag. 167.*) qui nefaria hæc omnia conſilia « ſuggeſſerat, religionis chriſtianæ hoſtem, « archiepiſcopum Nicoſienſem renuntiavit, « armiſque Ægyptiis Ludovicum Sabaudum « cum Carola depellendum ſanxit.»

Iſidoro Cardinali commendata videtur eccleſia Nicoſienſis in locum Jacobi Cyprii, cujus electionem ſedes apoſtolica minime probaverat. At Jacobus, poſtquam Cairi proclamatus rex Cypri fuit à Soldano Ægypti, ſibi ſubſtituit in ſede Nicoſienſi *Fr. Eliam Guinemæum* anno 1460. qui ipſum in adeptione regni Cyprii plurimum adjuverat, teſte præfato Stephano Luſiniano, *foll. 167. 168. 173. & 174.* Obiit Elias iſte anno circiter 1463. aut 1464. Hunc ſuis Auguſtinianis non accenſet Thomas de Herrera in Alphabeto Auguſtiniano.

XXII. Antonius.
XXIII. Joannes III.

Poſt mortem Iſidori, dum ſedebat Elias, quem Jacobus II. ſibi ſubrogaverat in ſede Nicoſienſi, Pius II. cui inthronizatio utriuſque minime placuerat, probabiliter *Antonium* & *Joannem* ſucceſſive archiepiſcopos Nicoſienſes renuntiavit. Nam 1.° Rocchus

Digitized by Google

Pyrrus, *tom. 2. Sicil. ſac. pag. 181. num. 84.* A & *pag. 222. num. 12.* refert Andream II. de Tolomæis Senenſem, datis litteris an. 1464. die 14. Februarii, conceſſiſſe, ut *Antonius Tanetus* ſive *Tunetus* archiepiſcopus Nicoſienſis in inſula Cypro ædem monialium Benedictinarum ſub vocabulo S. Salvatoris Neti in Sicilia conſecraret. 2.° Ughellus, *tom. 9. Ital. ſac. col. 475. num. 31. D. vet. edit.* ſcribit *Joannem Franciſcum Bruſalum*, Veronenſem, ex favore Bartholomæi Rovereliæ Cardinalis, cujus erat ex ſorore nepos, evaſiſſe epiſcopum Caſſanenſem anno 1463. B die 15. Aug. pauloque poſt tranſlatum ad ſedem Nicoſienſem, & obiiſſe Romæ an. 1477.

XXIV. Fabricius.

Stephanus Luſinianus *hiſt. Cypri foll. 199. & 181.* item Henricus Giblet, *p. 717.* mentionem faciunt de quodam *Fabricio* archiepiſcopo Nicoſienſi, fratre Joannis Perez Fabricii, nobilis Hiſpani, quem præfatus rex Jacobus Comitem Joppe & Carpaſſi creaverat. Hunc autem Eliæ ſucceſſiſſe poſt illius obitum, miſſumque fuiſſe ab eodem Jacobo C ad Pium II. Papam (proindeque ante diem 14. Auguſti anni 1464. quo deceſſit Pius) expreſſe aſſerit citatus Luſinianus, *fol. 181.*

XXV. Guillelmus.

Thomas de Herrera *Alphab. Auguſtiniani tom. 1. pag. 298. col. 2.* tradit *Guillelmum Gonem* de Cypro, Eremitam Auguſtinianum, qui fuerat ſacræ theologiæ lector anno 1434. eccleſiæ Nicoſienſis adminiſtratorem in temporalibus factum à Paulo II. anno pontificatus III. ſubindeque Chriſti 1466. aut 1467. D ſed certe jam electum eſſe in archiepiſcopum die 16. Maii anni 1467. eique conceſſam die 27. ejuſdem menſis à Generali Ordinis præfati curam conventuum Rhodi, Cretæ & Cypri: *quia fuit noſtræ religionis profeſſus*, inquit, *aliàſque, dum in Ordine extitit, illorum conventuum regimen habuit, & bonum.* Hujus Guillelmi Ordinis Auguſtiniani alumni meminit Stephanus Luſinianus citatus, *foll. 158. & 165.* eumque *Guinemeum* cognominat, ac dicit Joannis regis Cypri patris Jacobi fuiſſe confeſſarium, licet taceat, neſcio qua de cauſa, E archiepiſcopum evaſiſſe Nicoſienſem. Illum quidem fuiſſe Auguſtinianum *Connemme* cognominatum, Nicoſiæque archipræſulem ſcribit Henricus Giblet, *pp. 605. 651. 699. & 715.* ſed omiſſo prorſus Elia: ei autem tribus poſt obitum Jacobi regis Cypri menſibus, adeoque menſe Septembri anni 1473. defuncto ſucceſſiſſe aſſerit *Fabricium* Joannis Perez Fabricii fratrem, *pag. 717.* Verum *Fabricium* prædeceſſorem Guillelmi fuiſſe oportet, ſi tempore Pii II. jam eccleſiæ Nicoſienſis gerebat curam, teſte Luſiniano citato, qui Henrico anterior eſt.

XXVI. Ludovicus.

Joannes Perez Fabricius, nobilis Hiſpanus, Joppe & Carpaſſi Jacobi II. regis Cypri liberalitate Comes factus, cujus frater, ut ſupra dictum eſt, archiepiſcopus Nicoſienſis fuit, ex Apollonia nobiliſſima fœmina uxore ſua liberos habuit Ludovicum, Carolam, Elizabetham, Urſulam, & Lucretiam. Urſula autem ſibi deſponſavit Eugenium, nobilem Cyprium, fratrem *Ludovici Podocatoris* ſive *Podochararii*, Nicoſienſis, Cardinalis, ſuæque patriæ archiepiſcopi, teſte Stephano Luſiniano, ubi de Comitibus Carpaſſi, *fol. 60.* Ludovicum hunc renuntiatum eſſe epiſcopum Caputaquenſem à Sixto IV. anno 1483. die 14. Novembris refert Ughellus, *tom. 7. Ital. ſac. col. 673. num. 26.* B. *veteris edit.* deinde tranſlatum ad ſedem Beneventanam à Julio II. anno 1503. (1504.) die 20. Jan. *tom. 8. col. 254. num. 41.* B. Hunc Oldoinus ſcribit *hiſt. Rom. Pont. & DD. Card. tom. 3. col. 197. num. XXX.* A. creatum eſſe Cardinalem ab Alexandro VI. anno 1500. die 28. Septemb. Omiſere quidem Ughellus & Oldoinus illum fuiſſe archiepiſcopum Nicoſienſem: ſed, quo ad hoc, eo magis Stephano Luſiniano credendum videtur, quod ex ipſomet, *ibid. in hiſt. Cypri fol. 181.* Philippus ſuus avus paternus uxorem duxerit Elizabetham ſororem iſtius Urſulæ, quæ Eugenium ſibi deſponſavit hujus Ludovici fratrem.

Hinc porro colligitur, 1.° Ludovicum renuntiatum eſſe archiepiſcopum Nicoſienſem, antequam ad eccleſiam Caputaquenſem aſſumeretur an. 1483. 2.° eſſe præſulem illum *Nicoſienſem* Guillelmi anno 1473. mortui ſucceſſorem, quem Henricus Giblet exiſtimavit fuiſſe Fabricium fratrem Joannis Perez Fabricii Joppe & Carpaſſi Comitis: denique eſſe illum *Nicoſienſem*, qui unà cum nobilibus quibuſdam Hiſpanis plurimam navavit operam, ut Catharina Veneta Jacobi II. recens vidua, ejuſque filii poſthumi Jacobi III. mater, nuptias contraheret cum Ferdinando rege Neapolitano: Carola itidem præfati Jacobi II. filia illegitimo thoro procreata filio ſpurio ejuſdem Ferdinandi nuberet; quibus conjugiis ſperabant regnum Cypri ad reges Hiſpaniæ quandoque devolvendum. Quæ quum Cypriis proceribus bene multis minime arriſiſſent, archiepiſcopo ejuſque aſſeclis ſibi celeri fuga providendum fuit, ne quid deterius immineret, ex eodem Luſiniano poſtremum citato, *fol. 185.* Obiit Ludovicus Mediolani anno 1506. die 25. Jul. ætatis 75.

Digitized by Google

ECCLESIA NICOSIÆ.

corpuſque ejus Romam tranſlatum eſt, & in A templo S. Mariæ del popolo ſepultum.

XXVII. Sebastianus.

Ughellus, *tom. 9. Ital. ſac. col. 53. n. 53. C. veteris edit.* narrat Hieronymum Aleandrum, qui archiepiſcopus Brunduſinus fuit, Venetias accitum eſſe anno 1498. ut litteras Græcas, quibus apprime pollebat, *Sebaſtianum Priolum* archiepiſcopum Nicoſienſem edoceret.

XXVIII. Aldobrandinus.

Waddingus, *tom. VII.* ad annum 1500. B *n. 21. pag. 438.* ſcribit *Aldobrandinum* archiepiſcopum Nicoſienſem & dominum oppidi Morlupi diœceſis Nepeſinæ eo anno, Minoritis illic ex modico tugurio commodum cœnobium feciſſe. Is concilio Lateranenſi ſub Julio II. & Leone X. interfuit annis 1513. & 1517. *tom. 14. conc. Labb. coll. 133.* C. *& 325.* B.

XXIX. Guido.

Fr. Guido Brunellus, Ordinis Præd. Cortonienſis, renuntiatus eſt archiepiſcopus Nicoſienſis in inſula Cypro à Clemente VII. C circa annum 1530. Ita Fontana *Theat. Dom. pag. 91. tit. 69.* ex monumentis cœnobii Cortonienſis.

XXX. Philippus II.

Anno 1560. menſe Martio ſedi Nicoſienſi præfectus eſt *Philippus Mocenicus,* nobilis Venetus, qui anno ſequenti interfuit concilio Tridentino, cujus ſubſcripſit actis an. 1563. hoc modo: *Philippus Mocenicus, Venetus, regni Cypri Primas, & legatuſnatus, archiepiſcopus Nicoſienſis. To. 14. conc. Labb. col. 924.* A. Germanus frater erat Ludovici Mocenici Venetæ Reipublicæ Ducis. Obiit an. 1577. nimirum ſeptimo poſt expugnatam an. 1570. die 9. Septemb. Nicoſiam à Turcis, qui totam inſulam ſibi ſubjecerunt, capta Famagoſta anno ſequenti 1571. die 5. Auguſti. Unde Philippus iſte ultimus eſt Nicoſiæ archiepiſcopus ritus Latini, qui Nicoſienſi eccleſiæ jus dixerit.

XXXI. Julianus.

Julianus iſte, natione Armenus, Ordinis Præd. à ſuis Armenis in Cypro, licet ſchiſmaticis, ipſorum epiſcopus electus, Romam venit ad Pium IV. à quo confirmationem ſuam accepit. Redux Armenos inſulæ Cypri ſibi obtemperantes ad communionem Romanam adduxit, pluribuſque erroribus ac ſuperſtitionibus liberavit. Hunc, capta Nicoſia à Turcis anno 1570. SS. Papa Pius V. tranſtulit ad eccleſiam Bovenſem in Calabria Græcis refertam, quorum linguam Julianus non minus bene ac Armenam callebat. Adhuc vivebat piiſſimus antiſtes anno 1578. quo hæc de eo ſcripſit Stephanus Luſinianus, ejus itinerum ſocius, *hiſt. gener. Cypri edit. Gall. in-4.° Pariſ. 1604. cap. 16. fol. 72.* Is probabiliter ille ipſe eſt, quem Ughellus, *tom. 9. Ital. ſac. col. 462. nn. 20. & 21.* A. *veter. edit.* in duos dividit viros, utrumque Bovenſem epiſcopum, quorum prior ex epiſcopo Maguenſi tranſlatus eſt ad Bovenſem eccleſiam die 19. Mart. 1571. & obiit anno 1577. poſterior vero electus eſt die 2. Oct. 1577. & Romæ deceſſit ſeptima die à ſua promotione, quum nondum eſſet conſecratus. Sed major fides ea in re Stephano Luſiniano teſti oculato adhibenda videtur.

Monitum. ERUDITISSIMUS abbas Joſeph Simonius Aſſemanus, *tom. 3. parte prima Biblioth. Orient. Clementino-Vatic. edit. Rom. 1725. pag. 638. col. 1. num. 8.* mentionem facit de quodam *Georgio archiepiſcopo Cypri,* qui probabiliter vivebat ſæculo XV. ſubindeque alius fuit à *Georgio* florente anno 1340. cujus ſupra meminimus, *col. 1208.* C. « Codex, » inquit, olim pertinuit ad Thomam monachum, deinde ad *Georgium archiepiſcopum Cypri,* » demum ad Abraham monachum ac presbyterum orientalem.... qui notam hanc appoſuit anno Græcor. 1812. (Chriſti 1501.)» Idem Aſſemanus initio *part. 2.* ſeriem refert aliorum codicum Syriacorum mſſ. quos *D. Gabriel Eva archiepiſcopus Cypri Syro-Maronita* SS. Papæ Benedicto XIII. obtulit. Omiſſi fuere hi duo præſules inter archiepiſcopos Maronitas Cypri in præſenti *tom. 3.* prior quidem, *col. 85.* E. ante *III. Gabriel;* poſterior vero, *col. 88.* C. poſt *VIII. Petrus.*

II. ECCLESIA PAPHENSIS.

PAPHOS urbs Cypri inſulæ, quæ *Neapaphos,* id eſt, *nova Paphos* Plinio appellatur, ad diſtinctionem *veteris Paphi, Palæpaphos* dictæ à Strabone & eodem Plinio, verſus Drepanum promontorium, cujus ruinæ nunc etiam *Baffo diſtructa* nomen habent. Paphos autem nova, *Baffo* hodie nuncupata, parva admodum eſt, diſtans 7. milliar. in ſeptentrionem à veteri

Digitized by Google

à veteri Papho. Caſtro pollet in ora occidua inſulæ cum portu verſus Acamanthem promontorium, & ante inſululas *les Mullis* dictas. Ita Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 78. col. 1.* Porro ex quo tempore Cyprus inſula Latinorum principum ditionis facta eſt ſub Luſiniani generis regibus, Paphos curæ Latini epiſcopi ſedis Nicoſienſis ſuffraganei ſubjacuit, quorum ſequentes ad noſtram notitiam devenere. ECCLESIA PAPHENSIS.

EPISCOPI PAPHENSES.

Bartholomæus. I. NICOLAUS.

IN epitaphio recentiori *B. Bartholomæi de Bragantiis,* Ord. Præd. in templo Vicentino ejuſdem Ordinis, teſtibus doctiſſimis Bollandianis, *tom. 7. Maii pag. 703.* legitur:

Unde fit paſtor Paphenſis, *Nemonicenſis,*
Et Vicentinus, patria plaudente, creatur.

De Nemoſicenſi quidem illius epiſcopatu in inſula Cypro conſtat; at de *Paphenſi* nulla alibi memoria: fortaſſis, dum Nimoſienſi præerat eccleſiæ, cura ipſi per aliquod tempus & *Paphenſis* ſive vacantis, ſive abſente ejus epiſcopo, injuncta fuerit. De illo infra dicemus inter epiſcopos Nimoſienſes, *col. 1225.* A.

Anno 1298. die 22. Sept. *Nicolaus* epiſcopus Paphenſis interfuit ſynodo Nimauſienſi ſub Gerardo Nicoſienſi archiepiſcopo celebratæ, cujus ſupra meminimus, *col. 1206.* E.

II. ROBERTUS.

Fr. Rubertus ſeu *Robertus,* Normannus, Ordinis Præd. epiſcopus fuit Paphenſis circa annum 1304. Ita R. P. Antonin. Bremond, *tom. 2. Bullar. p. 103.* ex Bernardo Guidonis in epiſcopis provinciæ Terræ-Sanctæ, Plodio ſive Michaele Pio in Appendice ad *part. 2.* Fontana, & Cavalerio.

III. JACOBUS I.
IV. AYMERICUS.

Waddingus, *to. 3.* ad annum 1322. *n. 72. pag. 293.* ſcribit ad Paphenſem eccleſiam, vacantem ob mortem *Jacobi, Fr. Aymericum,* Minoritam, electum eſſe à capitulo, & confirmatum à Joanne archiepiſcopo Nicoſienſi, forſan ignaro quod hujus eccleſiæ proviſionem ſibi reſervaſſet Joannes XXII. hanc tamen confirmationem ab eo Papa ratam habitam, ut patet ex ejus diplomate *Apoſtolicæ ſedis benignitas,* dato eo anno die 18. Jul. quod legi poteſt, *ibid. in Regeſto Pontif. pag. 138.* Ejuſdem quoque meminit, *tom. 7. pag. 469. num. XI.* Item Raynaldus, *to. 15.* ad annum 1323. *num. 13.* & ad annum 1324. *num. 43.* & Henricus Giblet ad annum 1324. *pag. 290.*

V. ODO.

Odo iſte ſedebat epiſcopus Paphenſis anno 1340. quo adfuit ſynodo Nicoſiæ ab Helia II. archiepiſcopo coactæ die 17. Januar. de qua vide ſupra *col. 1208.* B. Extat apud Waddingum, *tom. 4.* ad annum 1351. *num. 3. pag. 3.* epiſtola Clementis VI. *venerabilibus fratribus Guillelmo Patriarchæ Hieroſolymitano, & Philippo archiepiſcopo Nicoſienſi, & Odoni Paphenſi,* &c. data eo anno die 22. Septembris. De Odone legendi Raynaldus, *tom. 16.* ad annum 1350. *n. 37.* 1351. *n. 19.* & 1353. *num. 25.* & Waddingus, *tom. 3.* ad annum 1347. *num. 2. pag. 541.*

VI. PINUS.

Anno 1394. die XI. Mart. *Pinus* epiſcopus Paphenſis ad eccleſiam Cervienſem in Italia tranſlatus eſt: deceſſit autem anno 1402. ex Ughello, *tom. 2. Ital. ſac. col. 495. num. 29.* D. *veteris editionis.*

VII. BERTRANDUS.
VIII. JOANNES *adminiſtrator.*
IX. ANGELUS.

Waddingus, *tom. 5. in Reg. Pont. p. 159.* profert epiſtolam Martini V. datam *dilecto filio Angelo de Narnia* (Minoritæ) *electo Paphen.* III. Non. (id eſt die 5.) Maii, anno XI. Chriſti 1428. in qua de his tribus epiſcopis Paphenſibus ſic loquitur: «... Joannes XXIII. venerabilem fratrem noſtrum *Bertrandum* (epiſcopum) S. Flori, tunc *Paphenſem epiſcopum,* licet abſentem, à vinculo.... abſolvens, ipſum ad eccleſiam S. Flori Ordinis S. Benedicti tunc vacantem duxerat transferendum, &c. Eamdem eccleſiam *Paphenſem* ſic vacantem, bonæ memoriæ *Joanni* archiepiſcopo Tarſenſi, per eum, quoad viveret, tenendam, regendam, & etiam gubernandam commendaverat, &c. Quum itaque dictus Joannes archiepiſcopus nuper fuerit.... vita functus, &c. nos ad proviſionem, &c.»

X. GUILLELMUS.
XI. ANTONIUS.

Guillelmus, Eremita Auguſtinianus, ſedebat epiſcopus Paphenſis an. 1472. quo eum die 30. April. teſte Thoma de Herrera *Alphab. Auguſtiniani tom. 1. pag. 299. col. 1.* Jacobus de Aquila hujus Ordinis Generalis, quibuſdam locis & fratribus in regno Cypri reformandis præfecit. Obiit anno ſequenti: nam Waddingus, *tom. 6.* ad annum 1473. *n. 14. pag. 789.* vacanti per obitum Guillelmi

Digitized by Google

Paphenſi eccleſiæ in Cypro, præpoſitum *Fr. Antonium Mazonium*, Minoritam, die 17. Septembris commemorat.

XII. Simon.

Simon de Balcinola, Ord. Præd. Paphenſem eccleſiam regendam ſuſcepit circa annum 1485. Ita Fontana *Theat. Domin. pag. 627. col. 1.* ex Sampaio *de viris illuſtribus Ordinis Præd. part. 2. lib. 3.*

XIII. Jacobus.

Raynaldus, *to. 19.* ad annum 1502. *n. 19.* refert pontificiæ claſſi adverſus Turcas præfectum eſſe eo anno *Jacobum* epiſcopum Paphenſem, eique injunctum ab Alexandro VI. epiſtola data eo anno die 20. Aprilis, *ibid.* legenda, ut illam milite & bellico apparatu inſtructam ad Petrum Aubuſſonium S. R. E. Cardinalem, ac Rhodiorum equitum Magiſtrum, ſacrique exercitus Imperatorem, duceret. Interfuit concilio Lateranenſi ſub Julio II. & Leone X. ex ſubſcriptionibus epiſcoporum, *tom. 14. conc. Labb. col. 153.* D. &c.

XIV. Petrus.
XV. Franciscus.

Concilio Tridentino anno 1563. ſubſcripſere duo epiſcopi Paphenſes *Petrus Contarenus*, Venetus, qui ad hunc epiſcopatum promotus fuerat anno 1557. menſe Julio, *tom. 14. conc. Labb. col. 928.* E. & *Franciſcus Contarenus*, Venetus, eccleſiæ Paphenſi, quam procul dubio Petrus dimiſerat, anno 1560. die 4. Mart. præpoſitus, *ibid. col. 932.* C. Is poſtremus in expugnatione Nicoſiæ à Turcis anno 1570. periit, ex narratione Angeli Calepii, ad calcem hiſtoriæ generalis Cypri Stephani Luſiniani Gallicè ſcriptæ, *fol. 271.* Ex quo tempore ſolo titulo potiti ſunt Paphenſes epiſcopi Latini ritus.

Obſervandum pro Coronide epiſcopum Paphenſem Græcum, qui anno 1733. ſedebat, & fortaſſis adhuc ſedet, *Dionyſium* nominari.

III. ECCLESIA FAMAGUSTÆ.

FAMA-AUGUSTA ſeu *Hamacoſtos*, *Famagoſta* incolis & Italis, *Famagouſte* Gallis, urbs permunita Cypri inſulæ, in ejus ora orientali olim *Arſinoe* dicta, gaudet portu capaci, 35. milliar. diſtat à Nicoſia in ortum. A Turcis poſt obſidionem decem menſium capta eſt die 9. Auguſti. Hæc Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 377. col. 1.* De ea eccleſia vide quæ dicta ſunt *tom. 2.* hujus operis, *coll. 1065. 1066.*

EPISCOPI FAMAGUSTÆ.

I. Cæsareus.

ANno 1211. ſedebat *epiſcopus Famaguſtanus*, quem memorat Innocentius III. in epiſtola data eo anno die 17. Maii, apud Raynaldum, *tom. 13.* ad illum annum, *n. 25.* Idem etiam probabiliter fuit, quem præfatus Papa epiſtola encyclica, data anno 1213. die 19. April. inter alios Orientis præſules, ad concilium Lateranenſe anno 1215. celebrandum invitavit. *In eodem modo* (*archiepiſcopo* & epiſcopis) *per Cyprum* (conſtitutis.) *Tom. XI. conc. Labb. part. 1. col. 125.* B. Is autem fuiſſe videtur *Cæſareus* ille *de Alagno*, Amalphitanus, quem Ughellus, *tom. 7. Ital. ſac. col. 594. num. 15.* D. *veteris edit.* ſcribit ex Famauguſtano epiſcopo in Cypro inſula tranſlatum eſſe ab Honorio III. anno 1225. ad eccleſiam Salernitanam, & à Pontifice ſuis litteris commendatum capitulo Salernitano, datis VII. kal. Octob. pontificatus x. (id eſt die 25. Septemb. anno 1225.) *in Reg. Vatic. n. 550.* Obiit Cæſareus Amalphiæ an. 1263.

II. Valascus.

Fr. Valaſcus, Minorita, ſedebat epiſcopus Famaguſtanus in inſula Cypro anno 1267. quo tranſlatus eſt ad ſedem quamdam in Luſitania die 17. Septemb. Ita Waddingus, *tom. 2.* ad hunc annum, *num. 8. pag. 304.* qui diploma Clementis IV. profert *in Reg. Pont. p. 108.*

III. Guido.

Anno 1298. quo Gerardus Nicoſienſis archiepiſcopus concilium tenuit die 22. Septemb. apud Nimocium, ut ſupra dictum eſt, *col. 1206.* E. *epiſcopus Famaguſtæ*, qui hîc non nominatur, aberat, tunc in remotis agens. At probabiliter fuit *Guido* ille, cujus meminit Henricus Giblet in hiſtoria regum Luſinianorum Cypri inſulæ, *p. 238.* quemque obiiſſe anno 1308. ac virum fuiſſe eximiæ virtutis religioniſque ſpecimen teſtatur *pag. ſequenti 239. edit. Bonon. 1647.*

In Kalendario mſ. S. Sepulchri Hieroſolymitani ad diem 7. Septemb. leguntur, ab ipſo originali ſcriptore exarata ante annum 1315. hæc verba: *Obitus Guidonis de Ybelino anno 1308.* quæ probabiliter de eo Guidone intelligenda ſunt: *Ybelina* enim domus nobiliſſima eſt in inſula Cypro.

Digitized by Google

ECCLESIA FAMAGUSTÆ.

IV. Antonius.

Guidoni ſucceſſit in ſede Famaguſtana, moribus valde diſſimilis, *Antonius Sauranus*, qui mox ſeptuaginta millia Byzantiorum, conſtruendo monaſterio à prædeceſſore deſtinata, aliaque eccleſiæ ſuæ bona expilavit, ex eodem Henrico Giblet, *pag. 240*.

V. * * *

Anno 1311. *epiſcopo Famaguſtæ*, & quibuſdam aliis præſulibus injunxit Clemens V. epiſtola data eo anno die 29. Auguſti apud Raynaldum ad eum annum, *num. 53*. ut de Templariis graviſſimorum ſcelerum accuſatis diligenter inquirerent. Ipſe fortaſſis fuit, cujus meminit Henricus Giblet ad annum 1324. *pag. 290*.

VI. Marcus.

VII. Iterius.

Anno 1340. ſedebat epiſcopus Famaguſtanus & Antaradenſis *Marcus*, qui menſe Januario interfuit ſynodo Nicoſienſi, ſub Helia II. archiepiſcopo coactæ, ut ſupra dictum eſt, *col. 1208*. B. Obiit anno 1346. eique ſucceſſit in utraque eccleſia tunc unitis *Fr. Iterius de Nabinallis*, Minor. eodem anno, ex Waddingo, *to. 3*. ad eum annum, *n. 10*. *pag. 539*. qui diploma Clementis VI. datum eo anno die 26. Jun. exhibet, *ibid. in Reg. Pont. pag. 344*. Hujus probabiliter meminit Innocentius VI. in epiſtola data anno 1354. die 14. Octob. apud eumdem Waddingum, *tom. 4. in Reg. pag. 46*.

VIII. Bertrandus.

Bertrandus de Alaneo, epiſcopus Famaguſtanus, ac S. R. E. capellanus, ſacri etiam palatii auditor, tranſlatus eſt ad eccleſiam Eugubinenſem in Italia anno 1390. die 12. Octob. & poſtea ad Amalphitanam an. 1401. Obiit anno 1408. die 15. Jun. Ita Ughellus, *tom. 1. Ital. ſac. col. 696. n. 59*. D. *vet. edit.*

IX. Georgius *electus*.

Henricus Giblet, *hiſt. regum Luſinianorum in inſula Cypro lib. 9*. ad annum 1398. *p. 532*: meminit cujuſdam *Fr. Georgii electi epiſcopi Famaguſtæ* eo anno: *Mandando al Rè col mezzo di F. Georgio eletto Veſcovo di Famagoſta*, &c.

X. Petrus.

XI. Lucianus.

XII. Joannes.

Waddingus, *to. 5*. ad annum 1409. *n. 15*. *p. 64*. tradit *Luciano* epiſcopo Famaguſtano

A defuncto ſubſtitutum eſſe eo anno die 4. Septemb. *Fr. Petrum*, Minoritam, epiſcopum Ventimilienſem. At hìc tranſpoſita *Petri* & *Luciani* nomina videntur; ita ut non Luciano Petrus, ſed Petro Lucianus ſucceſſerit. Id ſuadet omnino 1.° quod *Petrus epiſcopus Famaguſtanus* interfuerit & ſubſcripſerit ſynodo Piſanæ anno 1409. ante diem 4. Septemb. *Tom. XI. conc. Labb. part. 2. col. 2219*. B. 2.° quod anno 1412. die 26. Maii *Luciano* mortuo ſubrogatus ſit *Fr. Joannes de Montenigro*, itidem Minorita, ex eodem Waddingo
B ad eum annum 1412. *num. 2. pag. 78*. qui quum ad illam tranſpoſitionem non attenderit, difficultatem inde naſcentem ſolvere conatur, aiens *Petrum*, vel obiiſſe fortaſſis, vel aliò tranſlatum eſſe ante adeptam eccleſiæ Famaguſtanæ poſſeſſionem. *Petrum* itaque *Lucianus* excepit anno 1409. & Lucianum *Joannes* anno 1412. non vero Petrus mortuus anno 1409. ante diem 4. Septembris, Lucianum anno duntaxat 1412. mortuum.

XIII. Nicolaus I.

C *Nicolaus de Tenda*, Ordinis Prædic. qui Sigiſmundi regis Hungariæ conſiliarius & orator miſſus ad chriſtianos principes pro gravioribus negotiis, quibus etiam in muneribus Jano ſive Joanni inſervivit, epiſcopus Famaguſtanus renuntiatus eſt à Martino V. anno 1417. die 20. Decemb. & obiit anno 1427. die 15. Jan. Ita Fontana *Theat. Dom. p. 190. tit. 240*. Ejus meminit R. P. Echard, *tom. 1. Script. pag. 779*.

XIV. Nicolaus II.

XV. Jacobus.

D Anno 1441. die 23. Januar. poſt obitum *Nicolai* epiſcopi Famaguſtani, qui procul dubio alius à præcedente fuit, niſi 14. annis integris vacaverit ea ſedes, ad illam promovit Eugenius IV. *Fr. Jacobum* Ord. Præd. quem omiſerunt hujus Ordinis ſcriptores; ſed diploma pontificium legere eſt apud R. P. Bremond, *tom. 3. Bullar. pag. 228*.

XVI. Augustinus.

XVII. Dominicus.

Eccleſiæ Famaguſtanæ vacanti per *Au-*
E *guſtini* ejus præſulis mortem præpoſitus eſt à Calliſto III. anno 1455. die 23. Jul. *Fr. Dominicus de Pera*, Ordinis Præd. ex ejus diplomate quod profert præfatus R. P. Bremond, *ibid. p. 369*. Ipſe eſt profecto, quem Fontana *Theat. Dom. pag. 191. tit. 240*. appellat *Michaelem de Perei*: hunc enim *Auguſtino* in ſede Famaguſtana ſubſtitutum à Calliſto III. anno 1455. die 23. Jul. commemorat.

Digitized by Google

ECCLESIA FAMAGUSTÆ.

XVIII. PETRUS II.
XIX. FRANCISCUS.

Idem Waddingus, *to. 6.* ad annum 1473. *num. 14. pag. 789.* ſcribit, vacante eccleſia Famaguſtana per obitum *Petri* ejus epiſcopi, renuntiatum eſſe eo anno die 30. Martii à Sixto IV. *Fr. Franciſcum de Perniſiis de Vicheria*, Ordinis Minor.

XX. MATHIAS.

Mathias Ugonius ſedebat epiſcopus Famaguſtanus anno 1514. quo ſynodo Lateranenſi ſub Leone X. interfuit die 5. Maii. *Tom. 14. conc. Labb. col. 207.* A. Is anno 1434. librum de ſynodorum auctoritate, *Sinodium Ugonium* dictum, *SS. & Clementiſſimo D. N. D. Paulo III. Pont. Max.* nuncupavit, editum *Brixiæ XIII. menſis Novembris*, cui ipſe ſubſcripſit *humillimus pedum S. V. ſervulus Mathias Ugonius epiſcopus Famaguſtanus.* Hunc librum ſuo juſſu ad examen revocatum Pontifex approbavit litteris datis die 17. Decemb. eodem anno 1534. Volumen quoque aliud compoſuit Ugonius *de præſtantia patriarchali.*

XXI. PHILIPPUS.

Concilio Tridentino adfuit anno 1547. ſub Paulo III. *Philippus Bonus*, Venetus, epiſcopus Famaguſtanus. *To. 14. conc. Labb. col. 775.* C.

XXII. FRANCISCHINUS.
XXIII. HIERONYMUS.

Ughellus, *tom. 4. Ital. ſac. col. 714. n. 66.* A. B. *veteris editionis*, refert *Hieronymum Ragazzonum*, Venetum, Pii IV. cubicularium, 26. ætatis ſuæ anno epiſcopum Nazianzenum renuntiatum eſſe, & coadjutorem *Franciſchini epiſcopi Famaguſtani* in Cypro datum, cum ſpe futuræ ſucceſſionis (die 15. Januar. anni 1561.) Interfuit concilio Tridentino, cujus actis ſubſcripſit. *Tom. 14. conc. Labb. col. 931.* B. Poſthæc in Cyprum transfretavit, pervenitque ad propria, defuncto Franciſchino; dumque clerum ad normam concilii inſtituere cœpiſſet, Famaguſtam à Turcarum exercitu vallatam vidit. Ipſe per mediam ipſorum claſſem tranſiens, ad Venetam Rempublicam celeri curſu properavit ut ſuppetias peteret; ſed dum auxilia parabantur Venetiis, Famaguſta expugnata, totum regnum Cyprium in Turcarum poteſtatem venit. Eum Gregorius XIII. ad Chiſamenſem eccleſiam tranſtulit in Creta inſula, deinde anno 1577. die 19. Jul. ad Bergomenſem in Italia. Romæ obiit anno 1592. die 7. Mart. & in templo S. Marci ſepultus eſt.

Hieronymus iſte *Chiſamenſibus* epiſcopis accenſendus venit, ſupra prætermiſſus ſuo loco poſt *X. Proſper, col. 930.* Monitum.

IV. ECCLESIA NEMOSIÆ.

A MATHUNTE Cypri inſulæ civitate antiqua diruta, quæ *Lemiſſus* etiam appellata fuit, *Neapolis* vicina urbs in *Lemiſſum novam* aſſurrexit, quæ à diverſis ſcriptoribus diverſis nominibus expreſſa eſt, *Limocium* ſcilicet, *Limiconium*, *Nemonicium*, *Nimocium*, *Nemoſia*, ac demum *Limiſſo* vel *Lemiſſus*, aut *Lemiſſum*. Annis 1425. & 1537. à Saracenis ingentia ſuſtulit damna. Hac in urbe anno 1298. concilium provinciæ habuit Gerardus archiepiſcopus Nicoſienſis, cujus acta leguntur *tom. XI. conc. Labb. part. 2. col. 2417.* E.

EPISCOPI NEMOSIÆ.

I. FULCO.

STEPHANUS Luſinianus, *hiſt. gener. regni Cyprii cap. 19. fol. 85.* & Henricus Giblet, *p. 32.* referunt in ſynodo Lateranenſi anno 1215. ad petitionem Aliſiæ reginæ Cypri, tranſlata metropoli (vel potius confirmata ea tranſlatione) ex urbe Famaguſta ad Nicoſiam caput regni, archiepiſcopum Nicoſiæ & epiſcopos Papho, Famaguſtæ, & Nemoſiæ ritus Latini datos eſſe atque ordinatos. Hujus poſtremæ eccleſiæ præſulem fuiſſe *Fulconem* fratrem Euſtorgii tunc conſecrati archiepiſcopi Nicoſienſis non male fortaſſis colligitur ex iis chronici Alberici monachi Ciſtercienſis ad annum 1239. *part. 2. pag. 574.* verbis: «Mortuus eſt archiepiſcopus Nicoſienſis in Cypro Euſtorgius, qui fratrem habuit *Fulconem Limiconienſem* (probabiliter *Limiſſenſem*) *epiſcopum.*»

Verum anno 1211. jam ſedebat *epiſcopus Nemoſiæ*, ſive ille *Fulco* fuerit, ſive alius ejuſque in ea ſede prædeceſſor. Nam Innocentius III. in epiſtola ad Patriarcham Hieroſolymitanum, data Laterani XVI. kal. Junii anno XIV. (id eſt die 17. Maii anni præfati) apud Raynaldum ad eum annum 1211. *n. 25.* ait ſe venerabilibus fratribus Patriarchæ Antiocheno, & archiepiſcopo Tyrenſi, & Sidonienſi, Tripolitano, & Anteradenſi, *Nimotienſi*, & Famaguſtano epiſcopis, dediſſe in præceptis ſuis litteris, ut auctoritate ſua excommunicationis ſententiam publicarent, &c.

Digitized by Google

ECCLESIA NEMOSIÆ.

II. Bartholomæus.

Bartholomæum hunc *de Bragantia* dictum eſſe, quod reipſa è Comitum *de Bragantia* ſive *Bregantia* nobili urbis Vicentiæ in Italia ſtirpe originem duceret, diſcimus ex antiquo nobilium hujus civitatis familiarum elencho, edito *tom. VIII.* operis, cui titulus eſt: *Rerum Italicarum Scriptores,* cura ac labore eruditiſſimæ Societatis Palatinæ, Mediolani erectæ typis mandati anno reparatæ ſalutis 1726. Elenchus enim iſte, in Scriniis Herculis Fortitiæ diu ſervatus, ita teſtatur, *pag. 92.* «Hæ » ſunt familiæ quæ in civitate noſtra (Vicen- » tina) nobiles erant: Comites de Auzignano, » &c. *Comites Bregantiorum, ex quibus fuit* » *epiſcopus Bartholomæus Vicentinus de Ordine Prædicatorum,* &c.» De eo autem inſtrumento doctiſſimus D. Philippus Argelatus, hujus Societatis Palatinæ moderator, requiſitus à R. P. M. T. Ord. Præd. reſpondit per epiſtolam datam die 18. Jul. anni 1730. in hæc verba: «Te monitum volo, non aucto- » ritate Herculis Fortitiæ, ſed *antiqui codicis,* » qui penes illum ſervabatur, cujus exemplar » inextat in bibliotheca Ambroſiana, *libere te* » *aſſerere poſſe beatum Bartholomæum epiſcopum* » *Vicentinum à Comitibus Bregantiarum originem traxiſſe.*» His obiter elucidata arbitror, quæ adverſus Bartholomæi ex ea familia natales oppoſuerant ſagaciſſimi Bollandiſtæ, *tom. I. Jul. die I. pag. 280. num. 16. col. 2.* F. & *pag. ſequenti col. I.* A. & *tom. 7. Jul. p. 854. col. I.* B. Eum porro Bartholomæum habitum religionis è manibus S. Dominici probabiliter ſuſcepiſſe, deinde vero eximium divini verbi evaſiſſe præconem, individuumque fuiſſe B. Joannis Spledonis Vicentini, ejuſdem profeſſionis viri inclyti, in eo munere collegam, ac Ordinem militarem ſub titulo & auſpicio SS. Virginis, pacificandis urbium Italiæ tumultibus, inſtituiſſe, ab Urbano IV. confirmatum anno 1262. die I. Januar. tradit R. P. Echardus, *tom. I. Script. p. 254.* Magiſtri ſacri palatii muniis functum Romæ & Lugduni ſub Innocentio IV. ſcribit Leander Alberti, *lib. de viris illuſtribus Ord. Præd. fol. 115.* Renuntiatus fuit Bartholomæus epiſcopus Nemoſienſis, non an. 1246. aut 1250. ut variis placuit auctoribus, ſed anno 1248. quo feria ſexta poſt Pentecoſten, S. Ludovicus rex Francorum, ex Jovillæo, iter transmarinum arripuit. Id ſatis expreſſe innuit ipſemet Bartholomæus in inſtrumento quodam apud Ughellum, *tom. 5. col. 1130. num. 41.* D. *vet. edit.* & R. P. Echard. loco laudato, ubi ait: «Rex chriſtianus, cum re- » gina & fere tota domo regia, chriſtianæ » religionis amore, mare tranſiit, *tempore quo* *nobis licet indignis Nimonicenſis civitatis quæ* « *in regno Cypri eſt pontificatum apoſtolica ſedes* « *contulit,* &c.» Refert Bzovius, *tom. 13.* ad annum 1260. *num. 13. col. 665. edit. Colon. 1621.* tantam Bartholomæo cum S. Ludovico interfuiſſe neceſſitudinem, ut quas rex piiſſimus vereretur ne admiſiſſet noxas, eas non alteri quam Bartholomæo in confeſſione aperiret. Confeſſarium ejus fuiſſe, ſive ordinarium, ſive extraordinarium Bartholomæum agnoſcunt pariter Fernandez Concertat. prædicat. Salmant. 1618. *pag. 484.* qui & annum circiter 1240. aſſignat, Anton. Mallet, *de viris illuſtribus cœnobii San-Jacobæi Pariſ. edit. 1634. pag. 344.* & D. Archon, *p. 130.* ubi doctiſſimum quoque Sirmondum appellat. Bartholomæo ut epiſcopo Nemoſiæ Innocentii IV. litteras datas an. 1252. die XI. Maii exhibet R. P. Bremond, *tom. I. Bullar. p. 227.* de eodem inſuper, *pp. 263. & 412.* legendus. Ex ea poſtmodum eccleſia ad Vicentinam patriam ſuam tranſlatum Bartholomæum die 18. Januarii anni 1256. ex Alexandri IV. epiſtola 741. *fol. 10. in Reg. Vatic.* docet præfatus Ughellus, *ibid.* Obiit demum Vicentiæ venerabilis præſul paucis diebus, juxta R. P. Echard. à confecto die 22. Septemb. anni 1270. teſtamento ſuo; vel, juxta Barbaranum, *hiſt. Vicent. p. 148.* die I. Julii anni ſequentis 1271. ſed, ſecundum omnes, relicta magna ſuæ ſanctitatis opinione. De eo iterum infra ſermo redibit inter Patriarchas Hieroſolymitanos.

III. Christianus *adminiſtrator.*

Raynaldus, *to. 14.* ad annum 1256. *n. 45.* refert Alexandrum IV. Papam litteris ad Patriarcham Antiochenum datis eo anno die XI. Febr. ſcripſiſſe, quia ob hoſtium incurſiones vectigalia Antiocheni patriarchatus adeo imminuta erant, ut ſuſtentandæ dignitati paria non eſſent; ideo ſe illi Nemoſienſis in Cypro eccleſiæ adminiſtrationem contuliſſe.

Is porro Patriarcha Antiochenus videtur fuiſſe *Chriſtianus* ille Eliæ ſucceſſor ab anno circiter 1250. quem ſupra recenſuimus, *col. 1162.* A.

IV. Berardus.

Anno 1298. quo celebratum eſt Nemoſiæ à Gerardo archiepiſcopo Nicoſienſi concilium provinciale die 22. Septembris, inter cæteros aderat *Berardus* epiſcopus Nemoſienſis. *To. XI. conc. Labb. part. 2. col. 2417.* E. Vide ſupra inter archiepiſcopos Nicoſienſes, *col. 1206.* E.

V. Petrus I.

Waddingus, *tom. 7. annal.* in Append. ad

Digitized by Google

ECCLESIA NEMOSIÆ.

tom. 3. pag. 469. num. XI. ait addendum ad annum 1314. *n. VIII.* poſt verba *per omnia ſectari:* « Hoc anno miſit Henricus (II.) rex » *epiſcopum Nimocienſem,* Hugonem de Beduinis, & Fr. Aymerium, Minoritam.... legatos ad Jacobum II. regem Aragoniæ, ut » de ſorore ſua Maria, Jacobo deſponſanda, » ultimas tabulas conficerent: quod quidem feliciter præſtiterunt, &c.» Is probabiliter alius non eſt à *Petro de Herlant,* epiſcopo Limiſſenſi in Cypro inſula, cujus meminit Henricus Giblet, *hiſt. regum Luſinianorum* ad annos 1304. 1305. & 1307. *pp. 213. 224. & 238.*

VI. GUILLELMUS.

Fr. Guillelmus, Ordinis Carmelitarum, ſedebat epiſcopus Nemoſienſis anno 1324. quo die 21. Febr. tranſlatus fuit ad eccleſiam civitatis Caſtellanæ, & inde rurſus ad Æſernienſem anno 1332. die 15. Octobris. *Ex Regeſto Vaticano.* Ita poſt Ughellum, *tom. 1. col. 637. num. 15.* D. *veteris edit.* & *tom. 6. col. 501. num. 25.* B. Daniel à V. M. *Specul. Carmel. pag. 925. num. 3237.*

VII. RAYMUNDUS *adminiſtrator.*

Fr. Raymundus Bequin, Toloſanus, Ord. Præd. doctor Pariſienſis, ex Magiſtro ſacri palatii, quem ab an. 1321. egerat, Patriarcha Hieroſolymitanus renuntiatus eſt à Joanne XXII. anno 1324. data ſimul eidem (quia Hieroſolymis ob Saracenorum tyrannidem ſedere non poterat) *eccleſiæ Nemoſienſis adminiſtratione.* Eò mox ſe contulit, parteſque implevit vigilantis paſtoris uſque ad annum 1328. quo exceſſit è vivis. Legendus Raynaldus ad annum 1324. *num. 44.* & 1326. *num. 28.* Ita R. P. Echardus, *tom. 1. Script. p. 561. col. 1.* ubi emendat Razzium, Fontanam & Percinum, Dominicanos, circa hunc Raymundum varie hallucinatos.

VIII. PETRUS II. *adminiſtrator.*

Raynaldus, *tom. 15.* ad annum 1329. *n. 94.* ſcribit *Petrum è Palude,* ejuſdem Ord. Præd. Raymundo, qui in Cypro obierat eo anno, ſubrogatum in ſede patriarchali Hieroſolymitana, eidemque etiam ad hanc dignitatem ſuſtentandam, eccleſiæ Nimoſienſis in Cypro adminiſtrationem traditam. Is poſtmodum, relicta Nemoſia eccleſia, Conſeranenſis in Galliis adminiſtrator extitit, ut conſtat ex inſtrumento anno 1337. confecto, quod citat R. P. Echardus, *tom. 1. p. 606. col. 1.* Obiit Pariſiis anno 1342. die 31. Januarii, ibique ſepultus eſt in eccleſia FF. Prædicatorum.

IX. LAMBERTINUS.

Concilio Nicoſienſi ab Helia archiepiſcopo celebrato anno 1340. die 17. Jan. interfuit *Lambertinus* epiſcopus Nemoſienſis. *Tom. XI. conc. Labb. part. 2. col. 2432.* C. Vide ſupra inter archiepiſcopos Nicoſienſes, *col. 1208.* B. Hunc appellat Ughellus, *tom. 4. Ital. ſac. col. 750. n. 78.* D. *Lambertinum Balduinum della Cecca,* aitque Bononienſem fuiſſe, & ad ſedem Brixianam tranſlatum anno 1344. die 3. Novemb. ex epiſtola 3. Clementis VI. *in Reg. Vatic.* denique obiiſſe anno 1348. die 3. Septembris.

X. ITERIUS.

Lambertino tranſlato ad eccleſiam Brixianam, ſubrogatus eſt in ſede Nemoſienſi *Fr. Iterius de Nabinallis,* Minorita, præfati Heliæ archiepiſcopi Nicoſienſis conſanguineus. Diploma Clementis VI. *Inter ſollicitudines,* datum anno 1344. die 3. Novemb. extat apud Waddingum, *tom. 3. annal. in Reg. Pont. p. 304.* qui ejuſdem Iterii quoque meminit, *ibid.* ad annum 1344. *n. 6. p. 525.*

XI. LEODEGARIUS.

Idem Waddingus ad annum 1351. *n. 3. pag. 3.* epiſtolam refert Clementis VI. inſcriptam: « Venerabilibus fratribus Guillelmo Patriarchæ Hieroſolymitano, & Philippo ar- « chiepiſcopo Nicoſienſi, & Odoni Paphenſi, « & *Leodegario Nimocienſi* epiſcopis, datam « x. kal. Octobris (id eſt die 22. Septemb.) « anno x. (Chriſti 1351.») Legendus etiam Raynaldus, *tom. 16.* ad eum annum, *n. 19.* & ad annum 1353. *num. 25.*

XII. THOMAS.

Thomas Ammanatus, Piſtorienſis, ſedebat epiſcopus Nemoſiæ anno 1380. quo à Clemente VII. ſic dicto in ſua obedientia, tempore ſchiſmatis occidentalis, archiepiſcopus Neapolitanus renuntiatus eſt. Obiit Avenione anno 1396. die 6. Decemb. Ita Ughellus, *to. 6. Ital. ſac. col. 201. n. 30.* B. C. *vet. edit.*

XIII. STEPHANUS I.

Stephanus Gobemus ſive *Gobernus* eccleſiam Nemoſienſem adminiſtrabat an. 1390. quo tranſlatus eſt à Bonifacio IX. ad eccleſiam Corinthienſem, ex qua iterum tranſiit anno 1395. ad Acheruntinam, deinde anno 1402. die 6. Novemb. ad Calvenſem. Obiit demum anno 1413. Ita Ughellus, *tom. 6. Ital. ſac. col. 602. num. 21.* C. *veteris edit.* & *tom. 7. col. 70. n. 22.* A. De eo jam ſupra loquuti ſumus inter archiepiſcopos Corinthienſes, *col. 888.* B. C. *XII. Stephanus,* ubi *lin. 2.* pro *387.* legendum eſt *287.* & *lin. 5.* pro *1305.* legendum *1390.* Monitum.

Digitized by Google

XIV. BARTHOLOMÆUS.

Stephano in ſede Nemoſienſi ſuffectus eſt anno 1390. die 19. Sept. à Bonifacio IX. *Fr. Bartholomæus Gaius,* Minorita, ex Waddingo, *tom. 4.* ad eum annum, *n. 12. p. 287.*

XV. NICOLAUS.

Circa annum 1461. ſedebat epiſcopus Nemoſienſis *Nicolaus,* quem à Carola Ludovici regis Cypri uxore ad Emirum Sultani Ægypti delegatum refert Steph. Luſinianus, *hiſt. gener. regni Cypri c. 21. fol. 171.* ut Sultani ope jus ſceptri adverſus Jacobum II. ſibi conſervaretur: ſed prævaluit Jacobus, regnumque Cyprium invaſit. Vide *col. 1211.* E.

XVI. SALOMON.
XVII. STEPHANUS II.

Salomon Cardona, Ordinis Præd. ex Fernandez inter epiſcopos Græcos, & Plodio ſive Michaele Pio *part. 2. lib. 3.* Nemoſiæ epiſcopus electus eſt circa annum 1480. cui ſucceſſit, ex iiſdem ſcriptoribus, anno circiter 1486. *Stephanus,* Ordinis quoque Præd. Ita Fontana *Theat. Domin. pp. 248. & 249. tit. 423.*

XVIII. NICOLAUS II.

Ughellus, *tom. 5. Ital. ſac. col. 152. n. 84.* D. *veter. edit.* ſcribit *Nicolaum Donatum,* Patritium Venetum, Nemoſienſem epiſcopum, intruſum eſſe à ſenatu in locum Hermolai Barbari Patriarchæ Aquileienſis in exilium miſſi; quod contigit intra annum 1491. quo Hermolaus renuntiatus fuerat Patriarcha, & annum 1494. quo Hermolaus Romæ obiit.

XIX. PAULUS.

Idem Ughellus, *ibid. col. 1388.* C. profert bullam Clementis VII. datam anno 1524. de proceſſu canonizationis ſancti Laurentii Juſtiniani Patriarchæ Venetiarum, in qua dicitur Adrianum VI. (qui electus eſt Papa anno 1522. & deceſſit anno 1523.) *venera-*

A *bilibus FF. Thomæ Feltrenſi & Paulo Nemoſienſi epiſcopis.... mandaſſe ut proceſſum iſtum,* &c. Is jam ſedebat anno 1517. quo ſynodo Lateranenſi ſub Leone X. *to. 14. conc. Labb. col. 326.* A. interfuit.

XX. ANDREAS I.

Andreas Centanus, Venetus, epiſcopus Nemaſienſis (Nemoſienſis) ſubſcripſit concilio Tridentino ſub Paulo III. anno 1546. *ibid. col. 750.* C.

B

XXI. ANDREAS II.

Andreas alter cognominatus *Mocenicus,* etiam Venetus, qui creatus eſt epiſcopus Nemoſienſis à Pio IV. anno 1560. die 3. Maii, adſtitit eidem concilio ſub eo Papa, *ibid. col. 930.* Vivebat adhuc anno 1567. quo Vicarii ejus munus geſſit Stephanus Luſinianus, ut ipſe refert *hiſt. Cypri, fol. 211.*

XXII. SERAPHINUS.

Seraphinus Fortibraccia, Famaguſtanus, C Ordinis Præd. eccleſiæ Nemoſienſis incumbebat regimini annis 1570. & 1571. quibus expugnatæ ſunt à Turcis Nicoſia & Famaguſta. Poſterioris hujus urbis obſeſſæ incolis & militibus omnimodam opem ferens periit anno 1571. teſte Angelo Calepio, ad calcem hiſtoriæ Stephani Luſiniani, *fol. 279.* Ejus meminit R. P. Echard. *tom. 2. in indice epiſcoporum, pag. 31. col. 1.*

XXIII. STEPHANUS III.
XXIV. STEPHANUS IV.

D Fontana *Theat. Dom. pag. 249. tit. 423. col. 1.* refert *Stephanum Luzinianum,* Ordinis Præd. (qui eſt auctor hiſtoriæ regni Cypri, & aliorum operum apud R. P. Echardum, *to. 2. Script. pp. 300. col. 2. & 998. col. 1.*) ex nobiliſſima regum Luzinianorum ſtirpe ſatum, ad eccleſiam Nemoſienſem promotum eſſe à Sixto V. anno 1588. die 27. April. poſt obitum alterius *Stephani. Ex Actis Conſiſtorialibus* ejuſdem Pontificis.

V. ECCLESIA CERAUNIÆ.

CERAUNIA, urbs Cypri inſulæ Ptolemæo, *Ceronia* Polybio, *Cirynia* Plinio, nunc oppidulum *Cerines* dictum; hæc epiſcopalis eſt ſub archiepiſcopo Nicoſienſi, in ejus ora boreali Ciliciæ obverſa cum portu peramplo, inter Carpaſiam ad ortum, & Lapithum ad occaſum. Ita Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 256. col. 2.* Nonnullos ejus epiſcopos reperi Latini ritus.

EPISCOPI CERAUNIÆ.

I. JORDANUS.

R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pag. 216.* meminit *Jordani* cujuſdam *de Miramonte,*

E Ordinis Præd. epiſcopi *Sernenſis* (fortaſſis *Cerinenſis*) de quo Percinus *monum. convent. Toloſani* ad annum 1301. *p. 67. col. 1.* hæc loquitur: «Fr. Jordanus de Miramonte de

Digitized by Google

ECCLESIA CERAUNIÆ.

» prædicatione (id eſt domo FF. Prædic.) » Toloſana hoc anno numeratur in mſ. inter » epiſcopos Sernenſes (qui) electus (eſt) à » Papa Joanne XXII. promovente rege » Roberto, de quo (Jordano) nihil amplius reperi. »

II. Everhardus.

Daniel à V. M. *Speculi Carmelit. tom. 2. pag. 920. num. 3209.* ſcribit *Fr. Everhardum,* ſui Ordinis alumnum, ex Patritia apud Ubios familia de Muſgen, id eſt, de Muſculorum gente, epiſcopum *Caronenſem* (fortaſſis *Ceronenſem*) ſub patriarchatu Antiocheno fuiſſe promotum, & factum ſuffraganeum archiepiſcopi Colonienſis, ac obiiſſe Coloniæ anno 1397. Ex Ægidio Gelenio.

III. Andreas.
IV. Joannes.

Quum eccleſia Cerinenſis poſt obitum *Andreæ* ſui præſulis per annum & amplius vacaſſet, *Fr. Joannes de Ryſterſcheyt,* Ordinis Prædic. ei præfectus eſt à Martino V. Papa anno 1420. die 4. Sept. Ita R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pag. 703.* qui diploma pontificium exhibet, *ibid. p. 592.* Hunc Fontana *in monum. Dom. p. 310.* appellat epiſcopum *Chermenſem;* at legendum *Cerinenſem* conſtat ex diplomate laudato.

V. Syfridus.
VI. Dionysius.

Syfridus Piſcatoris, Ordinis Præd. Joanni poſt ejus obitum ſuffectus eſt ab Eugenio IV. anno 1446. die 6. Mart. cujus promotionis decretum exhibet R. P. Bremond, *tom. 3. Bullar. pag. 234.* Idem prorſus eſt, ac quem *Goffredum* epiſcopum *Corinenſem* appellat Fontana *Theat. Domin. pag. 180. tit. 204.* aitque ſucceſſiſſe Joanni eo anno Nonis Mart. quem etiam *Guffridum* appellat Sixtus IV. diplomate dato anno 1474. die 9. Maii, apud præfatum R. P. Bremond, *p. 635.* quo ei defuncto ſubſtituit in ſede Cyrenenſi (Cerinenſi) *Fr. Dionyſium Bard,* ejuſdem Ordinis Præd. aliàs nobis ignotum.

VII. Hieremias.

Ughellus, *to. 1. Ital. ſac. col. 546. n. 32.* B. *veteris edit.* ſcribit *Hieremiam Coutugium,* Volaterranum, Cardinali Soderino familiaritate conjunctum, ab Alexandro VI. ad eccleſiam Aſſiſienſem promotum anno 1496. die 8. Febr. ex ea vero poſt annos 13. ſubindeque anno 1509. ad Cirinenſem tranſiiſſe; quumque rediiſſet in patriam, deceſſiſſe Aſſiſii, & in templo S. Franciſci ſepultum eſſe.

VIII. Arnaldus.

Ex Thoma de Herrera *Alphab. Auguſtin. tom. 1. p. 45. col. 1. Fr. Arnaldus de Arceto,* Eremita Auguſtinianus, ad inſtantiam epiſcopi Adurenſis (*Ayres* in Gallia ſub archiepiſcopo Auſcienſi *Auch*) declaratus eſt epiſcopus Cirinenſis, & Adurenſis ſuffraganeus, à Leone X. anno 1517. die 20. Aprilis.

IX. Balthasar.

Fr. Balthaſar de Eredia, Hiſpanus, Ord. Præd. eccleſiæ Cirinenſi certo modo vacanti præfectus eſt à Paulo III. anno 1535. die 24. Febr. cujus promotionis diploma extat *to. 4. Bullar.* R. P. Bremond, *pag. 676.*

X. Lugara.
XI. Jerasimus. *Joannikius.*

Anno 1646. menſe Decemb. *D. Lugara,* epiſcopus Cirinenſis in Cypro, profeſſionem fidei, in qua unioni Græcorum cum eccleſia Latina conſenſum præbebat, emiſit coram ſacra Congregatione *de Propaganda Fide,* antequam in Cyprum progrederetur, quo ibat munitus litteris commendatitiis, quibus ſubſidium quarumdam pecuniarum Conſtantinopoli reciperet, ſibi ab eadem ſacra Congregatione conceſſum ad utilitatem religionis catholicæ in iis regionibus. Ita legitur in nunciis Gallicè ſcriptis per annum 1647. *pag. 18.* Hunc quidem veriſimile eſt fuiſſe epiſcopum Græcum, qui Romæ ſchiſma ejuraverit ſuæ nationis; ſed quia omiſſus fuit *tom. 2.* hujus operis, *col. 1074.* D. ejus hic meminimus. *Monitum.*

Accepimus etiam ex litteris ab Oriente miſſis anno 1733. eccleſiæ *Cirinenſis* præſulem Græcum, tunc ſedentem, *Jeraſimum* appellari; *Larnicenſis* vero in eadem inſula *Joannikium.*

Monitum. Dum de epiſcopis Latinis agimus, qui in inſula Cypro eccleſias adminiſtrarunt, quædam obſervanda occurrunt circa S. Lazarum à Chriſto Domino ſuſcitatum, de quo ſic habetur *tom. 2.* hujuſce operis, *col. 1055.* D. « In Kalendario Æthiopum Habeſſinorum » die 22. Maii, memoria legitur *ſancti Lazari epiſcopi* Cypri, qui ſecunda vice mortuus eſt, » inquiunt, poſtquam nempe à Domino à mortuis fuerat excitatus. In Menologiis Græcorum » ad diem 17. Octobris *Citii epiſcopus* fuiſſe dicitur, ejuſque corpus Conſtantinopolim tranſ- » latum eſt anno 890. Habeſſinorum, qui hoc à Cophtis Ægypti acceperunt, cum Menæis Græcorum conſenſus nonnullam veri ſpeciem huic Cypriorum traditioni præbet. » Hæc nimirum

Digitized by Google

nimirum elucidatione ſive emendatione quadam indigere videntur. Nam 1.° neque in Menologio Græcorum edit. 1628. neque in ejus verſione Latina, quam edidit Caniſius, *tom. 2. Lect. antiq.* quidquam reperitur de *epiſcopatu Citiano ſancti Lazari;* ſed fit duntaxat mentio ad diem 17. Octob. de *tranſlatione reliquiarum ſancti Lazari ex urbe Citio* Conſtantinopolim juſſu Leonis Sapientis, hoc modo: «Eodem die relatio reliquiarum *ſancti & juſti Lazari,* quas reliquias celeberrimus & fideliſſimus Imperator Leo, divino zelo com- « motus in templo pulcherrimo ſub ejus ſancti viri nomine dicato, ex urbe Citienſi Conſ- « tantinopolim tranſlatas in argenteis loculis repoſuit.» Extat apud Bolland. *tom. 3.* Febr. ad diem 23. *pag. 393. num. 10.* D. 2.° Expreſſe aſſerunt viri doctiſſimi Tillemont. *tom. 2. hiſt. Eccleſ. pag. 33.* & Baillet. *tom. 3. vit. SS. pag. 245. §. 2.* D. nullibi legi in operibus Græcorum S. Lazarum fuiſſe *epiſcopum* aut martyrem. «Comme *aucun des Grecs,* verba ſunt Tillemontii, *n'a remarqué ces deux circonſtances,* elles ne peuvent pas eſtre bien aſſu- « rées.» «Quelques-uns, inquit Bailletus, veulent meſme qu'il y ayt eſté éveſque (in Cypro inſula,) & d'autres ne font point difficulté d'adjouſter le titre de martyr à cette qualité, « mais ſans aucun fondement, & *ſans que les Grecs paroiſſent en avoir rien ſçû.* On ſe con- « tentoit encore au IX. ſiecle de dire que le corps de ſaint Lazare repoſoit en Cypre, ſans « parler ni de ſon *épiſcopat* ni de ſon martyre prétendu.» Quin etiam 3.° idem Bailletus, *ibid.* ex ſilentio ſancti Epiphanii Cypri IV. ſæculo metropolitæ, (qui, licet ex traditione quadam ſui temporis ſcripſerit ſanctum Lazarum anno vitæ trigeſimo à Chriſto ſuſcitatum adhuc 30. annos vixiſſe, nihil tamen loquutus eſt de ejus incolatu & obitu in Cypro inſula,) colligit traditionem Cypriorum de adinvento hujus Sancti tumulo juxta urbem Citium ſæculo IX. nullius eſſe auctoritatis. «On croyoit au IV. ſiecle, inquit, qu'il avoit vêcu 30. ans depuis ſa réſurrection, & qu'il en avoit deja 30. lorſque J. C. le reſuſcita. Mais « on peut aſſûrer que *nous connoiſſons encore moins le lieu* que le temps de ſa mort. Si l'on en « croit les Grecs, il mourut dans l'iſle de Cypre, & fut enterré à Citie ville fort connuë de « cette iſle; mais cette opinion ne paroiſt née que depuis le ſiecle de ſaint Epiphane, qui « eſtoit metropolitain de cette iſle, & qui n'auroit *peut-eſtre pas oublié d'en parler,* comme il « a fait de celle de ſon âge, *s'il l'avoit ſçuë.* Elle a paſſé dans l'Occident, où elle a eſté « reçûë long-temps ſans contradiction, &c.» Traditioni quidem ab Epiphanio laudatæ eò magis deferendum obſervat Tillemontius ſupra citatus, quod ipſe vixerit in inſula Cypro, ubi Græci recentiores perhibent ſepultum fuiſſe S. Lazarum. «Il pourroit, inquit, eſtre mort l'an 63. de l'ere commune, ſelon ſaint Epiphane; & *la tradition que cite ce Pere merite* « *d'autant plus de croyance, que les Grecs diſent que ſon tombeau eſtoit à Citie ville aſſez celebre* « *dans l'iſle de Cypre, dont ſaint Epiphane eſtoit metropolitain.* Quelques autheurs Latins con- « firment la meſme choſe, &c.» Sed totum hoc Tillemontii ratiocinium evidenter ſupponit, ex ſolo Cedreni & Zonaræ auctorum Græcorum XI. & XII. ſæculorum, quos nonnulli exceperunt Latini, teſtimonio, *ſanctum Lazarum certo deceſſiſſe in Cypro inſula,* quantumvis de eo obitu Epiphanius, IV. ſæculo florens, dum annos ejus vitæ ex quadam ævi ſui traditione commemoraret, tacuerit. Quod profecto ſtupendum, quum ipſemet hujuſmodi Græcos ſubleſtæ fidei millies inſimulet, penituſque floccifaciat quidquid ab eis adſtruitur, de ſæculis præſertim longe anterioribus, niſi id aliunde aliquo momento ſolidiori fulciatur. Tantum abeſt itaque ut ex narratione illa iſtorum Græcorum traditio Epiphaniana de 30. annis, quibus ſanctus Lazarus ſuæ reſurrectioni ſupervixerit, credibilior evadat; quin potius ex ſilentio Epiphaniano de extante ſepulcro ſancti Lazari juxta urbem Citium ſuo tempore, ſequatur, ut recte animadvertit Bailletus, verum non fuiſſe Sancti hujus tumulum, quem ii repertum aiunt in inſula Cypro ſub finem ſæculi IX. At hîc non immoror: eo enim ſancti Epiphanii ſilentio, 4.° contendo, non ſuaderi duntaxat utcumque, ſed & demonſtrari invincibiliter, epiſcopatum, incolatum, & obitum ſancti Lazari in ea inſula ipſis fuiſſe prorſus ignotos Cypriis IV. ſæculo. Æquum lectoris appello judicium. Dico igitur quod, ſi illo ævo innotuiſſet in Cypro inſula, ibi ſanctum Lazarum epiſcopatum geſſiſſe, aut vixiſſe, diemque clauſiſſe ultimum, ac ſepultum fuiſſe, id non modo forſitan (*peut-eſtre,*) ut cum Bailleto loquar, non prætermiſiſſet Epiphanius, ſed & expreſſiſſime protuliſſet; ex quo nimirum plene confutaſſet Manichæos, contra quos eo loci diſputabat. Illi quippe traditionem de 30. annis vitæ Lazari poſt reſurrectionem ſuam, quantumlibet hæreſim ipſorum jugulantem de corporibus noſtris, ut cæteris viſibilibus, à dæmone confectis, & per ſe malis, eam traditionem, inquam, in hunc præciſe finem illic ab Epiphanio adductam, repudiare, ſi non quoad *30.* ſaltem quoad *multos annos* reſurrectionis conſtantis & perſeverantis ejuſdem Lazari, ea evidentia convicti, minime potuiſſent. En Epiphanii textum juxta Dionyſii Petavii tranſlationem Latinam, *in tract. de hæreſibus hæreſi 45.* ſive *66.* quæ eſt Manichæorum,

tom. 1. pag. 652. A. B. C. « Cur enim non & hominem (à dæmoniorum legione liberatum) » in mare cum porcis præcipitare & extingui paſſus eſt, quo univerſas animas, tam hominis » ſcilicet quam porcorum, repurgaret ac ſervaret! Verum longe aliter iſtud intelligimus: ſi» quidem Lazarum è monumento quatriduanum evocat atque excitat, & in mundum reducit. » Nec utique mali quidquam eo facto conciliare voluit, aut abſurdum ei aliquid ineptumque » facere: *amabat enim Lazarum*, ait ſcriptura *(Joan. 11. 36.)* Quem igitur amabat, cur in » carnem, ſi ea mala eſt, regredi voluit! Cur non mortuum illum ſemel exſolutumque cor» pore, ita uti erat, reliquit! Nec eſt quod ſibi quiſquam perſuadeat Lazarum ſubinde eſſe » mortuum. Hoc enim evangelium aperte declarat, accubuiſſe poſtea Jeſum, & cum eo » Lazarum ſimiliter accubuiſſe. Quin & illud inter traditiones reperimus, triginta tum annos » natum fuiſſe Lazarum, quum à mortuis excitatus eſt; atque idem ille poſtea triginta aliis » annis vixit, atque ita mortuus ad Dominum rediit, & cum illuſtri nominis fama vocatus eſt, » ut & cæteri homines, ad ultimæ reſurrectionis uſque tempus, quando, ut pollicitus eſt, » unigenitus Dei Filius corpus animæ, corporique reſtituet animam, & *unicuique, prout geſſit, ſive bonum ſive malum (2. Cor. 5. 10.)* rependet.» Nihil ille eo de argumento amplius.

Porro ipſis cæcis conſpicuum eſt incolatum diuturniorem ſancti Lazari in Cypro inſula poſt reſurrectionem ſuam, ejuſdemque ibi epiſcopatum per plures annos, ac tumulum juxta urbem Citium, Epiphanii ratiocinio tantam vim contuliſſe adverſus errorem Manichæorum, quem impugnabat, tamque ineluctabile ſubminiſtraſſe de perdurante Lazari reſurrectione momentum, ad cujus evidentiam nihil illi reponere habuiſſent, ut eo nunquam certiſſime omiſiſſet ipſorum os obſtruere, ſi noviſſet. Didicerat quidem Epiphanius ex illa traditione, cujus etiam propterea meminit, ſed quam ab ipſo nulla aliunde probatione fultam Manichæis explodere facile erat, Lazarum ſuæ reſurrectioni ſupervixiſſe adhuc triginta annos; at quibuſnam in locis commoratus ſit toto illo tempore, ubinam deceſſerit, ubinam ſervaretur ejus ſepulcrum; quæ proferre ipſius tantum intererat, id, inquam, omne illo ævo tam ipſum Epiphanium latebat, quam cæteros Cyprios. Hoc ſolummodo indicat ipſo ſuo ſilentio Epiphanius, qui Eleutheropolitanus erat in Judæa non longe Hieroſolymis, qui Metropolita Cypri, Lazari corpus ſua ætate, nec in *Bethania*, nec in *inſula Cypro* fuiſſe aſſervatum.

Exinde autem inferendum videtur, 1.° recentiorum Græcorum traditione, quam nullo niti fundamento ultro ipſemet agnoſcit Bailletus ſupra laudatus, Maſſilienſes ſua poſſeſſione circa ſanctum Lazarum minime deturbari: præſertim quum in Anglia jam notum fuerit ſæculo XII. ex traditione utique anteriori, ſanctum Lazarum eccleſiæ Maſſilienſis fuiſſe *epiſcopum, olimque in ea urbe quieviſſe.* Id quippe ut rem ſuo tempore indubitatam refert Rogerus ſive Rogerius de Hoveden, ſcriptor Anglus XII. ſæculi, qui, teſte Joanne Pitſeo, *to. 1. Relationum hiſtoricarum de rebus Anglicis edit. Pariſ. 1619. p. 272.* florebat anno 1204. ſub Joanne rege Angliæ, & exaravit annales Anglorum diligentiſſime, non ſolum annos notando, ſed etiam menſes, & nonnumquam horas. Hujus quoque meminit Raynaldus, *tom. XIII. annal.* ad annum 1201. *num. 43.* Is igitur Rogerus annalium Anglorum, quos ab anno circiter 730. uſque ad finem anni 1200. deducit, hæc habet *part. poſter. pag. 671. lin. 53. edit. Francofort. 1601.* « Deinde pervenerunt (cruceſignati) uſque ad Marſiliam, » quæ diſtat per 20. milliar. ab introitu Rhodani. Marſilia eſt civitas epiſcopalis ſub poteſtate » regis Arragoniæ. *Ibi fuerunt reliquiæ ſancti Lazari fratris ſanctæ Mariæ Magdalenæ & Marthæ, qui ibidem ſeptem annis epiſcopatum tenuit, poſtquam Jeſus ſuſcitavit eum à mortuis.*» Et paulo inferius: « Ex altera parte portus (Maſſiliæ) ex oppoſito eſt abbatia S. Victoris.... Et ibi (inter alias reliquias quas enumerat) extat & *maxilla S. Lazari.*» In relatione Gallica de invento Auguſtoduni à x. vel XII. circiter annis ſancti Lazari corpore, legebatur pariter huic tantum defuiſſe *maxillam* Maſſiliæ conſervatam. Maſſilienſium traditioni etiam non parum favet quod de ea ſcribit Dionyſius Sammarthanus, *tom. 1. Gall. Chriſt. edit. Pariſ. 1715. col. 631.* B. « Communis eſt, non ſolum apud vulgus, verum etiam inter eruditos in » Provincia viros, primum qui fidem chriſtianam Maſſiliæ & in locis finitimis diſſeminavit, » fuiſſe ſanctum Lazarum à Chriſto Servatore noſtro è mortuis excitatum.... Hujus reliquias à Burgundionibus ſibi ablatas, & Auguſtodunum delatas queruntur Provinciales, &c.»

2.° Reliquias ſancti Lazari prope urbem Citium ſub finem ſæculi IX. repertas, & Conſtantinopolim tranſlatas, alterius fuiſſe Sancti à Lazaro quem ſuſcitavit Dominus. Certe in Menologio Græcorum ſupra memorato dicitur duntaxat Lazarus ille *ſanctus & juſtus,* ſed non *à Chriſto ſuſcitatus: Relatio pretioſarum reliquiarum ſancti & juſti Lazari, quas reliquias, &c.* Exuviæ fortaſſis fuerunt *S. Lazari monachi* & egregii pictoris à Theophilo Imperatore

Digitized by Google

ſæviſſime cruciati ob cultum ſacrarum imaginum, cujus ſcilicet corpus, quum ille Romam adiens in itinere deceſſiſſet, non improbabiliter in Cyprum inſulam adſportatum fuerit, ibique ſepultum.

3.° Tandem ſanctum Lazarum à mortuis excitatum, perperam ſupra *tom. 2. epiſcopis Citii* in inſula Cypro fuiſſe annumeratum, auctoritate præciſe ac teſtimonio Habeſſinorum Æthiopum, Cophtorum, & Græcorum, ævo ſancti Epiphanii longe poſteriorum; maxime nulla de præfato ejuſdem ſancti Epiphanii, hac in re tanti ponderis, ſilentio mentione facta.

Aliæ quædam Eccleſiæ Patriarchatus Antiocheni.

NONNULLIS eccleſiis, præter recenſitas, præpoſitos reperi aliquot Latini ritus epiſcopos. Sunt autem ſequentes ordine alphabetico.

A.

I. ECCLESIA ABIENSIS.

JAM obſervatum eſt ſupra, *coll. 1113. 1114.* D. duplicem Waddingo eſſe *Abienſem* eccleſiam, unam ſub Patriarcha Conſtantinopolitano, alteram ſub Antiocheno, de quibus nihil aliud occurrit, niſi aliquot illis datos fuiſſe præſules. De poſterioris hìc agemus.

EPISCOPI ABIENSES.

I. ADAMUS.
II. JOANNES.

PRæfatus Waddingus, *tom. 3.* ad annum 1349. *num. 12. pag. 566.* ſcribit *Adamo* epiſcopo Abienſi ſub patriarchatu Antiocheno, A ad ſedem Catarenſem tranſlato, ſubſtitutum fuiſſe eo anno die 8. Julii à Clemente VI. *Fr. Joannem de Monteſono,* Minoritam. Diploma autem exhibet, *ibid. in Regeſto Pontif. pag. 388.*

II. ECCLESIA ALEPPENSIS.

ALEPPUS urbs eſt Syriæ in Cyrrheſtica regione, quæ *Berrhæa* Ptolemæo, *Berœa* Plinio, *Beroa* Antonino, *Beroe* Stephano dicitur; nunc vero *Aleppo* Italis & *Alep* Gallis. In Jure orientali legitur *Berrœa ſive Chalepo.* Hæc Baudrand, *tom. 1. geogr. p. 161. col. 1.* ad vocem *Berrhœa.* Vide ſupra *coll. 81. 82.* & *tom. 2. coll. 781. 782.*

EPISCOPI ALEPPENSES.

I. VINCENTIUS.

VINCENTIUS *de Mazuelo,* Ord. Præd. renuntiatus eſt præſul *Bericenſis* (ſive Berrœenſis aut Aleppenſis) ut explicat R. P. Bremond, *to. 4. Bull. p. 205.* ab Alexandro VI. cujus diploma profert, datum anno 1498. die 6. Aprilis.

II. PETRUS.

Eccleſiæ Aleppenſi vacanti per præfati Vincentii obitum præfecit idem Alexander VI. B Papa an. 1500. die 11. Decemb. *Fr. Petrum de Monimo,* Ord. Præd. Ita R. P. Bremond laudatus, *tom. 4. pag. 208.* ubi tria exhibet hujus Pontificis diplomata.

III. BALDUINUS.

Anno 1645. duobus diebus ante feſtum Aſſumptionis B. V. M. menſe Auguſto, conſecratus eſt archiepiſcopus Aleppi in Syria *Fr. Balduinus,* Minorita de Obſervantia. Ex nunciis Gallicis per hunc annum, *pag. 883.*

Monitum. PRÆTERMISIMUS inter præſules Aleppenſes Maronitarum, *col. 81.* B. *Fr. Joannem-Baptiſtam,* natione Maronitam, & profeſſione Dominicanum, qui circa annum 1613. archiepiſcopus Maronitarum Aleppi degentium creatus eſt, cujus meminit R. P. Bremond, *tom. 5. Bullar. pag. 719.* aiens quamdam ejuſdem epiſtolam accenſeri litteris eminentiſſimi D. Cardinalis du Perron, *edit. Pariſ. anni 1623. p. 701.* Is proinde ante *Gabrielem de Blauſa* primo loco reponendus erit, adeoque expungendum quod legitur, *col. 74.* A. & *col. 81.* B. Gabrielem hunc fuiſſe primum Maronitarum Aleppenſium archiepiſcopum.

Digitized by Google

ECCLESIA CONSTANTIÆ.

C.

ECCLESIA CONSTANTIÆ.

IN notitia Græca, quæ eſt ad calcem Codini *de Officiis*, &c. *edit. Pariſ. 1648. p. 358.* in provincia Oſroënes ſub Edeſſa metropoli, tertio loco computata ipſa Edeſſa, recenſetur *Conſtantia* Κωνςάντια. Item *p. 361.* in provincia Arabiæ ſub Boſtra metropoli loco 12. computata Boſtra, extat *Conſtantine* Κωνςαντίνη, quam alii *Conſtantinam* & *Conſtantiam* nuncupant. Prior quidem, ex Cellario, *tom. 2. geogr. antiq. lib. 3. cap. 15. pp. 713. & 714.* olim appellabatur *Nicephorium:* altera vero, ut ſcribit M. A. Baudrand, *to. 1. geogr. p. 294.* urbs fuit epiſcopalis Cœleſyriæ ſub archiepiſcopo Boſtrenſi, ex libris conciliorum. Aliquot epiſcopos reperi ſæculo XIV. præfectos *Conſtantiæ ſub Patriarcha Antiocheno*, de qua quum non declaretur utra illarum fuerit, eos hîc ſubjicio, ad quamcumque pertinuerint.

EPISCOPI CONSTANTIÆ.

I. PETRUS.

WADDINGUS, *tom. 3. annal.* ad annum 1346. *num. 10. pag. 539.* refert *Fr. Petrum*, Minoritam, eo anno die 31. Jul. epiſcopum Conſtantiæ ſub Patriarcha Antiocheno à Clemente VI. eſſe renuntiatum.

II. JOANNES.

Fr. Joannes Lupi, Ordinis Carmelitarum, creatus eſt epiſcopus Conſtantienſis ſub Patriarcha Antiocheno, & ſuffraganeus eccleſiæ Veronenſis ante annum 1376. Ita Daniel à V. M. *tom. 2. Spec. Carmel. p 333. n. 3283.* Ejus meminit Ughellus, *tom. 5. Italiæ ſacræ col. 881.* D. in quodam inſtrumento confecto die 19. Maii anni præfati, quod Maſquardus Patriarcha Aquileienſis confirmavit anno ſequenti 1377. die 2. Januarii.

D.

ECCLESIA DIOCÆSAREÆ.

DIOCÆSAREA urbs eſt Ciliciæ aſperæ in Aſia minori inter Aphrodiſiam & Philadelphiam, 20. milliaribus diſtans ab ora maris mediterranei in ſeptentrionem, & 10. in occaſum à Seleucia Iſauriæ, cujus ſuffraganea eſt. Ita Baudrand, *to. 1. geogr. p. 335. col. 2.*

EPISCOPI DIOCÆSAREÆ.

I. LUDOVICUS.

II. THEODORICUS.

WADDINGUS, *tom. 5.* ad annum 1448. *n. 21. pag. 546.* ſcribit eccleſiæ Diocæſareæ ſub archiepiſcopo Seleucienſi vacantis per obitum *Ludovici* ejus præſulis adminiſtrationem ſuſcepiſſe, promovente Clemente VI. eo anno die 15. Aprilis *Fr. Theodoricum Curſhum*, Minoritam.

O.

ECCLESIA ORTOSIENSIS.

ORTOSIAS ſive *Sarchaïs* urbs eſt Phœniciæ ſub archiepiſcopo Tyri & Patriarcha Antiocheno, quam Baudrand, *tom. 2. geogr. p. 62. col. 2.* cum *Antarado* confundit, aiens eam prius *Antaradum* appellatam, & nunc *Tortoſam* dici. In notitia tamen Græc. epiſcopat. quæ extat ad calcem Codini *de Offic. p. 360.* in provincia Phœnices Paraliæ ſive littoralis ſub Tyro metropoli, *Ortoſias* & *Antaradus* ut duæ urbes ab invicem diſtinguuntur, loco quidem octavo Ὀρτωσιάς *Ortoſias:* loco autem duodecimo Ἀντάραδος *Antaradus.*

EPISCOPI ORTOSIENSES.

ARNALDUS.

EX Waddingo, *tom. 3.* ad annum 1345. *num. 7. pag. 531. Fr. Arnaldus*, Minorita, eccleſiæ Ortoſienſi ſub patriarchatu Antiocheno præpoſitus eſt à Clemente VI. Papa, eo anno die 3. Julii.

Atque hæc de patriarchatu Antiocheno Latini ritus.

Digitized by Google

PATRIARCHATUS HIEROSOLYMITANUS
RITUS LATINI.

JACOBUS de Vitriaco epiſcopus Aconenſis, & poſtea S. R. E. Cardinalis, hæc tradit
de Patriarchatus Hieroſolymitani ſtatu ſub Patriarchis & regibus Latinis, *Hiſtoriæ Hiero-
ſolymitanæ cap. 55.* in volumine inſcripto *Geſta Dei per Francos, Hanov. 1611. pag. 1077.
lin. 24.* « Habet (Hieruſalem) ſub ſe quatuor metropolitanos, quorum primus eſt *Tyrenſis.*
continens ſub ſe quatuor ſuffraganeos epiſcopos, ſcilicet *Acconenſem, Sydonienſem, Bery- «
tenſem, & Paneadenſem.* Eſt autem *Paneas* civitas illa quæ nunc vulgariter *Belinas* nuncu- «
patur, ad radices Libani montis ſita; Damaſcenæ civitati ſatis vicina eſt, & eſt terminus «
terræ promiſſionis. Secundus metropolitanus.... eſt *Cæſarienſis,* unum ſolum ſubjectum «
habens ſuffraganeum, epiſcopum videlicet *Sebaſtenſem. Sebaſta* alio nomine olim dicebatur «
Samaria, &c. Civitas autem quæ dicitur *Cayphas* ſive *Porphyria,* non habet epiſcopum; «
ſubeſt autem immediate archiepiſcopo Cæſarienſi. Tertius metropolitanus eſt *Nazarenus,* «
unum ſolum habens ſuffraganeum *Tiberiadenſem* epiſcopum, &c. Fuit autem quondam «
ſedes archiepiſcopalis in urbe Scythopoli.... ſed propter dignitatem loci, & reverentiam «
Dominicæ Conceptionis tranſlatus eſt archiepiſcopatus ad civitatem Nazarenam. Quartus «
autem metropolitanus eſt *Petracenſis,* unum ſolum habens ſuffraganeum epiſcopum Græcum «
in monte Synaï, eccleſiæ B. Virginis Catharinæ, & monachis ejuſdem monaſterii præfectum. «
Eſt autem *Petra* civitas munitiſſima, quæ vulgari nomine hodie dicitur *Crac,* & *Petra deſerti* «
ultra Jordanem in finibus Moab, in monte ſublimi ſita, ſecundæ Arabiæ metropolis, &c.»

« Habet præterea Hieroſolymitanus Patriarcha quoſdam epiſcopos ſuffraganeos ſibi, nullo
mediante, ſubjectos, ſcilicet *Bethleemitanum,* & *Ebronenſem,* & *Lyddenſem.* Fuit autem «
eccleſia Bethleemitica Prioratus canonicorum regularium uſque ad tempora Balduini I. regis «
Latinorum in Hieruſalem. Rex vero (ille) propter loci dignitatem & Dominicæ Nativitatis «
præcellentiam, eam cathedrali dignitate ſublimavit, conſtituens in eam epiſcopum de man- «
dato & voluntate bonæ memoriæ Paſchalis (II.) Papæ, qui etiam *Aſcalonem* civitatem eidem «
immediate ſubjecit. Similiter *Ebronenſis* eccleſia, quæ prius fuerat Prioratus, propter loci «
dignitatem in quo ſepulti ſunt Adam & Eva, & tres Patriarchæ Abraham, Iſaac & Jacob, «
cum Sara & Rebecca in, ſpelunca duplici... ad epiſcopalem ſublimata eſt dignitatem... *Lydda* «
autem civitas, quondam *Dioſpolis....* nunc ad *S. Georgium* nuncupatur.»

« Habet inſuper prædictus Patriarcha abbates & priores ſibi ſubjectos, inſignia pontificalia,
baculos ſcilicet & mitras, annulos & ſandalia ex privilegio dignitatis habentes, domino Pa- «
triarchæ in miniſterio reverenter aſſiſtentes. Patriarchalis ſiquidem eccleſia, quæ eſt *Dominici* «
ſepulchri ſub monte Calvariæ, canonicos habet regulares, ſecundum habitum & regulam «
B. Auguſtini viventes: habent autem Priorem, ad quem cum prædictis canonicis pertinet «
eligere Patriarcham, qui eſt eis loco abbatis. In eccleſiis autem *templi Domini,* & *montis* «
Sion, & *montis Oliveti* ſunt abbates & canonici, ſecundum regulam prædictam B. Auguſtini «
Domino miniſtrantes: in eccleſiis vero ſeu monaſteriis de *Latina* & *Vallis Joſaphat* ſunt «
abbates cum monachis nigris, ſecundum regulam B. Benedicti Domino ſervientes: *in Be-* «
thania vero, quæ eſt caſtellum Mariæ & Marthæ & Lazari fratris earum, & diſtat ab Hieru- «
ſalem quindecim ſtadiis, ultra montem Oliveti in declivi ejuſdem montis eſt abbatia *ſancti* «
Lazari, quæ dicitur *de Bethania,* in qua eſt abbatiſſa nigra, & moniales ſancti Benedicti «
regulam & inſtituta profitentes. Eſt autem alia *Bethania* trans Jordanem, ubi erat Joannes «
baptizans. Ejuſdem autem Ordinis & profeſſionis eſt abbatia *S. Annæ* genitricis matris «
Domini, juxta portam quæ dicitur Joſaphat, juxta probaticam piſcinam ſita, in quo loco «
B. Virgo Maria nata fuiſſe perhibetur, in qua eſt abbatiſſa cum monialibus nigris. Abbatia «
inſuper *S. Mariæ,* monialium in Hieruſalem cum abbatiſſa & monialibus nigris ſub ſancti «
Benedicti regula Deo ſervientibus, &c. In *monte Thabor* eſt abbatia nigrorum monachorum «

» ſub metropolitano Nazareno. *Joppenſis* autem civitas non habet epiſcopum, ſed immediate » ſubeſt Priori & canonicis Dominici ſepulchri: ſimiliter civitas *Neapolis*, quæ in evangelio » dicitur *Sichar*, ubi eſt puteus Jacob, juxta quem Dominus loquutus eſt Samaritanæ mulieri, » epiſcopo caret; pertinet autem ad abbatem *Dominici templi*. Multæ etiam aliæ ſunt civitates » in terra promiſſionis, quæ licet ante tempora Latinorum proprios haberent epiſcopos Su- » rianorum & Græcorum, Latini tamen propter multitudinem & paupertatem eorum, ne » dignitas epiſcopalis vilipenderetur, plures eccleſias cathedrales & civitates uni cathedrali ſubjecerunt.» Hactenus Jacobus de Vitriaco, cujus deſcriptioni addo quod Willelmus Tyrenſis habet de principatu civili Syriæ & Palæſtinæ iiſdem temporibus.

«Orientalis Latinorum tota regio, inquit, *lib. 16. hiſt. cap. 29. ibid. pag. 908. lin. 21.* » quatuor principatibus erat diſtincta. Primus enim ab auſtro erat *regnum Hieroſolymorum*, » initium habens à rivo qui eſt inter Byblium & Berytum urbes maritimas provinciæ Phœ- » nicis, & finem in ſolitudine quæ eſt ultra Darum, quæ reſpicit Ægyptum. Secundus erat » verſus ſeptentrionem *comitatus Tripolitanus*, à rivo ſupradicto habens initium, finem vero » in rivo qui eſt inter Maracleam & Valeniam, urbes ſimiliter maritimas. Tertius erat *prin-* » *cipatus Antiochenus*, qui ab eodem rivo habens initium, uſque in Tarſum Ciliciæ verſus » occidentem protendebatur. Quartus (demum) erat *comitatus Edeſſanus*, qui ab ea ſylva quæ dicitur Marrim, in Orientem ultra Euphratem protendebatur.» Vide quæ de *patriarchatu Hieroſolymitano* dicta ſunt initio hujus tomi III. à *coll. 101. 102.* & de illius regimine ſub præſulibus Latinis, *ibid. num. 32. & ſeqq. col. 131.*

Urbem Hieroſolymam ſic commendat Michael Antonius Baudrand, *tom. 1. geogr. edit. Pariſ. 1681. p. 481. col. 1.* «*Hieroſolyma*, urbs Palæſtinæ notiſſima, & Judææ caput Plinio, » Straboni, & aliis, &c. *Ælia* (dicta ab Ælio Hadriano Imperatore, à quo reſtaurata fuit) nunc » (vero) *Jeruſalem* Gallis, *Gieruſalem* Italis, & *Elkods* Turcis, id eſt, *urbs ſancta*, teſte Mi- » chaele Nau, &c. Eam ſacro Dei cultui reſtituit Conſtantinus magnus, & præclaris multis » operibus ornavit, inter quæ maxime eluxit templum ſepulchri D. N. J. C. quod olim extra » urbem erat. Hujus Imperatoris exemplo Omar Saracenorum Imperator, urbe ſui juris facta, » novum templum in monte Moriah, ubi quondam extitit Salomonis, extruxit ſuis, quod » uti novum templum extremum Arabes dixerunt, teſte Gollio. Subeſt autem dominio Tur- » carum ab anno 1515. circiter, quum antea pareret Soldano Ægypti; ſed parvi eſt circuitus, » & vix decem millia incolarum continet. A Turcis ad arcendos Arabes mœnibus cincta, » deficit in dies.... Capta eſt à Chriſtianis die Veneris 15. Jul. anno 1099. ſub Urbano II. » ſummo Pontifice, & Philippo I. Francorum rege, ipſiſque poſtea paruit fere per ſæculum » (id eſt uſque ad annum 1187.) ſub propriis regibus. Diſtat 25. milliar. à Joppe & à littore » maris Syrii in ortum, mare mortuum verſus 30. eſtque inter Damaſcum & Cayrum. De » hac urbe plurimi ſcripſere; ſed ejus loca ſacra fuſe deſcripſit & delineavit Bernardinus » Amicus à Gallipoli Ordinis S. Franciſci; & notandum quod religioſi hujus Ordinis habent » loca ſacra urbis Hieroſolymitanæ cum aliquot aliis in Terra-Sancta, ex liberalitate Roberti » regis Neapolitani ex familia Andegavenſi ab anno 1325. & etiamnum ſervant ſub clientela regum Francorum, ut dignoſcitur ex pontificiis diplomatibus.» Hucuſque Baudrand.

PATRIARCHÆ HIEROSOLYMORUM RITUS LATINI.

ARNULPHUS *vice-præſul.*
I. DAIBERTUS.

POſtquam urbem Hieroſolymam expugnavere Latini an. 1099. die 15. Jul. Godefrido Bullonio duce, hunc quidem principes exercitus cruceſignatorum in primum regem elegerunt; deinde, accepto ex inſula Cypro Simeonis Patriarchæ Hieroſolymorum Græci obitu, de ſucceſſore illi ſubrogando deliberatum. «Dilatio (tamen) facta eſt, inquit » Albertus Aquenſis, *lib. 6. Hiſt. Hieroſ. c. 39.* » donec inveniretur aliquis qui ad hoc ponti- » ficale officium foret idoneus, & tantum *Ar-* » *nulphum de Rohes*, clericum miræ prudentiæ » & facundiæ, cancellarium ſanctæ eccleſiæ » Hieroſolymitanæ, procuratorem ſanctarum A reliquiarum, & cuſtodem eleemoſinarum fi- « delium, conſtituerunt. Promoto nunc Ar- « nulpho ad hanc dignitatem ſanctæ & novæ « eccleſiæ, donec eligeretur Patriarcha, &c.» Id factum eo anno die 1. Auguſti teſtantur ſcriptores, qui tamen pro vario affectu vel *Patriarcham*, vel *vice-præſulem* tantum, hunc *Arnulphum* tunc fuiſſe aſſerunt, ut obſervat doctiſſimus Pappebrochius *in Hiſtor. chronol. Patriarcharum Hieroſol. præfixa tom. 3. Maii*, B *pag. 46. n. 195.* A. Sed de eo iterum redibit ſermo, quum illam eccleſiam Latinorum tertius obtinebit.

Conſtat enim, illo ejecto, maxime eo quod filius ſacerdotis erat, eo ipſo anno 1099. poſt diem Domini natalem, ſi fides habeatur laudato Alberto Aquenſi, *l. 7. c. 7.* & Fulcherio

Digitized by Google

Carnotenſi, *lib. 1.* ad hunc annum, vel anno ſequenti circa feſta paſchalia, ex auctore anonymo belli ſacri, *tom. 1. Muſæi Ital.* Mabill. *num. 135. p. 231. Daibertum,* quem *Daimbertum, Dagobertum,* & *Theodebertum* nominatum à diverſis legimus, jam Piſanum epiſcopum, virum doctrina & facundia celebrem, qui multis navibus ſtipatus Joppen venerat, in Patriarcham Hieroſolymorum, juvante Boamundo, fuiſſe electum. Is autem Gôdefrido regni Hieroſolymitani, & Boamundo Antiocheni principatus inveſtituras, à ſe ut Patriarcha humiliter depoſcentibus, contulit, ex Willelmo Tyr. *hiſt. lib. 9. c. 15.*

Verum quum defuncto die 18. Jul. ejuſdem anni 1100. Godefrido germanus ejus frater Balduinus ſucceſſiſſet, hic Arnulphi ſupramemorati, qui archidiaconi officio fungebatur, artibus Daibertum ſic inſectatus eſt, ut, patriarchali domo relicta, ſeceſſerit in eccleſiam montis Sion. Reconciliatus poſtmodum cum Balduino anno 1101. ipſum ſolemniter coronavit in eccleſia Bethleemitica die natalis Domini. At recrudeſcentibus denuo inter utrumque ſimultatibus, Daibertus ad Boamundum confugit, à quo honorifice ſuſceptus, eccleſiam ſancti Georgii adminiſtravit anno 1103. Anno autem ſequenti cum eo Romam petiit, ut coram Paſchali Papa cauſam ſuam exoraret: diutius vero expectatis nec comparentibus, qui adverſus ipſum aliquid objicerent, ſententia Romani Pontificis ſedi ſuæ, quam Ebremarus invaſerat, reſtitutus eſt; ſed quum reverteretur, obiit Meſſanæ in Sicilia an. 1107. die 14. Maii. Hæc omnia Willelmus Tyrius, *lib. X. hiſt. cap. 25.* & *lib. XI. capp. 1. & 4.*

EBREMARUS *intruſus.*

II. GIBELINUS.

Daiberto ſancta civitate egreſſo anno 1103. Arnulphus apud Balduinum regem egit ut ipſius loco, quaſi epiſcopatum abdicaſſet, *Ebremarus* conſtitueretur. « Is in prima venerat expeditione, inquit Willelmus Tyrius, *lib. X. c. 26.* honeſtæ converſationis merito cunctis acceptus; ſed in hoc craſſam nimis & ſupinam inventus eſt ignorantiam habuiſſe, quod, vivente Patriarcha, ſedem ejus licere ſibi credebat uſurpare. » Et *lib. XI. cap. 4.* « Ebremarus (autem) audiens quod prædictus Daibertus cum plenitudine gratiæ revertebatur, ſedem ſuam recepturus, antequam de obitu ejus inſtrueretur, ad eamdem Romanam transfretare decrevit eccleſiam, allegaturus de ſua innocentia, quomodo invitum & renitentem in eamdem ſedem eum locaverant. Quo perveniens, nihil impetrare potuit, quam ut cum eo dirigeretur legatus, qui de cauſa ejus, Hieroſolymis conſtitutus, plenius poſſet cognoſcere. Deſignatus eſt autem ad id munus proſequendum dominus Gibelinus, vir ſenior & grandævus, Arelatenſis archiepiſcopus, qui de mandato domini Papæ Hieroſolymam profectus, convocato epiſcoporum regni concilio, de cauſa domini Ebremari cognovit plenius. Quumque ei conſtitiſſet per teſtes idoneos, ſufficientes & majores omni exceptione, quod dominus Daibertus abſque cauſa legitima, Arnulphi factionibus & regia violentia fuerat expulſus, & quod Ebremarus adhuc viventis Pontificis, & eccleſiæ Romanæ habentis communionem, ſedem occupaverat, auctoritate qua præeminebat, eum à patriarchatu depoſuit. Sed conſiderans multam viri religionem, & ſimplicitatem miram, Cæſarienſem, quæ tunc vacabat, eccleſiam conceſſit habendam. »

« Poſtmodum vero, dum de ſubſtituendo eccleſiæ Hieroſolymitanæ Patriarcha clerus & populus diſceptaret, conſtituta ad hoc ſpecialiter die, ut ſuper eo negotio de more tractaretur, poſt multas hinc inde deliberationum partes, in dominum *Gibelinum* apoſtolicæ ſedis legatum unanimiter conveniunt, & eum in ſedem locant patriarchalem. Hoc etiam prædictus Arnulphus malitioſe dicitur conſtruxiſſe, ut homo ſenex & decrepitus in illa ſede diu vivere non poſſet. Eodem anno, qui erat ab Incarn. Domini 1107. &c. »

Gibelinus iſte anno 1094. jam ſedens archiepiſcopus Arelatenſis, eccleſiam ſimul Avenionenſem per aliquod tempus adminiſtravit, ut conſtat ex litteris ejus, quæ extant apud doctiſſ. Dionyſium Sammarthanum, *tom. 1. Gall. Chriſt. edit. Pariſ. 1715.* inter inſtrumenta eccleſiæ Avenionenſis, *p. 140. col. 2.* Item anno 1103. interfuit cum pluribus aliis præſulibus Gallo-provinciæ ſolemni dedicationi eccleſiæ ſancti Salvatoris à Petro III. Aquenſi archiepiſcopo peractæ, cujus rei inſtrumentum, ceu prorſus legitimum & in nullo de ſuppoſitione aut interpolatione ſuſpectum, exhibet idem Dionyſius Sammarthanus, *ibid. p. 66. col. 2.* In eo autem ita legitur: « Anno D. N. J. C. 1103. Petrus Aquenſis archiepiſcopus, congregatis quibuſdam comprovincialibus (id eſt ejuſdem regionis, quæ *Provincia* ſive *Gallo-provincia* nuncupatur) epiſcopis apud Aquas, videlicet *domno Gibelino Arelatenſi archiepiſcopo,* Johanne Cavellicenſi, Berengario Forojulienſi, & Augerio Regienſi epiſcopis, &c. ſtatuit conſecrare eccleſiam Domini Salvatoris, ſcilicet hîc noviter fundatam inter duas eccleſias, videlicet adverſus ſeptentrionem eccleſiam Dei genitricis ſitam; verſus meridiem

Digitized by Google

vero eccleſiam B. Joannis-Baptiſtæ poſitam, oratorio quoque ejuſdem Domini noſtri Salvatoris verſus orientem conſtructo. Hanc denique conſecrationem domnus Petrus archiepiſcopus, &c. ſed quoniam earumdem eccleſiarum quas ſuperius exaravimus B. Maximinus & B. Maria Magdalena primi fundatores extiterunt, in eadem eccleſia Salvatoris à ſupradictis religioſiſſimis viris in honore B. Maximini & B. Mariæ Magdalenæ altare dedicatum eſt, cujus conſecrationis dies eſt VII. idus (id eſt 7.) Auguſti, quatenus futuris temporibus, abſque ulla dubitatione, in eccleſia illa dies iſta celebris annuatim celebretur.» Ibidem etiam Paſchalis II. in diplomate dato anno ſequenti 1104. die 25. Februarii, inter feſta ſolemnia quibus idem Petrus Aquenſis archiepiſcopus pallio quod ipſi mittit, uteretur, feſtivitates recenſet SS. Mariæ Magdalenæ & Maximini epiſcopi. Ex quibus ob iter notare eſt, jam ſæculo XI. ſubindeque ducentis annis ante adinventas anno 1279. S. Mariæ Magdalenæ in ſancti Maximini fano reliquias, notum fuiſſe in Gallo-provincia, quod eò Sancta hæc & S. Maximinus adveniſſent. Obiit tandem Gibelinus anno exeunte IV. teſte Willelmo Tyrio, qui *lib. XI. Hiſt. capp. 14. & 15.* ita loquitur: «Capta eſt autem prædicta civitas (Sydon) anno ab Incarn. Domini MCXI. menſe Decemb. 19. die menſis. Per idem tempus mortuus eſt dominus Gibelinus bonæ memoriæ Hieroſolymorum Patriarcha, &c.»

III. Arnulphus.

Arnulphus, quem jam ſupra diximus, *col. 1243.* B. eccleſiæ Hieroſolymitanæ in *vicepræſulem* datum anno 1099. die 1. Auguſti, donec eligeretur Patriarcha, eam tandem obtinuit poſt Gibelini obitum, *invita Divinitate,* inquit laudatus Tyrius, *lib. XI. cap. 15.* ſubjungens: «Arnulphus... Hieroſolymitanus archidiaconus, qui vulgo cognominatus eſt *Malacorona....* ſicuti & prius, ſeipſum continuans, multa peſſima geſſit opera. Nam inter cætera neptem ſuam, apud dominum Euſtachium Grener unum de majoribus regni principibus, nobilium duarum urbium dominum, Sydonis videlicet & Cæſareæ, nuptui collocavit, cum ea conferens eccleſiaſtici patrimonii optimas portiones, Hiericho videlicet, cum omnibus pertinentiis ſuis, cujus hodie redditus annualis quinque millium dicitur eſſe aureorum, &c.» Et infra. «Ordinem quem primi principes ſtudioſe & cum multa deliberatione in eccleſia Hieroſolymitana inſtituerant, regulares canonicos introducendo, commutavit, &c.» Et *cap. 26.* ad annum 1115. «Eodem tempore dominus Papa, auditis enormitatibus Arnulphi Patriarchæ... legatum dirigit ad partes Syriæ... Auraſicenſem epiſcopum, qui ad partes noſtras perveniens, convocato univerſi regni concilio, prædictum Arnulphum coram ſe adſtare præcepit, tandemque, meritis exigentibus, auctoritate ſedis apoſtolicæ ab officio pontificali depoſuit. Ille vero adhuc fiduciam habens in ſuis præſtigiis, quibus pene univerſorum ſubvertebat animos, transfretare coactus, ad Romanam perrexit eccleſiam, ubi domini Papæ.... religionem circumveniens, cum gratia ſedis apoſtolicæ remeavit ad propria, ſedem obtinens Hieroſolymitanam eadem vivendi licentia, qua prius meruerat depoſitionem, &c.» Obiit anno 1118. menſe April. poſtquam Balduinum II. in regem Hieroſolymorum die 2. ejuſdem menſis, licet jam æger, inunxiſſet, ex Alberto Aquenſi, *lib. XII. capp. 29. & 30.* qui tamen hunc Arnulphum iis atris coloribus non depingit, quibus Tyrius.

IV. Gormundus.

Laudatus Willelmus Tyrius, *lib. XII. c. 6.* ad annum 1118. hæc ait de morte Arnulphi, & promotione *Gormundi.* «Per eoſdem dies mortuo Arnulpho Hieroſolymarum Patriarcha, viro inquietiſſimo, & officii ſui ſanctimoniam negligente, ſubſtitutus eſt ei vir ſimplex ac timens Deum, dominus *Gormundus,* natione Francus, de epiſcopatu Ambianenſi, de oppido Pinqueniaco (Piquiny.) Hujus diebus, & meritis etiam, ut creditur, multa magnifice ad regni conſolationem & incrementum operari dignatus eſt Dominus, &c.» Inter quæ merito cenſetur Templariorum Ordinis inſtitutio, quam idem Tyrius deſcribit, *ibid. cap. 7.* Anno 1123. inſtrumentum dedit Gormundus, ſua & aliquot præſulum atque abbatum ſubſcriptione munitum, de pactis conventis inter Venetos & principes regni Hieroſolymitani, quod legitur, *ibid. cap. 25.* Tandem deceſſit Sydone anno 1128. quum per annos circiter decem Hieroſolymorum eccleſiæ præfuiſſet, teſte præfato Tyrio, *lib. XIII. c. 25.* Is eſt procul dubio, qui *Guillelmus Patriarcha Hieroſolymitanus* nuncupatur in chronico Alberici ad annum 1118. *part. 2. pag. 235.*

V. Stephanus.

Gormundo ſucceſſit *Stephanus,* abbas S. Joannis de Vallea in urbe Carnotenſi, ipſe Carnotenſis genere, regiſque Balduini conſanguineus. De quo hæc habet Willelmus Tyrius, *lib. XIII. c. 25.* «Hic ejuſdem civitatis, ante converſionem ſuam, in equeſtri Ordine & habitu fuerat Vice-dominus: poſtmodum

» poſtmodum ſæculo renuncians, habitum religionis in prædicto clauſtro ſuſcepit. Demum ſuffragantibus meritis, ad regimen ejuſdem eccleſiæ (cœnobii) promotus eſt, in adoleſcentia ſua liberalibus diſciplinis convenienter inſtructus. Qui quum orationis gratia & devotionis intuitu Hieroſolymam veniſſet, ibique tranſitum expectans, moram faceret, contigit quod poſt exequias D. Gormundi Patriarchæ, dum clerus & populus de ſubſtituendo paſtore tractarent, communi omnium voto electus eſt, &c. Erat autem homo magnificus, in propoſito conſtans, honeſtæ converſationis, juris ſui ſollicitus proſecutor (in civitates Joppenſem & Hieroſolymitanam:) unde inter eum & D. regem graves exortæ ſunt inimicitiæ, quarum tamen mors immatura finem dicitur feciſſe. Nam non completo biennio in fata conceſſit. Opinantur nonnulli eum veneno dato interiiſſe; ſed nos pro certo id compertum non habemus. Traditur tamen, quod dum in lecto ſupremæ decubaret ægritudinis, & rex (Balduinus II.) ad eum viſitandum eſſet ingreſſus, & ab eodem de ejus ſtatu quæreret, ita reſponderit: *Sic eſt nobis in præſenti, domine Rex, ſicuti vultis.*» Obiit anno 1130. Porro monaſterium Carnotenſe, cui ante aſſumptionem ad patriarchatum præerat Stephanus, canonicorum regularium fuit ab Ivone epiſcopo Carnotenſi erectum anno 1099. Alberto autem primo abbati ſucceſſerat.

VI. Willelmus *ſive* Guillelmus I.

Willelmus ille, ex eodem Tyrio, *lib. XIII. cap. 26.* ad annum 1130. *Prior* erat *Dominici ſepulcri, vir ſimplex, modice litteratus, forma decorus, moralitate commendabilis, Flamingus natione, de eo loco qui dicitur Mecine; regi, regnique principibus, & populo univerſo plurimum acceptus.* Anno ſequenti 1131. Fulconem Balduini II. generum, ejuſque ſucceſſorem in regno Hieroſolymorum, corona regia redimivit die 14. Septembris. Adfuit deinde tum concilio Antiocheno, in quo Arnulphus hujus ſedis Patriarcha depoſitus eſt, tum ſynodo Hieroſolymitanæ, ad quam venerat maximus Armenorum Pontifex, qui *Catholicus* dicitur, & multa plenius inſtructus in fide ſua correxit, *ibid. lib. XV. capp. 16. & 18.* Item anno 1142. Fulcone mortuo menſe Novemb. Balduinum III. ejus filium tredecim annorum, die natali Domini in regem, cum Miliſinde regina matre ejus, ſolemniter inunxit, *ibid. lib. XVI. cap. 3.* Obiit tandem die 27. Septembris, ſui præſulatus anno XV. *ibid. c. 17.* ſubindeque, ut videtur, anno 1145. Is proinde ille ipſe eſt, qui *Fredericus* appellatur in Alberici chronico ad annum 1141. *parte ſecunda, pag. 288.*

VII. Fulcherius.

Poſt mortem Willelmi vacavit patriarchalis ſedes Hieroſolymorum uſque ad diem 25. Januar. anni ſequentis 1146. quo ſubſtitutus eſt ipſi *Fulcherius* Tyrenſis archiepiſcopus. Ita refert Willel. Tyr. *l. XVI. c. 17.* Is Conradum Imperatorem Germaniæ, deinde Ludovicum VII. regem Franciæ, qui in auxilium regni Hieroſolymitani cum exercitu crueſignatorum in Orientem venerant, in ſanctam civitatem ſolemniter introduxit. Interfuit etiam generali curiæ apud urbem Acconenſem indictæ, ut de fructu ex ea Occidentalium principum peregrinatione ſuſcepta percipiendo tractaretur: ſed irritus labor, *ibid. cap. 29.* Adſtitit anno 1152. cum pluribus aliis epiſcopis obſidioni urbis Aſcalonæ, quæ capta eſt à Balduino rege anno 1154. die 12. Auguſti, *ibid. lib. XVII. capp. 21. 23. & 30.* Quare emendandus error qui ſupra irrepſit, *col. 501. E.* & pro *anno 1146.* legendum eſt *anno 1152.* Anno 1155. aut 1156. verno tempore Fulcherus, licet longævus, & fere centenarius, ad ſummum Pontificem Adrianum IV. venit, pluribus epiſcopis ſibi ſubditis ſtipatus, ut adverſus fratres Hoſpitalis ſancti Joannis nonnihil expoſtularet; verum reverti, infecto negotio, neceſſe habuit, *ibid. lib. XVIII. capp. 6. 7. & 8.* Deceſſit autem anno patriarchatus XII. die 20. Novembris, adeoque Chriſti 1157. *ibid. cap. 19.*

Monitum.

VIII. Amalricus.

Fulchero, opera tum ſororis reginæ Miliſendis, tum etiam Sibillæ ſororis regis Balduini III. ſubſtitutus eſt in ſede Hieroſolymitana *Amalricus eccleſiæ Dominici ſepulchri Prior* (verba ſunt præfati Willelmi Tyr. *l. 18. cap. 20.*) *natione Francus, de epiſcopatu Noviomenſi, de oppido Neella, vir commode litteratus, ſed ſimplex nimium, & pene inutilis.* Ejus electioni contradixerunt Cæſarienſis & Bethleemitanus præſules, & ad ſedem apoſtolicam appellarunt. Sed Patriarcha Fredericum epiſcopum Acconenſem Romam miſit, qui adverſarios præveniens, ab Adriano IV. Papa pallium Amalrico obtinuit. Id probabiliter contigit anno 1158. Quædam extant illius epiſtolæ ad Ludovicum VII. Francorum regem, in libro cui titulus, *Geſta Dei per Francos, pag. 1172. & ſeqq.* Anno 1162. (ut habet idem Tyrius, *lib. XVIII. cap. 34.* nam quod legitur, *lib. ſeq. XIX. cap. 1 anno 1163.* mendum eſt, ex ibid. adjunctis corrigendum) Balduino III. die 10. Febr. abſque liberis mortuo ſucceſſit frater ejus Amalricus, quem regio chriſmate inunxit Amalricus

Patriarcha die 18. ejuſdem menſis, eoque viam omnis carnis ingreſſo die 11. Jul. anni 1173. filium ejus Balduinum IV. coronavit die 15. Julii, ex prædicto Willelmo Tyrio, *lib. XX. cap. 33.* & *lib. XXI. cap. 2.* Obiit demum Amalricus anno 1180. die 6. Octob. patriarchatus ſui anno XXII. menſe ſequenti à morte Ludovici VII. Francorum regis, *ibid. lib. 22. cap. 2.*

IX. Eraclius *ſive* Eracleus.

Amalrico intra decem dies ſubrogatus eſt *Eraclius* Cæſareenſis archiepiſcopus, teſte laudato Tyrio. Hunc Marinus Sanutus, *lib. 3. part. 6. c. 24.* verſus finem voluminis dicti *Geſta Dei per Francos, edit. Hanov. 1611. p. 172. lin. 33. tam pernicioſi exempli* fuiſſe ait, *ut procedentem ornatiſſimam mulierem, quam publice tenebat, vulgus Patriarchiſſam vocaret,* & *in ejus electione publice dictum* fuerit, *ſub Eraclio amittendam eſſe crucem, ſicut ſub Heraclio Imperatore recuperata fuerat: quod & accidit.* Anonymus ſcriptor qui Willelmi Tyrii hiſtoriam Gallico idiomate ſæculo XIII. labente tranſtulit, & ad ſua uſque tempora continuavit, Eraclium tradit Arvernum fuiſſe in Gallia, forma decorum: Hieroſolymitana autem ſede donatum, agente Sibilla Guidonis, qui an. 1186. rex Hieroſolymorum evaſit, uxore: Willelmum Tyri archiepiſcopum ejus electioni obſtitiſſe, ac prænuntiaſſe futurum ut, ipſo patriarchatum gerente, civitas ſancta in Infidelium denuo poteſtatem veniret. Miſſus eſt à Balduino IV. Antiochiam cum aliquot epiſcopis & proceribus, ut Boamundum Antiochiæ principem, quem Aymericus Patriarcha Antiochenus à communione ſegregaverat, eo quod, relicta uxore ſua Theodora Manuelis Imperatoris Græcorum nepte, Sibillam quamdam duxiſſet, cum illo Patriarcha reconciliaret; ſed nihil confecerunt, ex præfato Willelmo Tyrio, *lib. 22. cap. 7.* Anno 1184. in Gallias venit Eraclius, auxilia Terræ-Sanctæ graviter periclitanti à Philippo Auguſto rege petiturus. In Angliam quoque tranſiit. Poſt biennium Hieroſolymam reverſus, vidit mala gentis ſuæ; regem ſcilicet Guidonem, qui poſt mortem Balduini IV. & filii ejus Balduini V. quorum prior obiit anno 1185. poſterior vero anno ſequenti, in regem promotus fuerat, captum à Salahadino Ægypti Soldano, profligato ejus exercitu prope Tiberiadem, ſanctamque poſtea civitatem Chriſtianis ab eodem Salahadino ereptam anno 1187. De qua ſtrage legenda hiſtoria Hieroſolymitana volumini *Geſta Dei per Francos* inſerta, *pag. 1150.* Porro Patriarcha, cum Sibilla regina, Templariis, Hoſpitalariis, & numeroſo populo, Antiochiam petiit, *ibid. pag. 1155. lin. 1.*

Obiit tandem Eraclius, dum Acon obſideretur à Chriſtianis, quæ, eò advenientibus Philippi Auguſti regis Francorum & Richardi regis Angliæ claſſibus, capta eſt anno 1191. die 12. Jul. Exinde uſque ad annum 1291. quo in Saracenorum denuo rediit poteſtatem, ſedes fuit tum Patriarcharum Latinorum, tum etiam regum Hieroſolymorum, qui Hieroſolymis amplius degere non poterant.

X. Sulpitius. *Cyrillus.*
XI. Michael *electus.*

Theodoricus Pauli (de quo vide ſupra *col. 141.* C.) *Sulpitium* quemdam recenſet, Eraclii in patriarchatu Hieroſolymitano ſucceſſorem, teſte Papebrochio *in hiſt. chronol. Patriarcharum Hieroſolymorum, tom. 3. Maii præmiſſa pag. 51. num. 213.* D. *col. 2.* ubi etiam ſubdit, *ibid.* à Palæonidoro tradi in vita S. Cyrilli Prioris tertii Carmelitarum, hunc *Cyrillum* anno 1191. à Cœleſtino III. Papa electum eſſe in Patriarcham Hieroſolymitanum; ipſum vero huic muneri ſuſcipiendo non præbuiſſe conſenſum. Sed ipſe Papebrochius hanc electionem pro valde incerta habet. Idem Theodoricus Pauli, *ibid. n. 214.* F. de Michaele ita loquitur: « Anno 1194. *Michael,* Pariſienſis decanus, vir in regendis « ſcholis Pariſienſibus eximius, & in largiendis « eleemoſinis, & in aliis pluribus bonis floridus, « *in Patriarcham Hieroſolymorum eſt electus:* « ſed poſt quindecim dies à clero Senonenſi « electus, & in archiepiſcopum Senonenſem « eſt conſecratus: & ſic alius electus in Pa- « triarcham fuit, cujus nomen non reperi. » In chronico Alberici ad annum 1194. legitur pariter, *pag. 403. Magiſter Michael, decanus Pariſienſis, vir theologus & religioſus, in Patriarcham Hieroſolymam* (Hieroſolymorum) *eſt electus; ſed antequam illuc iter arriperet, factus eſt Senonenſis archiepiſcopus.* Extat *t. 2.* Miſcellaneorum Baluzii, *pag. 242. epiſtola J. epiſcopi Lyddenſis ad magiſtrum Michaelem decanum eccleſiæ Pariſienſis, & electum Patriarcham Hieroſolymitanum,* qua eum invitabat ut patriarchatum acciperet, & veniret quantocius.

XII. Monachus.

Michaele ad ſedem Senonenſem promoto, ut nunc dictum eſt, eccleſiam Hieroſolymitanam ſuſcepit vir quidam venerabilis, nomine *Monachus,* de Florentina civitate oriundus. Scilicet is, quum Hieroſolymam devotionis cauſa veniſſet, à Patriarcha primùm cancellarius, deinde archiepiſcopus

Digitized by Google

Cæſarienſis creatus fuerat: ex qua eccleſia ad Hieroſolymitanam tranſiit anno 1194. & obiit anno 1203. De eo legendum inſtrumentum ſuper tranſlationem brachii ſancti Philippi Apoſtoli Florentiam anno 1205. exaratum ante annum 1230. quod extat *to. 1.* Actorum SS. Maii, *p. 15. col. 2. num. 1.* D. E. Monachum Cæſarienſem archiepiſcopum electum, miſſum Antiochiam cum Eraclio Patriarcha Hieroſolymitano, & aliquot aliis epiſcopis à Balduino IV. ut Boamundum principem cum ſuo Patriarcha Aymerico reconciliare conarentur, refert Willelmus Tyrius, *lib. 22. c. 7.* Ad hunc Patriarcham ſpectant nonnullæ epiſtolæ Innocentii III. *tom. 1. edit. Baluz.* puta 11. 73. 505. & 518. lib. I. anno 1198. *pagg. 6. 40. 290. & 297.* Item 189. 257. & 273. lib. II. *pagg. 459. 508. & 521.* Ejus quoque meminit Albericus in chronico ad annum 1153. *p. 324.* ubi eum dicit Tuſcum fuiſſe, & ſucceſſiſſe Eraclio. Vide inſuper Ughellum, *to. 3. Ital. ſac. col. 487.* C. *vet. edit.* & *t. 4. col. 1097.* B.

XIII. Soffredus *electus.* *Simon.* XIV. Albertus.

In inſtrumento de tranſlatione brachii S. Philippi Apoſtoli modo laudato hæc habentur, *pag. 16. col. 2. n. 5.* E. «Tumulato » corpore tanti Patris (Monachi Patriarchæ » Hieroſolymorum,) venerabilis Cardinalis » *Soffredus* (qui creatus eſt Cardinalis anno » 1182. & deceſſit anno 1211.) qui tunc in » Ultra marinis partibus legationis officio fun- » gebatur, *fuit in Patriarcham electus:* ſed ille » poſtea electioni renuntiavit. Verum univerſi » ad quos ſpectabat electio, de conſenſu regis » elegerunt *epiſcopum Vercellenſem* (Albertum) » ad quem reducendum (Rainerus ortu Flo- » rentinus, eccleſiæ primùm S. Reſurrectionis » Hieruſalem, tunc Joppenſis) Prior fuit legatus principaliter conſtitutus.» Odericus Raynaldus, *to. 13. annal.* ad annum 1203. *n. 10.* refert excerptum epiſtolæ Innocentii III. ad Soffredum Cardinalem, qua illum vehementer hortabatur ut oblatum patriarchatum ſuſciperet: ſubdebatque ſe alteri legato pallium mittere, ut ab ipſo illud acciperet, ac legationem unà cum patriarchatu gerat, ſuique conſilii eſſe, ita eccleſiæ Hieroſolymitanæ ipſum conferre, ut tamen Romanæ auferre nolit: at non acquievit Soffredus.

Simonis cujuſdam Patriarchæ Hieroſolymitani ante Albertum meminit Albericus in chronico ad annum 1214. *p. 475.* his verbis: « Patriarcha Hieroſolymitanus poſt *Simonem* » & Albertum dicebatur Galterus, qui hoc » anno à quodam peſſimo chriſtiano cultello occiſus eſt.» Verum *Simon* iſte alius non fuit à *Monacho*, vel fortaſſis *Soffredo*, poſt quorum prioris quidem obitum, poſterioris vero recuſationem, *Albertus* electus eſt Hieroſolymorum Patriarcha.

Hic autem Albertus, de Caſtro Gualterii Parmenſis diœceſis, nobili proſapia ortus, è canonico regulari cœnobii Mortarienſis, inter Paduam & Vercellas ſiti, Bobienſis epiſcopus electus eſt anno 1184. eodemque anno translatus ad Vercellenſem eccleſiam, cujus regimini per 20. circiter annos diligentem impendit operam. Deinde anno 1204. ad patriarchatum Hieroſolymitanum aſſumptus; pallium ab Innocentio III. recepit, munuſque legati apoſtolici per quadriennium exercendum. Eumdem anno ſequenti 1205. in Syriam transfretantem præfatus Papa litteris datis die 16. Junii, cunctis archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, &c. in Hieroſolymitana provincia conſtitutis plurimum commendavit, teſte Raynaldo, *tom. 3.* ad illum annum, *num. 27.* Multæ occurrunt hujus Papæ epiſtolæ ad eum ſcriptæ: ſcilicet 186. & 214. lib. X. anno 1207. 9. 108. & 110. lib. XI. anno 1208. 8. & 28. lib. XII. anno 1209. 126. lib. XIII. anno 1210. 64. 104. 134. & 147. lib. XIV. anno 1211. 185. lib. XV. anno 1212. 7. 36. 90. & 150. lib. XVI. anno 1213. *tom. 2. edit. Baluz.* Ea etiam legi poteſt, qua ipſum monet Pontifex, ut electioni de ſe factæ conſenſum impertiatur, extat *in tractatu de geſtis Innocentii III. præfixo tom. 1. edit. Baluz. num. 88. p. 48. col. 2.*

Hujus Patriarchæ acta in Vercellenſis eccleſiæ monumentis reperta, ipſum ferunt, dum in Oriente per octo annos tam ſancte & laudabiliter vixiſſet, ut non ſolum à Chriſtianis, verum etiam à Saracenis in magna veneratione haberetur, à viro quodam de loco Caluxii Eporedienſis diœceſis, quem de ſuis exceſſibus corrigebat, occiſum anno 1214. die ſacra Exaltationis Sanctæ Crucis menſe Septembri, Accone, in proceſſione quam cum ſuo clero ſolemniter agebat. Fratribus Montis Carmeli regulam concinnavit, in multis poſtea correctam, ad illorum preces, ab Hugone de S. Charo Cardinali, & Guillelmo epiſcopo Antaradenſi Dominicanis, juſſu Innocentii IV. qui hanc correctionem approbavit anno 1247. De eo Alberto conſulendi Ughellus *tom. 4. Ital. Sacræ in Vercellenſibus Epiſcopis col. 1086. n. 64. D. vet. edit. & in Bobienſibus ibid. col. 1295. n. 11. c.* & Papebroch. *tom. 1. April. ad diem 8. pag. 769. & ſequent.* Albertum hunc cum Alberto Bethleemitano epiſcopo confuſum ab Auberto Miræo nonnulliſque aliis auctoribus, obſervat idem Ughellus *col. 1096. D.*

Digitized by Google

XV. Gualterus *ſive* Lotharius.
XVI. Radulphus *ſive* Rodulphus.

Anno 1212. Aconenſis epiſcopus ſedebat *Gualterus*, cujus, unàque Alberti Patriarchæ documentum quoddam plumbeo ſigno munitum Acone datum eo anno aſſervatur in archivo Januenſis eccleſiæ, teſte præfato Ughel. *ibid. col. 1198. B. C.* Hunc quidem Alberto ſucceſſiſſe ait chronicon Alberici ſupra memoratum his verbis: « Patriarcha Hieroſolymitanus poſt Simonem & Albertum dicebatur *Galterus*, qui hoc anno (1214.) à quodam peſſimo chriſtiano cultello occiſus fuit: cui ſucceſſor factus eſt magiſter *Radulphus*, qui erat in Sarepta Sydoniorum epiſcopus. » Verum non Galterus ſive Gualterus hoc modo vitam amiſit, ſed Albertus, ut dictum eſt, cui ſubrogatum Radulphum, prætermiſſo Gualtero, tradit Marinus Sanutus, *lib. 3. part. XI. c. 5.* « Anno 1214. inquit, Albertus Patriarcha Hieroſolymitanus in proceſſione mortuus eſt, cui ſucceſſit *Rodulphus*. »

Porro Gualterus fuiſſe videtur, quem *Lotharium* idem Ughellus appellat *tom. 3. col. 498. num. 48. C.* aitque Vercellenſi eccleſiæ præfuiſſe poſt Albertum, deinde tranſlatum eſſe ad ſedem Piſanam anno 1209. quum vero *in Orientem illic bellantibus Chriſti fidelibus opem laturus cum ſuis Piſanis tranſiiſſet, Patriarcham Hieroſolymorum creatum anno 1216.* pro quo legendum eſſe, non 1215. cum ipſomet Ughello *tom 4. col. 1101. A.* ſed 1214. colligitur ex epiſt. Innocentii III. *Patriarchæ Hieroſolymitano* data *x. kal. Mart. Pontif. anno XVII.* (id eſt die 20. Februarii anno 1215.) *tom. 2. edit. Baluz. p. 838. col. 1.* in qua Pontifex alterius epiſtolæ meminit à ſe ſcriptæ Alberto *bonæ memoriæ prædeceſſori ejus*.

Huic autem Gualtero ſive Lothario probabiliter ſucceſſit *Radulphus* epiſcopus Sareptæ, quem memorant ſupra laudati Albericus & Sanutus, ſed non aſſignant quo anno. Unde, quoniam ex eodem Alberico ad annum 1215. *p. 488.* concilio Lateranenſi eo anno interfuerunt Patriarchæ Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus, palam eſt Gualterum vel Radulphum huic ſynodo adfuiſſe. Gualterum quoque vel Radulphum ſpectant, quæcunque de *Patriarcha Hieroſolymitano* habet Raynaldus *tom. 13.* ad annos 1217. *num. 31.* 1218, *nn. 6. & 14.* & 1222. *nn. 8. & 9.* Horum Patriarcharum poſterior obiit anno 1225. ex præfato Alberico ad illum annum, *p. 518.*

XVII. Giroldus *ſive* Geraldus.

Raynaldus *tom. 13.* annal. ad annum 1220. *num. 43.* hæc tranſcribit de Giraldo, ex chronico Cluniacenſi manuſcripto: *Giroldus ſive Girondus, anno 1220. ex abbate Cluniacenſi fit epiſcopus Valentinenſis, & poſtea fuit Patriarcha Hieroſolymitanus. Obiit VII. idus* (id eſt die 7.) *Septembris: jacet juxta ſepulcrum Domini Hieruſalem: cujus anno ſecundo congregatus eſt exercitus Domini in Accon, & antequam prædicarent crucem in Saxonia, apparuit triplex forma crucis in aëre, & in medio illarum apparuit crucis patibulum figuram hominis habens in eo ſuſpenſam, cum infixione clavorum in manibus & pedibus, & capite incoronato.* Porro Giroldus ille anno 1222. delegatus eſt ab Honorio III. qui de ſanctitate vitæ & miraculis S. Roberti abbatis Moliſmenſis & fundatoris Ordinis Ciſtercienſis, cum quibuſdam aliis, inquireret. Anno autem 1224. donationem accepit nomine ſuæ eccleſiæ, à Guidone Adomaro, *Gall. Chriſt. to. 2. part. 2. p. 1113. n. 41. edit. Par. 1656.* Anno demum ſequenti 1225. ex jam ſupra laudato Alberici chronico, poſt obitum Radulphi, Patriarcha Hieroſolymitanus creatus eſt: is proinde videtur eſſe *Patriarcha ille* quem, teſte Raynaldo ad hunc annum *num. 8.* Honorius III. Papa pluribus commendavit litteris, eaque ornavit prærogativa, ut in alienis provinciis pallio uteretur: certe Gregorius IX. epiſt. ad omnes Chriſti fideles data anno 1227. die 23. Dec. pro accelerando ſubſidio, apud Matthæum Paris, *p. 234. col. 1.* A. litteras refert, quas Giroldus Patriarcha Hieroſolymitanus, aliique præſules, ipſi de eo argumento ſcripſerant. Altera ejuſdem Patriarchæ epiſtola extat *ibid. p. 247. col. 1.* C. D. ad annum 1229. cujus titulus eſt: *Geroldus Patriarcha Hieroſolymitanus univerſis Chriſti fidelibus, &c.* qua ſcilicet graviter conquerebatur de treuga ab Imperatore Frederico cum Soldano inita. Hujus treugæ capitula legere eſt apud Raynaldum ad hunc annum 1229. *n. 15.* Verum an. 1232. Giroldum à Frederico Imperatore motæ ſeditionis accuſatum Gregorius IX. accerſivit in Occidentem, monuitque ut à novandis rebus in Fredericum abſiſteret, ne illius odio egiſſe putaretur: abrogatum etiam illi legati apoſtolici munus eſt, & delatum Alberto Patriarchæ Antiocheno, quatenus adverſas partes inter ſe reconciliari ſatageret. Obiit Giroldus anno 1239. ex chronico Alberici, ad hunc annum, *pag. 574.*

Jacobus *poſtulatus*.
XVIII. Robertus *ſive* Guido. *Epicius.*

Gregorius IX. litteris datis die 14. Maii anno 1240. quas profert Raynaldus ad hunc annum *n. 47.* ait: *Vacante eccleſia Hieroſolymitana*, poſtulatum eſſe ab ejus capitulo *bonæ*

Digitized by Google

memoriæ *Tuſculanum epiſcopum* (Jacobum de Vitriaco Cardinalem) quia tamen *ejus præſentia non ſolum Romanæ, ſed etiam eccleſiæ generali apud ſedem apoſtolicam utilis habebatur*, ſe eam electionem non confirmaſſe: ſed quum proceſſu temporis ad ſe (Papam) fuiſſet hæc proviſio devoluta, *epiſcopum Nannetenſem* à ſe ad illam ſedem patriarchalem transferri. Is ſeipſum *Robertum* nuncupat in epiſtola quam ad Galliæ & Angliæ epiſcopos ſcripſit Accone die 25. Novemb. anno 1244. apud Matthæum Paris, *pag. 427. col. 1.* D. Eum nihilominus Alberici chronicon ad annum 1241. *Guidonem* appellat *pag. 577. Epiſcopus Guido Nannetenſis in Britannia, inquit, fuit Patriarcha Hieroſolymitanus.* De eo legi poteſt Raynaldus *t. 13.* annal. ad annos 1243. *n. 52.* & 1244. *nn. 8.* & *13.* In caſtris Sancti Ludovici regis Francorum aderat Robertus, captaque Damiata & mundata, in eam cum rege nudis pedibus ingreſſus eſt, ibique miſſam celebravit. Obiit tandem anno 1254. die 8. Junii.

Epicii cujuſdam meminit continuator Gallus hiſtoriæ Willelmi Tyrii, *vet. Script. & Monum. ampl. collect. tom. V. edit. Pariſ. 1729. col. 735.* C. *A. MCCLIV.... & à VIII. jors de Juing morut Robert Patriarche de Hieruſalem: & arriva à Acre Epice Patriarche.* Verum Epicius iſte, aliàs nobis ignotus, non expreſſe hîc dicitur Patriarcha *Hieroſolymorum*, ſed ſimpliciter *Patriarcha:* unde mentionem de eo facimus, ex hypotheſi ſolum quod Jacobum præceſſerit, de quo nunc agendum eſt.

XIX. JACOBUS.

Jacobus Pantaleon, Gallus Trecenſis, primùm Leodienſis archidiaconus, ubi plurimum contulit ut feſtivitas SS. Corporis Chriſti de novo celebraretur: deinde Virdunenſis epiſcopus creatus an. 1252. quum è Pomeranica legatione feliciter adminiſtrata revertiſſet ad Alexandrum IV. Papam, renuntiatus eſt ab eo Hieroſolymitanus Patriarcha, ſimulque ſedis apoſtolicæ legatus, duobus diplomatibus datis anno 1255. die 7. Decemb. quæ profert Raynaldus, *tom. 16. annal.* ad hunc annum, *n. 66.* Acconem venit anno 1256. ex continuatore Gallo hiſtoriæ Willelmi Tyrii ſupra laudato aiente, *col. 735.* E. *A. MCCLVI.... le tiers jor de Juing vigile de Pentecoſte vint en Acre le Patriarche de Jeruſalem, maiſtre Jacques, qui fu éveſque de Verdun.* Ejus meminit præfatus Raynaldus ad annos 1256. *num. 46.* & 1260. *num. 32.* Anno autem ſequenti 1261. Jacobus Viterbium venit ad curiam Romanam pro ſuæ eccleſiæ negotiis promovendis, ibique ſummus Pontifex electus eſt die 29. Auguſti, Urbanus IV. dictus. Obiit Peruſii anno 1264. die 2. Octobris.

XX. BARTHOLOMÆUS *electus.*
XXI. HUMBERTUS. *electus.*

De iſto *Bartholomæo*, patria Vicentino, familia Bragantino, profeſſione Dominicano, jam ſupra actum eſt inter epiſcopos Nemoſienſes in Cypro inſula, *col. 1225.* A. Hîc rationem reddo cur illum *Patriarcham Hieroſolymitanum electum* velim. Non quidem eum dico cum doctiſſ. Papebrochio, *to. VII. Maii, pag. 705. col. 1.* A. in Palæſtinam profectum, relicta Vicentina ſede cui præerat, ut Patriarchæ Hieroſolymorum muniis fungeretur: ſed nec etiam eumdem, cum non minori eruditionis laude præſtante R. P. Sollerio, Papebrochii in actis Sanctorum concinnandis ſocio & ſucceſſore, *tom. 1. Jul. p. 280. col. 1.* A. ad hanc eccleſiam patriarchalem aſſumptum inficior. Verum non improbabile duco Bartholomæum Urbano IV. (qui ex Patriarcha Hieroſolymitano electus Papa anno 1261. die 29. Auguſti, virum idoneum quærebat, quem ſibi in regenda ea eccleſia ſubſtitueret,) apprime notum, & qui in eam regionem olim navigaverat, ab ipſo ad hanc ſedem renuntiatum eſſe diplomate aliquo, quod, ut alia hujuſmodi non pauca, injuria temporum exciderit: illum tamen, quia jam ætate provectus erat, aſſiduiſque laboribus ac itineribus pro eccleſiæ utilitate feliciter geſtis fractus, eam dignitatem, cum onere cui tunc imparem ſe judicabat, recuſaſſe. Iſtius autem noſtræ ſententiæ fulcrum illud ipſum eſt, cui innixus epitaphii Bartholomæi vetus auctor poſt annum 1354. ab ejuſdem obitu circiter 83. huic epitaphio promotionem illam, nemine refragante, inſcripſit, veluti rem ibi, ſive ex ſcriniis graviſſimis, ſive ex traditione adhuc vigente, compertiſſimam. *Hieruſalem Patriarcha fuit, dilexit & omnes.* Ex 26. namque carminibus magna nunc ex parte detritis, quibus epitaphium illud vetus conſtabat, quinque verſus integri remanſerunt, & inter eos quem modo recenſuimus: *Hieruſalem Patriarcha fuit, &c.* teſtibus Barbarano, *hiſtor. Vicentinæ pag. 148.* & citato P. Papebrochio, *pag. 703. col. 2.* F. Hinc etiam R. P. Echard. *tom. 1. Script. pag. 257. col. 2.* ait *hanc forſan oblatam ei ſedem* ab Urbano IV. *ſed quam conſtanter recuſaverit.* Nec officit ipſiuſmet Bartholomæi de illa promotione ſilentium in ſuo teſtamento, quippe qui in eo eccleſiarum illarum præciſe meminerit, quarum incubuerat regimini, quales fuerant *Nemoſienſis* duntaxat & *Vicentina*, non vero *Hieroſolymitana*, ad cujus

Digitized by Google

adminiſtrationem ſuſcipiendam ne conſenſum quidem præbuerat. Quod autem de illo tacuerit Bernardus Guidonis inter Hieroſolymorum Patriarchas ex Ordine Prædicatorum aſſumptos, id probabiliter ortum eſt, quia hæc Bartholomæi electio in Italia peracta, ſtatimque fruſtrata effectu, ad illum in Galliis ſcribentem non pervenerit: fatetur enim ipſemet, apud R. P. Antoninum Bremond, *tom. 1. Bullar. pag. 261.* nonnullas præſulum hujus Ordinis infulas à ſe prætermiſſas, quod illæ ipſum fugerint. Certe Fr. Joannem à S. Maxentio archiepiſcopum Tyrenſem omiſit, de quo nos infra. Porro relati epitaphii auctoritatem tanti fecit, rigidiſſimus licet, ſi quis alius, ſimilium inſtrumentorum trutinator D. Caſtellanus, ut in ſuo Martyrologio Gallicè exarato abſolute dixerit die 1. Jul. *p. 324.* juxta tranſlationem Latinam R. P. Sollerii, *tom. 1. Jul. pag. 278. col. 1.* B. «Vicentiæ, venerabilis Bartholomæi » de Bragantia, *Patriarchæ Hieroſolymitani*, qui » Pariſiis exiſtens ſacram ſpinam de manu ſancti » Ludovici recepit; unde Vicentiæ ſacræ coronæ templum fundavit.»

Ante vel poſt delatam Bartholomæo Hieroſolymitanam ſedem, quam ille recuſavit, oblata quoque fuiſſe videtur *Humberto* Magiſtro generali Ordinis Prædic. de quo Salanhacus auctor coævus, titulo de Fratribus ejuſdem Ordinis qui oblatas dignitates recuſarunt, apud P. Jacobum Echard. *tom. 1. Script. p. 142. col. 2.* ſic habet: *F. Humbertus de Romanis, Magiſter Ordinis V. renuit patriarchatum ſanctæ civitatis Hieruſalem, & epiſcopatum poſtea.* Quibus hæc ſubdit idem P. Echard. «Quando vero id factum fuerit » non addit. Conjectu autem pronum patriar» chatum ei oblatum fuiſſe, non, ut habet » Leander Albertus, à Nicolao III. qui ſedem » Romanam non aſcendit niſi 27. Novemb. » 1277. quo jam mortuus erat Humbertus: » ſed ab Urbano IV.... qui mox ut Pontifex » Romanus electus eſt (die 29.) Aug. 1261. » hominem quæſivit ſedi Hieroſolymitanæ » congruum, nec aptiorem invenit quam » Humbertum, tum ob eximias ejus dotes, » tum quia res ejus eccleſiæ optime perſpectas » habebat, ceu qui in Terram-Sanctam ali» quando transfretaverat, & totam viſitaverat, &c.» Idem obſervat, *pag. 256. col. 2.* ubi ait Urbanum IV. quem in ſede Hieroſolymitana ſibi ſucceſſorem inſtitueret, non ſubito inveniſſe. Et certe Guillelmus qui hujus eccleſiæ adminiſtrationem ſuſcepit, Acconem non appulit niſi anno 1263. die 25. Septembris. Quare nihil repugnat, ſicut Humberto, ita & Bartholomæo de Bragantia hanc dignitatem, priuſquam Guillelmo conferretur, oblatam fuiſſe, & ab utroque recuſatam.

XXII. Guillelmus.

Guillelmus iſte (quem veteres Sammarthani confuderunt cum alio *Guillelmo* dicto *de Pontoiſe*, monacho Cluniacenſi, Caritatis ad Ligerim Priore, inde vero abbate Cluniaci, demum epiſcopo, non Aginnenſi, ſed Olenenſi, & mortuo Pariſiis anno 1263. ut obſervat doctiſſimus P. Dionyſius Sammarthanus, *Gall. Chriſt. tom. 2. edit. Pariſ. 1720. col. 918.* A. B. C.) jam ſedebat epiſcopus Aginnenſis anno 1247. ex tabulario Aginnenſi, cui eccleſiæ adhuc præerat *anno 1263. quinta die in exitu* (id eſt ſortaſſis ante exitum) *Februarii, in charta Bellæ-Perticæ, & in membranis tabularii regii*, inquit præfatus P. Dionyſius, *col. 919.* C. ubi ſubdit: *Legimus eum fuiſſe Patriarcham Hieroſolymitanum poſt Jacobum Pantaleonem* (Urbanum IV.)... *ex regeſto anni ſecundi* (ejus pontificatus) *capp. 9. 36. & 37.* Tunc porro ſedi Hieroſolymitanæ Acconenſis eccleſiæ adminiſtratio conjuncta fuit, teſte Nicolao IV. in epiſtola data anno 1288. die 30. April. quam refert Papebrochius *in hiſt. chronol. Patriarcharum Hieroſol. præfixa to. 3. Maii, p. 58. n. 340.* A. his verbis: «Quum felicis recordat. Urbanus Papa IV. primò de fratrum ſuorum « conſilio eccleſiam Acconenſem, de qua « bonæ memoriæ Magiſtrum Florentium ad « Arelatenſem eccleſiam tunc vacantem du« xerat transferendum, Patriarchæ Hieroſoly« mitano, qui erit pro tempore, decreverit « committendam, & ab eo unà cum dicta « Hieroſolymitana eccleſia tamdiu in tem« poralibus & ſpiritualibus gubernandam, do« nec eadem Hieroſolymitana eccleſia, bonis « ejus recuperatis, poſſeſſionem habuerit eo« rumdem, &c.» (Ex ea autem epiſtola obiter colligitur adverſus P. Dionyſium Sammarthanum, *to. 1. Gall. Chriſt. anno 1715. col. 570.* D. E. Florentium reipſa ex ſede Acconenſi ad Arelatenſem fuiſſe tranſlatum, nec ad hanc poſteriorem fuiſſe promotum anno 1260.) Extat epiſtola ad Guillelmum à Benedicto epiſcopo Maſſilienſi ſcripta an. 1263. die 9. Auguſti, quam ex Baluz. Miſcellan. *tom. 6. pag. 351.* exhibet R. P. Echard. *to. 1. Scriptor. pag. 256. col. 2.* Acconem venit Guillelmus eo anno die 25. Septembris, ex continuatore Gallo hiſtoriæ Willelmi Tyrii, *vet. Script. & Monum. ampliſſ. collect. tom. V. num. 6. col. 738.* C. *A. MCCLXIII.... & vint en Acre au 25. jor de Septembre legat & Patriarche de Hieruſalem, & Miniſtre de l'Eveſchié d'Acre Guillaume qui avoit eſté Eveſque d'Argenſe* (d'Agen.) Anno 1267. aderat in Cypro inſula, ubi die natali Domini

Digitized by Google

regem Hugonem coronavit, *ibid. num. 12.* A *col. 742.* E. *A. MCCLXVII... morut Hugues hoir du royaume de Chypre en Novembre, & fu coroné a roy Huges de Leſignen le jor de Noël par la main* (de) *Guillaume Patriarche de Hieruſalem qui eſtoit la alé por viſiter les yglises & le royaume de Chypre.* Obiit Guillelmus anno 1270. *ibid. col. 744.* C. *En cet an morut en Acre Guillaume Patriarche de Jeruſalem a XXI. jor d'Avril.* De eo Patriarcha intelligendus venit Raynaldus, *t. 14. annal.* ad annos 1264. *num. 69.* 1265. *n. 37.* B & 1267. *n. 69.* Ejus quoque meminit Gregorius X. in epiſtola data anno 1272. die 24. Novemb. quam refert idem Raynald. ad eum annum, *n. 19.*

XXIII. Thomas.

Guillelmi in ſede Hieroſolymitana ſucceſſor fuit *Fr. Thomas Agni*, Siculus, *de Lentino* cognominatus, ſive *de Leontino* civitate Siciliæ, Ordinis Prædicatorum, qui quum Neapolitani cœnobii Prior eſſet, S. Thomam Aquinatem anno 1243. teſte R. P. Echardo, *tom. 1. Script. pag. 358. col. 2.* C religionis veſte induit. Romanæ provinciæ moderator electus anno 1247. hanc uſque ad annum 1255. rexit, & per id tempus S. Petri martyris, ejuſdem Ordinis, qui ad cœlum anno 1252. evolarat, vitam ſcripſit. Bethleemitanæ eccleſiæ poſtea præpoſitus eſt, legationiſque apoſtolicæ per omnem Syriam munere donatus ab Alexandro IV. Hunc Romam reverſum ad Cuſentinam ſedem archiepiſcopalem in Calabria promovit Clemens IV. anno 1267. die 18. Aprilis. A Meſſanenſis eccleſiæ capitulo Thomam D hunc fuiſſe poſtulatum, mortuo Bartholomæo Pignatelli illius civitatis præſule, ſcribit Ughellus, *to. 9. Ital. ſac. vet. edit. col. 296. n. 15.* C. Ut-ut ſit, Gregorius X. ex ſede Cuſentina ad Hieroſolymitanam ipſum tranſtulit anno 1272. menſe Martio, ut conſtat ex ejus epiſtolis datis eo anno diebus 29. & 31. Martii, apud R. P. Bremond, *to. 1. Bull. pp. 503. & 505.* Eumdem quoque ſedis apoſtolicæ legatum creavit in toto Oriente, ex Raynaldo, *to. 14. annal.* ad annum 1272. *n. 17.* Ad urbem Acconem appulit Thomas E eo anno die 8. Octobris, teſte continuatore Gallo hiſtoriæ Willelmi Tyrii, *tom. 5. veter. Script. & Monum. ampl. collect. tom. V. n. 17. col. 746.* B. *A. MCCLXXII... & a 8. jors d'Octembre arriva en Acre Frere Thomas de l'Ordre des Freres Preſcheors Patriarche de Hieruſalem, & legat de toute Surie, & évêque d'Acre...* Et paulo inferius: *Et le Patriarche en ſa venuë amena as deniers de l'ygliſe cinq cens hommes, qu'a pied, qu'a cheval.* Eum obiiſſe anno 1276. aſſerit præfatus Ughellus. At Bernardus Guidonis in catalogo prælatorum Ord. Præd. ejus mortem aſſignat ad annum 1277. Doctiſſimus Papebrochius *in Hiſtoria chronol. Patriarch. Hieroſol. præfixa tom. 3. Maii, pag. 58. num. 239.* C. *Thomam Agni* alium cenſuerat à *Thoma de Lentino:* verum id ipſemet revocavit in Appendice ad acta SS. Maii, *tom. VII.* ejuſdem menſis, *col. 714.* De illo Thoma inferius redibit ſermo inter epiſcopos Bethleemitanos.

Guido. XXIV. Aiglerius *electus.*

XXV. Joannes *electus.*

Stephanus Luſignanus in catalogo virorum illuſtrium, ubi de Hieroſolymorum Patriarchis, poſt Thomam de Lentino, *Guidonem de Soliaco,* Gallum, Ord. Præd. memorat, quo id auctore me latet: nam Guido iſte Bituricenſis Patriarcha fuit, non Hieroſolymitanus.

Papebrochius initio *tom. 3. Maii, p. 58. n. 241.* ſcribit Nicolaum III. dejecta *Aiglerii,* quem Spondanus *Angelum* nuncupat, archiepiſcopi Neapolitani electione ad patriarchatum Hieroſolymitanum, huic præfeciſſe, non Fr. Hieronymum Aſculanum Miniſtrum generalem Ordinis Min. quem jam creaverat Cardinalem anno 1277. ſed *Fr. Joannem de Vercellis,* Magiſtrum generalem Prædicat. ad quem extat epiſtola data anno 1278. die 1. Octob. ut ipſius conſenſum eliceret, apud Raynaldum ad eum annum, *num. 80.* Ipſi tamen enixe deprecanti, ut à gerendo iſto munere liber renuntiaretur, id conceſſum per Breve datum die 4. Febr. anno 1279. cujus meminit Bzov. *to. 13.* ad eum annum, *n. 12.*

Palmerius. XXVI. Elias.

XXVII. Nicolaus.

Cavalerius *Galler. Domin. tom. 1. pag. 36. num. 98.* refert ex Lopez *part. 5. hiſt. lib. 1. cap. 14. Fr. Palmerium,* Eugubinum, Ord. Præd. datum eſſe in Patriarcham Hieroſolymitanum à Nicolao III. ſed ipſum ſtatim honori & oneri ceſſiſſe, & paulo poſt obiiſſe an. 1278. (vel potius 1279.) Hujus quidem Palmerii ut viri mira ſanctitate pollentis meminit Bzovius, *to. 13.* ad annum 1279. *n. 10.* At de ejus patriarchatu nihil habet.

Idem Nicolaus III. anno 1279. *Eliam* renuntiavit Patriarcham Hieroſolymitanum, & eccleſiæ Acconenſis adminiſtratorem. Ita teſtatur Nicolaus IV. in epiſtola ſupra laudata, *col. 1260.* C. D. verbis enim ibi relatis ſubjungit: « Et poſtmodum etiam piæ memoriæ Gregorius X. primo Thomæ (de Lentino) & ſubſequenter Nicolaus III. Romani Pontifices prædeceſſores noſtri *Eliæ* Patriarchis, &c. » Gaufridus epiſcopus Hebronenſis ſe dicit *Eliæ Patriarchæ Hieroſolymitani*

vicarium, in epiſtola ſua ad Eduardum I. Angliæ regem, de ſtatu Terræ-Sanctæ, quæ extat in libro inſcripto, *Antiquæ conſtitutiones regni Angliæ,* &c. *col.1232.* Extant etiam litteræ quibus indulgentias 40. dierum concedit, datæ anno 1287. Pont. Honorii IV. anno 2. *t.1.Theſ.Anecd. ed.Par.1717. col. 1230.* F.

Obiit eo anno vel ſequenti: nam *Fr. Nicolaus de Hanapis,* Gallus, de Remenſi diœceſi, Ordinis Prædicatorum, à Nicolao IV. renuntiatus eſt Patriarcha Hieroſolymitanus anno 1288. die 30. April. Diploma profert Raynaldus ad eum annum, *n.41.* Eumdem inſuper ſedis apoſtolicæ legatum creatum aſſerit, pro Syria, Paleſtina, Cypro & Armenia, *ibid.* Ejus quoque meminit ad annum 1289. *n.*69. Verum anno 1291. obſeſſa & tandem expugnata Accone à Soldano Babylonis, periit Patriarcha, qui durante obſidione cives exhortari ad pœnitentiam non ceſſaverat. Quum enim capta urbe plures civium maris periculis natando expoſitos videret, tot eorum intra navem ſuam recepit, ut hæc fuerit ſubmerſa. De eo legendus R. P. Echard. *tom.1. Script. pag.422. & ſeqq.* qui etiam obſervat, *pag.427. col.1.* Fr. *Nicolaum de Hancinis* Ord. Præd. à nonnullis ſcriptoribus hujus ordinis inter Patriarchas Hieroſolymitanos recenſitum, alium non eſſe à *Nicolao de Hanapis.*

XXVIII. Radulphus II.

Bernardus Guidonis in epiſcopis Terræ-Sanctæ ex ordine Præd. aſſumptis, hæc tradit de iſto Radulpho: « *Fr. Radulphus,* Gallicus, Burgundus, (Joannes Canonicus Victorinus *in memoriali hiſtor. cod. Victor. 448.* apud R. P. Echardum, *tom.1. pag.425. col.1.* eum dicit *Normannum de Grandivilla natum*) fuit factus Patriarcha Hieroſolymitanus per Cœleſtinum Papam V. anno Domini 1294. domino Carolo rege Siciliæ procurante. Hic Fr. Radulphus fuit Prior Provincialis Terræ-Sanctæ. Hic obiit anno 1304. menſe Nov. patriarchatus ſui anno x. completo. » Hinc colligitur ſedem Hieroſolymitanam ab obitu Nicolai de Hanapis vacaſſe uſque ad annum 1294. Narrat Guillelmus de Nangiaco ad eum annum: *Radulphum de Grandivilla fratrem ordinis Prædicatorum, qui juſſu Cœleſtini Papæ depoſiti apud Pariſius in Patriarcham Hieruſalem conſecratus fuerat,* (quum) *Romam veniſſet, à Papa Bonifacio* (VIII. eſſe) *degradatum.* At ipſum paulo poſt reſtitutum oportet: nam ex Petro de Alliaco *lib.11. cap.16. vitæ S. Petri Cœleſtini,* is ad Bonifacium deductus eſt, comitante honoris gratia inter alios *Patriarcha Hieroſolymitano.* Affuit quidem etiam Guillelmus

A Eſtendardus magnus regni Siciliæ comeſtabularius in eo itinere, ſed non erat Patriarcha Radulpho ſubrogatus, utpote laicus qui tertiam uxorem duxit anno 1302. teſte Ferrante della Marra, *Famiglie di Napoli, pag.400.* Raynaldus ad annum 1295. *num.48.* ſcribit præfectum à Bonifacio VIII. eo anno Hieroſolymitanæ ſedi *Landulphum:* verum Landulphus iſte alius non eſt à Radulpho, ex dictis.

Refert Ughellus, *tom.9. Ital.ſac.vet. edit. col.48. n.30.* A. tranſlato Andrea Pandono
B ex Brunduſina eccleſia ad Capuanam, prioris capitulum in partes diviſum duos elegiſſe qui Andreæ ſuccederent, decanum ſcilicet eccleſiæ Capuanæ, & Guillelmum Ebraudi regni Siciliæ cancellarium: ſed rejecto utroque datam eſſe eccleſiam Brunduſinam à B. Benedicto XI. Papa in adminiſtrationem Radulpho Patriarchæ Hieroſolymitano ad ſedis apoſtolicæ beneplacitum, die 5. Junii anni 1304. ex *epiſt. Regeſt. Vatic.745.*

XXIX. Antonius.

C De eo *Antonio* ita loquitur Joannes Pitſeus, Anglus, *tom.1. de rebus Anglicis, edit. Pariſ.1619. in append. pag.825.* « *Antonius Beccus* ſacerdos Anglus, vir pius & litteratus.... virtutis & eruditionis intuitu evectus eſt ad epiſcopatum Dunelmenſem (in Anglia) & anno Domini 1305. electus Patriarcha Hieroſolymitanus, & à Clemente Papa V. confirmatus.... Obiit anno 1310. » Raynaldus quoque ejus meminit, *tom.15.* annal. ad annum 1306. *num.14.* his verbis: « Dum parantur pro Armenis auxilia, profeſſus eſt inter cœteros religioſam militiam,
D accepto crucis ſymbolo, *Antonius* Dunelmenſis epiſcopus, idemque Patriarcha Hieroſolymitanus ſuperiore anno (1305.) à Clemente (V.) ea dignitate exornatus, cujus eximium zelum Pontifex commendavit, &c. » Verum ea expeditio peracta non eſt.

XXX. Petrus I.

Hunc Petrum commemorat laudatus Raynaldus ad annum 1314. *n.12.* « Conſuluit etiam, inquit, Hieroſolymitanæ patriarchali eccleſiæ (Clemens V. eo anno) quæ quum
E Antonio Patriarcha eoque epiſcopo Dunelmenſi defuncto, paſtore eſſet orbata, eam dignitatem Petro Ruthenenſi (in Gallia) epiſcopo contulit, cui ob Hieroſolymas ab infidelibus oppreſſas Ruthenenſis eccleſiæ vectigalibus potiri, ejuſque adminiſtrationem gerere permiſit, ut apoſtolicum diploma docet Montiliis (in Carpentoratenſi diœceſi) IV. kal. Mart. (id eſt die 26. Febr.) pontificatus anno IX. (Chriſti 1314.) exaratum. « Commendavit

Digitized by Google

» Commendavit eumdem Patriarcham regi A
» Cypri, ut ipſum regio ſtudio proſequeretur.
» Quem quidem geſſiſſe apoſtolicæ ſedis lega-
» tionem in exercitu, quo Rhodus Saracenis
» erepta eſt, atque ſuo zelo de Orientali eccleſia
» optime meritum, ſuperius vidimus (ad annum
ſcilicet 1309. *num. 33.*) »

Is cognominabatur *de Caſſano*, ſeu *de Plana*, ordinemque Minorum amplexus fuerat, teſte Waddingo, *tom. 3.* annal. ad annum 1309. *num. 1. pag. 102.* Obiit anno circiter 1322.

XXXI. Petrus II.
XXXII. Raymundus.

Petro ſucceſſit anno 1322. alter *Petrus*, quem præfatus Raynaldus ad eum annum, *num. 46.* ait fuiſſe canonicum Nicoſienſem, & confirmatum in Patriarcham Hieroſolymitanum iſto anno, XIII. kal. Jul. (id eſt die 19. Jun.) à Joanne XXII. Papa, qui etiam ad regem Cypri litteras dedit in recentioris Patriarchæ gratiam. Ejus iterum meminit ad annos 1323. *num. 13.* & 1324. *num. 44.* quo poſteriore anno obiit Petrus: Ibi enim ita loquitur Raynaldus:

« Erepto è vivis Petro Patriarcha Hiero-
» ſolymitano, Pontifex (Joannes XXII.)
» *Raymundum* (*Bequin*, Toloſanum) Domi-
» nicanæ familiæ, virum religioſum, eo titulo
» exornavit, eique contulit Nimocienſis ec-
» cleſiæ adminiſtrationem, quum Hieroſolymis
» ob infidelium tyrannidem ſedere non poſſet.
» Denique ipſum à Guillelmo epiſcopo Sabi-
» nenſi ſacrari, & pallio à Neapoleone.... ac
» Bertrando.... diaconis cardinalibus ornari,
» fideique ſacramento adigi juſſit: factaque
» abeundi poteſtate clero Hieroſolymitano &
Henrico regi Cypri eum commendavit. »

Anno 1326. Hugoni regi Cypri ſcripſit Joannes Papa ut ad exſcindendas hæreſes in ea inſula gliſcentes Raymundo Patriarchæ regiam opem porrigeret: ex eodem Raynaldo ad hunc annum, *num. 29.* Obiit anno 1328. De eo vide ſupra inter epiſcopos Nemoſienſes, *col. 1227.* C.

XXXIII. Petrus III.

Idem Raynaldus ad annum 1329. *n. 94.* ſcribit conſultum eo anno lapſæ in Syria religioni, præfectumque patriarchatui Hieroſolymitano *Petrum de Palude* Ordinis Præd. theologicæ ſcientiæ laude florentem, & Raymundo, qui in Cypro obierat, ſubrogatum, (eo anno die 2. Martii) cui etiam ad dignitatem ſuſtentandam eccleſiæ Nemoſienſis in Cypro adminiſtratio tradita eſt. De eo autem hæc habet continuator Guillelmi de Nangis, apud Papebrochium in *Hiſtor. chronol. Patr. Hieroſ.* initio *to. 3. Maii, p. 70. n. 273.* B. C.

« Poſt Raymundum Fr. Petrus de Palude,
de Ordine Prædicatorum, vir utique magnæ «
vitæ & famæ, Doctor in Theologia, Ave- «
nione exiſtens, Patriarcha Hieroſolymitanus «
per ſummum Pontificem ordinatur: (qui) «
circa principium Julii (anno 1329.) una cum «
epiſcopo Mimatenſi & nuntiis regis Cypri, «
ducentes ſecum filiam comitis Claromontis «
filio regis Cypri deſponſandam, cum multis «
aliis peregrinis, accepta licentia à Domno «
Papa per portum Marſiliæ ad Inſulam Cypri «
tendunt, ſperantes D. N. Jeſu Chriſti auxilio, «
B ab illo loco uſque ad Hieruſalem transfre- «
tare, ut D. N. Jeſum Chriſtum verum Deum «
adorarent in loco ubi ſteterunt pedes ejus. »

Ivit deinde Petrus ad Ægypti Soldanum, « ad ſciendum, utrum via poſſet inveniri, qua Terra-Sancta recuperaretur: » ſin minus, ut indiceret bellum Philippi regis nomine. Inde autem reverſus accepit à Pontifice litteras, inſcriptas ſibi univerſiſque archiepiſcopis per regnum Franciæ conſtitutis, datas Nonis (id eſt die 5.) Decembris an. pontificatus XVI. (Chriſti 1331.) ad prædicandam crucem pro C expeditione ſacra, poſt biennium ab inſtanti menſe Martio computandum, ſed in fumum abiit hic conatus per bellum quod rex Angliæ Eduardus regi Francorum intulit anno 1336. Hæc laudatus Papebrochius. Raynaldus quoque ad annum 1331. *num. 30.* refert ex aula Soldani regreſſum eſſe Petrum Paludanum eo anno, & exhibet litteras Joannis XXII. de quibus mentio modo facta eſt.

Petrus poſtea, relicta adminiſtratione eccleſiæ Nemoſienſis ſive Nimocienſis in Cypro inſula, Conſeranenſis in Aquitania ſub Auſcienſi archiepiſcopo adminiſtrationem ſuſ- D cepit, retento nihilominus patriarchatus Hieroſolymitani titulo. Id conſtat ex quodam ejus ſtatuto, de quo mentionem facit R. P. Echard. *tom. 1. Script. pag. 606. coll. 1.* & *2.* Hujus enim principium eſt: « Ego Fr. P.
Ord. Præd. permiſſione divina & apoſtolicæ «
ſedis gratia Patriarcha Jeruſalem & admi- «
niſtrator Conſeranenſis eccleſiæ in ſpirituali- «
bus & temporalibus ab eadem ſede ſpecialiter «
deputatus, &c. Datum anno Domini 1337. «
die Martis poſt Dominicam in qua cantatur, «
E (Evangelium) *Ego ſum Paſtor bonus*, in quo «
fuit feſtum S. Joannis ante portam Latinam. »

Quæ omnia huic anno conveniunt. Demum obiit Pariſiis 1342. die 31. Jan. De eo ejuſque operibus legendus præfatus P. Echard. loco citato.

XXXIV. Elias II.

Wadding. *t. 3. annal. Min.* ad annum 1342. *n. 4. pag. 480.* refert ad patriarchatum Hieroſolymitanum vacantem per obitum Petri,

Digitized by Google

aſſumptum eſſe Fr. *Eliam de Nabinallis*, Minoritam, archiepiſcopum Nicoſienſem in Cypro inſula, die 12. Jul. eo anno à Clemente VI. qui illi nihilominus reliquit ejuſdem eccleſiæ Nicoſienſis adminiſtrationem, fecitque poteſtatem diſpenſandi cum Petro Luſignano regis Cypri filio, ut in matrimonium duceret Ecchinam Rupini Monfortii filiam ipſi ſanguinis gradu vetito conjunctam. Eodem anno 1342. menſe Septemb. Eliam inter Cardinales adſcripſit Clemens Papa, cujus diplomata duo profert laudatus Waddingus, *ibid. in Regeſt. pag. 265.* Eliæ etiam meminit Raynaldus, *tom. 16.* ad annum 1342. *nn. 24. & 29.* Vide ſupra ubi de archiepiſcopis Nicoſiæ, *col. 1207.* E.

XXXV. Guillelmus III.

Anno 1351. titulo Patriarchæ Hieroſolymitani potiebatur *Guillelmus* quidam, ut conſtat ex epiſtola Clementis VI. *Sicut in litteris, &c. Venerabilibus fratribus Guillelmo Patriarchæ Hieroſolymitano, & Philippo archiepiſcopo Nicoſienſi, & Odoni Paphenſi, & Leodegario Nimocienſi, epiſcopis,* data *x. kal. Octobris* (id eſt die 22. Septembris) *anno pontificatus x.* apud Waddingum, *tom. 4. annalium* ad eum annum, *num. 3. p. 3.* De ea epiſtola mentionem quoque faciunt Raynaldus, *tom. 16.* ad illum annum, *num. 19.* & Innocentius VI. Papa in epiſtola data anno 1353. die 1. Octob. ibid. ad eum annum, *num. 25.*

XXXVI. Philippus.

Philippus de Cabaſſole, ortu Cabellicenſis in Gallia, ſed genere Avenionenſis, ex antiqua & nobili familia; ſedem Cabellicenſem adeptus eſt anno 1334. die 3. Auguſti. Hunc deinde Patriarcham Hieroſolymitanum renuntiatum eſſe anno 1361. cenſet Dionyſ. Sammarth. *to. 1. Gall. Chriſt. edit. Pariſ. 1715. col. 949.* C. Waddingus tamen, *tom. 4.* annal. ad annum 1366. *n. 18. p. 117.* ait ad Cavallicenſem eccleſiam promotum eſſe Fr. Franciſcum de Cardaliaco, Minoritam, *per tranſlationem Philippi ad patriarchatum Hieroſolymitanum VIII. kal. Octob.* (id eſt die 24. Sept.) Scribit quoque præfatus Dionyſius Sammarthan. *col. 951.* C. Franciſcum de Cardaillaco, Ord. Minor. aſſumptum eſſe ad regendam

A eccleſiam Cavallionenſem ſive Cabellicenſem anno 1366. menſe Octobri. Dixerat quidem ſupra, *col. 949.* C. « Hanc autem dignitatem (Patriarchæ Hieroſolymorum) putamus ei « collatam anno 1361. *quo tempore in cathedra* « *Cavellicenſi ſucceſſor ei datus eſt.* » At in animadverſionibus ad primum tomum, quæ *tom. 2.* præfixæ ſunt, legendum monet *datus dicitur:* Verum reipſa datus non *fuit*, inquam ego, niſi anno 1366. quippe quum, ex ipſomet Dionyſio Sammarth. *col. 951.* B. Philippus in actis concilii Aptenſis, cui interfuit anno 1365. appelletur *Patriarcha*

B *Hieroſolymitanus & Cavellicenſis eccleſiæ adminiſtrator perpetuus.* Unde colligitur adverſus Waddingum (qui præterea confundit eccleſiam Cabellicenſem cum *Cabilonenſi* ſub archiepiſcopo Lugdunenſi) Philippum fuiſſe *patriarchatu Hieroſolymitano* donatum ante annum 1366. quo hanc ſedem Cabellicenſem dimiſit, & adminiſtrationem tunc ſuſcepit eccleſiæ Maſſilienſis, cui incubuit uſque quo creatus eſt anno 1368. ab Urbano V. Cardinalis tituli SS. Marcellini & Petri, mutati deinde in Sabinenſem anno 1371.

C Deceſſit tandem Philippus Peruſii an. 1372. ejuſque corpus ex Italia advectum, in æde Carthuſiæ Boni-paſſus Cavallicenſis diœceſis ſepultum eſt. « Scripſit, inquit Dionyſ. Sammarth. ibid. *col. 950.* D. de vita & mira- « culis S. Mariæ Magdalenæ, cujus reliquias à « monachis Veziliacenſibus ſuo vindicari mo- « naſterio ægre fert: quod opus aſſervatur in « Victorina bibliotheca apud Pariſios. »

XXXVII. Guillelmus IV.

Guillelmus Militis, Andegavenſis, de nobiliſſima familia *de Militibus* ortus, Ordinis

D Præd. ab Urbano V. ad patriarchatum Hieroſolymitanum promotus eſt die 29. Junii anni 1369. obiit vero anno 1374. de quo legendi, Fontana *Theat. Dom. p. 47. tit. 4. num. 8.* R. P. Echard. *tom. 1. Script. p. 674. col. 2.* & Ughellus, *tom. 1. Ital. ſac. p. 282.* * *num. 57. vet. edit.* Quibus præivit Laurent. Pignon ſuppar.

A cæteris Patriarchis Hieroſolymorum poſterioribus recenſendis ſuperſedeo, utpote qui deinceps nullam ſpem ſuæ ſedis recuperandæ habuerint.

Digitized by Google

PROVINCIA HIEROSOLYMITANA.

JAM ſupra obſervavimus, ubi de Patriarchatu Hieroſolymitano, *coll. 1241. 1242.* ex Jacobo de Vitriaco, tres eccleſias Hieroſolymitanæ quaſi metropolitanæ immediate fuiſſe ſubditas tempore Latinorum, ſcilicet *Hebronenſem, Lyddenſem*, & *Bethleemitanam*. Incipimus ab Hebronenſi.

I. ECCLESIA HEBRONENSIS.

ECCLESIA HEBRONENSIS.

DE *Hebrone* multa diximus, *coll. 939. 940.* ibidem legenda: hîc tantum addimus ex Michaele Baudrand, *to. 1. geogr. p. 466. col. 2.* hanc nunc oppidum eſſe ſatis cultum, quod ab indigenis *Elkhalil* appellatur, in memoriam Abrahæ Patriarchæ, quem hîc ſepultum fuiſſe exiſtimant: eſt autem partim in colle, & partim in planitie ad ejus radices, ſed ſine muris, teſte Michaele *Nau*, & 20. milliar. diſtat ab Hieroſolymis in meridiem. Willelmus Tyrius, *hiſt. lib. 20. cap. 3.* ad annum 1167. de inſtitutione nonnullarum eccleſiarum ſub Amalrico Hieroſolymorum rege, hæc nos docet: « Eodem anno nihil pene memoria dignum in regno accidit, niſi quod circa quadrageſimale tempus duæ eccleſiæ in regno, « ſuſceptis epiſcopis, ordinatæ ſunt: quarum altera ab ingreſſu Latinorum.... Latinum non « habuerat Pontificem, videlicet Petracenſis.... altera vero *Hebronenſis* videlicet, ut dicitur, « nunquam; ſed tempore Græcorum Prioratus fuerat, &c. *Hebronenſis* quoque, intuitu ſer- « vorum Dei.... Abraham videlicet, Iſaac & Jacob, eadem tunc dignitate primùm meruit « inſigniri, &c.» Caſtellum *S. Abrahæ* nuncupatur ab Alberto Aquenſi, *lib. 12. cap. 30.*

EPISCOPI HEBRONIS.

I. RAINALDUS.

PRæfatus Willelmus Tyrius ibidem ſic pergit loqui: « Præficitur ergo..... *Hebronenſi* » (eccleſiæ) Dominus *Raynaldus*, Domini » Fulcherii piæ recordationis Patriarchæ (Hieroſolymitani) nepos.» Is probabiliter ille fuit *R. Hebronenſis*, qui Bibliothecæ Cluniacenſis *col. 1432.* B. teſtis adfuiſſe legitur an. 1170. quum Guillelmus Acconenſis epiſcopus chartam exaravit de condendo in ſua parochia hujus ordinis cœnobio.

II. * * *

Obſidioni Acconis ſive Ptolemaidis anno 1190. in caſtris Chriſtianorum aderat, & periit, inter plures alios, *epiſcopus de S. Abraham.* Ita Rogerus de Hoveden, *Hiſtoriæ Anglorum, part. poſter. pag. 685. lin. 28. edit. Francofurt. 1601.*

III. GAUFRIDUS.

Fr. Gaufridus, Anglus, Ord. Præd. renuntiatus eſt epiſcopus Hebronis anno 1268. ex continuatore Gallo *Hiſt. Willelmi Tyrii, vet. ſcript. & monum. ampl. collect. t. 5. col. 743.* C. *n. 13.* ad annum 1268. *Et fu fait Eveſques de Saint-Abraham frere Giefroy de l'Ordre* A *des Preſcheors.* Is Eliæ Patriarchæ Hieroſolymorum vicarius fuit, ipſomet teſte in epiſtola quæ extat apud auctorem operis dicti *Antiquæ conſtitutiones regni Angliæ*, &c. *col. 1232.* Hujus enim inſcriptio eſt: « Excellentiſſimo & sereniſſimo domino Edwardo « illuſtri, Dei gratia regi Angliæ, ſuo domino « ſpeciali. *Frater Gaufridus, de Ordine Prædi-* « *catorum, miſeratione divina Hebron epiſcopus,* « B *R. P. D. Heliæ divina providentia Patriarchæ* « *Hieroſolymitani vicarius*, cum Terræ-Sanctæ « recommendatione ſeipſum, & fœlicis deſi- « derii complementum. Apicibus, &c.» Scripta eſt ante annum 1288. quo Eliæ ſucceſſor datus eſt Nicolaus de Hanapis.

IV. MAMMIMETRUS.

Fr. Mammimetrus, Italus, Ordinis Præd. florebat epiſcopus Hebronis in Palæſtina ſub C pontificatu Clementis VI. an. circiter 1347. Ita Cavalerius, *tom. 1. Galler. Dom. p. 130. num. 147.*

V. LUDOVICUS.

Waddingus, *tom. 4.* ad annum 1365. *n. 5. pag. 105.* ait *Fr. Ludovicum*, Minoritam, ab Urbano V. Papa eo anno die 29. Octobris condendi teſtamenti facultatem obtinuiſſe.

Digitized by Google

ECCLESIÆ LYDDÆ & RAMULÆ *unitæ.*

II.

ECCLESIÆ LYDDÆ & RAMULÆ *unitæ.*

LYDDA & *Ramula* in unum epiſcopatum coaluerunt ſub Latinis, ut refert Willelmus Tyrius, *lib. 7. hiſtoriæ cap. 22.* De utraque jam loquuti ſumus ſub eccleſia *Lyddæ, coll. 581. 582.* In chronico Alberici, *part. 2. pag. 174. edit. Lipſiæ 1698.* hæc leguntur ad annum 1099. «De Sur (Tyro) venerunt ad Acram (cruceſignati) & inde ad caſtellum Caïphas, & juxta Cæſaream, ubi die Pentecoſtes IV. kal. Jun. (id eſt 29. Maii) quieverunt. Inde ventum eſt ad Ramulam, juxta quam civitatem honorabilis monſtratur eccleſia, in qua pretioſiſſimum B. Georgii martyris corpus quieverat. Ibi epiſcopum de novo conſtituerunt, cui decimas facultatum ſuarum obtulerunt, quia non habebat unde viveret. Ramula à Jeruſalem 24. milliaribus diſtat, &c.»

EPISCOPI LYDDÆ & RAMULÆ.

I. ROBERTUS.

WILLELMUS Tyrius ſupra laudatus hæc ſcribit de præpoſito duobus iſtis oppidis epiſcopo, ſtatim atque in poteſtatem Latinorum devenerunt, ante obſeſſam ab iiſdem Hieroſolymam anno 1099. «Inde.... *Lyddam* quæ eſt *Dioſpolis,* ubi & egregii martyris Georgii glorioſum uſque adeo ſepulchrum oſtenditur.... pervenerunt.... Compertum autem habentes quod in vicino nobilis quædam eſſet civitas *Ramula* nomine.... accedentes ad urbem propius.... portas quas patentes repererunt ingreſſi ſunt, urbem penitus reperientes vacuam....ibi continuum exegerunt triduum, epiſcopum eidem eccleſiæ præficientes quemdam *Robertum,* Normannum genere, de epiſcopatu Rothomagenſi, cui utramque urbem *Lyddam* videlicet & *Ramulam* cum adjacentibus ſuburbanis, jure perpetuo poſſidendas contulerunt, primitias laborum ſuorum cum omni devotione egregio martyri dedicantes.» Ab eo Roberto Dagobertum ſive Daibertum, electum Patriarcham Hieroſolymitanum, conſecratum eſſe narrat Albertus Aquenſis, *lib. 7. hiſt. cap. 8.* Adfuit Robertus ſynodo Hieroſolymis coactæ, ubi ejuſdem Patriarchæ cauſa diſcuſſa eſt, ex eodem Alberto Aquenſi, *lib. 9. c. 16.* Is quoque probabiliter ille *epiſcopus Lyddenſis* fuit, quem præfatus Willelmus Tyrius, *lib. 10. cap. 22.* aſſerit, audita & prope conſpecta eorum qui (anno 1102.) in Ramulenſi præſidio capti fuerant ſtrage, relicta eccleſia ſua, Joppen confugiſſe. Obiit ante annum 1120.

II. ROGERUS *ſive* ROGERIUS.

Anno 1120. Gormundus Hieroſolymorum Patriarcha conventum apud Neapolim (Naplouſe) urbem regionis Samariæ habendum curavit, cui cum rege Balduino II. multiſque regni proceribus ac eccleſiarum prælatis interfuit *Rogerus Lindenſis* (Lyddenſis) *epiſcopus,* ex Willelmo Tyrio, *lib. 12. c. 13.* qui A etiam, *c. 25.* refert inſtrumentum quoddam pactorum inter Venetos & regni Hieroſolymitani principes confectum apud Acconem anno 1223. cui ſubſcripſit *Rogerius Lyddenſis ſancti Georgii epiſcopus.*

III. CONSTANTINUS.

Fulchero Patriarchæ Hieroſolymitano anno 1155. aut 1156. in Italiam proficiſcenti ad Adrianum IV. ob quædam negotia, *Conſtantinus Lyddenſis epiſcopus* unus præſulum fuit qui ipſum in eo itinere comitati B ſunt, teſte eodem Tyrio, *lib. 18. cap. 6.*

IV. RAYNERUS *ſive* RENERTUS.
V. BERNARDUS.

Præfatus Willelmus Tyrius, *lib. 20. c. 13.* ſub anno 1168. hæc de utroque eo epiſcopo loquitur: «Domino rege (Amalrico) in regnum reverſo, nil memoria dignum prima illius anni parte geſtum eſt, niſi quod, defuncto *Raynero* bonæ memoriæ Lyddenſi C epiſcopo, *Bernardus* abbas eccleſiæ Montis Thabor in eadem eccleſia (Lyddenſi) inthronizatus eſt.»

Raynerus iſte eſt procul dubio, qui *Renertus* appellatur in quodam inſtrumento Willelmi Acconenſis epiſcopi, apud Ughellum, *tom. 7. in Amalphitanis archiepiſcopis, col. 267. num. 8.* B. C. *vet. edit.* ubi legitur: «Hujus igitur conceſſionis paginam, ut ſtabilis & rata permaneat, auctoritate ſigilli noſtri confirmavimus, teſtibus ſubnominatis D qui adfuerunt, Fridericus Tyrenſis archiepiſcopus, *Renertus Lyddenſis epiſcopus,* Hugo abbas templi Domini H. &c. (anno) Incarn. Dom. 1161.»

Quod ſpectat Bernardum hujus Rayneri ſucceſſorem, ejus denuo meminit laudatus Willelmus Tyrius, *ibid. c. 20.* Is anno 1170. Accone ſubſcripſit chartæ Willelmi Acconenſis epiſcopi de condendo in ſua parochia cœnobio Ordinis Cluniacenſis, *B. Lyddenſis.* Hoc diploma extat in libro dicto *Bibliotheca*

Digitized by Google

ECCLESIÆ LYDDÆ & RAMULÆ unita.

Cluniacenſis, edit. Pariſ. 1614. col. 1432. B. Adhuc ſedebat Bernardus anno 1174. de quo quippe in Martyrologio cœnobii Grandimontis habetur: « Anno MCLXXIV. tempore Guillelmi VI. Prioris ſuſceptio vivificæ crucis pridie kal. Junii (id eſt die 31. Maii,) quam.... rex Amalricus cum aureó contulit Philacterio, & divina inſpiratione illuminatus eamdem per *Bernardum venerabilem Lyddenſem epiſcopum* apud Grandimontem direxit.»

VI. * * *

Radulphus Coggeshalenſis cœnobii in Anglia abbas, qui obiit circa annum 1228. ait in ſuo chronico Terræ-Sanctæ, *tom. V. vet. Script. & Monum. ampl. collect. col. 552.* E. & *col. 553.* B. C. *n. 7.* anno 1187. quum Saraceni Syriæ ingentem exercitum congregaſſent adverſus Chriſtianos Palæſtinæ, iſtos miſiſſe ad (Eraclium) Patriarcham Hieroſolymorum, ut ipſe cum ligno ſanctæ crucis ad caſtra properaret. Qui, « quoniam lumen oculorum cordis, inquit, jam dudum amiſerat, ſicut Heli Silonites Ophni & Phinees filios ſuos, ſcilicet *epiſcopum Lyddenſis eccleſiæ,* & epiſcopum Accon, conſtituit ut eſſent portitores Dominicæ crucis & cuſtodes..... ſperans.... ſibi aditum evadendi patere: ſed.... cecidit retro de ſella quam forte indignus poſſederat, &c.» Et *col. 557.* C. « Inter hæc Syri irruerunt per millenos & millenos ſuper Chriſtianos, ſagittando & interficiendo eos. Interim epiſcopus Accon, bajulator crucis Dominicæ, vulneratus eſt ad mortem, atque *epiſcopo Lyddenſi* crucem geſtare reliquit, &c.» Et *col. 558.* C. « Quid plura! Capta eſt crux, & rex Hieroſolymorum (Guido,) & Magiſter militiæ templi, & *epiſcopus Lyddenſis,* & frater regis, & Templarii, & Hoſpitalarii, & Marchio de Mont-ferrat, atque omnes vel mortui vel capti ſunt, &c.»

VII. J.

Tom. 1. edit. Baluz. epiſt. Innocentii III. *pag. 198. col. 1.* extat epiſtola 343. lib. I. *epiſcopo Lyddenſi* data Spoleti III. kal. Septemb. (id eſt die 30. Auguſti) de qua mentionem facit Raynaldus, *tom. 13. annal.* ad annum 1298. *num. 85.* Epiſtola ſequens data kal. (id eſt die 1.) Septemb. *eidem* quoque ſcripta eſt, quibus illi pluribuſque aliis injunxit, ut militiam ſacram pro recuperanda Hieroſolyma prædicarent. Is probabiliter *epiſcopus* ille eſt *Lyddenſis,* cujus nomen incipiebat à littera *J.* qui anno 1294. ad Magiſtrum Michaelem decanum eccleſiæ Pariſienſis electum in Patriarcham Hieroſolymitanum, epiſtolam ſcripſit, ut ipſum invitaret ad onus illud ſubeundum. Hanc refert Baluz. *tom. 2. Miſcellan. pag. 242.* Idem fortaſſis fuerit *epiſcopus Lyddenſis,* quem cum Hieroſolymitano Patriarcha ac Hieroſolymitani hoſpitalis & militiæ templi Magiſtris præfatus Innocentius Papa commiſit epiſtola 189. lib. II. *pag. 459. edit. Baluz.* laudatæ, qui collectam tranſmiſſamque eleemoſinam quibus oporteurit fideliter diſtribuerent.

VIII. R.

Tom. 1. Theſauri novi Anecdotor. editionis Pariſ. 1717. col. 1012. C. D. extat *epiſtola Prælatorum & Baronum Terræ-Sanctæ ad Theobaldum regem Navarræ, de obſervandis in profectione ad Terræ-Sanctæ ſubſidium,* cujus initio inſcribuntur « E. miſeratione divina Nicoſienſis domini Patriarchæ Hieroſolymitani vicarius, & H. Dei gratia Nazarenſis archiepiſcopi, & R. Acconitidis, & *R. Liddenſis* epiſcopi, & H. abbas Templi, &c. Datum Accon pridie Nonas (id eſt die 6.) Octobris.» Ad marg. legitur: *Circa annum 1239. ex cartario Campaniæ biblioth. regiæ.*

IX. * * *

Alius fortaſſis fuit *epiſcopus* ille *S. Georgii de Rama,* quem anno 1244. occiſum à Turcis die 18. Octobris, unà cum Petro archiepiſcopo Tyri, narrat continuator Gallus hiſtoriæ Willelmi Tyrii, *tom. V. vet. Script. & Monum. ampl. collect. coll. 729.* E. & *730.* B. his verbis: « Et i fûrent occis Pierre de Sergines qui eſtoit Arceveſque de Sur, & *l'Eveſque de S. Georges de Ramés....* Cette deſconfiture fu par un mardy en l'an de l'Incarnation Notre Seignor J. C. MCCLIV. u mois d'Octembre; & fu le jor de S. Luc l'Evangeliſte.»

In hac porro nota *anni* mendum occurrere, & legendum eſſe *MCCXLIV.* palam fit ex eo ipſomet auctore, qui ſtatim ſubjungit graviſſimam ſancti Ludovici regis Francorum ægritudinem, quæ ſub finem anni MCCXLIV. aliaque plura quæ annis MCCXLVIII. MCCL. &c. contigerunt. Annum pariter *MCCXLIV.* huic ſtragi aſſignant, tum Fredericus Imperator in epiſtola ad Richardum Cornubiæ in Anglia Comitem ſcripta die 27. Februarii anni ſequentis, apud Matthæum Paris, *edit. Pariſ. 1644. pag. 419. col. 1.* tum Sanutus, *lib. 3. part. XII. cap. 1.* ad calcem voluminis *Geſta Dei per Francos, edit. Hanov. 1611. p. 217.* Adde diem 18. Oct. in diem Martis cecidiſſe anno 1244. in Dominicam vero anno 1254.

X. Guillelmus.

Dionyſius Sammarthanus, *tom. 2. Galliæ*

LIII iij

Digitized by Google

ECCLESIÆ LYDDÆ & RAMULÆ unitæ.

Chriſt. edit. Pariſ. 1720. in eccleſia Aginnenſi, A *col. 919.* D. hæc habet de Guillelmo IV. epiſcopo Aginnenſi. « *Guillelmus,* quondam » *Liddenſis epiſcopus,* ad Aginnenſem eccle- » ſiam per tranſlationem Guillelmi (hujus ſedis » epiſcopi) facti Patriarchæ Hieroſolymitani » vacantem evocatur, ex Regeſto anni II. Ur- » bani IV. *cap. 36.* (qui) ſolemnem in hanc » urbem (Aginnenſem) ingreſſum facit die Dominica in feſto S. Magdalenæ an. 1263. &c.»

XI. * * *

B

Gregorius X. in epiſtola archiepiſcopo Nazareno, Bethleemitano & Paneadenſi epiſcopis, data IX. kal. Novemb. anno 2. (id eſt die 24. Octob. anno 1272.) conqueritur de *epiſcopo Lyddenſi,* quod ex mandato Guillelmi Patriarchæ Hieroſolymitani, non obſtante appellatione Mariæ ad ſedem apoſtolicam, Hugonem regem Cypri in regem Hieroſolymorum coronaſſet. Hanc epiſtolam profert Raynaldus, *tom. 14. annalium* ad hunc annum, *nn. 19. & 20.*

XII. ANDREAS I.

Anno 1295. archiepiſcopi & epiſcopi numero 23. qui Romæ convenerant, inter quos eſt *Andreas Lyddenſis,* quaſdam indulgentias largiti ſunt in gratiam monaſterii Glanderienſis. Diploma hujus conceſſionis legitur *to. 1. Theſ. novi Analector. edit. Pariſ. 1717. col. 1271.* B.

XIII. ANDREAS II.

XIV. JOANNES.

Andreæ epiſcopo Lidinenſi, id eſt, *Lyddenſi* ſive *S. Georgii de Lydda* ſub Patriarcha Hieroſolymitano, ut obſervat R. P. Antoninus Bremond, *tom. 2. Bull. pag. 466.* poſt ejus obitum, ſubſtitutus eſt à Bonifacio IX. *Fr. Joannes Celli,* de Tuderto, Ord. Præd. anno 1397. die 28. Septemb. Litteras hujus promotionis ſuperius retulerat, *pag. 365.*

III. ECCLESIÆ BETHLEEM & ASCALONIS *unitæ.*

BETHLEEM, de qua paſſim in ſcripturis, quæ & *Lehem,* ſeu *Lahem,* & *Ephrata,* quæque *Bethleem Judæ* ad diſcrimen alterius dicta eſt, ab Hieroſolymis 5. milliar. in auſtrum Hebron verſus diſtat. Hanc Paſchalis II. Papa in ſedem epiſcopalem erexit, ſub Patriarcha Hieroſolymitano: ſed nunc exciſa eſt manente tantum cœnobio, ejus vero epiſcopatu ritus Latini conſtituto apud Gallos in xenodochio ad Clametium oppidum, Nivernenſis provinciæ, & Antiſſiodorenſis diœceſis, ad Icaunum fluvium. Hæc Mich. Ant. Baudrand, *tom. 1. geogr. p. 162. col. 2.* Vide quæ de *Bethleem* ſupra ſcripſimus hoc tomo 3. *col. 641.*

Aſcalon autem, ex eodem Baudrand, ibid. *p. 106. col. 1.* urbs eſt Paleſtinæ in ora maris Syriaci Straboni, quæ *Aſcalo* Plinio, una ex quinque primis Philiſtinorum urbibus, poſtea epiſcopalis ſub Patriarcha Hieroſolymitano, nunc etiam *Scalona* dicitur, ſed paucis conſtans incolis, ſedi epiſcopali Bethleemiticæ juncta, eſtque inter Azotum ad ſeptentrionem, & Gazam ad meridiem 18. milliar. ab Azoto diſſita. Vide ſupra in præſenti tomo, *col. 597.*

Scilicet, quum oppidum Bethleem in poteſtatem veniſſet Latinorum ſimul cum Hieroſolymis anno 1099. Etſi illud hactenus epiſcopatu cohoneſtatum non fuiſſet, ob ejus proximitatem ad Hieroſolymam, anno tamen 1110. ſub Balduino I. Godefridi de Bullonio fratre, ſedes epiſcopalis evaſit. Sic enim ſcribit Willelmus Tyrius, *lib. XI. Hiſt. cap. 12.* « Anno » ſequenti, qui erat ab Incarnatione Domini 1110. ſollicitus rex, & curam gerens pervigilem » quomodo ſibi regnum à Deo commiſſum poſſet honorare, & Deo protectori ſuo aliquid » acceptione dignum offerre, propoſuit, de pio mentis fervore, *eccleſiam Bethleemiticam, quæ uſque ad illum diem Prioratus tantum fuerat, ad cathedralem ſublimare dignitatem.*» Et ſubjungit chartam ejuſdem piiſſimi regis, de illa erectione, quæ confirmata eſt auctoritate Paſchalis II. Papæ, per Gibellinum Arelatenſem archiepiſcopum, ejus legatum ad hoc in Palæſtinam miſſum, & in Patriarcham Hieroſolymitanum aſſumptum. Illuc autem tranſlata fuit ſedes epiſcopalis Aſcalonis à Saracenis tunc adhuc occupatæ, quæ nimirum anno duntaxat 1154. iis erepta fuit, & Bethleemiticæ unita, ex eodem Willelmo Tyrio, *lib. 17. cap. 30.* Ejectis poſtea è Palæſtina Latinis, quum Græci eccleſias hujus regionis ſibi vindicaſſent, ſedem epiſcopalem eccleſiæ Bethleem ſervaverunt.

At præſul Latinus, ut referunt Sammarthani, *tom. 2. Gall. Chriſt. edit. Pariſ. 1656. pag. 297. col. 2.* B. *in epiſcopis Antiſſiodorenſibus,* ab infidelibus extorris factus, in Galliam adductus eſt à Guidone Nivernenſi Comite anno 1223. & donatus Hoſpitali diverſorio cum jure & titulo epiſcopali, in loco ſuburbano Clameciaci diœceſis Autiſſiodorenſis, in comitatu Nivernenſi. Is itaque præſul ad nominationem Principum Nivernenſium, & confirmationem

Digitized by Google

ſummorum Pontificum, promovendus, caret omni territorio vel diœceſi, decimis, populo vel clero, aliiſve juribus, nec aliud quicquam habet niſi quod præfectus iſtius Hoſpitalis nuncupetur *epiſcopus Bethleemitanus*. Qua de re legi poſſunt Aubertus Miræus, in *Geogr. eccleſiaſtica*, Renatus Chopinus, *lib. 2. cap. 4. n. 20.* & Guido Coquillæus, in *Hiſt. Nivernenſi*.

ECCLESIÆ BETHLEEM & ASCALONIS *unitæ*.

EPISCOPI BETHLEEM & ASCALONIS.

I. Aschetinus *ſive* Asquitinus.

BALDUINUS I. Hieroſolymorum rex in charta paulo ſuperius memorata erectionem eccleſiæ Bethleemiticæ in epiſcopalem ſic exponit: « Propterea à me, clero ſimul & populo, gaudenter ſuſceptus (Gibelinus Arelatenſis archiepiſcopus, Paſchalis II. Papæ legatus).... in Bethleemitica eccleſia, *Aſchetinum*, virum illuſtrem eamdem gubernantem; quem Hieroſolymitanum capitulum ejuſdem eccleſiæ cantorem, me cum meis proceribus & populo volente, Aſcalonæ elegerat atque ſtatuerat epiſcopum (id eſt deſignaverat pro tempore quo in poteſtatem Latinorum veniret quod contigit an. 1154.) obtinere primatum epiſcopalem decrevit, Bethleemiticæque ſedi pro præcepto (id eſt de mandato Paſchalis Papæ) & conſideratione noſtra, Aſcalonæ eccleſiam parochiali jure ſubjugavit (id eſt ſubjecit) &c. Facta eſt autem hæc conceſſionis vel confirmationis noſtræ inſcriptio, rerumque geſtarum deſignatio (in hac charta) anno ab Incarn. Domini 1110. Indict. III. præſidente Romanæ eccleſiæ Papa Domno Paſchale II. Hieroſolymis vero Gibelino Arelatenſi archiepiſcopo, ſedis apoſtolicæ vicario, in Patriarcham electo, &c. »

Albertus Aquenſis, *lib. 9. Hiſt. Hieroſol. cap. 16.* ait *epiſcopum de Bethleem* unum fuiſſe ex 18. præſulibus qui Hieroſolymis convenerunt, juſſu Balduini regis, adverſus Dagobertum, ſeu Daibertum Patriarcham, qui depoſitus eſt, & Evermerus (ſive Ebremarus) in ejus locum ſubrogatus anno 1102. At ex charta modo relata conſtat primum Bethleemitanum epiſcopum electum fuiſſe anno duntaxat 1110. tribus annis poſt obitum Daiberti, qui *ſederat in pace annis quatuor*, ex Willelmo Tyrio, *lib. XI. cap. 4. in exilio vero tribus.* Dicendum itaque videtur *Aſchetinum* nondum epiſcopum Bethleemitanum, ea dignitate deſignari per anticipationem ab Alberto Aquenſi, niſi in ejus textum error fortaſſis de eo epiſcopo irrepſerit.

Adfuit Aſchetinus concilio quod Gormundus Patriarcha Neapoli in Samaritica regione anno 1120. celebravit, teſte præfato Willelmo Tyrio, *lib. 12. cap. 13.* Subſcripſit demum cum pluribus aliis Accone an. 1120. pactis conventis inter Venetos & principes regni Hieroſolymitani, his verbis: *Ego Aſquitinus Bethleemita ſimiliter confirmo, ibid. cap. 25.*

II. Anselmus.

Anſelmus ſedebat Bethleemitanus antiſtes, quum agitata eſt Antiochiæ Radulphi hujus ſedis Patriarchæ cauſa, anno circiter 1136. in concilio cui præſidebat Albericus ſedis apoſtolicæ legatus & epiſcopus Oſtienſis, ex Willelmo Tyrio, *lib. 15. cap. 16.* qui ſubjungit, *capp. 21. & 23.* quum Joannes Comnenus Imperator Græcorum in Palæſtinam ſacrorum locorum honorandorum ſpecie iter arripuiſſet, obviam ei à Fulcone Hieroſolymorum rege delegatos proceſſiſſe *Anſelmum Bethleemitanum epiſcopum*, Gaufridum abbatem templi Domini Græca lingua peritum, & Roardum arcis Hieroſolymitanæ caſtellanum, qui ſignificarent aditum ipſi liberum fore, dummodo decem duntaxat hominum millia ſecum duceret, eo quod regio illa amplioris numeri copiis alendis eſſet impar: cui conditioni obtemperare noluit Imperator, mortuus paulo poſt anno 1137.

III. Geraldus *ſive* Gerardus I. *Abſalon.*

Anno 1147. *Geraldus* ſive *Gerardus* Bethleemitanus epiſcopus interfuit cum pluribus aliis præſulibus generali curiæ, quam chriſtiani principes Accone habuerunt. Ita Willelmus Tyrius, *lib. 17. cap. 1.* qui præterea refert, *cap. 30.* urbe Aſcalone à Balduino III. Hieroſolymorum rege capta anno 1154. Fulcherum Patriarcham certum in ea numerum canonicorum inſtituiſſe; *epiſcopum* quoque *quemdam* nomine *Abſalonem* eccleſiæ Dominici ſepulcri canonicum regularem, reclamante multum Geraldo Bethleemita epiſcopo, ordinaſſe: poſtmodum vero per appellationem cauſa ad Romani Pontificis audientiam delata, prædictum Bethleemitam epiſcopum obtinuiſſe, eo excluſo quem Patriarcha ibi conſecraverat, Aſcalonitanam eccleſiam cum poſſeſſionibus ſuis ſibi & eccleſiæ Bethleemiticæ jure perpetuo poſſidendam.

IV. Radulphus.

De *Radulpho* iſto multa diſcimus ex Willelmo Tyrio variis in locis: nam 1.° ex *lib. 16. cap. 17.* Anglus erat, regiſque Angliæ cancellarius, vir utique litteratus, ſed ſæculi moribus nimis addictus: quum vero poſt tranſlationem Fulcheri de ſede Tyrenſi ad

Digitized by Google

ECCLESIÆ BETHLEEM & ASCALONIS unitæ.

patriarchalem Hieroſolymorum anno 1146. A ab eligentium parte capituli Tyrii poſtulatus eſſet in Fulcheri ſucceſſorem, etſi ab altera repudiatus parte, eccleſiam hanc nihilominus & ejus bona invaſit, poſſeditque per biennium, quouſque ſcilicet ab Eugenio III. Papa, præſentibus partibus, lis deciſa fuerit, & factum cancellarii in irritum deductum. Radulphus tamen poſtea, favente ſibi Adriano IV. Papa gentili ſuo (anno 1154. electo, & anno 1159. mortuo) ad eccleſiam Bethleemitanam aſſumptus eſt & ordinatus epiſcopus. 2.° Ex *lib. 18. c. 20.* Radulphus tunc Bethleemitanus præſul totis viribus obſtitit, ne Fulchero Patriarchæ mortuo anno 1157. Amalricus ſubſtitueretur, ſed nequicquam: Amalricus enim pallium obtinuit ab Adriano IV. Papa. 3.° Ex *lib. 19. cap. 24.* idem Radulphus adfuit prælio Amalrici regis Hieroſolymorum cum Siracono Soldani Ægypti prætore anno 1167. ibique graviter vulneratus ſua omnia amiſit. 4.° Ex *lib. 20. cap. 28.* geſtavit crucem Dominicam in exercitu ejuſdem regis Amalrici, dum Noradinus Sultanus Petram obſideret. 5.° Tandem de ejus morte hæc ait præfatus ſcriptor, *ibid. c. 32.* « Vere » proxime ſubſequuto (anno 1173.) venera» bilis frater dominus Radulphus felicis me» moriæ Bethleemita epiſcopus & regius can» cellarius, vir liberalis & benignus admodum, » diem fatalem ingreſſus eſt, in capitulo ec» cleſiæ ſuæ honorifice ſepultus: poſt cujus » obitum, dum in eadem eccleſia de paſtore » ſubſtituendo tractus haberetur, votis diſſonis » deciderunt in quæſtiones difficiles, quæ do» mini Balduini ſucceſſoris domini Amalrici » (regis) & filii ejus vix terminatæ ſunt anno 2. » quæ prædictam eccleſiam (Bethleemitanam) ad multa traxerunt diſpendia. » Is utique fuit qui in libro, cui titulus *Biblioth. Cluniacenſis edit. Pariſ. 1614. col. 1432.* B. ſubſcriptus legitur inſtrumento cuidam Accone confecto anno 1170. Indict. III. hoc modo. *R. quoque Bethleemita.*

V. Albertus.

Hic *Albertus,* quem multi perperam confundunt cum alio Alberto ex Vercellenſi eccleſia ad Hieroſolymitanam tranſlato, ut obſervat Ughellus, *to. 4. Ital. ſac. col. 1097.* C. *vet. edit.* Petri Eremitæ nepos fuit. Bethleemitanæ autem ſedi præfectus eſt an. 1175. ex ſupra recitatis Willelmi Tyrii verbis, qui addit, *lib. 21. c. 22.* ab eo geſtatam crucem in certamine Balduini IV. adverſus Salahadinum Ægypti Soldanum (anno circiter 1176.) Ejus etiam meminit, *lib. 22. cap. 7.* Interfuit Albertus concilio Lateranenſi, quod Alexander III. anno 1179. celebravit, & ſubſcriptio ejus legitur *to. XII. Spicileg. p. 643. Provinciæ Palæſtinæ I. Albertus Bethleem epiſcopus.* Ubaldus archiepiſcopus Piſanus ei conceſſit anno 1186. die 23. Decemb. eccleſiam S. Martini prope Piſas, cujus diploma extat apud præfatum Ughell. *t. 3. col. 485.* C.

VI. R.

Circa primordia Innocentii III. *R.* ſubdiaconus Romanæ eccleſiæ, & P. canonicus ſepulcri Dominici, electi fuerant ad ſedem Bethleemitanam, quorum primus à Hieroſolymitano Patriarcha confirmatus eſt, alteri B autem Rex Hieroſolymorum favebat. Re ad Innocentium delata, Pontifex commiſit Cardinales P. [a] tituli Baſilicæ XII. Apoſtolorum J. [b] tituli S. Stephani in Cœliomonte, & G. [c] S. Mariæ in Porticu, qui de ea duplici electione inquirerent, & ad ipſum referrent. Hinc ſufficienter inſtructus, utramque irritavit, ſed præfatum *R.* ſubdiaconum qui ſe oſtenderat per ſæcularem potentiam ſpoliatum, reſtituendum decrevit. Diploma iſtud pontificium legitur *tom. 1. edit. Baluz.* C *epiſtolar. Innocentii III. titulo 27. de reſtitutione. Idem canonicis Bethleemitanis. Cum ſuper electione Bethleemitanenſi, &c. pag. 585. col. 2.* Et ad margin. citatur cap. *Cum ſuper.* de cav. poſſ.

[a] (*Id eſt Pandulphum Maſcam, Piſanum, qui creatus eſt à Lucio III. anno 1182. & obiit circa an. 1201.*)

[b] (*Id eſt Joannem Salernitanum, qui creatus eſt à Cæleſtino III. anno 1191. & obiit circa an. 1210.*)

[c] (*Id eſt Gregorium Galgarum, qui creatus eſt à Clemente III. anno 1188. & obiit poſt an. 1225.*)

VII. Petrus I.

Ughellus, *to. 4. Ital. ſac.* in epiſcopis Vercellenſibus, *col. 1097.* C. D. *vet. edit.* illo quem modo recenſuimus prætermiſſo, tradit Alberto Bethleemitano epiſcopo ſucceſſiſſe *Petrum* ſedis apoſtolicæ legatum, qui unus D fuit ex 12. electoribus Balduini I. Imperatoris Latini Conſtantinopoleos anno 1204. *Epiſcopum Bethleemitanum* revera, ſed omiſſo ejus nomine, inter eos electores computant tum Balduinus ipſe in epiſtola ſua ad Innocentium III. apud Raynaldum, *to. 13.* annal. ad annum 1204. *num. 15.* tum Albericus in chronico ad eumdem annum, *part. 2. pag. 437. edit. Lipſiæ 1698.* Præfatus Ughellus, *tom. 3.* in archiepiſcopis Piſanis, *col. 490.* D. inſtrumentum quoddam exhibet confectum anno 1205. Indict. VIII. menſe Sept. cum E inſcriptione Rivelonis Sueſſionenſis, G. Trecenſis, & *P. Bethleemitani* epiſcoporum.

VIII. Regnerius.
IX. Godefridus.

Anno 1223. Honorius III. Papa celebrem in Campania de ſubſidiis in Terram-Sanctam ferendis, conventum habuit, cui Fridericus Imperator, Patriarcha & rex Hieroſolymorum, *Bethleemitanus* quoque *epiſcopus,* Religioſorum Equitum Magiſtri, aliique viri celebres

Digitized by Google

celebres interfuerunt, ut ipſemet Honorius A teſtatur in epiſtola ſua ad Philippum regem Francorum, quam profert Raynaldus, ad hunc annum, *n.3*. Is porro epiſcopus alius non fuiſſe videtur à *Regnerio*, quem Sammarthani *to.2. Gall. Chriſt. pag. 297. col.2.* B. C. *edit. Pariſ. 1656.* tradunt ſediſſe an. 1223.

X. Thomas.

Thomas Agni de Lentino, ſive *de Leontio*, cujus jam ſupra meminimus inter Patriarchas Hieroſolymorum, *col. 1261.* B. ad Bethleemitanam ſedem evectus eſt ab Alexandro IV. B anno 1255. ex Bernardo Guidonis in epiſcopis Dominicanis Terræ-Sanctæ. De eo mentionem facit Guillelmus Tripolitanus, Ord. Præd. in libro *de ſtatu Saracenorum,* ad Gregorium X. anno 1273. cujus fragmentum extat *tom. 5. Hiſtor. Francor.* Andr. Duchesne, *p.433.* B. *Tempore illo*, inquit, *Fr. Thomas erat Behelivitanus* (Bethleemitanus) *epiſcopus, apoſtolicæ ſedis legatus in Accon, qui factus eſt poſtmodum Patriarcha Hieruſalem.* Benedictus Maſſilienſis epiſcopus tractatum ſuum de Trinitate & fide catholica ad eum C miſit, epiſtola data, *Reverendiſſimo Domino T. Dei providentia epiſcopo Bethleemitano, apoſtolicæ ſedis legato,* &c. *Accone anno 1261. in feſto S. Matthæi*; apud Baluz. *t. 6. Miſcellan. pag. 350.* Continuator Gallus hiſt. Willelmi Tyr. *to. 5. vet. Script. & Monum. ampl. collect. col.737.* ait ſub eo anno 1261. *num. 26.* C. *Après celle guerre vint en Acre legat frere Thomas de Lantil Eveſque de Bethleem* ; & *col. 738.* C. *A. MCCLXIII....* S'en retourna à Rome li legat Thomas *qui eſtoit eveſque de Bethleem.* Scilicet, ad Urbanum IV. D venit graviſſima Terræ-Sanctæ pericula imminentia expoſiturus, ex Raynaldo, *tom. 14.* annal. ad annum 1263. *num. 12.* qui etiam ſubdit ad annum 1264. *n. 21. & 23.* Bethleemitano epiſcopo commiſſas in plebem Romanam ab eo Papa vices pontificias, dum ipſe apud Urbem veterem moraretur, injunctum quoque mandatum ut crucis ſigna adverſus Manfredum attolleret. Extat *fol. 1321.* libri cui titulus, *Antiquæ conſtitutiones regni Angliæ, Londini 1672.* epiſtola quædam quam de malis Terræ-Sanctæ impendentibus, *Excellentiſſimo ac chriſtianiſſimo principi D. Henrico* (III.) *illuſtri regi Angliæ, Fr. Thomas, de Ordine Prædicatorum, miſeratione divina Bethleemitanus epiſcopus, apoſtolicæ ſedis legatus, ejus ad Deum orator aſſiduus,* ſcripſit cum nonnullis aliis, *Acton.* (Accone) *quarto die menſis April. ſexto* (anno) *Indictionis,* (id eſt anno 1263.) antequam nimirum in Occidentem reverteretur. Hunc autem Clemens IV. Urbani IV. ſucceſſor

ad eccleſiam Cuſentinam in Calabria tranſtulit anno 1267. die 18. Aprilis, & ex illa Gregorius X. ad Hieroſolymitanam & Aconenſem unitas anno 1272. menſe Martio. En quod de eo præſule habet breviter Bernardus Guidonis in *catalogo Prælator.* apud P. Echardum, *tom. 1. Scriptor. p.359. col. 1.* *Frater Thomas Agni de Lentino fuit Patriarcha Hieroſolymitanus & epiſcopus Aconenſis. Hic fuit à Domino Deo ſuo ſemper & ubique directus: qui, quum eſſet prior provincialis Romanæ provinciæ, epiſcopatum Bethleemitanum compulſus eſt recipere, & legatus in Terra-Sancta factus, multum bene ſe habuit; deinde ad archiepiſcopatum Coſentinum tranſlatus, multo melius: tandem ad patriarchatum electus, bono principio optimum finem adjunxit. Hic obiit anno Domini 1277.*

ECCLESIÆ BETHLEEM & ASCALONIS *unitæ.*

XI. Gailhardus.

Thomæ Coſentiam tranſlato anno 1267. ſucceſſit ejuſdem Dominicani Ordinis alumnus alter *Gailhardus de Urſi-ſaltu (d'Ourſault),* Gallus, Vaſco, ex priore Taraſconenſi epiſcopus factus Bethleemitanus, teſte præfato Bernardo Guidonis, apud R. P. Bremond. *tom. 1. Bullar. pag. 413.* Hugone rege Cypri & Maria Antiocheni principis filia de Hieroſolymitano regno contendentibus, quum ille coronatus fuiſſet à Lyddenſi epiſcopo ad hoc deputato à Guillelmo I. Hieroſolymorum Patriarcha, non obſtante appellatione Mariæ ad ſedem apoſtolicam, Gregorius X. ea de re epiſtolam ſcripſit anno 1272. die 24. Octob. archiepiſcopo Nazareno, *Bethlehemitano*, & Paneadenſi epiſcopis, quam refert Raynald. *to. 14.* ad annum 1272. *n. 19.* Ex dictis porro tam de eo præſule Bethleemitano, quam de prædeceſſore ejus Thoma Agni, palam fit emendandos quotquot Gailhardum hunc anno 1256. ad ſedem Bethleemitanam promotum aſſerunt, quæ ab anno 1255. ad annum 1267. non vacavit.

XII. Hugo.

Ughellus, *tom. 1. Ital. ſac. col.238. n. 12.* A. *vet. edit.* ſcribit *Fr. Hugonem*, patria Neapolitanum, Ord. Præd. electum fuiſſe epiſcopum Trojanum in Italia anno 1278. IV. kal. E Aug. (id eſt die 29. Jul.) & deinde tranſlatum ad *Betalemitanam* (*Bethleemitanam,* ut legitur in diplomate Nicolai III. apud Waddingum, *tom. 2. annal. in Reg. Pontif. pag. 147.*) anno ſequenti 1279. VII. idus (id eſt die 9.) Octobris. Honorius IV. anno 1285. Martini IV. prædeceſſoris ſui veſtigia ſectatus, qui totius Italiæ decimas, ad comprimendam Petri Aragonii pervicaciam, ad triennium Carolo regi Siciliæ conceſſerat; earum colligendarum

Hugoni Bethleemitano epiſcopo, inquit Raynaldus, *tom. 14.* ad annum 1285. *num. 16.* provinciam tradidit. Sammarthani, *tom. 2. Gall. Chriſt. edit. Par. 1656.* ſcribunt, *p. 297. col. 2.* B. C. *Hugonem monachum*, ex Andr. Ducheſne *in hiſt. domus Monmorencianæ* (inter probationes, *p. 131.*) *interfuiſſe* (Pariſiis) *ad Luparam* (in camera palatii regii) *conſilio* (Philippi Pulchri) *cum pluribus aliis præſulibus, anno 1291.* (die 12. Jan.) *quando Petrus Flota, eques, litteras quaſdam Guidonis Flandriæ comitis recitavit.* Eumdem quoque epiſcopum *legatum fuiſſe apud ducem Auſtriæ cum priore fratrum Dominicanorum Pariſienſium, ex compoto baillivorum Franciæ de termino omnium Sanctorum 1295. Recenſeri &* (in anno) *1297.* Verum licet is titulo *epiſcopi Bethleemitani* adhuc tunc temporis ornaretur, dimiſſa videtur ab illo fuiſſe ea ſedes ſaltem ab anno 1287.

XIII. PETRUS II.

Petrus de Sancto Maxentio, Gallus, Ord. Prædicat. ſub Honorio IV. Papa, qui obiit die 3. April. 1287. electus eſt *epiſcopus Bethleemitanus,* ex Bernardo Guidonis in epiſcopis provinciæ Terræ-Sanctæ. Is Chriſtianis in Palæſtina, quam fere totam Saraceni ſibi ſubdiderant, degentibus erudiendis plurimam navavit operam.

XIV. JAGARDUS *ſive* GERARDUS II.

Idem Bernardus Guidonis meminit *Jagardi*, quem alii *Gerardum* appellant, Ord. Præd. qui ſub Bonifacio VIII. electo Papa anno 1294. die 24. Decemb. ſedebat; quem ſubinde immerito ſcriptores iſtius Ordinis ad Bonifacii IX. tempora uno ſæculo poſterioris differunt.

XV. WULFRANNUS.

Vulfrannus de Abbatis-villa (Abbeville) ex ea urbe Pontivi in regione Picardiæ capite oriundus, Ord. Præd. recenſetur à laudato Bernardo Guidonis inter epiſcopos Bethleemitanos ejuſdem Ordinis. Is Carolo II. regi Siciliæ admodum charus fuit, ad cujus petitionem Bethleemitanus epiſcopus creatus eſt à Bonifacio VIII. circa annum 1301. In Galliam regreſſus adfuit ſolemni dedicationi eccleſiæ collegiatæ ſanctæ Mariæ d'Eſcoüys diœceſis Rothomagenſis, factæ à Nicolao de Freauville Dominicano & S. R. E. Cardinali, anno 1313. ut conſtat ex bulla Clementis V. Papæ. Ita Sammarthani, *tom. 2. Gall. Chriſt. pag. 297. col. 2.* & P. Echard. *in indice epiſcoporum præfixo tom. 1. Script. pag. 23. col. 2.* Et rurſus *pag. 557. col. 1.*

XVI. GERARDUS III.

Præfati Sammarthani, *ibid.* mentionem faciunt cujuſdam *Gerardi de Giſors*, epiſcopi Bethleemitani, quem aiunt obiiſſe Pariſiis, circa annum 1321. & apud Carmelitas Maubertinos jacere.

XVII. JOANNES I.

R. P. Echard. *in indice* paulo ſupra laudato, *pag. 25. col. 2.* de eo *Joanne* hæc loquitur: «*Joannes de Hegleſcliff,* Anglus (Ord. Præd.) *Helchiſtede* corrupte dictus à Laurent. Pignon, corruptius à Fontana, & aliis noſtris (Dominicanis) *Helchiſades,* epiſcopus primum *Bethleemitanus;* tum Conorrenſis in Hibernia: demum anno 1323. menſe Septemb. Landavenſis in Anglia. Obiit Biſhonæ anno 1346. (die) 2. Januar. ſepultus apud Prædicatores Cardiffæ. (Hunc) perperam amandant noſtri (ſcriptores) ad (annum) 1483. cujus meminit Pinon (Laurentius Pignon) anno 1394. ſcribens.»

Hîc porro non omittendum, ex eodem R. P. Echardo, *tom. 1. Script. p. 620. col. 2.* anno 1348. in capitulo generali Ord. Præd. Lugduni celebrato die 8. Junii admiſſa fuiſſe duo nova cœnobia, unum conſtruendum Hieroſolymis, alterum Bethleemi.

XVIII. PETRUS III.

Ughellus, *tom. 1. Italiæ ſac. in Signinis epiſcopis, col. 151.* * *n. 23.* D. *vet. edit.* hæc pauca de eo Petro habet: «*Fr. Petrus* fuit adlectus (ad eccleſiam Signienſem) an. 1346. VI. kal. Jul. (id eſt die 26. Jun.) ex *Regeſt. Vatic. epiſt. 26.* tranſlatus ad *Betalemitanam* (*Bethleemitanam*) eccleſiam (anno) 1347.»

XIX. HUGO II.

Hugo iſte, Ord. Præd. Gallus, Turonenſis patria & profeſſione, epiſcopus Bethleemitanus fuit ſæculo decimo quarto, utique ante annum 1394. quo Laurentius Pignon catalogum ſuum præſulum Dominicanorum, cui eum inſeruit, concinnabat. Ita laudatus P. Echard. *in indice pag. 22. col. 2.*

XX. DURANDUS.
XXI. ADIMARUS.

Fontana *Theat. Domin. pag. 141. tit. 88. num. 4.* ſcribit, vacante Bethleemitana ſede per obitum *Durandi, Fr. Adimarum de Rupe,* Ordinis Prædic. ad eam fuiſſe evectum ab Urbano V. anno 1363. die 13. Novemb. ex *lib. Proviſ. Prælatorum* hujus Pontificis, & Ughello in mſſ.

XXII. JOANNES II.

Ughellus, *tom. 1. Italiæ ſac. in epiſcopis Lucenſibus, col. 882. num. 74. vet. edit.* ait *Fr. Joannem Salvutium*, Fucinatem, Ordinis

Digitized by Google

Min. *Bethleemitanum epiſcopum,* ad eccleſiam A Lucenſem tranſlatum eſſe anno 1383. & obiiſſe anno 1394.

XXIII. Guillelmus.

Guillelmus de Valen ſive *de Vallone*, Ord. Præd. Caroli regis Francorum confeſſarius, ejuſque eleemoſinarum diſpenſator an. 1383. ut conſtat ex diario Cameræ computorum Pariſienſium, promotus eſt eo anno ad epiſcopatum Bethleemitanum, deinde tranſlatus circa annum 1389. ad Ebroicenſem. Ita Sammarthani, *tom. 2. Gall. Chriſt. editionis Pariſ. 1656. p. 298. col. 1.* A. Ejus meminit P. Echard. *in indice epiſcopor.* initio *tom. 1. Script. pag. 22. col. 1.*

XXIV. Joannes III.

ECCLESIÆ BETHLEEM & ASCALONIS *unitæ.*

R. P. Antoninus Bremond, *tom. 2. Bull. p. 463.* ait *Joannem de Genence,* Flandrum, Ordinis Prædicat. creatum eſſe epiſcopum Bethleemitanum circa annum 1391. certe ante 1394. utpote quem eo anno Laurentius Pignon inter epiſcopos Bethleemitanos ex Ordine Prædic. aſſumptos numeret. De eo mentionem quoque facit laudatus modo P. Echardus.

A cæteris Bethleemitanis præſulibus recenſendis ſuperſedeo, quum deinceps Latinis nulla ſpes amplius Palæſtinam recuperandi affulſerit.

PROVINCIA PRIMÆ PALÆSTINÆ
SUB LATINIS.

I. ECCLESIA CÆSAREÆ METROPOLIS.

De eccleſia *Cæſareæ* ſupra diſſeruimus, *coll. 529. 530.* Addimus nunc, ex Michaele Antonio Baudrand, *tom. 1. geogr. p. 204. col. 2.* hanc urbem hodie *Caiſar* appellari, & 30. milliar. diſtare à Ptolemaïde in meridiem, Joppen verſus 36. & 45. ab Hieroſolymis verſus ſeptentrionem, teſte Adricomio. Expugnata eſt Cæſarea à Balduino I. Godefridi Bullonii fratre, & in regno Hieroſolymitano ſucceſſore anno 1101. poſt Paſcha. Willelmus Tyrius, *lib. 10. hiſtor. cap. 15.* Cæſaream ait aquarum fluentium & hortorum irriguorum amœnitate decorari, ſed portu carere, licet Herodes ſenior multis ſumptibus elaboraſſet, ut tutam ibi navibus præberet ſtationem.

ARCHIEPISCOPI CÆSAREÆ.

I. Balduinus I.

Præfatus Willelmus Tyrius, *ibid. cap. 16.* ſcribit regem Balduinum, captâ Cæſarea, quum moram ibi faciendi diuturniorem commodum non haberet, revocantibus ipſum aliis negotiis, *electo archiepiſcopo quodam Balduino,* qui cum D. Duce Godefrido in expeditione venerat, relictis etiam ad cuſtodiam civitatis de exercitu nonnullis, cum cæteris Ramulam feſtinaſſe, quam habitatoribus vacuam reperiens occupavit. Interfuit Balduinus Cæſarienſis ſynodo Hieroſolymitanæ, ubi Daybertus Patriarcha depoſitus eſt, teſte Alberto Aquenſi, *lib. 9. hiſt. c. 16.* Obiit demum anno 1107.

II. Ebremarus.

Ebremarum jam memoravimus inter Hieroſolymorum Patriarchas, ad quam ſedem evectus eſt, vivente Dayberto qui ad Paſcha- B lem II. anno ſequenti confugit. At mortuo illo Patriarcha Meſſanæ, dum Roma Hieroſolymam reverteretur, Gibelinus Arelatenſis archiepiſcopus, & ſedis apoſtolicæ legatus, de Paſchalis mandato Hieroſolymam adveniens concilium ibi regni epiſcoporum convocavit, ut de cauſa Ebremari cognoſceret. Gibelinus itaque, poſtquam ſibi conſtitit Daybertum Arnulphi archidiaconi Hieroſolymitani factionibus & regia violentia immerito C fuiſſe expulſum, & Ebremarum ſubinde ſedem occupaſſe viventis adhuc Pontificis qui eccleſiæ Romanæ communionem habebat, eum à patriarchatu depoſuit. Conſiderans tamen quanta ille religione polleret, miramque ejus ſimplicitatem, Cæſarienſi eccleſiæ, quæ tunc vacabat, ipſum præpoſuit. Id autem contigit anno 1107. Hæc Willelmus Tyrius, *lib. XI. hiſt. cap. 4.* Adfuit Ebremarus anno 1120. ſynodo apud Neapolim (Naplouſe olim Sichem) coactæ à Gormundo

ECCLESIA CÆSAREÆ.

Patriarcha, ubi convenerunt Balduinus II. A rex Hieroſolymorum, & plures epiſcopi, abbates, ac regni Proceres, de ſancienda diſciplina, *ibid. lib. XII. cap. 13.* Anno tandem 1123. pacta conventa inter Venetos & regni Hieroſolymitani principes, cum aliis & ipſe ſua ſubſcriptione firmavit: *Ego Ebremarus Cæſarienſis archiepiſcopus, hæc eadem ſimiliter confirmo. ibid. cap. 25.*

III. Gaudentius.

Gaudentius archiepiſcopus Cæſareæ in Palæſtina ſedebat an. 1136. quo interfuit, cum B pluribus aliis epiſcopis regni Hieroſolymitani & principatus Antiocheni, concilio Antiochiæ congregato in cauſa Radulphi, hujus ſedis Patriarchæ, qui ibidem depoſitus eſt. Ex Willelmo Tyrio, *lib. XV. hiſt. cap. 16.*

IV. Balduinus II.

Anno 1147. Accone celebrata eſt curia generalis, ut de modo quo procederent cruceſignati ad percipiendum ex tanta peregrinatione fructum in ea deliberaretur. Huic conventui, inter plures alios regni Hieroſo- C lymitani præſules, adſtitit *Balduinus Cæſarienſis archiepiſcopus,* apud præfatum Willelmum Tyr. *lib. 17. cap. 1.* qui eum quoque accenſet, *cap. 21.* cæteris epiſcopis & Proceribus anno 1152. præſentibus, dum obſideretur urbs Aſcalon à Balduino III. rege Hieroſolymorum, quæ anno 1154. in ejus poteſtatem venit. Idem Balduinus epiſcoporum unus fuit qui Fulcherum Patriarcham Romam petentem ut de fratribus Hoſpitalis Hieroſolymitani conquereretur, comitati ſunt an. 1155. aut 1156. ſed non multo D poſt obiit.

V. Erneſius *ſive* Erneſtus.

Erneſius jam ſedebat archiepiſcopus Cæſareæ anno 1157. utpote qui una cum Radulpho Bethleemitano epiſcopo ad Romanum Pontificem Adrianum IV. provocaverit, ne Amalrici Fulcheri Patriarchæ Hieroſolymitani eo anno mortui ſucceſſoris electio rata fieret. Vicit tamen Amalricus. Anno 1167. Erneſius, & Odo de S. Amando tunc regius Pincerna, Conſtantinopolim miſſi ſunt à rege E Amalrico ad Manuelem Comnenum Græcorum Imperatorem, qui in uxorem eidem Amalrico peterent Mariam Joannis Protoſevaſto nepotis Imperatoris filiam, quam Tyrum deduxerunt, ubi ejus coronationis & deſponſationis ſolemnia peracta ſunt. Anno ſequenti 1168. miſſus iterum eſt Erneſius in occiduas partes cum Willelmo Acconenſi epiſcopo, ut ſubſidia Terræ-Sanctæ peterent: ſed orta tempeſtate fractis navigiis, vix incolumis cum ſuis reverſus eſt. Obiit demum Erneſius anno 1174. Hæc omnia habet Willelmus Tyrius, *lib. 18. hiſt. cap. 20. lib. 20. capp. 1. & 13.* & *lib. 21. cap. 10.* Hinc autem patet C. archiepiſcopum Cæſarienſem, qui anno 1170. Accone ſubſcripſit chartæ Willelmi epiſcopi Acconenſis pro conſtruendo cœnobio Ord. Cluniac. quæ extat in libro dicto *Bibl. Cluniac. col. 1432.* B. hunc eſſe Erneſium, & legendam ibi litteram majuſculam E. pro littera majuſcula C.

VI. Eracleus *ſive* Eraclius.

Laudatus modo Willelmus Tyrius ſcribit, *lib. 21. hiſt. cap. 10.* dum Balduinus IV. rex Hieroſolymorum expeditionem quandam perageret adverſus Damaſcenos anno primo ſui regni, quem inceperat die XI. Jul. anno 1173. obiiſſe Erneſium Cæſarienſem archiepiſcopum (anno, ut videtur, 1174. ante menſem Julium) inque loco ejus *Eracleum* Hieroſolymitanum archidiaconum electum eſſe atque conſecratum. Is interfuit an. 1179. concilio Lateranenſi III. ſub Alexandro III. anno 1179. cui ſubſcripſit hoc modo: *Palæſtinæ ſecundæ. Eraclius Cæſarienſis archiepiſcopus. Spicileg. tom. 12. pag. 643.* Ex ea ſede ad patriarchalem Hieroſolymorum tranſiit anno 1180. ut ſupradictum eſt, *col. 1251.* B.

VII. Monachus.

Eracleo in Patriarcham electo, Cæſarienſis archiepiſcopus evaſit *Monachus,* qui diploma Conradi Marchionis Montis-Ferrati filii datum anno 1187. menſe Octobri Indict. VII. approbavit: apud Ughellum, *tom. 3. Ital. ſac.* in Piſanis archiepiſcopis, *col. 487.* C. Is etiam ad patriarchatum Hieroſolymorum evectus eſt an. 1194. Vide ſupra *col. 1252.* E.

VIII. * * *

Extat *tom. 2. edit. Baluz.* epiſtolarum Innocentii III. *pag. 838. col. 2.* una epiſtola hujus Pontificis *ad archiepiſcopum Cæſarienſem,* data Laterani x. kal. Martii pontificatus anno 17. (id eſt die 20. Febr. anno 1214.) qua ei, & Priori ſancti Sepulcri, ac cantori Acconenſi mandat, ut Erardi de Brena & Philippæ Henrici Campaniæ Comitis filiæ nuptias, quæ in orientis partibus contractæ fuerant, irritas eſſe declararent, ob amborum conſanguinitatem in Galliis manifeſtam. De quibus nuptiis vide Baluzium, ibidem *pag. 837.*

IX. * * * *fortaſſis* Petrus.

Anno 1222. quum in regno Cypri nonnulli Græci præſules Romanæ eccleſiæ inobedientes, ſe gererent ut Pontifices in epiſcoporum Latinorum diœceſibus, Hugoni

Digitized by Google

ECCLESIA CÆSAREÆ.

regi Cypri, qui concordiæ alendæ cauſa ab A Honorio III. poſtularat ut eos præſules Græcos Græcis præeſſe permitteret, ſcripſit ille Papa ſe Patriarchæ Hieroſolymitano, Tyrenſi quoque & *Cæſarienſi* archiepiſcopis, mandaſſe, ut eos Græcos morari de cœtero velut præſules in dictis diœceſibus nullatenus paterentur. Excerptum hujus epiſtolæ, quæ data eſt III. kal. Jan. anno VI. (id eſt die 30. Decemb. anni 1222.) refert Raynaldus, *tom. 13. annal.* ad eum annum, *nn. 8. & 9.* Injunxit etiam idem Honorius archi- B epiſcopis Nicoſienſi & *Cæſarienſi* litteris datis Later. XIV. kal. Mart. anno X. (id eſt die 16. Februarii anni 1226.) *ibid.* ad eum annum, *num. 57.* ut Comitem Tripolitanum, gravium ſcelerum reum & contumacem, anathematis ſententia irretitum declararent.

Is autem probabiliter fuit *Petrus* ille archiepiſcopus Cæſarienſis, cujus meminit Gregorius IX. in epiſtola quam ſcripſit ad omnes Chriſti fideles anno 1227. die 23. De- C cembris, apud Matthæum Paris ad eum annum, *pag. 233. col. 2.* C. & *pag. 234. col. 1.* A. his verbis: « Noverit univerſitas veſtra nos » de partibus tranſmarinis ſub hac forma litteras ſuſcepiſſe: G. miſeratione divina Patriarcha Hieroſolymitanus, humilis & indignus apoſtolicæ ſedis legatus, *P. Cæſarienſis*, N. Nazarenſis, & N. Narbonenſis archiepiſcopi, &c. » de infelici Terræ-Sanctæ ſtatu.

Hunc enim P. Cæſarienſem archiepiſcopum nominatum fuiſſe *Petrum*, colligitur ex continuatore Gallo hiſt. Willelmi Tyrii, *tom. 5. vet. Script. & Monum. ampl. collect. col. 710. n. 14.* C. ubi ſic loquitur: « Et iluec fûrent tant qu'il auint que Girart le patriarche de Hieruſalem & *Pierre l'Arceueſque de Ceſaire*, &c. ſe partîrent d'Acre & alêrent à Baruth. » Et infra, *col. 712. n. 17.* D. « Le jor que cele beſoigne auint fu par un mardy le tiers jor de May l'an de l'Incarnation noſtre Seignor J. C. 1232. »

X. J. *electus.*

Epiſtola Roberti Patriarchæ Hieroſolymorum & aliorum epiſcoporum Paleſtinæ ad regnorum Franciæ & Angliæ præſules, de cladibus Terræ-Sanctæ, data Acone die 25. Novemb. anno 1244. apud Matthæum Paris, ad eum annum, *pag. 427. col. 1.* D. præfert in titulo nomen *J. Cæſarienſis electi.*

XI. LOCIAMUS.

Ex laudata hiſtoria gallice conſcripta habemus quemdam nomine *Lociamum* archiepiſcopum Cæſareæ diem clauſiſſe extremum anno 1266. En ejus verba ibidem, *col. 742. n. XI.* C. « A. MCCLXVI.... En ce tans morut Johan d'Ibelin cuens de Jaffe u mois de Loier, & *Lociaulmes Arceueſque de Ceſaire* u mois de Januier. »

II. ECCLESIA SEBASTES.

SEBASTE in Palæſtina ea urbs eſt quæ olim dicebatur *Samaria*, regionis ejuſdem caput, ſolaque ſub Latinis Cæſareæ fuit metropolis ſuffraganea. His autem quæ de ea urbe jam ſupra dicta ſunt, *coll. 649. 650.* addere tantummodo juvat, ex Mich. Anton. Baudrand, *tom. 1. geogr. p. 197. col. 1.* hanc nunc prorſus exciſam jacere, 35. milliar. ab Hieroſolyma in ſeptentrionem, & 8. à Neapoli (Naplouſe) quæ crevit ex ejus ruinis.

EPISCOPI SEBASTENI.

I. RENERUS.

FULCHERO Patriarcha Hieroſolymorum Romam pergenti an. 1155. aut 1156. comes adſtitit *Renerus Sebaſtenus epiſcopus*, ex Willelmo Tyrio, *lib. 18. hiſtor. cap. 6.* Albertus autem Aquenſis, *lib. XII. hiſtor. cap. 30.* quæ extat in lib. *Geſta Dei per Francos, pag. 379. lin. 56.* refert de Balduino II. rege Hieroſolymorum, qui regnavit ab anno 1118. ad annum 1131. ipſum ſubdidiſſe ſuo imperio civitates Neapolim, *Samariam*, Joppen, Caypham, Caſtellum S. Abrahæ (id eſt Ebronem) Ptolemaidem (id eſt Acconem) Sagittam (id eſt Sidonem) Tabariam, & cæteras civitates & loca quæ erant de regno Hieroſolymitano, atque eorum redditus partim aſſignaſſe D prælatis, partim ſuæ menſæ. Sub eo itaque Balduino ante annum 1131. videtur præfectus eſſe primus Sebaſtenus epiſcopus *Renerus* iſte, quo anteriorem alium non legimus.

II. RADULPHUS.

Anno 1179. interfuit *Radulphus* Sebaſtenus epiſcopus concilio Lateranenſi III. ſub Alexandro III. cui & ſubſcripſit. *Tom. 12.* E *Spicil. Dacher. pag. 643.* & apud Willelmum Tyrium, *lib. 21. cap. 26.*

III. JACOBUS.
IV. * * *

De duobus illis epiſcopis Sebaſtenis Ord. Præd. hæc nos docet Fontana *Theat. Dom. pag. 292. tit. 539.* « *Fr. Jacobus de Mileto*

Digitized by Google

ECCLESIA SEBASTES.

» Sebaſtenſis eccleſiæ epiſcopus ſuffectus eſt, » qui quum gregem ſibi commiſſum per ſa- » lutis ſemitam dirigere curaret, ab Alexandro » Papa IV. ad Millevitanam tranſlatus eſt anno » 1259. alio fratre *Dominicano* Sebaſtenſi epi- » ſcopo in ejus locum creato, prout habetur » in bulla hujuſmodi tranſlationis exiſtentis in » archivo regii conventus S. Dominici de Nea- poli nobis inſinuata.»

V. Christophorus.

Chriſtophorus Minii de Tolomæis, Senenſis Ordinis Prædic. ex Provinciali Romano à Roberto rege Neapolitano capellanus major eligitur anno 1313. deinde Sebaſtenus epi- ſcopus renuntiatur. Ita Fontana *Theat. Dom. pag. 293. tit. 539. num. 2.* ex Ugurgerio in Pompa Senenſi, *tit. 6.*

VI. Everhardus.

Everhardus de Weſterheym ſeu *Weſtrum* in Weſtphalia, Ord. Præd. epiſcopus Sebaſtenus, & vicarius eccleſiæ Colonienſis, obiit anno

A 1392. & ſepultus eſt Coloniæ in eccleſia S. Crucis FF. Præd. ubi hoc ejus epitaphium extat. *Anno Domini MCCCLXXXXII. die III. menſis Maii dominus Fr. Everhardus de Weſterheym epiſcopus eccleſiæ Sebaſtienſis Ordinis FF. Præd. Anima ejus requieſcat in pace. Amen.*

VII. Matthæus.

VIII. Bertrandus.

Waddingus, *tom. 4. annalium Minor.* ad annum 1400. *n. 3. pag. 368.* ſcribit eccleſiæ

B Samaritanæ vacanti per obitum *Matthæi,* præfectum eſſe à Bonifacio IX. *Fr. Bertrandum de Pagiis,* Minoritam, die 16. Maii.

IX. Andreas.

Ex eodem Waddingo, *tom. 5.* ad annum 1403. *num. 5. p. 10. Andreæ* archiepiſcopo Spalatenſi in Dalmatia ad eccleſiam Samaritanam tranſlato ſuffectus eſt in ſede Spalatenſi Fr. Peregrinus de Aragonia, Ordinis Minor. die 18. Aprilis.

III. ECCLESIA JOPPES.

QUAMVIS Jacobus de Vitriaco ſupra recitatus, *coll. 1241. 1242.* Joppenſem eccleſiam inter illas non recenſeat, quæ proprio epiſcopo Latini ritus donata fuerit, aliquot tamen ejus præſules occurrerunt illo ſcriptore poſteriores. «*Joppe* autem, ex Mich. Anton. » Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 527. col. 1.* urbs (primæ) Palæſtinæ eſt, olim epiſcopalis ſub » archiepiſcopo Cæſarienſi.... nunc *Jafa* dicta. Exciſa fuerat à Salahadino, & poſtea reparata » eſt à S. Ludovico rege Francorum anno 1252.... Nunc ſatis inhabitatur, præſertim verſus » portum.... (à) mercatoribus & peregrinis, qui ex Europa Hieroſolymam tendunt, teſte » Michaele Nau S. J. qui illas partes luſtravit. 35. milliaribus diſtat à Cæſarea in auſtrum, » Aſcalonem verſus 47. à Lydda autem 6. in occaſum, & ab Hieroſolymis recedens circiter 24. teſte Adrichonio.» Vide ſupra *coll. 625. 626.*

EPISCOPI JOPPES.

I. Guido.

JOPPEN occupaverunt Chriſtiani anno 1100. adhuc vivente Godefrido primo Hieroſolymorum rege, ex Alberto Aquenſi, *lib. 7. cap. 12.* in volumine dicto *Geſta Dei per Francos, pag. 297. lin. XI.* ſed nullum ei præfectum epiſcopum reperi ante *Guidonem,* quem mortuum anno 1253. ſcribit continuator Gallus hiſtoriæ Willelmi Tyrenſis, *tom. 5. vet. Script. & Monum. ampl. collect. col. 735.* B. *num. 3.* « A. MCCLIII..... » morûrent li rois Henry de Chipre, & *l'Eveſque de Jaffe Gui de Nimars.*» Nihil aliud mihi de eo notum eſt.

II. * * *

Sedebat anno 1273. quidam *epiſcopus Jop-*

C *penſis,* cujus meminit, tacito nomine, præfatus continuator Gallus, *ibid. col. 747.* A. *n. 19.* his verbis. «En l'an de MCCLXXIII. &c. alêrent au concile au Lion por Sire » Hugues de Liſeignen roy de Chipre, & por » Chreſtienté de la mer meſſages l'Arceueſque » de Sur, *l'Eueque de Jaffe,* &c.»

III. Joannes.

D Anno 1365. Leodii in natali Domini miſſam tertiam majorem ſolemniter celebravit *Joannes de S. Martino,* Ord. Carmel. epiſcopus Joppenſis & ſuffraganeus eccleſiæ Leodienſis. Ita chronicon Cornelii Zantfliet ad annum 1365. *tom. 5.* præfato *vet. Script.* &c. *col. 286.* D. Hunc obiiſſe anno 1374. die 23. Decemb. refert Daniel à V. M. *to. 2. Spec. Carmel. pag. 937. num. 3285.*

Digitized by Google

IV. ECCLESIA SABÆ.

LOcus iſte mihi ſolum innoteſcit ex continuatore Gallo hiſtoriæ Willelmi Tyrenſis, qui *lib. 23. num. 5.* meminit *epiſcopi* ejus, quem non nominat, hanc vero civitatem Sabam ait duobus milliaribus diſtare à Neapoli *Naplouſe*, quæ erat ſub Cæſarea metropoli. Marinus Sanuto Torcellus, *lib. 3. Secret. Fidel. S. Crucis, part. 7. c. 1.* ad calcem voluminis, cujus titulus *Geſta Dei per Francos, p. 174. lin. 40.* ſcribit *epiſcopum Sabadoit*, inter cæteros Palæſtinæ præſules ac principes, ſuppeditaſſe ad bellum ſacrum de armigeris *centum* viros.

EPISCOPI SABÆ.

* * *

COntinuator Gallus modo memoratus, *tom. 5. vet. Script. & Monum. ampliſ. collect. coll. 599.* C. & *600.* A. narrat Belianum *d'Ibelin*, anno 1190. die 1. Maii, qua magna Chriſtianorum ſtrages contigit, egreſſum Neapoli de nocte, veniſſe ad civitatem appellatam *Sabat*, inde 2. milliar. diſtantem, ejuſque *epiſcopum* adhuc in lecto quieſcentem excitaſſe, ut miſſam poſſet audire, priuſquam ulterius progrederetur. « Or vous dirons de Beleen qui a Naples eſtoit remeſ.... Quant « il ot erré deux milles, il vint a une cité qui « a nom *le Sabat..... Il torna a la maiſon de* « *l'Eueſque, ſi le fit leuer, & parlerent tant en-* « *ſemble que la guette corna le jor. Lors fit l'E-* « *ueſque reueſtir un ſien chapelain qui li chanta,* « &c. Lors allerent vers Nazareth, &c. Et ſa- « ches que ſi Beleen ne fu torné au Sabat por « oir Meſſe, il fu bien venu a point a la ba- « taille, &c. »

PROVINCIA PALÆSTINÆ SECUNDÆ
SUB LATINIS.

I. ECCLESIA NAZARETH METROPOLIS.

JAM obſervavimus, *coll. 695. 696.* hujus *tomi III.* poſt ſubactam Latinorum armis Palæſtinam initio ſæculi XII. tranſlatam eſſe ab ipſis ex urbe Scythopoli Palæſtinæ ſecundæ metropoli, quæ tunc fere diruta erat, dignitatem archiepiſcopalem in oppidum Nazareth ſub Patriarcha Hieroſolymitano. Hæc nunc etiam *Nazareth* nuncupatur, ſed fere exciſa eſt, & in pagum redacta, ac 7. milliar. diſtat à monte Thabor in occaſum, paulo plus à Naim, 26. à Ptolemaide ſive Accone in meridiem, Hieroſolymam verſus 70. circiter. Porro poſt ejectos è Palæſtina à Saracenis Latinos exeunte ſæculo XIII. archiepiſcopatus Nazarenus tranſlatus fuit ad urbem *Barlettam* diœceſis Tranenſis in Appulia, eique perpetuo unitus fuit epiſcopatus Montis-viridis. Hæc Michael Antonius Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 14. col. 1.* ex Ughello elucidanda, qui *tom. 1. Ital. ſac. col. 1039.* B. C. *vet. edit.* ſcribit haud procul à Baruli ſive Barlettæ mœnibus eccleſiam B. Mariæ de Nazareth in metropolim cum juribus & dignitate archiepiſcopali erectam eſſe, ſucceſſuque temporis, præter alias parochiales eccleſias quæ illi ſubjectæ fuerunt, duas etiam cathedrales ei conjunctas eſſe, Cannenſem ſcilicet anno 1455. & Montis-viridis anno 1534. hanc vero eccleſiam Nazarenam, quum bellorum injuriis æquata ſolo eſſet, juſſu SS. Papæ Pii V. intra oppidum Barlettam in abbatiali eccleſia S. Bartholomæi cum juribus, privilegiis, ac S. Mariæ Nazarenæ titulo conſtitutam eſſe. Cæterum Nazareth civitati Palæſtinæ ſub regibus Hieroſolymitanis unicus duntaxat ſuffraganeus epiſcopus aſſignatus eſt, urbis videlicet Tiberiadenſis, utpote quæ tunc ſola ſtaret ex iis omnibus quæ olim archiepiſcopo Scythopolis morem gerebant.

Digitized by Google

ARCHIEPISCOPI NAZARENI.

I. Bernardus.

*B*ERNARDUS primus eſt qui occurrat Nazarenæ eccleſiæ præſul, utpote qui concilio Neapoli in regione Samariæ à Gormundo Patriarcha Hieroſolymorum coactæ interfuerit an. 1120. & Accone ſubſcripſerit anno 1123. pactis conventis Venetos inter & principes regni Hieroſolymitani, ex Willelmo Tyrio, *lib. 12. hiſt. capp. 13. & 25.*

II. Willelmus.

Anno 1129. *Willelmus* ſedebat archiepiſcopus Nazarenus, qui eo anno teſtis fuit cujuſdam donationis à Willelmo Tyrenſi præſule factæ eccleſiæ ſancti Sepulchri. Ita Ughellus, *to. 7. Ital. ſac. col. 1039. n. 2.* C. Obiit circa annum 1138.

III. Robertus.

Robertus electus archiepiſcopus Nazarenus præſens adſtitit anno 1138. donationi à Fulcone rege Hieroſolymorum factæ Petro Priori ſancti Sepulchri. Hunc anno 1142. Balduinus III. ſuæ in Boſtram Arabiæ urbem expeditionis ſocium aſſumpſit, ubi crucis Dominicæ, quam Robertus gerebat, virtutem experti ſunt Infideles. Idem præſul ſubſcripſit anno 1144. chartæ qua Balduinus rex abbatiæ S. Lazari in Bethania erectionem ratam habebat. Acconenſi quoque conventui interfuit anno 1147. Obiit tandem circa annum 1151. Vide Willelmum Tyrium, *lib. 16. cap. XI.* & *lib. 17. cap. 1.* & Ughellum ſupra laudatum, *num. 3. col. 1039.* D. & *col. 1040.* A. *vet. edit.*

IV. Robertus II.

Roberto ſucceſſit *Robertus* alter, qui nempe jam *electus* adfuit anno 1151. ex eodem Ughello, *num. 4. col. 1040.* B. teſtis donationis nonnullorum bonorum quibus regina Miliſendis, Fulconis Hieroſolymorum regis vidua, abbatiam S. Lazari in Bethaniam ditabat. Idem in caſtris Chriſtianorum verſabatur anno 1152. quo cœpit obſidione cingi ab illis Aſcalon civitas. Ex præfato Willelmo Tyrio, *lib. 17. cap. 21.*

V. Aitardus *ſive* Attardus.

Anno 1155. die 24. Jan. *Aitardus* archiepiſcopus Nazarenus teſtis ſimiliter fuit conceſſionis cujuſdam factæ ab Hugone de Hibelino & Hermengarde ſorore ejus, eccleſiæ S. Sepulcri, ex Ughello ſupra citato, *num. 5. col. 1040.* B. C. Obiit anno 1158. Conſtantinopoli, quo miſerat ipſum Balduinus III.
A Hieroſolymorum rex, ut ſibi uxorem à Manuele Imperatore poſtularet. Ejus vero corpus ad eccleſiam Nazarenam relatum eſt, ibique honorifice ſepultum, ut refert Willelmus Tyrius, *lib. 18. capp. 16. & 22.*

VI. Lotardus *ſive* Letardus *aut* Leotardus.

Letardus ex Priore canonicorum Ordinis Præmonſtratenſis, qui tunc Nazarenæ eccleſiæ cathedrali inſerviebant, electus eſt an. 1158. ejuſdem eccleſiæ archiepiſcopus:
B de cujus promotione ſic loquitur Willelmus Tyr. *lib. 18. cap. 22.* « .... ſucceſſit dominus *Letardus*, ejuſdem eccleſiæ Prior, vir manſuetus, admodum affabilis, & benignus, qui hodie (quum hæc ſcribebat) etiam eidem præeſt eccleſiæ, viceſimum tertium habens in pontificatu annum. » Is anno 1170. ſubſcripſit in hunc modum *L. Nazarenus archiep.* chartæ Willelmi Acconenſis epiſcopi, pro conſtruendo cœnobio Ordinis Cluniacenſis, in libro cui titulus, *Bibliotheca Clu-*
C *niacenſ. edit. Pariſ. 1614. col. 1432.* B. Ejuſdem quoque Letardi fuiſſe epiſtola videtur, quæ extat CCC. inter epiſtolas Alexandri III. Papæ, *tom. 2. vet. Script. & Monum. ampliſſ. collect. col. 864.* cujus epiſtolæ titulus eſt: *L. archiepiſcopi Nazareni ad Henricum archiepiſcopum Remenſem* (qua) *commendat ei Willelmum canonicum eccleſiæ ſuæ* (Nazarenæ, hujus epiſtolæ latorem.) Deeſt quidem epocha temporis, ſed Henricus ille præfuit eccleſiæ Remenſi ab anno 1162. ad annum 1175. quo obiit die 13. Novemb. Letardus etiam re-
D peritur inſcriptus monumento cuidam Guarini abbatis de monte Thabor, in gratiam eccleſiæ S. Sepulchri Hieroſolymitani Prioris & canonicorum anno 1175. ex Ughello, *tom. 7. Ital. Sac. col. 1040. num. 6.* C. qui & ſubdit illum quoque anno 1187. die 17. Octob. Indict. VI. teſtem fuiſſe donationis factæ Piſanis populis à Comite Tyrenſi Conrado, cujus inſtrumentum ipſe exhibuit, *tom. 3. Ital. ſac. in Piſanis archiepiſcopis, col. 487.* C. Deceſſit tandem an. 1190. nam Rogerus de
E Hoveden, *part. poſter. ſuorum annal. p. 685. edit. Francof. 1601.* inter Magnates qui in obſidione urbis Acconis à Chriſtianis facta obierunt anno 1190. recenſet *archiepiſcopum de Nazareth.*

VII. * * *

Innocentius III. initio ſui pontificatus, & probabiliter ipſo anno 1198. quo electus eſt, de quodam archiepiſcopo Nazareno mentionem facit, in epiſtola ſua 73. lib. 1. qua injungit

Digitized by Google

injungit Magiſtro & fratribus Hoſpitalis Hieroſolymitani, ut eccleſiam de Nephin unà cum decimis reſignarent eccleſiæ Tripolitanæ eodem modo quo eas habuerat: *Antequam*, inquit, *per venerabilem fratrem noſtrum Nazarenum archiepiſcopum.... occaſione mandati prædeceſſoris noſtri, prædictarum rerum poſſeſſio vobis adjudicata fuiſſet*, &c. *tom. 1. edit. Baluz. epiſtolar. hujus Pontificis, pag. 40. col. 1. Archiepiſcopi Nazarenſis* etiam meminit in epiſtola 517. ejuſdem *lib. 1. Acconenſi epiſcopo* data *Later. x. kal. Jan.* (id eſt die 23. Decemb.) *ibid. p. 297. col. 1.* Anno, ut videtur, ſequenti ſcilicet 1199. VI. Idus (id eſt die 8.) Febr. epiſtolam ſcripſit idem Papa, quæ eſt 567. *lib. 1. ibid. p. 324. col. 2.* præfatis magiſtro & fratribus hoſpitalis Hieroſolymitani, qua ipſos jubet cauſam ſuam contra fratres militiæ Templi non vi, ſed jure proſequi. In ea autem epiſtola hæc habet, *pag. 325. col. 2.* « Quod ſi forte noluerint, venerabilibus noſtris Patriarchæ Antiocheno, *archiepiſcopo Nazareno*, & Valenienſi epiſcopo dedimus in mandatis, ut eos ad præſtandum hujuſmodi juramentum per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota compellant, nec liceat partibus ab iis ante ſententiam appellare, &c. » Demum idem Innocentius in epiſtola ſua 273. *lib. 11. ibid. p. 520. col. 2.* Tyrenſi archiepiſcopo & epiſcopo Sydonienſi directa, qua illos committit finem impoſituros cauſæ jamdudum pendenti inter eccleſiam Tripolitanam & Hoſpitalarios, ait, *pag. 521. col. 1.* « .... de fratrum noſtrorum conſilio Tripolitanam eccleſiam in eum ſtatum poſſeſſionum decrevimus integrè reducendam, quam ante habuerat, quam *per venerabilem fratrem noſtrum Nazarenum archiepiſcopum*, &c. præmiſſarum rerum poſſeſſio ipſis Hoſpitalariis adjudicata fuiſſet, &c. »

VIII. * * *

Anno 1213. ſedebat *archiepiſcopus Nazarenus*, ejus quem modo memoravimus fortaſſis ſucceſſor, quem, ut & plures alios in Oriente præſules, Innocentius III. litteris encyclicis datis Laterani XIII. kal. Maii anno pontificatus XVI. (id eſt die 19. Aprilis anni præfati) ad concilium Lateranenſe anno 1215. celebrandum invitavit. *In eodem modo archiepiſcopo & epiſcopis per Nazarenſem* (provinciam conſtitutis.) *Tom. XI. conc. Labb. part. 1. col. 126.* D.

IX. N.

Apud Matthæum Paris, *edit. Pariſ. 1644. pag. 223.* G. & *224.* A. extat epiſtola Gregorii IX. Papæ, data Later. x. kal. Januarii anno I. (id eſt die 23. Decemb. anno 1227. in qua ipſe aliam epiſtolam profert ad ſe ſcriptam per *N. archiepiſcopum Nazarenſem*, & alios quoſdam præſules, de calamitatibus quas in Palæſtina Chriſtiani perpetiebantur. « Gregorius epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, omnibus Chriſti fidelibus ſalutem. Noverit univerſitas veſtra nos de partibus tranſmarinis ſub hac forma litteras ſuſcepiſſe: G. miſeratione divina Patriarcha Hieroſolymitanus, humilis & indignus apoſtolicæ ſedis legatus. P. Cæſarienſis, *N. Nazarenſis*, & N. Narbonnenſis archiepiſcopi. P. Wintonienſis & W. Exonienſis epiſcopi, &c. » Fortaſſis *Nicolaus* appellabatur *Nazarenſis* iſte archiepiſcopus.

X. * * * *fortaſſis* HENRICUS I.

Raynaldus, *to. 13. annal.* ad annum 1236. *n. 25.* obſervat diſcordiam inter Fridericum Imperatorem & cives Acconenſes alioſque Chriſtianos regni Hieroſolymitani, Gregorii IX. opera ex æquo & bono extinctam eſſe, ut pontificiæ litteræ ad *archiepiſcopum Nazarenſem*, epiſcopum Acconenſem, ad Fridericum ipſum, &c. exaratæ demonſtrabant. Porro *archiepiſcopus* iſte *Nazarenſis*, alius eſſe potuit à præcedente, quod certum ſi ille fuit cujus nomen à littera *H.* incipiebat, in epiſtola Prælatorum & Baronum Terræ-Sanctæ ad Theobaldum regem Navarræ ſcripta circa annum 1239. *tom. 1. theſ. anecdotor. col. 1012.* C. D. principium quippe ejus eſt: « Nobilibus viris, &c. E. miſeratione divina Nicoſienſis domini Patriarchæ Hieroſolymitani vicarius, & *H. Dei gratia Nazarenſis* archiepiſcopi, & R. Acconitidis, & R. Lyddenſis epiſcopi, &c. Datum Accone pridie Nonas (id eſt die 6.) Octobris. »

Is autem probabiliter fuit *Henricus* qui Accone an. 1233. die 25. Novemb. ſcripſit una cum Roberto Patriarcha Hieroſolymitano, aliiſque præſulibus Palæſtinæ, de cladibus Terræ-Sanctæ illatis à Saracenis: in cujus epiſtolæ titulo inter cœteros, poſt Patriarcham, *Henricus archiepiſcopus Nazarenus*. Apud Matthæum Paris ad eum annum, *pag. 427. col. 1.* D.

XI. HENRICUS II.

Ughellus, *tom. VII. Italiæ ſacræ col. 1041.* A. *vet. edit.* profert diploma Clementis IV. Papæ, datum Viterbii die 7. Maii, pontificatus illius anno I. Chriſti 1265. quo *epiſcopum Nazarenum* eò privilegio ornabat ut ante ipſum ubique terrarum crux geſtaretur. Hunc autem admodum probabile eſt fuiſſe *Henricum* archiepiſcopum Nazarenum, qui diem clauſit extremum anno 1268. ex continuatore Gallo hiſt. Willelmi Tyrii, *tom. 5. vet. Script. & Monum. ampl. collect. col. 743.* C.

ad eum annum. « Baudocdar Soudan de A Babilone, &c. ala en Antioche, & la prît » ſans nulle défenſe à 27. jor de May, &c. & *morut Henry archeueſque de Nazareth, &c.* » Unde ab Henrico præcedenti videtur fuiſſe diverſus.

XII. * * *

Anno 1272. die 24. Octob. Gregorius X. *archiepiſcopo Nazareno,* & Bethleemitano, ac Paneadenſi epiſcopis mandavit, ut de juribus Hugonis Luſiniani regis Cypri, & Mariæ Boemundi principis Antiocheni filiæ, B ad titulum coronæ Hieroſolymitanæ inquirerent. Epiſtolam Papæ exhibet Raynaldus, *tom.* 14. ad eum annum, *num. 19.*

XIII. Yvo *ſive* Guido.

Ughellus, *tom. 7. Ital. ſac. col. 1043. n. 9.* A. *vet. edit.* de eo præſule ait: « *Guido* Nazarenus archiepiſcopus, defunctus eſt anno 1298. » Et *to. 9.* in Append. *col. 1038.* ſub titulo *Nazareni:* « *Guido,* Ord. Præd. ab Aſcanio Senenſi vocatur *Fr. Yvo,* Gallus; ſed » in Regeſto Vaticano *Guido* legitur, defunc- C tus anno 1398. (1298.) » R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. p. 35.* ad annum 1290. eum dicit *Yvonem* vel *Guidonem,* Gallum, & citat Bernardum Guidonis in epiſcopis provinciæ Terræ-Sanctæ Ord. Præd. Fontana quoque ejus meminit, *Theat. Dom. p. 88. tit. 66.* eum aiens ad Nazarenam ſedem aſſumptum eſſe circa annum 1290. illoque elogio honeſtari à Taëgio, in monumentis Ordinis Prædic. *Fr. Yvo, Gallus, de provincia Provinciæ, vir apprime eruditus, & fama præclarus, factus eſt archiepiſcopus de Nazareth in provincia* D *Terræ-Sanctæ per proviſionem D. Patriarchæ Hieroſolymitani.*

XIV. Guillelmus II.

Idem Ughellus, *tom. 7.* laudato, *num. 10.* A. ſubdit de iſto Guillelmo: « *Guillelmus de S. Joanne,* Hieroſolymitani Templi miles, » à Nicolao IV. (dicendum potius à Bonifacio VIII.) in mortui Guidonis locum archiepiſcopus Nazarenus electus anno 1298. » kal. (id eſt die 1.) Jun. pontif. 1. (Fuit IV. E » nam Bonifacius VIII. cathedram S. Petri » conſcendit anno 1294. die 24. Decemb.) Ex *Reg. Vatic. epiſt. 84. fol. 21.* »

XV. Petrus I.

Petrus archiepiſcopus Nazarenus erat anno 1326. ex tabula marmorea appoſita ſub porticu extra urbem S. Laurentii urbis Patavinæ, in qua tabula extat, teſte præfato Ughello, *ibid. num. XI.* B. *MCCCXXVI. Indict. IX.* *11. menſis Junii in feſto S. Barnabæ, conſecrata fuit iſta eccleſia, &c. per venerabiles Patres Petrum archiepiſcopum Nazaretanum, Salionem epiſcopum Adrienſem,* &c.

XVI. Petrus II.

Petro ſucceſſit anno 1330. *Petrus* alter, Ordinis Prædic. vir egregia virtute illuſtris, inquit idem Ughellus, *ibid. n. 12.* D. (qui) laudabiliter per annos 15. Nazarenam eccleſiam rexit, (&) obiit anno 1345. ex *Regeſto Vaticano.*

XVII. Durandus.

XVIII. Richardus.

XIX. Guillelmus III.

XX. Joannes I.

XXI. Joannes II.

Hos præſules, vix ulla ſpe potitos Nazarenam ſuam eccleſiam in Palæſtina unquam adeundi, breviter expedio.

Durandus de Sermino, Carmelita, à Clemente VI. renuntiatus eſt anno 1345. die XI. Maii, ex *Regeſt. Vatic. epiſt. 895. fol. 57.* anno III. Obiit autem Vaſione anno 1348. Idem Ughellus, *tom. 7. col. 1043. n. 13.* D.

Richardus, Ordinis Min. ad Nazarenam ſedem promotus eſt VI. idus (id eſt die X.) Octob. juxta Ughellum, *ibid. num. 14.* ex *Reg. Vat. epiſt. 203.* Clementis VI. *fol. 95.* anno VII. Waddingus tamen, *tom. 3.* ad annum 1348. *n. 9. p. 559.* de ea promotione citat diploma *In Eminenti,* datum VI. idus (id eſt die 8.) *Decemb.* illudque exhibet in *Regeſto Pontif. ibid. pp. 374. & 375.*

Guillelmus Belvayſius, ejuſdem Ord. Min. huic ſedi præfuit anno 1366. die 28. Jan. poſt obitum Richardi, ex Ughello laudato, *n. 15.* B. qui addit hunc Guillelmum tranſlatum eſſe ad eccleſiam Turritanam anno 1368. Ejus quoque meminit Waddingus, *tom. 14.* ad annum 1366. *n. 18. p. 117.*

Joannes Salamonius, Ord. Præd. creatus eſt ab Urbano V. anno 1368. die 29. Octob. Obiit vero circa annum 1388. ex Fontana *Theat. Dom. pag. 88. tit. 66. num. 3.*

Demum *Joannes de Urbe* à Bonifacio IX. electus fuit anno 1390. die 15. Febr. ex *lib. Obligat.* & poſtea tranſlatus die 9. Februarii anni 1400. ad eccleſiam Æginenſem ſub metropoli Athenienſi, ubi eum memoravimus ſupra, *col. 870.* C. Ita etiam Ughellus, *to. 7.* citato, *n. 17.* B. Cæteros poſteriores mitto, de quibus idem Ughellus, *ibid.*

Digitized by Google

II. ECCLESIA TIBERIADIS.

TIBERIAS urbs eſt Palæſtinæ in Galilæa, epiſcopalis ſub archiepiſcopo Nazareno, nunc *Tabarie* dicitur ab incolis, teſte Nigro, & *Tiberiade* Europæis, ſed parva admodum, ſemi-diruta, & à paucis inhabitata propter frequentes Arabum incurſiones; caſtro antiquo munitur in ora occidentali maris Galilææ, ſeu lacus ab ea dicti *Tiberiadis*. Diſtat autem 30. milliar. à Nazareth in ortum, & 5. à Jotapata, ad radices montis. Ita Mich. Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 314. col. 2.* Vide quæ de ea urbe ſupra dicta ſunt in iſto tomo 3. *coll. 705. 706.*

Porro urbs illa in poteſtatem Chriſtianorum venit anno 1099. aut 1100. vivente adhuc Godefrido primo Hieroſolymorum rege, à quo Tankradus illius regimen obtinuit. Sic enim legitur apud Albertum Aquenſem, *lib. 7. hiſt. cap. XVI.* in volumine dicto *Geſta Dei per Francos, p. 298. lin. 36.* « Arx autem hæc Tabaria ſita eſt juxta locum quem appellant mare Tiberiadis, duo milliaria habens in longitudine, & duo in latitudine. Hanc à Duce « chriſtianiſſimo ſubjugatam cum præſidio reſtructo Tankradus obtinuit in beneficio, eo « quod gratiam in oculis ipſius invenerit, in officio militari probus, & quia adverſariis Chriſ- « tianorum indeficiens ad reſiſtendum videretur. » Ei præfectus eſt etiam epiſcopus Latinus ſæculo duodecimo.

EPISCOPI TIBERIADIS.

Ugo. I. HERBERTUS.

DIplomati cuidam Balduini I. Hieroſolymorum regis, quod refert Ughellus, *tom. 4. Italiæ ſacræ veteris edit. col. 1168.* B. dato anno 1109. in gratiam eccleſiæ cathedralis S. Laurentii Januenſium, ſubſcripſit *Hugo de Tabaria,* hujus loci fortaſſis epiſcopus.

Willelmus Tyrius, *lib. 18. hiſt. c. 6.* refert *Herbertum* epiſcopum Tiberiadenſem Gormundo Patriarchæ Hieroſolymitano eunti ad curiam Romanam ſocium ſe itineris, cum pluribus aliis præſulibus, præbuiſſe anno circiter 1155. aut 1156.

II. R.

Anno 1170. quidam *R. epiſcopus Tiberiadis* ſubſcripſit chartæ confectæ à Willelmo Acconenſi epiſcopo pro conſtruendo cœnobio Ordinis Cluniacenſis in ipſius parochia. Hanc legere eſt in libro dicto *Bibliotheca Ord. Cluniac. edit. Pariſ. 1614. col. 1432.* B.

III. * * *

Rogerus de Hoveden, ſcriptor Anglus, *part. poſter. ſuorum annal. pag. 685. editionis Francofurti 1601.* inter magnates Accone defunctos anno 1190. dum eam obſideret Salahadinus, recenſet *epiſcopum de Tabaria,* quo nomine frequenter urbem Tiberiadem appellant belli ſacri ſcriptores.

IV. * * *

V. * * *

Innocentius III. in epiſtola 257. lib. II. *to. 1. edit. Baluz. pag. 508. col. 1.* Patriarchæ Hieroſolymitano, & Tyrenſi archiepiſcopo, A & Aconenſi epiſcopo, data Later. XVIII. kal. Januar. (id eſt die 15. Decembris) anni, ut videtur, 1199. mentionem facit de *epiſcopo Tiberiadenſi,* qui pecuniæ ſummam aliaque bona depoſuerat apud Magiſtrum & Fratres quoſdam militiæ Templi, quæ *epiſcopus* alter *Tiberiadenſis* hujus ſucceſſor ab illis tunc repetebat. Prior duorum illorum præſulum Tiberiadenſium is fortaſſe erat qui mortem oppetiit Accone anno 1190. Si autem alius B fuerit, utriuſque hîc meminimus.

At poſterior eſſe ille potuit, ad quem ejuſdem Innocentii extat epiſtola, *ibidem pag. 604. col. 2.* quæ etiam Juri canonico inſerta eſt, *cap. VIII. de Divort.* Quum enim Tiberiadenſis ille epiſcopus ab ipſo quæſiiſſet, utrum Pagani qui ad fidem chriſtianam multi converſi fuerant, deberent ab uxoribus in ſecundo, tertio, vel ulteriore C gradu ſibi antea conjunctis ſeparari, in ea epiſtola reſpondet: « Quod quum Sacramentum conjugii apud Infideles exiſtat, « quemadmodum oſtendit Apoſtolus, dicens: « *Si quis frater infidelem habet uxorem, & hæc* « *conſentit habitare cum illo, non dimittat illam;* « (*1. Cor. 7. 12.*) & in præmiſſis gradibus à Paganis quoad eos « licite ſit contractum, qui in conſtitutionibus « canonicis non arctantur, (*Quid enim ad nos,* « (*Ibid. 5. 12.*) ſecundum eumdem Apoſtolum, *de his qui* « D *foris ſunt, judicari!*) in favorem præſertim « chriſtianæ religionis & fidei, à cujus perceptione per uxores deſeri ſe timentes viri « poſſent facile revocari, fideles hujuſmodi « matrimonialiter copulati libere poſſunt & « licite remanere conjuncti, quum per Sacramentum baptiſmi non ſolvantur conjugia, « ſed crimina dimittantur. » Addit Pontifex,

BIBLIOTECA DERECHO
Digitized by Google

licet de hoc ab illo epiſcopo non fuiſſet requiſitus: « Et quoniam Pagani circa plures inſimul fœminas affectum dividunt conjugalem; utrum poſt converſionem omnes, vel quam ex omnibus retinere valeant, non immerito dubitatur. Quia vero tam Patriarchæ quam alii viri juſti ante legem pariter & poſt legem multas uxores inſimul habuiſſe leguntur, nec contrarium apparet in evangelio vel lege præceptum; neque Pagani ſubjiciuntur inſtitutis canonicis poſt inventis, quemadmodum eſt præmiſſum, videtur (id eſt *videri poſſet:* nam objectio eſt quam ipſe poſtea diluit) quod & nunc juxta ritum ſuum licite contrahant cum diverſis, quorum conjunctiones legitimas unda ſacri baptiſmatis non diſſolvit, & ita Patriarcharum exemplo ad fidem Chriſti Pagani converſi conjugiorum pluralitate gaudebunt. Verum abſonum hoc videtur & inimicum fidei chriſtianæ, quum ab initio una coſta in unam fœminam ſit converſa, & Scriptura divina teſtetur, quod [*Gen. 2. 24. Matth. 19. 5.*] *propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Non dicit, *tres,* vel *plures,* ſed *duo.* Nec dicit, *adhærebit uxoribus,* ſed *uxori.* Unde Lamech qui plures ſimul uxores legitur habuiſſe, reprehenditur in Scripturis eo quod ipſe primus reprobandam bigamiæ ſpeciem introduxit. Licet autem de hujuſmodi non quæſieris, volentes tamen tam te quam alios ſuper his etiam reddere certiores, & quod veritas prævaleat falſitati, ſine dubitatione qualibet proteſtamur quod nulli unquam licuit plures inſimul uxores habere, niſi cui divina fuit revelatione conceſſum, quæ mos quandoque interdum etiam fas cenſetur, per quam ſicut Jacob à mendacio, Iſraëlitæ à furto, & Sanſon ab homicidio, ſic & iſti ab adulterio excuſantur. Sane juridica hæc ſententia probatur etiam teſtimonio veritatis in evangelio proteſtantis: [*Matth. 19. 9.*] *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Sic ergo uxore dimiſſa, duci alia de jure non poteſt. Fortius etiam ipſa retenta. Per quod evidenter apparet pluralitatem in utroque ſexu, quum non ad imparia judicentur, circa matrimonium reprobandam. Cœterum prolem de hujuſmodi conjunctionibus natam, quæ ſecundum opinionem eorum matrimoniali contrahuntur affectu, poſt fidem receptam, utilitate publica ſuadente, legitimam volumus reputari. Qui vero ſecundum ritum ſuum legitimam repudiavit uxorem, quum tale repudium Veritas in evangelio reprobaverit, nunquam, ea vivente, aliam licite poterit, etiam ad fidem Chriſti converſus, habere, niſi poſt converſionem ipſius illa renuat habitare cum ipſo, aut etiam ſi conſentiat, non tamen abſque contumelia Creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, in quo caſu reſtitutionem petenti, quamvis de injuſta ſpoliatione conſtaret, reſtitutio negaretur; quia ſecundum Apoſtolum [*1. Cor. 7. 15.*] *frater aut ſoror non eſt in hujuſmodi ſervitute ſubjectus.* Quod ſi converſum ad fidem & illa converſa ſequatur, antequam propter cauſas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur. Et quamvis ſecundum evangelicam veritatem, [*Matth. 19. 9.*] *qui duxerit dimiſſam mœchetur,* non tamen dimiſſor poterit opponere fornicationem dimiſſæ, pro eo quod nupſerit alii poſt repudium, niſi aliàs fuerit fornicata.» Extractum iſtud tranſcripſi ob ejus utilitatem.

VI. * * *

Idem Innocentius III. litteris ſuis encyclicis datis die 19. April. anni 1213. *epiſcopum Tiberiadenſem,* utpote unicum eccleſiæ Nazarenæ ſuffraganeum, ad concilium Lateranenſe vocavit anno 1215. celebrandum. *In eodem modo archiepiſcopo & epiſcopis per Nazarenam* (provinciam conſtitutis.) *Tom. XI. conc. Labb. part. 1. col. 126.* D.

VII. Eustorgius.

VIII. Guillelmus I.

IX. Guillelmus II.

Continuator Gallus hiſt. Willelmi Tyrii ad annos 1273. & 1274. *tom. 5. vet. Script. & Monum. ampl. collect. col. 747. num. 19.* B. & *col. 748. num. 20.* B. ſcribit *Euſtorgio* epiſcopo Tabariæ mortuo ſucceſſiſſe an. 1273. *Guillelmum de Salonica,* archidiaconum eccleſiæ S. Georgii Lyddæ, quem defunctum anno ſequenti excepit alter *Guillelmus* cognomento *Piloſus,* cantor eccleſiæ S. Georgii Lyddæ & cancellarius regni Armeniæ. *En l'an de MCCLXXIII. &c. & morut Eſtorgue Eueſque de Tabarie, & fu fait Eueſque en ſon lieu Guillaume de Salonique Arcediacre de S. Jorge de Lidde. A. MCCLXXIV. &c. & morut Guillaume de Salonique Eueſque de Tabarie, & fu fait en ſon lieu Guillaume li Velus Chantre de S. Jorge de Lidde & Chancelier d'Ermenie.*

Digitized by Google

PROVINCIA PALÆSTINÆ TERTIÆ SUB LATINIS.

I. ECCLESIA PETRÆ METROPOLIS.

PETRA urbs Arabiæ ab illa dictæ *Petrææ*, olim Moabitarum regia, quæ ab ipſis *Rabath* & *Arraba*, id eſt, *Petra deſerti* nuncupabatur, teſte Holſtenio: appellata etiam *Cyriacopolis* & *Krach*, verſus confinia Palæſtinæ, & prope torrentem Zareth. Ita Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 98. col. 2.* Vide quæ de ea jam ſupra obſervata ſunt in hoc tomo 3. *coll. 721. 722.* Fuit ſedes archiepiſcopi Latini ſub Patriarcha Hieroſolymitano, dum Palæſtina Latinis obtemperaret.

ARCHIEPISCOPI PETRÆ.

GUERRICUS.

DE promotione *Guerrici* primi *Petræ* præſulis Latini ritus hæc diſcimus ex Willelmo Tyrio, *lib. 20. hiſt. cap. 3.* « Eodem anno » (1167.) nihil pene memoria dignum in » regno (Hieroſolymorum ſub Amalrico rege) » accidit, niſi quod circa quadrageſimale tem- » pus duæ eccleſiæ in regno, ſuſceptis epi- » ſcopis, ordinatæ ſunt: quarum altera ab in- » greſſu Latinorum (anno 1199.) in Terram » Promiſſionis, Latinum non habuerat Pon- » tificem; videlicet *Petracenſis*, quæ ultra Jordanem in finibus Moab ſita eſt, ſecundæ « Arabiæ metropolis: altera vero, Ebronenſis « videlicet, &c. *Præficitur ergo Petracenſi eccle-* « *ſiæ, & ſecundæ Arabiæ metropolitanus efficitur* « *dominus Guerricus, canonicus regularis in tem-* « *plo Domini.* » Idem *lib. 22. c. 5.* de Philippo loquens domino Arabiæ ſecundæ, ait: *Quæ eſt Petracenſis, qui locus hodie vulgo Krach* (nominatur.) Qui fuerint Guerrici hujus ſucceſſores hactenus non reperi, præter aliquot nudo hujus eccleſiæ titulo potitos, quos mitto.

II. ECCLESIA MONTIS SINAI.

SINA, mons Arabiæ Petrææ excelſus, qui *Sinæus* Juſtino, *Sinæus* Joſepho, *le Mont Sinay* Gallis, *il Monte-Sina* Italis, & *d'Gibel Mouſa* Turcis, id eſt *Mons Moyſis*: dicitur etiam ſæpius ab Europæis *Mons S. Catharinæ*, quod in eo corpus hujus ſanctæ virginis & martyris conditum ſit. Ad radices hujus montis extat monaſterium, quod à pluribus ſæculis epiſcopali dignitate inſignitum fuit ſub archiepiſcopo Petræ. Vix 200. milliar. diſtat ab Hieroſolymis in meridiem, & 300. à Peluſio in ortum hybernum, 60. vero à ſinu Arabico in ortum. Hæc Michael Antonius Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 239. col. 2.*

Porro non videtur huic unquam eccleſiæ præfectus Latini ritus antiſtes. Nam Jacobus de Vitriaco, *lib. 3. Hiſt. Orient. n. XI.* apud D. Edm. Martenne, *tom. 3. Theſ. novi Anecdot. edit. Pariſ. 1717. col. 277.* D. ait: *Archiepiſcopum Petratenſem nullum habere* (epiſcopum ſuffraganeum) *niſi Græcum in monte Sinaï.* Item Marinus Sanutus Torſellus, *lib. 3. Secretor. fidel. crucis, part. VII. cap. 2.* ad calcem voluminis dicti *Geſta Dei per Francos, pag. 176. lin. 42.* « Quartus (archiepiſcopatus ſub Patriarcha Hieroſolymitano) *Patracenſis*, inquit, unum habens ſuffraganeum *epiſcopum Græcum in monte Sinaï*, in eccleſia pretioſæ virginis « Katherinæ monachis præſidentem. Diſtat autem mons Sinaï à Jeruſalem 12. dietis; à « Damiata 8. Eſt autem Petra juxta urbem antiquiſſimam quæ dicitur Rabath, ante quam « civitatem Urias occubuit, procurante David. » Attamen D. Abbas de Commanville, *In Serie ſua Gallica epiſcopatuum, edit. Rothomagenſis 1700. pag. 163.* ſcribit, dum Latini verſarentur in Palæſtina, ab ipſis nominatum fuiſſe epiſcopum ejuſdem ritus qui monti Sinaï præficeretur ſub archiepiſcopo Latino Petræ. Verum nullus mihi occurrit hujuſmodi epiſcopus Latinus.

Digitized by Google

PROVINCIA ARABIÆ.

I. ECCLESIA BOSTRORUM METROPOLIS.

BOSTRA in neutro plurali, & etiam in ſingulari fœminino dicitur, & in veteribus notitiis aſſignatur metropolis Arabiæ: diſtat vero ab urbe Adraorum 24. milliar. Romanis, & adſcribitur à nonnullis Trachonitidi regioni. Ita Hadrian. Reland. *tom. 2. Palæſt. illuſtr. edit. Trajectenſ. Batavor. 1714. pag. 655.* Vide quæ de illa urbe dicta ſunt, *tom. 2.* præſentis operis, *coll. 853. 854.* ubi recte obſervatur Philippum Imperatorem, qui in agro Boſtrenſi natus erat, locum illum in urbem erexiſſe ſuo nomine Philippopolim appellandam, ſubinde à Boſtris ipſis diverſam, reveraque tertiam poſitam ſub Boſtris in notitia: Quod animadvertit quoque adverſus Scaligerum & Holſtenium Cellarius, *to. 2. geogr. antiq. lib. 3. cap. 14. pag. 694.* Vide etiam ſupra in hoc tomo 3. *coll. 775. 776.* Cæterum Latini ritus alium non inveni qui Boſtris præfuerit, niſi fortaſſis ſequentem.

ARCHIEPISCOPI BOSTRORUM.

DANIEL.

EX Raynaldo, *tom. 16. annal.* ad annum 1346. *n. 70.* «Propagandæ religionis ardore
» permotus Clemens VI. præfecit nonnullis
» inter infideles eccleſiis conſtitutis præſules,
» inter quos duos Minoritas, *Danielem nimirum*
» *Boſraënſem in Arabia majore* (fortaſſis *Boſ-*
» *traënſem*) & Antonium de Alexandria Hie-
» rapolitanum in Phrygia archiepiſcopos crea-
A vit.» Idem aſſerit de iſto Daniele Waddingus, *tom. 3.* ad hunc annum, *num. 10. pag. 539.* qui etiam diploma *In ſupremæ dignitatis*, ea de re datum die 29. Jul. exhibet, *ibid. in Reg. Pontif. pag. 345.* illamque eccleſiam tunc ditionis fuiſſe Patriarchæ Antiocheni innuit, ſubjungens: *In eumdem modum Patriarchæ Antiocheno* ſcriptum, Geraldo ſcilicet anno 1342. promoto.

II. ECCLESIA CHRYSOPOLIS *ſive* CHRISTOPOLIS.

CHRYSOPOLIM urbem fuiſſe epiſcopalem Cœleſyriæ ſub archiepiſcopo Boſtrenſi, ex libris conciliorum ſcribit Mich. Anton. Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 268. col. 2.* In ſerie ſedium patriarchatui Antiocheno ſubditarum, quæ extat ad calcem hiſtoriæ Willelmi Tyrii in volumine cujus titulus *Geſta Dei per Francos, edit. Hanoviæ 1611. pag. 1044. col. 2. Chriſtopolis* legitur ſub Boſtro, loco 17. Vide *tom. 2.* hujus operis, *col. 867.*

EPISCOPI CHRYSOPOLIS.

I. CORRADUS *ſive* CONRADUS.

F. *Corradus* ſive *Conradus de Wecſloria*, Ord. Præd. renuntiatus eſt epiſcopus Chryſopolitanus in Arabia majore ſub archiepiſcopo Boſtrenſi anno 1297. die 29. Novemb. ex Regeſto Bonifacii VIII. & quibuſdam Ughelli mſſ. quæ citat Fontana *Theat. Dom. pag. 167. tit. 171.* Ita R. P. Bremond, *to. 2. Bull. p. 74.* Is ſubinde alius fuit à *F. Conrado Linden de Wecſlaria*, ejuſdem Ordinis, creato epiſcopo *Chriſtianopolitano* ſub metropoli Coryntho à Bonifacio IX. anno 1396. die 29. Novembris, cujus ſupra meminimus in hoc tom. 3. *col. 905.* A. Diſtant enim ab invicem 100. annis duo illi præſules.

B

II. MATTHÆUS.

Leo Allatius, *lib. 3. de conſenſu utriuſque eccl. edit. Colon. 1648. c. 10. n. 3. col. 1059.* meminit cujuſdam *Matthæi de Caſtro*, Chryſopolitani actu viventis, dum ipſe ſcribebat. «Plura, inquit, poſſent dici de utraque India orientali & occidentali, necnon Armenia «
ſeptentrionali, in quas etiam ſacra congre- «
gatio ex Capucinis, Minoritis Obſervantibus, «
Dominicanis, Auguſtinianis, & clericis re- »
gularibus, quos Theatinos appellant, cum «
archiepiſcopo ſub Myrenſis titulo, viros «
probos atque idoneos amandavit. (Sic) Fran- «
ciſcus Antonius à S. Felice Goæ expectat «
donec facultas facta fuerit Sinenſes adeundi: «
ſic etiam *Matthæus de Caſtro Chryſopolitanus* «
epiſcopus ſedem fixit in regno Idalcam.»

Digitized by Google

ECCLESIA DIONYSIENSIS.

III. ECCLESIA DIONYSIENSIS.

Præter Dionyſiopolim in Mœſia inferiori, de cujus epiſcopis Latinis ſupra egimus, *coll. 1121. 1122.* alia extat *Dionyſias* dicta in provincia ſecundæ Arabiæ ſub Boſtrenſi metropoli & Patriarcha Hieroſolymitano, cui præfectos reperi aliquot præſules Latini ritus.

EPISCOPI DIONYSIENSES.

I. JOANNES I.
II. DOMINICUS.

F. Joannes le Tellier, Carmelita, electus eſt epiſcopus Dionyſienſis titularis in VI. ſede Arabiæ III. Nonas (id eſt die 5.) Maii anno 1441. ex Actis Conſiſtorialibus Eugenii IV. Obiit anno 1449. Ita Daniel à V. M. *tom. 2. Specul. Carmel. pag. 396. num. 3280.*

Huic ſucceſſit anno 1449. idib. (id eſt die 13.) Auguſti *Fr. Dominicus Pulchrifili*, Ordinis Prædic. promovente Nicolao V. ex lib. Proviſ. Prælat. ſub eo Pontifice. Fontana *Theat. Dom. pag. 186. tit. 224.*

III. JOANNES II.
IV. ARNOLDUS.

Waddingus, *to. 6.* ad annum 1465. *n. 8.* A *p. 655.* ſcribit eccleſiæ Dionyſienſi in Arabia ſub Patriarcha Hieroſolymorum vacanti per obitum *Joannis*, præpoſitum eſſe à Paulo II. eo anno die 4. Novemb. *Fr. Arnoldum de Rotenſen*, Minoritam.

V. LUINUS.
VI. JOANNES III.

Ex Regeſtis Leonardi de Manſuetis Ma- B giſtri generalis Ordinis Præd. diſcimus, teſte ſupra laudato Fontana, *ibidem*, *Fr. Luinum Brunſtorp*, Halberſtadienſis conventus, & *Fr. Joannem Ermannum*, Dionyſienſes epiſcopos ad gratias & ſuffragia ejuſdem Ordinis receptos; priorem quidem anno 1476. die 12. Jan. poſteriorem vero anno 1478. die 22. Aprilis.

PROVINCIA PHŒNICES.

II. ECCLESIA TYRI METROPOLIS.

Diœcesis Orientis, ſub Antiocheno Patriarcha, primaria metropolis olim fuit *Tyrus*, cujus Pontifex Πρωτόθρονος Orientis dicebatur: Ea vero urbe Balduini II. regis Hieroſolymorum anno 1124. ditionis facta, hæc cum ſuis juribus ad Palæſtinam diœceſim tranſiit, quantumvis reluctaretur Antiochenus præſul: Quum enim utriuſque Patriarchæ cauſa ad Innocentium II. Papam relata eſſet, ab ipſo decretum eſt, quod, quia Paſchalis II. Balduino I. conceſſerat quamcunque is ſubigeret urbem, hanc ſedi Hieroſolymitanæ fore obnoxiam, Tyrenſis eccleſia cum ſex ſuffraganeis, quibus tunc conſtabat, eamdem conditionem ſortiretur. Duplicem hujus Innocentii epiſtolam die 17. Januar. anno non expreſſo, ſcriptam, unam quidem epiſcopis *Tripolitano*, *Tortoſano* ſive *Antaradenſi*, & *Byblitano*: alteram autem *Berytenſi*, *Sydonienſi* & *Ptolomaïdenſi* ſive *Acconenſi*, quibus eos jubebat Tyrenſi archiepiſcopo ſuo metropolitano obedientiam præſtare, refert Willelmus Tyrius, *lib. 14. hiſt. cap. 13.* Verum paulo poſt civitatibus Tripolitana, Antaradenſi, & Byblienſi, in principis Antiocheni poteſtatem devolutis, has ſuæ ſedi ſubjecit Patriarcha Antiochenus. Cæterum ejectis Latinis ex omni Syria & Palæſtina à Mohammedanis, Tyri metropolita Græcus Patriarchæ Antiocheno ſubditus denuo eſt cum omnibus ſuis ſuffraganeis. Vide *to. 2.* præſentis operis, *coll. 801. 802.* & hujus tomi 3. *coll. 77. 78.*

De Tyro hæc tradit Mich. Anton. Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 350. col. 1.* « *Tyrus*, urbs Syriæ, & Phœniciæ caput Straboni, Plinio, & aliis, in ora maris Syrii, olim clariſſima, « & inſula, ſed ab Alexandro Magno expugnata, & continenti aggeribus juncta, ut Quintus « Curtius ſcribit. Olim *Sarra* dicta, teſte Feſto, & ab Agenore Phœnicum rege condita: « nunc *Sur* incolis & Italis, & *Sour* Gallis. Ampla fuit, & munita in ſaxo undique prærupto, « cum portu capaci & tuto, & pro majori parte à mari circumdatur. Capta fuerat à Francis «

Digitized by Google

ECCLESIA TYRI.

» anno 1124. poſt 5. menſium obſidionem, ſed poſtea Chriſtianis erepta fuit anno 1291. & » nunc in ruinis jacet cum 15. domibus tantum & caſtro antiquo, inter Sidonem ad ſeptentrionem, & Ptolomaïdem ad meridiem. Ejus archiepiſcopo ſuffragabantur (olim) 14. urbes » epiſcopales ſub Patriarcha Antiocheno; nempe *Porphiria, Ptolemais, Cæſarea Philippi* ſive » *Paneas, Sarepta, Sidon, Berytus, Byblus, Botrus, Tripolis, Artuſia, Archis, Arados, Antaradus,* & *Marathea,* (ſive *Maraclea*) teſte Willelmo ejus archiepiſcopo.» Verum ſub Hieroſolymitanis Patriarchis Latini ritus quatuor duntaxat epiſcopi archiepiſcopo Tyrenſi obtemperabant; videlicet Sidonenſis, Berytenſis, Acconenſis, & Paneadenſis: de quibus eccleſiis poſt Tyrenſem agemus.

ARCHIEPISCOPI TYRI.

I. ODO.

Poſt jam tentatam fruſtra anno 1111. à Balduino I. Hieroſolymorum rege urbis Tyri expugnationem, Balduinus II. ejus ſucceſſor illi præficiendum curavit *Odonem*, an. 1122. Fulcherius Carnotenſis primam Tyri obſidionem deſcribit, *lib. 2. Hiſt. Hieroſ. cap. 44.* apud Andr. Ducheſne, *tom. 4. Hiſt. Francor. pag. 860.* A. B. Electionem vero Odônis narrat, *lib. 3. c. 10. ibid. pag. 868.* C. & *pag. 869.* A. his verbis: *Anno Dom. Incarn. 1122. præficitur in Hieruſalem eccleſiæ Tyriæ archiepiſcopus, Odo nomine, primus de gente Latina.* Verum is dum rurſus obſideretur Tyrus diem clauſit extremam anno 1124. ex Willelmo Tyrio, *lib. 13. hiſtor. cap. 13. Dicitur autem,* inquit, *in eadem expeditione* (iteratæ obſidionis Tyri) *vita deceſſiſſe vir venerabilis Odo nomine, qui ad titulum ejuſdem eccleſiæ, urbe adhuc ab hoſtibus detenta, ordinatus fuerat metropolitanus, & à Patriarcha Hieroſolymitano* (Gormundo) *conſecratus dicebatur.*

II. WILLELMUS I.

Anno duntaxat quarto poſt Odonis mortem ei de ſucceſſore proviſum eſt. De qua diuturniore mora ſic loquitur Willelmus Tyrius, *lib. 13. cap. 23.* « Vere demum proxime » ſubſequuto quarto anno poſtquam civitas » fidei reſtituta eſt chriſtianæ, rex (Balduinus II.) cum domino Patriarcha (Gormundo) & majoribus regni principibus apud » Tyrum convenientes, de Pontifice eidem » eccleſiæ ordinando cœperunt habere tractatum: tandemque dominum *Willelmum*, » virum venerabilem, eccleſiæ Dominici Sepulchri Priorem, natione Anglicum, vita » & moribus commendabilem, eidem urbi » præficiunt.... Admirantes.. illius temporis » prudentiam, hæremus in nobis ipſis quaſi » temeritatem reputantes. Nam qui biennio » antequam prædicta civitas chriſtianæ reſtitueretur libertati, epiſcopum ibi conſecraverant ſibi, poſtmodum ſupina & craſſa » prudentia uſque in quartum annum diſtulerunt eidem antiſtitem providere, &c. Porro... » dominus Willelmus, ſuſcepto conſecrationis » ſuæ munere à D. Hieroſolymitano Patriar-

A cha, ut pallium reciperet, invito & renitente « eodem ſuo conſecratore, Romam profectus « eſt: ubi à D. Papa Honorio II. (anno 1127.) « benigne ſuſceptus, quod petebat obtinuit, « &c.» Obiit anno circiter 1132. aut 1133.

III. FULCHERIUS *ſive* FULCHERUS.

De obitu Willelmi & promotione *Fulcherii* hæc tradit idem Willelmus Tyrius, *lib. 14. cap. XI.* « Per eoſdem dies (exorti ſchiſmatis inter Innocentium & Petrum Leonis) migravit ad Dominum, carnis onere depoſito, « B noſter prædeceſſor Willelmus, primus Latinorum, Tyrenſium archiepiſcopus, poſt « urbis liberationem. Nam dum adhuc ab « hoſtibus detineretur, ordinatus fuerat ad titulum ejuſdem eccleſiæ quidam Odo, qui « ante ejuſdem urbis liberationem vita deceſſerat...cui ſubſtitutus eſt D. *Fulcherus* bonæ « memoriæ, Aquitanicus natione, patria Engoliſmenſis, vir religioſus ac timens Deum, « modice litteratus, ſed conſtans & amator « diſciplinæ. Hîc apud ſuos abbas extiterat canonicorum regularium, in monaſterio cui « C *Cella* nomen. Sed poſtmodum tempore prædicti ſchiſmatis.... ſumpta licentia à fratribus, orationis gratia Hieroſolymam venit, « tandemque in clauſtro eccleſiæ Dominici « Sepulchri regularem vitam... profeſſus, ad « eccleſiam Tyrenſem vocatus eſt. Rexit autem eamdem eccleſiam ſtrenue & feliciter « annis 12. quartus ante nos qui nunc eidem « eccleſiæ, non electione meriti, ſed ſola « Domini dignatione & patientia, præſidemus, &c.» De Fulchero etiam mentionem facit, *lib. 15. capp. XI. & XVI. & lib. 16. capp. 3. & 17.* D In hoc poſteriori loco tranſlationem ejus memorat ab eccleſia Tyrenſi ad patriarchalem Hieroſolymorum. « Per idem tempus, inquit, D. Willelmus bonæ memoriæ Hieroſolymorum Patriarcha... obiit « v. kal. Octobris (id eſt die 27. Septembris « anno, ut videtur, 1145.) pontificatus ejus « anno XV. cui poſtmodum ſubſequente Januario VIII. kal. Febr. (id eſt die 25. Jan.) « ſubſtitutus eſt D. Fulcherus Tyrenſis archiepiſcopus, &c.» Vide ſupra inter Patriarchas Hieroſolymorum ritus Latini, *col. 1250.* A.

Radulphus.

ECCLESIA TYRI.

Radulphus. IV. PETRUS I.
V. FREDERICUS.

Capitulo Tyri diſſidente, *Radulphus* regis Angliæ cancellarius ab una parte electus eſt, & ab altera repudiatus quæ ad ſedem apoſtolicam appellavit. Is nihilominus Balduini III. regis Hieroſolymorum ſibi faventis benevolentia fretus, eccleſiam hanc ejuſque bona toto biennio poſſedit. Verum illo ſententia Eugenii III. dejecto, in ſede Tyrenſi « de communi omnium conſenſu, » inquit Willelmus Tyrius, *lib. 16. cap. 17....* » ſubſtitutus eſt vir miræ ſimplicitatis & man- » ſuetudinis, timens Deum & recedens à malo, » cujus memoria in benedictione eſt apud » Dominum & homines, D. *Petrus,* eccleſiæ » Dominici Sepulchri Prior, de .... civitate » Barchinona (in Catalonia) nobilis ſecundum » carnem, ſed ſpiritu nobilior: cujus vita & » converſatio longiores & diligentiores poſtulant tractatus, &c.» Adfuit Petrus iſte obſidioni Aſcalonis anno 1152. *ibidem, lib. 17. capp. 21.* & *23.* Deinde Fulcherum Patriarcham comitatus eſt Romam euntem, *lib. 18. cap. 6.* crucem quoque Domini geſtavit in prælio contra Noradinum Damaſcenorum regem, qui victus eſt à Balduino III. an. 1157. *ibid. cap. 21.* In ſchiſmate autem Antipapæ Victoris adverſus Alexandrum III. iſtius poſterioris cauſam in Oriente ſtrenue tutatus eſt anno 1160. *ibid. c. 29.* De ejus denique obitu, & promotione ſucceſſoris, ita loquitur, *lib. 19. cap. 6.*

« Per idem tempus D. Petrus, venerabilis » Tyrenſium archiepiſcopus, piæ in Domino » recordationis, anno ſecundo D. regis (Amal- » rici qui regnare cœperat anno 1162. menſe » Februario) prima die menſis (Martii) viam » univerſæ carnis ingreſſus eſt (anno ſubinde » 1163.) Cui intra paucos dies eodem menſe » ſubſtitutus eſt, domino rege plurimum ad » id adſpirante, ejuſdem eccleſiæ ſuffraganeus » D. videlicet *Fredericus* Acconenſis epiſco- » pus, vir ſecundum carnem nobilis, corpore » procerus admodum, natione Lotharingus, » modice litteratus, ſed militaris ultra modum, &c.»

Hæc quidem Willelmus Tyrius, in quibus tamen non capio quo pacto Fredericus iſte ad ſedem Tyrenſem ex Acconenſi tranſlatus fuerit anno 1163. quippe quum ex diplomate Willelmi ejus in eccleſia Acconenſi ſucceſſoris, dato anno 1161. coram illo ipſo Frederico jam Tyrenſi archiepiſcopo, quod extat apud Ughellum, *tom. 7. Ital. ſac. veter. edit. col. 267.* B. C. & extractum dicitur ab ipſo exemplari archivi eccleſiæ Amalphitanæ vetuſtate pene obſoleto, Willelmus ille IV. Latinorum Acconenſis eccleſiæ epiſcopus cum capituli ſui aſſenſu locum in cœmeterio eccleſiæ S. Nicolai Acconæ in uſum Amalphitanorum Manſoni & Sergio Amalphitanis civibus conceſſerit, eoſdemque ad ſocietatem Acconenſis eccleſiæ admiſerit. Verum ſatius videtur, ſi in eo anno 1161. laudati tranſumpti mendum aliquod occurrere ſuſpicemur, ita ut legendum ſit ad minus 1163. quam ſi Willelmum Tyrium in relato promotionis Frederici prædeceſſoris ſui anno oſcitantiæ arguamus. Adfuit Fredericus obſidioni Alexandriæ Ægypti per regem Amalricum factæ an. 1167. ſed diſenteria preſſus, priuſquam urbs illa caperetur, domum repetere coactus eſt, *lib. 19. c. 27.* Miſſus poſtea in Galliam ſubſidia Chriſtianis Palæſtinæ imploraturus, biennio conſumpto, nihil obtinuit, *lib. 20. cap. 13.* Deceſſit tandem anno 1173. die 30. Octob. Neapoli (Naplouſe) in Samaria, corpuſque ejus Hieroſolymam delatum, in capitulo templi Domini, ubi prius fuerat canonicus regularis, ſepultum eſt, *lib. 21. cap. 4.*

VI. WILLELMUS II.

Fredericum in Tyri archiepiſcopatu excepit *Willelmus* hujus nominis II. & nobiliſſimus belli ſacri ſcriptor, quem ſæpius citavimus. Hunc Hieroſolymis ortum ſcribit ejus hiſtoriæ continuator Gallus, *tom. 5. vet. Script. & Mon. ampl. collect. col. 604.* E. « L'Arceueſque de Sur (de Tyr) ot nom Guillaume « & fu né de Jeruſalem. Si ne ſavoit l'on meilor clerc de la terre.» Archidiaconatum eccleſiæ Tyrenſis à Frederico archiepiſcopo prædeceſſore ſuo recepit circa annum 1167. deinde poſt obitum Radulphi epiſcopi Bethleemitani, regni cancellarii, hanc ei rex cancellarii tradidit dignitatem, ipſomet teſte, *lib. 21. cap. 5.* Tandem præfato Frederico in ſede Tyrenſi ſucceſſit anno 1174. de qua ſua promotione ſic ipſe loquitur, *ibid. c. 9.* «Eodem menſe (Maio,) quum Tyrenſis eccleſia ſeptem vacaſſet menſibus continuis, « conſonante cleri & populi voto, regis quo- « que (Balduini IV.) ut moris eſt, conveniente « aſſenſu, Dei patientia potius, quam meritis « noſtris, ad regimen illius eccleſiæ vocati ſu- « mus, & infra decem dies in eccleſia Domi- « nici ſepulcri, per manus domini Amalrici « Hieroſolymitani Patriarchæ munus conſe- « crationis VI. idus (id eſt die 8.) Jun. auctore « Domino, ſuſcepimus licet indigni.» Anno 1179. interfuit concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. ejuſque actis ſubſcripſit. *Spicileg. tom. 12. pag. 643.* De qua ſynodo hæc ipſe habet, *lib. 21. cap. 26.* «Per idem tempus (anno 1179.) Romæ celebrata eſt ſynodus»

Digitized by Google

in baſilica Conſtantiniana, quæ dicitur Lateranum, trecentorum epiſcoporum, pontificatus domini Alexandri anno 20. menſe Martio, Indictionis XII. quinta die menſis. Cui (cujus) ſi quis ſtatuta & epiſcoporum nomina, numerum & titulos ſcire deſiderat, relegat ſcriptum quod nos ad preces ſanctorum Patrum, qui eidem ſynodo interfuerunt, confecimus diligenter: quod in archivo ſanctæ Tyrenſis eccleſiæ, inter cæteros quos eidem contulimus eccleſiæ libros, cui jam ſex annos præfuimus, juſſimus collocari.» Soluto concilio, ivit Willelmus Conſtantinopolim à Manuele Græcorum Imperatore ſubſidia Terræ-Sanctæ petiturus, ibique non inutiliter commoratus eſt ſeptem menſibus. Inde Antiochiam veniens, «completis, inquit, *lib. 22. cap. 4.* injunctis nobis ab imperiali Excellentia cum domino principe (Antiochiæ) & cum domino Patriarcha mandatis, domino rege (Balduino) apud Berithum invento, eoque terreſtri itinere Tyrum properante, nos propitia Divinitate, continua navigatione, pridie Nonas (id eſt die 6.) Julii, poſt annum & menſes decem, ex quo ad ſynodum profecti eramus (anno 1178.) ad Tyrenſem reverſi ſumus eccleſiam (anno 1180.»)

Quum eo anno menſe Octobri obiiſſet Amalricus Patriarcha Hieroſolymorum, & in ejus locum ſubſtitutus fuiſſet Eraclius, ejus promotioni obſtitit Willelmus, ad Romanum Pontificem provocans; iter etiam poſtea arripuit in Italiam, ubi, re nondum confecta, veneno extinctus eſt, teſte laudato ejus hiſtoriæ continuatore Gallo, *col. 605.* C. D. E. his verbis: «En tele maniere fut Eracles Patriarche de Hieruſalem. Quant il fu Patriarche, il commanda as Arceueſques & as eueſques de la terre qu'il li feiſſent obedience, & il li firent tuit, fors l'arceueſque de Sur (de Tyr.) Cil apela a Rome & dit qu'il moſtreroit raiſon, par quoy il ne deuoit pas eſtre Patriarche. Quant l'arceueſque ot fait ſon apel, ſi appareilla ſon erre & ala a Rome. L'Apoſtole fu mult lie de ſa venüe & li Cardinal. Puis fit il tant vers le Pape & vers les Cardinaux, que s'il eu tans veſcu que le Patriarche fu venu a Rome, il euſt eſté depoſé. Si vos dirai coment il fu mort ainſi que le Patriarche veniſt là. Quant le Patriarche Eracle ſot que l'Arceueſque de Sur fu alé a Rome por luy greuer, bien ſout que ſi viuoit longuement, qu'il ſeroit depoſé, por ce dit a un ſien fuiſicien qu'il alaſt apres, & qu'il l'empoiſonaſt, & cil ſi fiſt; ſi fu mort. Apres ala le Patriarche a Rome & fiſt ce qu'il vout, ſi s'en retourna en Jeruſalem.»

Non exprimit ille auctor quo præciſe anno A Willelmi contigerit obitus: ſed is aſſignandus non videtur ante annum 1184. utpote quum Willelmus ſuam hiſtoriam deducat, *lib. 22. capp. 29. & 30.* uſque ad finem circiter anni 1183.

VII. Joricus *ſive* Josius Jorsius *vel etiam* Josephus.

Ughellus, *tom. 4. Ital. ſac. veteris edit. col. 1097.* D. *Jorſium* epiſcopum Aconenſem qui adfuerat concilio Lateranenſi III. ſub Alexandro III. anno 1179. Willelmo Ty-B renſi ſucceſſiſſe ait. Hinc probabiliter *archiepiſcopus* fuit ille *Tyrenſis,* quem Oldoïnus, *tom. 1. hiſt. Roman. Pontif. & DD. Cardin. col. 1125.* F. *Joſephum* appellat his verbis: «Calamitatem orientalis eccleſiæ, & Hieroſolymorum expugnationem audivit Urbanus (III.) quam urbem x. obſidionis die à Salahadino VI. Nonas (id eſt die 2.) Octobris anno 1187. *Joſephus Tarenſis* (Tyrenſis) *archiepiſcopus* captam nuntiaverat.» De archiepiſcopi Tyrenſis quippe itinere in Occidentem, tacito ejus nomine, ita loquitur C laudatus Willelmi Tyrii continuator Gallus, *ibid. col. 624. num. 32.* A. «Ci vous lairons un petit de Salahadin, & ſi vous dirons de *l'Arceueſque de Sur* qui vint a l'Apoſtole en meſſage. Noueles aporta dela grant dolor qui eſtoit auenüe en la terre de promiſſion. Il arriua en la terre le Roy de Ceſile & de Calabre & de Puille. Cil Roy Guillaume auoit une fille (que) le Roy d'Angleterre (auoit) a fame, qui auoit nom Johanne. L'Arceueſque de Sur ſi ſout que le Roy eſtoit pres d'iluec. Il vint a luy, & li conta le grant D damage qui eſtoit auenu u Royaume de Jeruſalem. Le Roy en fu mult dolent, & penſa qu'il eſtoit auques coupable de la perdition de la terre, &c.» Id ſibi imputabat *rex Siciliæ Guillelmus* quod, ut aſſerit Albericus in chronico ad annum 1186. *part. 2. pag. 369. guerram habens contra Iſaacum Imperatorem Græcorum, omnibus Chriſtianis peregrinis cruceſignatis portus Apuliæ interdixerit, & iſta fuerit una de ſpecialibus cauſis vel occaſionibus quare poſtea perdita ſit Jeruſalem.* Subdit idem auctor ad annum 1188. *pag. 375. Venit.... legatus* (Henricus Albanenſis) *cum* E *archiepiſcopo de Tyro, id eſt, de Sur, apud Yvodium* (Yvoix in ducatu Luxemburgenſi) *ad colloquium regis* (Francorum Philippi Auguſti) *& Imperatoris* (Frederici.)

Certe Joricus ſive Jocius archiepiſcopus Tyrenſis, expoſcente Conrado Marchione Montisferrati, & accedente capituli ſuæ eccleſiæ aſſenſu, Januenſibus conceſſit ut capellam in urbe Tyro ædificare poſſent, juſque nominandi in eam capellam parochi in

canonicos Januenſes perpetuò tranſtulit diplomate confecto *apud Tyrum præſentibus,* &c. *anno ab Incarn. Dom. 1190. Indict. VIII.... XVIII. kal. Maii* (id eſt die 14. Aprilis,) pluribus ſigillis obſignato, & ſervato in archivo canonicorum Januenſium, teſte præfato Ughello, *ibid. col. 1212. n. 3.* C. D.

Idem, vel fortaſſis ejus ſucceſſor, *archiepiſcopus* fuit ille *Tyrenſis,* cujus meminit Innocentius III. epiſtola 74. lib. I. *tom. I. edit. Baluz. p. 40. col. 2.* Vide ſupra, ubi de VII. archiepiſcopo Nazareno, *col. 1296.* E. Epiſtolæ pariter 513. & 515. ejuſdem libri I. B *Tyrenſi archiepiſcopo* datæ ſunt die 30. Decemb. (1198.) & diebus 2. & 5. Jan. (1199.) *ibid. pp. 295. & 296.* Epiſtola quoque 257. lib. II. data die 15. Decemb. (1199.) *ibid. pag. 508.* Patriarchæ Hieroſolymitano, & *Tyrenſi archiepiſcopo,* &c. inſcribitur, de qua vide etiam ſuperius, ubi de IV. epiſcopo Tiberiadis, *col. 1301.* D. Epiſtola demum 275. ejuſdem libri II. *Tyrenſi archiepiſcopo,* &c. *Ibid. pag. 520.* circa idem argumentum verſatur ac laudata epiſtola 74. lib. I. & probabiliter ſcripta fuit anno 1199. aut 1200. C Raynaldus, *tom. 13.* ad annum 1206. *num. 8.* narrat Innocentium III. *Tyrenſi archiepiſcopo* notam feciſſe querimoniam quamdam de ipſo perlatam à Duce Venetiarum, eum ſimul monendo ut mores emendaret. Quæ omnia neſcio an Joricum ſpectent, an quemdam alium qui illi ſucceſſerit.

VIII. ***

Anno 1213. die 15. Decemb. ſcripſit Innocentius III. Patriarchæ Hieroſolymorum (Alberto) & *Tyrenenſi archiepiſcopo* epiſt. 150. D lib. XIII. *tom. 2. edit. Baluz. p. 820.* qua illos jubebat prohibere ſub pœna excommunicationis, ne Erardus de Brena matrimonium contraheret cum Philippa ipſi intra gradus conſanguinitatis vetitos conjuncta. Qua de re extant legendæ, præter annotationem laudati Baluzii, duæ quæ eam ſequuntur Innocentii III. epiſtolæ datæ anno 1215. die 20. Febr. *ibid.* in Append. *pag. 837. & ſeqq.* Vide etiam ſupra, ubi de VIII. *** archiepiſcopo Cæſarienſi, *col. 1288.* D.

IX. SIMON.

E Ex chronico Andrenſi ad annum 1217. *Spicileg. tom. 9. pag. 624. Simon Tyrienſis archiepiſcopus de mandato domini Honorii Papæ* (III.) *venit in Galliam pro commutandis votis humilium & debilium perſonarum cruceſignatarum, ut pauperes & debiles, & præcipue mulieres, miſſa in ſubſidium Terræ-Sanctæ pecunia, à voto crucis abſolveret, & ab illis quos in partem ſuæ ſollicitudinis adſciverat, abſolvi* A *faceret.* Is utique fuit *archiepiſcopus* ille *Tyrenſis,* quem cum Patriarcha Hieroſolymitano & archiepiſcopo Cæſarienſi commiſit idem Honorius epiſtola data anno 1222. die 30. Decembris, ut Græcos epiſcopos reprimerent, qui in Cypro inſula præeſſe ſuis Græcis volebant in diœceſibus præſulum Latinorum, apud Raynaldum, *tom. 13.* ad eum annum, *num. 8.* Eumdem memorat Fridericus II. Imperator in epiſtola ad Honorium III. ſcripta anno 1226. die 29. Auguſti, quam refert idem Raynaldus ad illum annum, *num. 21.* Anno demum 1227. ex eccleſia Tyrenſi ad ſedem Conſtantinopolitanam tranſiit, teſte Alberico in chronico ad hunc annum, *pag. 525. edit. Lipſiæ 1698.* ubi ait: *In Conſtantinopoli vero factus eſt Patriarcha Simon archiepiſcopus de Tyro.* Vide ſupra in præſenti tomo inter Patriarchas Conſtantinopolitanos, *col. 804.* B.

X. PETRUS II.

Simoni in ſede Tyrenſi fortaſſis ſucceſſit *Petrus* iſte, cognominatus *de Sergines,* qui anno 1244. dum erat epiſcopus Tyri, occiſus eſt in infelici prælio à Chriſtianis adverſus Soldanum Babylonis prope Aſcalonem geſto, ut habet continuator Gallus hiſtoriæ Willelmi Tyrii, *to. 5. vet. Script. & Monum. ampl. collect. col. 729.* E. *Et y furent occis Pierre de Sergines qui eſtoit Arceueſque de Sur, & l'Eueſque de S. George de Ramés.* Et *col. ſequenti 730.* B. *Cette deſconfiture fu par un mardi en l'an de l'Incarnation notre Seignor J. C. MCCLIV. u mois d'octembre: & fu le jor de Saint Luc l'Euangeliſte.* Porro legendum eſſe *MCCXLIV.* pro *MCCLIV.* ſupra obſervavimus inter epiſcopos Lyddenſes, *col. 1274.* D. Fredericus Imperator in epiſtola ad Richardum Cornubiæ in Anglia Comitem die 27. Febr. anni 1245. ſcripta, apud Matthæum Paris, *p. 417. col. 1.* hunc Petrum *archiepiſcopum Tyrenſem* ait *ex illatione vulnerum non periiſſe, ſed carceri fuiſſe mancipatum.* Alius probabiliter ab eo Petro non fuit *archiepiſcopus* ille *Tyrenſis,* cui atque electo Tripolitano epiſcopo provinciam dederat Innocentius IV. anno præcedenti 1243. inquirendi de ſcientia & moribus epiſcopi Byblienſis, ex Raynaldo ad eum annum, *num. 50.*

XI. NICOLAUS *ſive* PETRUS III.

Anno 1251. ad ſedem Tyrenſem evectus eſt *Petrus Larcat,* quem *Petrum* & *Nicolaum* intra 17. lineas appellat continuator Gallus hiſtoriæ Willelmi Tyrii, *tom. 5. vet. Script. & Mon. ampl. collect. col. 734.* E. *A. MCCLI. ferma* (id eſt munitionibus firmavit) *le Roy*

Digitized by Google

de France (S. Ludovicus) *Ceſaire* (Cæſaream) *& fu fait Arceueſque de Sur* (Tyri) *Pierre Larcat.* Et *col.* 735. B. *A. MCCLIII..... morûrent li rois Henry de Chipre....& Nicolas Larcat Arceueſque de Sur.* Is videtur fuiſſe *Fr. Nicolaus* Ordinis Præd. quem Bernardus Guidonis, in epiſcopis ex provincia Terræ-Sanctæ hujus Ordinis aſſumptis, aſſerit fuiſſe archiepiſcopum Tyri ante Fr. Bonacurſium (qui electus eſt anno 1272. ut infra dicetur.) *Fr. Nicolaus,* inquit, *fuit archiepiſcopus de Tyro. Fr. Bonacurſius,* &c. Ex R. P. Echard. *tom. 1. Script. pag. 159. col. 1.*

XII. ÆGIDIUS.

Ægidius iſte, qui Damiatæ creatus fuerat archiepiſcopus poſt ejus expugnationem à S. Ludovico rege Francorum, ipſaque paulo poſt Saracenis reddita, abſque præſulatu remanſerat, Nicolao Tyrenſi antiſtiti defuncto ſuffectus eſt an. 1253. Sic enim teſtatur modo laudatus Willelmi continuator, *col.* 735. B. « *Apres luy* (Nicolas Larcat) *fu poſtulé a Arceueſque Giles qui fu de Damiete.* » Raynald. *tom. 14.* ad annum 1263. *num. 12.* ait Urbanum IV. litteris ſignificaſſe S. Ludovico Francorum regi illo anno die 7. Januarii, inſtructum à ſe *Tyrenſem archiepiſcopum* auctoritate, ut colligeret in Galliis pro ſubſidio Terræ-Sanctæ centeſimam quinquennalem ſummam, quam rex ipſe piiſſimus impoſuerat; & *n. ſeq. 13.* præpoſitum *Ægidium archiepiſcopum Tyrenſem,* qui in Franciæ regno, ac Metenſi, Tullenſi, Virdunenſi, Leodienſi, & Cameracenſi provinciis, fidelibus religioſam militiam profeſſuris Symbolum crucis conferret, partemque tranſcribit epiſtolæ Urbani Papæ, ad hunc *Ægidium* datæ illo ipſo anno die 25. Maii. Ad eumdem Clemens IV. epiſtolam ſcripſit an. 1265. die 28. April. quæ extat *tom. 2. Theſ. novi Anecdot. col. 127.* B. C. Obiit Ægidius anno ſequenti 1266. quo idem Papa die 16. Jun. Simoni Cardinali A. S. L. injunxit, ut collecta aut colligenda à bonæ memoriæ Æ. Tyrenſi archiepiſcopo pro ſubſidio Terræ-Sanctæ reciperet, *ibid. coll. 355.* C. D. *383.* E. F. *& 421.* C. D.

XIII. JOANNES.
XIV. BONACURTIUS.

Ante annum 1272. ſedebat *Joannes è Sancto Meſſano* ſive *Maxentio,* Ord. Præd. quem omiſit Bernardus Guidonis, nec etiam cognoverunt alii ſcriptores Dominicani, præter RR. PP. Jacobum Echardum, *tom. 2. in indice epiſcoporum, pag. 30.* & Antoninum Bremond, *tom. 1. Bullar. pag. 500.* ad annum 1272. qui eum memorant ex his verbis continuatoris Galli Willelmi Tyrii auctoris coævi, *to. 5. vet. Script. & Mon. ampl. collect. col. 746. n. 17.* C. « A. MCCLXXII.... & a VIII. jors d'Octembre arriua en Acre Frere Thomas de l'Ordre des freres Preſcheors Patriarche de Jeruſalem.... *& morut frere Johan de Saint Meſſan de l'Ordre des Preſcheors Arceueſque de Sur, & fu fait Arceueſque en ſon lieu frere Bonacourt de Gloire.* » Et paulo ſupra: « *En cel an meiſme* (1272.) *fu fait Arceueſque de Sur frere Bonacourt de l'Ordre des Preſcheors fil Henry de Gloire.* » Hujus poſterioris meminit Bernardus Guidonis in epiſcopis Terræ-Sanctæ, apud R. P. Echardum, *tom. 1. Script. pag. 159. col. 1. Fr. Nicolaus fuit archiepiſcopus de Tyro. Fr. Bonacurtius ultramarinus fuit archiepiſcopus ibidem.* Is autem dicitur *Ultramarinus;* quia ſcilicet in Syria vel Palæſtina natus erat: unde minime confundendus eſt cum *Fr. Joanne Bonacurtio,* Bononienſi in Italia, aliquorum operum auctore, ejuſdemque Ordinis Præd. alumno, de quo agit laudatus P. Echardus, *tom. 1. pag. 156. col. 2.* & à præſule Tyrenſi diverſum fuiſſe monet, *ibid. pag. 159. col. 1. Notandum,* inquit, *eadem circiter ætate, hoc eſt, inter 1250. & 1280. alterum ejuſdem nominis* (Bonacurſii) *ſed provinciæ Terræ-Sanctæ ſodalem claruiſſe,* &c. De Bonacurſio Tyrenſi archiepiſcopo mentio fit ad calcem cujuſdam inſtrumenti relati ab Ughello, *tom. 4. Ital. ſac. veteris edit. in Januenſibus archiepiſcopis, coll. 1215. & 1216.* A. B. C. Privilegium eſt à Boemundo principe Antiocheno conceſſum Januenſibus anno 1190. die 1. Sept. exſcriptum ab authentico exemplari ſervato in canonicorum Januenſium archivo, cui ſubjungitur: « Ego Joannes Amici de Suxilia auctoritate imperiali notarius, authenticum præſentis privilegii vidi & legi bullatum, &c. & ad majorem cautelam præſens tranſumptum (contuli) cum originali prædicto coram venerabilibus Patribus *D. Fr. Bonacurſio de Ordine Præd. Dei gratia archiepiſcopo Tyrenſi,* D. Bartholomæo, &c. »

II. ECCLESIA SIDONIS.

SIDON apud ſcriptores belli ſacri *Sagitta* ſæpe nuncupatur: eſt autem urbs Phœniciæ in Syria in ora littorali, etiam *Sydon* dicta, & hodie *Seyde* & *Sayd,* parva admodum ad radices collis, cum caſtro antiquo in ſaxo, & portu in ora maris Mediterranei. Reſtaurata

Digitized by Google

fuerat, cum aliis quibuſdam civitatibus, à S. Ludovico rege Francorum, dum in Oriente verſaretur, anno 1250. ſed poſtea à Saracenis capta eſt anno 1292. & nunc Turcis ſubeſt. Diſtat autem 35. milliar. à Beryto in meridiem, Tyrum verſus 24. & à Damaſco 55. in occaſum. Sydonii primi fuere qui maria navibus ſulcare cœperint. Hæc Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 190. col. 2.* & *pag. 235. col. 2.* Urbem illam Balduinus I. Hieroſolymorum rex Moammedanis eripuit anno 1110. menſe Decembri, ex Fulcherio Carnotenſi ad eum annum: cujus hiſtoria extat in volumine dicto *Geſta Dei per Farncos, p. 422.* Vide *tom. 2.* hujus operis, *coll. 811. 812.* & ſupra in præſenti *tom. 3. coll. 87. 88.*

ECCLESIA SIDONIS.

EPISCOPI SIDONIS.

A

I. Bernardus.
II. Amalricus.

Anno circiter 1131. Innocentius II. Papa litteras apoſtolicas dedit XVI. kal. Februar. (id eſt die 17. Januar.) Balduino Berycenſi (Berytenſi) *Bernardo Sydonienſi,* (&) Joanni Ptolemaïdenſi epiſcopis, quas refert Willelmus Tyrenſis, *lib. 14. hiſtor. cap. 13.* Ægre ſcilicet illi hactenus tulerant Phœniciam primam, cujus Tyrus erat metropolis, Hieroſolymitano Patriarchæ ſubjici: unde Fulchero Tyrenſi archiepiſcopo renuebant obtemperare. Paruerunt tamen deinceps. Idem Bernardus adfuit concilio Antiocheno an. 1136. *ibid. lib. 15. cap. 16.* Fulchero Tyrenſi archiepiſcopo in Patriarcham Hieroſolymorum promoto anno 1145. Radulphi, quem, diviſis electoribus, pars una in præſulem Tyrenſem depoſcebat, Bernardus cum altera parte promotioni obſtitit, & ad apoſtolicam ſedem appellavit, ut ſupra dictum eſt inter Bethleemitanos epiſcopos, *col. 1278.* E. & inter Tyrios antiſtites, *col. 1313.* A. Adſtitit quoque Bernardus anno 1147. ſolemni conventui Accone habito, de quo mentionem faciunt auctor geſtorum Ludovici VII. regis Galliæ, *cap. 18. tom. 4. Script. hiſt. Francor.* Andreæ Ducheſne, *pag. 404.* A. & laudatus Willelmus Tyrius, *lib. 17. cap. 1.* Obiit dum obſideretur Aſcalon à Balduino III. ſcilicet intra annum 1152. uſque ad 1154.

« Per idem quoque tempus, inquit Willelmus Tyrius, *ibid. cap. 26. mortuo domino Bernardo bonæ memoriæ Sidonienſi epiſcopo,* ſubſtitutus eſt ei *Amalricus,* piæ in Domino recordationis, abbas canonicorum regularium, Ordinis Præmonſtratenſis, in eo loco qui dicitur S. Abacuc ſive S. Joſeph, qui cognominatus eſt ab Arimathia; vir ſimplex ac timens Deum, & egregiæ converſationis: qui in eccleſia Liddenſi per manum D. Petri felicis memoriæ, Tyrenſis archiepiſcopi, munus conſecrationis dicitur recepiſſe: quoniam ab urbe obſeſſa nulli longius abſcedere dabatur licentia. » Is Fulchero Patriarchæ Hieroſolymorum Romam eunti anno 1155. aut 1156. comes itineris fuit, ex eodem Willelmo Tyr. *lib. 18. c. 6.* Obiit an. 1175.

III. Odo.

Amalrico ſucceſſit in ſede Sidonienſi *Odo,* quem ſic memorat laudatus Willelmus Tyr. *lib. 21. c. XI.* « Eodem anno (1175.) menſe Maio, ſecunda menſis die, per noſtrum miniſterium in eccleſia Tyrenſi munus conſecrationis ſuſceperunt *dominus Odo Sidonienſis electus, qui ejuſdem eccleſiæ Tyrenſis fuerat præcentor,* & dominus Raynaldus Berythenſis

B electus. » Vivebat adhuc anno 1187. nam apud Ughellum, *tom. 3. Ital. ſac. vet. edit. col. 487.* C. extat inſtrumentum Conradi filii, Marchionis Montisferrati, in quo legitur: « .... conſilio & conſenſu Magiſtri Monachi Cæſarienſis archiepiſcopi, & D. Leotardi Nazareni archiepiſcopi, & *D. Odonis epiſcopi Sidoniæ,* anno 1187. menſe Octobri, &c. » Odo iſte probabiliter fuit, quem periiſſe anno 1190. dum obſideretur à Chriſtianis

C Accon, narrat Rogerus de Hoveden, *hiſtor. Anglor. parte poſteriore pag. 685. edit. Francof. 1601.* Titulus eſt: « *Nomina Magnatum qui eodem anno* (1190.) *in obſidione Accon obierunt.* Heraclius Patriarcha Jeruſalem.... archiepiſcopus de Nazareth.... *archiepiſcopus de Sidone, id eſt, de Saëta,* &c. »

IV. * * *

Innocentius III. epiſtola 73. lib. I. *tom. 1. edit. Baluz. pag. 40. col. 1.* initio ſui pontifi-

D catus ſcripta, proindeque, ut videtur, anno 1198. mentionem facit de *epiſcopo Sidonienſi.* « Noveritis autem, inquit, nos venerabilibus fratribus noſtris Tyrenſi archiepiſcopo, & *epiſcopo Sidonienſi* mandaſſe, &c. » Epiſtola 516. ejuſdem libri I. *ibid. pag. 296. col. 2.* & *pag. 564. col. 1.* data Later. x. kal. Januarii (id eſt die 23. Decembris) *epiſcopo Sidonienſi,* Berytenſi & Byblienſi epiſcopis inſcripta eſt. Idem Papa valde conqueritur

E epiſtola 257. lib. II. data Later. XVIII. kal. Januarii (id eſt die 15. Decemb. anni veriſimiliter 1199.) de *epiſcopo Sidonienſi,* contra quem inquirere, &, ſi reus deprehendatur, ſuſpenſionis ferre ſententiam, Patriarcham Hieroſolymitanum, Tyrenſem archiepiſcopum, & Acconenſem epiſcopum jubet, *ibid. pag. 508. coll. 1. & 2.* & *pag. 509. col. 1.*

Digitized by Google

ECCLESIA SIDONIS.

Epiſtola 273. ejuſdem libri II. *ibid. pag. 520.* & *pag. 521. col. 1.* quæ eſt de eodem negotio ac epiſtola 73. lib. I. ſupra laudata, Tyrenſi archiepiſcopo, & *epiſcopo Sidonienſi* dirigitur: fortaſſis nonnullis ex præcedentibus anterior iſta fuit; deeſt enim illi tempus quo exarata eſt.

V. ***

Alius ab epiſcopo Sidonienſi, cujus modo meminimus, eſſe potuit *epiſcopus* ille *Sidonienſis,* de quo idem Innocentius III. mentionem facit in epiſtola 64. lib. XIV. data *Patriarchæ Hieroſolymitano* (Alberto) Later. XV. kal. Jun. pontificatus anno XIV. (id eſt die 18. Maii anni 1211.) *tom. 2. edit. Baluz. p. 535. col. 2.* his verbis: «.... Venerabilibus » fratribus noſtris Patriarchæ Antiocheno, & » archiepiſcopo Tyrenſi, & *Sidonienſi,* Tripo- » litano, Anteradenſi, Nimocienſi, & Fama- » guſtanenſi epiſcopis damus noſtris litteris in præceptis, &c.» Huic eidem *Sidonienſi* & Acconenſi epiſcopis ſcripta eſt probabiliter epiſtola 164. lib. XV. data Lateran. IV. kal. Octob. anno XV. (id eſt die 28. Septembris anni 1212.) Venit is Romam illo anno, teſte eodem Papa in epiſtola 211. lib. XV. data Later. V. idus (id eſt die 9.) Jan. anno XV. Chriſti 1213. *illuſtri regi Hieroſolymitano* (Balduino I.) in qua ait: *Venientem ad apoſtolicam ſedem venerabilem fratrem noſtrum Sidonienſem epiſcopum conſueta benignitate recepimus,* &c. *ea quæ idem epiſcopus ſuper tuis ac regni tui negotiis ſollicite ac prudenter, ſicut vir providus & fidelis, propoſuit coram nobis, quantum decuit, curavimus exaudire,* &c. Denique in epiſtola 177. lib. XVI. data *Patriarchæ & capitulo Antiochenis,* Later. IV. kal. Februar. anno XVI. (id eſt die 29. Jan. anni 1213.) legitur: *Alioquin venerabili fratri noſtro Sidonienſi epiſcopo,* &c. *damus noſtris litteris in mandatis,* &c.

VI. ***

Anno 1244. ſedebat *epiſcopus Sidonienſis,* qui legitur in titulo epiſtolæ Roberti Hieroſolymorum Patriarchæ, nonnullorumque Palæſtinæ præſulum ad archiepiſcopos, epiſcopos, &c. in regnis Franciæ & Angliæ conſtitutos, de cladibus Terræ-Sanctæ illatis à Choraſminis, Acone ſcriptæ die 25. Novembris. Extat apud Matthæum Paris, ad eum annum, *pag. 427. col. 1.* D.

VII. ADAMUS.

Anno 1274. Sidonienſi eccleſiæ præfectus eſt *Adamus de Romery,* Patriarchæ Hieroſolymitani (Thomæ Agni de Lentino) baillivus ſive ſeneſchallus, & Sidonienſis eccleſiæ decanus. Ita refert continuator Gallus hiſt. Willelmi Tyrii, *tom. 5. veterum Scriptor. & Monum. ampliſſ. collect. col. 748.* B. *num. 20.* «A. MCCLXXIV. &c. Et morut Oliuiers de Termes a XII. jors d'Aouſt.... *& fu fait* « *Eueſque de Sajete* (id eſt *Sagittæ* ſive *Sido-* « *nis*) *Adam de Romery, qui eſtoit baillis du* « *Patriarche, & deens de cel meiſmes ygliſe de* « *Sajete.*» Is probabiliter epiſcopus ille Sidonienſis fuit, cui, & epiſcopo Beryti injunxit Nicolaus III. anno 1278. ut epiſcopum Antaradenſem cogerent ad Romanam curiam proficiſci, apud Raynaldum, *tom. 14. annal.* ad eum annum, *num. 81.*

VIII. ROSTANGUS.

Roſtangus, oriundus è nobili familia *de Candole,* quæ Maſſiliæ etiamnum floret, Ord. Præd. primus Tolonenſis Prior, renuntiatus eſt epiſcopus Sidonienſis ſub archiepiſcopo Tyrenſi anno 1305. Ita R. P. Antoninus Bremond, *tom. 2. Bullar. pag. 126.* ad annum 1305. ubi citat Bernardum Guidonis in epiſcopis provinciæ Terræ-Sanctæ, Fontanam *Theat. Dominic. pag. 295. tit. 548.* Cavalerium, *tom. 1. Galler. Domin. pag. 70. n. 221.* & alios. Is ad ſedem metropolitanam Naupacti tranſlatus eſt à Clemente V. anno 1307. Vide ſupra de eo inter archiepiſcopos Naupactenſes, *col. 995.* A. ubi tamen corrigendum eſt quod diximus, Roſtangum promotum eſſe ad eccleſiam Sidonienſem à *Fr. Petro de Plana-Caſſano,* Ordinis Min. legato apoſtolico in Orientem miſſo: anno enim 1305. quo Roſtangum aiunt ſcriptores ad eam ſedem evectum à Patriarcha Hieroſolymitano, iſtum patriarchatum iniit *Antonius Beccus* Radulphi ſucceſſor. Hunc itaque Patriarcham fuiſſe *Radulphum* ipſum immerito aiunt Fontana & Cavalerius, utpote qui obierat anno 1304. menſe Novemb. ex Bernardo Guidonis ſupra relato, *col. 1263.* D. Non fuit etiam Patriarcha ille *Petrus de Plana-Caſſano:* nam eum Clemens V. primùm creavit legatum apoſtolicum in Cypro & Rhodo inſulis, in Armenia quoque minori, & in Alexandrino, Antiocheno atque Hieroſolymitano patriarchatibus, diplomate dato XII. kal. Jul. anno IV. (id eſt die 20. Jun. anno 1309.) apud Raynaldum, *to. 15. annalium* ad eum annum, *num. 33.* deinde Patriarcham declaravit anno 1314. die 26. Febr. *ibid.* ad eum annum, *n. 12.* Patriarcha igitur qui Roſtangum eccleſiæ Sidonienſi præfecit, alius eſſe non potuit ab Antonio Becco epiſcopo Dunelmenſi in Anglia, qui ad patriarchatum Hieroſolymitanum aſſumptus eſt anno 1305. Verum de his Patriarchis jam diſſeruimus, *coll. 1263.* C. & *1264.* C.

Monitum.

Digitized by Google

III. ECCLESIA BERYTI.

BERYTUS Phœniciæ urbs Ptolemæo, & aliis, *colonia fœlix Julia* dicta à Plinio, *lib. 5. c. 20.* nunc *Beirut* incolis, *Barut* Gallis, *Baruti* Italis, in ora maris Syrii, inter Byblum ad arctos 34. milliar. & Sydonem in auſtrum 30. à Tripoli 70. ex Itinerario Antonini; ſed apud recentiores inter Tripolim 40. ad boream, & Damaſcum 60. ad ortum. Ita Baudrand, *to. 1. geogr. p. 161. col. 2.* Hanc ſibi ſubdidit Balduinus I. rex Hieroſolymorum anno 1111. die 27. April. teſte Willelmo Tyrio, *lib. XI. cap. 13.* qui de ea urbe ita loquitur: «Romanis » quondam acceptiſſima fuit; ita ut, jure Quiritium civibus conceſſo, inter colonias reputa- » retur: de qua Ulpianus in Digeſtis, titulo de cenſibus.... *Eſt & Berytenſis colonia in eadem » provincia* (Phœnice) *Auguſti beneficiis gratioſa*, & ut divus Adrianus in quadam oratione » ait: *Auguſtiana colonia quæ jus Italicum habet.* Nec ſolum jus Italicum, verum etiam & » docendi jus, quod raris conceſſum fuit urbibus, ab eodem Auguſto obtinuit poteſtatem, » ſicut in primo Codicis, ea conſtitutione quæ incipit *Cordi nobis eſt*, in qua legitur: *Et » Berytenſium doctorem Dorotheum.*» Vide *tom. 2.* hujus operis, *coll. 815. 816.* & in præſenti *tom. 3. coll. 89. 90.*

EPISCOPI BERYTI.

I. BALDUINUS.

INNOCENTIUS II. Papa, compoſita lite, qua Antiochenus & Hieroſolymitanus Patriarchæ de Tyro ſibi vindicanda contendebant, eaque urbe cum ſuis ſuffraganeis ſedi poſteriori adjudicata, mandavit *Balduino Berytenſi*, Bernardo Sidonienſi & Joanni Ptolemaidenſi, epiſtola data Later. XVI. kalend. Februar. (id eſt die 17. Jan.) quam profert Willelmus Tyrius, *lib. 14. hiſt. c. 13.* ut Fulcherio archiepiſcopo Tyrenſi ſuo metropolitano morem gererent. Interfuit Balduinus concilio Antiocheno anno 1136. in cauſa Arnulphi ejus Patriarchæ, *ibid. lib. 15. c. 16.* Eum Bolonienſem ad mare fuiſſe colligitur ex his duobus verſibus, qui leguntur apud DD. Edmundum Martenne & Urſinum Durand, doctiſſimos Benedictinos, *tom. 5. veterum Scriptor. & Monum. ampliſſ. collect. col. 540.* A. *de viris illuſtribus diœceſis Tarvanenſis qui in ſacra fuere expeditione:* verſus ſunt 18. & 19.

Fulcho Giſnenſis urbem tenuit Baruth, in qua

Antiſtes ſedit Balduinus Bolonienſis.

II. JOANNES.

Quum, Fulchero ad patriarchatum Hieroſolymorum aſſumpto, Radulphus proponeretur ab una parte capituli eccleſiæ Tyrenſis, qui illi in ea ſede ſuccederet initio anni 1146. Joannes Piſanus hujus eccleſiæ archidiaconus, qui poſtea Cardinalis fuit, Bernardus Sydonienſis, & *Joannes Berytenſis* epiſcopi, ipſius promotioni reſtitere, ad Eugenium III. Papam appellantes, qui & ipſe Radulphum abjecit, ex eodem Willelmo, *lib. 16. cap. 17.* Vide ſupra inter Bethleemi-

A tanos epiſcopos, *col. 1278.* E. & inter Tyrios antiſtites, *col. 1313.* A.

III. WILLELMUS.

In ſolemni conventu Accone celebrato anno 1147. de modo quo gereretur bellum adverſus Saracenos pro conſervatione Terræ-Sanctæ, deliberavit cum cæteris *D. Willelmus Berytenſis epiſcopus.* Ita laudatus Tyrius, *l. 17. c. 1.* & auctor geſtorum Ludovici VII. regis

B Galliæ, *cap. 18. tom. 4. Script. hiſt. Francor.* Andreæ Ducheſne, *pag. 404.* A.

IV. MAINARDUS.

V. RAYNALDUS.

VI. ODO.

Annum duntaxat obitus hujus Mainardi novimus ex Willelmo Tyrio, *lib. 21. cap. 9.* «Iiſdem diebus, inquit, (ſcilicet anno 1174.

C qui primus erat Balduini IV. regis Hieroſolymorum à die 15. Julii anni præcedentis) *D. Mainardus*, bonæ memoriæ, Berytenſis « epiſcopus, dum in urbe Berytenſi languore « correptus aliquantulum ægrotaſſet, morte « præventus eſt VII. kal. Maii (id eſt die 25. « Aprilis.)»

Raynaldum ejus ſucceſſorem conſecravit Willelmus ipſe Tyrius, qui eodem menſe Aprili quo Mainardus deceſſit, Tyrenſi eccleſiæ præfectus eſt. «Eodem anno (ſcilicet

D ſecundo Balduini IV. Chriſti vero 1175.) inquit, *lib. 21. cap. XI.* menſe Maio, ſecunda « menſis die, per noſtrum miniſterium in eccle- « ſia Tyrenſi munus conſecrationis ſuſceperunt « D. Odo Sydonienſis electus.... & *D. Rainaldus Berytenſis electus.*» « Obiit anno 1181.

Poſt Raynaldum Berytenſis eccleſiæ electus eſt præſul *Odo*, ex eodem Willelmo Tyrio

Digitized by Google

ECCLESIA BERYTI.

ſic loquente, *lib. 22. cap. 7.* « Eodem anno » (1181.) menſe Auguſto, 27. die menſis, » pontificatus ejus anno 23. D. Alexander » Papa III. viam univerſæ carnis ingreſſus eſt, » &c. Eodem quoque tempore venerabilis in » Chriſto frater noſter, piæ in Domino recor- » dationis dominus *Raymundus* (Rainaldus) » eccleſiæ Berytenſium epiſcopus, idibus (id » eſt die 13.) Septemb. ex hac luce ſubſtractus » eſt, lucis perpetuæ, prævia Domini gratia, » præmiis perenniter potiturus. Cui poſtmo- » dum in eadem eccleſia ſubſtitutus eſt vir » honeſtus & litteratus magiſter *Odo*, eccleſiæ » noſtræ (Tyrenſis) archidiaconus, cui nos, in » jejuniis Decembris, & ſacerdotii gradum, & » pontificalem, auctore Domino, contulimus dignitatem. » Is probabiliter ille eſt *epiſcopus de Baruth*, quem Rogerus de Hoveden, *hiſt. Anglorum parte poſteriori, pag. 685.* ait in obſidione Acconis interiiſſe cum multis aliis anno 1190.

VII. * * *

Innocentius III. Papa die 23. Decemb. anno, ut videtur, 1198. epiſcopis Sidonienſi, *Berytenſi*, & Byblienſi epiſtolam ſcripſit, quæ 516. eſt. lib. I. *tom. 1. edit. Baluz. pag. 296. col. 1.* de ſolutione decimarum.

VIII. GUALTRANUS *ſive* WALERANNUS.

Raynaldus, *to. 13. annal.* ad annum 1245. *num. 28.* narrat *Gualtrannum* Berytenſem epiſcopum à Syriæ Chriſtianis miſſum in Occidentem, qui auxilia ipſis imploraret, lugubres litteras lacrymiſque imbutas concilio I. Lugdunenſi eo anno coacto porrexiſſe, quæ ab Arnulpho Dominicano in ſeſſione prima lectæ, Patrum commiſerationem plurimum moverunt. Extant apud Matthæum Paris ad annum 1244. *p. 427. col. 1.* D. & datæ ſunt Accone die 25. Nov. anni 1244. In iis autem aiunt, *ibid. pag. 428. col. 2.* E. *Mittimus ad præſentiam veſtram venerabilem Patrem Biritenſem* (Berytenſem) *epiſcopum, & religioſum virum Ordinis Præd. qui ſeriem veritatis fideliter & plenarie referent paternitati veſtræ*, &c. Et paulo poſt, *ibid.* G. ait Paris: *Commiſerunt prælati ac magnates Terræ Sanctæ D. epiſcopo Biritenſi, nomine Waleranno, & F. Arnulpho de Ord. Præd.* (hanc epiſtolam) *ad Ciſmarinos ſub omni qua poſſent feſtinatione deferendam.*

IX. BARTHOLOMÆUS.

Tempore Bonacurſii, Ordinis Prædicat. archiepiſcopi Tyrenſis electi anno 1272. de quo ſupra egimus, *col. 1320.* B. ſedebat epiſcopus Berytenſis nomine *Bartholomæus*, ut conſtat ex diplomate ibidem memorato, in quo legitur: « Et ad majorem cautelam præſens tranſumptum cum originali prædicto « (contuli) coram venerabilibus Patribus D. « Fr. Bonacurſio de Ordine Præd. Dei gratia « archiepiſcopo Tyrenſi, *D. Bartholomæo, Dei* « *gratia epiſcopo Berytenſi*, &c. » Apud Ughellum, *tom. 4. Ital. ſac. veter. edit. coll. 1215. & 1216.* A. B. C. Bartholomæus iſte probabiliter ille fuit *Beryti epiſcopus*, ad quem, & ad epiſcopum Sydonis Raynaldus, *tom. 14. annalium* ad annum 1278. *num. 81.* refert Nicolaum III. eo anno ſcripſiſſe, ut Anteradenſem præſulem ad Romanam curiam proficiſci compellerent.

X. ROBERTUS.

XI. *Emmanuel electus.*

XII. MATTHÆUS.

Ex Waddingo, *tom. 3. annal.* ad annum 1323. *num. 42. pag. 310.* ad eccleſiam Berytenſem per obitum *Roberti* vacantem, canonici ejuſdem eccleſiæ, Nicoſiæ in Cypro congregati, quia in ſua propria à Saracenis occupata convenire non poterant, primùm elegerunt *Fr. Emmanuelem Longum*, Minoritam, qui, antequam confirmaretur ſua electio, obiit: unde in ipſius locum ſubrogarunt iidem *Fr. Matthæum*, etiam Minoritam, cujus promotionis diploma datum à Joanne XXII. Papa eo anno 1323. die 18. Febr. extat, *ibid. in Regeſto Pontif. pag. 141.*

XIII. JACOBUS.

XIV. BLASIUS.

Idem Waddingus, *tom. 4.* ad annum 1397. *n. XI. pag. 316.* ſcribit eo anno poſt mortem *Jacobi* epiſcopi Berytenſis ad illam eccleſiam promotum eſſe à Bonifacio IX. Papa die 9. Jul. *Fr. Blaſium de Cluſiano*, Ordinis Minor.

Monitum. CLARISSIMUS abbas Joſeph Simonius Aſſemanus initio *tom. 3. part. 2. Bibl. Orient. edit. Rom. 1728. num. 5.* mentionem facit de cod. Syr. mſ. *in-fol.* Bombicino, qui exaratus fuit fer. 4. die 10. Januar. anno mundi 7118. Chriſti 1610. ab Iſa filio Jacobi ex oppido Garzur diœceſis Byblienſis, monacho cœnobii Hamaturæ in monte Libano, diebus *Joachimi archiepiſcopi Berytenſis*, &c. Is *Joachim* omiſſus eſt ſupra in præſenti tomo 3. *coll. 89. 90.* ubi de eccleſia egimus *Beryti Maronitarum.*

Digitized by Google

IV. ECCLESIA ACONIS.

ACON, nunc *Acca* Turcis, *Acre* ſive *Saint Jean d'Acre* Gallis, *Acri* Italis, olim probe culta, *Ptolemaïs* dicta, urbs maritima Phœnices in Syria. Portum habet etiamnum ab Europæis frequentatum in ſinu parvo ad radices montium. Diſtat 15. milliar. à promontorio Albo inter Tyrum ad ſeptentrionem, & Cæſaream Palæſtinæ ad meridiem. Regum Hieroſolymorum, poſt amiſſam anno 1187. Hieroſolymam, ſedes fuit, donec ipſa Chriſtianis erepta eſt anno 1291. Hæc Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 10. col. 1.* ad vocem *Acon*, & *tom. 2. pag. 149. col. 1.* ad vocem *Ptolemaïs*. Vide *tom. 2.* hujus operis, *coll. 813. 814.* & *tom. 3.* ſupra *coll. 775. 776.*

EPISCOPI ACONENSES.

I. JOANNES I.

INNOCENTIUS II. circa annum 1133. ſcripſit Balduino Berytenſi, Bernardo Sidonienſi, & *Joanni Ptolemaïdenſi* (ſive Aconenſi) epiſcopis die 17. Januarii. Hanc epiſtolam profert Willelmus Tyrius, *lib. 14. hiſt. c. 13.* Vide ſupra, ubi de Bernardo & Balduino, *coll. 1321.* A. & *1325.* A.

II. RORGO *ſive* ROGERUS.

Idem Willelmus Tyrius, *lib. 17. c. 1.* inter epiſcopos qui interfuerunt ſolemni conventui anno 1147. Acone coacto de modo quo gereretur bellum contra Infideles, *Rorgonem Aconenſem epiſcopum* recenſet. Hunc *Rogerum* appellat auctor geſtorum Ludovici VII. regis Francorum, *cap. 18. tom. 4. Script. hiſt. Francor.* Andreæ Ducheſne, *pag. 404.* A.

III. FREDERICUS.

Fredericus Aconenſis epiſcopus in caſtris Chriſtianorum degebat cum multis aliis Palæſtinæ præſulibus anno 1152. dum à Balduino III. Hieroſolymorum rege urbs Aſcalon obſideretur. Capta ea urbe anno 1154. miſſus eſt Fredericus ab eo rege Antiochiam ad Rainaldum de Caſtellione hujus urbis principem, ut ipſum cum Aymerico Patriarcha Antiocheno, quem graviſſimis injuriis afficiebat, reconciliare conaretur. An. 1155. aut 1156. verno tempore Fulchero Patriarchæ Hieroſolymitano Romam eunti comes itineris fuit. Idem, delegatus ab Amalrico Fulcheri ſucceſſore cujus promotioni ſeſe oppoſuerant Herneſius Cæſarienſis archiepiſcopus & Radulphus Bethleemitanus antiſtes, Romam iterum venit, & pro eo pallium ab Adriano IV. impetravit. Ad eccleſiam Tyrenſem tranſiit anno 1163. menſe Martio, ut ſupra inter archiepiſcopos Tyrenſes, *col. 1313.* D. dictum eſt. Hæc omnia refert Willelmus Tyrius, *lib. 17. cap. 21. lib. 18. capp. 1. 6. & 20.* & *lib. 20. cap. 1.*

IV. WILLELMUS I.

Fredericum in Aconenſi ſede excepit

A *Willelmus* Tyrenſis eccleſiæ archidiaconus, cujus archidiaconatus Willelmo Tyrio belli ſacri ſcriptori collatus eſt, ipſo teſte, *lib. 20. cap. 1.* Willelmus ille Aconenſis epiſcopus anno 1167. miſſus eſt cum Herneſio Cæſarienſi archiepiſcopo in Occidentem ad principes, auxilium Terræ-Sanctæ petituri, *ibid. c. 13.* Octavo autem anno regni Amalrici, adeoque an. 1169. quum is regnare cœpiſſet anno 1162. menſe Febr. «Willelmus Aconenſis epiſcopus, inquit laudatus Willelmus « Tyrius, *ibid. c. 27.* ab urbe Conſtantinopo- «
B litana (quo perrexerat) à D. rege in Italiam « directus, peragratis ejus partibus, & omni « via ad obtinendum quod petebat, prudenter « fideliterque prætentata, dum in redeundo ad « propria remenſo itinere ad dominum Imperatorem (Conſtantinopolitanum) ex condicto « rediturus apud Adrianopolim ſecundæ Thraciæ claram metropolim perveniſſet, caſu ſiniſtro mortem immeritus ſubiit inauditam. « Nam dum hora meridiana longo fatigatus « itinere poſt ſumptum cibum membra ſopori «
C conceſſiſſet, quidam Robertus de comitatu « ejus, quem ipſe ad ſacerdotium provexerat, « & inter familiares receperat, in eodem in quo « dominus epiſcopus conclavi jacens, jam de « longa ægritudine qua plurimum laboraverat « convaleſcens, furia invectus, dominum epiſcopum dormientem, arrepto gladio pluribus inflictis vulneribus, lethaliter confodit. « Quem quum ſui, qui exterius erant, clamantem audirent.... oſtio ab intus firmiter « obſerato, ingredi non potuerunt. Tandem «
D effracto violenter oſtio, dominum ſemianimem, & adhuc circa præcordia modicum « ſpiritus habentem, repererunt. Volentes igitur prædictum maleficum vinculis mancipare..... voce & manu prohibuit, orans & « petens ut pro remedio animæ ſuæ ei plenior « fieret indulgentia, nec ad mortem ei præſens « factum imputaretur poſtulans enixius, ultimum Domino tradidit ſpiritum III. kal. Jul. « (id eſt die 29. Jun.) &c.» Id non contigiſſe niſi anno 1171. aut 1172. colligendum

Digitized by Google

ECCLESIA ACONIS. videtur ex inſtrumento quo conceſſit Willelmus ille Stephano abbati Cluniacenſi anno 1170. ut conſtrueretur in ſua diœceſi cœnobium hujus Ordinis. Extat inſtrumentum illud in libro dicto *Bibliotheca Cluniacenſis, edit. Pariſ. 1614. col. 1432.* B. & ſic habet: *Privilegium Willelmi Aconenſis epiſcopi de conſtruendo in parochia ſua monaſterio. Willelmus Dei gratia Aconenſis eccleſiæ Latinorum epiſcopus quartus, Stephano Cluniacenſis eccleſiæ R. abbati,* &c. *Factum eſt hoc in Aconenſi civitate anno ab Incarnat. Dom. 1170. Indict. III. in præſentia domni Patriarchæ Amalrici, & domni regis Amalrici,* (de) *conſenſu capituli Aconenſis eccleſiæ. Interfuerunt autem ibi viri venerabiles C.* (E. ſcilicet Erneſius) *Cæſarienſis, L. Nazarenus archiepiſcopi. R. quoque Bethleemita, B. Lyddenſis, R. Tiberiadenſis, R. Ebronenſis epiſcopi: & plures alii religioſi viri.*

V. Joscius *ſive* Jocius & Joricus.

Joſcius iſte, qui his variis nominibus reperitur ſcriptus, ut jam de eo obſervatum eſt inter archiepiſcopos Tyrenſes, *col. 1316.* A. Willelmo in ſede Aconenſi ſucceſſit. « Eodem anno, inquit Willelmus Tyrius, *lib. 20. cap. 27.* quidam *Joſcius*, ejuſdem eccleſiæ canonicus, & ſubdiaconus, IX. kal. Decemb. (id eſt die 23. Novemb.) in eadem eccleſia ſubſtitutus eſt. » Is anno 1179. adfuit concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. Papa, ejuſque Actis ſubſcripſit. *Spicileg. tom. 12. pag. 643. Jocius Aconenſis epiſcopus.* Ad eccleſiam Tyrenſem tranſiit poſt mortem Willelmi belli ſacri ſcriptoris.

VI. Rufinus.

Joſcio ad Tyrenſem eccleſiam poſt annum 1183. tranſlato, ejus ſedem Aconenſem obtinuit probabiliter *Rufinus* ille, quem periiſſe anno 1187. narrat Radulphus Anglus cœnobii Coggeshalenſis abbas in chronico Anglicano, *tom. 5. veter. Script. & Monum. ampliſſ. collect. col. 812.* A. « Hoc anno, &c. » Tandem Tekedinus nepos Salahadini Guidonem regem Jeruſalem fugam arripientem cepit cum cruce Dominici ligni, *interfecto Rufino epiſcopo de Achon, qui eam contra conſuetudinem loricatus portavit;* & hoc Dei judicio, qui magis in armis terrenis, quam cæleſtibus confidentiam habuit. »

VII. * * *

Anno 1190. in Chriſtianorum caſtris Aconem obſidentium deceſſit *novus epiſcopus de Acon*, ex Rogero de Hoveden, *hiſt. part. poſter. p. 685. lin. 28. edit. Francof. 1601.*

VIII. * * *

Idem Rogerus, *ibid. pag. 827. lin. 27.* alterius *epiſcopi Aconenſis* meminit, qui anno 1200. *navi confracta in maritima Tripolis ante Byblium*, ipſe *& plures viri honeſtiſſimi ſub aquis perierunt.* Is probabiliter fuit *epiſcopus* ille *Aconenſis*, ad quem diriguntur epiſtola 440. lib. I. Innocentii III. data IV. Nonas (id eſt die 2.) Decembris anno, ut videtur, 1198. *tom. 1. edit. Baluz. pag. 261. col. 2.* & epiſtola 517. ejuſdem libri I. data die 23. Decemb. *ibid. pag. 297. col. 1.* Item epiſtola 257. lib. II. data die 15. Decemb. an. 1199. *ibid. pag. 509. col. 1.* & *pag. 599. col. 2.*

IX. Joannes II.

Ad annum 1202. memoratur in chronico Alberici *edit. Lipſiæ 1698. part. 2. pag. 426.* quidam *Joannes epiſcopus Aconenſis electus.* « Adjuncti ſunt, inquit, (principibus ad expeditionem Conſtantinopolitanam pergentibus) epiſcopus *Joannes Aconenſis electus*, &c. » Idem nondum adhuc conſecratus, unus fuit ex 12. qui Balduinum I. poſt captam Conſtantinopolim in Imperatorem elegerunt anno 1204. *ibid.* ad eum annum, *pag. 437.* « Duodecim electores de communi aſſenſu ſunt conſtituti, ſcilicet, &c *Magiſter Joannes Aconenſis electus*, &c. »

X. Tedaldus.

Ughellus, *to. 4. Ital. ſac. vet. edit. col. 1097.* D. obſervat tempore Petri I. Bethleemitani epiſcopi (de quo nos ſupra, *col. 1280.* C. D.) ſediſſe Tedaldum Aconenſem epiſcopum. « Ejuſdem Petri, inquit, mentio habetur anno 1205. menſe Septembri, & ſequenti anno. *Acconenſis eccleſiæ epiſcopus tunc erat Tedaldus* ſucceſſor Jorſii (non tamen immediatus) in concilio Lateranenſi anno 1179. noti, inde Tyrenſis archiepiſcopi Guillelmi belli ſacri ſcriptoris ſucceſſoris. Tedaldus ſucceſſorem excepit Gualterum. »

XI. Gualterus.

Anno 1212. Acconenſis præſul erat *Gualterus*, ut patet ex inſtrumento Alberti Patriarchæ Hieroſolymorum, & Gualteri Acconenſis epiſcopi, circa negotia quædam inter Januenſes & Piſanos confecto, apud laudatum Ughellum, *ibid. col. 1099.* A. Titulus eſt: *Albertus, Dei gratia Patriarcha Hieroſolymitanus, Gualterus epiſcopus Acconenſis, & Andreas Vicecomes Venetorum.* Finis: *Datum Accone in palatio epiſcopali, anno Incarnationis Dom. 1212. II. idus* (id eſt die 12.) *April. Indict. XV. ibid. col. 1100.* C. Idem probabiliter fuit, ad quem & ad Sidonienſem epiſcopum

Digitized by Google

dirigitur epiſtola 164. lib. xv. Innocentii III. A data Later. iv. kal. Octob anno xv. (id eſt die 28. Septemb. eodem anno 1212.)

XII. Jacobus.

XIII. Joannes III.

XIV Rodulphus.

Jacobus de Vitriaco, qui celebris extitit multorum operum ſcriptor, è vico Argentolio prope Lutetiam Pariſiorum ortus eſt, cujus municipii preſbyter quoque fuit: in cœnobio deinde S. Nicolai ad Sabium fluvium Brabantiæ, diœceſis Namurcenſis, olim Leodienſis, canonicorum regularium ſuſcepit inſtitutum. Crucem adverſus Albigenſes anno 1212. & ſequentibus incredibili zelo prædicavit. Anno 1216. epiſcopus Aconenſis electus eſt, ex chronico Alberici ad eum annum, *part. 2. pag. 494.* Sic enim ibi legitur: *Magiſter Jacobus de Vitriaco religioſus prædicator factus eſt in partibus tranſmarinis Aconenſis epiſcopus; ſive Ptolemaïdis dicatur, ſive Acon, ipſa eſt quæ Acra nunc vocatur.* In Orientem profectus Chriſtianis Terræ-Sanctæ maximo C fuit adjumento: adſtitit colloquio Joannis regis Hieroſolymorum cum Ægypti Soldano de Damiata Saracenis reddenda anno 1221. ipſeque cum eodem rege obſides apud Infideles manſere, donec iis reſtitueretur urbs illa, ex continuatore Gallo hiſtoriæ Willelmi Tyrii, *tom. 5. vet. Script. & Monum. ampliſſ. collect. coll. 693.* E. *&* *694.* D. *nn. 83. & 84.* In Occidentem poſtea venit; certe Rhemis aderat initio anni 1227. ex laudato Alberici chronico ad eum annum, *pag. 522.* ubi ſubditur, *pag. 523.* eum *Romam abiiſſe cum* D *feſtinatione evocatum à ſummo Pontifice* (Gregorio IX.) *& paulo poſt mare tranſiviſſe.*

Idem auctor ad annum 1229. *pag. 530.* hæc habet de Jacobo & duobus ejus ſucceſſoribus: « Magiſter Jacobus, dimiſſo epiſcopatu ſuo (Aconenſi) in partes Leodii reverſus, & inde Romam à Papa accerſitus, fit Cardinalis epiſcopus Tuſculanus. » (Ughellus, *tom. 1. vet. edit. col. 268. num. 17.* D. id contigiſſe aſſerit anno 1228.) Anno autem 1239. aut 1240. idem Jacobus de Vitriaco in Patriarcham Hieroſolymorum electus fuit, E ſed eum confirmare noluit Gregorius IX. ut ſupra obſervatum eſt inter Patriarchas Hieroſolymitanos, *col. 1236.* E. Obiit (Jacobus) ex laudato Alberici chronico ad annum 1240. *pag. 575. Romæ, kal.* (id eſt die 1.) *Maii: ejus vero oſſa poſt aliquantulum temporis tranſlata ſunt apud Oignies Leodienſis diœceſis, & ibi honorifice tumulata.* Ughellus tamen loco citato eum deceſſiſſe ſcribit anno 1244. die 30. Aprilis.

Idem Albericus ad annum 1229. *p. 530.* hæc de duobus Jacobi in eccleſia Aconenſi ſucceſſoribus habet: « Poſt quem fuit Romæ conſecratus in epiſcopum Aconenſem Magiſter *Joannes de Pruvino*, decanus Pariſienſis, qui mare tranſivit, & infra biennium obiit: & ita poſt ipſum electus eſt Magiſter *Rodulphus Tornacenſis.* » Migravit itaque ex hac vita Joannes de Pruvino anno 1230. aut 1231. nec quicquam aliud de eo ſcimus.

Quod ad *Rodulphum* attinet, is utique fuit *epiſcopus* ille *Aconenſis*, ad quem ſcripſit B Gregorius IX. anno 1236. pro ſedanda diſcordia inter Aconenſes cives & Fredericum Imperatorem, teſte Raynaldo ad eum annum, *num. 25.* Videtur etiam fuiſſe *R. Aconitidis*, qui initio epiſtolæ Prælatorum & Baronum Terræ-Sanctæ ad Theobaldum regem Navarræ, &c. datæ Acone die 6. Octobris anno circiter 1239. legitur, *tom. 1. Theſ. novi Anecdotor. col. 1012.* C. D. Item *R. epiſcopus Aconenſis*, qui præfixus extat epiſtolæ Roberti Patriarchæ Hieroſolymorum, datæ Acone die 25. Novemb. anno 1244. apud Matth. Paris ad eum annum, *p. 427. col. 1.* D.

Porro dum Aconenſi eccleſiæ præerat Rodulphus iſte, ſepultus eſt in templo FF. Præd. hujus civitatis, venerabilis *Fr. Jordanus*, ejuſdem Ordinis primus poſt S. Dominicum generalis Magiſter, cujus vitam ſanctitate & miraculis claram legere eſt *tom. 2. Februar. Actor. SS.* doctiſſ. Bolland. à *pag. 720.* ad *pag. 739.* Hæc autem de ejus obitu & ſepultura ſcripſit Cornelius Zanfliet, monachus Benedictinus S. Jacobi Leodienſis, in ſuo chronico ab anno 1230. ad annum 1461. *tom. V. vet. Script. & Monum. ampliſſ. collect. edit. Pariſ. 1729. col. 71.* A. B. « Eodem anno (1236. ſtylo veteri, fuit 1237.) idibus (id eſt die 13.) Februarii, Magiſter Jordanus paſtor totius Ordinis FF. Prædic. obiit in mari. Dum enim in Terram-Sanctam ad viſitandum fratres & loca ſancta pergeret, inundante maris ſævitia galeam in qua fuerat cum duobus fratribus & 90. perſonis ad littus perpellente, Pater cum illis ſubmerſus eſt: quumque corpora jacerent inhumata, luminaria de cœlis ſuper illos effulſerunt, ſed & cruces multæ ſuper illos à multis viſæ ſunt: ad quod miraculum incolæ loci confluentes, tanti odoris fragrantiam hauſerunt, ut uſque ad decem dies odor ille ſuaviſſimus à manibus eorum qui ſepelierunt eoſdem, non recederet, ſed per ſepulturæ circuitum ſuavitas ejuſdem odoris latius emanabat. Verum fratres de Accon cum barka venerunt, & illos in eccleſiam ſuam tranſtulerunt, ubi etiam dictus Pater miraculis coruſcat infinitis. »

Digitized by Google

Addit Stephanus de Luſiniano, Cyprius, Ord. Præd. in hiſtoria generali Cypri, *c. 19.* anno 1572. exarata, & Gallicè verſa, ipſomet curante, anno 1578. *edit. Par. 1604. p. 90.* ſepulcrum Jordani adhuc ſua ætate eſſe in veneratione ſingulari, etiam apud Saracenos: non quidem quod ibi orationes fundant; ſed quod, deſtructa jamdudum eccleſia cum cœnobio FF. Prædicat. ei tegumentum impoſuerint, quo innoteſcat eſſe ibi quid ſacrum. « Le conuent ou monaſtere principal de la » prouince de la Terre-Sainte entre les FF. » Prêcheurs, dit-il, eſt celuy de S. Jean d'Acre » ou de Ptolomaide, auquel S. Jordan eſt enſe- » ueli auec ſes deux Freres, qui fut le premier » General de l'Ordre apres S. Dominique, deſ- » quels encore pour lejourd'huy les Sarazins » honorent le ſepulcre, jaçoit qu'ils n'y faſſent » aucunes prieres, le gardant par grande ſingu- » larité. Et combien que ce monaſtere ait eſté » deſtruit par eux, comme beaucoup d'autres, » toutefois il y a au coing de l'Egliſe un petit lieu couuert, ſous lequel eſt mis ce ſepulcre. »

XV. Gualterus II.

XVI. Florentius.

XVII. Guillelmus II.

Rodulpho veriſimiliter ſucceſſit in ſede Aconenſi *Gualterus,* quem continuator Gallus hiſtoriæ Willelmi Tyrenſis, *lib. 26. n. 3. tom. 5. vet. Script. & Monum ampliſſ. collect. col. 735.* B. obiiſſe aſſerit anno 1253. *Gautier l'Eueſque d'Acre.* Hunc vero excepiſſe videtur *Florentius,* qui Romæ conſecratus epiſcopus Aconenſis, eò appulit anno 1256. ex eodem auctore, *ibid.* E. *A. MCCLVI.... apres le jor de S. Johan vint en Acre Maiſtre Florent Eueſque d'Acre ſacré a Rome.* Is tranſlatus eſt ad Arelatenſem eccleſiam ab Urbano IV. anno 1263. ubi obiit an. 1266. die 30. Maii, ex necrologio S. Andreæ Avenionenſis. Ipſi autem eodem anno 1263. in ſede Aconenſi, cujus etiam tunc adminiſtratio unita fuit patriarchatui Hieroſolymitano,

A ſubrogatus eſt *Guillelmus* eccleſiæ Aginnenſis in Gallia epiſcopus, de quo vide ſupra inter Patriarchas Hieroſolymorum, *col. 1260.* A.

Urbs Acon exinde uſque ad annum 1291. quo Chriſtianis erepta eſt à Saracenis, Patriarcharum ac regum Hieroſolymorum ſedes fuit, cui præfuere antiſtites qui ſequuntur, videlicet, XVIII. Thomas. XIX. Elias. XX. Nicolaus I. XXI. Nicolaus II. XXII. Gualterinus. XXIII. Ludovicus. XXIV. Rodericus.

B De *Thoma Agni de Lentino, Elia, & Nicolao de Hanapis* Patriarchis Hieroſolymorum, ſimulque *Aconenſibus epiſcopis,* quorum primus & tertius fuerunt Ordinis Prædic. jam dictum eſt, *coll. 1261.* B. *1262.* E. & *1263.* A.

Nicolaus alter, cognomento *de Arluno,* Ordinis Carmelitarum, epiſcopus Acconenſis renuntiatus eſt circa annum 1367. & obiit anno 1392. Ita Daniel à V. M. *tom. 2. Spec. Carmel. part. 5. lib. 3. pag. 945. num. 3323.* qui etiam obſervat, *ibid.* eum in nonnullis C inſtrumentis dici epiſcopum *Azotenſem.*

Waddingus, *tom. 4. annal. Min.* ad annum 1392. *num. 16. pag. 298.* ſcribit eccleſiæ Acconenſi in Syria ſub archiepiſcopo Tyrenſi vacanti per obitum Nicolai (utique quem modo memoravimus) ſuffectum eſſe à Bonifacio IX. eo anno die 6. Novembris *F. Gualterinum de Sorrezana,* Minoritam.

Fontana *Theat. Domin. pag. 114. tit. 8. n. 2.* refert *Fr. Rodericum Alvarum,* Ordinis Præd. poſt obitum cujuſdam *Ludovici* Aconenſis epiſcopi, huic eccleſiæ præfectum eſſe D à Bonifacio IX. anno 1397. VIII. idus (id eſt die 6.) Januarii. Ejus quoque meminit R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pag. 466.* ad eum annum; ſed dicit eum promotum fuiſſe VIII. idus (id eſt die 6.) Junii. Et revera diploma pontificium quod protulit *p. 363.* datum eſt VIII. idus Junii.

A cæteris epiſcopis Aconenſibus recenſendis ſuperſedeo, quibus deinceps ſuæ ſedis adipiſcendæ ſpes omnis evanuerit.

V. ECCLESIA PANEADIS.

Paneas eſt *Cæſarea Philippi* in Trachonitide regione. Hanc urbem Philoſtorgius fuiſſe olim appellatam *Dan* exiſtimat; verum Dan à Paneade diſtinguit S. Hieronymus in locis Hebraicis. *Dan viculus eſt in quarto à Paneade milliario euntibus Tyrum; qui uſque hodie ſic vocatur, terminus Judææ provinciæ contra ſeptentrionem.* Quod Paneadem ſpectat: hanc quidem Herodes ſenior, *auctus à Cæſare* (Auguſto) *nova regione* (Trachonitide ſcilicet) verba ſunt Joſephi, *lib. 1. de bello Jud. cap. 17. etiam in illa ipſa templum ei* (Auguſto) *juxta Jordanis fontes poſuit. Panium ille locus nuncupatur* χαλεῖται δὲ Πάνιον ὁ τόπος. At filius ejus Philippus, hæres Trachonitidis factus, Paneadem oppidum condidit, ſive ampliavit ornavitque, & *Cæſaream* appellavit, quæ ex eo dicta eſt *Cæſarea Philippi. Philippus,* inquit laudatus Joſephus, *lib. 2. de bello Jud. cap. 13. juxta Jordanis fontes in Paneade* ἐν Πανιάδι

(regiuncula) *urbem condit Cæſaræam. Paneas* utique non hujus oppidi tantùm nomen fuit, ſed & *parvæ regionis,* ac etiam *fontis,* ut obſervat Plinius, *lib. 5. cap. 15.* ubi ait: « Jordanis amnis oritur *è fonte Paneade,* qui cognomen dedit Cæſareæ (Philippi.) » Et *c. 18.* « Intercurſant cinguntque has (Decapoleos) urbes tetrarchiæ, regionum inſtar ſingulæ, & in regna contribuuntur, Trachonitis, *Paneas in qua Cæſarea cum ſupradicto fonte.* » Mons quoque, ad cujus radices Cæſarea Philippi ſita erat, *Paneum* nuncupabatur, ex Euſebio, *lib. 7. hiſt. Eccl. cap. 17.* his verbis: « Apud Cæſaream Philippi, quam Phœnices *Paneada* » nominant Πανεάδα ad pedes *Panii montis* Πανεὶς ὄρους, fontes viſuntur, ex quibus profluit Jordanis. » Ita Cellarius, *tom. 2. geogr. antiq. lib. 3. c. 13. pp. 484. 619. & 620.* Scriptores belli ſacri Cæſaream iſtam tradunt *Paneadem* & *Belinam* ſuo tempore communius fuiſſe appellatam. Nunc exciſam jacere docet M. A. Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 204. col. 2.* & ante ipſius portas confluere fluviolos *Jor* & *Dan* fluvium Jordanem efficientes: ipſam vero extare inter Tyrum ad occaſum 40. milliar. & Damaſcum ad ortum paulo minus; demum diſtare Hieroſolymis 110. milliar. Vide *tom. 2.* hujus operis, *coll. 831. 832.* & *Palæſtinam illuſtratam* Hadriani Relandi *edit. Traject. Batav. 1714. tom. 2. pag. 918.*

EPISCOPI PANEADIS.

I. Adam.

Civitate Paneade capta à Fulcone Hieroſolymorum rege an. 1132. aut 1133. *Adam* ei præfectus eſt, cujus promotionem ſic deſcribit Willelmus Tyrius, *lib. 15. hiſt. c. XI.* « Noſtri vero civitate recepta, D. Patriarcha » (Willelmo) id procurante, dominoque Fulchero Tyrenſi archiepiſcopo, ad cujus juriſdictionem Paneadenſis eccleſia jure metropolitico certum erat pertinere id concedente » & electionem approbante, *dominum Adam,* » archidiaconum Acconenſem, in epiſcopum » ejuſdem loci eligunt, & curam fidelium illic » commorari volentium committunt ſpiritualem, &c. » Is anno 1147. ſolemni conventui Acone congregato pro ſanciendo modo bellum utiliter gerendi contra Saracenos, affuit cum aliis Palæſtinæ præſulibus, apud auctorem geſtorum Ludovici VII. regis Galliæ, *cap. 18. tom. 4. Script. hiſt. Francor.* Andreæ Ducheſne, *pag. 404.* A. & apud laudatum Willelmum Tyrium, *lib. 17. c. 1.*

II. Joannes I.

Anno 1169. ſedebat *Joannes Paneadenſis epiſcopus,* quem, teſte præfato Willelmo Tyr. *l. 20. c. 13.* Fredericus Tyrenſis archiepiſcopus miſſus eo anno in Occidentem ab Amalrico rege ſecum duxit. Verum epiſcopus ille *ſtatim apud Pariſios ultimum clauſit diem.*

III. J. *fortaſſis* Joannes II.

Joannis modo memorati ſucceſſor pro-
A babiliter fuit ille *J.* quem, vivente adhuc Amalrico rege qui obiit anno 1173. die XI. Jul. Ludovico VII. regi Francorum Amalricus Patriarcha Hieroſolymorum plurimum commendavit. Nam inter epiſtolas 28. à diverſis ſcriptas huic Galliæ regi, in libro cujus titulus *Geſta Dei per Francos,* à *col. 1172.* ad *col. 1185.* ſexta extat ab Amalrico Patriarcha præfato ad eum regem directa, in qua legitur, *col. 1172.* « Habemus autem in finibus pa-
B triarchatus noſtri in civitate Paneadenſi quæ « dicitur *Belinas,* eccleſiam quamdam, &c. « Noviſſime autem temporibus noſtris ſuſcitavit Deus ſpiritum ſervi ſui J. venerabilis « fratris noſtri in eadem civitate de novo ordinati & conſtituti epiſcopi, qui multo corporis labore, multa rerum ſuarum impenſa, « eamdem eccleſiam ad priſtinum ſtatum revocare cupiens, per varia pericula maris & « terræ tranſitum faciens, ad genua charitatis « veſtræ tandem elapſus eſt, ut calamitatem & «
C mendicitatem tantæ & tam reverendiſſimæ « eccleſiæ vobis inſinuet, &c. »

IV. * * *

Gregorius X. archiepiſcopo Nazareno, Bethleemitano & *Paneadenſi* epiſcopis, epiſtolam ſcripſit anno 1272. die 24. Octobris, ut de coronatione regis Cypri cognoſcerent, &c. Hanc Raynaldus refert, *tom. 14. annal.* ad eum annum, *num. 19.*

VI. ECCLESIA SAREPTÆ.

Sarepta, urbs Palæſtinæ Plinio, quæ *Sarepta Sidoniorum* Livio, & *Sarapta* Stephano, in ora maris Syriaci, & in confinio Phœnices, epiſcopalis ſub archiepiſcopo Tyrenſi in planitie, eſtque fere media inter Sidonem ad ſeptentrionem, & Tyrum ad meridiem, 10. milliaribus circiter utrinque diſtans, nunc diruta jacet *Tſarphand* nuncupata à Nubienſi Geographo, *Saraphendi* Giſtello, & *Sarphat* Zieglero. Hæc M. A. Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 202. col. 2. Sareptha* Σαρεπθὰ à Græcis interpretibus, *lib. 3. Reg. cap. 17. verſ. 9.* & à Joſepho, *lib. 8. Antiq. cap. 7.* appellatur, *Zarpath* vero ſive *Tſarphathah* in textu Hebræo.

Digitized by Google

ECCLESIA SAREPTÆ. In agro Sidoniorum ſita erat, hoſpitiumque olim fuit Eliæ Prophetæ apud pauperculam viduam, cujus filium ſuſcitavit à mortuis. Dicitur Græcè Σάρεπτα, *Luc. cap. 4. verſ. 26.* Ejus vinum celebrat Sidonius Apollinaris Carmine XVII.

Vina mihi non ſunt Gazetica, Chia, Falerna,
Quæque Sareptano palmite miſſa bibas.

Vide Hadrianum Relandum, *tom. 2. Palæſt. illuſtr. edit. Trajecti Batav. 1714. coll. 985. & 1057.* Cellarium, *tom. 2. geogr. antiq. lib. 3. cap. 13. pp. 451. & 452.* & Thomam de Pinedo in Stephanum Byzantium, *edit. Amſtelod. 1678. pag. 587. annot. 50. col. 2.* Urbs Sarepta in notitiis Græcis non memoratur; quod ſignum eſt hanc ad epiſcopalem ſub Tyro cathedram non fuiſſe evectam, niſi ſæculo XII. aut XIII. ſub Latinis. Willelmus Tyrius, *lib. 14. hiſt. cap 14.* eam fuiſſe teſtatur ditionis præſulis Sidonienſis: *Sidonienſis,* inquit, *detinebat, ſicut & nunc etiam detinet, Sareptanum* epiſcopatum. Aliquot tamen habuit Sarepta antiſtites proprios ritus Latini poſt hujus Willelmi tempora.

EPISCOPI SAREPTÆ.

I. Radulphus.

Radulphus epiſcopus erat *Sareptæ,* antequam evaderet Hieroſolymorum Patriarcha poſt Gualterum initio ſæculi XIII. Ejus enim meminit Albericus in chronico ad annum 1214. *part. 2. p. 475. edit. Lipſ. 1698. Cui* (Gualtero,) inquit, *ſucceſſor factus eſt Magiſter Radulphus qui erat in Sarepta Sidoniorum epiſcopus.* De eo vide ſupra inter Patriarchas Hieroſolymorum, *col. 1255.* D.

II. Bartholomæus.
III. Jacobus.

Thomas de Herrera, *tom. 1. Alphabeti Auguſtin. pag. 105. col. 2.* narrat *Fr. Bartholomæum de Dorbato,* Eremitam Auguſtinianum, à Bonifacio IX. anno 1390. die 24. Mart. eccleſiæ Sareptanæ eſſe præfectum. Is profecto *Bartholomæus* ille eſt, poſt cujus obitum eodem anno idem Pontifex *Fr. Jacobum de Ockembrocke,* Ordinis Prædic. renuntiavit epiſcopum Sareptanum, diplomate dato die 14. Novembris, quod exhibet R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pag. 314.*

A Waddingus quidem, *tom. 4. annalium* ad annum 1391. *num. 3. pag. 289.* ſcribit ad ſedem Sareptanam, vacantem per obitum *Bartholomæi,* evectum eſſe à Bonifacio IX. eo anno 1391. die 14. Septemb. *Fr. Jacobum de Octebrobre,* Minoritam, ſed non profert diploma pontificium: quare ii *Bartholomæus* & *Jacobus* non alii eſſe videntur à modo memoratis, quorum proinde poſterior Dominicanus fuit, non Franciſcanus; ejus autem promotio ad annum præcedentem 1390, pertinet, non ad annum 1391.

B

IV. Wenceslaus.
V. Nicolaus.

Brevi potitum ſede Sareptana oportet Jacobum iſtum, ſive ad aliam tranſierit, ſive cito deceſſerit: nam laudatus Waddingus, *ibid.* ad annum 1394. *num. 5. pag. 306.* ait Sareptenſem epiſcopum poſt mortem *Wenceſlai* creatum eſſe à præfato Bonifacio IX. eo anno die 17. Jul. *Fr. Nicolaum de Bezminz,* Ordinis Minorum.

Atque hæc de Patriarchatu Hieroſolymorum ſub præſulibus ritus Latini.

Monitum. Ad calcem *coll. 1139. 1140.* obſervatum eſt, *caſu omiſſum fuiſſe, col. 1070.* C. *inter præſules Sebaſtes in Armenia Fr. Paulum Franciſci, Ord. Min. cujus meminit Waddingus, tom. 5. annal. ad annum 1428. num. 3. pag. 197.* Porro deleri debet obſervatio hæc tota: quia reipſa *Paulum* illum recenſuimus, *col. 1072.* ubi de epiſcopis *Sebaſtopolitanis* Sebaſtes ſuffraganeis egimus, quibus, non vero Sebaſtenis, accenſendum ipſum conſtat ex diplomate Martini V. *Divina diſponente,* dato eo anno die 23. Jul. quod exhibet præfatus Waddingus, *ibid. in Reg. Pont. pag. 160.* Anſam autem erroris præbuerunt verba iſta ejuſdem Waddingi *pag. 197. ſupra laudata:* « Creati ſunt hoc anno (1428.) epiſcopi, Sevaſtopolitanus, ſeu *Sebaſteæ in Armenia,* ſub Patriarcha Conſtantinopolitano, *Fr. Paulus Franciſci,* &c. »

Diſſertationi ſupra poſitæ, *coll. 1231. 1232.* addendum reor, reliquias Lazari Citio Conſtantinopolim tranſlatas, eo probabilius fuiſſe *S. Lazari monachi Conſtantinopolitani,* quòd in Menologio Græcorum de ea tranſlatione legatur: *Relatio pretioſarum,* &c. Vox enim iſta *Relatio* evidenter ſupponit reliquias illas fuiſſe cujuſdam *Lazari,* qui Conſtantinopoli commoratus fuerat. Certe eodem modo in præfato Menologio, *tom. 2. vet. Lect.* Caniſii *pag. 735.* ad diem 27. Jan. de tranſlatione corporis S. Joannis Chryſoſtomi extat: *Relatio reliquiarum S. Joannis Chryſoſtomi,* &c.

Digitized by Google

APPENDIX
AD ORIENTEM CHRISTIANUM.

ECCLESIÆ ORIENTALIS TRACTUS, A LATINIS CONDITÆ *vel* ADMINISTRATÆ.

DUM res Chriſtianorum in Syria & Palæſtina ſæculo decimo tertio in dies peſſum irent, viri apoſtolici, inter quos plures extitere Ordinum Prædicatorum & Minorum alumni, in terras Infidelium per Orientem evangelium Chriſti invexerunt, novaſque condiderunt eccleſias, quas ſub beneplacito Romani Pontificis gubernabant. Honorius III. in epiſtola data anno 1225. die 7. Octob. apud Waddingum, *tom. 1. annal.* ad hunc annum, *pag. 338.* & R. P. Antoninum Bremond, *tom. 1. Bullar. Ord. Præd. pag. 16.* ad quoſdam ex utroque Ordine aſſumptos miſſionarios ita loquitur: *Vos in regnum Miramolinum ſedis apoſtolicæ tranſmittit auctoritas, ut evangelizantes illic Dominum J. C. quantum ipſe dederit, convertatis incredulos, erigatis lapſos, ſuſtentetis debiles, puſillanimes conſolemini, & fortes nihilominus confortetis,* &c. Refert idem R. P. Bremond, *ibid. pag. 58.* litteras Gregorii IX. *Dominicanis in terras Saracenorum & Paganorum proficiſcentibus,* &c. datas an. 1233. die 26. Jul. & *p. 73.* alias ejuſdem Pontificis, FF. Ord. Præd. *in terris Infidelium & Schiſmaticorum conſtitutis,* &c. datas anno 1235. die 15. Februar. item *pag. 136.* epiſtolam Innocentii IV. *Magiſtro* (præfati Ordinis Prædic.) *& Priori provinciæ Terræ-Sanctæ,* datam anno 1244. die 22. Martii, in qua legitur.... *quod fratres veſtri Ordinis, qui à vobis, vel altero veſtrum deputantur ad prædicandum Jacobitis, Neſtoritis, Georgianis, Græcis, Armenis, Maronitis, & Moſollinis,* &c. & *pag. 237.* aliam ejuſdem Innocentii, datam anno 1253. die 23. Julii *dilectis filiis de Ordine Præd. in terris Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Æthiopum, Syrorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zicocorum, Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Moſilicorum, Tartarorum, Hungarorum majoris Hungariæ, Chriſtianorum captivorum apud Tartaros, aliarumque infidelium nationum Orientis, ſeu quarumcumque aliarum partium proficiſcentibus,* &c. Ad illas omnes regiones miſſos eſſe & penetraſſe Dominicanos ſæculis XIII. XIV. & XV. ex earum ſimili enumeratione in litteris Clementis IV. Nicolai III. Nicolai IV. Joannis XXII. Gregorii XI. & Martini V. palam eſt *tom. 1. Bullar.* R. P. Bremond, *pp. 482. & 559.* & *to. 2. pp. 22. 136. 154. 184. 280. & 552.* Item ex Raynaldo, *to. 15.* ad annum 1318. *n. 7.*

Narrat idem Raynaldus, *tom. 13. annal.* ad annum 1253. *num. 48.* Innocentium IV. Odoni Cardinali epiſcopo Tuſculano ſedis apoſtolicæ legato, ad preces S. Ludovici regis Francorum, qui amplificandi chriſtiani nominis modos omnes ſtudioſiſſime inquirens, ſuos ea de cauſa oratores ad Tartaros direxerat, injunxiſſe, ut è Prædicatorum & Minorum Ordinibus religioſos viros pietate & doctrina præſtantes epiſcopos crearet, qui fidem chriſtianam inter Tartaros diſſeminarent. Pontificis litteras profert, *ibid. num. 49.*

His porro temporibus inſtitutas eſſe in utroque Ordine Præd. & Minor. miſſionariorum congregationes, dictas *Fratrum Peregrinantium propter Chriſtum,* tradit Jacobus Scrobiſſevius in ſuo opere *de epiſcopis Halicienſibus, cap. 9.* cujus hæc verba tranſcribit Waddingus, ad calcem *tom. 4. annal. Min.* in additionibus ad *to. 2. p. 17. n. 3.* « Conſtat Innocentium IV. poſteriori tempore, anno nimirum 1252. inſtituiſſe ſocietatem *Fratrum Peregrinantium propter Chriſtum* ex religioſis B. Dominici & S. Franciſci, cujus inſtitutum erat excurrere ad terras Infidelium & Schiſmaticorum, ad prædicandam & propagandam fidem Chriſti. Ea ſocietas, Domino cooperante, brevi ita crevit, ut non ſolum per Poloniam, Ruſſiam, Podoliam, Wolhiniam, Lithuaniam, Walachiam utramque; verum etiam per varias Orientis & Septentrionis Infidelium & Schiſmaticorum nationes proferens uberes religionis & fidei chriſtianæ fructus, dilatata & propugnata fuerit, &c. » Ad vicarium fratreſque hujus congregationis Ordinis Præd. data extat epiſtola Gregorii XI. anno 1375. die 28. Januarii, qua concedit ut in uſum illorum cedant conventus Chienſis, Caphenſis, Trapeſundenſis, & Peyræ in ſuburbio urbis Conſtantinopolis, quibus jam fuerant potiti; ſed in ditionem poſtea provinciæ Græciæ devenerant. Hanc exhibet laudatus R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pag. 287.*

Digitized by Google

ut & Waddingus pariter epiſtolam Bonifacii IX. vicario & fratribus Minoritis ſocietatis Peregrinantium anno 1399. datam die 6. Januar. *tom. 4.* ad eum annum, *num. 2. pag. 323.* In iis congregationibus Peregrinantium adfuiſſe archiepiſcopos & epiſcopos colligitur ex epiſtola Joannis XXII. Papæ, data anno 1329. die 1. Octobris, quam refert præfatus R. P. Bremond, *tom. 2. pag. 184.* in qua ait Pontifex: « Joannes XXII. ſervus, &c. vene-
» rabilibus FF. archiepiſcopis & epiſcopis, necnon dilectis filiis FF. Ordinis Præd. in terris
» Saracenorum, &c. Gratias agimus, &c. Liceat quoque vobis, fratres archiepiſcopi & epi-
» ſcopi Ordinis fratrum Præd. profeſſoribus, & ſucceſſoribus veſtris archiepiſcopis & epiſcopis qui erunt pro tempore in illis partibus ordinati, &c.» Similem citat epiſtolam anno 1318. 1. Maii, Waddingus ad calcem *tom. 4. pag. 18. num. 3.* Metropolitanos quidem harum regionum renuntiabant Romani Pontifices; at illis poteſtatem faciebant, ob diſtantiam locorum, ſubditos ſibi præſules ordinandi, & epiſcopales erigendi ſedes, ubi ſufficiens chriſtianæ plebis multitudo reperiretur. De iis itaque eccleſiis nonnihil dicendum duxi pro coronide totius hujus operis.

ECCLESIÆ TARTARIÆ & SINARUM.

DE Tartaria majori hæc tradit Michael Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 290. col. 1. edit. Pariſ. 1681.* « Pars eſt Aſiæ ampliſſima, magis ad boream extenſa, ubi aliàs Scythia
» intra & extra Imaum (montem maximum) & Serica regio, ſecundum recentiores. Dividitur
» à quibuſdam in quatuor partes, nempe in *Tartariam veram,* quæ ad ſeptentrionem & ad
» ortum extenditur, *Tartariam deſertam,* quæ ad occaſum, *Zagatayam,* quæ verſus Perſiam,
» & *Turcheſtaniam,* quæ ad meridiem verſus Indiam propriam. Alii autem, & melius, uti
» Arabes, dividunt Tartariam magnam in plures partes Europæis vix nomine notas: quarum
» præcipuæ ſunt *Thibetum* regnum, ubi forſan aliàs pars auſtralis Scythiæ extra Imaum; *Trans-*
» *Oxiana* ſive *Mauralnaharia, le Maurenaher, le Mawaralnahra,* ubi olim Jaxartæ & Sogdiana
» pro majori parte; *Olgaria* ſeu *Kalmuchi* populi, ubi forte aliàs Orgaſi populi Scythiæ intra
» Imaum; *Chazalgitæ,* ubi olim Sacæ populi Scythiæ intra Imaum; *Chaulachitæ,* ubi Alani
» Scythæ intra Imaum; *Mongalia, Mongal* ſeu *Moal,* & *Magog,* ubi forſan olim Hyperborei
» Scythæ; *Kaimachitarum* ſeu *Naimanorum* perampla regio, ubi aliàs pars ſeptentrionalis Scy-
» thiæ extra Imaum, & Sericæ regionis; *Tangutum* regnum, ubi pars meridionalis Sericæ
» regionis, ut credunt recentiores; *Niucanum* regnum ſeu *Tenduc,* ubi minor pars Sericæ
» auſtralis; & *Yupia* regio maxime in ortum extenſa, ut quidam exiſtimant: & de his omnibus
» pauca dici poſſunt, quum in his raræ ſint urbes. De his Abulfeda fuſius. Subeſt Tartaria
» plurimis regibus, ex quibus reges Niucani Sinarum imperium devaſtarunt (ſæculo proxime
» elapſo) & etiamnum occupant ex magna parte. Terminatur autem Tartaria magna à ſepten-
» trione mari Boreali ſeu Scythico, ab oriente mari Kaimachitarum, ab occidente Moſcovia,
» & à meridie Perſiæ, Indiæ, & Sinarum imperiis. Hujus urbes, ſecundum recentiores, ſunt
» *Aſmirea* ſive *Chacan Kaimach, Baghara, Camulum* ſive *Xamo, Caſgarium, Iſſedon* Scythica
» ſive *Carocotam, Iſſedon* Serica ſive *Suchur, Maracanda* ſive *Samarcand,* & *Ottorocora* ſive *Tuluphan.*» Earum regionum populis nomen *Tartarorum* ineſſe ait Raynaldus, *tom. 13. annal.* ad annum 1241. *num. 1.* ſive à fluvio hujus nominis, quo Scythiæ Aſiaticæ extrema pars ad Orientem longe ſubmota proluitur; ſive à *multitudine* quæ apud eos *Tartar* appellatur: immani enim armatorum numero vaſtiſſimas oras inundarunt.

Fontana in monumentis Dominicanis ad annum 1245. *pag. 52.* ſcribit ex Bzovio, *n. 13.* decretum eſſe in concilio I. Lugdunenſi mittendos fore ad Tartarorum Imperatorem fratres Prædicatores & Minores, ut gentes illas ad catholicam fidem perducerent: delectos autem ad hoc miniſterium ex Dominicanis fratres Anſelmum, Alexandrum, Simonem & Albertum, Andream quoque miſſum nunc patebit; & ex Minoritis Joannem, Benedictum, & duos alios. Dum S. Ludovicus rex Francorum in inſula Cypro degeret, ad eum venerunt Ercalthay magnarum apud Tartaros opum atque auctoritatis viri oratores cum litteris Perſico & Arabico idiomate exaratis; illas autem ab *Andrea religioſæ Præd. familiæ viro ex iis quos Pontifex* (Innocentius IV.) *ad Tartaros legarat,* inquit Raynaldus ad annum 1248. *num. 34. traductas in Latinum ſermonem ad reginam Blancham miſit.* Innocentius ipſe in epiſtola *regi & populo Tartarorum* data anno 1245. die 5. Mart. iis Fr. Laurentium de Portugallia & ſocios ejus Ordinis FF. Minor. hujus latores plurimum commendat, *ibid.* ad eum annum, *nn. 16. & 17.* Idem Raynaldus ad annum 1247. *num. 78.* refert hunc Papam religioſorum alios in ſeptentrionalem Tartariam miſiſſe, alios vero in Perſidem & Indias, partemque decerpit relationis fratris Simonis Ordinis Præd. quæ extat apud Vincentium Bellovacenſem, *lib. 31.*

Spec.

Digitized by Google

Spec. hiſtor. cap. 40. Aſſentitur doctiſſimus Aſſemanus, *tom. 3. Biblioth. Orient.* Clementino-Vatic. *part. 2. p. 132. edit. Rom. 1728.* ubi ait: *Ita in propaganda apud Neſtorianos Tartaros, Indos, Perſaſque, Minores cum Prædicatoribus laudabili æmulatione certabant: nec in Oriente duntaxat, ſed etiam in Aquilone ejus gentis converſionem pari ſtudio procurabant, ut teſtis eſt Joannes XXII. in ſuis epiſtolis ad Muſſaydam ſeu Boyſſethan Tartarorum Imperatorem, ad Abuſcanum filium Cotogani regis, ad Zopan Regilay regem, & ad Neophitos Aquilonares, Caphenſis archiepiſcopi ac Prædicatorum & Minorum opera ad chriſtianam fidem adductos.* His ergo vaſtiſſimis regionibus chriſtiana fide imbuendis ſummopere allaborarunt operarii evangelici à Romano Pontifice miſſi, qui & nonnullas ſedes vel inſtaurarunt vel erexerunt, quarum ex præcipuis fuit *Cambalienſis*, à Joanne de Monte-Corvino Ordinis Minorum gubernata.

I. ECCLESIA CAMBALIENSIS METROPOLIS.

CAMBALUM, quæ *Cambalu* Europæis, & *Chambalech* Arabibus dicitur, id eſt, urbs Domini, in Aſia eſt, & Cataiæ regionis caput, de qua ſcripſit Marcus-Paulus Venetus. Hanc eamdem eſſe cum Pekino urbe Sinarum regia exiſtimant eruditi, quam opinionem pluribus probant Nicolaus Trigautius in libro *de Chriſtiana expeditione apud Sinas*, Martinus Martinius *in generali Deſcriptione Sinarum*, Jacobus Gollius *in notis ad Alferganum* & *in Diſſertatione de Cambalu*, Thevenotius, & alii. Ita Mich. Anton. Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 214. col. 1.* qui addit, *tom. 2. pag. 87. col. 2. Pechinum, Peking*, id eſt, *Palatium regium ſeptentrionale*, urbem eſſe ampliſſimam, Pechinenſis provinciæ præcipuam, & totius imperii Sinarum caput ab anno 1404. quo ſedes regia eò tranſlata fuit è Nanquino ab Imperatore Taiſungo. Diſtat 100. milliar. in meridiem à celebri muro Sinenſi, & 70. à ſinu Gango in occaſum, eſtque in parte ſeptentrionali totius imperii ſub dominio Tartarorum. Hanc urbem etiam *Jons* appellari ex nomine familiæ *Yven*, unde erat Coblaïus hujus inſtaurator, obſervat doctiſſimus abbas Aſſemanus, *tom. 3. part. 2. Biblioth. Orient. pag. 513.*

EPISCOPI CAMBALIENSES.

I. JOANNES.

JOANNES de Monte-Corvino, ſic dictus quod ex uno duorum oppidorum hujus nominis, in Apulia Daunia ſcilicet, vel in Piceno prope Salernum oriundus ſit, Ordinem Minor. amplexus, maximam vitæ ſuæ partem conſumpſit in Oriente, functionibus apoſtolicis impigre vacans, quibus innumeros Infideles & Schiſmaticos eccleſiæ catholicæ aggregavit. Hunc anno 1272. miſit Michael Palæologus Imperator Græcorum ad Gregorium X. Papam, ut ipſi de adepto pontificatu gratularetur, apud Waddingum, *to. 2. annal.* ad hunc annum, *nn. 3. & 4. p. 351. & ſeqq.* Rediit in Orientem, unde venit denuo anno 1288. ad Nicolaum IV. cum litteris Argonis regis Tartarorum, quibus ſignificabatur Magnum Cham, ut appellant, optaſſe ut aliqui Latini chriſtianæ fidei magiſtri ad ſe venirent. Annuit libentiſſime Papa, eumdemque Joannem ac ſocios neceſſariis facultatibus munitos remiſit anno ſequenti 1289. in Orientem, ſcriptis litteris ad Cobilam Magnum Cham, Argonem regem, Caydonum principem, Iolum Piſanum nobilem & potentem ibi commorantem; item ad regem Armeniæ, & ad Mariam ſororem

A ejus, quas refert laudatus Waddingus ad annum 1289. *num. 2. & ſeqq. p. 546. & ſeqq.*

Idem Waddingus, *to. 3.* ad annum 1305. *nn. 10. & 11.* duas exhibet epiſtolas Joannis de Monte-Corvino eo anno ſcriptas, quarum quidem priori deeſt titulus, poſteriori vero finis. Iſtius titulus eſt: *Reverendo in Chriſto Patri Fratri N. N. Vicario generali Miniſtro Ordinis Fratrum Minorum, & Vicario fratrum* B *& Magiſtro Ordinis Prædicatorum, & Fratribus Ordinis utriuſque in provincia Perſarum manentibus*, &c. In earum prima hæc leguntur, non indigna ſcitu: « Ego frater Joannes de Monte-Corvino de Ordine FF. Minorum « receſſi de Thauriſio civitate Perſarum anno « Domini 1291. & intravi in Indiam, & fui « in contrada Indiæ ad eccleſiam S. Thomæ « Apoſtoli menſibus 13. & ibi baptizavi circa « centum perſonas in diverſis locis, & ſocius « C fuit meæ viæ Fr. Nicolaus de Piſtorio, de « Ordine FF. Prædic. qui mortuus eſt ibi, & « ſepultus in eadem eccleſia. Et ego ulterius « procedens perveni in Katag regnum Imperatoris Tartarorum, qui dicitur Magnus Cham, « ipſum vero cum litteris D. Papæ ad fidem « D. N. J. C. catholicam invitavi, qui tamen « nimis inveteratus eſt idololatria, ſed multa « beneficia præſtat Chriſtianis, & ego ſum «

ECCLESIA CAMBALIENSIS.

» apud eum jam ante duos annos. Neſtoriani
» quidam chriſtianitatis titulum præferentes,
» ſed à chriſtiana religione plurimum devian-
» tes, tantum invaluerunt in partibus iſtis, quod
» non permittant quempiam Chriſtianum alte-
» rius ritus habere quantumlibet parvum ora-
» torium, nec aliam, quam Neſtorianam pu-
» blicare doctrinam. Ad has ſiquidem terras
» nec aliquis Apoſtolus, nec Apoſtolorum diſ-
» cipulus pervenit, & ideo præfati Neſtoriani
» per ſe, & per alios pecunia corruptos, perſe-
» cutiones mihi graviſſimas intulerunt.... Ita
» perſæpe ad judicium fui tractus cum igno-
» minia mortis. Tandem per cujuſdam confeſ-
» ſionem, Deo diſponente, Imperator cognovit
» meam innocentiam & malitiam æmulorum,
» quos cum uxoribus & liberis exilio relegavit.
» Ego vero ſolus in hac peregrinatione fui ſine
» ſocio annis undecim, donec venit ad me frater
» Arnoldus Alemannus de provincia Coloniæ,
» nunc eſt annus ſecundus. Unam eccleſiam
» ædificavi in civitate Cambaliech, ubi eſt præ-
» cipua reſidentia Regis, quam ante ſex annos
» complevi, ubi etiam feci campanile, & ibi
» tres campanas poſui. Baptizavi etiam ibidem,
» ut exiſtimo, uſque hodie circa ſex millia per-
» ſonarum, & niſi fuiſſent ſupradictæ infama-
» tiones, baptizaſſem ultra triginta millia, &
» ſum frequenter in baptizando, &c. Quidam
» rex illius regionis Georgius de ſecta Neſto-
» rianorum, qui erat de genere illuſtri magni
» Regis, qui dictus fuit preſbyter Joannes de
» India, primo anno quo huc ego veni mihi
» adhæſit, & ad veritatem veræ fidei catholicæ
» per me converſus, minores Ordines ſuſcepit,
» mihique celebranti regiis veſtibus indutus
» miniſtravit. Sed quidam alii Neſtoriani ipſum
» de apoſtaſia accuſaverunt: tamen ipſe ma-
» gnam populi ſui partem ad veram fidem ca-
» tholicam adduxit, & eccleſiam pulchram ſe-
» cundum regiam magnificentiam conſtruxit,
» ad honorem Dei noſtri, ſanctæ Trinitatis &
» D. Papæ, vocans eam eccleſiam *Romanam*.
» Qui rex Georgius ante ſex annos migravit
» ad Dominum verus Chriſtianus, relicto filio
» hærede ferme in cunabulis, qui nunc eſt
» annorum novem. Fratres tamen ipſius regis
» Georgii, quum eſſent perfidi in erroribus
» Neſtorii, omnes quos ille converterat, poſt
» regis obitum ſubverterunt, ad ſchiſma priſti-
» num reducendo. Et quia fui ſolus, nec potui
» recedere ab Imperatore Cham, ire non potui
» ad illam eccleſiam, quæ diſtat ad 20. dietas:
» tamen ſi venerint aliqui boni coadjutores &
» cooperatores, ſpero in Deo quod totum po-
» terit reformari; nam adhuc habeo privile-
» gium prædicti regis Georgii defuncti, &c.
» Ego jam ſenui, & canus factus ſum potius
» laboribus & tribulationibus, quam ætate: ſum
A enim annorum 58. Didici competentem lin- «
guam & litteram Tartaricam.... & jam tranſ- «
tuli in linguam illam & litteram totum No- «
vum Teſtamentum & Pſalterium, &c. Data «
in civitate Cambaliech regni Catan, anno «
Domini 1305. die 8. menſis Januar.»

Porro quum tantus fructus evangelicæ prædicationis in Tartaria ad aures Clementis V. perveniſſet anno 1307. Joannem de Monte-Corvino Cambalienſem archiepiſcopum & metropolitam creavit eo anno, ſeptemque Minoritas ei adjunxit in epiſcopos ſuffraga- B neos, ſcilicet *Fr. Gerardum, Fr. Peregrinum, Fr. Andream de Peruſio, Fr. Nicolaum de Bantra* ſive *de Apulia,* Miniſtrum provinciæ S. Franciſci, *Fr. Petrum de Caſtello, Fr. Andrutium de Aſſiſio,* & *Fr. Guillelmum de Franchya* ſive *de Villalonga* aut *Villanova:* quorum tres primi ſucceſſive fuerunt epiſcopi eccleſiæ cathedralis erectæ in Cayton: tres qui ſequuntur mortui ſunt in ingreſſu Indiæ; poſtremus demum, vel in Orientem non perrexit, vel regreſſus eſt in Italiam, ubi ad eccleſiam Sagonenſem aſſumptus eſt anno C 1323. diplomate *Cum paſtoralis officii,* Joannis XXII. dato eo anno die 28. Februarii, apud Waddingum, *tom. 3. in Regeſto Pontif. p. 142.* Hæc omnia refert idem Waddingus ad annum 1307. *num. 6. & ſeqq. pag. 60. & ſeqq.* qui etiam ſubdit, *ibid.* ad annum 1311. *num. 3. pag. 125.* ab eodem Clemente eo anno datos alios tres Minoritas Joanni de Monte-Corvino in epiſcopos ſuffraganeos & laborum evangelicorum ſocios, ſcilicet *Fr. Thomam, Fr. Hieronymum,* & *Fr. Petrum de Florentia*: & diplomata pontificia refert, *ibid.* D *in Reg. Pont. pp. 42. & 44.* Id etiam narrat Raynaldus, *tom. 15.* ad annum 1311. *n. 74.* Obiit Joannes de Monte-Corvino anno circiter 1330. ut colligitur ex Cambalienſium Chriſtianorum epiſtola ad Benedictum XII. quam profert laudatus Waddingus ad annum 1338. *n. 3.* eo anno ſcriptam, in qua aiunt:
«Hoc autem ſanctitati veſtræ ſit notum,
quod longo tempore fuimus informati in «
fide catholica, & ſalubriter gubernati, & con- «
ſolati plurimum per legatum veſtrum fratrem «
Joannem, valentem, ſanctum, & ſufficien- «
E tem virum, qui tamen mortuus eſt ante octo «
annos, in quibus fuimus ſine gubernatore, & «
ſine ſpirituali conſolatione; licet audierimus «
quod providiſtis de alio legato, ille tamen «
nondum venit, &c.»

II. Nicolaus.

Joannes XXII. accepto obitus Joannis de Monte-Corvino nuncio anno 1333. *Fr. Nicolaum,* Minoritam, ſcientia & virtute ſpectatiſſimum, ipſi ſubſtituit, eique adjunxit

laborum ſocios viginti ſacerdotes & ſex laicos ejuſdem Ordinis, quos per varias litteras datas die 1. Octobris hujus anni, Magno Cham Tartarorum Imperatori, & reliquis illius gentis regibus ac principibus, Leoni regi Armenorum, & Jacobo Catholico eorumdem commendavit. Has legere eſt apud Waddingum ad eum annum, *n. 1. & ſeqq. p. 394. & ſeqq.* & apud Raynaldum, *to. 15.* ad eumdem annum, *num. 32. & ſeqq.*

Nicolaus tamen, neſcio qua de cauſa, ad ſuam Cambalienſem eccleſiam non videtur acceſſiſſe niſi anno 1338. quo de illius fauſta receptione Benedictus XII. Magno Cham gratias agit in epiſtola data die 15. Jun. apud laudatum Waddingum ad eum annum, *n. 7.* ait enim: « Venerabilem fratrem noſtrum *Nicolaum archiepiſcopum,* & dilectos filios fratres » Ord. Min. dudum ad partes illas per felicis » recordationis Joannem Papam XXII. præ» deceſſorem noſtrum tranſmiſſos recepiſti fa» vorabiliter & benigne, ad ipſos manum libe» ralem & munificam extendendo, & etiam » pro Dei reverentia concedendo licentiam » reparandi deſtructas eccleſias, & novas etiam » conſtruendi, & prædicandi libere audire vo» lentibus verbum Dei, ſuper quibus tuæ celſitudini gratiarum referimus actiones, &c. »

III. Cosmas.
IV. Guillelmus.

Obſervat doctiſſimus abbas Joſeph Simonius Aſſemanus Maronita, *tom. 3. Biblioth. Orient.* Clementino-Vatic. *part. 2. pp. 516. & 535.* binis Tartarorum in Sinarum regiones irruptionibus, imperium Sinenſe ad duplicem tranſiiſſe familiam Tartaricam: primam quidem *Yven* dictam, auctore Xi-çu Imperatore, ab an. 1280. uſque ad an. 1369. quo familia *Mim* Sinenſis, pulſis Tartaris, regnare cœpit; alteram vero *Cim* appellatam, autore *Cum-ti* ſeu *Tſon-ti* Tartarorum provinciæ Tenduch rege ab anno 1645. quo rurſus Tartari Sinarum terras occuparunt, & tenent uſque in præſentem diem. Addit autem, *p. 535.* in ea Tartarorum Imperatorum ejectione, quæ contigit anno 1369. fratres quoque Minores coactos ex urbe Cambalienſi & regno Chatajæ egredi; ita ut nullus Nicolai archiepiſcopi Cambalienſis aut epiſcoporum Caytonenſium ſucceſſor legatur. Ex quo inferendum *Coſmam & Guillelmum,* cæteroſque deinceps recenſendos, *Cambalienſes* titulo duntaxat tenus fuiſſe antiſtites, qui licet in Tartariam miſſi, ibi convertendis hæreticis, ſchiſmaticis & gentilibus incumberent, non tamen in urbe Cambalienſi reſidere poterant.

De *Coſma* & *Guillelmo* modo memoratis tradit Waddingus, *tom. 4. annal.* ad annum 1370. *num. 1. pag. 133.* vaſtiſſimæ gentis Tartarorum ſalutis procurandæ zelo ardentem Urbanum V. quum audiiſſet obiiſſe ferme omnes Minoritas à ſuis prædeceſſoribus in regiones illas delegatos, & multos ab eis ad veram fidem converſos paſtore carere per tranſlationem *Fr. Coſmæ* Ord. Min. ad eccleſiam Saraenſem, deſtinaſſe ad eos *Fr. Guillelmum Pratenſem,* ejuſdem Ordinis alumnum, ſacræ theologiæ magiſtrum Pariſienſem, quem eccleſiæ Cambalienſi præfecit, & vicarium inſtituit regionis Catayæ, multiſque privilegiis ornavit. Socios autem ei aſſignavit duodecim fratres Minoritas, & poſtea alios circiter ſexaginta. Dixerat Bzovius, *tom. 14. annal.* ad annum 1370. *num. 9.* his Minoritis aſſociatos etiam fuiſſe aliquot Dominicanos: id præfracte negat Waddingus, contendens ex litteris pontificiis, quas *ibid.* ipſe exhibet, conſtare ſolos Minoritas Guillelmo fuiſſe adjunctos. Verum in prima illarum epiſtolarum Urbani V. ipſi *Fr. Guillelmo archiepiſcopo Cambalienſi,* data Romæ eo anno die 31. Mart. legitur.... *ipſoſque ab omnibus tranſgreſſionibus regulæ ac conſtitutionum Ordinis Prædicatorum, ſicut poteſt Generalis Miniſter, abſolvere,* &c. Quæ verba profecto intelligi non poſſunt niſi de Dominicanis, quibus proinde, ut & Minoritis ſociis, Guillelmus ſuperior conſtitutus fuerit. De Guillelmo iſto, privilegiiſque ei conceſſis vide Raynaldum, *tom. 16.* ad annum 1270. *num. 9.*

V. Joseph.
VI. Dominicus.

Idem Waddingus, *to. 5.* ad annum 1403. *num. 5. pag. 3.* ſcribit eccleſiæ Cymbalienſi (Cambalienſi) vacanti per obitum *Joſephi,* præfectum eſſe *Fr. Dominicum,* Minoritam, à Bonifacio IX. eo anno die 9. Auguſti.

VII. Corradus.

Anno 1405. die 22. Decemb. Innocentius VII. Cambalienſem antiſtitem renuntiavit *Fr. Corradum,* Dominicanum, ut habetur in ejuſdem Innocentii Papæ *lib. Proviſ. Prælat.* teſte Fontana *Theat. Dom. p. 151. tit. 122. F. Corradus Scopper Ord. Præd. fit epiſcopus Cambalienſis ſive Simſalicenſis XI. kal. Januar.* Doctiſſimus P. Antoninus Bremond, *to. 2. Bullar. pag. 480.* ad annum 1405. obſervat pro *Simſalicenſi* rectius legendum *Sin-Sericenſem,* ex Sina Serica.

VIII. Jacobus.

Corrado fortaſſis in ſede ſive titulo eccleſiæ Cambalienſis ſucceſſit *Fr. Jacobus* Ord. Præd. quem Martinus V. ad eam dignitatem

ECCLESIA CAMBALIENSIS.

evexit anno 1427. die 12. Januarii. Hujus promotionis diploma refert R. P. Bremond, *ibid. pag. 706.* in quo adjudicat Pontifex illi præſuli eccleſiam parochialem S. Laurentii Caphæ, non excedentem decem florenos aureos, *per ipſum unà cum eccleſia Gambalien.* (Cambalienſi) *quæ inter Infideles & Tartaros conſiſtit*, &c. *tenendam, regendam, & etiam gubernandam*, &c.

IX. LEONARDUS.
X. BARTHOLOMÆUS I.

Leonardo Cambalienſi archiepiſcopo defuncto ſuffectus eſt anno 1448. die 15. April. à Nicolao V. *Fr. Bartholomæus de Caponibus*, Ordinis Min. Ita Waddingus, *tom. 5.* ad eum annum, *num. 21. p. 546.* qui diploma pontificium profert, *ibid. in Regeſto pag. 365.*

XI. BERNARDUS.
XII. JOANNES II.

Idem Waddingus, *to. 6.* ad annum 1456. *num. 243. pag. 356.* ſcribit ad archiepiſcopatum Cymbalienſem (Cambalienſem) in Tartaria, poſt obitum *Bernardi*, promotum eſſe à Calliſto III. Papa eo anno die 1. Mart. *Fr. Joannem Pelletz*, Minoritam, qui etiam A die 14. ejuſdem menſis datus eſt ſuffraganeus Jacobo de Roſembergh electo Wratiſlavienſi epiſcopo.

XIII. BARTHOLOMÆUS II.
XIV. ALEXANDER.

Ex laudato Waddingo, *ibid.* ad annum 1462. *num. 81. pag. 550.* Pius II. eccleſiæ Cambalienſi archiepiſcopali in Tartaria, poſt B obitum *Bartholomæi Caponis de Pera*, præfecit eo anno die 1. Decemb. *Fr. Alexandrum de Caffa*, Minoritam, quem commendatum voluit protectoribus..... S. Georgii urbis Januenſis. Is eſt probabiliter frater ille *Alexander de Capha*, quem idem Waddingus, *tom. 7.* ad annum 1485. *num. 14. pag. 190.* aſſerit, exactis 7. annis duræ ſervitutis apud Turcas, à quibus captus fuerat in direptione C urbis Caphenſis, ineunte hoc anno liberatum, conſecraſſe eodem anno eccleſiam Minorum urbis Collis in Etruria, ut in ejus fronte inciſum ære fertur his verbis: *Reverendiſſimus in Chriſto D. Alexander* (de) *Capha, Ord. Min. & epiſcopus Cymbalienſis, hoc templum conſecravit anno 1485. die 2. Jul. Prima die à 1. veſp. uſque ad 2. ſequentis diei, omnibus illud viſitantibus 40. dierum indulgentias conceſſit.*

Appendix ad Eccleſiam recentiorem Sinarum.

DOCTISSIMUS abbas Joſeph Simonius Aſſemanus Maronita, *tom. 3. Biblioth. Orient.* Clementino-Vatican. *part. 2. pag. 535. edit. Rom. 1728.* ſcribit, bellis Tartaros inter ac Sinenſes ingruentibus anno 1369. Tartaros & unà cum illis fratres Minores è Sina recedere coactos eſſe: tunc vero non Latinos ſolum, ſed ipſos etiam Neſtorianos, qui plurimum apud Imperatores Tartaros valuerant, à Sinenſibus Idololatris vexatos, vel aliò migraviſſe, vel ibi delituiſſe, & paulatim ex paſtorum defectu chriſtianam religionem fere exuiſſe; ita ut, teſte clariſſimo & de republica litteraria optime merito Renaudotio *in relationibus antiquis Indiarum & Sinarum, pag. 270.* « Quum Luſitani, Fernando Perez de Andrada Duce, qui » primus ad urbem Cantonienſem appulit, in Sinam anno 1517. veniſſent, nullum ibi chriſ» tianiſmi veſtigium deprehenderint: & primi quoque ejuſdem nationis præcones evangelici, » ſimulque Hiſpani qui ex inſulis Philippinis eò ſe contulerant, non alios ubique præter idolo» latras invenerint. Cruces (autem) nonnullæ, & alia quædam ſigna, quæ poſtea reperta ſunt, » quum inſcriptionibus & epocha carerent, lucem huic rei nullam afferre potuerunt uſque ad annum 1625. quo inſcriptio (quædam).... patefacta eſt, &c.» Hanc inſcriptionem Latinè verſam refert præfatus Aſſemanus, *ibid. pp. 482. & 538. & ſeqq.* de qua, *tom. 2. pag. 255. in annot. 2.* ad calcem paginæ, ſic ipſe loquitur: «Epiſcopos ac preſbyteros à Neſtoriano » Chaldæorum Patriarcha in vaſtiſſimas Indiarum Sinarumque regiones, diſſeminandi evan» gelii cauſa, jam ab octavo Chriſti ſæculo allegatos fuiſſe, liquet ex monumento lapideo » eruto in provinciæ Xenſi metropoli anno 1625. cujus exemplar Sinicè & Syriacè impreſſum » in folio volubili extat in noſtra bibliotheca Vaticana inter libros Sinicos à P. Couplet Soc. » Jeſu Innocentio XI. Pont. Max. dono oblatos: ubi inter verba Sinico charactere impreſſa, » quibus nomina 70. evangelii præconum (non *ex Palæſtina*, ut Latinus interpres in titulo » perperam adnotavit, ſed *ex Aſſyria* ſeu *Chaldæa* in Sinarum regnum miſſorum) recenſentur.... *Anno Græcorum 1092.* (Chriſti 781. *Mar Jagedhuzid*, &c.»

Idem Aſſemanus, *tom. 3. laudato, pag. 521. num. 8.* ait ex eo monumento Syro-Sinico pleroſque ſcriptores colligere fidem Chriſti in Sinas invectam anno 636. non ab orthodoxis evangelii præconibus, ſed à Neſtorianis, Jeſuabo Gadalenſi eorum patriarchatum gerente: ante illum vero annum nullam reperiri chriſtianæ religionis in Sinarum regno memoriam,

Digitized by Google

documentum nullum. Porro ab anno 1369. Europæis hominibus aditu illius regionis intercluſo, pergit Aſſemanus, *pag. 537.* «expeditionem Sinicam.... anno 1517. Luſitani inſtaurarunt, &c. (Poſtea) Matthæus Ricius (Soc. Jeſu) aliique circa annum 1600. illuc penetrarunt. (Atque hinc quando) Trigautius aliique communiter affirmant primos evangelii prædicatores anno Chriſti 1552. vel 1600. è Societate Jeſu in Sinam penetraſſe, id de inſtaurata ab iis antiqua miſſione intelligendum eſt.» Hæc, inquam, Aſſemanus.

Non quidem inficias iverim *S. Franciſcum Xaverium* Societatis Jeſu maximo evangelium prædicandi apud Sinas æſtuaſſe voto, quod morte præventus in Sanciano inſula die 2. Decemb. anni 1552. exequi non potuit: exinde autem ejuſdem Societatis viros *RR. PP. Michaelem Rugerium* & *Matthæum Ricium* ad Sinarum regnum appuliſſe anno 1582. At veritatis candor obſtat ne taceam duobus iſtis præconibus præiviſſe *Fr. Gaſpardum à Cruce*, Luſitanum, Ordinis Præd. qui quum anno 1548. menſe Martio Goam perveniſſet cum undecim Dominicanis, ibique conventum ſui Ordinis erexiſſet, in Camboiæ regnum ſe contulit, deinde Sinam ingreſſus eſt anno 1556. multaque ab iis Infidelibus, quibus fidem Chriſti annuntiabat, pertulit mala: id quippe ipſemet narrat in relatione ſua, quam ſub titulo *Tradado em que ſe contam muito por eſtenſo as coſas ol a China com ſus particularidados e aſſi do Reyno de Ormus,* regi Sebaſtiano dicavit, editam Eboræ anno 1569. *in-4.°* teſte Antonio Hiſpalenſi *in Biblioth. Hiſpana, tom. 1. pag. 401. col. 1. edit. Rom. 1672.* Obſervat etiam R. P. Echard. *tom. 2. Script. pag. 210. col. 2.* ex Dominico Navarrette, *tom. 2. tract. 8. cap. 1. FF. Martinum de Rada* & *Hieronymum Marin,* Eremitas Auguſtinianos, in Sinam acceſſiſſe anno 1575. adeoque ante annum 1582.

Porro his poſterioribus ſæculis nonnulli epiſcopi quibuſdam urbibus aut provinciis Sinenſis regni præpoſiti ſub nomine vicariorum apoſtolicorum occurrunt, inter quos recenſeri poſſunt qui ſequuntur.

EPISCOPI SINENSES RECENTIORES.

I. Jacobus.
II. Ignatius.
III. Gregorius.
IV. Franciscus I. *electus.*
V. Ciceri.
VI. Antonius.
VII. Emanuel.
VIII. Franciscus II.
IX. Petrus.
X. Polycarpus.

R. P. Bremond, *tom. 3. Bullar. pag. 648.* ad annum 1483. refert diploma Sixti IV. quo ſedi *Xouſienſi* (fortaſſis *Xuntienſi*) certo modo vacanti præficitur eo anno die 31. Januarii *Fr. Jacobus de Grangia,* Ordinis Præd. Diſcimus autem ex M. A. Baudrand, *tom. 2. geogr. p. 408. col. 1. Xuntam Xunte* quintam eſſe urbem regni Sinarum in Pekinenſi provincia, & ab ea pendere octo alias urbes: hanc vero ſedere ad radices montium verſus imperii confinia, teſte Martinio.

Ignatio Coſolendi epiſcopo Mitellopolitano in partibus, quem Alexander VII. qui obiit anno 1667. menſe Maio, conſtituerat vicarium apoſtolicum in regno Sinenſi, ſuffectus eſt in eadem adminiſtratione à Clemente X. diplomate apud Fontanam *in monum. Dom.* ad annum 1674. *pp. 697. & 698.* extante, cujus partem modo deſcribemus,

A *Fr. Gregorius Lopez.* Is regno ipſo Sinenſi oriundus, & Ord. Præd. alumnus, primum creatus eſt à Clemente X. anno 1673. menſe Septembri epiſcopus Baſilitanus titularis in Africa ſub Carthagine: deinde anno ſequenti die 4. Januar. ab eodem Pontifice datus qui ſuccederet præfato Ignatio in apoſtolico vicariatu ſuper plures provincias regni Senenſis, ut conſtat ex hoc ejus diplomate: «Clemens Papa X. Dilecte fili, ſalutem, &c. ſuper cathedram, &c. Quum itaque, ſicut accepimus, B bonæ memoriæ *Ignatius Coſolendi,* dum vixit epiſcopus Mitellopolitanus, quem felicis recordat. Alexander Papa VII. prædeceſſor noſter vicarium apoſtolicum Nanchini in Sina cum nonnullarum provinciarum adminiſtratione deputaverat, ab humanis jampridem deceſſerit, & ſicut venerabiles fratres epiſcopi vicarii apoſtolici Chinæ, Tunkini, & Cozincinæ nobis nuper exponi fecerunt, ipſi te qui patria Sinenſis exiſtis, ob egregium tuum orthodoxæ fidei & chriſtianæ religionis zelum, dicto Ignatio epiſcopo in vicariatu C apoſtolico ſubrogari plurimum deſiderent, &c. te qui profeſſionem regularem in provincia ſanctiſſimi Roſarii inſularum Philippinarum Ord. Præd. expreſſe emiſiſti, & quem eccleſiæ Baſilitanæ in partibus Infidelium conſiſtenti in epiſcopum.... præfecimus, &c. de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ fidei præpoſitorum conſilio, te Nanquini in Sina cum adminiſtratione provinciarum Pechini,

Digitized by Google

» Xantii, Xantung, Honan, Xenſii, & Coreæ
» vicarium apoſtolicum, &c. ut poſtquam mu-
» nus conſecrationis, juxta alias noſtras in ſi-
» mili forma Brevis litteras ſuper præfectione
» & proviſione dictæ eccleſiæ Baſilitanæ de tui
» perſona à nobis factas (factis) emanatas, re-
» ceperis, & non prius, tota juriſdictio dicto
» Ignatio epiſcopo Mitellopolitano ab hac
» ſancta ſede antea attributa, in te de facto
» transferatur, &c. Cæterum tibi prohibemus
» ne particulares tuæ religionis FF. Præd. ritus
» & cæremonias, ſed univerſales eccleſiæ Ro-
» manæ, tum in officio recitando, tum in
» miſſa celebranda, & in cæteris functionibus
» uſurpes, ut eccleſiæ Sinenſis capita, non ſo-
» lum in doctrina, ſed etiam in ritibus & cære-
» moniis eccleſiaſticis ad Chriſtianorum ædifi-
» cationem unanimes ſint, & uniformes, &c.
» Datum Romæ apud S. Mariam Maj. ſub
» annulo Piſcatoris die 4. Jan. MDCLXXIV.
pontif. noſtri anno IV. J. G. Sluſius.» Non fuit tamen conſecratus Gregorius iſte niſi anno circiter 1686. Piiſſime obiit Nanquini aliquibus poſtea annis. De eo legendi Fontana ſupra laudatus, *pp. 671. 693. & 697.* Cavalerius, *tom. 1. Galler. Domin. pag. 641. n. 161.* R. P. Echard. *tom. 2. Script. p. 708. col. 2.* Balthaſar de la Cruz, *tom. 2. hiſtoriæ provinc. Philipp. pp. 124. 239. 279. 305. 311. & 448.* & Dom. Navarette, *hiſtoriæ Sinenſ. tom. 1. pp. 1. & 354.*

Fr. Franciſcus Varo, Hiſpanus, ejuſdem Ordinis Præd. celebris miſſionarius in regno Sinenſi, epiſcopus Baſilitanus, vel, ut alii aiunt, Lyddenſis creatus eſt ab Innocentio XI. & vicarius apoſtolicus conſtitutus. Hunc nondum conſecratum obiiſſe anno 1687. aſſerit præfatus R. P. Echard. *pag. 714. col. 2.* In nunciis tamen Gallicè conſcriptis currente anno 1688. legitur, *pag. 404.* renuntiatum Romæ fuiſſe menſe Julio ab Innocentio XI. A epiſcopum in regno Sinenſi *Fr. Varo*, Hiſpanum, Ord. Præd. à longo tempore miſſionarium in regno Sinenſi, quibus certe indiciis ipſemet Franciſcus Varo, utique adhuc ſuperſtes, vel vivens exiſtimatus eo anno, deſignari videtur.

Ex iiſdem rurſus nunciis per annum 1694. *p. 102.* eo anno præconizatus refertur die 25. Januarii Romæ coram Innocentio XII. ad eccleſiam Nanquinenſem in regno Sinenſi B *R. P. Ciceri* Societatis Jeſu.

Menſe Septembri anno 1718. conſecratus fuit epiſcopus Nanquinenſis ab Uliſipponenſi Patriarcha *D. Antonius Paës Godinho*, Luſitanus. Ita in ſimilibus nunciis hujus anni, ad diem 29. Septembris, *pag. 521.*

Ex iiſdem quoque nunciis per annum 1721. *pag. 238.* Uliſippone *Emanuel à Jeſu Maria*, concionator apoſtolicus, in ſeminario miſſionariorum de Varateïo conſecratus C eſt die 30. Mart. hujus anni epiſcopus Nanquinenſis.

In iiſdem pariter nunciis an. 1725. *p. 139.* legitur renuntiatus epiſcopus Pekinenſis in regno Sinenſi Romæ die 21. Febr. *Fr. Franciſcus à Purificatione*, Eremita Auguſtinianus.

Anno circiter 1729. SS. Papa Benedictus XIII. epiſcopum creavit & vicarium apoſtolicum in regno Sinenſi *Fr. Petrum Martyrem Sans*, alumnum provinciæ Aragoniæ Ord. D Prædic. Ita R. P. Bremond, *tom. 6. Bullar. pag. 629.*

Demum *R. P. Polycarpus Souſa*, Societatis Jeſu, rhetoricæ profeſſor in collegio Conimbricenſi, quem in epiſcopum Roſaliæ in partibus rex Luſitaniæ propoſuerat menſe Jul. an. 1738. ut præeſſet miſſionibus regni Sinarum, renuntiatus in Pekini præſulem habetur menſe Nov. à SS. Papa Clemente XII. ex laudatis nunciis eo anno Gallicè conſcriptis, *pp. 428. 476. 477. & 599.*

II. ECCLESIA CATAIÆ.

CATAIA, Gallicè *le Catay*, regio Aſiæ eſt, de qua Marcus Paulus Venetus, plurima ſcripſit, & quam Europæi hucuſque crediderant eſſe regnum ampliſſimum, Tartariæ magnæ partem, inter oceanum ſeptentrionalem & Sinarum partem borealem: ſed deprehenſum eſt eſſe partem ſeptentrionalem imperii Sinarum, quam Arabes, Perſæ, Tartari, & alii Orientales ſic nuncupare ſolent, ut pluribus probant Nicolaus Trigautius, Martinus Martinius, Jacobus Gollius ex Abulpheda, Thevenotius, aliique. Ita M. A. Baudrand, *to. 1. geogr. pag. 246. col. 2.*

Doctiſſimus abbas Aſſemanus, *tom. 3. Biblioth. Orient. part. 2. pag. 504.* de ea regione hæc tradit: «*Chataia* Sinam Borealem ſignificat, quam Orientales *Sinæ* nomine abſolute
» appellant: habet autem Turcheſtanam ad occaſum, Sinam (meridionalem, quam *Maſinam*
» nuncupant, ex *pag. præced. 503.*) ad auſtrum, terram & mare Eſonis, vulgo de Jeſſo, ad
» ortum, & Tartariam veram (ſeu magnam) ad ſeptentrionem. Sericæ antiquæ pars eſt, ut
» ex Ptolemæo ſcribit Cellarius (*tom. 2. geographiæ antiq. lib. 3. cap. 24. pag. 888.*) nimirum
» ultra Emodos montes.... ubi celebres illi muri incipiunt, qui Tartaros à Sinis excludunt.

Digitized by Google

Recentioribus vero appellatur *Chataia, Cataia, Cataium, Chathai*, & *Chatha*.... Abulpharagius ejus regionis populos *Chethæos* ſeu *Cethæos* appellat.... Aytonus, *lib. de Tartaris, cap. 1.* (regni Cathay) fines ſic deſcribit: *Regnum Chatay eſt in Oriente ab uno capite, & in illa parte nulla eſt aliarum habitatio gentium, ut refertur; ex parte occidentis ſuos habet confines cum regno Tarſæ; ex parte ſeptentrionis cum deſerto de Belgian; ex parte vero meridiei ſunt inſulæ maris Oceani*.... De Cathai Marcus Paulus Venetus, *lib. 2.* à *cap. 10.* plura (diſſerit, cujus regiam urbem) Cambalu eſſe teſtatur.... Urbes alias (hujus provinciæ) memorat, *Tainfu, Geogui, Pianfu, Chincui, Cianfu, Quenquinafu, Cunchi, Achalechmangi*, & *Sindinfu*.... Coblaius (Sinarum Imperator) utramque Sinam... ſeu borealem & meridionalem, in 15. provincias diſtribuit, quarum ſex *Chataiæ*, & novem *Mangi* ſeu *Maſinæ* attribuit. Nomina provinciarum *Chataiæ* ſunt hæc, *Pechinenſis, Xanſia, Xenſia, Xantonia, Honania*, & *Suchuenſis*: nomina vero provinciarum *Mangi* ſunt, *Nanquinenſis, Huquania, Chekianenſis, Kianſia, Fochienſis, Quantunia, Quanſia, Junnania*, & *Queichea*.... (Sic) metropolis *Mangi* (eſt) *Nanquinum*: metropolis (vero) *Chataiæ, Pekinum* ſeu *Cambalu*, &c.» Subdit Aſſemanus, *pag. 511.* Coblaii inaugurationem contigiſſe anno Hegiræ 658. Chriſti 1260.

Urbi *Cayton* in regno Cataiæ præfuerunt nonnulli epiſcopi Latini, ut modo palam fiet. Hæc autem urbs *Cayton* illa ipſa eſſe videtur, quam M. A. Baudrand, *tom. 2. geogr. p. 155. col. 1. Queitum, Queite*, appellat, & dicit eſſe urbem Sinarum, & ſecundam Honaniæ provinciæ, in planitie prope fluvium Cium & in limite Xantoniæ provinciæ; ab ea vero urbe pendere octo urbes minores, teſte Martino Martinio. Honania enim provincia una eſt regni Cataiæ.

EPISCOPI CAYTONIS.

I. Gerardus.

II. Peregrinus.

III. Andreas.

IV. Jacobus.

Jam diximus ſupra, *col. 1348.* B. Joanni de Monte-Corvino, Minoritæ, ad Cambalienſem archiepiſcopatum evecto an. 1307. à Clemente V. datos eſſe eodem anno ſeptem Minoritas in ſuffraganeos, ex quibus unus rediit in Italiam, ubi Sagonenſi eccleſiæ præfectus eſt an. 1323. Tres in ingreſſu Indiarum aëris intemperie deceſſerunt, tres demum alii, ſcilicet *Gerardus, Peregrinus*, & *Andreas de Peruſio*, ſucceſſive eccleſiam Caytonis gubernarunt: de quibus hæc habet ipſe *Andreas* in epiſtola quam an. 1326. Guardiano ſui conventus Peruſini ſcripſit, apud Raynaldum, *tom. 15.* ad eum annum, *num. 30.*:

«Frater Andreas de Peruſio de Ordine Min. divina permiſſione vocatus epiſcopus R. P. E. Guardiano, &c. Noviſtis me cum bonæ memoriæ fratre *Peregrino* coepiſcopo, & meæ peregrinationis individuo comite.... demum, Deo juvante, ad Cambalienſem civitatem, quæ ſedes eſt imperii Magni Chanis (Cham) anno Dominicæ Incarn. 1308. ut credo, perveniſſe: ubi ſecundum mandatum à ſede apoſtolica nobis datum, archiepiſcopo conſecrato, moram ibi per quinquennium fere contraximus. Infra quod temporis ſpatium procuravimus alafa ab Imperatore magnifico pro victu & veſtitu octo perſonarum. Eſt autem alafa, impenſa quam Imperator tribuit nuntiis magnatum, oratoribus, bellatoribus, diverſarum artium artificibus, jaculatoribus, pauperibus, & diverſis diverſarum conditionum perſonis: quæ impenſæ plurium Latinorum regum introitus & expenſas tranſcendunt, &c.» Et infra: «Eſt quædam magna civitas juxta mare oceanum, quæ vocatur lingua Perſica Cayton, in qua civitate una dives domina Armena eccleſiam erexit præclaram ſatis & grandem, quam quidem de ipſius voluntate per archiepiſcopum in cathedralem erectam cum competentibus dotibus, fratri *Gerardo* epiſcopo & fratribus qui cum eo erant donavit in vita, & in morte reliquit; qui primus eamdem cathedram ſuſcepit. Mortuo autem dicto epiſcopo, ibique ſepulto, voluit archiepiſcopus in eadem eccleſia me facere ſucceſſorem; ſed hujuſmodi locationi & ſucceſſioni me non præbente aſſenſum, ipſam contulit fratri *Peregrino* epiſcopo memorato, qui illuc, habita opportunitate, ſe contulit, & poſtquam paucis annis rexit eamdem, anno Domini 1322. in craſtino octavæ Apoſtolorum Petri & Pauli (die 7. Jul.) diem clauſit extremum. Ante cujus diſceſſum per quatuor fere annos ego, qui in Cambaliech non eram conſolatus ex aliquibus cauſis, procuravi quod dicta alafa ſeu eleemoſyna imperialis mihi daretur in præfata civitate Caytonis, quæ diſtat à Cambaliech itinere hebdomadarum fere trium.... & cum octo equitibus ab Imperatore mihi conceſſis ad eamdem civitatem cum magno honore perrexi... adhuc fratre Peregrino præfato vivente: & in quodam nemore proximo civitati ad quartam partem unius milliarii eccleſiam convenientem & præclaram ædificari

ECCLESIA CATAIÆ.

» feci cum omnibus officinis ſufficientibus A » pro 22. fratribus, & cum quatuor cameris, » quarum quælibet eſſet pro quocumque præ- » lato ſufficiens. In quo quidem loco moram » traho continuam, & vivo de eleemoſyna re- » gia memorata, quæ juxta mercatorum Ja- » nuenſium æſtimationem aſcendere poteſt » annuatim ad valorem centum florenorum » aureorum vel circiter: & de hac eleemoſyna » magnam partem in ædificatione loci præ- » dicti expendi, cui ſimilem in eremitoriis in » tota noſtra provincia nullum ſcio quoad pul- » chritudinem & omnem amœnitatem.

» Denique non longo elapſo tempore poſt » obitum fratris Peregrini, recepi decretum » archiepiſcopi de locatione noſtra in memo- » rata ecclesſia cathedrali, cujus locationi aſ- » ſenſum præbui, cauſa rationabili ſuadente: » & nunc in loco vel eccleſia civitatis, nunc » in eremitorio moram facio juxta meæ libi- » tum voluntatis, &c. Sane in iſto vaſto im- » perio ſunt gentes de omni natione quæ ſub » cælo eſt, & de omni ſecta, & conceditur » omnibus & ſingulis vivere ſecundum ſectam ſuam. Eſt enim hæc opinio apud eos, ſeu « potius error, quod unuſquiſque in ſua ſecta « ſalvatur; & nos prædicare poſſumus libere « & ſecure: ſed de Judæis & Saracenis nemo « convertitur. De idololatris baptizantur quam « plurimi, ſed multi ex baptizatis non recte « incedunt per viam chriſtianitatis. Quatuor « noſtri fratres martyrizati fuerunt in India à « Saracenis, quorum unus bis in ignem co- « pioſum injectus illæſus evaſit: & tamen ad « tam ſtupendum miraculum nullus eſt à ſua « perfidia permutatus, &c. Datum in Cayton « B anno Domini 1326. in menſe Januar.» Id tantum nobis innoteſcit de eo Andrea epi- ſcopo Caytonis.

Waddingus ad calcem *tom. 4. annal.* in additionibus ad *tom. 3. pag. 32. n. 6.* ſcribit *Fr. Jacobum Sottoripam,* Ord. Min. *epiſcopum in Tartariæ regione* (non exprimit locum) interfuiſſe anno 1317. tranſlationi ſolemni reliquiarum SS. Prothi, Hyacinthi, & Eugeniæ in civitate Comenſi, teſte Franciſco Bellarino ejuſdem urbis hiſtoriographo.

III. ECCLESIA ARMALECH.

WADDINGUS urbis *Armalech* meminit, *tom. 3. annal.* ubi ad annum 1338. *num. 10. pag. 482.* refert relationem F. Paſchalis de Victoria, Hiſpani, Ordinis Min. datam ex eà urbe eo anno die 10. Decemb. in qua ille ait: *Ecce gratioſe ductus ſum in Armalech civitatem in medio ipſorum Medorum in vicaria Catay,* &c. Huic tunc præerat epiſcopus ejuſdem Ordinis.

EPISCOPI ARMALECH.

RICHARDUS.

APud laudatum Waddingum, *ibid. num. 8. p. 450.* extat epiſtola Benedicti XII. Papæ, *Dilectis filiis nobilibus viris Caraſmon & Johanan principis Chamſi Imperatoris Tartarorum de medio imperio familiaribus,* data *idib.* (id eſt die 13.) *Jun. anno IV.* Chriſti 1338. in qua hæc leguntur.... *unum fundum veſtrum optimum cuidam epiſcopo de Ordine fratrum Minorum in civitate Armalech deputato pro conſola-* C *tione veſtra, & Chriſtianorum ibidem degentium donatione libera conceſſiſtis, in quo ad laudem divini nominis talis pulchra eccleſia eſt conſtructa,* &c.

Is probabiliter eſt *epiſcopus* ille *Armalech,* nomine *Richardus de Burgundia,* Ordinis Minorum, quem idem Waddingus refert ad annum 1342. *num. 7. pag. 480.* hoc anno, circa feſtum S. Joannis Baptiſtæ, glorioſum, cum pluribus aliis Minoritis, martyrium ſubiiſſe in civitate Armalech vicaria Tartariæ.

IV. ECCLESIA SOLTANIÆ METROPOLIS.

DE *Soltania* ſive *Sultania,* dicta olim *Tigranocerta,* hæc habet M. A. Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 317. col. 1.* «*Tigranocerta* urbs Armeniæ majoris Plinio, Straboni & Pto- » lemæo, (quæ) *Tigranopetra*.... Appiano, ad Nymphæum fluvium, verſus confinia Aſſyriæ, » inter Arthemitam ad ortum æſtivum, & Amidam ad occaſum hybernum, 100. milliar. à » Niſibi diſtans in ſeptentrionem. (Hanc tamen à Niſibi diſtare 37. ſolum milliaribus ſcribit » Tacitus, *lib. 15. cap. 5.*) *Sultania* dicitur à Jovio, ſed ab aliis creditur *Bitlis,* urbs munita Armeniæ ſub dominio Turcarum.» *Tigranocerta,* neutro plurali & etiam fœminino ſingulari apud

Digitized by Google

apud auctores, à Tigrane rege Armeniæ Mithridatici belli temporibus conſtructa eſt, de qua Strabo, *lib. 12. pag. 532.* B. C. *edit. Caſaub.* ita loquitur: «.... Syriam etiam tranſmiſſo Euphrate ac Phœnicem vi occupavit (Tigranes.) Eò uſque elatus, urbem condidit vicinam « Iberiæ, inter hanc & Zeugma quod eſt ad Euphratem, quam *Tigranocerta* Τιγρανόκερτα « nominavit, conducens in eam homines è XII. quas evaſtaverat Græcanicis urbibus. Sed « ſupervenit Lucullus qui Mithridatem bello preſſerat, habitatoribuſque domum ſuam di- « miſſis, opus ſemi-perfectum ſubvertit, exiguumque pagum reliquit, &c.» *Kerta* ſcilicet Armenis & Syris idem ſonat ac *urbs,* teſte Cellario, *tom. 2. geogr. antiq. lib. 3. cap. XI. pag. 392.* unde *Tigranocerta* eſt *urbs Tigranis,* Græcè *Tigranopolis* Τιγρανούπολις, ut obſervat Stephanus Byzantius. Licet autem Lucullus hanc urbem ſemi-ædificatam diruerit, eamdem nihilominus poſtea in amplam excreviſſe civitatem colligitur ex Tacito qui, *lib. 15. cap. 4.* eam deſcribit *copia defenſorum & magnitudine mœnium validam.* «Sita erat, inquit laudatus Cellarius, *p. 391.* ultra Tigris fontes, Taurum montem verſus, in excelſo monte in parte « Armeniæ auſtrali.» ECCLESIA SOLTANIÆ.

D. Joſeph Simonius Aſſemanus, *tom. 3. part. 2. Biblioth. Orient. p. 780.* ait *Soldaniam* eſſe urbem Adorbiganæ, à Tauriſio diſtantem itinere octo dierum, quam conditam (ſive reſtauratam) à Charbanda Algiaptu Argoni Tartarorum Imperatoris filio, (qui regnare cœpit, ex eodem Aſſemano, *ibid. p. 127.* anno Chriſti 1303. & obiit, *p. 128.* anno 1317.) imperiique ſedem effectam tradunt Abulpheda, *Tab. geogr. n. 434.* & Herbelotius, *p. 827.* Hanc vero Joannes XXII. Papa, anno 2. Abuſaidi filii Charbandæ, Chriſti 1318. in ſedem archiepiſcopalem erexit, creato primo ejus præſule Franco Peruſino Ord. Præd. cui etiam aliquot aſſignavit ſuffraganeos. «Franco ſucceſſit Joannes de Core anno 1330. inde in provinciam Naxuanam tranſlata eſt ſedes archiepiſcopalis, quam in præſentem uſque diem « adminiſtrant fratres Ord. Præd. quos olim ſummi Pontifices legare in Perſidem conſueverant, « ut Neſtorianos, Jacobitas, & Armenos ad catholicam eccleſiam revocarent.» Hæc, inquam, doctiſſimus Aſſemanus, quæ tamen nonnulla emendatione indigere ex infra dicendis palam fiet. Eſt porro *Aderbigiana* ſeu *Aderbigian,* teſte poſt Gollium M. A. Baudrand, *tom. 1. pag. 14. col. 1.* & *pag. 638. col. 1.* regio Aſiæ in Perſide, unaque olim ex Mediæ provinciis.

ARCHIEPISCOPI SOLTANIENSES.

I. FRANCUS.

FRANCUS, origine Peruſinus in Italia, profeſſione Dominicanus, ineunte ſæculo XIV. perrexit in Perſidem & Tartariam, quum vero ibidem innumeros Infideles religione Chriſti imbuiſſet, miſit Avenionem ad Joannem XXII. Papam Fr. Guillelmum Adæ, ejuſdem Ordinis, itineris ſui ac laborum ſocium, qui hæc ipſi nuntiaret: quibus intellectis, Pontifex ſedem archiepiſcopalem in urbe Soltania conſtituit, eique *Francum* præfecit diplomate dato Aven. die 1. Maii anno 1318. quod extat apud Raynaldum, *tom. 15.* ad eum annum, *n. 4.* eo tenore: «Joannes, » &c. Dilecto filio F. Franco Peruſino Ordinis » FF. Præd. electo Soltanienſi. Pridem gratis » relatibus intellecto, quod in partibus Perſidis, » & terris aliis circumpoſitis, ſub magni Impe- » ratoris Tartarorum Perſidis imperio conſti- » tutis.... novella plantatio.... regenerata unda » baptiſmatis, nomen veneratur Altiſſimi, &c. » Propter quod villam Soltanienſem in eiſdem » partibus & dominio conſtitutam, inter alias » villas dictarum partium, prout fide dignorum » habet aſſertio, inſignem, nobilem, & famo- » ſam, ac habentem populum copioſum, de » fratrum noſtrorum conſilio, & apoſtolicæ » plenitudine poteſtatis, in civitatem metro-

A politanam duximus erigendam, ac ad perſo- « nam tuam evangelizantem in illis partibus « verbum Dei, de cujus ſanctitate vitæ, litte- « rarum ſcientia, & aliis copioſis virtutum me- « ritis, magna nobis & eiſdem fratribus fide « digna teſtimonia ſunt relata, oculos dirigen- « tes, te Ordinis Prædicatorum profeſſorem.... « eccleſiæ dictæ civitatis in archiepiſcopum « præfecimus & paſtorem; curam & adminiſ- « trationem & ſollicitudinem animarum om- «
B nium exiſtentium in eiſdem partibus, quæ ſub- « duntur præfati Imperatoris, necnon Chaydo, « (id eſt, teſte R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. p. 138. annot. 2. magno Regi,* lingua antiqua « Perſarum) & Æthiopiæ ac Indiæ regum ſeu « principum dominiis, tibi plenarie commit- « tentes, &c. Volentes igitur ut catholicæ fidei « veritas ſemper de bono in melius, auctore « Domino, in illarum partium latitudine, ex- « pulſis tenebris, eluceſcat, ſex de fratribus «
C dicti Ordinis, videlicet Geraldum Calvenſem, Guillelmum Adæ, Bartholomæum de « Podio, Bernardum de Placentia, Bernardum « Moreti, & Bartholomæum Abaliati, in lege « Domini eruditos, vita & religione præclaros, « & multarum virtutum titulis commendatos... « aſſumpſimus, & præfecimus in epiſcopos & « paſtores, ipſoſque in adjutorium commiſſæ « tibi ſollicitudinis pro majori animarum ſalute «

Digitized by Google

ECCLESIA SOLTANIÆ.

» in præfatis partibus duximus deputandos, &c. »

Addit Raynaldus, *ibid. nn. 5. & 6.* Joannem Papam impoſuiſſe eidem Soltanienſi archiepiſcopo provinciam, ut ſi pluribus epiſcopis ad proferendos evangelii limites opus eſſet, (ipſe aliquos,) excitis duobus catholicis antiſtitibus, ſacris pontificalibus initiaret auctoritate apoſtolica: & conſtituiſſe, quum illos è vivis excedere contigiſſet, ut Prædicatorum ſodalitia earum partium eccleſiarum curam gererent: pallium denique tranſmiſiſſe per Guillelmum Adæ & Joannem è Florentia, quos illud conſignare juſſit epiſcopo, cujus partium erat Soltanienſem archiepiſcopum conſecrare, ut ipſum in Romani Pontificis verba ſolemni ſacramento adactum eo ornaret. « Nec ad Tartaros modo, inquit » ibid. Raynaldus, *num. 7.* Pontifex præcones » evangelicos ex Ordine Præd. verum etiam ad » alias nationes, toto orbe diffuſas, veterique » ſuperſtitione, aut ſchiſmatis & hæreſis erro- » ribus imbutas, colluſtrandas divina luce tranſ- » miſit, quos ad excolendam vineam Domini inſtruxit auctoritate ſubjectis litteris, » (quas profert datas iiſdem die & anno ſub hoc titulo:) *Joannes,* &c. *dilectis filiis fratribus Ordinis Prædicatorum in terris Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mocolitarum, aliarumque non credentium Orientis & Aquilonis, ſeu quarumcumque aliarum partium proficiſcentibus. Gratias agimus,* &c.

His non contentus Joannes Pontifex, ſcripſit Oſſinio regi Armenorum, ut fratri Raymundo Stephani Ord. Præd. & quibuſdam aliis ejus ſociis certa loca aſſignaret in regno ſuo, & præſertim Ajacii, in quibus *confluentem plebem inſtruere, & Latini ſermonis copiam* pueris *valerent miniſtrare.* Litteras ea de re datas *Avin. VI. idus* (id eſt die 8.) *Jun. anno 2.* Chriſti 1318. legere eſt apud eumdem Raynaldum ad illum annum, *n. 15.*

R. P. Echardus, *tom. 1. Script. pag. 574. col. 1.* conjicit *Raymundum* iſtum *Stephani* auctorem eſſe operis, cujus titulus eſt: *Directorium ad faciendum paſſagium tranſmarinum, editum per quemdam F. Ord. Præd. ſcribentem experta & viſa potius quam audita, quod dirigitur ſereniſſimo principi & DD. Philippo regi Francorum, compilatum anno Domini 1333.* quod extat in bibliotheca Colbert. *n. 2104. cod. mſ. memb. fol.* Obſervat quoque idem P. Echard. *pag. 574. col. 1.* hunc auctorem anonymum factum poſtea archiepiſcopum in Oriente perhiberi, in Regeſto quodam

A Cameræ regiæ computorum, *volum. 2. Bibl.* olim Seguer. nunc Coiſlin. quod incipit ab anno 1300. In eo enim extat: *Dans une deliberation du chemin a tenir pour aller en la Terre-Sainte par le Roy de France, neveu du Roy de Naples,* &c. *Item eſt bien a voir que aucuns avis ont eſté baillés au Roy ſur cette beſogne par maniere de livre que l'on dit qu'un ſage Prélat, qui jadis fut de l'Ordre des Precheurs, & eſt a preſent Archeveſque en l'empire de Conſtantinople, & ez marches delà, a compoſé & l'a envoyé,* &c. Hujus archiepiſcopi,

B aliàs nobis ignoti, hîc obiter meminimus, qui fortaſſis fuerit archiepiſcopus Soltanienſis, & Joannis I. infra memorandi ſucceſſor.

Sed ut revertamur ad Francum, is anno 1323. ceſſit præſulatu, procuratoris opera ad ſedem apoſtolicam miſſi, quo liberius cæleſtium rerum contemplationi vacaret. Ceſſionem admiſit Joannes Papa, eique conceſſit uſum inſignium pontificalium, excepto pallio, in iis *partibus,* in quibus *pro ſalute fidelium & ampliatione catholicæ fidei converſari* pergebat, ut legitur in ejus epiſtola data Aven.

C eo anno die 1. Jun. apud eumdem Raynaldum ad eum annum, *num. 8.*

II. GUILLELMUS II.

Joannes XXII. admiſſa, ut modo dictum eſt, ſpontanea Franci Soltanienſis archiepiſcopi ceſſione, in ejus locum *Fr. Guillelmum Adæ,* ejuſdem Ordinis Præd. ſubrogavit: de cujus promotione hæc habet præfatus Raynaldus, *ibid. n. 7.* « Emerſere è tenebris perfidiæ Armeniæ inferioris populi, divina- « que luce colluſtrati litteras & oratores ad «

D Romanum Pontificem miſere, ut incorruptæ « fidei formam à ſede apoſtolica veluti puriſ- « ſimo fonte peterent. Delibutus itaque Joan- « nes (XXII. Papa) magno lætitiæ ſenſu « apoſtolicum ſtudium ad revocandos in gre- « mium eccleſiæ Armenos qui in Perſide ver- « ſabantur, contulit, legavitque in Perſidem « *Guillelmum,* magnæ religionis virum, quem « Soltanienſem archiepiſcopum creavit, & « Conſtantinum Patriarcham Armenorum ad « conjungendam cum archiepiſcopo in ea re « operam, zelumque in animarum ſalute pro- «

E movenda explicandum incitavit litteris datis « Avin. kalend. (id eſt die 1.) Jun. anno VII. « (Chriſti 1323.) quas ibidem legere eſt. »

Hunc Guillelmum Adæ cenſet R. P. Echardus, *tom. 1. Scriptorum, pag. 2. col. 537.* auctorem operis, cujus titulus eſt: *Notitia regiminis Magni Caan Cathai Tartarorum Imperatoris, cum deſcriptione vaſtiſſimi ejus regni, juſſu Joannis XXII. ab archiepiſcopo Soltanienſi Latinè ſcripta:* quæ è Latino Gallicè verſa à F. Joanne le Long de Ypris monacho ſancti

Digitized by Google

Bertini Audomarifani anno 1351. extat Pariſiis in bibliotheca regia, *cod. mſ. 8389. memb. fol. max.* Guillelmus anno 1323. die 2. Oct. teſtimonium reddidit unà cum Thaddæo Caphenſi epiſcopo, ſe vidiſſe ipſummet exemplar bullæ canonizationis S. Thomæ Aquinatis. Quod teſtimonium aſſervatur in archivo conventus FF. Prædic. S. Blaſii de Tibure, & exhibetur à Fontana *Theat. Dom. pag. 680.* in Appendice. Vide ſupra inter epiſcopos Caphenſes, *col. 1105.* A. Obiit Guillelmus anno 1329.

III. Joannes I.

Idem Joannes XXII. Papa eccleſiæ Soltanienſi vacanti præfecit anno 1330. *F. Joannem de Core,* Dominicanum, ut ipſemet teſtatur in litteris huic *Joanni de Core electo Soltanienſi,* datis Avin. XVI. kalend. Mart. anno XIV. (id eſt die 14. Febr. anno 1330.) apud Raynaldum ad eum annum, *n. 57.* in quibus ait Pontifex: « Te de fratrum noſtrorum conſilio Soltanienſi eccleſiæ in imperio » Imperatoris Perſidis conſtitutæ tunc vacanti » providimus præficientes te illi in archiepiſcopum & paſtorem, curam & adminiſtrationem » ipſius & ſollicitudinem animarum quæ ſubduntur eidem, tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committentes, prout in noſtris » litteris inde confectis plenius continetur. Ut » igitur, poſtquam munus conſecrationis, Deo » auctore, ſuſceperis, pallio.... etiam decoreris, &c.» Subjungit Raynaldus *ibidem.* quum Joannes Papa accepiſſet in Soltanienſi archiepiſcopatu præſules eccleſiarum adminiſtrationem ritu canonico non accepiſſe, alios vero ſacris Ordinibus non rite initiatos, ipſum, ut his mederetur malis, Soltanienſi archiepiſcopo & ſuffraganeis epiſcopis partes dediſſe, ut apoſtolica auctoritate non admotos canonice eccleſiis orthodoxæ fidei, nuncupata profeſſione è formula præſcripta, iiſdem vel aliis eccleſiis præficerent: alios vero ſacris Ordinibus non rite initiatos conſecrarent. Porro ex dictis hactenus conſtare videtur hunc Joannem ſucceſſiſſe immediate, non *Franco Peruſino,* ſed *Guillelmo,* qui Francum jam exceperat, ſecus ac aſſerit eruditiſſimus D. abbas Aſſemanus, *to. 3. part. 2. pp. 131. & 780.* Vide ſupra *coll. 1361. 1362. lin. 22.*

Alius fortaſſis ab iſto Joanne fuit *archiepiſcopus* ille *Soltanienſis,* quem alioſque archiepiſcopos Orientis Benedictus XII. an. 1341. die 1. Auguſti hortatus eſt, ut Patriarchæ Armenorum damnandis in ſynodo erroribus huic nationi imputatis præſto eſſent. Epiſtola Pontificis ea de re huic Patriarchæ dicto *Catholico* ſcripta extat apud præfatum Raynaldum, *tom. 16.* ad eum annum, *num. 46.* ad cujus calcem ait Benedictus: *Porro litteras, quas quibuſdam prælatis Armeniæ ſuper præmiſſis dirigimus, tua prudentia è veſtigio mittere non poſtponat.*

ECCLESIA SOLTANIÆ.

Soltanienſi quoque *archiepiſcopo* Benedicti ſucceſſor Clemens VI. mandatum dedit anno 1346. tum ut quoſdam Tephelicenſem epiſcopum injuriis laceſſentes cenſuris eccleſiaſticis reprimeret, tum etiam ut Pontium archiepiſcopum Seleucienſem nefariis ſuis ſcriptis patrocinantem Fraticellorum erroribus ipſe ſuique ſuffraganei ad ejurandos illos errores adigerent, ac detrectanti diem dicerent. Epiſtola hæc poſterior, data eo anno die 31. Julii, legitur *ibid.* ad illum annum, *num. 70.*

Joannem I. vel ejus ſucceſſorem, non improbabile videtur fuiſſe archiepiſcopum illum Ordinis Præd. ſupra memoratum, *col. 1364.* A. B. cujus & nomen & ſedes tacentur.

IV. Antonius.

Clemens Galanus Surrentinus, clericus regularis ex ſacra Theatinorum congregatione, miſſionarius apoſtolicus ad Armenos, meminit, *to. 1. conciliationis eccleſiæ Armenæ cum Romana cap. 30. n. 60. pag. 528.* cujuſdam libri contra Mahometanos à F. *Antonio* epiſcopo de Sultanæa compoſiti; verum non indicat quandonam floruerit Antonius iſte. Fontana ejus meminit ad annum 1347. in *monum. Dom. pag. 217. col. 1.*

V. Bonifacius I.

Waddingus, *tom. 4.* ad annum 1393. *n. 1. pag. 302.* ſcribit, *Bonifacio* Vernenſi antiſtite ad eccleſiam Soldanenſem (Soltanienſem) tranſlato, ei ſucceſſiſſe in ſede Vernenſi Fr. Antonium Petri de Malliano, Minoritam, eo anno 1393. die 3. Junii.

VI. Joannes II.

Ex litteris pontificiis Bonifacii IX. F. Stephano Petri de Seghes (Minoritæ) electo Nachuanenſi (epiſcopo) datis XIII. kal. Novembris anno XI. (id eſt die 20. Octob. anni 1400.) quas profert R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pag. 460.* diſcimus *Joannem* Ordinis Prædic. hujus Stephani prædeceſſorem, ab eccleſia Nachuanenſi ad Soltanienſem ab ipſo tranſlatum eſſe VII. kal. Septemb. anno IX. (id eſt 26. Auguſti anni 1398.) Huic idem Bonifacius conceſſit privilegium litteris datis anno 1400. die XI. Decemb. ut Neophytis quibuſdam earum regionum licentiam poſſet facere eligendi confeſſarium, à quo in morte abſolverentur à caſibus etiam ſummo Pontifici reſervatis, teſte Fontana in *monum. Dom.* ad annum 1397. *pag. 264. col. 1.*

Digitized by Google

ECCLESIA SOLTANIÆ.

VII. Nicolaus *electus.*

VIII. Willelmus II.

IX. Joannes III.

Bonifacius. Joannes.

Nicolaus Robertus epiſcopus Ferrarienſis ad ſedem Soltanienſem tranſlatus eſt anno 1401. menſe Jan. *ex lib. Proviſ. Prælat.* teſte Ughello, *tom. 2. Ital. ſac. col. 586. n. 54.* D. *vet. edit.* Verum in diplomate Bonifacii IX. dato anno 1403. die 5. Febr. apud R. P. Bremond, *tom. 2. Bull. pag. 454.* legimus hunc Nicolaum dejectum eſſe, quod litteras apoſtolicas infra tempus præfixum expediri neglexiſſet, ſubſtitutumque ipſi ab eodem Pontifice *Fr. Willelmum Belcts,* Anglum, Ord. Prædic. Quod tamen non video quomodo conciliari poſſit cum alio hujus Bonifacii diplomate dato anno 1402. die 26. Jul. *ibid. pag. 450.* quo eccleſiæ Nachuanenſi vacanti ob tranſlationem *Joannis* ejus epiſcopi ad eccleſiam *Soltanienſem,* præficitur F. Joannes Lycens Ord. Præd. niſi fortaſſis ſucceſſerit *Joannes* ille *III.* Willelmo Belcts anno 1404. ita ut legendum ſit in poſteriori diplomate *Anno pontif. XV.* pro *Anno XIII.*

Cæterum Joannes iſte III. probabiliter fuit *Soltanienſis* ille *archiepiſcopus,* cui Martinus V. Papa anno 1423. die 13. Octobris commendavit Petrum Ordinis Unitorum à ſe promotum ad Naſcivanenſem eccleſiam *præfato tom. 2. Bull.* R. P. Bremond, *p. 625.* qui ſuperius obſervarat nota 4. ad bullam 37. hujus Pontificis, *pag. 564.* Nachuanenſem ſedem juris factam fuiſſe Soltanienſis metropolis ex conſtitutione ejuſdem Martini V. data anno 1419. die 27. Novembris. Obitus ejus huic Pontifici innotuit exeunte anno 1423. ut modo palam fiet.

Waddingus, *tom. 5.* ad annum 1401. *n. 4. pag. 4.* ſcribit *Soltamenſem in Media archiepiſcopum F. Joannem Grenlaw,* (Minoritam, creatum eſſe eo anno) *poſt obitum Bonifacii, XII. kal. Octob.* (id eſt die 20. Septembris.) Verum ex modo dictis, *col. 1367.* A. B. initio ejuſdem anni ad ſedem *Soltanienſem* ex Ferrarienſi tranſlatus fuerat *Nicolaus Robertus,* cui ſubrogatus eſt *Willelmus Belcts* anno 1403.

X. Joannes IV.

XI. Thomas.

Joanne archiepiſcopo Soltanienſi mortuo, huic eccleſiæ præfecit Martinus V. an. 1423. die 12. Decembris alterum *Joannem* Ordinis Unitorum, diplomate quod exhibet R. P. Bremond, *tom. 2. pag. 628.* hujus tenoris: « Martinus, &c. dilecto filio *Joanni electo Soltanienſi.* Romani Pontificis, &c. Quum « itaque, ſicut fide dignis percepimus relati- « bus, eccleſia Soltanienſis, cui bonæ memoriæ « *Joannes archiepiſcopus Soltanienſis,* dum vi- « veret, præſidebat, per ejuſdem obitum, &c. « ad te Ordinis FF. Præd. *Unitorum* nuncupa- « torum (fuerant Ordinis S. Baſilii, ſed opera FF. Præd. ſchiſma ejurarant, huicque poſtea Ordini ſeſe adjunxerant) profeſſorem, in ſa- « cerdotio conſtitutum, quem, ut aſſeris, non- « nulli ex dictis fratribus, (id) aſſerentes juxta « quædam privilegia apoſtolica deſuper con- « ceſſa eis licere, poſt hujuſmodi obitum, in « archiepiſcopum Soltanienſem duxerunt eli- « gendum, &c. direximus oculos mentis noſ- « træ... teque illi præficimus in archiepiſcopum, « &c. Per hoc autem hujuſmodi privilegiis, ſi « quæ ſint, derogare in aliquo non intendimus, « ſed illa nihilominus in ſuo volumus robore « permanere. Datum Romæ II. idus Decemb. « pontif. noſtri anno VII. » Obiit Joannes iſte anno 1425. eique ſubſtituit eo anno præfatus Martinus die 19. Decemb. diplomate quod extat *ibid. p. 660. Fr. Thomam de Abaraner,* ejuſdem Ordinis Unitorum.

V. ECCLESIA TEPHLIS.

Tephlis urbs eſt Georgiæ regionis primaria in Carduelia provincia. Ea urbs, olim *Artaxata* dicta, ampla & munita nunc paucis conſtat incolis ſub dominio Perſarum. Ita M. A. Baudrand, *tom. 2. pag. 299. col. 2.* Cellarius, *tom. 2. geogr. antiq. lib. 3. cap. XI. pag. 389.* ſcribit *Artaxata* in neutro plurali metropolim fuiſſe & regiam ſedem regum Armeniæ, quam ad Araxem fluvium Hannibal condidit pro rege Artaxia, ex Strabone, *l. XI. pp. 528.* E. *&* *529.* A. *edit. Caſaub.* & Plutarcho in vita Luculli, *p. 513.* R. P. Echard. *tom. 1. Script. pag. 583. col. 1.* ait in urbe Tephli ſive Tiphli, nunc *Tebile Cala* dicta, ſedere tum Georgianorum Patriarcham, tum epiſcopum ejuſdem ritus, tum epiſcopum alterum Armenorum ſub Patriarcha Eceſmiaſin; inſtitutum autem fuiſſe ſæculo XIV. ibid. epiſcopum Latinum à Joanne XXII. ſed domum Ordinis FF. Præd. jam in ea civitate extitiſſe ante annum 1240.

Porro *Georgia,* ex laudato Baudrand, *tom. 1. pag. 431. col. 2.* quæ *Gurgiſtan* indigenis, *Chiurgiſtan* Turcis, *la Giorgia* Italis nuncupatur, regio eſt Aſiæ, inter mare Caſpium ad

Digitized by Google

ortum, & Pontum-Euxinum ad occaſum protenſa, quæ terminatur ab occidente mari nigro, à ſeptentrione Circaſſia, Comania, & ditione Magni Ducis Moſcoviæ, ab oriente Tartaris Dagheſtaniæ, & à meridie Scituania provincia Perſidis, Armenia majori & Aſia minori ex parte. Ejus regiones ſunt, Mengrelia ſive Odiſci, Guria ſive Guriel, & Imeretia ſive Imereti vel Baſſa-Siouch ad occaſum, ubi olim Colchis, Abaſſia ſive Abbaſſa ad ſeptentrionem, Carduelia ſive Carduël & Cartuël, ac Gaguetia ſive Gagheti ad ortum, ubi olim Iberia; denique Samſea ſive Samſché ad meridiem verſus Armeniam. ECCLESIA TEPHLIS.

EPISCOPI TEPHLICENSES *ſive* TEPHELICENSES.

I. JOANNES I.

DE *Joanne è Florentia*, ſic nuncupato ex loco originis, hæc habet chronica cœnobii S. Mariæ Novellæ Ordinis Præd. in ea urbe, *fol. 40.* A. apud R. P. Jacobum Echardum, *tom. 1. Scriptor. pag. 583. col. 1.* « Litteris » ardenti deſiderio cœpit inſiſtere (Joannes iſte » ad habitum Converſorum primùm receptus) » nec ulli labori parcens die noctuque vertebat » libros, donec ad eam tandem devenit littera» rum peritiam, quod omnibus miraculo erat. » Propterea datus illi fuit clericorum habitus, » & ſacris fuit initiatus. Claruit prædicatione, » humanitate, & gratia apud omnes, quouſque, » volente Deo, ad Thephalicenſem promotus » fuit epiſcopatum. Obiit Peræ anno 1348. » quum multos Orientalium ad verum Dei cultum ſua prædicatione duxiſſet. » Clemens Galanus Theatinus, *tom. 1. conciliat. eccleſiæ Armenæ cum Romana edit. Rom. 1650. c. 30. n. 59.* quinque eccleſias Armeniæ enumerans olim à Dominicanis adminiſtratas, de illarum ſecunda ait: « Secunda Teflicenſis cui præ» fuit D. F. Joannes epiſcopus, qui unus fuerat » ex ſociis B. Bartholomæi (de quo infra age» mus in eccleſia Maraghæ) ut conſtat ex libro » quodam ab eodem F. Joanne traducto, in cujus fine hoc ipſum legitur adnotatum. »

Anno 1318. ex Oriente reverſus Joannes Avenione verſabatur apud Joannem XXII. Papam, qui per ipſum, & Fr. Guillelmum Adæ, pallium miſit ad Francum Peruſinum deſignatum archiepiſcopum Soltanienſem, ut ſupra dictum eſt, *col. 1363.* B. Quum autem præfatus Pontifex urbem Tephlicenſem in ſedem cathedralem anno 1329. erexiſſet, primum ejus epiſcopum Joannem hunc nominavit, diplomate dato eo anno die 19. Octob. hujus tenoris, apud Raynald. *tom. 15.* ad hunc annum, *n. 94.* « Joannes, » &c. dilecto filio *Joanni de Florentia electo* » *Tephelicenſi.* Nuper ad dilatationem fidei chriſ» tianæ, &c. locum inſignem Tephelicenſem » nuncupatum, &c. in civitatem ereximus, » ipſamque, &c. decrevimus, &c. dignitatis » epiſcopalis titulo decorandam, &c. In te » Ordinis FF. Præd. profeſſorem, in ſacerdotio » conſtitutum, in ſacra pagina eruditum, qui » conditiones & qualitates illarum partium

A præſentialiter & palpabiliter expertus, & per « tuam ſationem verbi divini multorum jam « fidelium lucri feciſſe animas diceris Domino « Jeſu Chriſto, cuique ſacræ religionis zelus, « &c. ſuffragantur, oculos convertimus noſtræ « mentis, &c. Dat. Avin. XIV. kal. Novemb. « anno XIV. » Joannes de Cherna abbas monachorum Armenorum, meminit Joannis Tephlicenſis epiſcopi in epiſtola ſua ad fratres Unitos, apud præfatum Galanum, *c. 30. num. 41. pag. 521.* his verbis: « Quapropter (Roma) in Orientem reverſus, ego & ſocii « B mei votum fecimus vivendi religioſe juxta « regulam S. Auguſtini, & conſtitutiones ſancti « Dominici, quem & habere propoſuimus tan« quam patrem, fundamentum ac principium « noſtræ congregationis; emiſſaque religionis « profeſſione in manu cujuſdam D. Joannis, « genere Latini, qui à Romano Pontifice miſ« ſus fuerat cum plenitudine poteſtatis epi« ſcopus urbis Theflis, electus fui à ſociis juxta « facultatem ab eodem epiſcopo nobis tradi« tam, Superior Provincialis noſtri Ordinis « Unitorum. »

Is procul dubio fuit *epiſcopus* ille *Tepheli- C cenſis,* in cujus gratiam ſcripſit Clemens VI. anno 1346. tum archiepiſcopo Soltanienſi, tum populo Tephelicenſi. Rem ſic exponit Raynaldus, *tom. 16.* ad eum annum, *n. 70.* « Curavit etiam Pontifex rem chriſtianam in regnis quæ Infidelium ſervituti erant obno« xia. Quum enim Tephelicenſis epiſcopus à « Joanne XXII. ad inferendam gentibus evan« gelii lucem, atque hæreticos & ſchiſmaticos « ad ſinum Romanæ eccleſiæ traducendos miſ« ſus, plures Infideles chriſtianis ſacris imbuiſ« ſet, alioſque fide parum excultos inſtruxiſſet « egregie, nonnulli ſcelerati perciti livore, neo« D phytos ab illo abalienare, atque alios ad pie« tatem affectos retardare moliti ſunt. Quibus « injuriis laceſſitus epiſcopus, confugit ad ſu« premum religionis chriſtianæ antiſtitem Cle« mentem VI. qui Soltanienſi archiepiſcopo, « cujus ſuffraganeus Tephelicenſis erat, im« peria dedit ut cenſuris eccleſiaſticis nefarios « homines hoſtes pietatis reprimeret. Univer« ſos (quoque) fideles Tephelicenſis diœceſis « litteris apoſtolicis monuit, ut epiſcopo me« morato tanquam paſtori animarum ac patri « obſequerentur. »

Digitized by Google

ECCLESIA TEPHLIS.

His ſubdit Raynaldus epiſtolam ejuſdem Pontificis, *venerabilibus fratribus archiepiſcopo Soltanienſi ejuſque ſuffraganeis*, datam eodem anno die 31. Julii adverſus Pontium archiepiſcopum Seleucienſem, qui ſcriptis quibuſdam in Perſide diſſeminatis errorem Fraticellorum de Chriſti & Apoſtolorum paupertate fovebat.

II. Bertramus *ſive* Bertrandus.

Fr. Bertramus ſive *Bertrandus*, Teuto, Ordinis Præd. epiſcopus Tephelicenſis fuit, ante annum 1366. quo Dom. 4. Quadrag. eo titulo indutus, & Theodorici de Poppart electi epiſcopi Metenſis anno 1364. ſuffraganeus, ſacellum quoddam dedicavit Metis. Urbano VI. tempore ſchiſmatis ſemper adhæſit. Ejus epitaphium, quod extat in odeo eccleſiæ Confluentinæ FF. Præd. hæc continet, teſte Friderico Stell, apud R. P. Jacob. Echard. *tom. 1. Script. pag. 689. col. 2. Hæc ſepultura eſt fratris Bertrami epiſcopi Thefelicenſis fratris hujus conventus Confluentini, dimiſſa ſepultura ſua quam fieri fecit* (fecerat) *in conventu Metenſi ad ſiniſtram chori. Obiit anno Domini 1387. die 20. menſis Januar.*

III. Kenardus.

De eo *Kenardo* nihil aliud ſcimus quam hæc pauca, quæ ex Bzovianis quibuſdam ſcriptis refert Fontana *Theat. Dom. p. 305. tit. 576. num. 3. Kenardus de Villaco Ord. Præd. epiſcopus Tephelicenſis à Bonifacio IX. VIII. idus* (id eſt die 8.) *Martii anno ſecundo:* ſubinde Chriſti 1391.

IV. Alexander.

Idem Fontana, *ibid. n. 4.* ſcribit *Fr. Alexandrum*, Italum, Ord. Præd. eidem Tephelicenſi eccleſiæ præfuiſſe circa annum 1450. teſte Plodio ſive Mich. Pio, *part. 2. lib. 3.*

V. Henricus I.
VI. Henricus II.

Waddingus, *tom. 6. annal. Ord. Min.* ad annum 1462. *n. 81. p. 550.* tradit eccleſiæ Tephelicenſi in Media, vacanti per obitum *Henrici*, præfectum eſſe eo anno die 31. Decemb. à Pio II. Papa *F. Henricum Wonſt*, Minoritam, qui obiit anno 1469.

VII. Joannes II.

Anno 1469. die 10. Julii *Fr. Joannes Iminch*, Eremita Auguſtinianus, creatus eſt à Paulo II. epiſcopus Tephelicenſis, & ſuffraganeus eccleſiæ Paderbornenſis: vivebat adhuc anno 1475. Ita Thomas de Herrera, *to. 1. Alphab. Auguſt. p. 434.* qui perperam ſcribit hanc ſedem eſſe *ſub archiepiſcopo Moguntino.* Certe laudatus Waddingus ait, *ibid.* Joannem iſtum ſuo Henrico Wonſt ſucceſſiſſe anno 1469. VI. idus Julii.

VIII. Albertus.

Ex eodem Waddingo, *tom. 7.* ad annum 1493. *num. 39. pag. 314.* mortuo Joanni (illi probabiliter qui ſupra) ſuffectus eſt in ſede Tepheliſienſi in Media *Fr. Albertus Engel*, Ordinis Min. eo anno die 19. Maii, & deſignatus itidem ſuffraganeus Hermanni archiepiſcopi Colonienſis.

VI. ECCLESIA COLUMBENSIS.

Columbum ſive *Columbo* urbs Indiæ eſt intra Gangem, cum arce probe munita in parte occidentali inſulæ Ceylan, & regni cognominis caput. Diſtat 28. leucis à Candea urbe in occaſum hybernum, & 43. à Commaria promontorio in ortum. Hæc M. A. Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 288. col. 1.* qui ſuperius, *pag. 259. col. 1.* de *Ceylan* dixerat, hanc eſſe inſulam peramplam Aſiæ in India citeriori, quæ Antiquorum *Taprobana* fuiſſe creditur. Hæc autem inſula ab Indis *Tenariſin* nuncupatur, id eſt, *terra deliciarum*, & ab Arabibus *Zeylan Dive* ſeu *Ceylanum inſula*, quæ vix 60. leucis diſtat à promontorio Comorini in ortum, & circuitus eſt 250. leucarum circiter, ubi continentur regna *Candeæ* in meditullio, *Columbi*, cujus oppidum cum arce ſubeſt dominio Belgarum Fœderatorum, *Iaulæ*, &c. Eccleſiam Columbenſem Soltanienſi ſuffraganeam factam diſcimus ex epiſtola Joannis XXII. *Joanni de Core electo Soltanienſi* archiepiſcopo, data Avin. XVI. kal. Mart. anno XIV. (id eſt die 14. Febr. anno 1330.) in qua Semiſcatenſem & *Columbenſem* epiſcopos ipſius ſuffraganeos appellat, apud Raynaldum, *tom. 15.* ad eum annum, *num. 57.*

EPISCOPI COLUMBENSES.

Jordanus.

Jam à pluribus annis *Jordanus* quidam Ord. Præd. evangelium Chriſti in Perſide aliiſque circumjacentibus regionibus diſſeminabat, quum anno 1321. die 9. April. quatuor fratres Minores Thomas, Jacobus, & Petrus preſbyteri, ac Demetrius Tephelicenſis Converſus eorum interpres, qui ipſius in hoc miniſterio ſocii erant, martyrium ſubiere in

Digitized by Google

urbe Thana. Jordanus de ea re duplicem epiſtolam ſcripſit, *RR. in Chriſto Patribus & Fratribus Prædicatoribus & Minoribus in Thauriſio, Diagorgano & Morga commorantibus:* quarum prior data in urbe Carga eo anno 1321. die 12. Octob. extat apud R. P. Jacobum Echard. *tom. 1. Scriptor. pp. 549. & 550.* poſterior vero data in urbe Thana Indiæ anno 1323. die 20. Jan. apud Waddingum, *tom. 3. annalium* ad annum 1321. *num. 14. pag. 255.* qui inſuper laudat, *ibid. num. 1.* epiſtolam Franciſci de Piſis, Dominicani, miſſionarii quoque in Perſide cum præfato Jordano, de qua Franciſci Piſani epiſtola hæc tranſcribit: « Iſti quatuor FF. Min. cum F. Jordano de Ordine Præd. à Thauriſio verſus Cathag iter dirigere ſtatuerunt. Nave conſcenſa, ut irent Polumbum (Columbum) mari tempeſtuoſo & nautarum dolo qui navigabant ad eccleſiam S. Thomæ Apoſtoli, deportati ſunt præter ſpem & voluntatem in civitatem Thanam, quæ eſt ultra Thauriſium itinere trium menſium. Illic invenerunt quindecim domus Chriſtianorum, ſed Neſtorianorum, quorum unus grato animo fratres excepit hoſpitio. Dum illic commorarentur per dies octo, perſuadebant Neſtoriani ut ex illis unus iret in urbem Paroth, in qua plurimi habitabant Chriſtiani, nomine potius quam fide, eoſque in fide inſtruerent & baptizarent. Inito conſilio & communi conſenſu ſtatuit illuc ire Jordanus, qui cæteris melius callebat linguam Perſarum. Aſſumptis (itaque) ſecum duobus Chriſtianis Neſtorianis, quorum unus Indorum linguam optime noverat, & ut incognita interpretaretur ſemet exhibuit, navem aſcendentes venerunt Superam, in qua urbe prædicavit S. Thomas Apoſtolus, & eccleſiam conſtruxit, quam Pagani demoliti ſunt, ſed poſtea refecerunt Chriſtiani. Hîc catechizavit, baptizavit, & ſacra communione refecit (Jordanus homines) ferme 90. dum per dies quindecim moram traheret: ſed dum ad deſtinatam urbem Paroth ulterius pergere deſideraret, cum nautis pepigit ut veheretur. » Verum in littore ſtans jamjam navem conſcenſurus, hæc nullis fluctibus acta in altum recedit. « Stupens ad rem inſolitam (Jordanus)..... judicavit non eſſe Dei voluntatem ut elongaretur à conſociis, quibus decrevit ſcribere per illos Chriſtianos quos ſecum duxit...... deinde abiit in prædictam eccleſiam, ubi..... Dominum orabat ut conſociorum actus dirigeret. Erat autem feria 6. ante Ramos Palmarum (die 10. April.) & die antecedente hi pro quibus orabat glorioſum conſummarant agonem. Nocte ſequenti occurrerunt pavidi Chriſtiani, & quos inſtruxit diſcipuli

A dicentes ſupervenisse nuncium qui refert in carcerem actos Thanæ conſocios, & ſuadebant ut quantocius aufugeret: at ille reſpondit.... ſe Thanam reverſurum, & coram Mellicho (urbis præfecto) pro cæteris lingua quam noverat Perſica reſponſurum. Regreſſus Thanam invenit in quodam hoſpitio procul ab urbe quem miſerat epiſtolæ latorem, & alios Chriſtianos magno timore perculſos, qui narraverunt jam ſuos ſodales fuiſſe crudeliter interemptos.... Urbem ingreſſus (cognovit) rem omnem, uti nunc narro, contigiſſe. » Jordanus quatuor martyrum Franciſcanorum corpora, juvante Genuenſi quodam juvene, ſecum Superam adſportavit, ibique in eccleſia S. Thomæ, ea qua potuit veneratione, repoſuit.

ECCLESIA COLUMBENSIS.

Ipſe Jordanus quæ poſtea ſibi evenerunt in urbe Thana exponit epiſtola ſecunda ſupra citata, cujus nonnulla verba refero... « F. Jordanus Præd. Ordinis, omnium minimus, &c. Noverit omnium veſtrum paternitas veneranda, me ſolum ſine ſocio in India pauperculum & peregrinum eſſe, &c. Maneo ſolus C in civitate præfata (Thana) & circumadjacenti provincia per annos duos cum dimidio ingrediens & egrediens, &c. Quis enarrare valeat cuncta quæ paſſus ſum poſtmodum adverſa? Nam captus ſum à piratis, incarceratus à Saracenis, accuſatus, maledictus.... in camiſia ſola viliter tempore longo totaliter ſine habitu mei S. Ordinis uſque hodie derelictus. O qualem famem, ſitim, frigus, calores, ardores, maledictiones, corporis infirmitates, paupertates, perſecutiones, falſorum Chriſtianorum detractiones, aëris in- D temperies, & infinita alia paſſus ſum, &c! Sed & his majora uſque ad mortem paratus ſum ferre propter dulcem Jeſum, &c. Ultra tamen 130. utriuſque ſexus feliciter baptizavi, fieretque fructus glorioſus, ſi fratres ſancti venirent, qui ſe ad omnem patientiam & felix martyrium præpararent, &c. Notifico vobis, quod nomen noſtrum Latinorum majus eſt apud Indos, quam apud nos ipſos Latinos: ſed & Latinorum continue expectant adventum ſive paſſagium, quia ferunt in ipſorum libris penitus eſſe ſcriptum. Nec- E non & ſuo more tota die rogant Dominum, quod Latinorum acceleret optatum adventum. O quis hoc Papæ ſanctiſſimo nuntiabit! Peregrinus ego penitus nequeo, ſed vobis Patribus ſanctis totum commendo, &c. »

Obſervat R. P. Echard. *tom. 1. pag. 550. col. 1.* ante priorem epiſtolam Jordani (quæ extat in *cod. mſ. Colbert. 5496. memb. ejus ætatis*) aliam eſſe Fr. Bartholomæi Cuſtodis Thauriſii Ord. Min. ad Fr. Galeranum ejuſdem Ordinis Miniſtri Vicarium generalem,

Digitized by Google

ECCLESIA COLUMBENSIS.

qui ad calcem ſic loquitur: « Vicarius vero » FF. Præd. Fr. Nicolaus Romanus videns » litteram ſui fratris (Jordani) teſtimonium » perhibentis (penuriæ præconum) iter arripuit & verſus Indiam properavit. » Hæc Bartholomæi epiſtola data eſt Thaurifii in craſtino Aſcenſionis Domini. (Annus deeſt, ſed probabiliter labebatur annus 1323. quo epiſtolam poſteriorem ſcripſerat Jordanus die 20. Januarii, adeoque hæc data fuerit die 6. Maii.)

Addit præfatus Echardus, *ibidem col. 2.* « Videtur acceptis & lectis Jordani epiſtolis » vel anno 1323. vel ſequenti Franciſcus de Piſis (Ordinis Præd. auctor epiſtolæ de qua ſupra, ejuſque in India orientali conſocius) » jam in Aſia & forte in Perſia agens, ad eum » accuriſſe, ac in miniſterio verbi ſtrenuum ſe illi adjutorem præſtitiſſe, &c. »

Venit Jordanus Avenionem ad Joannem XXII. Papam anno 1329. Fuit enim, ni vehementer fallor, *Jordanus* ille *Catalani*, Ordinis Præd. quem eo ipſo anno 1329. vel initio ſequentis 1330. hic Papa creavit epiſcopum *Columbi*, & per quem tranſmiſit pallium, quo ornaretur archiepiſcopus Soltanienſis ejus metropolitanus. Certe Joannes ſcribens Joanni de Core electo Soltanienſi archiepiſcopo anno 1330. die 14. Febr. apud Raynaldum, *tom. 15.* ad eum annum, *n. 57.* ait: «...... pallium...... de corpore B. Petri » ſumptum per venerabiles Fratres noſtros » Thomam Semiſcatenſem, & *Jordanum Co-* » *lumbenſem epiſcopos ſuffraganeos tuos*, &c. duximus deſtinandum, &c. » Item in alia epiſtola data eodem anno 1330. die 8. April. *ibid. n. 55. Nobili viro domino Naſcarinorum* (gens eſt Indiæ citerioris, ubi urbs Columbo in inſula Ceylan, inquit R. P. Bremond, *to. 2. Bull. pag. 191. annot. 1. col. 1.*) *& univerſis ſub eo Chriſtianis Naſcarinis de Columbo,* hæc loquitur: «.... Ideoque univerſitatem veſtram rogamus, &c. quatenus *venerabilem fratrem* « *noſtrum Jordanum Catalani, epiſcopum Colum-* « *benſem, Præd. Ordinis profeſſorem, quem nuper* « *ad epiſcopalis dignitatis apicem auctoritate apo-* « *ſtolica duximus promovendum,* quemque ad « partes ipſas, velut fructuoſum futurum & « utilem, ut ſperamus, ad meſſem nationum « ipſarum partium in horrea Dominica inferendam, ad dictas partes providimus perſonaliter deſtinandum; necnon dilectos filios « fratres Prædicatorum & Minorum Ordinum « in dictis partibus commorantes, vel illuc venientes.... habere velitis propenſius commendatos: attendentes quod per tam longas « maris terræque diſtantias præfatus epiſcopus « & fratres, non abſque magnis laboribus & « periculis, pro ſola cooperatione divinorum « obſequiorum ad partes illas accedunt, &c. »

Waddingus narrat, *tom. 3. annalium* ad annum 1330. *num. XI. pag. 376.* miſſos hoc anno ad Malabarica regna in India orientali plures operarios ex Ordinibus Præd. & Min. ſimul cum *Jordano Catalani epiſcopo Columbenſi ex Prædicatoribus aſſumpto,* quos repetitis litteris Pontifex Chriſtianis Neſtorianis, & iis qui commorabantur in Molephatanis regionibus commendat eo anno die 22. Jan. Litterarum Joannis Papæ ad Molephatanos meminit Raynaldus, *num. 55.* Quid poſtea egerit Jordanus iſte nos latet, ut & ſimiliter an habuerit ſucceſſores.

VII. ECCLESIA SEMISCATENSIS.

SEMISCATA ſive *Gemiſcata* erecta eſt in ſedem epiſcopalem, & in ſuffraganeam data archiepiſcopo Soltanienſi à Joanne XXII. anno circiter 1329. Hanc ſitam fuiſſe in regionibus Chorazanæ vel Turqueſtiæ ſub ditione Imperatoris Tartarorum colligi poſſe videtur ex quadam epiſtola ejuſdem Papæ inferius memoranda.

Porro *Chorazana,* Gallicè *le Chorazan,* ex M. A. Baudrand, *tom. 1. geogr. p. 267. col. 1.* regio eſt Perſiæ perampla, verſus Tartariam extenſa, inter Mawaralnahram, Sabliſtaniam, Carmaniam, & Tabriſtaniam, ubi olim regiones, Aria, Bactriana ex parte, Margiana, & Paropamiſus. Charazanæ nomen latiori ſignificatu ulteriores quoque plagas deſignat, quæ Mawaralnahræ ſeu Tranſoxianæ regionis ſunt & Turkeſtanæ, uti ab Alfergano, & ſæpe à Perſis ſumitur, teſte Gollio in notis ad Alferganum.

Turcheſtia autem, Gallicè *le Turqueſtan,* ex eodem Baudrand, *tom. 2. pag. 345. col. 1.* pars eſt ampla Aſiæ in Tartaria, inter Tartariam veram ſeu magnam ad ſeptentrionem, & imperium Magni Mogolis ad meridiem, ut fere omnes narrant in hiſtoriis illius tractus. Sunt tamen, ſubdit ille, multi recentiores qui credunt nullam eſſe Turcheſtaniam, ſed in illo tractu eſſe regnum *Thibet* ſeu *Tobat* cum urbe primaria cognomine: quod extenditur, inquit *ibid. pag. 310. col. 2.* ab ortu in occaſum inter Tartariam magnam ad ſeptentrionem, & Indiam propriam ad meridiem, uti inter regnum Tangutum ad ortum & Mawaralnahariam ad occaſum: erat aliàs in eo tractu pars Scythiæ extra Imaum montem.

EPISCOPI

Digitized by Google

EPISCOPI SEMISCATENSES.

Thomas.

F. *Thomas Mancaſola*, Ordinis Præd. jam epiſcopus erat *Gemiſcatenſis* ſive *Semiſcatenſis* exeunte anno 1329. Nam Raynaldus, *to. 15. annalium* ad eum annum, *num. 96.* refert epiſtolam Joannis XXII. Papæ, *dilectis filiis Jeretanny, & univerſis Chriſtianis Ungaris, Malchaytis & Alanis,* datam *Avin. III. kal. Octob. anno XIV.* (id eſt die 29. Septembris anno 1329.) in qua hæc ait Pontifex: « Cupientes igitur, ut Chriſti familia ubique locorum incrementa ſuſcipiat, ſed maxime in ipſis partibus dilatetur, venerabilem fratrem noſtrum *Gemiſcatenſem epiſcopum,* vobis notum, ad partes ipſas cum noſtræ benedictionis gratia providimus deſtinandum. Quocirca devotionem veſtram monemus & hortamur in Domino J. C. quatenus ſacris inſtructionibus, quas idem *Thomas* & alii epiſcopi catholici, necnon dilecti fratres Prædicatorum & Minorum Ordinum, in ipſis partibus commorantes, in doctrina catholicæ fidei vobis fecerint, mentales aures devotius adhibentes, animos veſtros veritati ejuſdem fidei & ſanctorum Patrum auctoritati coaptetis, &c. » Hic Thomas miſſus fuerat ab Elchigadano Imperatore Tartarorum ad apoſtolicam ſedem, qui ejus nomine ſacerdotes & epiſcopos ad Tartaros in fide chriſtiana excolendos quos FF. Prædicatores & Minores ab errorum tenebris eruerant, depoſceret. Id palam fit ex reſponſo Joannis XXII. *ibid. num. 97. Magnifico viro Elchigadan Imperatori Tartarorum Coraſſan & Turqueſtan ac Indoſtan, gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.* « Paſtoralis officii, &c. perſonam tuam eo ſpecialius lucrifacere Domino cupimus, mentiſque tuæ oculos cognitione veræ & catholicæ fidei illuſtrare, quo propter beneficia & multa ſolamina quæ in terris dominio A tuo ſubjectis exhibes Chriſtianis, te magis præcipua affectione proſequimur, &c. Quod tu dilectos filios fratres Prædicatorum & Minorum Ordinum, fideles operarios J. C. in partibus Orientis evangelizantes in fervore ſpiritus verbum Dei, benigne ſuſcipis, devote pertractas, & officium eis hilaris hoſpitalitatis impendis. Colligimus etiam ex aliis tuorum laudabilium operum floribus tuæ devotionis inſignia, qui nuper duos fratres ejuſdem B Ordinis Prædicatorum, *venerabilem fratrem noſtrum Thomam nunc epiſcopum Seniſcantenſem,* cum uno ſocio ejuſdem Ordinis ſpeciales nuncios tuos ad apoſtolicam ſedem devote & humiliter deſtinaſti, petens & cupiens tibi per litteras apoſtolicas benedici, ac etiam de fide catholica informari. Laudabilia igitur vota tua gratis affectibus complectentes, *eumdem Thomam ad ſtatum proveximus paſtoralem,* curam animarum quas ad gregem C ſuum in civitate Seniſcantenſi cæleſtis pietas jam vocavit, vel vocabit in poſterum, eidem Thomæ epiſcopo auctoritate apoſtolica committentes, &c. Dat. Avin. IV. Nonas (id eſt die 2.) Novemb. anno XIV. (Chriſti 1329.) »

Anno ſequenti *univerſis converſis ad fidem catholicam, & catholicis Chriſtianis habitantibus inter infideles & ſchiſmaticas nationes in partibus Aquilonis, & etiam Orientis, & ſpecialiter in imperio Uſbech & Elchigaday* epiſtolam ſcripſit idem Pontifex, *ibid.* ad annum D 1330. *num. 55.* datam Avin. eo anno die 22. Januar. in qua, teſte eodem Raynaldo, illis commendat *Thomam Mancaſolam* epiſcopum Semiſcatenſem, ac Prædicatorii Ordinis religioſos viros, qui in eas oras ad evangelium diſſeminandum properabant. R. P. Bremond, *to. 2. Bull. p. 189. in annot. 3. ad bullam 77.* Joannis XXII. ait florere etiamnunc Placentiæ *Mancaſolam* gentem nobilem.

VIII. ECCLESIA DIAGORGANENSIS.

D*IAGORGANAM* eſſe in Perſide diſcimus, tum ex diplomate Joannis XXII. modo ſubjiciendo, tum etiam ex epiſt. F. Jordani Ord. Præd. cujus meminimus, *col. 1373.* A. ubi de eccleſia Columbi: at non æque liquet in quanam vaſti hujus imperii parte ſive regione ſita erat, ſilentibus ea de re communiter Geographis. Huic tamen epiſcopum Latinum præfecit anno 1329. præfatus Pontifex.

EPISCOPI DIAGORGANENSES.

Bernardus.

RAYNALDUS, *tom. 15.* ad annum 1329. *n. 95.* poſt relatam epiſtolam Joannis XXII. Trapeſundarum Imperatori, datam Aven. eo E anno die 1. Decemb. hæc ſubjungit: « Conceptæ ſunt eadem formula litteræ hortatoriæ ad Raſciorum, Tephelicenſium in Georgia, & Choracicenſium reges, atque ad Solagay, Miſſerquis, Tephelicenſes principes, tum

Digitized by Google

ECCLESIA DIAGORGANENSIS.

„ Carpi & Aliquis regulos, quos omnes ad „ repetendum Romanæ eccleſiæ ſinum exci- „ tavit: tum Prædicatores & Minoritas, qui „ iis in oris circumferebant evangelium, tum „ *Bernardum è Gardiola epiſcopum Diagorganenſem* enixe commendavit.„

Extat apud R. P. Bremond, *to. 2. Bullar. pag. 183.* alia epiſtola ejuſdem Pontificis, *dilectis filiis univerſis Chriſtianis in imperio Perſidis conſtitutis*, &c. data die XI. Septemb. anno 1329. in qua mentio fit de eo Bernardo his verbis: « Votis zelamus, &c. ideoque » univerſitatem veſtram rogamus, monemus, » & hortamur, &c. quatenus venerabilem fratrem noſtrum *Bernardum de Gardiola epiſcopum Diagorganenſem*, quem nuper ad epi- « ſcopalis dignitatis apicem auctoritate apo- « ſtolica duximus promovendum, quemque « ad partes ipſas velut fructuoſum futurum & « utilem, ut ſperamus, ad meſſem nationum « ipſarum partium in horrea Dominica infe- « rendam, ad dictas partes providimus perſo- « naliter deſtinandum: necnon dilectos filios « fratres Prædicatorum & Minorum Ordinum « in illis partibus commorantes, vel illuc ve- « nientes.... habere velitis propenſius com- « mendatos, &c.» Me latet quando obierit, quemve habuerit ſucceſſorem Bernardus iſte.

IX. ECCLESIA SUDENSIS.

DE eccleſia *Sudenſi* ſive *Sunenſi* nihil aliud mihi occurrit, niſi hanc fuiſſe Soltanienſis aliquando ſuffraganeam, eique præfuiſſe nonnullos ritus Latini epiſcopos.

EPISCOPI SUDENSES.

I. FRANCISCUS.
II. GUALTERUS.

WADDINGUS, *tom. 4.* ad annum 1398. *n. 2. p. 320.* refert *Franciſco* epiſcopo Sudenſi mortuo ſuffectum eſſe à Bonifacio IX. Papa eo anno die 21. Auguſti *Fr. Gualterum de Polema*, Minoritam.

III. NICOLAUS.

Daniel à V. M. *tom. 2. Speculi Carmelit. p. 946. n. 3326.* ſcribit ex Actis Conſiſtor. Martini V. haberi, *F. Nicolaum*, Carmelitam, renuntiatum eſſe epiſcopum *Sudenſem* anno 1419. die X. Januarii.

IV. JOANNES.

Anno 1524. die 6. Jan. deceſſit in urbe Senonenſi *Fr. Joannes de Medina*, Ordinis Minor. epiſcopus *Sudenſis* ſive *Sunenſis in Media ſub archiepiſcopo Soltanienſi.* Hæc Waddingus, *tom. 8.* ad annum 1524. *n. 33. pag. 410.* quem etiam, *tom. 4. in addit. ad tom. 2. p. 23. n. 29.* dixerat fuiſſe Triſtandi archiepiſcopi Senonenſis ſuffraganeum.

X. ECCLESIA TAURISII.

QUÆ *Tauris* vulgo appellatur, *Tebris* vero Perſis, & Latinè *Tabreſium* ſeu *Taureſium*, urbs eſt regni Perſarum perampla, in provincia *Adirbuitzan*, *Echbatana* olim dicta, & Mediæ regionis primaria Nigro, Maſio, ac aliis recentioribus; ſed multum defecit, & ideo ſedes regia ex ea à multis annis Aſpahamum tranſlata eſt. Diſtat autem 1100. circiter milliar. ab urbe Conſtantinopoli in ortum, Maracandam verſus 900. eſtque in vaſta planitie ad radices montium, juxta fluviolum Scheinkaio qui paulo infra cadit in fluvium cui Aggiſou nomen eſt. Ita M. A. Baudrand, *tom. 2. pag. 280. col. 2.*

EPISCOPI TAURISIENSES.

I. GUILLELMUS.

F. Guillelmus de Cigiis, Ordinis Prædic. an. 1329. renuntiatus eſt epiſcopus Taurisii in Perſide à Joanne XXII. Papa, ut diſcimus ex ejus epiſtola, *venerabili F. Zachariæ archiepiſcopo S. Thaddæi Apoſtoli de Corateſia in imperio Perſidis*, data *Avin. III. idus* (id eſt die XI.) *Sept. pontif. anno XIV.* Chriſti 1329. Ex Waddingo, *to. 3.* ad eum annum, *n. 13. pag. 367.* & R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pp. 182. & 183.* In ea ſic loquitur Pontifex: « Divina, ut firmiter credimus, eſt ordinatione proviſum, ut ad terras imperii Perſidis, « licet ab aliis terris quas regenerat unda bap- « tiſmatis..... magna maris terræque diſtantia « ſeparatas, licet plurium infidelium & hoſtium « fidei interſtitiis impeditas, nonnulli Prædica- « torum & Minorum Ordinum fratres, tanta « terrarum & locorum latitudine & diſtantia « peragrata, viri utique illuminati doctrina ve- « ræ fidei quam ſacroſancta Romana catholica «

Digitized by Google

« & univerſalis tenet eccleſia, &c. Ideoque fraternitatem tuam rogamus... quatenus... venerabilem fratrem noſtrum *Guillelmum de Cigiis epiſcopum Tauriſienſem,* Ordinis Præd. profeſſorem, quem nuper ad epiſcopalis dignitatis apicem apoſtolica auctoritate promoventes, &c. benigne ſuſcipias, &c. eumque epiſcopum, atque fratres (Ordinum Præd. & Min.)... habeas propenſius commendatos, &c.»

Refert Raynaldus, *to. 15.* ad annum 1330. *n. 56.* epiſtolam ejuſdem Pontificis, *univerſis Chriſtianis habitantibus in montibus de Albors,* datam *Avin. X. kal. Febr. anno XIV.* (id eſt die 23. Jan. anni 1330.) in qua ait: «Ecce igitur veſtris in hac parte deſideriis annuentes, &c. venerabilem fratrem noſtrum *Guillelmum de Cigiis epiſcopum Tauriſienſem,* & dilectos filios fratres Ord. Præd. viros utique magnæ religionis & vitæ, & in lege Domini eruditos ad vos providimus deſtinandos, &c.» Iiſdem die & anno datis litteris Maphrianum Jacobitarum (procul dubio Gregorium IV. de quo vide ſupra *to. 2.* hujus operis, *col. 1554.* B. C.) hortatus eſt Joannes Papa, ut creditos ipſius paſtorali curæ populos ad unionem cum Romana eccleſia induceret, & FF. Præd. ac Min. ad gentes miſſis faveret. «.... dilectos filios, inquit (ibid. n. 57.) fratres Prædicatorum & Minorum Ordinum ad partes ipſas venientes, vel morantes in eis, vel per illas tranſitum facientes charitative recipias.... & maxime venerabilem fratrem noſtrum *Guillelmum de Cigiis epiſcopum Tauriſienſem,* quem ad Dei laudem & gloriam, & paſcendum gregem fidelium in partibus illis prædicationis verbo pariter & exemplo eccleſiæ Tauriſienſi præfecimus in paſtorem, &c.» Nihil aliud de eo epiſcopo nobis innoteſcere licuit.

II. Bartholomæus.

Fontana *Theat. Dom. pag. 304. tit. 575. num. 3.* ſcribit ex chronico mſ. conventus Urbevetani Ord. Præd. *Fr. Bartholomæum de Abagliatis,* ejuſdem Ordinis, nobilem Senenſem, præfuiſſe eccleſiæ Tauriſienſi in Perſide, ſed ibidem, ut & apud Ugurgerium *in Pompis Senenſibus, tit. 7.* ſileri quo tempore id contigerit. Porro, quum inter ſex epiſcopos Ordinis Prædic. Franco Peruſino primo archiepiſcopo Soltanienſi aſſignatos ſocios à Joanne XXII. Papa in diplomate dato anno 1318. die 1. Maii, ut ſupra retulimus, ubi de eo Franco, *col. 1362.* C. nominetur *Bartholomæus Abaliati,* nihil prohibere videtur quin ſit iſte *Bartholomæus de Abagliatis,* Senenſis, qui proinde Guillelmo in ſede Tauriſienſi ſucceſſerit.

III. Joannes.

Anno 1375. *Joannes* quidam Ord. Præd. ſedebat epiſcopus Tauriſienſis in Perſide, qui eo anno Avenionem venit ad Gregorium XI. Ut enim narrat Fontana *in monum. Domin.* ad eum annum, *pag. 239.* Joannes ille per urbem Conſtantinopolim tranſiens ipſe aliique fratres Ord. Præd. diſputationem habuere cum Joanne Cantacuzeno ex Imperatore facto monacho, & cum doctoribus Græcis, de primatu ſedis Romanæ ſuper quoſcumque Patriarchas, etiam Conſtantinopolitanum, qui caput eccleſiæ Græcæ ſe venditabat. Convictus autem Cantacuzenus eumdem primatum confeſſus eſt. Id contigiſſe anno ſuperiori 1374. ſcribit Raynaldus, *tom. 16.* ad annum 1375. *num. 1.* & profert, *num. 2.* epiſtolam Gregorii Pontificis *Joanni dicto Cantacuzeno Ordinis S. Baſilii profeſſori,* datam *Avin. V. kal. Februar. anno V.* (id eſt die 28. Jan. an. 1375.) in qua hæc leguntur: «Inter deſideria, &c. Sane quia venerabilis frater noſter *Joannes epiſcopus Tauriſienſis,* lator præſentium, nobis expoſuit quod in quadam diſputatione, quam nuper tu & quidam alii Græci, tam prælati quam alii, cum quibuſdam FF. Ord. Præd. quos ad partes Armeniæ majoris ad conſervationem fidelium & converſionem dictarum partium mittebamus, ſuper his in quibus Græci à Latinis diſcordare noſcuntur, in civitate Conſtantinopolitana habuiſtis, non immemor verbi Salvatoris noſtri, qui dixit B. Petro, cujus ſumus divina permiſſione ſucceſſor: *Tu es Cephas,* &c. Sponte confeſſus te credere & tenere ſanctam Romanam eccleſiam, quæ mater eſt omnium fidelium & magiſtra, ſuper omnes orbis eccleſias obtinere primatum; & quod ad hoc defendendum, ſi expediret, morti exponeres corpus tuum. Cujus quidem epiſcopi, uti fide digni, relationi hujuſmodi nos fidem indubiam adhibentes, quamplurimum ſumus de dicta confeſſione lætati, &c. Quum enim hujuſmodi primatus negatio, olim præſumpta per Græcos eoſdem, diſſidii Latinorum & ipſorum Græcorum fuerit cauſativa, & conſervativa ſchiſmatis ſubſecuti; tuque, prout fama publica prædicat, ſis vir magnæ prudentiæ, &c. ſperamus in Deo... quod effectu obedientiæ & concordandi cum dictis eccleſia & Latinis in aliis in quibus hactenus diſcordaſti, donum pretioſius largietur; nec, ſi voles, ſolus accedes ad arcam Domini, ſed innumerabiles manipulos præſentabis eidem, &c.» Cum ea epiſtola, duas alias ejuſdem Gregorii XI. iiſdem die & anno datas, *Joanni* ſcilicet *Palæologo,* & *Emanueli* ejus filio, quas exhibet Raynald. *ibid. nn. 4. & 5.* Conſtantinopolim portavit Joannes ad ſuam eccleſiam Tauriſienſem revertens.

Is Joannes fortaſſis fuit *Joannes* ille *de*

Digitized by Google

ECCLESIA TAURISII.

Rothomago, Ordinis Præd. quem Cavalerius, *tom. 2. Galler. Domin. pag. 28. num. 67.* & R. P. Jacobus Echard. in *indice epiſcoporum Ordinis Præd. initio tom. 1. Scriptor. pag. 26. col. 2.* aſſerunt fuiſſe epiſcopum Caphenſem & Tauriſienſem, ſed quem perperam aſſignant ad annum circiter 1268. quum eccleſia Caphenſis erecta fuerit in ſedem epiſcopalem anno duntaxat 1317. à Joanne XXII. Papa, qui ei primum antiſtitem præfecit F. Hieronymum, Minoritam, ut ſupra dictum eſt inter epiſcopos Caphenſes, *col. 1103.* A. B. R. P. Echardus laudatus cenſet Joannem illum ex eccleſia Tauriſienſi ad Caphenſem migraſſe. Si id ita ſit, & fuerit Joannes iſte ipſe Tauriſienſis epiſcopus ſub Gregorio XI. florens, de quo agimus impræſentiarum, ſucceſſerit utique poſt annum 1375. in ſede Caphenſi *III. Conrado,* Minoritæ, quem memoravimus, *col. 1105.* Ab ejus quippe pro-

A motione anno 1358. die 29. Jan. uſque ad annum 1390. die 9. Decembris, neminem reperimus qui Conradum exceperit.

IV. FRANCISCUS.

Fr. Franciſcus Cinquinus, Piſanus, Ordinis Præd. zelo fidei ſuccenſus in orientales oras perrexit, ibique fuit epiſcopus Tauriſienſis ſæculo decimo quinto. Plurimis autem ad religionem catholicam adductis, rediit in patriam.
B At graſſante lue in urbe Piſana, infirmorum obſequio ſeſe devovit, quibus quum ſacramenta & cibum aſſidue miniſtraret, ipſe extinctus eſt cum fama ſanctitatis; adeo ut populus ingenti concurſu funus ejus cohoneſtaverit. Hæc Fontana *Theat. Dom. p. 304. num. 575.* ex monumentis cœnobii Piſani, quæ tempus non expreſſere; ſed Mich. Pio, *part. 2. lib. 3.* & Fernandez *in epiſcopis Ital.* de eo Franciſco ſub anno 1450. loquuntur.

XI. ECCLESIA SALMASÆ *ſive* SALMASTRI.

SALMASA, Abulphedæ *Tab. geogr. num. 413. Salamas,* urbs Aderbiganæ ſeu Mediæ antiquæ, in ejus finibus ad occaſum poſita, à Geographo Nubienſi *Clim. 4. part. 6.* in Armenia collocatur, olim epiſcopalis ſub metropolitano Arbelenſi, deinde ſub metropolitano Aderbiganæ; poſtea metropolitana & ipſa. Maſius in epiſtola ad Augerium Buſbeckium apud doctiſſimum abbatem Aſſemanum, *tom. 1. Bibl. Orient. pag. 525. col. 1.* hanc appellat *Salmaſtum,* aitque dierum circiter octo itinere à Ninive diſtare verſus Orientem. Hæc idem Aſſemanus, *tom. 3. part. 2. pp. 773. & 774.*

EPISCOPI SALMASÆ *ſive* SALMASTRI.

I. THOMAS.

II. WILLELMUS.

EX Waddingo, *tom. 5. annal.* ad annum 1402. *num. 12. pag. 8. Thoma* epiſcopo Samaſtenſi in partibus Infidelium tranſlato ad aliam eccleſiam, quam ipſe non nominat, ei ſuffectus eſt à Bonifacio IX. eo anno die 6. Novembris *Fr. Willelmus de Wildenhotcz,* Ordinis Minorum.

III. MARCUS.

Anno 1430. die 19. Jun. renuntiatus eſt à Martino V. Papa epiſcopus Salmaſtrenſis in Perſia ſub Patriarcha Muzal in Aſſiria *Fr. Marcus de Pera,* etiam Minorita. Ita laudatus Waddingus ad eum annum, *n. 32. p. 225.* Extat *ibid. in Regeſto Pontif. p. 172.* epiſtola quædam hujus Romani Pontificis, ſic inſcripta: *Dilecto filio Nicolao de Tibure Ordinis*

C
Minorum profeſſori, capellano noſtro, apoſtolicæ ſedis nuntio, & in Caphenſi, Chienſi, Metellinenſi, Symbalienſi, & Salmaſtrenſi civitatibus & diœceſibus, & in terra Peræ diœceſis Conſtantinopolitanæ, jurium, fructuum, reddituum, & proventuum Cameræ apoſtolicæ collectori, &c. *Ex fideli,* &c. Data eſt die 26. Jan. anno 1429. Ex ea autem inſcriptione diſcimus iis in locis ævo illo adhuc plurimos extitiſſe fideles ritus Latini, quibus ſubinde nihil vetat
D
præfuiſſe ejuſdem ritus epiſcopos.

IV. HENRICUS.

Fontana *Theat. Dom. pag. 284. tit. 510.* ſcribit ex Plodio, id eſt, Mich. Pio, *part. 2. lib. 3.* & Fernandez *in epiſcopis Germanicis,* eccleſiæ Salmeſtenſi datum eſſe in præſulem *Fr. Henricum de Praga,* Ordinis Præd. circa annum 1460.

Digitized by Google

XII. ECCLESIA S. THADDÆI.

EX notitia epiſcopatuum diœceſis Armeniæ, *Macu* archiepiſcopatus magnus eſt in provincia Artaz, in cujus cathedrali eccleſia corpus eſt S. Thaddæi: habetque ſub ſe epiſcopatus quinque, *Auhar, Hoi, Jormi, Maratha,* & *Salmaſta* ſive *Salmaſam:* ex quo diſcimus *Macu* ipſam eſſe urbem quæ *S. Thaddæi* dicitur Chriſtianis. Vide *tom. 1.* hujus operis, *coll. 1445. 1446.*

EPISCOPI S. THADDÆI.

I. Cachana. *Zacharias.*

RAYNALDUS, *tom. 15. annal.* ad annum 1321. *num. 5.* ſcribit, conſtituendis Tartariæ eccleſiis intentum Joannem XXII. Papam, quum nonnullos in Cameleſia ad dignitates eccleſiaſticas irrepſiſſe illegitime accepiſſet, aliquos etiam ſacris Ordinibus rite initiatos non eſſe, ut his mederetur malis archiepiſcopo *S. Thaddæi* è Cameleſia provinciam dediſſe, ut, vel ſacros Ordines, vel auctoritatem neceſſariam, pontificio nomine, hujuſmodi promotis conferret. Extat *ibid.* Joannis Papæ ea de re epiſtola inſcripta: *Venerabili fratri Cachanæ archiepiſcopo S. Thaddæi Apoſtoli de Cameleſia, & dilectis filiis Vicario Prædicatorum & Cuſtodi FF. Minorum in imperio Tartarorum conſiſtentibus. Quum, ſicut accepimus,* &c. *Dat. Avin..... idus Octobris anno V.* (id eſt eo menſe anno 1321.)

Eodem tempore alius erat S. Thaddæi archiepiſcopus, nomine *Zacharias,* Armenus, qui fidem catholicam amplexus, Chriſtianis Armenis probabiliter præerat, non Latinis. Idem enim Raynaldus, *n. 6.* epiſtolam exhibet præfati Joannis XXII. *venerabili fratri Zachariæ archiepiſcopo S. Thaddæi, Datum Avin. X. kal. Decemb. anno VI.* (id eſt die 22. Novemb. anno 1321.) in qua ait Pontifex: «Sane, dilectiſſime frater, de te multæ lætitiæ cauſam & exultationis habemus, quia tu in ejuſdem fidei veritate ſpiritu beatæ conſiderationis inductus, pro divini nominis gloria ſtabiliter perſeverans, pro ipſius obſervatione fidei ab æmulis ejus multas te perpeſſum anguſtias, multoſque te percepimus pertuliſſe labores, &c. Profecto quod tu ad hanc fidei veritatem zelo devotionis afficeris, quod ipſam devotus amplecteris, quod ad unitatem & obſervantiam ejus cunctos tibi ſubditos exemplo laudandæ imitationis inducis; ſciens cum Apoſtolo quod, ſicut unus eſt Dominus, unumque baptiſma, ſic cunctorum debet eſſe fidelium una fides, &c.» Illum identidem monet, ne Sacramentum confirmationis adminiſtrari, vel oleum infirmorum conſecrari à ſimplicibus preſbyteris pateretur. Ad eumdem quoque Zachariam ſcripſit Joannes

A Papa anno 1329. die XI. Septemb. epiſtolam cujus ſuperius meminimus ſub Guillelmo de Cigiis epiſcopo Tauriſienſi, *col. 1379.* C.

De eo S. Thaddæi præſule ejuſque eccleſia hæc refert Joannes Chernacenſis Armenus in epiſtola ſua ad fratres Armenos Unitos, apud Clementem Galanum, *tom. 1. conciliat. eccl. Armenæ cum Romana, cap. 30. nn. 29. & 30. pag. 517.* «Ex iſtis autem Prædicatoribus miſſi fuere aliquot à SS. Pontifice Joanne XXII. cum litteris pontificiis ad domnum Conſtantinum Cæſarienſem, Ar-B meniæ Patriarcham, necnon ad regem Oſcinum (ſive Oſſinium); qui quidem Patriarcha, convocans quotquot potuerat, ſuæ diœceſis epiſcopos ac præſules, unà cum ipſo rege Oſcino ac principibus regni, concilium celebravit (concilium fuit Adanenſe, cujus acta exhibet idem Galanus, *ibid. cap. 29. p. 472. & ſeqq.*) in quo Armeni, peracta jam cum S. R. E. unione, obedientiam Romano Pontifici promiſere. Inter epiſcopos autem qui ad concilium convenere, adfuit etiam *archiepiſcopus Zacharias qui præerat eccleſiæ ſancti* C *Thaddæi Apoſtoli,* ubi eſt ejus ſepulcrum, verſus Orientem, trans fluvium Araxem, in confinibus regionis Parthorum, haud procul à celebri monte Ararat in quo, ſecundum conſtantem Armenorum traditionem, requievit arca Noemi.»

II. ***

Benedictus XII. Papa ſcripſit anno 1341. die 1. Auguſt. *Catholico Armenorum* litteras, quibus eum hortabatur ut diligentiam in celebranda ſynodo adhiberet, atque errores in libello quem ei mittebat deſcriptos confutatóſque damnaret. Sollicitavit etiam aliis D litteris archiepiſcopos *S. Thaddæi in majori Armenia,* Navarnazenſem, Tarſenſem, & Soltanienſem, ut in illud opus ſtudia ſua conferrent. Ita Raynaldus ad eum annum, *n. 46.* ubi litteras Pontificis ad Catholicon Armenorum exhibet. Porro archiepiſcopus iſte S. Thaddæi alius eſſe potuit à *Cachana* vel *Zacharia* ſupra memoratis. Sed ipſe, & præfatus *Cachana* videntur fuiſſe præſules Latini ritus, quidquid ſecus aſſeratur, *to. 1. col. 1446.* B. C.

Digitized by Google

ECCLESIA S. THADDÆI.

III. Bertucius.
IV. Joannes-Baptista.

R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pag. 449.* refert diploma Bonifacii IX. Papæ, datum anno 1402. die 5. Maii, quo poſt obitum *Bertucii* archiepiſcopi S. Thaddæi in Armenia, huic eccleſiæ præficitur *Fr. Joannes-Baptiſta de Inſula,* Ordinis Præd.

V. Hieronymus.
VI. Job.

Hieronymo archiepiſcopo S. Thaddæi apoſtata facto, Martinus V. Papa in ejus locum ſubſtituit *Fr. Job de Macho,* Ordinis Præd. Id conſtat ex diplomate pontificio dato anno 1424. die 13. Mart. apud laudatum R. P. Bremond, *ibid. p. 643.* in quo hæc leguntur: «*Dilecto filio Job de Macho electo Machoenſi,* A &c. Quum itaque eccleſia S. Thaddæi Machoënſis, ex eo quod nos nuper iniquitatis filium *Hieronymum,* de cujus perſona dudum præfatæ eccleſiæ tunc vacanti fuerat apoſtolica auctoritate proviſum, quique in vi proviſionis hujuſmodi poſſeſſionem pacificam aſſecutus, abnegata palam catholica fide Jeſu Chriſti Redemptoris & Domini noſtri, blaſphemus notorius eſt factus, de fratrum noſtrorum conſilio dicta eccleſia, ac ejus regimine B & adminiſtratione declaramus eſſe privatum, & ſententialiter privavimus & amovimus ab eiſdem, vacaverit & vacet ad præſens, &c. demum ad te Ordinis FF. Præd. &c. quique ex illis partibus oriundus, illis verbo prodeſſe poteris, direximus oculos mentis noſtræ, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum III. idus Mart. pontif. noſtri anno VII.»

XIII. ECCLESIA NAVARZANENSIS *ſive* NAHARVANENSIS.

NAVARZANA probabiliter eadem eſt ac *Naharvana,* de qua ſic loquitur Aſſemanus, *tom. 3. part. 2. pag. 766.* «*Naharvana* urbs eſt epiſcopalis in Babylonia, Koſræ conjuncta, ad provinciam patriarchalem (Syro-Neſtorianorum) ſpectans, de qua hæc Abulpheda *Tab. geogr. n. 282. Naharvana, nomen oppidi eſt, & fluminis quo interſecatur: eſtque urbecula à Bagdado quatuor paraſangis diſtans.* Ab Herbelotio, *pag. 658.* inter Bagdadum & Vaſetam ponitur.»

EPISCOPI NAVARZANENSES.

* * *

ANno 1341. ſedebat quidam præſul *Navarzanenſis,* quem, ut & archiepiſcopos ſancti Thaddæi, Tarſenſem & Soltanienſem, ſollicitavit eo anno Benedictus XII. Papa die 1. C Aug. ut Catholico Armenorum opem ferrent, ad proſcribendos, congregata ſynodo, errores aliquos qui Armenis imputabantur. Apud Raynaldum, *tom. 16.* ad eum annum, *num. 46.*

XIV. ECCLESIA DIATAGERENSIS *ſive* DIATARAGENSIS.

FONTANA *Theat. Dom. p. 72. tit. 39.* ſcribit Diatagerenſem eccleſiam fuiſſe in Perſide, tituloque archiepiſcopali potitam, cujus unum præſulem ſubminiſtrat.

EPISCOPI DIATAGERENSES.

Gerardus.

GERARDUS *de Monte-Peſſulano* in Gallia, Ord. FF. Præd. ex laudato Fontana, divino ſpiritu inflammatus, cum pluribus aliis ejuſdem Ordinis in Perſidem contendit, catholicam fidem in vaſtiſſimis illis regionibus annuntiaturus: quum vero plures ibidem ad Chriſti eccleſiam adduxiſſet, deceſſit in urbe D Tauriſio die 1. Novemb. anni 1322. De eo Leander Albertus, *lib. 3. de viris illuſtribus Ordinis Præd.* ita loquitur, *pag. 121.* «Cum Superioribus præclariſſimis connumerabimus *Geraldum* ex Monte-Peſſulano oriundum, virum ſanctum, & devotum antiſtitem in urbe Diataraga provinciæ Perſidis, cujus obitus fuit Tauriſii 1322. kal. Novemb. Porro poſt mortem is celeberrimis miraculis claruit.»

Digitized by Google

XV. ECCLESIA BASSORENSIS.

DE urbe *Baſſora* hæc tradit Mich. Antonius Baudrand, *tom. 1. geogr. pag. 140. col. 1.* « *Balſera* ſeu *Bas-ra*, & *Baſſora*, olim *Teredon*, urbs Aſiæ & emporium celebre Arabiæ deſertæ, in confinio Chaldææ ſeu provinciæ *Yerach* dictæ, ad fluvium Arabum *Schat-el-Arab*, ſeu ad Tigrim & Euphratem fluvios ſimul unitos, bidui itinere infra Bagdatum in meridiem, & 12. leucis diſtans in ſeptentrionem à ſinu Perſico, qui ab ea dicitur etiam à multis ſinus Balſeræ. Gaudet portu capaci & tuto, eſtque caput præfecturæ ſeu principatus cognominis cum caſtro munito. » Subjungit autem, ad vocem *Teredon*, *to. 2. p. 299. col. 2.* « *Teredon*, urbs Babyloniæ Ptolemæo & Æliano, quæ ab aliis Arabiæ tribuitur, nunc *Baſſora* dicitur, ſive *Balſera* & *Bas-ra*, eſtque hodie urbs Arabiæ deſertæ, in confinio Arabiæ felicis, teſtibus Philippo à S. Trinit. Thevenotio, & aliis, verſus confinia provinciæ *Hierach*, &c. Diſtat à Babylone navigatione 15. dierum, Armuſium verſus 600. milliar. circiter, &c. » Obſervat Cellarius, *to. 2. geogr. antiq. lib. 3. cap. 16. pag. 759.* Ptolemæum poſuiſſe urbem Terebonem inter oſtia Tigris intus, ſeu reductius à mari; Strabonem vero conjunxiſſe bis illam cum oſtio Euphratis, item Dionyſium in Periegeſi. *Forſan*, inquit, *inter Euphratem & Tigrim circa oſtia fuit Teredon ſita. Ex iiſdem etiam adparet Euphratem olim in ſinum Perſicum peculiari oſtio exiſſe, licet foſſis poſtea, & variis deductionibus, mutata rerum facies fuerit: ideoque Ptolemæus ſilentio id oſtium prætererit.* Unum præſulem reperi Baſſorenſem Latini ritus.

EPISCOPI BASSORENSES.

ROGERIUS.

ANte annum 1363. *Fr. Rogerius*, Siculus, è Platia, Ord. Min. Friderici III. capellanus, epiſcopus *Baſſorenſis* fuit, urbis ſcilicet *Baſoræ* (ſive Baſſoræ) *mercatu celebris haud procul à ſinu Perſico.* Deinde ad eccleſiam Mazarenſem in Sicilia tranſlatus eſt, de quo, ut Mazarenſi præſule, mentio extat die 6. Oct. anni præfati 1363. Indict. 11. in Tabulis Montis S. Juliani. Obiit Mazaræ anno 1383. die 13. Januar. Ita Rocchus Pirrus, *volum. 2. Sicil. ſac. pp. 105. num. VII. & 508. num. 23.*

XVI. ECCLESIA ASPAHAMENSIS.

ASPAHAMUM, aliàs *Aſpa* & *Hiſpahan*, urbs eſt Perſidis præclara in provincia Hierach ſive Yerach: à multis *Aſaphan* & *Haſpachan* dicitur, à Perſis vero *Spahan*. Sita eſt in planitie perampla montibus circumſepta, & rigatur fluvio Zenderoud, qui à monte Rimavend delatus ipſam in duas partes ſecat. Hæc M. A. Baudrand, *tom. 1. geogr. p. 110. col. 2.* Aſſemanus, *tom. 3. Bibl. Orient. part. 2. p. 725.* ait Aſpahanenſem eccleſiam metropolitano Neſtorianorum Perſidis ſubjacuiſſe, licet in Tabula Eliæ Damaſceni non recenſeatur. Huic ab uno circiter ſæculo præfecti ſunt nonnulli antiſtites ritus Latini.

EPISCOPI ASPAHANENSES.

I. TIMOTHEUS.

II. *fortaſſis* TIMOTHEUS *alter.*

III. JOANNES.

ROCCHUS Pirrus, *volum. 2. Siciliæ ſacræ p. 554. poſt med.* tradit *M. Timotheum Perez*, Siculum Mazarenſem, Carmelitam, à Romano Pontifice anno 162.. (creatum eſſe) *epiſcopum Aſpahanenſem in Perſia:* (qui tunc quum ſcilicet ipſe hæc ſcribebat ante annum 1646.) ſuffraganeus erat Toleti.

Neſcio an alius ab iſto non fuerit Carmelita ejuſdem nominis, cujus meminit Daniel à V. M. *to. 2. Spec. Carmel. p. 957. n. 3368.* hunc enim dicit *Hiſpanum de Malacha.* « *Timotheus Perez*, inquit, *Hiſpanus de Malacha*, inſtitutus eſt epiſcopus Babylonis ſeu Bagdat die 2. Aug. 1632. ſimulque deſtinatus coadjutor cum futura ſucceſſione *epiſcopi Aſpanenſis* (Aſpahanenſis) in Regia Perſarum: unde dicitur *epiſcopus Aſpanenſis.* Poſtmodum titulum eccleſiæ Lyſtrienſis in Lycaonia habuit, ſub quo obiit Toleti die 5. Aprilis anno 1651. »

In nunciis Gallicis anni 1632. legimus, *pp. 409. & 451.* Romæ proclamatum eſſe eo anno die 6. Sept. & die 19. ejuſdem menſis conſecratum à Cardinali Spada in templo *del anima*, pro epiſcopatu *Aſpahanenſi*, *Joannem*

Digitized by Google

ECCLESIA ASPAHANENSIS. *Thaddæum*, Carmelitam diſcalceatum, Hiſpanum, ut ſtatim in Perſidem pergeret, ipſo rege Perſarum in id conſentiente.

IV. Barnabas.

R. P. Bremond ſcribit, *to. 6. Bull. p. 620.* ex P. Jacobo Echard. in indice epiſcoporum initio *tom. 2. Scriptor. pag. 31. col. 2.* & ex P. Dominic. Ponſi in vita R. P. Antonini Cloche Magiſtri Generalis Ordinis Prædic. *cap. 8. pag. 215. num.* L. *Fr. Barnabam de Fidelibus,* Ordinis Præd. alumnum Congreg. A S. Sabinæ, renuntiatum eſſe *epiſcopum Aſpahanenſem* in Perſide à Clemente XI. an. 1716. quem promotum die 8. Jun. aſſerit laudatus Echardus.

V. Philippus.

Ex nuntiis Gallicis anni 1732. *pp. 402. & 439.* proclamatus eſt Romæ die 21. Julii à Cardinali Zondodari *R. P. Philippus Maria de S. Auguſtino,* Carmelita diſcalceatus, pro epiſcopatu *Aſpahanenſi* in Perſide, quò paulo-poſt perrecturus erat ut miſſionarius apoſtolicus.

XVII. ECCLESIA BAGDADI *ſive* BABYLONIS.

BAGDADUM, aliàs *Baudras,* teſte Pineto, & etiam *Seleucia* ab Antiocho Seleuci filio ex patris nomine, nunc *Bagdad* & *Baghdet,* urbs Aſiæ dives, ampla & valde munita provinciæ Iracæ *Yerach* caput ad Tigrim fluvium, antea Califarum ſedes, deinde regibus Perſarum ſubdita fuit uſque ad annum 1638. quo in Turcarum cecidit poteſtatem. Crevit ex ruinis *Babylonis,* cujus hodie pauca quæ ſuperſunt rudera ad Euphratem, unius diei itinere inde diſtant in ſeptentrionem. Extructa fuit ab Almanſore Abugiafar XXIII. Calipha & Abbaſidarum XI. anno 762. & nuncupata *Bagdad,* id eſt, *hortus Dadi,* quod Perſa quidam hujus nominis hîc amplum poſſideret hortum. Abeſt autem ab urbe Aſpahamo 400. milliar. in occaſum, 140. à Ninive in meridiem, vix 200. ab oſtiis Tigridis in ſeptentrionem, 280. à Suſa in occaſum, & 500. ab Echbata in meridiem. Porro Babylon, cujus ſedes archiepiſcopalis ad urbem Bagdadum tranſlata eſt, caput extitit Chaldaicæ regionis, quæ *Babylonia* ab ea dicebatur. Nembrod ſeu Belus eam urbem condiderat circa Noe obitum: poſtea eamdem Semiramis regina mœnibus cinxit tam latis ut quadrigæ obviæ ſeſe non impedirent, unde & inter ſeptem orbis miracula computabantur. Hæc Mich. Antonius Baudrand, *tom. 1.* ad vocem *Babylonis, pag. 133. col. 2.* & *Bagdadi, pag. 137. col. 1.* & *tom. 2.* ad vocem *Seleuciæ, pag. 223. col. 1.*

ARCHIEPISCOPI BAGDADI *ſive* BABYLONIS.

I. Timotheus.

TIMOTHEUS *Perco,* Siculus, Carmelita diſcalceatus, *archiepiſcopus Babylonis* proclamatus eſt Romæ anno 1632. die 6. Septemb. & die 19. ejuſdem menſis conſecratus unà cum Joanne Thaddæo de S. Elizæo, Hiſpano, epiſcopo Aſpahanamenſi, Carmelita pariter diſcalceato, à Cardinali Spada in baſilica *del anima.* Die vero ſequenti pallium ei conceſſum eſt. Roma demum uterque exivit ante diem 9. Octob. ut in Perſidem ſe transferrent, de conſenſu regis Perſarum. Ex nuntiis Gallicis hujus anni 1632. *pp. 409. & 451.*

II. Bernardus.

Bernardus de S. Thereſia, Gallus, natus Clameſſii in diœceſi Antiſſiodorenſi anno 1597. die 22. April. Ordinem Carmelitarum diſcalceatorum amplexus eſt Pariſiis anno 1614. Antiſtes Babylonis renuntiatus Romæ an. 1637. & conſecratus ibidem à Cardinali Pallotta, in Perſidem perrexit anno 1639. Aſpahamum appulit anno ſequenti. In Gallias reverſus anno 1647. obiit Pariſiis cum B ſanctitatis fama in ſeminario Miſſionariorum die XI. April. anno 1669. Ita relatio quædam de ejus vita Gallicè ſcripta, quæ extat in nuntiis itidem Gallicis anni 1669. *num. 48. pag. 355.*

Bernardi hujus meminit Leo Allat. *lib. 3. de conſenſ. utriuſque eccleſ. edit. Colon. 1648. col. 1058. cap. 10. n. 3.* ubi ait: «Sic etiam in aliis patriarchatibus orientalibus Alexandrino, Antiocheno, & Hieroſolymitano, « multi catholici vitam agunt, quos partim in « Aſia & Ægypto per ſuos curat cogitatque « Guardianus Hieroſolymitanus, partim Ma- « C ronitarum Patriarcha cum ſuis archiepiſcopis « & epiſcopis, partim *Babyloniæ epiſcopus Bernardus, Carmelitanus diſcalceatus,* cum aliis « ad id miſſis, Auguſtinianis, Carmelitanis, « Capucinis, & Dominicanis, cum eorum epiſcopo Aſcevan Latino nomine Auguſtino: « (ii Latinum) ſervant ritum, ſed in lingua « Armena.»

III. Placidus.

Ex ſimilibus nuntiis anni 1661. *pag. 721.* eo anno menſe Jun. *R. P. Placidus Ludovicus* du

Digitized by Google

du Chemin, Benedictinus Congreg. S. Mauri in Gallia, renuntiatus eſt epiſcopus Neocæſareæ & *coadjutor archiepiſcopi Babylonis,* & in hunc finem conſecratus Romæ à Cardinali Antonio Barberino in baſilica S. Ludovici Francorum.

IV. Pidou.

Anno 1687. ſub finem menſis Novemb.

A *R. P. Pidou,* clericus regularis, Theatinus, quem jam ſacra congregatio de Propaganda Fide in miſſionarium apoſtolicum elegerat, proclamatus eſt Romæ pro archiepiſcopatu *Babylonis* à Cardinali Altieri. Ex iiſdem nuntiis hujus anni, *pag. 689.*

XVIII. ECCLESIA MARAGÆ.

Doctissimus abbas Aſſemanus Maronita, *tom. 3. Biblioth. Orient. part. 2. pp. 761. & 762.* hæc nos docet de urbe Maraga, quam vel omiſere Geographorum plerique, vel ſub alio nomine deſcripſere. « *Maraga* Aderbiganæ urbs, ad occaſum Tauriſii poſita, ab ea 17. paraſangis diſtans, juxta Abulphedam *Tab. geogr. num. 417.* Ibi archivum celebre librorum Syriaco, Arabico, & Perſico ſermone exaratorum, unde annales ſuos Abulpharagius ſe collegiſſe teſtatur. Frequentes in ea urbe ſub Tartaris Chriſtiani, cum Jacobitæ, tum Neſtoriani, quorum Patriarcha Jaballaha domicilium ibidem habuit. Eſt & Marga urbs epiſcopalis ſub metropolitano Adiabenico: an eadem (ſit) cum ſuperiori non auſim definire. Thomas (Margæ) epiſcopus qui IX. ſæculo ineunte claruit, eam in Aſſyriæ ſeu Adiabenæ finibus inter Aderbiganam regionem & urbes Solecen atque Daſenam ponit, in ea Zabæ majoris minoriſque parte quæ initium Mediæ ſeu Aderbiganæ reſpicit.... qui videtur eſſe *Maragæ* ſitus. Sed obſtat utriuſque nomen (diverſum Syriacè & Arabicè.) Præterea (Marga) in ditione Moſulana.... collocatur ab Amro.... *Maraga* vero non paucis inde paraſangis abeſt, ut ex tabulis geographicis apparet. » Idem Aſſemanus ſupra, *pag. 423. num. 6.* ait: « Media à Madaï filio Japhet (Gen. x. 2.) dicta, inter Parthiam & Hircaniam ad ortum, Armeniam majorem ad occaſum, Aſſyriam Suſianamque ad meridiem, & mare Caſpium ad boream, eas olim regiones complectebatur, quas recentiores (Herbelot. *Biblioth. Orient. pag. 790.*) vocant *Scirvan* & *Adhorbigian.* Urbes præcipuæ ſunt Tabriz (Tauriſium) Ardebil, *Maraga,* Salmas, &c. » Maragæ antiſtites aliquot Latini præfuere ſæculo XIV.

EPISCOPI MARAGÆ.

I. Bartholomæus.

Bartholomæus, cognomento *Parvus,* Bononienſis, Ordinis Prædicatorum, initio ſæculi XIV. ſic præclaris dotibus erat conſpicuus, ut, illis auditis, Joannes XXII. Papa eum ad ſe Avenionem accerſiri fecerit, & *Maragenſem* conſtituerit epiſcopum. Id contigiſſe anno circiter 1320. ex modo dicendis colligere eſt. De eo quippe hæc ſcribit Clemens Galanus, Theatinus, miſſionarius apoſtolicus ad Armenos, *tom. 1. conciliat. eccleſ. Armenæ cum Romana, Rom. 1650. cap. 30. p. 508. n. 1.* ex ſcriniis Armenis in Armenia apud Dominicanos ſervatis.

« Florebat, inquit, tempore Joannis Papæ XXII. in religione FF. Prædic. cum vitæ ſanctimonia, tum divinarum humanarumque ſcientiarum peritia, ob quam ad magiſterii gradum jam evehi promeruerat, B. Bartholomæus Bononienſis, cujus virtutum fama permotus idem ſummus Pontifex, conſecravit eum epiſcopum, non Armeniæ quidem, ut communiter dicitur, ſed *provinciæ Maragenſis,* ſic à primaria ejus urbe *Maraga* nuncupatæ, quæ inter Armenorum Parthorumque B confinia ſita eſt. Incolebat autem tunc temporis non ſolum Armeniam, ſed multas etiam Perſidis urbes, ingens Chriſtianorum ſchiſmaticorum multitudo, quos bonus paſtor uti aberrantes in viam veritatis adduceret, vel cum vitæ diſpendio, ſi neceſſarium foret, diu noctuque animo revolvebat. Quum tandem linguam Perſicam didiciſſet, ac plurimos, Deo dante, ad catholicam perduxiſſet fidem... extruxit unà cum aliquibus ſociis in monte quodam monaſterium Eremiticum.... (cujus cellulæ) uſque adhuc videntur: talem denique in reducendis paſcendiſque Chriſti ovibus ſe C exhibuit, ut virtutis doctrinæque ejus auditio jam in multas dimanare cœperit regiones.

Interim anno poſt Chriſtum natum 1328. clarus inter Armenos monachos, ac totam per Armeniam celeberrimus erat magiſter quidam inſignis, nomine Iſaias, qui in ſuo ubi præerat cœnobio non longe à civitate Eravan, trecentos ſeptuaginta ex diſcipulis ſuis magiſterii dignitate.... condecoraverat; atque unus fuerat ex iſtis.... magiſter Joannes Chernacenſis, qui & ipſe in provincia Erinciach, nunc vulgo dicta Alincia, præerat monaſterio prope oppidum Cherna, cujus

ECCLESIA MARAGÆ.

» princeps erat dominus Georgius, ipſius Joannis avunculus. Audiens igitur magiſter Iſaias prædicationis ac vitæ famam B. Bartholomæi, hortatus eſt per nuntios diſcipulum Joannem, ut iret ad illum, ac videret quænam eſſet ejus doctrina: erant quippe omnes, non tam per contumaciam, quam per ignorantiam ſchiſmatici, &c.

» Itaque è veſtigio ad conventum B. Bartholomæi profectus, quò pervenit poſt 4. dies itineris, talia vidit audivitque, ut ſtatim ad eccleſiæ Romanæ obedientiam ſe reducere in animo propoſuerit. Manſit autem apud illum per ſeſqui annum, quo tempore didicit inter alia etiam Latinam linguam, docuitque B. Bartholomæum ac ſocios ejus Armenicam: ex iis inſuper quæ ibi..... didicerat, multa in unum congeſſit ſermonum & caſuum conſcientiæ librum Armeno compoſitum idiomate, in cujus præfatione præſentem narrat hiſtoriam, quæ in aliis etiam Armenis codicibus.... latius continetur.

» Adveniente autem anno 1330. idem magiſter Joannes eruditiſſimas miſit epiſtolas, à B. quidem Bartholomæo Armenicè compoſitas, ſed ab ipſo elegantiori ſtylo concinnatas, ad multos magiſtros condiſcipulos ſuos in variis tunc degentes provinciis, quibus inter alia eos hortabatur, ut ad aliquod convenientes concilium, de unione cum catholica eccleſia, atque obedientia Romano Pontifici exhibenda, deliberarent, firmiorique quam antea ſtabilitate cœptum illud, in præteritis olim conciliis Armeniæ toties abſolutum, ac iterum poſtea diſſolutum, ad finem perducerent. Harum ergo epiſtolarum cohortationibus annuentes præ aliis duodecim magiſtri, congregati ſunt in oppido Cherna... quò etiam convenere ipſe magiſter Joannes, ac B. Bartholomæus cum ſocio quodam F. Petro Tarraconenſi laico; eorumque omnium ſumptus neceſſarios per menſem integrum, quo diſputationes de cunctis Armeniorum erroribus inter ipſos habitæ ſunt, ſuſtinuit antedictus princeps Georgius.

» Itaque diremptis intra id temporis de fide controverſiis, atque improbatis rejectiſque erroribus univerſis, omnes unanimi conſenſu orthodoxam fidem profeſſi ſunt, Romanoque Pontifici tanquam vero ac legitimo totius eccleſiæ capiti obedientiam promiſere: quorum quidem exemplo alii quamplures Armeni in eccleſiæ catholicæ gremium ſeſe poſtea receperunt.

» Stabilita jam fidei veritate, tantum inde gaudii percepit D. Georgius, ut intra 60. dies magnificam in ipſo conventu de Cherna eccleſiam à fundamentis erexerit. Nepos vero ejus magiſter Joannes, animadvertens inſti- A tutum monachorum S. Baſilii per Patriarcham Nierſenſem Ghelaïenſem in Armeniam olim introductum, tunc penitus ad relaxationem.... perveniſſe, conceperat animo ad priſtinam illud obſervantiam reſtituere: ſed re poſtea diligentius conſiderata, illi melius videbatur, ſi novum inſtitueret Ordinem, quo catholica jam ab Armenis recepta fides conſervaretur, ac magis magiſque dilataretur. Quamobrem divino innixus auxilio.... fundavit Ordinem quemdam, dictum *Unitorum S. Gregorii Illuminatoris* ad eccleſiam catho- B licam, ſub regula S. Auguſtini & conſtitutionibus FF. Præd. mutato Armenorum monachorum habitu in habitum S. Dominici, cum ſcapulari tamen & caputio nigro: qui quidem Ordo, confirmatus deinde à Joanne XXII. per orientem ac ſeptentrionem longe lateque propagatus eſt. «

Videntes (autem,) ſubdit Galanus, *p. 524. n. 49.* prædicti fratres anno 1356. ſe omnes pene ritus Dominicanæ religionis habere, ac etiam fuiſſe nedum ad paucitatem, ſed paupertatem ac miſeriam extremam perductos, C miſerunt Romam duos procuratores, videlicet F. Thomam & F. Eleutherium, ambos Ciahuchenſes & germanos, ad impetrandum à Romano Pontifice, ut, annuente FF. Præd. Patre Generali, ipſorum Ordo Dominicanæ familiæ uniretur, & in omnibus ac per omnia eidem Generali ſubjiceretur. Quo quidem per apoſtolicum illis Breve conceſſo, F. Eleutherius primus fuit Provincialis Superior, qui ex urbe ad Naſcivanenſem gubernandam provinciam miſſus eſt.»

Sed ut ad Bartholomæum revertamur: ita D pergit idem Galanus, *p. 512. n. 14.* «Interea B. Bartholomæus & F. Joannes Anglus, unà cum Armenis magiſtris Joanne & Jacobo, ad tranſlationem ſacrorum librorum ex Latino in Armenum idioma ſeſe totos dedere; quibus etiam F. Petrus laicus in iiſdem exſcribendis libris maximo adjumento fuit. Et quidem tantum in hoc laboris ac ſtudii contulerunt, ut mirabile dictu ſit, quot quantaque traduxerint volumina ſpatio trium annorum, quibus poſt dictam unionem vixit B. Bartholomæus: qui tandem virtutibus ac E meritis opimus migravit ad Dominum anno ſalutis 1333. Ejus ſepulcrum innumeris hactenus clarum miraculis in Armenia ab ipſis etiam infidelibus magna colitur veneratione.»

Reductionem hujus eccleſiæ Armenæ ad fidem & obſequium ſanctæ Romanæ ſedis, & quidquid ad id contulerit Bartholomæus archiepiſcopus Maragæ, expoſuit præfatus Joannes Chernacenſis in epiſtola quadam ad ſuos Fratres Unitos, quam in gratiam lectoris tranſcribere hîc non piget ex laudato Galano,

Digitized by Google

qui illam refert Armenè cum tranſlatione Latina, à *pag. 513. to. 1. n. 18.* ad *pag. 523. num. 46.*

« Frater Joannes à Cherna, indignus ſacerdos, ac ſervus Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri, omnibus qui conſimili gloria ſortiti eſtis ſidem & religionem in juſtitia Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Dei, atque in unione ſanctæ Romanæ eccleſiæ. Gratia vobis, & pax, & continuum religionis augmentum multiplicetur. Memor ſit fraternitas veſtra verbi Domini dicentis: (Matth. 18. verſ. 7.) *Væ mundo à ſcandalis; neceſſe eſt enim ut veniant ſcandala: verumtamen væ homini illi per quem ſcandalum venit.* Quare autem neceſſe eſt ut veniant ſcandala oſtendit Apoſtolus dicens: *ut electi probentur.* Quoniam ſicut ignis neceſſarius eſt ad probandum aurum, ita ſimiliter tribulationes & perſecutiones ad electos Dei probandos. Verumenimvero quicquid ipſis electis ad probationem confert & electionem, idipſum reprobis qui hunc diligunt mundum, ad ſcandalum ac perditionem facit, juxta idem verbum: *Væ mundo,* nempe mundanis, *propter ſcandala.* Hæc ſiquidem ſemitæ veritatis ingreſſuique ad gloriam cœleſtem impedimento ſunt.

» Quocirca tres eccleſia paſſa eſt terribiles perſecutionum procellas: primam à Judæis; ſecundam à Gentibus; tertiam ab Hæreticis: jam quartam ab Antichriſto futuram expectat ultro ac timet. Quamvis porro quælibet earum ſcandalum multis & ruinam attulerit, præ cæteris tamen tertia multo pluribus cauſa fuit perditionis. Quapropter, multiplicatis hæreticis, videlicet Ario, Sabellio, Apollinari, Macedonio, ac Neſtorio, Dioſcorus & Eutyches, qui eorum, non ſecus ac belluæ belluarum, alumni extitere, Armeniorum nationem veneno ſuo coinquinarunt. Licet enim iidem Armeni tempore S. Silveſtri Papæ, Magno imperante Conſtantino, ſtrenuoque in Armenia Tiridate regnante, illuminati fuerint opera S. Gregorii Illuminatoris, & ad fidem converſi, poſtea tamen tempore S. Leonis Papæ, à quo Chalcedonenſe concilium convocatum fuit & confirmatum, ab unione Romanæ eccleſiæ ſegregati ſunt, ac prædictorum hæreticorum, qui unam tantum in Chriſto naturam mixtam & confuſam aſſerere auſi fuerant, veſtigia ſectati ſunt; quamvis nunc Eutychen, quod Chriſtum ſanctiſſimæ matri ejus conſubſtantialem negaverit, deteſtentur. Et quemadmodum, ut divus ait Gregorius, peccatum quod ſtatim per pœnitentiam non deletur, alia trahit ſecum peccata: ad eumdem prorſus modum ex uno errore facile quis in alios permultos dilabitur, ut Armeniorum contigit nationi, quæ deinde in errores prope infinitos dilapſa eſt. Præcipui autem ſunt hi ſequentes.

ECCLESIA MARAGA.

1. Aſſerunt unam eſſe tantum naturam in Chriſto, juxta hæreſim Dioſcorianam.

2. Spiritum Sanctum à Filio non procedere, ſecundum errorem Græcorum.

3. Sanctorum animas ante finale judicium in regnum cœlorum non ingredi, neque peccatorum in infernum; ſed omnes in medio aëris judicium illud expectare.

4. Non eſſe purgatorii locum, neque inferni.

5. Eccleſiam Romanam ſuper reliquas eccleſias primatum non obtinere.

6. Deteſtantur S. Leonem Papam, & concilium Chalcedonenſe.

7. Non celebrant Dominicas feſtivitates juxta ordinem ab eccleſia Romana ſervatum, præſertim Nativitatem Domini.

8. Non ſervant jejunia ſecundum eccleſiaſticos canones.

9. Non habent omnia ſeptem eccleſiæ Sacramenta, Confirmationem & Extremam Unctionem omittentes, aliorumque Sacramentorum eſſentiam ignorantes.

10. Non infundunt aquam in Calicem, dum divinum illud Miſſæ ſacrificium peragunt.

11. Aſſerunt Euchariſtiam populo impertiendam non eſſe, niſi ſub utraque ſpecie: unde Chriſti Corpus, ſacro ipſius Sanguine prius intinctum in Calice, diſtribuunt.

12. Celebrant in Calicibus ex ligno aut luto confectis.

13. Quilibet ſacerdos pœnitentes abſolvit à quolibet peccato ſine ulla reſervatione, etiam extra caſum neceſſitatis.

14. Subduntur duobus Patriarchis, quorum quilibet totius Armeniæ ſibi patriarchatum adſcribit.

15. Parochi & epiſcopi fiunt hæreditario jure per conſanguineorum violentiam.

16. Pretio emunt ac vendunt eccleſiæ Sacramenta.

17. Faciunt inter virum & uxorem divortium ſine cauſa propter pecuniam, contra evangelii præceptum, & ſacros canones.

18. Non conficiunt oleum Chriſmatis, neque Infirmorum.

19. Tribuunt ſacram Communionem parvulis ante rationis uſum.

His itaque, aliiſque multis erroribus, natio Armeniorum à via veritatis longo jam aberraverat tempore, ſine ulla reſipiſcentia in tenebris reſidens ignorantiæ; quum noviſſime placuit Domino Jeſu Chriſto, juxta id quod & ipſe dixerat Petro (Luc. 22. verſ. 32.) *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos;* immittere in cor ſanctiſſimi Pontificis Romani,

ECCLESIA MARAGÆ.

» ut deſtinaret ad omnes ſchiſmaticorum na-
» tiones prædicationis miniſtros, qui eas ad
» veram Chriſti fidem, beato Petro ac ſucceſ-
» ſoribus ejus commendatam, adducerent. Ex
» iſtis autem Prædicatoribus miſſi fuere aliquot
» à ſacroſancto Pontifice Joanne XXII. cum
» litteris pontificiis ad domnum Conſtantinum
» Cæſarienſem, Armeniæ Patriarcham, nec-
» non ad regem Oſcinum: qui quidem Pa-
» triarcha convocans, quotquot potuerat, ſuæ
» diœceſis epiſcopos ac præſules, unà cum ipſo
» rege Oſcino ac principibus regni concilium
» celebravit, in quo Armeni, peracta jam cum
» ſancta Romana eccleſia unione, obedientiam
» Romano Pontifici promiſere.
» Inter epiſcopos autem qui ad concilium
» convenere, adfuit etiam archiepiſcopus Za-
» charias (de quo vide ſupra *col. 1386.* A. B.)
» qui præerat eccleſiæ S. Thaddæi Apoſtoli,
» ubi eſt ejus ſepulcrum, verſus orientem, trans
» fluvium Araxem, in confinibus regionis Par-
» thorum, haud procul à celebri monte Ara-
» rath, in quo, ſecundum conſtantem Arme-
» norum traditionem, requievit Arca Noëmi.
» Interfuit etiam magnus magiſter Joannes
» Zorzorenſis, aliique plures cum eo.
» Ego igitur Joannes Chernacenſis, quum
» diu litteris operam dediſſem in Academia
» magni Magiſtri Iſaïæ, qui ab Armeniis velut
» oraculum habebatur; atque ex ejus manibus
» baculum cum libro, nempe magiſterii digni-
» tatem, accepiſſem: audiens omnia hæc, ea-
» que aſſidua recolens conſideratione, ardenti
» deſiderio cupiebam teſtem me fieri oculatum
» reductionis meæ nationis ad veram ſalutem.
» Exquirens autem ad hæc operam Latinorum,
» ſuſpiriis ex intimo corde avulſis, atque gemi-
» tibus ex animi profundo extractis, teſtimo-
» nium multoties perhibentibus oculis, veram
» cum ſancta Romana eccleſia unionem ſum-
» mopere expetebam. Quum ergo in dies magis
» ac magis hoc in me deſiderium augeretur,
» adeo me ſpes afflixit (fortaſſis affecit,) ut
» tandem egreſſus ſim inquirendo, ſi forte ali-
» quem offendere potuiſſem ex apoſtolicis miſ-
» ſionariis.
» Accidit porro, ut veniens de induſtria in
» civitatem Maraga (neutro plurali) quæ diſtat
» à magna urbe Tauris milliaria ſex ſupra tri-
» ginta, inveniſſem ibi dominum fratrem Bar-
» tholomæum, Ordinis Prædicatorum S. Do-
» minici, virum plane ſanctitate vitæ conſpi-
» cuum; apud quem manens per annum ac
» dimidium, ex ejus ſapientiæ fonte ita affluen-
» ter, tanquam cervus ſitibundus, expletus fui,
» ut per idem temporis ſpatium, interprete
» linguæ Perſicæ mediante, librum ſeptem Sa-
» cramentorum, aliaque opuſcula, ex Latino
» in Armenum convertiſſemus: quibus ſane

A omnibus magis ipſe confirmatus, deliberavi «
meam cum ſancta Romana eccleſia unionem «
perficere. «
Quum autem conſiderarem me, non meæ «
tantum, verum etiam omnium meorum ſa- «
luti ſtudium ac laborem debere, adhuc intra «
me dolebat cor meum. Quare aſſumens præ- «
dictum dominum fratrem Bartholomæum, «
adduxi illum in oppidum Cherna, in quo «
multi etiam ex Armenis magiſtris, mei quon- «
dam in ſtudiis condiſcipuli, congregati fue- «
rant, quorum nomina ſunt ſequentia: Ma- «
B giſter Marcare ex oppido Ozzuopa. Mag. «
Jacobus ex oppido Cherna. Mag. Hairabiet «
ex oppido ſeptem fontium. Mag. Joannes «
ex oppido Zuani. Mag. Simeon ex oppido «
Paſenſi. Mag. Nierſes ex provincia Tarſenſi. «
Magiſtri Arracchial & Eal ex provincia Arta- «
zunenſi. Mag. Gregorius ex oppido Abra- «
goni. Magiſtri Conſtantinus & Joannes ex «
provincia Cleſuanenſi. Mag. Simeon ex pro- «
vincia Sanctæ-Crucis. Et plures alii, quorum «
nomina ſunt in libro vitæ. «
Igitur omnes iſti, è quibus poſtea plerique «
C fuerunt ad epiſcopatum promoti, tum pro «
ſe, tum pro ſuis monaſteriis ac provinciis obe- «
dientiam Romano Pontifici ſpoponderunt. «
Quo peracto, cœpimus omnes per univerſam «
Armeniam prædicare unionem cum ſancta «
Romana eccleſia ad ſalutem neceſſariam eſſe: «
Quapropter noſtra *Unitorum* Congregatio «
magis per Dei gratiam augebatur, ac fidelium «
numerus creſcebat in dies: immo quo magis «
in fide confirmabamur, & quo plura ex La- «
tino traducebantur volumina, eo magis illu- «
minabantur mentes noſtræ, noſtræque natio- «
D nis defectus clarius apparebant. Unde perſpi- «
cientes nos antea nil aliud chriſtianæ fidei niſi «
nomen tantummodo habuiſſe, ſtupefacti, ac «
pudore ſuffuſi, non ſecus ac muti, ſilentio «
tenebamur. «
Triennio autem poſt editam unionem, vir «
Dei Bartholomæus, magiſter ac paſtor bonus, «
nec ſanctitate minus quam ſapientia ſingu- «
laris, tot tantiſque exantlatis laboribus, ad «
Chriſtum ex hac vita migravit: poſt cujus «
obitum, ut multiplicabatur Unitorum cre- «
dentium numerus, ita pariter perſecutionum «
E ac tribulationum creſcebant procellæ. Tunc «
ego, ad Latinos in occidentem profectus, «
petii almam urbem Romam, ubi poſtquam «
plurima præſens vidi & audivi, quibus plene «
de totius noſtræ fidei veritate, quam ſancta «
Romana profitebatur eccleſia, certior factus «
fui: animadverti, non modo populum noſ- «
trum à rectis chriſtianæ fidei ſemitis, verum «
noſtros etiam monachos à canonibus ſancto- «
rum Patrum aberrantes, non habere Ordi- «
nem, neque regulam, non conſtitutiones, «

Digitized by Google

» neque capitula, nec paupertatis & obedientiæ vota; ſed quemlibet eorum negotiationibus atque uſuris addictum, ultro citroque pro voluntate circumvagare: ita denique inculte ruditerque vivere, ut carerent comitiis tum Provincialibus, tum Conventualibus, nec Provinciales Superiores haberent, neque Priores, neque Viſitatores, nec ullos demum ſui Ordinis zelatores, ſed unuſquiſque pro ſuæ voluntatis deſiderio regeret ſemetipſum.

» Videns ergo omnia iſta apud Latinos perfectiſſime obſervari, deficere vero in noſtris monachis, nimio zelo affectus ſum, ac diu noctuque cogitabam quonammodo potuiſſem monachorum Armeniæ, eorumque monaſteriorum & conſtitutionum reformationi proſpicere. Quapropter in Orientem reverſus, ego & ſocii mei votum fecimus vivendi religioſe ſecundum regulam S. Auguſtini & conſtitutiones S. Dominici, quem & habere propoſuimus tanquam Patrem, fundamentum, ac principem noſtræ Congregationis, emiſſaque religionis profeſſione in manu cujuſdam domini Joannis, genere Latini, qui à Romano Pontifice miſſus fuerat cum plenitudine poteſtatis epiſcopus urbis Theſlis, electus fui à ſociis, juxta facultatem ab eodem epiſcopo nobis traditam, Superior Provincialis noſtri Ordinis Unitorum.

» Quum igitur noſtræ reductionis ad veram fidem, atque reformationis noſtrorum monachorum auctores extiterint Fratres Prædicatores S. Dominici, eaque de cauſa Congregatio noſtra ſuper Ordinem eorum fundata eſt; volumus idcirco ut Fratres prædicti à nobis tanquam patres, auctores, & magiſtri noſtri habeantur, eiſque honor præcipuus à toto Ordine noſtro exhibeatur: ac inſuper, quod nihil inter nos fiat, niſi per inſtructionem & definitionem ipſorum; neque ſine illorum præſentia ullum à nobis capitulum celebretur: immo pro viribus curabimus ut in cunctis noſtris monaſteriis ſemper aliquot eorum reſideant, habentes tanquam Patres cum honore debito prima loca. In omnibus denique dubiis ad fidem pertinentibus, dummodo ad ſanctam ſedem apoſtolicam recurſus haberi nequeat, pro ipſorum ſententia ſtabimus.

» Et quoniam Ordo noſter fuit potiſſimum inſtitutus propter unionem cum ſancta Romana eccleſia, unde & nomen accepit, ac dictus eſt *Ordo Unitorum;* idcirco cum omni reverentia & amore eaſdem noſtras regulas & conſtitutiones à prædicta ſancta Romana eccleſia, matre omnium eccleſiarum, ſuſcipimus, tanquam à capite, fundamento, ac principio cujuſcumque alterius Ordinis & Conſtitutionis, ut illa, quemadmodum ipſi videbitur, de nobis ſemper diſponat.»

Ex ea porro Joannis Chernacenſis epiſtola innoteſcit quis eſſet ſtatus eccleſiæ Armenæ in illa regione Perſidis, quum ſæculo XIV. ſub Joanne XXII. Papa, ejectis priſtinis erroribus, unionem cum ſancta ſede apoſtolica amplexa eſt, in qua etiamnum perſeverat ſub cura archiepiſcopi Naſcivanenſis, & Fratrum Prædicatorum provinciæ Perſidis, in quorum Ordinem eodem ſæculo XIV. Fratres Uniti cooptari voluerunt, ut ſupra obſervatum eſt, *col. 1396.* B. C.

Subdit autem Galanus, *p. 523. n. 47.* de ea Congregatione: «Sic.... (illa) inter Armenos fundata, multa Fratres Uniti, non ſolum in Armenia ac Georgia monaſteria extruxerunt; ſed trans Pontum-Euxinum ad Scythiæ quoque Cherſoneſum provecti, in ejus primaria urbe Theodoſia, vulgo dicta Caffa, quæ tunc ditioni Genuenſium ſubdebatur, univerſale ſtudium collegium erexerunt, ex quo deinde haud pauci egreſſi ſunt viri doctiſſimi. Dilatato poſtea magis Turcarum atque Perſarum imperio, tot fuerunt in eos ex Infidelibus, Hæreticiſque perſequutionum tempeſtates exortæ; adeoque ad parvum numerum redacti ſunt, ut Scythia ac Georgia relictis, in provinciam ſolum Naſcivanenſem majoris Armeniæ ſeſe omnes receperint, ubi ad hæc uſque tempora in duodecim Armenorum catholicorum oppidis, inter Paganorum & Schiſmaticorum ſpineta, roſam orthodoxæ fidei illibatam cum Romano etiam ritu conſervant.»

II. * * *

Qui fuerint Bartholomæi ſucceſſores in ſede Maragenſi nos latet uſque ad annum 1375. quo Gregorius XI. gratulatus eſt *Marraghaenſi epiſcopo* de ſuſceptis in Armenia laboribus apoſtolicis ad evangelii dilatationem & ſalutem animarum, teſte Raynaldo, *to. 16.* ad eum annum, *num. 1.*

BIBLIOTECA

XIX.

ECCLESIA NASCIVANENSIS.

« NAXUANA, verba ſunt M. A. Baudrand, *tom. 2. geogr. pag. 14. col. 1.* urbs Armeniæ majoris Ptolemæo, nunc etiam *Nak Sivan* & *Naſcivan* dicta, archiepiſcopalis eſt, ſub dominio regis Perſarum, ad radices montis Ararath, media inter Caſpium & Lychnitem paludem. Hujus urbis archiepiſcopus ſemper deſumitur ex Ordine S. Dominici ad electionem populi diœceſis ab anno 1300. Ejus ſedes eſt conventus Abaranenſis totius provinciæ præcipuus. Illius diœceſis longitudo eſt 120. milliarium, latitudo vero 60. & in eo ſunt 12. oppida Armenorum catholicorum, nempe Abaranum *Abaraner* ad ripam fluvii Alingeaci, Carnum *Carne,* Coskakenum *Coskaken* in clivo montis Bolu dicti, Abracunium *Abraconis,* Saltacum *Saltac,* Ciahukium *Ciahuk,* Sciabunum *Sciabonis,* Canzakum *Canzak,* Zuorzurium ſeu Chezuchum *Zuorzor* vel *Chezuc,* Caraſchuſium *Caracuz,* cum duobus aliis, ut pluries didici ab incolis harum partium. Hæc urbs media eſt inter Erivanum ad occaſum, atque Tabriſium ad ortum, & peſſime habita fuit à Turcis, ſed nunc in dies reſtauratur.»

De eccleſiis Armeniæ à præſulibus ritus Latini conditis vel adminiſtratis hæc ſcribit Clemens Galanus, *tom. 1. conciliat. eccleſ. Armenæ cum Romana, cap. 30. num. 58. pag. 527.* «Quamvis conſtans traditio ſit apud Armenos catholicos, ſeptem ipſorum eccleſias in Oriente ab epiſcopis ex Dominicano Fratrum Unitorum Ordine aſſumptis fuiſſe ſolitas gubernari, vix tamen quinque earumdem eccleſiarum nomina ex nonnullis vetuſtis codicibus hactenus apud illos extantibus.... hauriri potuerunt. Prima eſt eccleſia *Maragacenſis,* cujus fuit epiſcopus, ut ſupra dictum eſt, B. Bartholomæus. Secunda *Tephlicenſis* apud Georgianos.... Tertia eſt eccleſia *de Capha* apud Scythas (de qua jam egimus, *coll. 1103. 1104.*).... Quarta eſt eccleſia magnæ civitatis *de Sultanea* in Perſide, ubi erant olim Chriſtianorum templa 25. nunc vero vix extant in ea domus aliquot Infidelium cum eccleſia majori in ſpurcitiam Mahometicæ ſuperſtitionis converſa.... Quinta demum eſt eccleſia *Naſcivanenſis* in majori Armenia, cujus quidem epiſcopi longa ſibi invicem ſerie ſuccedentes, quum reliqui cæterarum eccleſiarum per earum deletionem defecerint, ad hæc uſque tempora perſeverant, &c.»

EPISCOPI NASCIVANENSES.

I. THOMAS.

SCriptores Ordinis Præd. communius primum Naſcivanenſem archiepiſcopum recenſent *Bartholomæum Parvum* jam à nobis laudatum, quem ex eccleſia Maragæ ad hanc tranſiiſſe aſſerunt. Verum quum id non reperiatur, ſive in epiſtola Joannis Chernacenſis ex Clemente Galano ſupra relata, *col. 1397.* A. ſive apud eumdem Galanum, qui, *n. 63. pag. 528.* *Fr. Thomam* in capite cæterorum hujus ſedis præſulum nominat, nos quoque Thomam iſtum primum exiſtimamus qui eccleſiæ Naſcivanenſis ſpecialiter conſecratus fuerit antiſtes, cujus antea fortaſſis curam geſſerint Fratres Uniti, vel F. Thaddæus epiſcopus Caffenſis, de quo egimus, *col. 1105.* A.

Narrat ſcilicet Galanus, *pag. 524. n. 50.* anno 1356. Eleutherium, quem cum illo Thoma Fratres Uniti ad Innocentium VI. miſerant, unione facta ipſorum congregationis cum Ordine Prædic. primum hujus provinciæ Provincialem conſtitutum fuiſſe, *Thomam* vero *initiatum eſſe ejuſdem provinciæ archiepiſcopum.* Et ſubdit, *num. 61. pag. 528.* «Solent autem, idque de more veteri, ad epiſcopatum (Naſcivanenſem) ex Dominicana familia promoveri per electionem populi, atque fratrum, deinde accedentes ad urbem (Romam) confirmantur à ſummo Pontifice, & conſecrantur. Horum igitur epiſcoporum ſeries, (paucis intermiſſis, quorum nulla reperitur traditio neque ſcriptura,) ex prædictis libris extracta, ſic ſe habet: Dominus *F. Thomas Ciahuchenſis,* Armenus, conſecratus fuit archiepiſcopus Naſcivanenſis anno à Virginis partu 1356.»

II. JOANNES I.

III. *Franciſcus electus.*

IV. STEPHANUS I.

Anno 1398. die 26. Auguſti tranſlatum fuiſſe ex ſede Nachuanenſi (quæ ipſa *Naſcivanenſis* videtur) ad Soltanienſem, *Joannem* Ord. Præd. teſtatur Bonifacius IX. in litteris *F. Stephano Petri de Seghes,* Minoritæ, datis anno 1400. die 20. Octobris, quibus ipſum ſubſtituit in locum *Franciſci de Tauriſio,* Dominicani, qui promotus, immo & conſecratus epiſcopus hujus eccleſiæ Nachuanenſis, diploma proviſionis infra annum ſibi expediri non curaverat. Eas Bonifacii Papæ litteras profert R. P. Bremond, *tom. 2. Bull. p. 460.*

V. JOANNES II.

VI. JOANNES I I.

Idem R. P. Bremond, *ibid. pag 450.* alias

exhibet litteras præfati Bonifacii, datas anno 1402. die 26. Jul. quibus eccleſiæ Nachuanenſi vacanti ob tranſlationem *Joannis* ejus epiſcopi ad Soltanienſem, præficit *Joannem* alterum, cognominatum *Lycens*, Brugenſem in Flandria, Ordinis Præd. Verum fortaſſis id contigerit anno 1404. Vide ſupra in epiſcopis Soltanienſibus, *col. 1367.* B. C.

A

VII. Mictareus.

VIII. Martinus.

IX. Petrus.

B

Martinus V. Papa diplomate *Ex paſtoralis*, dato Florentiæ VII. idus (id eſt die 9.) Octob. anno II. Chriſti 1419. quod legere eſt apud laudatum R. P. Bremond, *ibid. pag. 562. Mictareo* epiſcopo Nachuanenſi mortuo ſubrogat *Martinum de Chiari*, Ord. Unitorum, quibus etiam diplomate *Circumſpecta charitas*, dato die 21. dictorum menſis & anni, *ibid. p. 563.* epiſcopi Nachuanenſis eligendi largitur facultatem. Martino autem mortuo, in ejus ſucceſſorem confirmavit idem Papa *Petrum*, Ordinis quoque Unitorum, an. 1423. die 13. Octobris, illumque Soltanienſi archiepiſcopo commendavit, *ibid. pag. 625.*

C

X. Matthæus I.

Matthæus Avenicenſis, Ord. Unitorum, Armenus, ſedem Naſcivanenſem conſcendit an. circiter 1438. promovente Eugenio IV. Papa, & in Cypro inſula obiit. Ita Fontana *Theat. Dom. pag. 55. tit. 9. num. 6.*

XI. Joannes IV.

Joannem, Armenum, ab anno 1462. uſque ad 1477. eccleſiam Naſcivanenſem rexiſſe refert, poſt Galanum, *tom. 1. p. 528. n. 63.* Fontana *Theat. Dom. pag. 56. tit. 9. num. 7.* Is fortaſſis fuerit *Joannes* ille *Simonis*, quem laudatus Fontana ſcribit, *ibid. p. 246. tit. 415. Nazovanenſis* (Naſcivanenſis) eccleſiæ in partibus Infidelium creatum (ſive potius confirmatum) paſtorem à Paulo II. anno I. ſui pontificatus, qui fuit humanæ ſalutis (1464. aut) 1465. in qua dignitate quum pluribus annis vixiſſet, in pace quievit. *Ex lib. Proviſ. Prælat. ejuſdem Pontificis.*

D

XII. Benedictus I.

Benedictus, Armenus, eccleſiæ Naſcivanenſi jus dixit ab anno 1478. uſque ad annum 1492. quo obiit. Ita Galanus, *ibid.* & Fontana *Theat. Domin. pag. 56. num. 8.* qui etiam obſervat de eo mentionem fieri in Regeſtis Magiſtrorum Ordinis Præd.

E

XIII. Joannes-Baptista V.

Joannes-Baptiſta, Armenus, Benedicto ſucceſſit in ſede Naſcivanenſi, ejus electione confirmata ab Alexandro VI. anno 1492. & ex hac vita migravit anno 1501. Ex iiſdem Galano & Fontana laudatis.

ECCLESIA NASCIVANENSIS.

XIV. Benedictus II.

Benedictus, hujus nominis II. poſt obitum Joannis-Baptiſtæ eccleſiam Naſcivanenſem gubernavit, mortuus ipſe anno 1509. aut 1510. Hunc omiſit Galanus, ſed exhibet Fontana, *pag. 56. num. 10.*

XV. Gregorius.

Gregorius, Armenus, poſt electionem ſuam in Italiam venit, petiitque Bononiam, ubi tunc Julius II. Papa verſabatur, à quo beniğniſſime receptus eſt & confirmatus. Per interpretem loquebatur; omnia tamen ad Latinos ritus ſpectantia obſervabat. Pontifici Armenæ ſuæ eccleſiæ ſtatum aperuit, à quo multis donariis & ſacris veſtibus ditatus, in Armeniam rediit anno 1511. Obiit autem anno 1538. Ita poſt Galanum, Leandrum, Plodium ſive Michaelem Pio, Fontana qui ipſos citat, *ibid. num. XI.*

XVI. Benedictus III.

Benedictus, Armenus, Gregorii ſucceſſor electus, Romam venit cum electionis ſuæ litteris Pontifici Maximo directis, quas in publico conſiſtorio legit Cardinalis Burgenſis. Has refert laudatus Fontana *Theat. Domin. pag. 56. num. 12.* lectu non indignas.

« In conſiſtorio apud S. Petrum die 20. Octob. 1542. congregato, Cardinalis Burgenſis litteras eccleſiæ Naxciovanenſis in Armenia ad Sanctiſſimum tranſmiſſas, legit ſequentis tenoris.

« In nomine Unigeniti Filii Dei, qui ſua gratia & miſericordia de Virgine naſci dignatus eſt. Anno Domini 1540. in die B. Andreæ Apoſtoli fuimus congregati, P. Beatiſſime, nos qui ſumus oves veſtræ, & provinciæ in ſpiritualibus ſubjectæ veſtræ Sanctitati. Vos autem caput noſtrum eſtis, & in hoc ſæculo omnibus ſuperior, & nos ſub V. S. obedientia: Vos vero cœleſtem poteſtatem habetis, & gratiam à Deo ad regendum mundum, & Angeli cœleſtes in ſocietate veſtra, & prælatorum totius mundi; & eſtis vicarius Chriſti in omni loco ubi fidem ejus duodecim Apoſtoli prædicaverunt, & vos veram & rectam retinetis fidem, ad cujus ſedem omnes fideles & catholici Chriſtiani concurrunt.... & eſtis verus ſucceſſor S. Petri, qui mundum univerſum manu continetis, & quodcumque ligatis & ſolvitis in terra, ligatum ſimiliter & ſolutum erit in cœlis, & eſtis fundamentum totius eccleſiæ Dei. O Pater ſancte, quem

ECCLESIA NASCIVANENSIS.

» mundus in partibus noſtris non cognoſcit, A
» Nos F. Andreas Vicarius Caſalis ſeu villæ
» quæ dicitur Gianech, & Subprovincialis
» totius provinciæ Armenorum catholicorum.
» F. Azarias Prior villæ Sabonis. F. Joan. Prior
» Abbaraner. F. Joan. Prior Caſcaſini. F. Joan.
» Prior Abaracundis. F. Zacharias Prior Sali-
» tad. F. Thomas Prior Charna. Omnes iſti
» Chriſtiani catholici & Fratres Ordinis Præd.
» S. Dominici, ſubjecti & filii obedientiſſimi
» S. V. parati ad omnia exequenda. Et Petrus
» de Gianech. Petrus Joannes de Sabonis. Mi-
» rans de Abbaraner. Saphar de Caſcaſini. Ac- B
» chic Abaracundis. Putach de Carva. Aga-
» bech Salitath. Silvan de Ganſa. Laici omnes
» & capita, ſeu Priores villarum ſupraſcripta-
» rum omnes filii Sanctitatis Veſtræ.
» O Pater ſancte, mortuus eſt epiſcopus
» noſter, & alium paſtorem & caput loco ejus
» cupimus ſubſtitui nobis: conferentes autem
» inter nos, invenimus virum idoneum, F. vi-
» delicet *Benedictum* filium Berzati de Naxſcio-
» van Ordinis S. Dominici, quem adire fecimus
» regionem & urbem veſtram, quem elegimus
» in epiſcopum noſtrum poſt biennium à mor- C
» te prænominati & prædicti Naxſciovanenſis
» epiſcopi noſtri, die videlicet & anno ſupra-
» ſcriptis. O Pater ſancte Papa Paule, conſervet
» vos Deus omnipotens, & S. Petrus, & S. Pau-
» lus, & omnes Sancti cœleſtis Curiæ, & ita
» commendatum habeat V. Sanctitas electum
» noſtrum, qui eſt bonus & catholicus Chriſ-
» tianus, qui neque Latinam loqui linguam,
» neque Italicam novit; unde compatiatur ei-
» dem Sanctitas V. O Pater ſancte, quidquid
» boni facietis huic fratri Benedicto electo
» noſtro, retribuent S. V. ſancti Dei Apoſtoli D
» Petrus & Paulus. Nos Infidelibus ſubjecti
» ſumus, à quibus ipſe jam electus, captus &
» catenatus eſt, & in vinculis & catena per no-
» vem menſes habitus; unde ut ipſum redime-
» remus, paramenta eccleſiæ, & calices, & cru-
» ces vendere coacti ſumus. Et ita eum tre-
» centis aureis redemimus, & venit in ſanctam
» civitatem veſtram. Nunc autem S. V. tantum
» boni ipſi contribuat, quantum illi Deus in
» mentem dederit: & ille qui ſcripſit oſculatur
» pedes S. V. F. Joannes ab Aracundis ſupra
» nominatus, filius Coſigian.
» Quibus perlectis, Sanctitas Sua confir- E
» mavit dictam electionem de præfata eccleſia
» Naxſciovanenſi vacante per obitum Gregorii
» filii Arazator, id eſt, Deodati, & providit de
perſona dicti F. Benedicti.»

Hæc in conſiſtorialibus Actis Pauli III. regiſtrata ſe legiſſe, & propria manu exſcripſiſſe teſtatur laudatus Fontana, qui ſubjungit, *pag. 57.* Benedictum iſtum pluribus eccleſiaſticis ornamentis donatum, conſecratione ſuſcepta, dum in ſuam eccleſiam proficiſceretur, obiiſſe anno ſequenti 1543. in Cypro inſula. Ejus quoque meminit Galanus loco citato.

XVII. STEPHANUS II.

Stephanus, Armenus, Benedictum excepit, & Romam venit à Paulo III. electionis ſuæ confirmationem conſequuturus, quæ ipſi anno 1546. die 15. Jan. conceſſa eſt. In patriam reverſus, deceſſit anno ſui regiminis XIV. ſubindeque anno 1559. aut 1560. Ita idem Fontana, *ibid. p. 57. n. 13.* ex Actis Conſiſt. Galano, & Plodio ſive Mich. Pio.

XVIII. NICOLAUS.

Nicolaus, Armenus, anno 1560. die 25. Octobris Romæ à Pio IV. electionis ſuæ ad ſedem Naſcivanenſem recepit confirmationem, à quo & DD. Cardinalibus ſacra ſupellectili plurimum ditatus ad eccleſiam ſuam ſe contulit. Sub SS. Papa Pio V. anno 1568. item ſub Gregorio XIII. Romam venit. Multa à Turcis & Perſis paſſus, tandem ſenio confectus obiit anno 1598. Ex Galano, & Fontana ſupra citatis.

XIX. AZARIAS.

Azarias Fridonis, Armenus, qui jam ſub Sixto V. Romam venerat, à Nicolao ſuo prædeceſſore miſſus, in epiſcopum Naſcivanenſem poſt ejus mortem aſſumptus, ſedi apoſtolicæ præſentem ſe iterum exhibuit, ut ſuæ electionis confirmationem impetraret, quum prius multa perpeſſus eſſet à Turcis, pluribuſque invitatus muneribus à Patriarcha Armeno ſchiſmatico ut ſibi adhæreret, quæ incorrupto animo rejecit. Romam pervenit anno 1602 die 15. Aug. undecim menſibus in itinere conſumptis. A Clemente VIII. Papa honorifice receptus, ei de Latinis ritibus plene ſatisfecit. Verum quum à Cardinali Aſculano conſecratus eſſet anno 1604. paulopoſt Romæ deceſſit, ibique ſepultus eſt in eccleſia Armenorum. Hæc idem Fontana, *pp. 57. & 58. num. 15.*

XX MARCUS.

XXI. MATTHÆUS II.

XXII. MATTHÆUS III. *electus.*

Laudatus Fontana, *pag. 58. n. 16.* ſcribit *Marcum,* Armenum, Azariæ ſucceſſorem, Romæ pariter obiiſſe, ex Actis Conſiſtorialibus, in quibus legitur: *Die 22. Octob. 1607. F. Matthæus, Armenus, Ordinis Præd. electus Naxciovanenſis archiepiſcopus in Armenia, per obitum F. Marci in Curia.* Marcum omiſit Galanus loco citato.

Dum

Dum vero *Matthæus* iſte, *Eraſmus* cognominatus, Armenus, in Italia tunc degens, à Paulo V. ut modo dictum eſt, Marco ſubſtituebatur & conſecrabatur Romæ, Armeni, audito nuntio de morte ſui præſulis, alium, *Matthæum* quoque nomine, elegerunt, qui ubi cognovit Matthæum Eraſmum Romæ fuiſſe inauguratum, acquievit ejus promotioni, & poſt aliquot menſes è vivis exceſſit. Matthæus autem Eraſmus in Armeniam perrexit, ibique poſt ſanctam adminiſtrationem viam univerſæ carnis ingreſſus eſt anno 1620. Hæc Fontana, *pag. 58. n. 17. ex Regeſt. Cancell. Apoſt.* & Galano.

XXIII. Paulus I.

Paulus Maria Citadinus, Bononienſis, Ord. Præd. ex provincia Lombardiæ, multarum linguarum, & præcipue Armenæ peritiſſimus, à Paulo V. Myrenſis archiepiſcopus, & coadjutor Naſcivanenſis eccleſiæ cum futura ſucceſſione creatus eſt anno 1621. Hunc antea apoſtolicum miſſionarium iviſſe in Perſidem cum Matthæo Eraſmo archiepiſcopo Naſcivanenſi: deinde ad Myrenſem ſuam eccleſiam ſeſe contuliſſe, acceptoque, dum ibi reſideret, multaque Chriſtianis hujus loci præſtaret pietatis opera, præfati Matthæi obitu, in Armeniam properaſſe ſcribit Fontana in *Monum. Dom.* ad annum 1621. *pag. 599.* Ipſum refert Galanus, *n. 66.* è Carthuſianorum Ordine, ad quem, ſuo Prædicatorum dimiſſo, migrarat, eſſe aſſumptum ad archiepiſcopatum Myrenſem: at major fides ea in re Fontanæ adhibenda videtur, ita loquenti *Theat. Domin. pag. 58. num. 18.* « Arctioris » vitæ deſiderio tentus (Paulus è Perſide re- » greſſus) tranſiit ad Carthuſianos in Neapoli- » tana civitate; dum (vero) probationis annum » tereret, reclamante apud Pontificem Maxi- » mum Paulum V. noſtro Magiſtro Generali » P. Seraphino Sicco, eo quod inconſulto ipſo » ad talem Ordinem tranſiiſſet, ex apoſtolico » decreto ad noſtros reverſus (anno 1620.) in » conventu S. Sixti de Urbe per annum, non » tamen completum, manſit, *prout omnes noſtri* » *Patres antiquiores adhuc ſuperſtites, qui eumdem viderunt & agnoverunt, teſtantur.*» Non itaque profeſſionem emiſit inter Carthuſianos Paulus, qui ad ſuum Prædicatorum Ordinem jam redierat, quum archiepiſcopus Myrenſis renuntiatus eſt an. 1621. Deceſſit autem anno 1627.

XXIV. Augustinus.

Auguſtinus Bagienſis, Armenus, electus fuerat pro more ab Armenis Naſcivanenſis archiepiſcopus poſt Matthæi Eraſmi mortem: ſed Romam veniens ut ſuam confirmationem ac conſecrationem à ſede apoſtolica impetraret, comperit *Paulum Mariam Citadinum*, de quo modo egimus, promovente Paulo V. in locum Matthæi jam ſubſtitutum. Hunc Gregorius XV. qui Paulum V. exceperat, in Myrenſem archiepiſcopum ordinandum conſtituit cum futura ſucceſſione ad ſedem Naſcivanenſem, quando illam contingeret vacare. Sic ergo in patriam remeavit Auguſtinus, & poſt præfati Pauli obitum anno 1627. eccleſiam Naſcivanenſem ſumma prudentia & zelo rexit uſque ad annum 1653. quo ipſe è vivis exceſſit die 16. April. Hæc Galanus qui, ipſo adhuc vivente, ſcribebat, *pp. 529. & 530. num. 66.* Fontana, *Theat. Dom. pag. 58. num. 19.* Cavalerius, *tom. 1. pag. 605. num. 197.* & R. P. Echard. *tom. 1. Scriptor. pag. 572. col. 2.* qui ſubdit ipſum exaraſſe Armenè *Itinerarium ſuum per Aſiam & Europam*, & *Tractatum de Pœnitentia.*

XXV. Paulus II.

Paulus Pyromallus, Calaber, Ord. Præd. Siderni natus, Magiſter Novitiorum fuit in cœnobio S. Mariæ ſuper Minervam Romæ annis 1629. & 1630. Anno autem ſequenti 1631. à ſacra Congregatione de Propaganda Fide miſſionarius apoſtolicus in Perſidem & magnam Armeniam delegatus, innumeras calamitates, vincula atque carceres in iis regionibus expertus, plurimos ad eccleſiam catholicam reduxit, & inter alios Cyriacum Vartabiet Patriarcham Armenorum, cum duobus ejus præcipuis doctoribus. Quum autem Romam reverteretur, captus à piratis Turcis prope Siciliam, atque Tunetum perductus, & conjectus in carcerem, à ſuo Prædicatorum Ordine redemptus eſt, & ab Alexandro VII. eccleſiæ Naſcivanenſi Auguſtino præſule ſuo viduatæ præfectus anno 1655. Hanc ſedulo adminiſtravit uſque ad annum 1664. quo ad Biſſianenſem (Biſignano ſub Roſſanenſi in regno Siciliæ) tranſlatus eſt die 15. Decemb. Scripſit ad inſtantiam Perſarum regis anno 1656. libellum, cui titulus: *Œconomia Salvatoris noſtri explicans ex ſolis Prophetis ineffabile Incarnationis Sacramentum:* & alterum, cui titulus: *Apologia de duplici natura Chriſti divina & humana, ex S. Cyrillo Alexandrino petita, contra Simonem Armenorum doctorem*, qui Viennæ Auſtriæ typis prodierunt. In eo poſtremo indicat Paulus, teſte R. P. Echard. *tom. 1. Script. pag. 622. col. 1.* ex ſuis ſcriptis *Galanum pleraque quæ habet de erroribus Armenorum, ut & monumenta SS. Patrum & conciliorum Armenè reddita accepiſſe.* Obiit Paulus Pyromallus anno 1667. Hæc Fontana, tum *Theat. Domin. pag. 58. num. 20.* tum in *Monum. Domin.* ad

Digitized by Google

ECCLESIA NASCIVANENSIS.

annum 1654. *pag. 664. col. 2.* & ad annum 1656. *pag. 668. col. 1.* Cavalerius, *tom. 1. pag. 624. n. 137.* & laudatus R. P. Echard.

XXVI. MATTHÆUS IV.

Paulo Pyromallo ſucceſſit in ſede Naſcivanenſi *Matthæus de Avanic*, Armenus, ſacræ theologiæ magiſter, quem ex ejuſdem eccleſiæ vicario generali Clemens Papa IX. archiepiſcopum renuntiavit anno 1668. die 14. Maii. Is antea fuit Prior Provincialis, & miſſionarius apoſtolicus à ſacra Congregatione de Propaganda Fide deſignatus; quæ munia dum ſtrenue adimpleret, mentem omnem ſuperat, quot labores ſuſceperit, quot pericula adierit, à vivicomburio, ad quod ipſum damnaverant Infideles ob converſos ad Chriſtum ſex Mohammedanos, ſola Dei providentia ereptus, qui corda aliquorum ex iis Infidelibus movit, ut pro eo intercederent. Electus à ſuis Armenis poſt Pauli Pyromalli obitum archiepiſcopus Naſcivanenſis, Romam venit, ubi à Clemente IX. humaniſſime exceptus, de ejus mandato conſecratus eſt in eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam anno præfato 1668. die 24. Maii. In patriam rediit legationibus Romani Pontificis, Ludovici XIV. regis Franciæ, Reipublicæ Venetorum, & Magni Ducis Tuſciæ ornatus, ut ipſorum nomine Perſarum regem ad bellum Turcis inferendum concitaret. Perſarum rex, receptis Clementis, aliorumque principum litteris, miſit FF. Azariam de S. Joanne & Antonium Nazarium, Dominicanos, in Europam, qui Romam ingreſſi anno 1673. tres ejus epiſtolas Clementi X. porrexerunt. Eas ex Perſico idiomate in Italicum tranſlatas legere eſt apud Fontanam in *Monum. Domin.* ad illum annum, *pp. 694. 695. & 696.* Iidem Roma diſcedentes ad regem Franciæ acceſſere, Perſarum quoque litteras Suæ Majeſtati tradituri. De quorum adventu mentio fit in nuntiis Gallicis hujus anni 1673. ad diem 1. Sept. *pag. 921.* Interim Matthæus noſter, inſigni, potente, & numeroſiſſima Charamoniorum familia ad obedientiam ſedi Romanæ exhibendam adducta, à rege Perſarum obtinuit ut Hiſpahami ædes FF. Prædicatoribus conſtrueretur, in qua tres hujus Ordinis alumni ſacras litteras docerent, & prædicationi, ac animarum ſaluti omnimodo procurandæ darent operam. Quum autem fidei catholicæ æmuli in eccleſiam ejus Naſcivanenſem atrociter deſævirent, regem Perſarum Matthæus adiit, quem illi verentes ne propitium haberet, Matthæum veneno interemerunt anno 1674. die 14. Julii, cujus corpus è civitate Caſbinenſi ad urbem Abbaraner itinere 15. dierum diſtantem, ſumma pompa delatum eſt, & in eccleſia ſua cathedrali, lugente populo, ſepultum. Ita Cavalerius, *to. 1. p. 637. & ſeqq. num. 157.*

XXVII. THOMAS II.

XXVIII. SEBASTIANUS.

Thomas Jatumenſis, Armenus, ſacræ theologiæ magiſter, & provinciæ ſuæ Armeniæ Prior Provincialis, annos jam natus 60. poſt mortem Matthæi de Avanic, electus pro more archiepiſcopus Naſcivanenſis, Romam venit, & à Clemente X. Papa confirmatus eſt anno 1676. die 27. April. Obiit anno 1691. Ita Cavalerius, *tom. 1. pag. 653. num. 182.*

Verum jam anno 1681. in archiepiſcopum Naſcivanenſem electum *F. Sebaſtianum Knab*, Germanum, refert R. P. Bremond, *tom. 7. Bull. pag. 533.* ex auctore vitæ Gallicæ clariſſimi præſulis Franciſci Picquet. Is quidem auctor aſſerit ab obitu F. Matthæi ſedem Naſcivanenſem annis octo vacaſſe: at nihil obſtat quominus F. Thomas Jatumenſis, à Clemente X. anno 1676. die 27. Aprilis, teſte laudato Cavalerio, confirmatus, inter utrumque ſederit. Sebaſtianus ille utique fuit hic *archiepiſcopus Naſcivanenſis*, quem innominatum legimus in nuntiis Gallicis an. 1683. *pag. 185.* Viennæ in Auſtria die 21. Martii hujus anni, à Cardinali Bonviſio, qui in illa curia vices nuntii apoſtolici gerebat, ſolemni ritu ornatum pallio in eccleſia FF. Præd. Is igitur Thomæ ſucceſſor fuit, & ex hac vita migravit anno 1691.

XXIX. PAULUS III.

Paulus-Baptiſta Avenicenſis, Armenus, Naſcivanenſis electus archiepiſcopus anno ætatis 45. dum erat Prior Provincialis provinciæ ſuæ Armeniæ, Romam acceſſit anno 1692. ibique confirmatus eſt ab Innocentio XII. die 24. Maii. Obiit autem anno circiter 1702. Cavalerius, *pag. 688. num. 215.*

XXX. STEPHANUS III.

XXXI. JOANNES VI.

Stephanus Sciranus, Naſcivanenſis archiepiſcopus confirmatus eſt à Clemente XI. anno 1703. die 15. Januarii.

Ipſi ſucceſſit ab eodem Pontifice renuntiatus *Joannes Vincentius Caſtelli*, Lombardus, Ord. Præd. anno 1709. die 15. April. qui eodem anno, dimiſſa ea eccleſia, electus eſt die 19. Junii archiepiſcopus Marcianopolitanus in ſecunda Mœſia, & eccleſiarum Orientis viſitator, indeque tranſlatus anno 1714. die 21. Mart. ad eccleſias S. Angeli in Vado & Urbanienſem unitas. Hæc R. P. Echardus *in indice epiſcoporum* initio *tom. 2. Scriptor. pag. 31. col. 1.* & R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pag. 518.*

Digitized by Google

XXXII. Petrus Martyr.

Anno 1709. die 6. Maii Joanni Vincentio modo memorato ſuffecit Clemens XI. in ſede Naſcivanenſi *Petrum Martyrem* de Parma, Ordinis Præd. & Congregationis S. Sabinæ alumnum, ex R. P. Echard. *ibid. col.* 2. & R. P. Bremond, *ibid.* Obiit anno circiter 1722.

XXXIII. Archangelus.
XXXIV. Dominicus.

Laudatus R. P. Bremond ſcribit, *tom.* 6. *Bullar. pag.* 533. anno 1722. renuntiatum eſſe archiepiſcopum Naſcivanenſem *F. Archangelum Feni*, Ordinis Prædic. Italum è Bariſſia, ejuſdem Congregationis S. Sabinæ. Is proclamatus refertur à Cardinali Barberino eo anno diebus 23. Mart. & 2. April. coram SS. Papa Innocentio XIII. in nuntiis Gallicis hujus anni, *pp.* 211. & 259.

Huic ſucceſſit creatus archiepiſcopus Naſcivanenſis anno 1731. die 30. April. *F. Dominicus Maria Salvini*, Italus, præfatæ Congregationis S. Sabinæ alumnus, qui conſecratus eſt anno ſequenti 1732. die 24. Aug. & pallio donatus die 3. Septemb. teſte eodem R. P. Bremond, *ibid. p.* 747. De eo quoque mentio fit in nuntiis Gallicis anni 1732. *pp.* 402. & 432.

XX. ECCLESIA DANCALÆ.

Dancala, teſte M. A. Baudrand, *tom.* 2. *geogr. pag.* 38. *col.* 1. urbs eſt primaria Nubiæ regionis extantis verſus Nilum & Nubiam fluvios, & undique montibus vallatæ, quæ terminatur à ſeptentrione Ægypto & deſerto Barcæ, ab occaſu Zaara regione, & ab ortu ac meridie Æthiopia ſuperiori ſeu Abyſſinia, extenditurque ad 300. fere leucas Gallicas.

EPISCOPI DANCALÆ.

Bartholomæus.

Cavalerius, *to.* 1. *Galler. Dom. p.* 137. *n.* 169. ſcribit *F. Bartholomæum de Tivoli* in Italia, Ord. Præd. virum pietate & doctrina inſignem, renuntiatum eſſe epiſcopum *Dancalæ* urbis capitis Nubiæ à Joanne XXII. Papa, conſecratum vero Romæ, qua profectus eſt an. 1330. cum duobus FF. ſui Ordinis Florentio & Subiaco, ut in iis regionibus fidem catholicam diſſeminarent. Obiit circa annum 1350. Ejus meminere R. P. Souëgius, *part.* 1. *Jul. Anni Domin. pag.* 182. & R. P. Bremond, *tom.* 2. *Bullar. pag.* 215.

XXI. ECCLESIA OCHIÆ *in Japonia.*

Japonia, ſive Japonicæ inſulæ, regio ampla Aſiæ in oceano orientali ſive Sinico, *Niphon* indigenis dicta, *Gepuen* Sinis, id eſt, Oriens, *Japaon* Luſitanis, *Japan* Anglis & Belgis, *il Giapone* Italis, & *le Japon* Gallis, terminatur ab occidente oceano Sinico, quo ſeparatur à Corea inſula & à Sinarum imperio: ad boream dividitur à regione Eſonis oceano orientali & freto Sangario; ad ortum vero & meridiem alluitur oceano orientali. Complectitur tres inſulas, *Niphoniam*, quæ ampliſſima eſt, *Saicocam* & *Xicocam*, in quibus numerantur 68. regna ſub dominio regum 21. qui ea poſſident uti feuda ſub clientela Imperatoris Japoniæ. Nunc Japonia cum inſulis adjacentibus dividitur in ſeptem partes, quarum nomina ſunt, *Jamaiſtera*, *Jetſenga*, *Jetſeſena*, *Ochia*, *Quantoa*, *Saïcoca*, & *Xicoca*. Porro *Ochia* ſive *Ochio* eſt in inſula Niphonia, & extenditur maxime ad ſeptentrionem & orientem, ejuſque primaria urbs eſt *Jedum*, nunc Japoniæ ſedes regia. Hæc Michael Antonius Baudrand, *tom.* 1. *geogr. pag.* 499. *col.* 1. & *tom.* 2. *pag.* 43. *col.* 2.

EPISCOPI OCHIÆ.

Guillelmus.

Michael Pio, *part.* 2. *hiſtoriæ Ordinis Præd. lib.* 2. *col.* 176. ad annum 1345. ſcribit *F. Guillelmum*, Gallum, hujus Ordinis alumnum, *epiſcopum Ochienſem* eo tempore floruiſſe. Nihil aliud de eo nobis notum eſt.

Digitized by Google

XXII. ECCLESIA SENASCOPOLENSIS.

URBEM *Senaſcopolim* ad littus maris Pontici tradit Waddingus infra laudandus: hujus autem aliquot præſules ritus Latini occurrerunt.

EPISCOPI SENASCOPOLENSES.

A

I. GOTHUS.

II. BERTOLDUS *electus*.

III. NICOLAUS.

R. P. Bremond, *tom. 2. Bullar. pp. 426. & 427.* refert diploma Bonifacii IX. datum anno 1401. die 23. Decemb. in quo legitur *Gotho* epiſcopo Senaſcopulenſi (Senaſcopolenſi) defuncto ſuffectum fuiſſe *F. Bertoldum Volo,* Ordinis Præd. huic vero, eo quod non curaſſet expediri tempore debito apoſtolicas proviſionis litteras, ſubſtitutum *F. Nicolaum Poſſeck,* ejuſdem Ordinis.

IV. JOANNES.

V. GEORGIUS.

Waddingus, *to. 5.* ad annum 1450. *n. 17. pag. 587.* ſcribit eccleſiæ *Senaſcopolenſis ad mare Ponticum* vacanti per obitum *Joannis,* præfectum eſſe eo anno die 5. Jun. à Nicolao V. Papa, *F. Georgium de Regibus,* Minoritam.

Atque hæc ſunt quæ de præſulibus Latinis in Oriente ad notitiam noſtram venerunt, finemque imponent toti immenſo Operi Poſthumo R. P. MICHAELIS LE QUIEN, cui titulus, *ORIENS CHRISTIANUS.*

FINIS.

Digitized by Google

INDEX,

NOMINA URBIUM EPISCOPALIUM, PATRIARCHARUM, PRÆSULUM, ABBATUM,

Et Preſbyterorum delegatorum, tam Græci quam Latini ritus, in hocce volumine tertio recenſitorum, complectens, qui alicujus Eccleſiæ regimini quoquo modo præfuerunt.

ECCLESIA MARONITARUM DE MONTE LIBANO.

MARONITÆ nomen iſtud ſortiti ſunt à *Marone* ſanctiſſimo abbate IV. & V. ſæculi. *col.* 4. *n.* 4. D. quod ſubinde tantum abeſt ut alicujus hæreſis fuerit proteſtativum. 5. *num.* 5. D. quin è contra publica profeſſionis catholicæ adverſus errores Neſtorianorum & Monophyſitarum in iſtis regionibus eſſet teſſera. Quia enim ad cœnobium S. Maronis, per illos monachos de vera fide inſtruendi, vel in illa confirmandi, confluebant quotquot eam ſervare illibatam ſatagerent; hinc ipſos quoque, quaſi fidei Maronitarum monachorum ſectatores præcipuos, nuncupare ſolebant *Maronitas.* 29. *n.* 22. E. qua etiam nomenclatura Heraclium Imperatorem ante enatum Monotheliſmum donarunt. 30. *num.* 24. D.

Maronitas tamen recentiorum plerique, Eutychii præſertim Patriarchæ Alexandrini ſæculo X. & Willelmi Tyrii ſcriptoris ſæculi XII. auctoritati innixi, reos faciunt *Monophyſiſmi* & *Monotheliſmi*, contendentes à *Marone* quodam illorum ſectæ anteſignano, qui alio Marone longe recentior fuit, hæreſim imprimis *Monotheliticam* adinventam, quam ii demum ſub finem ſæculi XII. ejuraverint. 1. *& ſeqq. nn.* 1. 2. *&* 3. Verum Eutychius ille nullam fidem evidenter meretur, quippe qui putidiſſimis paſſim ſcateat mendaciis, & quoad hoc totam trium ſæculorum anteriorum peſſumdet hiſtoriam. Narratio autem Willelmi de Maronitarum reditu ad eccleſiam ſuo tempore, omnino reſtringenda eſt ad aliquam illorum partem, paucis duntaxat annis antea viru Monothelitico infectam. 26. *& ſeqq. uſque ad* 40. *num.* 21. *& ſeqq. ad* 31.

Maronitæ Antiochenis Patriarchis paruiſſe videntur, donec proprium habuerunt in fine ſæculi VII. aut initio ſequentis. Is primùm degit in monaſterio caſtelli *Caphar-Haï* agri Botrenſis. 11. *n.* 10. B. deinde ante annum 1445. in monaſterio *Kanubin.* 63. D. Præeſt quinque metropolitis, *Tyrienſi* videlicet, *Damaſceno*, *Tripolitano*, *Aleppenſi*, & *Nicoſienſi*; pluribus quoque epiſcopis, qui omnes ipſi immediate ſubduntur, eumdemque eligunt, adſtantibus aliquot magnatibus. 46. *num.* 40. D.

Apud Maronitas, non tantum clerici, ſed etiam ſæculares, mulieres quoque, divinis officiis diu ac noctu ut plurimum interſunt. Tribus hebdomadibus ante Quadrageſimam à Dominica Quinquageſimæ incipientem, funduntur preces pro defunctis: in prima quidem pro his qui fuerunt de clero: in ſecunda vero pro monachis: in tertia demum pro omnibus aliis. Iidem per quatuordecim dies ante feſtum SS. Petri & Pauli, per totidem ante feſtum Aſſumptionis, & per viginti ante Nativitatem Domini, abſtinent à carne & lacticiniis. 47. *nn.* 42. & 43. C. D.

Eccleſiæ Maronitarum ordine alphabetico.

Accura, ad meridiem Libani, ſedes epiſcopalis. *coll.* 93. 94.

Aleppus, olim *Berhæa*, inter Hierapolim & Antiochiam, ſedes metropolitica. 81. 82.

Algigæi archiepiſcopus erat *Cyrillus* quidam anno 1404. 100. A.

Sancti Antonii monaſterium Congregationis Aleppinorum monachorum, quorum inſtitutor extitit & primus abbas in cœnobio S. Elizæi *Abdalla* ſive *Abdula*, in ſedem epiſcopalem erectum eſt, neſcio quo anno, ſed ei præſuit epiſcopus, idem Abdalla poſt Joſephum, quem in Patriarcham elegere Maronitæ anno 1733. 100. C. D.

Arca ſive *Arce*, urbs Phœnices, Alexandri Imperatoris patria, ſedes epiſcopi Maronitæ, cujus eccleſia S. Arſenii nomen gerit. 95. 96.

Berytus, urbs quoque Phœnices, quam à Saturno conditam ferunt, ſcholâ antiquâ celebris, colonia Juris Italici. Ejus epiſcopus Maronita præeſt regimini Catholicorum in ea degentium. 89. 90.

Biſrai, urbs & provincia in Monte Libano, ſedes epiſcopalis Maronitarum. 97. 98.

Botrys Roma & Carthagine antiquior, cujus epiſcopo Maronitæ ſubſunt omnes Chriſti fideles in hoc loco. 91. 92.

Bſiarrai, urbs circa Libanum, regioni vicinæ nomen tribuens, cui olim præerat princeps ſpecialis. Epiſcopus Maronita Chriſtianorum hujus nationis curam gerit, etiam in terris adjacentibus. 95. 96.

Byblus, urbs Phœnices antiquiſſima, ſedes eſt epiſcopalis Maronitarum. 89. 90.

Chſaya monaſterium eſt, cujus abbas & epiſcopus erat anno 1733. *Joſephus* quidam. 100. C.

Damaſcus, urbs Syriæ & Soldani olim regia, quæ una eſt ex quinque metropolitanis Maronitarum ſedibus. 77. 78.

Eden ſive *Paradiſus*, ad orientem Tripolis, ſedes epiſcopalis Maronitarum. 91. 92.

Edlun, cujus epiſcopus nomine *Gabriel* ſedebat anno 1733. 76. B. *&* 100. C.

Hhadeth, nunc pene orbata populo, celebratiſſima eſt in Maronitarum chronicis, quod per annos ſeptem à Saracenis oppugnata ſeſe ſtrenue defenderit. 97. 98.

Heſron, urbs Phœnices, quæ vetus Syriacum ſeu Chaldaïcum, non ſolum in officiis eccleſiaſticis, ut cæteræ hujus regionis urbes uſurpant, ſed & pro lingua communi habent, ſedes eſt epiſcopalis Maronitarum. 95. 96.

Kanubin ſive *Canobin*, monaſterium eſt Maronitarum ſub nomine S. Mariæ extructum à Theodoſio magno ad radices Montis Libani; illud ex ſede epiſcopali quam primus tenuit *Petrus* quidam. 63. E. 100. B. patriarchalis evaſit ſub Joanne Algigæo 43. Maronitarum Patriarcha ante annum 1445. 63. E.

Domum illam ab omni vectigalis gravamine exemit *Alzaher Barcuch* Orientis & Ægypti Soldanus, inciſis ea de re in lamina ærea caracteribus. 63. D.

Sedebat prius Patriarcha Maronitarum in monaſterio *Caphar-Haï*, quod *Joannes Maro* primus eorum Patriarcha nobis notus ædificaverat ad radices præfati Montis Libani, & *S. Maronis* abbatis IV. & V. ſæculo florentis nomine donarat, in memoriam ſcilicet cœnobii ejuſdem nominis à Romæis ſive Conſtantinopolitanis deſtructi. 11. A. B.

Kfarſu, cujus epiſcopus *Theodorus* ab Hieremia Patriarcha Maronitarum Romam pergente ſuus vicarius conſtitutus eſt anno circiter 1200. *col.* 99. D.

Nicoſia, urbs Cypri inſulæ, una ex ſedibus quinque metropolitanis Maronitarum, qui è Palæſtina & Phœnice ejecti ſæculo XII. à Salahadino, huc fugerunt. 83. 84.

Sarepta, urbs Phœnices inter Tyrum & Sidonem, ſedes epiſcopalis Maronitarum. 89. 90.

Sciadra, oppidulum & ſedes epiſcopalis Maronitarum. 97. 98.

Sidon, urbs antiquiſſima Phœnices, quæ à Sidonio Chananæi primogenito condita fertur, ſedes epiſcopalis Maronitarum. 87. 88.

Tripolis, urbs Phœnices, ſic dicta quod olim tribus coloniis, *Aradiorum* videlicet, *Sidoniorum*, & *Tyriorum* ab invicem ſejunctis, coaleſceret, una eſt ex quinque eccleſiis metropolitanis Maronitarum. 79. 80.

Tyrus, urbs Phœnices clariſſima, inter quinque metropolitanas Maronitarum ſedes primum locum obtinens. 77. 78.

Digitized by Google

Index Patriarcharum Maronitarum.

I. Joannes Maro, de quo jam ſupra in indice epiſcopalium ſedium Maronitarum, ad vocem *Kanubin*, primùm *Botrenſis* fuit epiſcopus. 7. D. deinde Antiochiam caſu veniens ſub finem ſæculi VII. à Maronitis illic & in tractu Antiocheno degentibus renuntiatus eſt *Patriarcha*, non quidem *Antiochiæ*, ut placet nonnullis, ſed *Maronitarum*, dictus nihilominus *Maronitarum Patriarcha Antiochenus*. 9. B. & 50. D. Mirum quot & quanta in ſuæ gentis commodum præſtiterit dignitate epiſcopali ornatus iſte Joannes Maro: nam, præter epiſcopos & ſacerdotes in variis regionibus ordinatos. 8. C. præter libros exaratos, in quibus elucet tum eximia eruditio, tum fides illibata. 7 B. *&* 17. D. *uſque ad* 21. B. collectis inſuper copiis, quibus præfici curavit Abrahamum ſuum ex ſorore nepotem, totam provinciam à Saracenorum infeſtationibus liberavit; quod tamen quia privata auctoritate, & inconſulto Juſtiniano II. Græcorum Imperatore, patraverat, adeo ipſi diſplicuit, ut inde Maronitis *Mardaitarum* nomen inditum fuerit, id eſt, *rebellium* Imperatori; dum è contra qui Imperatori parebant, *Melchitæ* idiomate Syro, id eſt, *Imperiales* nuncuparentur. Nomina itaque *Mardaitarum* & *Melchitarum* coæva & oppoſita, non *Religionis* aut *Ritus*, ſed *civilis* duntaxat *factionis* in prima origine nomina fuerunt, id eſt, *rebellionis* vel *obedientiæ* erga Imperatorem Romanum; nec ante ſæculum X. ii qui fidem concilii Chalcedonenſis profitebantur, alio titulo reperiuntur inſigniti ab hæreticis huic concilio infenſis, quam *Chalcedonenſium* aut *Synoditarum:* poſtea tamen *Melchitæ* vocabulum pro religionis *catholicæ* teſſera uſurpatum eſt. 11. E. *uſque ad* 17. A. Obiit Joannes Maro anno 707. *col. 6. & ſeqq. uſque ad* 21. E. *&* 49. A. *uſque ad* 51. C.

II. Cyrus Joannis Maronis ex ſorore nepos & ſucceſſor anno 707. 51. B. C.

III. Gabriel I. de Monte Libano. *ibid.* D.

IV. Joannes II. dictus etiam *Maro*, qui fuerat monachus in cœnobio S. Maronis abbatis. *ibid.* E.

V. Joannes III. ex pago Dmalſa in Botrydis diſtrictu. 52. A.

VI. Theophilus. *ibid.*

VII. Gregorius I. *ibid.*

VIII. Stephanus I. *ibid.*

IX. Marcus. *ibid.* B.

X. Euſebius. *ibid.*

XI. Joannes IV. *ibid.*

XII. David I. *ibid.*

XIII. Gregorius II. *ibid.*

XIV. Theophylactus. *ibid.*

XV. Jeſus *ſive* Iſa. *ibid.*

XVI. Domitius. *ibid.*

XVII. Iſaac. *ibid.*

XVIII. Joannes V. *ibid.*

XIX. Simon I. *ibid.*

XX. Hieremias I. *ibid.*

XXI. Joannes VI. *ibid.* C.

XXII. Simon II. *ibid.*

XXIII. Simon III. *ibid.* Hi recenſentur in quodam catalogo, &c. 53. A. B. C. D.

XXIV. Joſeph I. Paſchali II. Papæ ſcripſit; obiit vero circa ann. 1119. Is Thomam Haranitam metropolitam Kfartab in diœceſi Aleppenſi, qui viru Monotheliticæ hæreſis Maronitas inficere conabatur anno circiter 1111. ſcriptis epiſtolis acriter confutavit. 54. A.

XXV. Petrus I. jam ſedebat anno 1121. 55. C. D.

XXVI. Gregorius III. Alathenſis legatos miſit ad Innocentium II. Papam anno 1130. ut gratularetur ei de ſua exaltatione. *ibid.* E.

XXVII. Jacobus I. *Petrus* etiam dictus, ex oppido Ramath diœceſis Botrenſis, patriarchatum gerebat anno 1141. *ibid. &* 56. A.

XXVIII. Joannes VII. ex oppido Lephed agri Byblienſis, Maroniticæ genti præfuit ab anno 1151. ad 1173. 56. C. 57. A.

XXIX. *** 57. C. 48. A.

XXX. *** *ibid.*

XXXI. *** *ibid.* Trium iſtorum Patriarcharum primus, qui hæreſim Monotheliticam ebiberat, depoſitus eſt à Maronitis: alter vero, qui in ejus locum fuerat ſubſtitutus, letho datus eſt à prioris Patriarchæ aſſeclis; tertius demum, curante Haymerico Patriarcha Antiocheno an. 1182. electus pacifice fuit, eique unita illa Maronitarum pars, quæ quum Monothelitica lue à paucis annis infecta fuiſſet, ad eccleſiam rediit. 57. C. uſque ad 58. E.

XXXII. Lucas I. hujus ultimi ſucceſſor, exeunte ſæculo XII. vel initio ſequentis, Monophyſitarum erroris fautor extitit. 58. E.

XXXIII. Hieremias II. de Hamſcis, in Byblidis diſtrictu oriundus, ad patriarchatum Maronitarum aſſumptus eſt anno 1209. Is Romam perrexit ad Innocentium III. ut malis à prædeceſſore genti ſuæ inductis mederetur. Interfuit concilio Lateranenſi anno 1215. Obiit anno 1230. 41. E. 42. A. 59. D. *&* 60. A.

XXXIV. Daniel I. de Sciamat in agro Byblidis, electus anno 1230. adhuc vivebat anno 1236. 60. D.

XXXV. Joannes VIII. 60. E.

XXXVI. Simon IV. ſedebat anno 1268. quo, Antiochia Chriſtianis à Soldano Babyloniæ erepta, fideles plurimos inde fugientes benigne excepit. 61. A.

XXXVII. Daniel II. Simoni ſucceſſit circa annum 1281. Erat de Hadſcis in Biſtraenſi provincia. 61. C.

XXXVIII. Lucas II. ex oppido Bnehran ad radices Montis Libani, an. 1283. eccleſiæ Maronitarum præerat. 61. D.

XXXIX. Gabriel II. de Ḥagula in Byblidis tractu electus eſt, teſtibus Stephano Edenenſi & Blaſio Terzi, circa annum 1290. Obiit autem anno 1296. die 1. Aprilis, à Saracenis propter fidem igne conſumptus. Verum hunc Gabrielem eo ævo eſſe recentiorem, utpote an. 1367. extinctum, liquet ex codice 18. Ecchellenſi, cujus meminit Aſſemanus. 62. A. B. ubi, *lin.* 14. pro *octoginta* legendum eſt *ſeptuaginta*.

XL. Simon V. ſedebat anno 1322. 62. C.

XLI. Joannes IX. ſedebat anno 1357. 62. D. Huic fortaſſis ſucceſſit Gabriel II. de quo ſupra.

XLII. David II. dictus etiam *Joannes*, ſedebat anno 1396. & pervenit uſque ad annum 1404. 62. E.

XLIII. Joannes X. Algigæus ab Eugenio IV. ſynodo Florentinæ præſidente pallium obtinuit. Is à Mahumetanis exagitatus, ad monaſterium S. Mariæ de Kanubin ſe contulit, quod exinde evaſit Patriarcharum Maronitarum domicilium. Ibi obiit anno 1445. 63. B.

XLIV. Jacobus II. Joanni ſuffectus eſt eodem anno 1445. & deceſſit anno 1468. die 8. Februarii. 63. E.

XLV. Petrus II. ad patriarchatum aſſumptus eſt poſt novem dies à morte prædeceſſoris: obiit vero anno 1492. die 12. Februarii. 64. E.

XLVI. Simon VI. ſive Simeon iiſdem menſe & anno Petrum excepit. Is Jacobi II. frater erat, Hadethenſis, & bis Romam legatum miſit, ſcilicet ſtatim poſt electionem ſuam, & anno 1515. quo ejus litteræ in concilio Lateranenſi lectæ ſunt. Ex hac vita migravit anno 1524. die 27. Novembris, ætatis ſuæ anno fere 120. 64. E.

XLVII. Moyſes ex Barda oppido provinciæ Accurenſis electus die 11. Decembris anni 1524. obiit anno 1567. ætatis 95. die 19. Martii. 65. E.

XLVIII. Michael Riſius die 31. Martii ejuſdem anni 1567. ſedem Maronitarum patriarchalem conſcendit: deceſſit autem anno 1581. die 21. Septemb. 66. E.

XLIX. Sergius Riſius, præcedentis frater, ei ſucceſſit. Is ſynodum coegit an. 1596. cui interfuit Hieronymus Dandinus Societatis Jeſu, à Clemente VIII. miſſus, ut fidem Maronitarum exploraret. Paulo poſt obiit Sergius eodem anno die 5. Octob. 68. B.

L. Joſeph II. Riſius, duorum Patriarcharum laudatorum frater, ad eamdem quoque dignitatem aſſumptus. Hunc præfatus Dandinus & Aſſemanus aiunt fuiſſe duntaxat Sergii Riſii nepotem. Is primus Calendarii correctionem Gregorianam ſuſcepit anno 1606. Obiit vero anno 1608. 68. D.

LI. Joannes XI. anno 1609. menſe Maio ſedem patriarchalem conſcendit, quæ à novem menſibus vacabat, ob Turcarum copias in ea tunc regione omnia devaſtantes. Viam univerſæ carnis ingreſſus eſt anno 1633. die 15. Decemb. 68. E.

LII. Gregorius I. Amira, ex epiſcopo Edenenſi Patriarcha Maronitarum evaſit anno 1633. die 27. Decembris, & obiit, juxta Aſſemanum, an. 1644. die 29. Jul. 69. D. Qui tamen anno præced. 1643. ex hac vita migraſſe dicendus foret, ſi verum ſit quod in vita *D. Galaup de Chaſteüil* legitur, *Eliam* nempe epiſcopum Edenenſem Georgio ſucceſſiſſe ſex menſibus ante obitum præfati *D. Galaup*, qui contigit anno 1644. die 15. Maii. 70. B.

LIII. Joſeph III. Accurenſis, ex ſede Sidonienſi Maronitarum ad patriarchalem tranſiit anno 1644. die 15. Aug. Obiit vero anno 1647. die 3. Novemb. 71. B.

LIV. Joannes XII. Saffrenſis, de Byblidis diſtrictu, iiſdem menſe & anno in Patriarcham electus eſt. Pie obdormivit in Domino anno 1656. die 23. Decembris. 71. E.

LV. Georgius II. de Beſbhel in agro Tripolitano, renuntiatus eſt Patriarcha anno 1657. die 1. Jan. Obiit autem Keſruani anno 1670. die 1. Aprilis. 72. C.

LVI. Stephanus II. Edenenſis, clariſſimus rerum Maronitarum ſcriptor, ſedem eorum patriarchalem conſcendit an. 1671. die 20. Maii. Migravit ex hac vita anno 1704. die 3. Maii. 72. E.

LVII. Gabriel III. de Blauſa oppido in Monte Libano, ex primo Aleppi ſuæ gentis

archiepiſcopo ad ſedem patriarchalem promotus eſt anno 1704. die 11. Maii. Obiit anno ſequenti die 31. Octob. 73. E.

LVIII. Jacobus III. Avodius de Heſron etiam in Monte Libano patriarchatum obtinuit anno 1605. die 5. Novemb. Hunc epiſcopi Maronitæ quibuſdam annis poſtea, congregati in quodam monaſterio provinciæ Keſrovanenſis, depoſuerunt, & in ejus locum ſubrogarunt *Joſeph Benedictum*, quem pallio donare ſemper recuſavit Clemens XI. Papa. Mortuo iſto Joſeph Benedicto, reſtitutus eſt Jacobus Avodius ſuæ ſedi in curia Romana. Obiit anno 1733. die 12. Februarii. 74. C.

LIX. Joſeph IV. in Patriarcham electus eſt poſt gravia diſſidia anno 1733. menſe Martio. 76. A.

Index Præſulum Maronitarum ordine alphabetico.

A.

Abdellah ſive Abdalla aut Abdula, S. Antonii cœnobii monachorum Aleppinorum. *coll.* 76. A. C. *&* 100. D.
Arſenius. Accuræ. 93. C.

C.

Cyrillus. Algigæi. 100. A.
Cyrus. Patr. 51. B.

D.

Daniel I. Patr. 60. D.
II. 61. C.
David I. Patr. 52. B.
II. 62. E.
Arch. 95. D.
Domitius. Patr. 52. B.

E.

Elias. Patr. 70. B.
Cypri. 84. C.
Eden. 70. B. *&* 94. A.
Arcæ. 95. B.
Epiſc. Maron. 100. D.
Euſebius. Patr. 52. B.

G.

Gabriel I. Patr. 51. D.
II. 61. E.
III. 73. E.
Tripolis. 80. C.
Aleppi. 81. B.
I. Cypri. 85. E.
II. 1215. *Monit.*
Sareptæ. 90. B.
Sidonis. 90. A.
Edlun. 76. B. *&* 100. D.
Georgius I. Patr. 69. D.
II. 72. C.
Damaſci. 77. A.
I. Cypri. 1208. *Monit.*
II. 86. E.
III. 1215. *Monit.*
IV. 88. B.
Eden. 93. B.
I. Accuræ. 94. D.
II. *ibid.*
Germanus I. Aleppi. 82. C.
II. 84. B.
Gregorius I. Patr. 52. A.
II. *ibid.* B.
III. 55. E.

H.

Hieremias I. Patr. 52. C.
II. 59. D.

J.

Jacobus I. Patr. 55. E.
II. 63. E.
III. Avodius. 74. C.
Jeſus ſive Iſa. Patr. 52. B.
Joachim. Beryti. 1327. *Monit.*
Joannes I. Maro. Patr. 6. C. *uſque ad* 21. E. *&* 49. A.
II. 51. E.
III. 52. A.
IV. 52. B.
V. *ibid.*
VI. *ibid.*
VII. 56. B. *&* 99. C.
VIII. 60. E
IX. 62. D.
X. 63. B.
XI. 68. E.
XII. 71. E.
Tripolis. 80. B.
Bapt. Aleppi 1237. 1238. *Monit.*
Cypri. 83. C.
Sidonis. 89. A.
Bybli. 91. B.
Botrys. 91. C.
I. Hetronis. 95. A.
II. 96. A.
Sciadræ. 97. B.
Joſeph I. Giargeſæus. Patr. 54. A.
II. Riſius. 68. D.
III. 71. B.
IV. *electus.* 74. C.
V. 76. A.
Tripolis. 80. C.
Sidonis. 87. D.
I. Bybli. 91. A.
II. 92. A.
Cſaiæ. 100. C.
S. Antonii. *ibid.*
Iſaac. Patr. 52. B.
Tripolis. 79. A.

L.

Lucas I. Patr. 58. E
II. 61. D.
Cypri. 88. C.

M.

Marcus. Patr. 52. B.
Michael Riſius. Patr. 66. E.
Tripolis 80. B.
Aleppi. 82. B.
Moyſes. Patr. 65. E.
Cypri. 87. C.
Bſciarrai. 97. A. *&* 100. C.

P.

Petrus I. Patr. 55. C.
II. 64. E.
Cypri. 88. C.
Eden. 93. A.
Accuræ. *ibid.* D.
Biſrai. 99. A
Kanubin. 63. E. *&* 100. A.

S.

Sergius Riſius. Patr. 68. B.
Riſius Damaſci. 77. A.
Simon I. Patr. 52. B.
II. *ibid.* C.
III. *ibid.*
IV. 61. A.
V. 62. C.
VI. ſive *Simeon.* 64. E.
Stephanus I. Patr. 52. A.
II. 72. E.
Kanubin. 76. B. *&* 100. D.

T.

Theophilus. Patr. 52. A.
Theophylactus. Patr. 52. B.

Præſules anonymi Maronitarum.

Tres eorum Patriarchæ: ſcilicet
XXIX. *col.* 57. C.
XXX. *ibid.*
XXXI. *ibid.*
Bſciarrai. 97. A.
Item in cœnobiis
S. Dominici. 55. D. & 99. C.
S. Simeonis *ibid.*
S. Eliſæi *ibid.*
S. Mariæ Lephedienſis. *ibid.*

De Patriarchatu Hieroſolymitano.

HIERUSALEM, urbs ſancta, Judaïcæ olim Reipublicæ caput ac metropolis, novi quoque fœderis prima eccleſia, quam Chriſtus perennis ſacrificii ſanctione ac prima oblatione ſacravit, & in qua voluit Apoſtolos ſuos illapſu Spiritus ſancti linguas omnium gentium edoctos, opus evangelicæ prædicationis ordiri. Hæc cæterarum, quandiu ſtetit, Palæſtinæ fuit eccleſiarum mater, cui Jacobum minorem, dictum fratrem Domini, in primum epiſcopum dederunt Petrus, Jacobus alter, & Joannes. *col.* 101. A. Ea urbe à Romanis exercitibus ſubverſa, ducibus Veſpaſiano & Tito, Chriſtiani ejus incolæ, qui ad montana trans Jordanem jam fugerant, in Peræa regione ac Pellæ præſertim conſtitere. 102. C. Quindecim primi Hieroſolymorum antiſtites ex Judaïca gente aſſumpti fuerunt: ſed quum, oppido quod in ejus ruinis ſurrexerat iterum capto & diruto à Romanis ſub Ælio Hadriano Imperatore, alia urbs ex ejus nomine *Ælia* appellata, cujus ingreſſu Judæi origine arcebantur, conſtructa eſſet, Gentiles ad Chriſtum converſi, qui in illa degebant, ſibi in epiſcopum elegerunt unum ex ſuis *Marcum* nomine, dum *Judas*, Hebræorum ultimus, fortaſſis adhuc viveret, ſuamque ex Judæis fidelibus conflatam eccleſiam gubernaret. à 102. D. *ad* 107. A.

Porro *Cæſarea*, quæ poſt Hieroſolymam celeberrima fuerat civitatum Palæſtinæ, ea ſolo æquata, metropolis evaſit Chriſtianorum totius regionis, urbis etiam Æliæ ejuſque præſulum, per quatuor fere ſæcula. 107. A. An vero in Palæſtina Patriarcha Antiochenus juriſdictionem aliquam exercuerit obſcurum eſt: nam non ab eo Cæſarienſis antiſtes, ſed ab epiſcopo Æliæ, ceu digniore ſuorum ſuffraganeorum, conſecrari ſolebat. 108. C. Nonnullis aliis prærogativis interim gaudebat idem Æliæ præſul, ob Hieroſolymæ prioris memoriam, quas ei libentiſſime confirmarunt Patres Nicœni, ſervata nihilominus Cæſarienſi eccleſiæ dignitate metropolis. 107. C. *&* 109. A.

At Hieroſolymitano patriarchatui erigendo præluſiſſe viſi ſunt eodem ſæculo IV. Macarius, Cyrillus, & Joannes Æliæ epiſcopi, occaſione accepta ex Ariana hæreſi, cui impenſe favebant Euſebius & Acacius Cæſarienſes: quorum enim illi communionem averſabantur, horum nolebant auctoritati ſubjici: unde & contendere cœperunt ſuam eccleſiam eſſe *Apoſtolicam*, cæterarumque totius Palæſtinæ matrem, utpote quæ ipſa eſſet Hieroſolyma ſub nomine *Æliæ* reſtaurata. 109. D. 110. A. Juvenalis deinde, Joannis poſt Praylium paucorum annorum antiſtitem ſucceſſor, petiit in ſynodo Epheſina anno 431., & viginti abhinc annis in Chalcedonenſi aſſequutus eſt, ut ſedes ſua Hieroſolymorum Palæſtinæ, olim uni, ſed tunc in tres Palæſtinas diviſæ, quarum metropoles erant, primæ quidem *Cæſarea*, ſecundæ vero *Scythopolis*, tertiæ demum *Petra*, jus diceret.

Digitized by Google

à 109. D. *ad 116.* B. Is inde dicendus venit novæ urbis Hieroſolymorum primus Patriarcha, qui ſcilicet iſtius ſedis jure toti Palæſtinæ, *Judæam, Samariam*, & utramque *Galilæam* olim complectenti, præfuerit. *à 117.* C. *ad 127.* B.

Hujuſmodi Patriarcharum, Saracenis Palæſtinas devaſtantibus ſæculo VII. interrupta fuit ſeries, poſt Sophronii obitum, per 60. & amplius annos. Verum interim eccleſia Romana varios commiſit epiſcopos, inter quos noti ſunt Stephanus Dororum, & Joannes Philadelphiæ, qui ipſius vice toti huic regioni proſpicerent. *à 129.* A. *ad 131.* D.

Capta Hieroſolyma à Latinis an. 1099. illique præpoſito ejuſdem ritus Patriarcha, Imperatores Byzantini, non tamen ante annum 1142. Patriarchas Hieroſolymitanos ſui ritus nominarunt, qui Conſtantinopoli morabantur quandiu Hieroſolyma Latinis paruit; in eam autem urbem regreſſi ſunt poſtquam hæc iterum in Saracenorum devenit poteſtatem anno 1187. ſed illuc ſchiſma Byzantinum invexere, quo nunc, non ſecus ac cæteræ ſedes patriarchales, laborat. *à 131.* D. *ad 136.* B.

Index Eccleſiarum Patriarchatus Hieroſolymitani, ordine alphabetico.

A.

Abela ſive *Abila Batanææ*, non confundenda, vel cum *Abila Perææ*, vel cum *Abila ad Libanum*, ſedes eſt epiſcopalis Palæſtinæ ſecundæ ſub Scytopoli metropoli. *701. 702.*

Acon, vide *Ptolemais.*

Adria. *773. 774.*

Ælia ſive *Elia*, ipſa eſt quam Ælius Hadrianus ſub Hieroſolymorum ruinis exſtruxit, dicta *Ælia Capitolina*, propter templum Jovis in ea erectum. Hanc immerito aliam fuiſſe urbem exiſtimavit Carolus à S. Paulo. *675. 676.*

Agelon. *777. 778.*

Agrippias, vide *Anthedon.*

Aila, quæ & *Ailath* ſive **Elath**, urbs in ora maris Rubri ſive ſinus Arabici, ſedeſque epiſcopalis tertiæ Palæſtinæ ſub Petra metropoli. *757. 758.*

Amathus, urbs in regione trans Jordanem, non longe à Philadelphia, ſedes epiſcopalis ſecundæ Palæſtinæ ſub Scythopoli. *715. 716.*

Ammaus, vide *Nicopolis.*

Anthedon, ab Herode denominata *Agrippias*, ſita ad mare non longe à Gaza, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea metropoli. *631. 632.*

Antipatris, ab Herode ex nomine patris ſui ſic appellata, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea metropoli. *579. 580.*

Apathos ſive *Regium Patos*, in notitia Græca ſedes epiſcopalis Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea. *677. 678.*

Araclia, vide *Archelaïs.*

Arad, urbs Amorrhæorum, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ tertiæ ſub Petra metropoli. *727. 728.*

Archelaïs, quæ eſt *Araclia* ſive *Heraclia* Caroli à S. Paulo, urbs ab Archelao Herodis filio condita, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea metropoli. *673. 674. & 679. 680.*

Areopolis, quaſi *urbs Ar*, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ tertiæ ſub Petra metropoli. *733. 734.*

Arindela in neutro plurali, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ tertiæ ſub Petra metropoli. *727. 728.*

Aſcalon, vulgo *Scalona*, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea metropoli. *597. 598. & 1275. 1276.*

Aſſur, quam laudat Carolus à S. Paulo; ſed hæc alia eſſe non videtur ab *Apollonia* urbe maritima inter Cæſaream & Joppen, quæ tamen non fuit ſedes epiſcopalis, fortaſſis eſt urbs *Arſuf* non longe à Jamnia, ſed nec ſedes epiſcopalis. *679. 680.*

Auguſtopolis, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ tertiæ ſub Petra metropoli. *727. 728.*

Azotus, Hebræis *Aſchdod* ſive *Aſdod*. Duplex fuit in Palæſtina prima hujus nominis civitas, quas notitiæ Græcæ memorant: una quæ Παράλιος ſive *maritima* dicebatur, altera quæ Ιππίνος *Azotus Hippinus*, & mediterranea erat inter Jamniam & Aſcalonem. Hæc nunc vicus eſt dictus *Azdot.* *659. 660.*

B.

Bacatha neutro plurali, quæ *Metrocomes* ſive *Metrocomia* in notitiis Græcis appellatur, id eſt, *præcipuus vicorum*, ſedes fuit epiſcopalis Palæſtinæ tertiæ. Ipſa eſt quam Carolus à S. Paulo *Baſchat* appellat, & inter ſedes Palæſtinæ primæ recenſet. *679. 680. & 761. 762.*

Baſchat, vide *Bacatha.*

Batharampta, vide *Libyas.*

Belinas, vide *Paneas.*

Berytus, ſedi Hieroſolymorum addicta ſub Latinis. *1325. 1326.*

Bethara, vide *Libyas.*

Bethelia ſive *Betulium* prope Gazam, fortaſſis *Betulia* S. Hieronymi, aut etiam *Bethel*, ſedes fuit epiſcopalis Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea metropoli. *671. 672.*

Bethleem, prius *Ephrat* ſive *Ephrata*, Chriſti Domini natalibus celeberrima. Hanc non expunxerunt Judæi, ex cap. 15. verſ. 60. libri Joſue. Cœpit ſedes eſſe epiſcopalis ſub Latinis initio ſæculi XII. ſuffraganea facta eccleſiæ Hieroſolymorum. *641. 642. & 1275. 1276.*

Bethſan, vide *Scythopolis.*

Biroſabon, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ tertiæ ſub Petra metropoli. *773. 774.*

Boſtra, urbs patriarchatus Antiocheni, nunc Hieroſolymitani. *775. 776.* & *1307. 1308.*

C.

Cæſarea, olim *Turris-Stratonis*, quam Herodes multum auxit, & in honorem Auguſti Imperatoris *Cæſaream* nuncupavit. Hieroſolymis ſolo æquatis, metropolis evaſit totius Palæſtinæ, nondum in tres diviſæ: ſed ſæculo V. medio, Ælia in ſedem patriarchalem erecta, primæ duntaxat Palæſtinæ metropolis remanſit. *107.* C. *109.* A. *529. 530. & 1285. 1286.*

Cæſarea Philippi, vide *Paneas.*

Caparcotia ſive *Capharcotia* inter Cæſaream & Scythopolim. Hanc Carolus à S. Paulo inter epiſcopales ſedes recenſet, ſed in notitiis non legitur. *717. 718.*

Capitolias, ſedes epiſcopalis primæ Palæſtinæ, minime confundenda cum *Ælia Capitolina* ſive *Hieroſolymis.* *715. 716.*

Caſaloth ſive Chaſalus, vide *Exalus.*

Caſtrum Saracenorum, vide *Parembole.*

Characmoba, urbs Arabiæ Petrææ, & ſedes epiſcopalis Palæſtinæ tertiæ ſub Petra metropoli. *729. 730.*

Chebron, vide *Hebron.*

Chryſopolis ſive *Chriſtopolis*, ſedes epiſcopalis ſub Boſtris metropoli. *1307. 1308.*

Clima Gaulames in notitiis veteribus legitur inter ſedes epiſcopales Palæſtinæ ſecundæ. *719. 720.*

Cyriacopolis in notitia Græca Nili Doxopatrii recenſetur. *773. 774.*

D.

Diocæſarea ſive *Sephoris*, & Rabbinis *Zippori*, de cujus uno præfecto Sartore hiſtoriam ſat lepidam referunt, ſedes epiſcopalis fuit Palæſtinæ ſecundæ ſub Scythopoli. *713. 714.*

Diocletianopolis, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea metropoli. *645. 646.*

Dionyſias, ſedes epiſcopalis Arabiæ ſecundæ ſub Boſtris metropoli. *1309. 1310.*

Dioſpolis ſive *Lydda*, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea metropoli, archiepiſcopalis deinde facta. *581. 582.* & *1271. 1272.*

Dora in neutro plurali, ſive *Dor*, *Nephet Dor*, & *Doron*, ſedes primaria inter ſuffraganeas Cæſareæ metropolis Palæſtinæ primæ. *573. 574.*

E.

Elcarach. *777. 778.*

Eleutheropolis, S. Epiphanii patria, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea metropoli, non fuit *Hebron.* *631. 632.*

Elia, vide *Ælia.*

Eluſa, in notitia Græca ſedes epiſcopalis Palæſtinæ tertiæ ſub Petra metropoli. *735. 736.*

Emmaus, vide *Nicopolis.*

Eſtomaſon ſive *Eſtilion*, ipſa eſt urbs Bethelia, de qua. *671. 672.* vide *679. 680.*

Eucomazon, vide *Sycomazon.* & *679. 680.*

Exalus ſive *Chaſalus*, vel *Caſaloth*, urbs epiſcopalis Palæſtinæ ſecundæ ſub Scythopoli. *713. 714.*

G.

Gaben, urbs Palæſtinæ ſecundæ ſub Scythopolitana metropoli. *701. 702.*

Gadara in neutro plurali. Duplex urbs hujus nominis fuit: una quidem in Palæſtina prima ſub Cæſarea. *595. 596.* altera vero in Palæſtina ſecunda ſub Scythopoli. *701. 702.*

Gaza, urbs Philiſtinorum antiquiſſima, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea metropoli. *603. 604.*

Gerara, vetus civitas Palæſtinorum, temporibus Abraham & Iſaac regia Abimelech, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea metropoli. *661. 662. & 679. 680.*

Geraſa, urbs Arabiæ, juris non fuit patriarchatus Hieroſolymitani. *699. 700.*

H.

Hadadrimmon, vide *Maximianopolis.*

Hebron ſive *Chebron*, dicta *Arbee* ante Moyſis tempora, juxta quam in ſpelunca duplici condita fuerunt corpora Abrahæ, Saræ, Iſaac, Jacob, &c. unde ea urbs *Sancta Spelunca* appellatur. Incepit ſedes eſſe epiſcopalis initio ſæculi XII. ſub Latinis. *639. 640. & 1269. 1270.*

Helenopolis, ſic appellata ex nomine Helenæ matris Conſtantini Magni, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ ſecundæ ſub metropolitana Scythopoli. *711. 712.*

Heraclea, vide *Archelaïs.*

Hiericho, urbs Palæſtinæ antiquiſſima, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea metropoli. *653. 654.*

Hieruſalem ſive *Hieroſolyma*, urbs ita antiqua ut plurimi veterum hanc cenſuerint fuiſſe *Salem* regiam Melchiſedech. Certe fuit *Jebus* ditionis Jebuſæorum. Totius Reipublicæ

Digitized by Google

Reipublicæ Judæorum caput fuit, & eccleſiæ chriſtianæ cunabula. Penitus ſubverſa eſt à Romanis ſub Veſpaſiano & Tito; iterumque ſub Ælio Hadriano, qui aliam in ejus locum exſtruxit, *Æliam* ex ſuo nomine dictam. Eamdem per 88. annos poſſederunt Latini ſæculo XII. *à 101. ad 136. & 1241. 1242.*

Hippos, urbs prope ripam lacus in Decapoli, fortaſſis fuit *Suſitha* Hebræorum. In notitiis veteribus ſedes eſt epiſcopalis Palæſtinæ ſecundæ ſub Scythopoli. *709. 710.*

Hozelis, ſedes epiſcopalis juxta montem Sinaï, cujus præſul ſe nunc ſubtrahit juriſdictioni Patriarchæ Hieroſolymorum. *777. 778.*

J

Jaffa, *vide* Joppe.

Jamnia ſive *Jabne*, vulgo *Zania*, urbs antiqua Philiſtinorum, portum habebat paulo à ſe diſſitum, ob quem Plinius duas diſtinguit Jamnias. Sedes epiſcopalis fuit Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea. *587. 588.*

Joppe ſive *Japho*, nunc *Jaffa*, urbs & navale Palæſtinæ, à veteribus fabula Perſei & Andromedæ celebratur. Sedes fuit epiſcopalis Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea metropoli. *625. 626. & 1291. 1292.*

Jotabæ numero plurali, ſive *Jotabes*, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ ſecundæ ſub Scythopoli. Hæc non fuit *Jotapes* illa ſive *Jotapata*, quam Joſephus defendebat adverſus Veſpaſianum. *711. 712.*

Itabyrion, *vide* Thabor.

Julias, *vide* Lybias.

L

Libyas ſive *Livias*, Joſepho *Julias*, dicta etiam corrupte *Regium Lutas*, olim *Batharampta* & *Bethara*, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea. *655. 656.*

Lydda, *vide* Dioſpolis.

M

Majuma Aſcalonis, ab Aſcalone aliquatenus diſſita, ejuſque portus, ſpecialem habuit epiſcopum ſub Cæſarea primæ Palæſtinæ metropoli. *601. 602.*

Majuma Gazæ, ſimiliter portus hujus urbis, & epiſcopatus ſpecialis Palæſtinæ primæ. *621. 622.*

Mamopſora, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ tertiæ ſub Petra metropoli. *773. 774.*

Mamorta, *vide* Neapolis.

Mapſes, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ tertiæ ſub Petra metropoli. *773. 774.*

Maximianopolis ſive *Maximinianopolis*, & antea *Hadadrimmon*, prope Jezraëlem in campo Mageddon, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ ſecundæ ſub Scythopoli. *703. 704.*

Medaba ſive *Medba* & *Medava*, in Arabia Petrea, ſedes epiſcopalis ſub Boſtris. *769. 770.*

Menois, urbs prope Gazam, & diverſa à *Memnith* trans Jordanem, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea metropoli. *669. 670.*

Metrocomia, *vide* Bacatha.

Myrum, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ ſecundæ ſub Scythopoli. *717. 718.*

N

Naïs, vicus Samaritidis in Magno-Campo, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ ſecundæ ſub Scythopoli. *719. 720.*

Nazareth, D. N. J. C. patria, ſedes epiſcopalis evaſit initio ſæculi XII. ſub Latinis, tranſlata in ipſam metropolitica urbis Scythopolis tunc fere deſertæ, dignitate. *693. 694. & 1293. 1294.*

Neapolis, quam multi antiquam *Sichem* fuiſſe cenſuerunt, eo nomine donata eſt à Veſpaſiano poſt excidium Hieroſolymorum, quum antea *Mamortha* appellaretur: nunc *Naplouſa* dicitur. Sedes epiſcopalis fuit Palæſtinæ primæ; aucta deinde dignitate archiepiſcopali, cum Sebaſtia ſive Samaria veteri in unam eccleſiam coaluit. *645. 646. & 1289. 1290.*

Nicopolis, olim *Emmaus* ſive *Ammaus* dicta, ſed non confundenda cum vico *Emmaus* Hieroſolymis adjacente, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea metropoli. *589. 590.*

O

Onus ſive *Ono*, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea metropoli. *677. 678.*

P

Palæſtina, olim nonniſi una dicebatur, licet tres præcipuas complecteretur regiones: id eſt, *Judæam*, *Samaritidem*, & *Galilæam*. Appellabant eam veteres *Syriam Palæſtinam*, ſive *Syriarum ultimam*: tres enim *Syrias* diſtinguebant, nimirum *Syriam Ciliciæ*, vel potius *Syriam Cœlen*, ſive *Cœle-Syriam*, *Syriam Phœnicen*, & *Syriam Palæſtinam*. At ſub finem ſæculi IV. diviſa eſt Palæſtina in tres Palæſtinas, *primam*, *ſecundam*, & *tertiam*. *117. C. & 529. 530.*

Paneas ſive *Cæſarea Philippi* & *Belinas* in Galilæa, prope urbem *Dan*, ſuffraganea Tyri metropolis ſub Patriarcha Antiocheno; ſed obnoxia facta eſt Patriarchæ Hieroſolymitano tempore Latinorum. *1335. 1336.*

Parabas ſive *Paliternum*, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea metropoli. *679. 680.*

Parembole ſive *Caſtrum Saracenorum*, civitas ſpecialis non fuit, ſed turmam quamdam Saracenorum deſignabat, qui de Arabia Deſerta progreſſi ubi in tentoriis habitabant, propter quod *Nomades* ſive *Scenitæ* appellati ſunt, venerunt ad S. Euthymium abbatem, & aſpirante Dei gratia, ad fidem converſi ineunte ſæculo V. epiſcopum à Juvenale Patriarcha Hieroſolymitano obtinuerunt ſub Petra metropoli. *763. 764.*

Parochmuchi, in notitia Græca ſedes epiſcopalis Palæſtinæ tertiæ, videtur eadem fuiſſe ac *Characmoba*. *773. 774.*

Patos, *vide* Apathos.

Pella, urbs Decapolis, ad quam, inſtante Hieroſolymorum obſidione ſub Veſpaſiano, Chriſtiani ſe contulerunt. Hæc ſedes epiſcopalis fuit Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea metropoli. *697. 698.*

Pentacomia, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ tertiæ ſub Petra metropoli. *773. 774.*

Petra nonnullis duplex fuit; una *Palæſtinæ*, *Acrabbim* cognominata ex loco vicino qui *Aſcenſus Scorpionis* dicebatur; altera *Arabiæ*: verum prior epiſcopalis ſedes non erat, neque urbs aliqua, ſed duntaxat prærupta rupes, de cujus ſummitate Judæi decem millia Idumæorum, poſt Amaſiæ victoriam, in præceps dederunt. *Lib. II. Paral. XXV. 11. & 12.* Nec diſtinctionem adſtruit Athanaſius in epiſtola ad Solitarios. Alia itaque non fuit *Petra Palæſtinæ*, præſulis ſpecialis ſedes, quam ipſa *Petra Arabiæ*, *Krach* & *Arach* dicta, quæ toti regioni *Arabiæ Petrææ* nomen indidit, & metropolis extitit Palæſtinæ tertiæ. *663. 664. 721. 722. & 1305. 1306.*

Phænus ſive *Phœnon*, urbs Idumææ inter Petram & Zoaram, celebris ob metalla, ad quæ effodienda damnati ſunt martyres multi, ſedes fuit epiſcopalis Palæſtinæ tertiæ ſub Petra metropoli. *745. 746.*

Phara, ſedes epiſcopalis obnoxia patriarchatui Hieroſolymorum, ex notitia Nili Doxopatrii. *773. 774.*

Pharan ſive *Mons Sinaï*: Ad cœnobium quippe huic Monti vicinum in Arabia Petræa ſedes epiſcopalis oppidi *Pharan* devaſtati tranſlata eſt ſub Petra metropoli. *747. 748. & 1305. 1306.*

Poliſidon, ſedes aliqua ſub patriarchatu Hieroſolymitano. *775. 776.*

Ptolemaïs ſive *Accon*, ſedes ſuffraganea eccleſiæ Tyrenſis, obnoxia primùm patriarchatui Antiocheno, deinde temporibus Latinorum Hieroſolymitano. *775. 776. & 1329. 1330.*

R

Rama ſive *Ramula* aut *Ramola*, inter Lyddam & Joppen, quam Latini exeunte ſæculo XI. in ſedem epiſcopalem erexerunt. *1271. 1272.*

Raphia, quibuſdam *Rhama*, inter Anthedonem & Rhinocolura, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea metropoli. *629. 630.*

Regium Lutas, *vide* Lybias, *& 679. 680.*

Regium Patos, *vide* Apathos.

S

Sabas, ſedes epiſcopalis tempore Latinorum. *1293. 1294.*

Saltium, Conſtantiniaquis, duo oppida Carolo à S. Paulo, unum Willelmo Tyrio, quod *Salton Conſtantiniaces* appellat, aliàs ignotum. *679. 680.*

Salton Gerariticus, ſive *Barſamorum*, *vide* Gerara.

Samaria, *vide* Sebaſte.

Sarepta, inter Tyrum & Sidonem, ſedes epiſcopalis ſub Latinis. *1337. 1338.*

Sariphæa, in vicinia Gazæ & Aſcalonis, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea metropoli. *629. 630.*

Scalona, *vide* Aſcalon.

Scythopolis, olim *Bethſan*, cui irruptio Scytharum in Palæſtinam nomen *Scythopolis* indidiſſe videtur, metropolis fuit Palæſtinæ ſecundæ; quæ dignitas ad urbem *Nazareth* tranſlata eſt à Latinis. *681. 682. & 1293. 1294.*

Sebaſte, prius *Samaria*, & caput regionis ejuſdem nominis. Hanc Herodes *Sebaſten*, id eſt, *Auguſtam* nuncupavit in honorem Auguſti Cæſaris. Sedes fuit epiſcopalis Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea metropoli. *649. 650. & 1289. 1290.*

Sephoris, *vide* Diocæſarea.

Sichem, *vide* Neapolis.

Sidon, ſuffraganea Tyri, ſed ſub Latinis obnoxia patriarchatui Hieroſolymorum. *1319. 1320.*

Sinaï Mons, *vide* Pharan.

Sodoma, pro altero loco perperam inducta in ſubſcriptionibus Patrum Nicænorum. *743. 744. & 773. 774.*

Sozuſa ſive *Sorucis*, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea metropoli. *593. 594.*

Sycamazon, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea metropoli. *657. 658.*

Digitized by Google

T

Tetracomia, ſedes Palæſtinæ ſecundæ ſub Scythopoli metropoli. *719. 720.*

Thabor Mons, *Itabyrion* Joſephi, Transfiguratione Chriſti, ut fert communior opinio, celebris, hoc ſæculo XVIII. duos epiſcopos habuit. *695. 696.*

Tiberias, ab Herode Antipa condita in honorem Tiberii Cæſaris, ſchola celebris Rabbinorum, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ ſecundæ ſub Scythopolitana metropoli. *705. 706. & 1301. 1302.*

Toxus *Salton*, id eſt, territorium, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea metropoli. Hujus epiſcopus non fuit *Quintianus*, mendoſe dictus à *Taxe*, ſedis Gazæ invaſor, qui ſubſcripſit actis ſynodi Arianæ Philippopolis. *609*. C. *& 679. 680.*

Tricomias, ſedes epiſcopalis Palæſtinæ primæ ſub Cæſarea metropoli. *677. 678.*

Tyrus, urbs Syriæ, caput Phœnices, ſedes metropolitana ſub Patriarcha Antiocheno. Hæc obnoxia venit patriarchatui Hieroſolymorum, dum Latini in Palæſtina rerum potirentur. *1309. 1310.*

Z

Zabulon, urbs Galilææ prope Ptolemaïdem, ſedes epiſcopalis, cujus præſul interfuit ſynodo Nicænæ. *673. 674.*

Zoara ſive *Segor*, ad lacum Aſphaltiten, ſola ex quinque urbibus ſervata propter Loth, qui ad illam fugit. *Legenda diſquiſitio de ſitu earum urbium, & modo quo perierunt. 737. & ſeqq.*

Præſules Hieroſolymorum.

I. S. Jacobus I. dictus *Minor*, & *Frater Domini*, qui ipſo anno quo Chriſtus Dominus paſſus eſt, æræ vulgaris 29. aut anno ſequenti 30. curam eccleſiæ Hieroſolymorum, ceu ſpecialis ejus epiſcopus, ſuſcepit, eamque rexit uſque ad ſeptimum Neronis annum, Chriſti 60. quo martyr occubuit. *à 139*. A. *ad 140*. C.

II. Sanctus Simeon I. vel *Simon* Martyr, filius Cleophæ, & conſanguineus Chriſti ſecundum carnem, qui anno Neronis ſeptimo, æræ noſtræ 60. aut 61. electus epiſcopus Hieroſolymorum, cruci affixus eſt anno Trajani X. Chriſti 107. ætatis circiter 120. *à 140*. C. *ad 141*. D.

III. Juſtus ſive *Judas I.* qui tribus circiter annis eccleſiam Hieroſolymorum adminiſtravit, mortuus anno Trajani XIV. Chriſti 111. *à 141*. D. *ad 142*. E.

IV. Zacchæus vel *Zacharias*. *142*. E.

V. Tobias. *ibid.*

VI. Benjamin. *ibid.*

VII. Joannes I. *ibid.*

VIII. Matthias vel *Matthæus*. *ibid.*

IX. Philippus. *ibid.*

Horum ſex epiſcoporum regimen totum ſimul, nonniſi 14. annos duravit, ab anno ſcilicet 111. ad annum 125. *142*. E. *143*. E.

X. Seneca. *143*. E.

XI. Juſtus II. *ibid.*

XII. Levi. *ibid.*

XIII. Ephrem. *ibid.*

XIV. Joſeph. *ibid.*

XV. Judas II. *ibid.*

Hos brevi admodum ſediſſe ſcribit Euſebius, & uſque ad ultimam Hieroſolymorum deſtructionem ſub Hadriano Imperatore, ex Judæis aſſumptos eſſe. *144*. D. ubi *lin. 10. pro* Chriſti 32. *legendum eſt* Chriſti 132.

XVI. Marcus, primus *Æliæ* ſub Hieroſolymorum maceriis conſtructæ epiſcopus electus eſt anno circiter Chriſti 135. qui Gentilibus chriſtianis urbis hujus gentilis ipſe præeſſet, dum fortaſſis Judas II. adhuc viveret, ſuamque gubernaret Hieroſolymorum eccleſiam ex Judæis conflatam, quibus Æliam ingredi fas non erat. Obiit Marcus anno 156. *145*. D.

XVII. Caſſianus. *147*. A.

XVIII. Publius. *ibid.*

XIX. Maximus I. *ibid.*

XX. Julianus I. *ibid.*

XXI. Caius *ſeu* Gaius I. *ibid.*

XXII. Symmachus. *ibid.*

XXIII. Caius *ſeu* Gaius II. *ibid.*

XXIV. Julianus II. *ibid.*

XXV. Capito. *ibid.*

Horum regimen ſimul ſumptum duravit ab anno Chriſti 156. uſque ad annum circiter 185. *147*. D.

XXVI. Maximus II. *147*. D.

XXVII. Antonius. *ibid.*

XXVIII. Valens. *ibid.*

XXIX. Dolichianus. *ibid.*

XXX. Narciſſus. *ibid.*

XXXI. Dius. *ibid.*

XXXII. Germanion. *ibid.* E.

XXXIII. Gordius. *ibid.*

Hi omnes eccleſiam Æliæ adminiſtrarunt per annos circiter 28. aut 30. ab anno nimirum 185. ad annum 212. & amplius; unde *col. 147. lin. ultima, pro* octoginta, *legendum eſt* triginta: Alexander ſiquidem Narciſſi, qui iterum ſedit poſt Gordium, ſucceſſor deſignatus eſt anno Chriſti 212. adhuc vivente Narciſſo ſenio confecto, quicum uſque ad ejus mortem eccleſiam hanc rexit. Adfuit autem Narciſſus ſynodo in Palæſtina congregatæ à Theophilo Cæſarienſi metropolita anno 198. pro celebratione Paſchatis. *à 148*. D. *ad 150*. D.

XXXIV. Alexander *Martyr*, prius epiſcopus in Cappadocia, quùm Æliam veniſſet, Narciſſo annos ferè centum ſexdecim numeranti à clero & populo coadjutor datus eſt anno 212. ut eidem poſtea ſuccederet. Martyr ad Chriſtum migravit in perſecutione Decii anno 249. aut 250. *150*. D.

XXXV. Mazabanes, ab anno 250. ad annum 265. eccleſiæ Æliæ, ſive Hieroſolymorum præfuit. *152*. A.

XXXVI. Hymenæus anno (non 266. ut perperam legitur *col. 152*. C. *lin. 1.* & *col. 153*. A. *lin. 7.* ſed) 265. curam Ælianæ eccleſiæ ſuſcepit: quandoquidem duplici concilio Antiocheno adverſus Paulum Samoſatenſem interfuit, quorum prius illo ipſo anno 265. coactum eſt, alterum autem anno circiter 272. Obiit anno 298. *152*. C.

XXXVII. Zabdas ſive *Zambdas* præfuit Æliæ ab anno 298. ad annum 302. Unde non ab ipſo, ſed ab ejus prædeceſſore Hymenæo, fidem Chriſti didicere S. Mauritius totaque ejus legio Thebæorum, qui anno 285. martyrio in Galliis coronati ſunt. *153*. B. D.

XXXVIII. Hermon, ab anno 302. ad annum 311. aut etiam 313. eccleſiam Æliæ gubernavit. *154*. B.

XXXIX. Macarius I. anno 313. Ælianam ſedem conſcendit. Sub ejus regimine inventa ſunt ab Helena matre Conſtantini Magni an. 326. aut 327. ſacra Paſſionis Dominicæ inſtrumenta. Obiit ante annum 335. *154*. D.

Quiriacus ſive *Cyriacus* quidam, S. crucis inventor ſub Conſtantino, & martyr ſub Juliano Apoſtata, S. Macarii in ſede Hieroſolymitana ſucceſſor ſtatuitur à nonnullis ſcriptoribus ex Hiſtoria ejus fabulis evidenter referta. In aliquibus eccleſiis colitur die 4. Maii. Hunc doctiſſimi actorum SS. editores alium non fuiſſe exiſtimant à S. Juda XV. Hieroſolymorum præſule, qui & *Quiriacus* in martyrologiis cognominatur ad diem primam ejuſdem menſis. *146*. B. & *155*. C.

XL. Maximus III. poſt Macarium recenſetur Hieroſolymorum antiſtes ab Hieronymo in Chronico. Adfuit anno 335. conciliabulo Tyrenſi, in quo S. Athanaſius damnatus eſt: ipſe quoque ab Arianis deceptus, ejus depoſitioni ſubſcripſit ſive Tyri ſive Hieroſolymis. Sed poſtea facti pœnitens eundem Athanaſium anno 347. à Sardicenſi concilio revertentem feſtive admodum excepit. Obiit anno 350. aut initio ſequentis.

XLI. Sanctus Cyrillus tum multiplici exilio propter fidem tum etiam ſcriptis ſuis celeberrimus anno 351. ſedebat, quo de ſplendida crucis apparitione menſe Maio Conſtantium Imperatorem certiorem fecit. Hieronymus in chronico refert *Heraclium* quemdam, quem Maximus moriens ſuum ſucceſſorem declaraverat, à Cyrillo circumventum eam ſedem non conſcendiſſe. Cyrillo pluries ab Arianis in exilium ejecto ſubſtituti fuere variis temporibus *Eutychius*, *Irenæus*, & *Hilarius*, Ariani homines. Anno tandem 378. aut ineunte ſequenti ſub Theodoſio Magno thronum ſuum recuperavit Cyrillus. Interfuit concilio Conſtantinopolitano anno 381. & obiit anno 386. aut 387. *à 57*. D. *ad 161*. E.

XLII. Joannes II. vix triginta annos natus ad ſedem Hieroſolymitanam evectus eſt. Inter ipſum & Epiphanium ac Hieronymum graves exarſerunt diſcordiæ ab anno 394. ob errores Origenis, quibus favere putabatur. Anno 415. in ſynodo Dioſpolitana à Pelagio deluſus hunc abſolvit damnata ejus hæreſi. Eodem anno ſancti Stephani reliquias divinitus repertas tranſtulit in ſanctam ædem Sion. Variis nominibus nuncupatus legitur apud ſcriptores, putà *Praylius*, ut ejus ſucceſſor, *Silvanus* & *Nepos*. Obiit anno 417. *161*. E.

XLIII. Praylius deluſus à Pelagio & Cœleſtio, teſtimonium ſanæ eorum fidei dedit Zoſimo Papæ; ſed non multo poſt mutavit ſententiam. Obiit anno 418. aut 420. Certe ante annum 428. *162*. E.

XLIV. Juvenalis, Praylii ſucceſſor, ſedebat anno 428. aut 429. quo, die 7. Maii, lauram ſancti Euthymii abbatis dedicavit. Interfuit anno 431. ſynodo Epheſinæ, anno 449. alteri ſynodo Epheſinæ, in qua Dioſcoro adhæſit; & anno 451. ſynodo Chalcedonenſi, ubi errato retractato jura patriarchica in tres Palæſtinas ſuæ eccleſiæ Hieroſolymitanæ obtinuit. Terminata ea ſynodo, *Theodoſius* quidam monachus, hæreſis Eutychianæ acerrimus propugnator, ob quam Chalcedone maximos tumultus excitaverat, reditum Juvenalis in Palæſtinam præveniens, Eudociam Auguſtam ibi degentem, populum & monachos fere omnes ſuis calumniis

Digitized by Google

adverſus concilium Chalcedonenſe commovit, invaſitque ipſiuſmet Juvenalis ſedem, quam per viginti menſes, prædonum more, omni ſcelerum genere deturpavit. Sed Marciani Imperatoris opera reſtitutus eſt Juvenalis anno 453. Theodoſius vero in Synæum montem profugit. Deceſſit Juvenalis anno 458. *à 111.* C. *ad 117.* C. & *à 164.* A. *ad 168.* B.

XLV. Anaſtaſius, S. Paſſarionis abbatis diſcipulus, & S. Reſurrectionis vaſorum ſacrorum cuſtos, Juvenali ſucceſſit anno 458. Non conſtat ipſum Baſiliſci Imperatoris litteris ſubſcripſiſſe. Obiit anno 478. *à 168.* B. *ad 171.* D.

XLVI. Martyrius Cappadox ad S. Euthymium venit quum Timotheus Ælurus eccleſiam Alexandrinam conturbaret. Ad ſedem Hieroſolymitanam evectus anno 478. litteras Petri Mongi ceu catholici deluſus recepit, ſuaſque ad eum communionis indices miſit, ſed abſque fidei ſuæ diſpendio. Obiit anno 486. *à 171.* E. *ad 174.* B.

XLVII. Saluſtius, factus Hieroſolymorum Patriarcha anno 486. Henotico Zenonis Imperatoris fovendæ pacis gratia ſubſcripſit. Obiit anno 494. *à 174.* B. *ad 176.* C.

XLVIII. Elias I. Arabs natione, qui cum Martyrio in Palæſtinam ad Euthymium ſe contulerat, Saluſtio ſuffectus eſt anno 494. In nonnullis quidem, is & Flavianus Antiochenus Patriarcha, Anaſtaſio Imperatori Monophyſitæ connivere viſi ſunt; at fidem Chalcedonenſem ab ipſis minimè rejectam colligitur ex utriuſque exilio ejuſdem Imperatoris juſſu, in quo piiſſime deceſſerunt an. 518. *à 176.* C. *ad 185.* A.

XLIX. Joannes III. in locum Eliæ ſubſtitutus anno 513. quanquam Olympio Anaſtaſii Imperatoris Præfecto pollicitus fuerat, ſe communione jungendum cum Severo, & concilium Chalcedonenſe damnaturum, S. Sabæ tamen, aliorumque monachorum hortatu deterritus, neutrum præſtitit: immo adverſarios fidei Chalcedonenſis publicè diris devovit anno 514. Defuncto Anaſtaſio anno 518. ſacra Juſtini ejus ſucceſſoris in gratiam concilii Chalcedonenſis data libentiſſime ſuſcepit, curavit & promulgari: congregavit etiam ſynodum ea de cauſa ex toto ſuo patriarchatu, cui ipſe præfuit eodem anno. Obiit anno 524. *à 185.* A. *ad 189.* E.

L. Petrus, Eleutheropoli oriundus, promotus eſt ad ſedem Hieroſolymitanam anno 524. Mollius ſe geſſit adverſus monachos Origeniſmi ſectatores, qui tumultus magnos ſuſcitabant in Palæſtina; Anthimum quoque hæreticum Monophyſitam facilius ad ſuam communionem admiſit: ſed eumdem paulo poſt, ab Agapeto Papa reprehenſus, convocatis ſuæ ditionis epiſcopis, proſcripſit anno 536. Edicto deinde Juſtiniani contra errores Origenis ſubſcripſit, ut & alteri ejuſdem adverſus tria capitula. Aſſignatur obitus ejus communius ad annum 544. *à 189.* E. *ad 209.* A.

LI. Euſtochius, manu trium epiſcoporum ſuæ ditionis, quos Conſtantinopolim miſerat, vices ſuas impleturos in ſynodo V. generali anno 553. ejus actis ſubſcripſit. In ea quidem ſynodo, una cum tribus capitulis, damnatos Origenem, Evagrium & Didymum, aſſerunt Cyrillus Scythopolitanus vitæ ſancti Sabæ ſcriptor, Evagrius, Theophanes, Cedrenus, &c. quibus omnes fere ſuffragantur recentiores: verum hæc damnatio Origenis peracta fuiſſe videtur ante eam ſynodum, in altera Conſtantinopoli coacta ſub Menna intra annum 538. & annum 544. ejuſque acta actis V. ſynodi diu poſt iſtam ſynodum ob argumenti ſimilitudinem fuiſſe adjuncta. *Legatur diſſertatio ſpecialis ea de re à 210.* E. *ad 233.* E. Cæterum Euſtochius, qui in locum Macarii prius electi, ſed à Juſtiniano non admiſſi, poſt Petri mortem aſſumptus fuerat, depoſitus eſt anno 563. & Macarius reſtitutus. *à 209.* A. *ad 235.* C.

LII. Macarius itaque II. ad ſedem Hieroſolymitanam iterum promotus eſt ejecto Euſtochio anno 563. Quum autem Juſtiniano hæreſim Aphthartodocetarum ſive Incorrupticolarum ſub finem vitæ ſuæ propugnanti palam reſiſteret Anaſtaſius Sinaïta Patriarcha Antiochenus, hujus ſequuti ſunt exemplum alii Orientis epiſcopi, ſubindeque Macarius. Obiit iſte exeunte an. 574. *à 235.* C. *ad 242.* A.

LIII. Joannes IV. anno 574. aut 575. electus Hieroſolymorum Patriarcha, obiit anno 593. aut ſequenti. Sub ipſius regimine inventa eſt anno 590. in civitate Joppe tunica Chriſti inconſutilis. *à 242.* A. ad *246.* D.

LIV. Amos ſive *Neamus*, prius monachus, deinde Hieroſolymorum antiſtes, obiit anno 600. aut 601. *à 246.* D. *ad 248.* A.

LV. Iſacius, quem *Heſichium* Baronius appellat, ab anno 600. vel 601. ad 608. ſediſſe fertur. Extat reſponſio ſancti Gregorii Magni ad ejus ſynodicam. *à 248.* A. *ad* 249. C.

LVI. Zacharias, cuſtos vaſorum ſacrorum eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, ad ſedem Hieroſolymitanam evectus an. 609. hanc urbem captam à Choſroë, Perſarum rege, vidit ſexto ſui regiminis anno, ipſeque cum innumera Chriſtianorum multitudine & ſacro ligno crucis in Perſidem abductus eſt. Victo in multis præliis Choſroë ab Imperatore Heraclio, paceque inita cum Syroë Choſrois filio & ſucceſſore, cujus refertur pars epiſtolæ ad Heraclium lectu dignæ, *256.* D. crux ſacra reſtituta eſt, & in patriam rediere Zacharias, cæterique captivi. Obiit Zacharias anno 631. aut ad ſummum 633. *à 249.* C. *ad 258.* D.

LVII. Modeſtus, abbas monaſterii ſancti Theodoſii in Palæſtina, abducto in Perſidem Zacharia vices ejus per 14. fere annos ejuſdem licentia præclare geſſit. Sanctum Anaſtaſium Perſam & martyrem Hieroſolymis baptizavit. Zachariæ reverſo anno 628. adminiſtrationem hujus eccleſiæ reſtituit, vel fortaſſis mutuo conſenſu ſimul cum illo gerere perrexit uſque ad annum 631. aut 633. quo ipſi mortuo ſuffectus, brevi ſedit; deceſſiſſe enim videtur anno 633. exeunte. *à 258.* D. *ad 264.* C.

LVIII. Sophronius, clariſſimus fidei catholicæ adverſus naſcentem Monotheliſmum defenſor, primùm monachus, deinde Hieroſolymorum Patriarcha ſub finem anni 633. aut ineunte 634. Nihil non fecit apud Cyrum Patriarcham Alexandrinum, Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Honorium Papam, ut Monotheliſmus in cunis præfocaretur. In hoc præclaro certamine obiit anno circiter 644. *à 264.* C. *ad 280.* A.

Sedes vacat. *Saracenis Palæſtinas devaſtantibus, ſanctæ ſedis Romanæ auctoritate Patriarcharum Hieroſolymitanorum vices geſſerunt*

Stephanus, Dorenſis epiſcopus, quem oppoſuit Theodorus Papa *Sergio* Joppenſi epiſcopo Monothelitæ, qui ante ordinationem Sophronii, & poſt ejus obitum, Heraclii Imperatoris auctoritate fultus, ceu Patriarcha eſſet, epiſcopos in toto patriarchatu conſecrabat. *à 280.* A. *ad 283.* A.

Joannes, Philadelphiæ epiſcopus, ex commiſſione Martini I. anno 649. aut 650. *à 283.* A. *ad 288.* C.

Theodorus demum preſbyter, cujus nomine anno 680. actis ſynodi VI. generalis ſubſcripſit ab eo miſſus *Georgius humilis preſbyter S. Chriſti Dei noſtri Reſurrectionis, & locum gerens Theodori Deo amabilis preſbyteri & locum ſervantis apoſtolicæ ſedis Hieroſolymorum, &c.* *280.* C. *& 288.* C.

Anaſtaſius quidam, ſubſcriptus etſi legitur actis ſynodi Trullanæ anno 692. fictitius eſt, & omnino expungendus. *281.* B. *& 289.* E.

LIX. Joannes V. anno 705. ad ſedem Hieroſolymitanam evectus eſt. Hujus meminit S. Joannes Damaſcenus. Succeſſorem fortaſſis habuit aliquem ejuſdem nominis, quem cum ipſo nonnulli confuderint ſcriptores. *à 289.* E. *ad 291.* B.

LX. Theodorus I. eccleſiæ Hieroſolymorum regimen ſuſcepit anno 752. aut etiam 754. *299.* D. Vivebat adhuc anno 767. *à 291.* B. *ad 300.* C.

LXI. Euſebius innoteſcit ex vita duntaxat ſancti Madalvæi ſive Madelvei, Virdunenſis epiſcopi, ſub finem ſæculi XI. ab Hugone Flaviniacenſi ſcripta, quæ extat apud Labbeum *T. 1. Biblioth.* In ea enim legitur hunc epiſcopum, qui obiit an. 776. ab *Euſebio* Patriarcha Hieroſolymitano benigniſſime exceptum, quum eò ad ſacra loca viſenda perrexiſſet. *à 300.* C. *ad 302.* E.

LXII. Elias II. ſedebat Patriarcha Hieroſolymorum anno 787. ex vita S. Tharaſii; ſed quum in exilium pulſus eſſet à Saracenis, opera cujuſdam *Theodori,* qui in ejus locum ſubrogari cupiebat, & obtinuit; ſynodo Nicænæ II. intereſſe non potuit eo anno habitæ. Reſtitutus ſuæ eccleſiæ Elias adhuc in vivis erat an. 796. menſe Martio, nec quantum poſteà vixerit conſtat. *à 302.* E. *ad 317.* B.

LXIII. Georgius, qui *Gregorius* & *Sergius* in nonnullis ſcriptis nuncupatur, Eliæ Syncellus ipſum excepit. Is, vel ejus deceſſor, Patriarcha ille fuit *Hieroſolymitanus,* à quo miſſus monachus quidam an. 799. multas reliquias Carolo Magno attulit. Nam *Joannes* à Baronio memoratus ut Eliæ ſucceſſor plane fictitius eſt. Obiit Georgius ante annum 807. elapſum. *à 317.* B. *ad 323.* C.

Fortunatum, prius Patriarcham Hieroſolymitanum, poſteà Gradenſem, ac abbatem cœnobii Medianenſis in Voſago referunt aliqui ſcriptores, ut qui ad Carolum Magnum acceſſerit anno 803.

Digitized by Google

Verum *Fortunatus* Patriarcha Gradenſis alius fuit à *Fortunato* abbate Medianenſi: neuter autem Patriarcha Hieroſolymitanus extitit. *Legatur ea de re diſſertatio ſpecialis à 323*. C. *ad 342*. C.

LXIV. Thomas Georgio jam ſuffectus erat anno medio 807. cujus legati Georgius & Felix ſub finem menſis Auguſti eo anno, ſimul cum legato Aaronis, regis Perſarum, Carolo Magno munera detulere quæ ad eum rex ille mittebat. Tunc cœpta diſceptatio contra Græcos de proceſſione Spiritus ſancti à Filio. Obiit Thomas ante annum 829. *à 342*. C. *ad 363*. C.

LXV. Baſilius, ſimul cum Patriarchis Alexandrino & Antiocheno, epiſtolam ſcripſit Theophilo Imperatori pro cultu ſacrarum imaginum. Regnare inceperat Theophilus anno 829. die 1. Octob. *à 363*. C. *ad 366*. E.

LXVI. Sergius exeunte anno 842. aut initio ſequentis ad ſedem Hieroſolymitanam aſſumptus eſt. Photium & Gregorium Syracuſanum anathemate feriit. Obiit demum anno 858. aut 859. *à 366*. E. *ad 369*. C.

LXVII. Salomon, exemplo Photii, ex laïco patriarchatum Hieroſolymorum iniit anno circiter 858. obiit vero probabiliter anno 863. aut 864. *362*. C.

LXVIII. Theodoſius ſive *Theodorus*, Salomonis ſucceſſor, ſcripſit anno 867. epiſtolam ſancto Ignatio Patriarchæ Conſtantinopolitano, cujus ſedem Photius invaſerat. Eum inviſit Bernardus Francus, quum perrexit ad loca ſacra, in cujus itinerario reperitur inter alia plura ſcitu digna, mentio de miraculo ignis cœlitus accenſi quotannis ſabbato ſancto in lampadibus ſancti Sepulchri Dominici. Obiit Theodoſius anno 879. ante menſem Novembrem. *à 370*. C. *ad 376*. C. *De præfato igne vide etiam 492*. B.

LXIX. Elias III. in actis ſynodi Photianæ anno 879. habitæ menſe Novembri refertur ut qui Photio ſemper adhæſerit. Certe, ejus reſtitutioni, poſt Ignatii obitum, conſenſere pro bono pacis non ſolum ille per ſuos vicarios, ſed & ipſe quoque Joannes VIII. Papa, qui ad eam ſynodum legatos miſit. Nimiam quidem hujus Pontificis indulgentiam in Photium occaſionem præbuiſſe fictioni de Joanna Papiſſa arbitratus eſt Baronius, verum abſque fundamento. Cæterum nec adinventor hujus fabulæ nec promotor fuit Martinus Polonus, Ordinis Præd. à cujus quippe chronico intemerato ea prorſus exulat. *Legenda diſſertatio ſpecialis aliis hactenus datis luculentior, qua tum fabula illa pleniſſime confutatur, tum ab ejus aſſertione purgatur Martinus. à 380*. E. *ad 460*. C. & in appendice *à p. 777. 778. ad p. 785. 786.* Elias fuit proculdubio *Abel* ille cujus meminit Pagius ut eo ipſo tempore ſedentis: nam *Ab. El.* eſt *Abba Elias, col. 462*. B. C. Obiit autem anno circiter 907. *376*. B. & *à 460*. C. *ad 463*. E.

LXX. Sergius II. electus anno 907. obiit anno 911. *463*. E.

LXXI. Leontius ſive *Leo*, electus anno 911. obiit anno 927. aut 928. *464*. D.

LXXII. Anaſtaſius, qui & *Athanaſius I.* promotus anno 927. aut 928. Is non eodem anno obiit, ut incogitanter ſcriptum eſt *col. 465*. C. ſaltem id aſſerere nihil cogit, ſive ipſi ſucceſſerit, ut vult Doſithæus Patriarcha recentior, *Nicolaus* quidam, & poſt Nicolaum Chriſtophorus; ſive, expuncto illo Nicolao alias ignoto, eum immediate exceperit Chriſtophorus, cujus epiſcopatus non innoteſcit ante annum 937. *465*. B.

LXXIII. Chriſtophorus I. quem *Chriſtodulum* & *Chriſtodorum* varii appellant, ſedebat anno 937. in feſto Paſchatis. *465*. D.

LXXIV. Agatho. *466*. B.

LXXV. Joannes VI. combuſtus eſt à Saracenis circa annum 969. Alius ab eo probabiliter extitit *Joannes* ille quem archiepiſcopus Antiochiæ in Piſidia Macarius nomine, apud Gandavenſes cum ſanctitatis fama mortuus anno 1012. refertur in actis vitæ ipſius vidiſſe Hieroſolymis. *à 466*. C. *ad 473*. C. Fortaſſis poſterior iſte Joannes fuit *Hieremias*, de quo infra.

LXXVI. Chriſtophorus ſive *Chriſtodulus II. 473*. C.

LXXVII. Thomas II. *ibid.* D.

LXXVIII. Joſeph II. *ibid.* E.

LXXIX. Alexander II. Antiochia probabiliter Piſidiæ tranſlatus eſt Hieroſolymam ſub Baſilio Porphyrogenneta, qui regnavit ab anno 975. uſque ad annum 1025. *482*. B.

LXXX. Agapius, epiſcopus Seleuciæ, tranſlatus quoque ad Hieroſolymitanam eccleſiam, ſedebat tempore Nicolai Chryſobergis Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui hanc ſedem tenuit ab anno 983. ad annum 995. *ibid.* & *500*. B.

LXXXI. Hieremias, qui & *Oreſtes*, fortaſſis quoque etiam *Joannes* nuncupatus, Hieroſolymitanæ eccleſiæ præfuit in fine ſæculi X. & initio ſequentis. Babylonem deinde adſportatus ibi Martyr occubuit circa annum 1010. *à 474*. A. *ad 482*. B.

LXXXII. Theophilus. *482*. D.

LXXXIII. Arſenius ante annum 1024. præerat eccleſiæ Hieroſolymitanæ. Is Theophili ſive prædeceſſor fuit, ſive ſucceſſor, ex vita S. Simeonis monachi & eremitæ ex Armenia oriundi. *à 483*. A. *ad 491*. E.

LXXXIV. Jordanus: hujus meminit Rodulphus Glaber. *491*. E.

LXXXV. Nicephorus ſedebat anno 1048. quo baſilicam ſancti Sepulchri dominici Hieroſolymis reparari curavit. *à 492*. E. *ad 496*. C.

Mennas, qui nobis ex Doſithei catalogo ſolum innoteſcit. *496*. A.

LXXXVI. Sophronius II. præfuit regimini eccleſiæ Hieroſolymorum anno 1059. ex Alberici chronico. *496*. D.

Marcus II. *497*. E.

LXXXVII. Euthymius. *ibid.*

LXXXVIII. Simon ſive *Simeon II.* ſedebat anno 1094. quo Petrum Eremitam admodum hortatus eſt ut ſacram militiam in occidente cogi ad eripiendam Saracenis ſanctam civitatem ſatageret. Obiit in Cypro inſula anno 1099. dum Franci & Latini Hieroſolymam obſiderent. *498*. B.

LXXXIX. Sabbas *ſive* Sabas I. *ibid.* C.

Eucherius I. legitur in Doſithei catalogo, ſed alius probabiliter non fuit à *Fulchero*, qui eo tempore ſedebat Patriarcha Hieroſolymorum ritus Latini. Idem eſt quoque fortaſſis ac Macarius quidam Hieroſolymitanus, cujus lucubrationem adverſus Latinos floccifacit Allatius. *501*. D.

XC. Jacobus II. notus ex præfato duntaxat Doſithei catalogo. *502*. A.

XCI. Arſenius II. ſedebat an. 1146. *ibid.* B.

XCII. Joannes VII. ſeu potius *Nicolaus*, anno 1156. interfuit cuidam ſynodo Conſtantinopoli habitæ. *ibid.* C.

XCIII. Nicephorus II. adfuit alteri ſynodo etiam Conſtantinopoli celebratæ anno 1166. *503*. C.

XCIV. Athanaſius II. Hieroſolymam venit, pulſis ex ea urbe anno 1187. à Salahadino Babyloniæ rege Latinis. *ibid.* E.

XCV. Leontius II. *504*. D.

XCVI. Doſitheus I. Venetiis natus, ex Patriarcha Hieroſolymitano ad ſedem Conſtantinopolitanam tranſlatus eſt anno 1193. *ibid.*

XCVII. Marcus II. cognomento *Florus*. *505*. E.

XCVIII. Theophanes I. eccleſiæ Hieroſolymorum præfuit exeunte ſæculo XII. vel initio ſequentis. *506*. B.

XCIX. Gregorius II. *ibid.* C.

C. Athanaſius III. qui à Saracenis occiſus eſt. *ibid.* D.

CI. Thaddæus ſedebat anno 1298. *ibid.* E.

CII. Sophronius III. *507*. A.

CIII. Athanaſius IV. *ibid.* B.

CIV. Gabriël Brula. *ibid.* D.

CV. Lazarus ante annum 1332. electus fuerat Hieroſolymorum Patriarcha, ſed *Geraſimi* cujuſdam monachi, qui in ejus locum ſubrogatus eſt, calumniis petitus dejectus eſt à Joanne Patriarcha Conſtantinopolitano. Hunc in ſchiſmate Græcorum pertinacem incaſſum Galatæ Latini in ſuburbio Conſtantinopoleos morantes ad quos confugerat, ad unionem cum Romana eccleſia magnis pollicitationibus hortati ſunt, maluit ille in præfati Joannis manibus tradi, à quo tamen honorifice exceptus fuit. Poſteà vero in ſuam ſedem reſtitutus ab Ægypti Califa, graviſſima tormenta perpeſſus eſt propter Chriſtum ab hujus Califæ ſucceſſore. Vivebat adhuc anno 1367. quo, una cum Patriarchis Conſtantinopolitano & Alexandrino, ſcripſit ad Urbanum V. Papam pro unione Orientalis eccleſiæ cum Romana. *à 508*. B. *ad 513*. A.

CVI. Sophronius IV. obiit ante annum 1387. *ibid.*

CVII. Dorotheus I. *ibid.* B.

CVIII. Theophilus II. vivebat adhuc anno 1419. *ibid.* C.

CIX. Theophanes II. ſedit anno 1430. *ibid.* D.

CX. Joachim florebat tempore ſynodi Florentinæ, in qua Doſitheus Monembaſiæ metropolita ejus vices gerens unioni ſubſcripſit. Verum tantum abeſt ut hanc ratam habuerit Joachim, quin eam potius ipſe, ac Patriarchæ Alexandrinus & Antiochenus, diris devoverint. *514*. A.

CXI. Theophanes III. ſchiſmaticæ cuidam ſynodo Conſtantinopoli habitæ adverſus unionem cum Latinis adfuit & ſubſcripſit. *ibid.* C.

CXII. Abraham, una cum Patriarchis Alexandrino & Antiocheno, legationem miſit ad Pium II. Papam anno 1460. ut communionem Romanam complecterentur. Obiit anno 1468. *515*. A.

CXIII. Jacobus III. Catholicus, obiit anno 1482. *516*. A.

CXIV. Marcus

Digitized by Google

CXIV. Marcus III. etiam Catholicus. *516*. C.
CXV. Gregorius III. ſedit annos 36. *ibid.* D.
CXVI. Dorotheus II. ſedit annos 43. *ibid.* E.
CXVII. Germanus. Is patriarchatui ceſſit ſenio confectus anno 1579. *517*. A.
CXVIII. Sophronius V. è Peloponneſo ortus, ceſſit pariter anno 1608. *ibid.* D.
CXIX. Theophanes IV. adfuit anno 1638. ſynodo Conſtantinopoli habitæ adverſus errores Calvinianos Cyrilli Lucaris. Obiit anno 1646. *518*. C.
CXX. Païſius obiit anno 1660. *519*. C.
CXXI. Nectarius anno 1672. ceſſit patriarchatui: adſuit tamen & ſubſcripſit eodem anno ſynodo Hieroſolymitanæ adverſus Cyrillum Lucarem. *520*. D.
CXXII. Doſitheus II. ſynodum præfatam celebravit, cui & interfuit: obiit vero anno 1707. *à 522*. E. *ad 525*. E.
CXXIII. Chryſanthus obiit anno 1733. *à 525*. E. *ad 528*. B.
CXXIV. Milatheus evectus eſt ad ſedem Hieroſolymorum anno 1733. ante menſem Martium. *528*. B.

Index Præſulum Græcorum Patriarchatus Hieroſolymitani, ordine alphabetico.

A
Abdellas Eluſæ. *col. 737*. C.
Abraham Hieroſol. *515*. A.
Acacius Cæſareæ. *559*. C.
Scythopolis. *688*. A.
Ælianus Jamniæ. *589*. C.
Æneas Gazæ. *610*. C.
Aetius Lyddæ *ſive* Dioſpolis, *Arianus*. *583*. B.
Eleutheropolis. *634*. D. & *777. 778. lin. 22*.
Agapius I. Hieroſol. *474*. A.
II. *500*. B.
Cæſareæ. *547*. C.
Agatho Hieroſol. *466*. B.
Agricolaus Cæſareæ. *547*. D.
Ajanes *ſive* Joannes Sycamazonis. *657*. B.
Ajax Betheliæ *ſive* Betylii. *671*. B.
Alexander I. Hieroſ. *150*. D.
II. *474*. A.
Abilæ. *703*. B.
Alphius Sycamazon. *659*. A.
Alypius Metrocomias *ſive* Bacathorum. *761*. A.
Amonas *ſeu* Samonas Neapolis. *649*. B.
Amos Hieroſol. *246*. D.
Anania Bethleem. *644*. B. & *777. 778. lin. 10*.
Capitoliadis. *715*. C.
Anaſtaſius I. Hieroſ. *168*. B.
II. *confictus*. *281*. B.
III. *465*. B.
Cæſareæ. *573*. A.
Eleutheropolis. *640*. B.
Gabarum *ſive* Gaborum. *702*. A.
Jotabæ. *712*. B.
Areopolis. *735*. A.
Antiochus Archelaidis. *675*. B.
Capitoliadis. *715*. C.
Antoninus Hieroſol. *147*. D.
Antonius Lyddæ *ſive* Dioſpolis. *586*. E.
Aſcalonis. *599*. C.
Pharan *ſive* Montis Sinaï. *757*. D.
Antonius Metrocomias *ſive* Bacathorum. *763*. C.
Apollonius Lyddæ *ſive* Dioſpolis. *585*. D.
Araxius Doarorum. *548*. C.
Aretas Eluſæ. *738*. A.
Arius *ſive* Macarius Petræ. *667*. A.
Arſenius I. Hieroſol. *483*. A.
II. *502*. B.
Aſclepas *ſive* Aſclepius Gazæ. *605*. E.
Aſterius Scythopolis. *686*. A.
Petræ. *723*. A.
Athanaſius I. Hieroſol. *503*. E.
II. *506*. E.
III. *507*. A.
Bethleem. *643*. B.
Scythopolis. *686*. A.
Athenogenes Petræ. *726*. D.
Aurelianus Gazæ. *619*. A.
Auxentius Aſcalonis. *598*. D.
Auxilaus *ſive* Auxolaus Paremboles *ſive* Caſtri Saracenorum. *769*. B.
B
Barachius Dororum. *578*. E.
Sozuſæ. *595*. A.
Barachus Metrocomias *ſive* Bacathorum. *762*. A.
Baſilius Hieroſol. *363*. C.
Hiericho. *655*. B.
Sycamazonis. *660*. A.
Tiberiadis. *708*. D.
Baſſus Capitoliadis. *717*. A.
Benjamin Hieroſol. *142*. E.
Berenianus *ſive* Herenianus Myri. *719*. A.
Beryllus Ailæ. *759*. B.
C
Cajanus *ſive* Gajanus Gadarorum. *597*. A.
Cajumas Phœnus *vel* Phœnon. *747*. B.
Cajus *ſive* Gajus I. Hieroſ. *147*. A.
II. *ibid.*
Capito Hieroſol. *147*. A.
Caſſianus Hieroſol. *ibid.*
Chariſius Azoti. *661*. B.
Chriſtodulus Gazæ. *620*. E.
Chriſtophorus *ſive* Chriſtodorus & Chriſtodulus I. Hieroſol. *465*. D.
II. *473*. C.
Neapolis. *650*. B.
Sebaſtes *ſive* Samar. *653*. B.
Chryſanthus Hieroſol. *525*. E.
Cæſareæ. *574*. C.
Claudius In Palæſtina. *p. 777. 778. lin. 23*.
Conon Hippi. *710*. D.
Conſtantinus *ſive* Conſtantius Sebaſtes. *652*. B.
Cornelius Cæſareæ. *534*. B.
Coſmas Majumæ prope Gazam. *625*. B.
Scythopolis. *689*. E.
Pharan *ſive* Montis Sinaï. *758*. C.
Cyriacus *ſive* Quiriacus Hieroſol. *146*. B. & *150*. C.
Cyriacus *ſive* Dominicus Diocæſareæ. *714*. A.
Cyrillus Hieroſol. *157*. D.
Senex Cæſareæ. *561*. B.
Gazæ. *618*. D.
D
Damianus Sozuſæ. *596*. B.
Demetrius Characmobæ. *729*. C.
Dionyſius Lyddæ *ſive* Dioſpolis. *584*. D.
Aſcalonis. *600*. D.
Sycamazonis. *658*. B.
Amathuntis. *716*. B.
Dius Hieroſol. *147*. D.
Dolichi...
Dominicus Hieroſol. *147*. D.
[C]yriacus Diocæſareæ.
Domninus Cæſareæ. ... A.
Domnus Cæſareæ. *543*. A.
Maximiniapolis. *70.*. A.
Dorotheus I. Hieroſol. *513*. B.
II. *516*. E.
Cæſareæ. *573*. C.
Lyddæ *ſive* Dioſpolis. *586*. E.
Anthedonis. *632*. A.
Nazareth. *696*. A.
Petræ. *727*. A.
Doſitheus I. Hieroſol. *504*. E.
II. *522*. E.
Cæſareæ. *574*. B.
E
Eleutherius Sebaſtes *ſive* Samariæ. *652*. A.
Hiericho. *655*. A.
Elias I. Hieroſol. *176*. C.
II. *302*. E.
III. *460*. C.
Cæſareæ. *572*. B.
Aſcalonis. *602*. C.
Joppes. *628*. C.
Diocletianopolis. *646*. B.
Areopolis. *736*. A.
Eliſæus Diocletianopolis. *645*. A.
Elpidius In Palæſtina. *p. 777. 778. lin. 23*.
Ephrem Hieroſol. *143*. E.
Epictetus Diocletianopolis. *645*. B.
Epiphanius Raphiæ. *629*. B.
Eucherius Hieroſol. *501*. D.
Eugenius Pharan *ſive* Montis Sinaï. *756*. C.
Eulogius Cæſareæ. *563*. E.
Euſebius Hieroſol. *300*. C.
Cæſareæ. *548*. E.
Gadarorum. *597*. B.
Sebaſtes *ſive* Samariæ. *651*. B.
In Paleſtina. *pp. 777. 778. lin. 23*.
Anthedonis. *632*. A.
Euſtathius Lyddæ *ſive* Dioſpolis. *585*. E.
Anthedonis. *632*. A.
Euſtochius Hieroſol. *299*. A.
Euthymius Hieroſol. *497*. C.
Eutychius Hieroſol. *intruſus*. *157*. D.
Eleutheropolis. *636*. D.
Euzoïus Cæſareæ. *561*. B.
F
Fidus Dororum. *575*. A.
Joppes. *627*. A.
Fortunatus Hieroſol. *323*. C.
G
Gabriël Brula Hieroſol. *507*. A.
Gajanus Medabæ. *771*. A.
Gaïus *ſive* Caïus I. Hieroſ. *147*. A.
II. *ibid.*
Gelaſius I. Cæſareæ. *561*. E.
II. *567*. E.
III. *568*. D.
Georgius Hieroſol. *317*. B.
Tiberiadis. *708*. C.
Geraſimus Hieroſol. *508*. B.
Germanion Hieroſol. *147*. E.
Germanus Hieroſol. *516*. E.
Neapolis. *647*. A.
Scythopolis. *694*. D.
Petræ. *723*. A.
I. In Paleſtina. *pp. 777. 778. lin. 22*.
II. *ibid. lin. 23*.
Geruntius Hieroſol. *168*. B.
Glycon Cæſareæ. *567*. C.
Gordius Hieroſol. *147*. E.

Digitized by Google

Gregorius I. Hieroſol. 56. D.
II. [illegible]opolis. 640. B.
Hiericho. 655. B.
Metrocomias *ſive* Bacathorum. 761. B.

H

Heliodorus Zabulonis. 673. B.
Heraclius Hieroſol. 157. D.
Azoti. 661. C.
Herenianus *ſive* Berenianus Myri. 719. A.
Hermon Hieroſol. 154. B.
Hieremias *ſive* Oreſtes Hieroſol. 474. A.
Hilarius Hieroſol. 157. D.
Hymenæus Hieroſol. 152. C.

I

Jacobus I. Hieroſol. apoſtolus. 139. A.
II. 501. D.
III. 515. A.
Januarius Hiericho. 653. C.
Joachim Hieroſol. 514. A.
Joannes I. Hieroſol. 142. E.
II. 161. E.
III. 185. A.
IV. 242. A.
V. 289. E.
VI. *fictitius*. 319. A.
VII. 466. B.
VIII. *ibid.*
IX. *ſeu* Nicolaus. 502. C.
Vicepræſul Hieroſol. 280. A.
I. Cæſareæ. 563. B.
II. 570. C.
III. 572. E.
Dororum. 579. B.
Gadarorum. 597. C.
Gazæ. 617. E.
Neapolis. 649. C.
Hiericho. 655. B.
ſive Ajanes Symacazonis. 657. B.
Menoïdis. 671. A.
Scythopolis. 690. E.
I. Tiberiadis. 708. A.
II. *ibid.* B.
Petræ. 726. A.
I. Auguſtopolis. 727. B.
II. 728. B.
Characmobæ. 731. A.
Zoarorum *ſive* Segor. 743. C.
Phœnus *vel* Phœnon. 748. B.
Paremboles *ſive* Caſtri Saracenorum. 769. C.
Joannicius Hebronis *ſive* Chebronis. 641. A.
I. Pharan *ſive* Montis Sinaï. 758. A.
II. *ibid.* D.
Joaſaph Pharan *ſive* Montis Sinaï. 747. C.
Cæſarea. *pp.* 775. 776. *med.*
Ptolemaidis. *ibid.*
Poliſidonis. *ibid.*
Jorius Pharan *ſive* Montis Sinaï. 754. A.
Jordanus Hieroſol. 491. E.
Joſeph I. Hieroſol. 143. E.
II. 473. D.
Jovinus Aſcalonis. 599. A.
Irenæus Hieroſol. 157. D.
Cæſareæ. 567. D.
ſive Irenio Gazæ. 609. E.
Iſacius Hieroſol. 248. A.
Iſidorus Zoarorum *ſive* Segor. 743. C.
Judas *ſive* Juſtus I. Hieroſol. 141. D.
II. 143. E.
Julianus I. Hieroſol. 147. A.
Julianus II. Hieroſol. 147. A.
Julius Nicopolis. 593. C.
Juſtus Hieroſol. *vide* Judas.
Eleutheropolis. 633. A.
Juvenalis Hieroſol. 164. A.

L

Lazarus Hieroſol. 508. B.
Azoti. 662. C.
Leffrendius Lyddæ *ſive* Dioſp. 588. A.
Leontius I. Hieroſol. 464. D.
II. 504. D.
Sozuſæ. 595. B.
Aſcalonis. 599. B.
Neapolis. 650. B.
Montis Thabor. 697. A.
Letoïus Libyadis. 655. C.
Levendius Neapolis. 650. C.
Montis Thabor. 698. A.
Levi Hieroſol. 143. E.
Longinus Nicopolis. 593. A.
ſive Monginus. Aſcalonis. 597. D.

M

Macarius I. Hieroſol. 154. D.
II. 235. D.
III. 501. D.
ſive Arius. Petræ. 667. A.
Arindelæ. 728. C.
Pharan *ſive* Montis Sinaï. 751. C.
Macer Hiericho. 654. C.
Macrinus Jamniæ. 687. B.
Eleutheropolis. 634. C.
Malachias Bethleem. 644. B.
Manuël Betheliæ *ſive* Betylii. 674. A.
Marcellinus Diocæſareæ. 713. A.
Marcianus Gazæ. 618. E.
Sebaſtes *ſive* Samariæ. 652. C.
Gerarorum. 663. A.
Jotabæ *ſive* Jotabes. 711. B.
Marcus I. Æliæ *ſive* Hieroſol. 145. D.
II. 496. C.
III. 505. E.
IV. 515. A.
Marinianus Gazæ. 615. B.
Marius *ſive* Marinus Sebaſtes. 651. A.
Martyrius Hieroſol. 171. E.
Matthias *ſive* Matthæus Hieroſol. 142. E.
Matus Gazæ. 619. E.
Maximus I. Hieroſol. 147. A.
II. *ibid.* D.
III. 156. C.
Lyddæ *ſive* Dioſpolis. 583. E.
Maximinianopolis. 703. C.
Mazabanes Hieroſol. 152. A.
Megas Maximinianopolis. 705. A.
Mennas Hieroſol. 496. C.
Milatheus Hieroſol. 528. B.
Modeſtus Hieroſol. 258. D.
Monginus *ſive* Longinus Aſcalonis. 597. D.
Muſonius Zoarorum *ſive* Segor. 743. A.

N

Narciſſus Hieroſol. 147. D.
Naſtri Sebaſtes *ſive* Samariæ. 654. A.
Natiras *ſive* Netiras, *vel* Netoras Gazæ. 615. B.
Nectarius Hieroſol. 520. D.
Pharan *ſive* Montis Sinaï. 757. C.
Neophytus Bethleem. 643. B.
Netras *ſive* Nateras Pharan *ſive* Montis Sinaï. 751. A.
Nicephorus I. Hieroſol. 492. E.
II. 503. C.
Lyddæ *ſive* Dioſpolis. 587. A.
Nicolaus Hieroſol. 465. B.
Sebaſtes *ſive* Samariæ. 651. A.
Nicoſtratus Abilæ. 703. B.

O

Olympius Scythopolis. 689. A.
Oreſtes *ſive* Hieremias Hieroſol. 474. A.

P

Pachorus Nazareth. 695. A.
Paiſius Hieroſol. 519. C.
Gazæ. 620. B.
Pancratius Libyadis. 655. C.
Pantaleo Gazæ. 621. A.
Parthenius Gazæ. 622. A.
Nazareth. 695. A.
Exali. 713. B.
Patritius In Palæſtina. *pp.* 777. 778. *lin.* 23.
Patrophilus Scythopolis. 683. A.
Paulinianus Majumæ prope Gazam. 624. C.
Anthedonis. 631. A.
Pellæ. 699. A.
Maximinianopolis. 703. C.
I. Ailæ. 759. C.
II. 760. C.
I. In Palæſtina. *pp.* 777. 778. *lin.* 22.
II. *ibid. lin.* 23.
Pelagius Sebaſtes *ſive* Samariæ. 653. B.
Petrus Hieroſol. 189. E.
Iberus Gazæ. 615. B.
Iberus Majumæ prope Gazam. 624. D.
Jamniæ. 587. C.
Hippi. 709. D.
Capitoliadis. 718. B.
Eluſæ. 738. C.
Phœnus *ſive* Phœnon. 748. A.
Ailæ. 759. A.
I. Paremboles *ſive* Caſtri Saracenorum. 767. A.
II. 770. B.
III. *ibid.* D.
Philemon Gazæ. 603. A.
Philippus Hieroſol. 142. E.
Scythopolis. 686. A.
Philumenus Cæſareæ. 661. B.
Photinus Lyddæ *ſive* Dioſpolis. 585. B.
Photius Pharan *ſive* Montis Sinaï. 752. C.
Polychronius Antipatridis. 581. A.
Areopolis. 735. A.
Porphyrius Gazæ. 610. D.
Praylius Hieroſol. 162. E.
Præf. *pp.* 773. 774. *lin.* 4. *ante finem.*
Priſcianus Sebaſtes *ſive* Samariæ. 651. C.
Procopius Majumæ prope Gazam. 624. E.
Neapolis. 649. A.
Helenopolis. 711. D.
Amathuntis. 716. A.
Publius Hieroſol. 147. A.

Q

Quintianus Gazæ. 605. E.
Quiriacus *ſive* Cyriacus Hieroſol. 146. B. & 150. C.

R

Raguël Bethleem. 643. A.
Romanus Raphiæ. 629. A.

Digitized by Google

Rufinus Gabarum *ſive* Gaborum. *701*. A.
Rufus Nicopolis. *593*. A.
S.
Sabbas *ſive* Sabas Hieroſol. *500*. B.
Sabinus Aſcalonis. *598*. D.
Saïdas Phœnus *ſive* Phœnon. *747*. A.
Salomon Hieroſol. *369*. C.
Saluſtius Hieroſol. *174*. B.
Samonas *ſive* Amonas Neapolis. *649*. B.
Saturninus Scythopolis. *687*. D.
Seneca Hieroſol. *143*. E.
Serenianus Myri. *719*. A.
Sergius I. Hieroſol. *366*. E.
II. *463*. E.
Cæſareæ. *572*. C.
Joppes. *628*. D.
Amathuntis. *715*. B.
Severianus Scythopolis. *688*. C.
Simeon *ſive* Simon I. Hieroſol. *140*. C.
II. *498*. B.
Pharan *ſive* Montis Sinaï. *753*. E.
Solomon Abilæ. *703*. A.
Sophronius I. Hieroſol. *264*. C.
II. *496*. C.
III. *507*. A.
IV. *513*. A.
V. *517*. D.
Stephanus Saripheæ. *629*. C.
Raphiæ. *630*. B.
Vicepræſul Hieroſ. *280*. A.
Dororum. *579*. D.
I. Jamniæ. *588*. B.
II. *590*. C.
Majumæ Aſcalonis. *601*. D.
Menoidis. *672*. A.
Arad. *729*. A.
Sylvanus Gazæ. *604*. B.
Azoti. *659*. B.
Symmachus Hieroſol. *147*. A.
T
Taouſſani Elcarak trans Jordanem. *pp. 777. 778. lin. 15.*
Terebinthus Neapolis. *647*. B.
Thaddæus Hieroſol. *506*. E.
Theoctiſtus Cæſareæ. *541*. B.
Theodorus Preſbyter, *Vicepræſul* Hieroſol. *280*. A.
I. Hieroſol. *291*. B.
II. *Invaſor*. *302*. E.
I. Gadarorum. *597*. B.
II. *598*. C.
Scythopolis. *692*. B.
Hippi. *711*. A.
Petræ. *726*. B.
Arindelæ. *727*. C.
Pharan *ſive* Montis Sinaï. *753*. D.
In Palæſtina. *pp. 777. 778. lin. 22.*
Theodoſius I. Hieroſol. *intruſus*. *164*. A.
II. *370*. C.
I. Scythopolis. *687*. E.
II. *691*. C.
Amathuntis. *715*. A.
I. Capitoliadis. *717*. B.
II. *ibid.* C.
Theodotus Joppes. *627*. D.
Theodulus *ſive* Abdellas Eluſæ. *737*. C.
Theophanes I. Hieroſol. *506*. B.
II. *513*. D.
III. *514*. C.
IV. *518*. C.
Theophilus I. Hieroſol. *482*. D.
II. *513*. C.
I. Cæſareæ. *537*. B.
Theophilus II. Cæſareæ. *538*. D.
Eleutheropolis. *635*. E.
Theotecnus Cæſareæ. *543*. B.
Thomas I. Hieroſol. *323*. C.
II. *473*. D.
Timotheus Cæſareæ. *569*. E.
Gazæ. *617*. E.
Archelaidis. *675*. A.
Tobias Hieroſol. *142*. E.
Turbo Eleutheropolis. *637*. E.
V
Valens Hieroſol. *147*. D.
Paremboles *ſive* Caſtri Saracenorum. *770*. C.
Z
Zabdas Hieroſol. *153*. B.
Zachæus I. Cæſareæ. *533*. A.
II. *538*. C.
Zacharias I. *ſive* Zachæus. Hieroſ. *142*. D.
II. *249*. C.
Dororum. *580*. C.
Libyadis. *657*. A.
Pellæ. *699*. A.
Zebennus Eleutheropælis. *639*. A.
Pellæ. *697*. B.
Zenas *ſive* Zeno Lyddæ *ſive* Dioſpolis. *581*. B.
Zeno Majumæ prope Gazam. *621*. B.
Zenobius Jamniæ. *590*. B.
Nicopolis. *593*. B.
Eluſæ. *738*. C.
In Palæſtina. *p. 777. 778. lin. 23.*
Zozimus Menoidis. *669*. D.

Anonymi Præſules Græci Patriarchatus Hieroſolymorum.

Acconis. *pp. 777. 778. lin. 16.*
Agelonis trans Jordanem. *ibid.*
Aſcalonis. *602*. A.
Cæſareæ. *pp. 777. 778. lin. 16.*
Eluſæ. *735*. B.
Gazæ. I. *620*. A.
II. *pp. 777. 778. lin. 16.*
Hozelis prope Montem Sinaï. *pp. 777. 778. lin. 17.*
Joppes. *ibid. lin. 16.*
Montis Sinaï. *ibid. lin. 17.*
Tiberiadis. *705*. B.

De Præſulibus Latinis in Oriente.

PAtriarchæ ritus Latini creari cœperunt in eccleſiis Conſtantinopolitana, Antiochena, & Hieroſolymitana, poſtquam illæ urbes in Latinorum poteſtatem venere. *785. n. 2.* C. Sic enim

1.° Capta Antiochia anno 1098. hujus urbis ſedi, quam anno 1100. ſponte dimiſit Joannes III. Græcus Patriarcha, præfecerunt Latini *Bernardum* ſui ritus. *ibid.* & *1153*. A.

2.° Eodem modo Simeoni Patriarchæ Hieroſolymorum mortuo in Cypro inſula anno 1099. dum ea urbs obſideretur à Latinis, ſubſtitutus eſt eodem anno *Arnulphus*, & paulopoſt *Daïbertus* ritus Latini. *785*. D. & *1243*. A.

3.° Demum expugnata Conſtantinopoli à Francis & Venetis anno 1204. Joanni X. Camatero ejus præſuli Græco Didymothicum ſeſe recipienti ſuffecerunt Latini Thomam Morocenum Venetum illo ipſo anno. *786*. A. & *796*. A.

Idem non videtur dicendum de ſede Alexandrina: utpote quum eam urbem principes Latini vix poſſederint. Hinc Alexandrinorum præſulum Latini ritus nullus reperitur qui in illa civitate degerit, vel hanc revera adminiſtraverit eccleſiam. *786*. B.

Hi Patriarchæ Latini, ut pallium recipiebant à Romano Pontifice, ſic & eo donabant metropolitanos atque archiepiſcopos ſibi ſubditos: non tamen ipſis fas erat epiſcopos ſuæ ditionis de una eccleſia transferre ad aliam. *791*. A. E.

Eccleſiæ præſulum Latinorum in Oriente, ordine alphabetico.

Abienſis, ſedes duplex Waddingo; una ſub Patriarcha Conſtantinopolitano, *1113. 1114.* altera ſub Antiocheno. *1237. 1238.*
Abydus, *vide* Aveo.
Acco, ſive Ptolemais, *vide* ſub patriarchatu Hieroſolymorum.
Actonenſis ſedes, Waddingo Naupacti ſuffraganea ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. *1001. 1002.*
Adrimitana, ſuffraganea Cyzici ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. *943. 944.*
Ægina, inſula parva in mari Ægeo & ſinu Saronico, ſuffraganea Athenarum ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. *869. 870.*
Ælia, *vide* Hieroſolymam, ſub patriarchatu Hieroſolymorum.
Agathopolis, urbs Thraciæ, ſuffraganea Hadrianopolis ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. *963. 964.*
Agienſis eccleſia, *ſive* Agria, in Creta inſula, unita ſedi epiſcopali Cydoniæ *Canea* dictæ, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. *923. 924. & 926*. B.
Ajacium, in Ciliciæ extrema ora maritima. *1115. 1116.*
Albaria, ſuffraganea Apameæ, ſub Patriarcha Antiocheno. *1191. 1192.*
Aleppus, olim Berrhœa, urbs Syriæ in Cyrrheſtica regione, ſub Patriarcha Antiocheno. *1237. 1238.*
Aleſſo, *vide* Liſſus.
Alexandria, ſedes patriarchalis, & Ægypti caput, ab Amalrico III. Hieroſolymorum rege capta eſt an. 1167. in gratiam Amiralii Babyloniæ, cui eam reſtituit: & iterum à Petro rege Cypri anno 1365. qui eam ſtatim deſeruit. *1141. 1142.*
Amyclæ, olim Lemnæ, numero plurali, nunc *Vordonia*, ad Montis Taygeti radices, ſedes epiſcopalis ſuffraganea Veterum Patrarum, hodie vero Lacedæmonis, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. *1031. 1032.*
Andrevilla, ſuffraganea Patrarum. *1043. 1044.*
Andrus, freto diviſa ab Eubœa auſtrali, nunc ſubeſt archiepiſcopo Paro-Naxienſi. *861. 862.*
Angyra *ſive* Ancyra, ſuffraganea Hierapolis in Phrygia Pacatiana. *977. 978.* Eadem eſt ac eccleſia *Augurienſis*, ſubinde perperam repetita *1115. 1116.*
Antaradus *ſive* Tortoſa, urbs Phœnices, in ora maris Syrii, quæ in poteſtatem Latinorum venit anno 1098. ſubeſt autem Patriarchæ Antiocheno. *1169. 1170.*
Antigonia, *vide* Croïa.
Antiochia, cognomento *Magna*, ſedes patriarchalis, urbs Syriæ quondam primaria, quæ capta eſt à Latinis anno

Digitized by Google

1098. die 28. Junii. 1153. 1154.
Apamea, urbs Syriæ, ſedes metropolitana Syriæ ſecundæ, ſub Patriarcha Antiocheno. 1187. 1188.
Araclea, *vide* Heraclea.
Arca, urbs Armeniæ ſecundæ, ſub Melitene metropoli. 1115. 1116.
Arcadia, urbs Cretæ inſulæ, ſuffraganea Candiæ, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 919. 920.
Argos, urbs Peloponneſi, ſuffraganea Corinthi. 897. 898.
Arienſis eccleſia in Creta inſula, ſub Candia. 931. 932.
Armalech, civitas apud Medos. 1359. 1360.
Arſinoë, *vide* Famaguſta.
Arteſia, olim *Arethuſa,* ſuffraganea Apameæ, ſub Patriarcha Antiocheno. 1189. 1190.
Aſcalon, *vide* ſub patriarchatu Hieroſolymorum.
Aſcartan in Moſcovia. 1134. B.
Aſpahamum, alias *Aſpa*, & *Hiſpahan,* urbs inclyta Perſidis in provincia Hierach, à multis *Aſpahan* & *Haſpachan,* ſive *Spahan* dicta. 1389. 1390.
Athenæ, numero plurali, ea urbs jam erat juris Latinorum anno 1208. olim vero *Cecropia* nuncupabatur, & erat Atticæ regionis caput. 837. 838.
Aveo, olim *Abydus,* urbs Phrygiæ minoris ſeu Myſiæ, in ora Boſphori Thracici, ſuffraganea Cyzici, nunc metropolis. 1115. 1116.
Augurienſis eccleſia, *vide* Angyra.
Aureliopolis, urbs Aſiæ minoris, ſuffraganea Epheſi. 959. 960.

B

Baccovia *ſive* Backow, urbs Moldaviæ ad Arabium fluvium, ad eam quippe tranſlata eſt à Clemente VIII. ſedes epiſcopalis Ceretenſis. 1117. 1118.
Badicenſis eccleſia in Creta inſula. 940. B.
Bagdadum, alias *Baudras*, & etiam *Seleucia,* nunc *Bagdad* & *Baghdet,* urbs Aſiæ dives in provincia Yerack, quæ ex ruinis Babylonis crevit. 1391. 1392.
Balanea, in ora maris Phœnicii, ſuffraganea Apameæ, ſub Patriarcha Antiocheno. 1189. 1190.
Baſſora, olim *Teredon*, urbs Aſiæ, in confinio provinciæ Yerach. 1389. 1390.
Beriſſe, quæ in notitiis *Bireſſæ, Ceriſſe,* & *Meriſſe* nuncupatur, ſuffraganea Sebaſtes in Armenia, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 1071. 1072.
Berratinenſis eccleſia, in inſula Leſbos. 994. C.
Berytus, *vide* ſub patriarchatu Hieroſolymorum.
Bethleem, *vide* ſub patriarchatu Hieroſolymorum.
Bizanthe, *vide* Redæſtum.
Bizya, nunc *Vize,* cis Rhodopen, archiepiſcopalis ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 975. 976.
Boſporus vel *Boſphorus*, ſive *Voſprus*, & *Voſpero,* urbs Tauricæ Cherſonneſi verſus Mæotim paludem. 1111. 1112.
Boſtra, *vide* ſub patriarchatu Hieroſolymitano.
Buthrotum, ſive *Botrontum*, Naupacti ſuffraganea, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 995. 996.
Byblus, hodie *Giblet* ſive *Zibellet*, olim *Evea,* urbs Phœnices ſub Patriarcha Antiocheno. 1177. 1178.

C

Cæſarea, olim *Mazaca*, in Cappadocia, metropolis, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 877. 878.
Cæſarea, in Bithynia, ſuffraganea Nicomediæ, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 1021. 1022.
Cæſarea, in Palæſtina, *vide* ſub patriarchatu Hieroſolymitano.
Caffa ſive *Capha,* urbs Tartariæ minoris, in Taurica Cherſonneſo. 1103. 1104.
Cairus, olim *Memphis,* ad Nilum fluvium, ex adverſo Babylonis. 1149. 1150.
Calamona, in Creta inſula, ſub Candia metropoli. 921. 922.
Callipolis, nunc *Gallipoli,* ſuffraganea Heracleæ. 971. 972.
Camachus, urbs Ciliciæ, nunc *Chemach* dicta, in confinio Armeniæ minoris, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 1107. 1108.
Cambalum ſive *Cambalu,* urbs Aſiæ, Cataiæ regionis caput, quæ *Pechinum* ſive *Peking* eſſe exiſtimatur in imperio Sinarum. 1345. 1346.
Candavia, nunc *Canovia,* urbs Macedoniæ, ſuffraganea Dyrrachii, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 957. 958.
Candia ſive *Candacum*, olim *Matium,* in Creta inſula, Gortyna deſtructa, evaſit metropolis totius inſulæ. 907. 908.
Cantia, olim *Cantanus,* in Creta inſula, ſuffraganea Candiæ. 929. 930.
Cardicenſis eccleſia, cujus meminit Innocentius III. 979. 980.
Carin, *vide* Cyrrhus.
Caſtoria, ſuffraganea Thebarum, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 1087. 1088.
Cataia, regio Aſiæ, pars ſeptentrionalis imperii Sinarum, urbs ejus *Cayton* ſedes fuit epiſcopalis. 1355. 1356.
Cea ſive *Ceos*, nunc *Zea*, una inſularum Cycladum, ſuffraganea olim Athenarum, nunc Paro-Naxiæ. 867. 868.
Cecropia, *vide* Athenæ.
Cephalenia ſive *Cephalonia*, inſula maris Ionii, ſuffraganea Corinthi, deinde Corcyræ. 889. 890.
Ceraunia, nunc *Cerines*, in inſula Cypro, ſuffraganea Nicoſiæ. 1229. 1230.
Ceretenſe oppidum, in Moldavia, cujus ſedes epiſcopalis erecta eſt an. 1370. deinde Baccoviam tranſlata. 1117. 1118.
Ceriſſe, *vide* Beriſſe.
Chalcedon, urbs Aſiæ minoris, in qua ſynodus IV. generalis habita eſt, ſuffraganea Nicomediæ. 1017. 1018.
Chalcis, *vide* Negroponte.
Chemach, *vide* Camachus.
Cherſonneſus ſive *Cherronneſus*, quod idem ſonat ac *peninſula,* urbs Thraciæ, ſuffraganea Heracleæ. 973. 974.
Cherſonneſus altera, urbs Tauricæ Cherſonneſi exilio & paſſione S. Clementis Papæ celebris. 1111. 1112.
Cherſonneſus tertia, vulgo *Chironis*, in Creta inſula, nunc *Spinalonga*, ſuffraganea Candiæ. 915. 916.
Chios ſive *Chius*, inſula in mari Ægæo, ſuffraganea Rhodi: Epiſcopus Latini ritus ſubeſt Naxiæ. 1061. 1062.
Chironis, *vide* Cherſonneſus Cretæ.
Chitro, *vide* Cithron.
Chriſtianopolis, olim *Megalopolis,* ſuffraganea Corinthi, deinde metropolis effecta. 905. 906.
Chriſtopolis, urbs Macedoniæ verſus Thraciam, ſuffraganea Philippi, poſtea metropolis. 1047. 1048.
Chryſopolis, *vide* ſub patriarchatu Hieroſolymorum.
Ciſſamia ſive *Ciſamus,* ſedes epiſcopalis in Creta inſula ſub Candia metropoli. 927. 928.
Cithonia ſive *Sithonia* & *Cythnus*, olim *Ophioſa* & *Driopis,* inſula eſt maris Ægæi verſus oram Atticam, ſedes epiſcopalis ſub Athenis metropoli. 871. 872.
Cithron ſive *Citrum*, nunc *Chitro,* olim *Pydna,* in Pieria, ſedes epiſcopalis ſub Theſſalonica, deinde metropolis effecta. 1095. 1096.
Columbum ſive *Columbo,* urbs Indiæ intra Gangem, in parte occidentali inſulæ Ceylan, & regni cognominis caput. 1371. 1372.
Conſtantia, ſuffraganea Edeſſæ, in patriarchatu Antiocheno. 1239. 1240.
Conſtantia altera, ſive *Conſtantine* & *Conſtantina,* ſuffraganea Boſtrorum. *ibid.*
Conſtantinopolis, antea *Byzantium*, nunc *Stamboul* Turcis, ad Boſphorum Thracicum, a Conſtantino magno valde aucta, ſedes patriarchalis; quatuor conciliis œcumenicis in ea habitis, II. nimirum, V. VI. & VIII. celeberrima. Hæc à Francis & Venetis capta eſt annis 1203. & 1204. a Græcis autem recuperata anno 1261. in poteſtatem demum Turcarum venit anno 1453. ex quo regia eſt ipſorum imperii. 793. 794.
Corcyra ſive *Corfu* & *Corfou,* inſula maris Ionii, ſub dominio Venetorum, ſedes eſt archiepiſcopalis. 877. 878.
Corinthus, urbs Peloponneſi in Achaïa, iſthmo inſidens, eccleſia metropolis. 883. 884.
Coronea, urbs Bœotiæ, nunc *Corone* dicta, ſuffraganea Athenarum. 857. 858.
Coronea altera, ſive *Corone* & *Coron*, urbs Peloponneſi, ſuffraganea Patrarum Veterum. 1035. 1036.
Corycus ſive *Corycium,* urbs Ciliciæ in Aſia minori, ſedes archiepiſcopalis ſub patriarchatu Antiocheno. 1197. 1198.
Croia, urbs Albaniæ caput, olim *Antigonia* dicta, & *Eribœa*, ſuffraganea Dyrrachii. 953. 954.
Cronenſis eccleſia, ſuffraganea Naupacti. 1001. 1002.
Crunos, *vide* Dionyſiopolis.
Cumanorum eccleſia, ad fines Hungariæ. 1121. 1122.
Cyrene, urbs Cyrenaïcæ regionis primaria, nunc regni *Barca* dicti caput, ſedes archiepiſcopalis ſub Patriarcha Alexandrino. 1151. 1152.
Cyrrhus ſive *Cyrrhos,* nunc *Quars* ſeu *Carin,* urbs Syriæ in Cyrrheſtica, ſedes primum epiſcopalis ſub Hyerapoli in patriarchatu Antiocheno; deinde metropolis. 1193. 1194.
Cytæum, *vide* Sitia.
Cythnus, *vide* Cithonia.
Cyzicus in Myſia Aſiatica, quæ non confundenda eſt cum Mœſia in Europa. 941. 942.

D

Damelantenſis eccleſia, ſuffraganea Corinthi. 897. 898.
Damiata, ex ruinis Peluſii erecta, ſedes archiepiſcopalis, ſub patriarchatu Alexandrino. 1145. 1146.
Dancala, urbs primaria Nubiæ regionis,

verſus

Digitized by Google

verſus Nilum & Nubiam fluvios. *1413. 1414.* nonnullis *Dungala* appellatur.
Davalia, quæ & *Daulium*, *Daulis* & *Daulia,* urbecula Phocidis in Achaïa, ſuffraganea Athenarum. *853. 854.*
Demetrias, urbs Theſſaliæ in Magneſia, ſuffraganea Lariſſæ, facta deinde metropolis. *983. 984.*
Diagorgana, urbs Perſidis, & ſedes epiſcopalis. *1377. 1378.*
Diataraga, urbs quoque Perſidis, & ſedes epiſcopalis. *1387. 1388.*
Dimicus, nunc *Domochi*, urbs Theſſaliæ, ſuffraganea Lariſſæ. *981. 982.*
Dimit[illegible]ſis eccleſia, ſedes epiſcopalis ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. *1123. 1124.*
Dimitrienſe oppidum, nunc *Sancti Dimitri*, ſedes epiſcopalis ſub Epheſo. *959. 960.*
Diocæſarea, urbs Giliciæ Aſperæ in Aſia minori, ſuffraganea Seleuciæ Iſauriæ, ſub Patriarcha Antiocheno. *1239. 1240.*
Dionyſias, *vide* ſub patriarchatu Hieroſolymorum.
Dionyſiopolis ſive *Dionyſopolis*, antea *Crunos*, eadem quibuſdam ac *Varna* & *Tiberiopolis*, vel fortaſſis in unum coaluerunt epiſcopatum. *1121. 1122.*
Dioſpolis, *vide* ſub patriarchatu Hieroſolymorum.
Domochi, *vide* Dimicus.
Driopis, *vide* Cithonia.
Druſipara, *vide* Miſinum.
Dyrrachium, prius *Epidamnus*, nunc *Durazzo*, urbs Illyrica, ſedeſque archiepiſcopalis in Albania. *949. 950.*
E
Edeſſa, Arabibus *Rhea, Rohas*, & *Orrohai* dicta, urbs Meſopotamiæ, inter Aleppum & Amidam, eccleſia metropolis ſub Patriarcha Antiocheno. *1185. 1186.*
Epheſus, urbs maritima Aſiæ minoris, in Ionia provincia, ſedes archiepiſcopalis. *957. 958.*
Epidamnus, *vide* Dyrrachium.
Epidaurus Limera, *vide* Malvaſia.
Eribœa, *vide* Croïa.
F
Famaguſta, olim *Arſinoë*, ſedes epiſcopalis ſub Candia metropoli, in inſula Cypro. *1219. 1220.*
Fochia, *vide* Phocæa.
G
Gabala ſive *Gabula*, nunc *Gibel* dicta, urbs Cœleſyriæ, ſub Patriarcha Antiocheno. *1169. 1170.*
Gallipolis, *vide* Callipolis.
Gemiſcata, *vide* Semiſcata.
Gibel, *vide* Gabala.
Giblet, *vide* Byblus.
Gilas, ſuffraganea Corinthi. *897. 898.*
Gimenes, ſuffraganea Corinthi. *ibid.*
H.
Hadrianopolis, antea *Uſcudama*, *Oreſta* & *Oreſtias*, nunc *Andrinopoli*, urbs Thraciæ ad Hebrum fluvium, eccleſia metropolis ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. *961. 962.*
Haſpahan ſive *Haſpachan*, *vide* Aſpahamum.
Hebron, *vide* ſub patriarchatu Hieroſolymorum.
Heraclea, olim *Perinthus* & *Migdonia* dicta, nunc *Heraclia* & *Araclia*, urbs archiepiſcopalis ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. *965. 966.*
Hierapetra, olim *Hierapytna* & *Hierapydna*, nunc *Gerapetra*, urbs Cretæ inſulæ, ſuffraganea Candiæ. *939. 940.*
Hierapolis, urbs Phrygiæ Pacatianæ, quæ, ea diviſa in duas provincias eccleſiaſticas ejuſdem nominis, in hujus poſterioris metropolim data eſt ſub patriarchatu Conſtantinopolitano. *977. 978.*
Hierapolis altera, urbs Phrygiæ Salutaris, ſub Synnadis metropoli in eodem patriarchatu. *1123. 1124.* ubi *lin. 16. pro indicatis paginis 375. 377. & 390. legendum eſt ſuo ordine 338. 366. & 380.* Certe duplicem extitiſſe *Hierapolim* in Phrygia, quarum quidem prior metropolis fuit alterius provinciæ Pacatianæ ſive Cappatianæ ab ea cujus metropolis Laodicea erat, poſterior vero ſuffraganea fuit Synnadorum metropolis provinciæ Phrygiæ Salutaris, palam fit ex laudatis notitiis: In prima quippe, *p. 338.* loco *34.* in ſecunda, *p. 366.* n. *34.* & in tertia, *p. 380.* n. *41.* inter metropoles, *Hierapolis* recenſetur, de qua rurſus, *p. 402.* n. *42.* habetur, ob mutationem inductam ab Andronico Palæologo circa metropoles, *Hierapolim* ex *41.* loco ad *49.* deſcendiſſe. Item ſub Synnadis, in prima, *p. 346.* loco *9.* in ſecunda, *pag. 376.* loco *12.* & in tertia, *p. 389.* loco *9.* inter eccleſias hujus metropolis ſuffraganeas reponitur *Hierapolis*, à priore ſubinde diverſa. Tandem præfata prior *Hierapolis* deſignatur metropolis provinciæ Phrygiæ Cappatianæ alterius ab ea cui *Laodicea* præerat: nam in prima, *p. 338.* n. *22.* extat *Laodicea*, & n. *34. Hierapolis*; ſimiliter, *p. 346. Laodicea*, *pag. 349. Hierapolis.* In ſecunda, *p. 366.* n. *22. Laodicea*, n. *34. Hierapolis*; & *p. 375.* n. *21. Laodicea*, *p. 378.* n. *33. Hierapolis.* In tertia, denique *p. 379.* n. *22. Laodicea*, *p. 380.* n. *41. Hierapolis*; & *p. 389.* n. *22. Laodicea*; *p. 395.* n. *41. Hierapolis.* Duplex itaque in Phrygia *Hierapolis.*
Hierapolis tertia, urbs Syriæ, dicta olim *Bambyce*, *Menba* ſive *Manba*, vulgo *Menbigium* & *Menbigz*, archiepiſcopalis ſub Patriarcha Antiocheno. *1193. 1194.*
Hieroſolyma, *vide* ſub ejus patriarchatu.
I
Icaria, *vide* Nizeria.
Joppe ſive *Jaffa*, *vide* ſub patriarchatu Hieroſolymitano.
K
Kernicenſis eccleſia, cujus meminit Innocentius III. *953. 954.*
Kiovia, *Kiov* incolis, ad Boryſtenem fluvium, nunc ſubeſt Moſcis. *1125. 1126.*
L
Lacedæmon, prius *Sparta*, ſuffraganea Corinthi. *901. 902.*
Lædoricium ſive *Loedoricium*, ſuffraganea Lariſſæ. *987. 988.*
Laodicea, urbs Syriæ, *Rhamata* Hebræis, ſedes archiepiſcopalis ſub Patriarcha Antiocheno. *1165. 1166.*
Lariſſa, nunc *Larizza*, urbs Theſſaliæ præcipua, ſedes metropolitica ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. *979. 980.*
Lariſſa, nunc *Laris*, urbs Syriæ, ſuffraganea Apameæ ſub patriarchatu Antiocheno. *1191. 1192.*
Lamicenſis in Cypro inſula. *1232.* D.
Lavatenſis eccleſia, ſuffraganea Neopatriæ. *1015. 1016.*
Lepanto, *vide* Naupactus.
Leucoſia, *vide* Nicoſia.
Leuctrum, *vide* Mayna.
Libarienſis eccleſia, ſuffraganea Cyzici in Helleſponto. *943. 944.*
Limiſſo, *vide* Nemoſia.
Liſſus ſive *Eliſſus*, urbs Illyrici in Macedoniæ confinio, nunc *Aleſſio* dicta, ſuffraganea Dyrrachii. *955. 956.*
Lochrida, *vide* Priſca.
Lucucenſis eccleſia, ſuffraganea Matrigenſis in regno Zecchiæ. *1113. 1114.*
Lydda, *vide* Dioſpolis, ſub patriarchatu Hieroſolymitano.
M
Macræ, olim *Orthagoria* & *Stagira*, nunc *Libanova* & *Macra*, urbs Macedoniæ, & ſedes archiepiſcopalis ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. *989. 990.*
Malvaſia, olim *Epidaurus Limera*, id eſt Pratenſis ſive Portuenſis, *Monembaſia* quoque dicta, urbs Peloponneſi in Laconia, ſuffraganea Corinthi, deinde archiepiſcopalis facta. *895. 896.*
Mamiſtra ſive *Malmiſtra*, quæ ipſa eſt *Mopſueſtia*, urbs Ciliciæ in Aſia minori, eccleſia metropolis ſub Patriarcha Antiocheno. *1197. 1198.*
Maraga, urbs Aderbiganæ, ad occaſum Tauriſii in Perſide. *1393. 1394.*
Mariamme, ſuffraganea Apameæ in Syria, ſub Patriarcha Antiocheno. *1193. 1194.*
Marmora, *vide* Præconneſus.
Matium, *vide* Candia.
Matrigenſis eccleſia, ſedes archiepiſcopalis in Taurica Cherſonneſo, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. *1111. 1112.*
Mayna, olim *Leuctrum* ſive *Leuctra*, ad radices Taygeti montis in Laconia, ſedes ſuffraganea Corinthi. *903. 904.*
Mazaca, *vide* Cæſarea Cappadociæ.
Medenſis eccleſia, initio ſæculi XIII. ſuffraganea erat Veriſienſis metropolis. *1101. 1102.*
Megalopolis, *vide* Chriſtianopolis.
Megara, urbs media inter Peloponneſum, Atticam & Boetiam, ſuffraganea Athenarum. *849. 850.*
Melos, inſula maris Ægæi, nunc *Milo*, ſuffraganea Rhodi. *1055. 1056.*
Memphis, *vide* Cairus.
Menbigium, *vide* Hierapolis Syriæ.
Meriſſe, *vide* Beriſſe.
Methone, nunc *Modon*, in provincia *Belvedere*, ſuffraganea Veterum Patrarum. *1031. 1032.*
Metracha, *vide* Zichia.
Milopotamia, in Creta inſula, ſuffraganea Candiæ; hanc Niger cenſet fuiſſe *Pantomatrium* veterum. *933. 934.*
Miſinum ſive *Mizinum*, olim *Druſipara* & *Dryſipara*, nunc *Miſini*, ſuffraganea Heracleæ. *971. 972.*
Mitylene, urbs inſulæ Leſbos unius Cycladum, eccleſia metropolis ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. *991. 992.*
Modon, *vide* Methone.
Monembaſia, *vide* Malvaſia.
Mons Sinaï, *vide* Pharan, ſub Patriarcha Hieroſolymitano.
Mopſueſtia, *vide* Mamiſtra.
Moſcua ſive *Moſcha*, urbs *Moſcoviæ* regionis dictæ etiam *Ruſſia Magna* & *Nigra*. *1129. 1130.*
Myconos, *vide* Tenos.
N
Nakſivan ſive *Naſciyan*, ad radices montis

Ararath in Imperio Perſidis. 1403. 1404.

Natura, ſedes epiſcopalis ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 1133. 1134.

Navarzana ſive *Nakarvana*, urbs epiſcopalis in Perſide. 1387. 1388.

Naupactus ſive *Lepanto*, urbs Ætoliæ, eccleſia metropolis. 993. 994.

Naxia, *vide* Paro-Naxia.

Nazareth, *vide* ſub patriarchatu Hieroſolymorum.

Nazoreſca, ſuffraganea Lariſſæ, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 985. 986.

Nea ſive *Nio*, inſula parva inter Lemnum & Helleſpontum. 1135. 1136.

Negroponte, olim *Chalcis*, in Eubœa inſula, primum ſedes epiſcopalis ſuffraganea Athenarum, deinde metropolis facta ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 843. 844.

Nelia, in Theſſalia, ſedes epiſcopalis, ſub patriarchatu Conſtantinopolitano. 1135. 1136.

Nemoſia, antea *Neapolis*, ex ruinis *Lemiſſi* ſive *Amathuntis* urbis inſulæ Cypri in *Lemiſſum Novam* aſſurrexit, & dicta eſt *Limocium*, *Limiconium*, *Nemonicium*, *Nimocium*, *Nemoſia*, *Lemiſſus* aut *Lemiſſum* & *Limiſſo*: ſuffraganea Candiæ metropolis. 1223. 1224.

Neopacenſis eccleſia, metropolis ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 1011. 1012.

Neopatria ſive *Novæ Patræ*, ad diſtinctionem *Veterum Patrarum*, eccleſia metropolis ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 1013. 1014.

Nicomedia, urbs Aſiæ minoris, & eccleſia metropolis ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 1017. 1018.

Nicopolis, nunc *La Preveza*, ad oram maris Ionii inter *Corcyram* & *Leucadem* inſulas, ſedes epiſcopalis ſub Naupacto. 997. 998.

Nicopolis altera ſive *Emmaüs*, *vide* ſub patriarchatu Hieroſolymorum.

Nicoſia, olim *Leucoſia*, *Ledrum* ſeu *Ledra*, & *Leutheon*, eccleſia metropolis præſulum Latinorum in Cypro inſula. 1201. 1202.

Nizeria, quæ & *Icaria*, nunc *Nicouri*, inſula maris Ægæi, in qua urbecula extat ejuſdem nominis, ſuffraganea Rhodi. 1053. 1054.

O

Ochia ſive *Ochio*, in inſula Niphonia Imperii Japoniæ. 1413. 1414.

Olenus ſive *Olonus*, urbs Achaïæ in Peloponneſo, ſuffraganea Veterum Patrarum. 1041. 1042.

Ophioſa, *vide* Cithonia.

Orrhoaï, *vide* Edeſſa.

Ortoſias ſive *Sarchaïs*, urbs Phœnices, ſuffraganea Tyri, ſub Patriarcha Antiocheno. 1239. 1240.

P

Pactorum Portus, *vide* Symbolon.

Paneas ſive *Cæſarea Philippi*, *vide* ſub patriarchatu Hieroſolymorum.

Panidenſis eccleſia, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 965. 966.

Paphos, urbs Cretæ inſulæ, ſub Candia metropoli. 1215. 1216.

Parium, urbs Myſiæ minoris in Aſia minori, ſedes epiſcopalis ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 945. 946.

Paro-Naxia, in unam metropolim conflata ex inſulis *Paros* & *Naxia* in mari Ægæo, quarum prior ſuffraganea erat poſterioris. 1101. 1102.

Patræ Veteres, antea *Aroë*, vulgo *Patras*, urbs Achaiæ in Peloponneſo, eccleſia metropolis. 1023. 1024.

Pergamus, urbs Myſiæ majoris, ſuffraganea Epheſi. 957. 958.

Pergetenſis eccleſia in Lycaonia. 1135. 1136.

Periſtacium, nunc *Periſtaſi*, urbs Thraciæ ad Propontidem, ſuffraganea Heracleæ. 975. 976.

Petra, *vide* ſub patriarchatu Hieroſolymorum.

Præconneſus ſive *Marmora*, inſula eſt Aſiæ minoris in Propontide, ſuffraganea Cyzici. 945. 946.

Preveza (*La*), *vide* Nicopolis.

Philippi, urbs Macedoniæ in Thraciæ confinio, & eccleſia metropolis ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 1045. 1046.

Phocæa, vulgo *Fochia*, ſeu *Fojavechia*, & *Foglia*, urbs Æolidis in ora maris Ægæi, ſuffraganea Smyrnarum. 1077. 1078.

Priſca ſive *Lochrida*, & *Juſtiniana prima*, ſuffraganea Dyrrachii, nunc ſedes archiepiſcopalis ſub patriarchatu Conſtantinopolitano. 953. 954.

Pydna, *vide* Cithron.

Q

Quars, *vide* Cyrrhus.

R

Redæſtum, quæ & *Biſanthe*, nunc *Rodoſto*, urbs Thraciæ ad Propontidem, ſuffraganea Heracleæ. 973. 974.

Rconenſis eccleſia, ſuffraganea Athenarum. 875. 876.

Rhoa ſive *Rohas*, vide Edeſſa.

Rhodus, olim *Ophiuſa*, *Telchinis*, *Aſteria*, *Æthræa*, *Trinacria*, *Carymbia*, &c. inſula Aſiæ minoris in mari Carpathio, eccleſia metropolis, ex cujus celebri Coloſſo *Coloſſenſes* ſæpe denominantur Rhodii præſules. 1049. 1050.

Rodoſto, *vide* Redæſtum.

Ruſium, nunc *Ruſio*, urbs Thraciæ cis Rhodopen, ſedes epiſcopalis ſub Trajanopoli. 1097. 1098.

Rutenorum eccleſia, in Ruſſia Rubra. 1137. 1138.

S

Saba, *vide* Sabas, ſub patriarchatu Hieroſolymorum.

Salmaſa ſive *Salmaſtrum*, & *Salamas*, urbs Aderbiganæ, in Perſide. 1383. 1384.

Salona, olim *Amphyſa*, & *Amphiſſa*, ſuffraganea Athenarum, minime confundenda cum *Salona* in Dalmatia, cujus ſedes tranſlata eſt anno 650. ad civitatem *Spalatro*. 873. 874.

Salonichi, *vide* Theſſalonica.

Santerini ſive *Sant-Erini*, quaſi *Sanctæ Helenæ*, olim *Theraſia*, inſula maris Ægæi, ſuffraganea eccleſiæ Paro-Naxienſis. 1107. 1108.

Saraï, urbs non longe à civitate Tana in finibus Ponti Euxini. 1107. 1108.

Sarchaïs, *vide* Ortoſias.

Sardes, regia Crœſi Lydorum regis, eccleſia metropolis ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 1067. 1068.

Sarepta, *vide* ſub patriarchatu Hieroſolymorum.

Scarpantho, olim *Carpathus*, inſula Aſiæ minoris in mari Ægæo, ſuffraganea Rhodi. 1057. 1058.

Scopelus, urbs Thraciæ, ſedes epiſcopalis ſub Hadrianopoli. 963. 964.

Scopia ſive *Scupi*, urbs Mœſiæ ſuperioris, Dardaniæ caput, quæ ex ſede epiſcopali metropolis effecta eſt ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 1137. 1138.

Scyra ſive *Sira* & *Siro*, inſula maris Ægæi, ſuffraganea Athenarum. 865. 866.

Sebaſte, olim *Cabira*, dicta etiam *Sebaſtia* in Armeniæ minoris finibus, nunc *Sauſtia*, ſedes archiepiſcopalis ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 1069. 1070.

Sebaſte altera, ſive *Samaria*, *vide* ſub patriarchatu Hieroſolymitano.

Sebaſtopolis, urbs Cappadociæ in Aſia minori, ſuffraganea *Sebaſtes* Armeniæ. 1071. 1072.

Seleucia duplex; una dicta *Trachæa* ſive *Aſpera*, *Albia* quoque & *Hyria*, nunc autem *Seleſchia*, in provincia Iſauriæ; altera *Pieria*, hodie *Seleuche Jelber*, in provincia Syriæ primæ: utraque archiepiſcopalis ſub Patriarcha Antiocheno. 1179. 1180.

Seleucia tertia, quæ eſt *Bagdadum*, *vide* Bagdadum.

Selymbria ſive *Salymbria*, nunc *Seliurea*, urbs Thraciæ ad Propontidem, olim ſuffraganea Heracleæ, poſtea metropolis. 969. 970.

Semiſcata ſive *Gemiſcata*, in Tartaria magna, ſuffraganea eccleſiæ Soltanienſis. 1375. 1376.

Senaſcopolis, ad littus maris Pontici, Soltaniæ ſuffraganea. 1415. 1416.

Serræ, nunc *Seres*, urbs Macedoniæ, & eccleſia metropolis, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 1073. 1074.

Sibula, *vide* Symbolon.

Sidon, urbs Theſſaliæ, ſuffraganea Lariſſæ, ſub patriarchatu Conſtantinopolitano. 983. 984.

Sidon altera, ſuffraganea Tyri, *vide* ſub patriarchatu Hieroſolymorum.

Sira ſive *Siro*, *vide* Scyra.

Sithonia, *vide* Cithonia.

Sitia ſive *Setia*, olim *Cytæum*, urbs Cretæ inſulæ, ſub Candia metropoli. 917. 918.

Smolenſcium ſive *Smolencum*, nunc *Smolensko*, urbs Lithuaniæ & Ruſſiæ Albæ ad fluvium Boryſthenem, prope fines Moſcoviæ. 1139. 1140.

Smyrna, prius *Naulochos*, urbs Ioniæ in Aſia minori, & eccleſia metropolis ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 1075. 1076.

Soldaïa ſive *Soldadia*, olim *Lagyra*, urbs Tartariæ minoris. 1105. 1106.

Soltania ſive *Sultania*, olim *Tigranocerta*, urbs Armeniæ majoris, & eccleſia metropolis. 1359. 1360.

Sozopolis, urbs Thraciæ ad Pontum Euxinum, ſuffraganea Hadrianopolis. 961. 962.

Spahan, *vide* Aſpahamum.

Sparta, *vide* Lacedæmon.

Spinalonga, *vide* Cherſonneſus Cretæ.

Stagira, *vide* Macræ.

Stamboul, *vide* Conſtantinopolis.

Sudenſis ſive *Sunenſis* eccleſia, ſuffraganea Soltaniæ. 1379. 1380.

Sybenſis eccleſia, ſuffraganea Matrigenſis in provincia Zecchiæ. 1113. 1114.

Symbolon, olim *Pactorum portus*, nunc *Sibula*, oppidum & portus Tauricæ Cherſoneſi. 1109. 1110.

Digitized by Google

T

Tamacenſis eccleſia, ſub Patriarcha Alexandrino. 1151. C.
Tana, ad littora Ponti Euxini, juxta Paludem Mæotidem, & fluvium Tanaim. 1109. 1110.
Tanis ſive *Thanis*, ut & *Thamna*, ac *Thampnis*, nunc *Tanes*, urbs Ægypti ad oſtium Tanaïticum Nili, ſub Patriarcha Alexandrino. 1149. 1150.
Tarſus, ad Cydnum fluvium, media inter Seleuciam Aſperam & Cæſaream, ſub Patriarcha Antiocheno. 1181. 1182.
Tauris ſive *Taureſium*, *Tabreſium*, & *Tebris*, urbs Imperii Perſarum. 1379. 1380.
Tenos, inſula eſt maris Ægæi, una Cycladum, quæ cum Mycono, altera inſula 12. milliaribus diſtante, in unam coaleſcit ſedem epiſcopalem, ſuffraganeam Paro-Naxiæ & Rhodi variis temporibus. 1059. 1060.
Tephlis, urbs Georgiæ regionis primaria, olim *Artaxata* dicta, ſub dominio Perſarum. 1367. 1368.
Teredon, *vide* Baſſora.
S. Thaddæi, civitas Armeniæ in Imperio Perſidis, & ſedes archiepiſcopalis. 1385. 1386.
Thebæ, urbs Phthiotidis in Theſſalia, nunc *Ziton*, olim ſuffraganea Lariſſæ, poſteà metropolis facta. 989. 990.
Thebæ, urbs Bœotiæ caput, nunc *Thiva* ſive *Stives*, eccleſia metropolis, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 1081. 1082.
Thera ſive *Termia*, olim *Calliſta*, inſula maris Ægæi, quæ minime confundenda eſt cum *Theraſia* ſive *Santerini*, licet unam potuerint olim conflare eccleſiam; ut nunc eadem Thera Ceæ conjuncta eſt ſub Paro-Naxienſi metropole. 867. 868. & 1011. 1012.
Theraſia, *vide* Santerini.
Thermopylæ, ſunt anguſtus tranſitus inter mare & præruptos montes ex Theſſalia in Lochridem & Bœotiam: Ibi extitit urbs ejuſdem nominis, ſuffraganea Athenarum. 847. 848.
Theſſalonica, olim *Therme*, nunc *Salonichi*, urbs Macedoniæ, & eccleſia metropolis. 1089. 1090.
Tiberias, *vide* ſub patriarchatu Hieroſolymorum.
Tiberiopolis, *vide* Dionyſiopolis.
Tortoſa, *vide* Antaradus.
Trajanopolis, anteà *Zernis*, urbs Thraciæ ad Hebrum fluvium, & eccleſia metropolis. 1095. 1096.
Trapezus, urbs Aſiæ minoris in Cappadocia, *Trebiſonda* & *Taraboſa* etiam dicta, in ora Ponti Euxini, ſedes metropolis ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 1097. 1098.
Tripolis, urbs Aſiæ minoris ad Mæandrum fluvium, ſuffraganea Sardium in provincia Lydiæ. 1067. 1068.
Tripolis altera, urbs Syriæ in Phœnice, ſic dicta quod tribus coloniis, quaſi tribus urbibus ſtadio ab invicem diſtantibus conſtaret; ſedes epiſcopalis ſub Patriarcha Antiocheno. 79. 80. & 1173. 1174.
Tyrus, *vide* ſub patriarchatu Hieroſolymorum.

V

Valacenſis eccleſia, ſedes epiſcopalis ſæculo XIII. ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 1047. 1048.
Varna, *vide* Dionyſiopolis.
Vencoporienſis eccleſia, ſive *Venetcomponenſis* aut *Venetopolitana*, in Armenia, ſuffraganea *Sergiopolis*, quæ eſt urbs Syriæ ad Euphratem fluvium, ſub Patriarcha Antiocheno. 1195. 1196.
Veriſienſis eccleſia, metropolis ſæculo XIII. ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 1101. 1102.
Vize, *vide* Bizya.
Vordonia, *vide* Amyclæ.
Voſprus, *vide* Boſporus.

Z

Zacynthus, inſula maris Ionii verſus oram occidentalem Peloponneſi, ſedes epiſcopalis unita Cephaleniæ ſub Corintho metropoli. 891. 892.
Zaratoria, ſuffraganea Thebarum ſub Patriarcha Conſtantinopolitano ſæculo XIII. 1087. 1088.
Zibellet, *vide* Byblus.
Zicchia ſive *Zecchia*, provinciæ ejuſdem nominis caput, ſedes archiepiſcopalis, deinde metropolitana ad honorem; urbs eadem fortaſſis ac *Metracha* in Scythia & Cherſonneſo Taurica. 1103. 1104.
Zichnæ, urbs Macedoniæ, ſuffraganea Serrarum, poſteà archiepiſcopalis effecta ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. 1073. 1074.
Ziton, *vide* Thebæ, urbs ſuffraganea Lariſſæ.

INDEX

Præſulum ritus Latini, in Orientali tractu.

Series Patriarcharum Conſtantinopoleos.

I. THomas Maurocenus ſive *Moreſini*, Venetus, qui poſt captam Conſtantinopolim à Francis & Venetis, electus eſt primus Patriarcha ritus Latini an. 1204. obiit autem anno 1211. *col.* 796. A. & *ſeqq. De eo legenda quoque epiſtola Honorii III. dat. anno 1223. die 4. Septemb. tom. 2. edit. Baluz. epiſt. Innocent. III. p.* 835. *col.* 1.
II. Gervaſius ſive *Everardus*, ut Raynaldus & Thomaſſinus eum nominant: Is poſt diuturniorem quatuor annorum & amplius ſedis vacationem ob diſcordiam electorum, auctoritate Innocentii III. in ſynodo Lateranenſi an. 1215. menſe Novembri promotus eſt; obiit vero anno 1220. 799. B. & *ſeqq.*
III. Matthæus ſive *Matthias* anno 1221. die 25. Martii Robertum Imperatorem Conſtantinopolitanum ſolemniter coronavit. Fuerat epiſcopus, non *Aquilanus*, ſed *Equilinus*, in ditione Veneta. Obiit ante finem anni 1226. 801. E.
Electus. Joannes de Abbatiſvilla, archiepiſcopus Biſuntinus, diſſidentibus capituli Conſtantinopolitani de Matthæi ſucceſſore ſuffragiis, ab Honorio III. an. 1226. die 23. Decembris huic eccleſiæ ſuffectus eſt; ſed ipſe non aſſenſit, & poſteà Cardinalis evaſit à Gregorio IX. creatus. 803. E.
IV. Simon, Joanni recuſanti ſubſtitutus anno 1227. Obiit an. 1232. aut 1233. 805. B.
V. Nicolaus I. ad ſedem Conſtantinopolitanam ex Spoletana tranſiit anno circiter 1234. aut 1235. qui expenſis in ſubſidium imperii Latinorum facultatibus ſuis ad ſummas anguſtias redactus eſt. Concilio Lugdunenſi I. anno 1245. interfuit. Obiit Mediolani anno 1251. 805. E.
VI. Pantaleo Juſtinianus, Venetus, anno circiter 1253. ad regendam eccleſiam Conſtantinopolitanam aſſumptus, hanc vidit à Græcis recuperatam anno 1261. Adfuit concilio Lugdunenſi II. anno 1274. Obiit autem circa annum 1286. 807. E.
VII. Petrus I. in Patriarcham confirmatus eſt anno 1286. ab Honorio IV. die 23. Auguſti. Obiit an. 1301. 809. E.
VIII. Leonardus electus eſt Patriarcha anno 1301. die 31. Martii à Bonifacio VIII. qui ad Pontificem Romanum, anno præcedente die 23. Decembris, promotionem quatuor Patriarcharum Orientalium ritus Latini ob penuriam electorum reſervarat. Obiit Leonardus ante annum 1314. 810. C.
IX. Nicolaus II. titulo Patriarchæ potiebatur cum adminiſtratione eccleſiæ Negropontenſis initio anni 1314. Annus ejus obitus non conſtat. 811. E.
X. Petrus II. de Boloneſio, Canonicus Belvacenſis, poſteà Patriarcha Conſtantinopolitanus, obiit an. 1324. 812. C.
XI. Cardinalis, non dignitate ſed nomine, Petro ſucceſſit. 812. E.
XII. Gotius ſive *Goctius*, *Goſius* & *Goïſius de Battagliis*, familia nobili inter Ariminenſes, creatus eſt Patriarcha anno 1335. die 14. Junii. Deinde Cardinalis evaſit promovente Benedicto XII. anno 1338. die 18. Decembris. Obiit Aven. anno 1345. 813. B.
XIII. Henricus Catalanam ſocietatem in Oriente degentem anathemate ſolvit quo anno 1314. fuerat innodata. Plurimam navavit operam pro redintegranda unione eccleſiæ Græcæ cum Romana, & conterenda Turcarum potentia, quorum copiæ ipſi dum ſacrum in caſtris Chriſtianorum celebraret, multiſque aliis, mortem intulere an. 1345. die 17. Januarii. 816. C.
XIV. Stephanus, Conſtantinopolitanus Patriarcha, ad Beneventanam eccleſiam evectus eſt anno 1346. die 17. Novembris; obiit vero anno 1350. 820. A.
XV. Guillelmus I. dictus *Puſtrella* ſive *Puſterlius*, ex archipreſbytero Modoetiæ Patriarcha factus, deinde archiepiſcopus Mediolanenſis anno 1361. Obiit anno 1370. 820. B.
XVI. Georgius. *ibid.* D.
XVII. B. Petrus III. Carmelita, Gallus, epiſcopus primum Pactenſis & Lipparienſis in Sicilia anno 1354. die 16. Novembris, poſteà Coronenſis anno 1359. die 10. Maii: dehinc Cretenſis archipræſul anno 1363. die 5. Martii; demum titulo Patriarchæ decoratus eſt ab Urbano V. anno 1364. die 13. Julii cum adminiſtratione Negropontis & Coronenſis eccleſiarum. Obiit Famaguſtæ in inſula Cypro anno 1366. die 6. Januarii. 820. E.
XVIII. Guillelmus II. eodem menſe Januario Patriarcha creatus videtur. 822. B.
XIX. Paulus Guillelmo ſucceſſit eodem anno 1366. aut 1367. ex Smyrnenſi eccleſia tranſlatus. Pro reconciliatione eccleſiæ Græcæ cum Latina plurimum

Digitized by Google

laboraverat legatus utrimque miſſus. Obiit circa annum 1372. *822*. C.

XX. Ugolinus de Malabranca, Urbevetanus, Eremitarum S. Auguſtini alumnus & Prior generalis, deinde Ariminenſis epiſcopus, tandem Patriarcha Conſtantinopolitanus anno 1372. Obiit in oppido Aquæpendentis anno 1374. Perperam à quibuſdam ſcriptoribus, vel ad annos 1286. 1290. & 1291. revocatur, vel in duos dividitur Patriarchas, quorum unus ſæculo XIII. alter autem ſequenti floruerit. *825*. D.

XXI. Jacobus Campanus in Italia, epiſcopus Iſclanus in regno Neapolitano, deinde Marturanenſis in Calabria an. 1359. poſthac Hydruntinus archiepiſcopus anno 1360. hujus poſtremæ eccleſiæ adminiſtrationem retinuit factus Patriarcha à Gregorio XI. anno 1376. die 18. Jan. Tempore ſchiſmatis occidentalis ab Urbano VI. cui primum adhæſerat deficiens æmuli ejus Clementis VII. dicti partes amplexus eſt qui ipſum Cardinalem renuntiavit die 18. Decemb. anno 1378. Obiit anno circiter 1387. *826*. E.

XXII. Guillelmus III. Ord. Min. epiſcopus Urbini, Clementis quoque VII. auctoritati cum Gallia ſeſe ſubjecit, à quo ſubſtitutus eſt Jacobo Cardinali facto, tum in titulo Patriarchæ Conſtantinopolitani, tum in adminiſtratione eccleſiæ Hydruntinæ an. 1379. die 21. Januarii. *828*. E.

XXIII. Matthæus II. cognominatus *Bandellus* ex ſua familia, Ord. Præd. à Bonifacio IX. creatus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſub cujus etiam pontificatu obiit. *829*. D.

XXIV. Angelus Corarius, qui poſteà fuit Gregorius XII. ab eodem Bonifacio IX. titulo Patriarchæ ornatus fuit cum adminiſtratione eccleſiæ Negropontenſis. Hunc Innocentius VII. ad cardinalatum evexit anno 1405. die 12. Junii. Obiit anno 1417. *830*. D.

XXV. Antonius Corarius, Angeli ex fratre nepos, titulum Patriarchæ Conſtantinopolitani ſuſcepit anno 1405. deinde à patruo ſuo facto Pontifice ſub nomine Gregorii XII. Cardinalis creatus eſt anno 1408. die 9. Maii. Concilio Conſtantienſi interfuit. Obiit ſacri Collegii Decanus anno 1445. die 19. Januarii. *831*. C.

XXVI. Franciſcus I. *Landus, Laudus*, aut *Laudo*, Venetus, Patriarcha primum Gradenſis, ſub qua dignitate ſubſcripſit Concilio Piſano anno 1409. Is ab Alexandro V. ibi electo titulum Patriarchæ Conſtantinopolitani accepit eodem anno. Poſthac à Joanne XXIII. inter Cardinales cooptatus anno 1411. in ſynodo Conſtantienſi ſedit. Deceſſit Romæ anno 1427. die 26. Decembris. *832*. C.

XXVII. Joannes I. eidem ſynodo Conſtantienſi adſuit anno 1416. ut Patriarcha Conſtantinopolitanus. *833*. A.

XXVIII. Joannes II. de Rupeſciſſa, *de la Rochetaillée*, Gallus, epiſcopus Gebennenſis, unus electorum nationis Gallicæ in concilio Conſtantienſi anno 1417. Poſthac variis temporibus evaſit Patriarcha Conſtantinopolitanus, perpetuus eccleſiæ Pariſienſis adminiſtrator, archipræſul Rothomagenſis, S. R. E. Cardinalis anno ſcilicet 1426. die 24. Maii, & archiepiſcopus Biſuntinus. Obiit Bononiæ anno 1437. die 24. Martii. *833*. B.

XXIX. Franciſcus II. dictus *Condulmerius*, Venetus, Eugenii IV. nepos, ab eo creatus eſt Cardinalis anno 1431. Patriarcha etiam Conſtantinopolitanus, & archiepiſcopus Biſuntinus, ex qua ſede ad Veronenſem tranſiit. Obiit Romæ anno 1453. die 5. Septembris. *834*. B.

XXX. Joannes III. *ibid.*

XXXI. Gregorius. *ibid.*

XXXII. Iſidorus. Hi tres commemorantur ut Patriarchæ Conſtantinopolitani in epiſtola Pii II. Papæ huic poſtremo data an. 1459. die 20. Aprilis. *834*. D.

XXXIII. Beſſarion Iſidoro ſucceſſit anno 1463. & ipſe obiit an. 1472. *836*. C.

XXXIV. Petrus IV. Riarius, Ord. Min. Sixti IV. ex ſorore nepos, anno 1472. titulo Patriarchæ Conſtantinopolitani potitus eſt: Fuit etiam S. R. E. Cardinalis. Obiit anno 1474. *ibid.*

Series Patriarcharum Alexandriæ Latini ritus.

Incertus. Athanaſius de Claromonte anno circiter 1219. valde dubius Patriarcha. *col. 1143*. A.

I. Ægidius, Ferrarienſis, Ord. Præd. Patriarcha primum Gradenſis anno 1295. die 19. Maii, deinde Alexandrinus anno 1310. *ibid.* D.

II. Otto ſeu *Odo & Oddo de Sala*, Piſanus, Ordinis Prædicatorum, qui fuerat ſucceſſive epiſcopus Teralbenſis in Sardinia, Polenſis, Arborenſis, & Piſanus; tandem Patriarcha Alexandrinus evaſit anno 1322. die 22. Maii; adminiſtrationem quoque habuit Montis Caſſini, ubi deceſſit anno 1323. die 9. Novembris. *1144*. A.

III. Joannes I. filius Jacobi II. regis Aragonum, anno ætatis 17. archiepiſcopus Toletanus creatus, & anno 28. Patriarcha Alexandrinus, cum adminiſtratione eccleſiæ Tarraconenſis. Piiſſime obiit anno ætatis 33. Chriſti 1334. die 19. Auguſti. *ibid.* B.

IV. Guillelmus de Chanac, epiſcopus Pariſienſis, Patriarcha Alexandrinus conſtitutus eſt anno 1342. & obiit an. 1348. die 3. Maii. *1145*. B.

V. Humbertus, Delphinus Viennenſis, terreno principatu in Joannem Philippi regis Francorum natu majorem tranſmiſſo Ordinem Præd. amplexus, Alexandrinus Patriarcha renuntiatus eſt à Clemente VI. initio anni 1351. Obiit anno 1355. die 22. Maii. *1145*. C.

VI. Arnaldus Bernardi de Monte Majori, Gallus, ex Patriarcha Alexandrino S. R. E. Cardinalis evaſit an. 1368. die 22. Septembris. Obiit anno ſequenti. *ibid.* D.

VII. Joannes II. anno 1372. die 26. Julii titulo Patriarchæ Alexandrini ornabatur. *ibid.* E.

VIII. Petrus I. dictus *Amelii de Brenaco*, Ord. Eremit. S. Auguſtini, Gallus, epiſcopus ſucceſſive Senogallienſis, Tarentinus, & Gradenſis Patriarcha, Patriarcha quoque Alexandrinus anno 1388. aut ſequenti, & adminiſtrator eccleſiæ Aquenſis. *1146*. A.

IX. Petrus II. cognominatus *Alexander*, ex ſede patriarchali Gradenſi ad Alexandrinam tranſlatus eſt à Bonifacio IX. anno 1400. menſe Septembri. *ibid.* C.

X. Leonardus Delphinus, Venetus, archiepiſcopus Cretenſis, deinde Venetiarum præſul anno 1392. die 29. Aprilis, ad patriarchalem Alexandrinam evectus eſt anno 1401. die 27. Auguſti. *1146*. D.

XI. Ugo de Robertis de Tripoli, Regienſis, epiſcopus Adrienſis, deinde Patavinus anno 1393. poſteà Patriarcha Alexandrinus evaſit anno 1402. *ibid.* E.

Series Patriarcharum Antiochiæ ritus Latini.

I. Bernardus, Valentinus in Gallia, anno 1100. medio, Joanni Patriarchæ Antiochiæ, Græco, ſponte cedenti ſuffectus eſt. Quum Balduinus I. Godefridi I. Hieroſolymorum regis frater & ſucceſſor à Paſchali II. Papa obtinuiſſet ut quaſcunque urbes *ſibi poſſet vendicare, omnes ditioni & regimini Hieroſolymitanæ eccleſiæ ſubjacerent*; id moleſte ferens Bernardus, de illata ſuæ ſedi injuria apud eumdem Pontificem graviter conqueſtus eſt, à quo reſponſum accepit ſarta tecta fore in poſterum eccleſiarum jura. Obiit anno 1134. aut 1135. *col. 1153*. A.

II. Radulphus I. Normannus in Gallia, epiſcopus primum Mamiſtanus in Oriente; ſolo deinde populi Antiocheni ſuffragio electus in Patriarcham, pallium ſibi ſumpſit de altari S. Petri *hujus urbis*. Actus reus apud apoſtolicam ſedem Romam petere coactus eſt, ubi depoſito ſuo pallio aliud recepit pro more de corpore S. Petri ab Innocentio II. qui ipſum redire Antiochiam juſſit cauſam dicturum coram ſedis apoſtolicæ legato. Albericus autem Cardinalis eò miſſus, vocatis Antiochiam anno circiter 1136. epiſcopis Syriæ & Palæſtinæ ſynodum habuit de hujus Radulphi inthronizatione. Cauſa cecidit iſte & depoſitione mulctatus eſt, carceri inſuper traditus in S. Simeonis monaſterio. Inde tamen clam elapſus Romam fugit: dum vero ſedis apoſtolicæ indulgentiam impetraturus putaretur, veneno extinctus eſt anno 1142. *1155*. D.

III. Aymericus, Gallus Lemovicenſis, in Decanum eccleſiæ Antiochenæ à Radulpho aſſumptus, in ejus nihilominus depoſitionem cum cæteris conſpiravit; cui & ſucceſſit anno 1142. Maronitarum, non quidem tota gens, ut exiſtimaſſe videtur Willelmus Tyrius, *lib. 22. cap. 8.* ſed nonnulla pars quæ à quibuſdam annis in hæreſim Monothelitarum inciderat, ad catholicam fidem ejus opera anno 1182. rediit. *col. 34. & ſeqq. ubi de Maronitis.* Vivebat adhuc Aymericus anno 1187. *1156*. E.

IV. Radulphus II. ex Onuphrio Panvinio, Genebrardo, aliiſque recentioribus, & etiam ex catalogo Arabico clariſſimi D. Aſſemani, Aymericum excepit; Id ſi verum eſt, non tamen quod 33. annos ſederit: nam anno 1201. Antiochiæ jam Patriarcha erat Petrus. *1157*. D. E.

V. Petrus I. à Panvinio omiſſus, eccleſiæ Antiochenæ, ut modo dictum eſt, curam gerebat anno 1201. quo juxta Sanutum, Raymundus, Comes Tripolitanus, principatum Antiochenum adiens huic ſeſe pro more jurejurando obſtrinxit: ſed ipſum anno 1208. idem Raymundus in carcerem conjecit, eò quod juri junioris Rupini, filii fratris ſui, ad præfatum principatum patrocinabatur.

Intruſum

Digitized by Google

Intruſum quoque in ejus locum *Græcum* quemdam hominem fovit, quem deponi curavit Innocentius III. de Raymundi violenta agendi ratione graviter conqueſtus. Deceſſit in carcere Petrus ante diem 12. Jul. anni 1208. *1158*. A.

VI. Petrus II. Ord. Ciſtercienſis, ex abbate cœnobii Firmitatis an. 1205. epiſcopus Yporienſis (*Yvrée*) factus, ad Theſſalonicenſem eccleſiam anno 1208. electus eſt, ſed non acquievit. Ad ſedem Antiochenam tranſiit anno ſequenti 1209. Gravi languore detentus epiſcopum Antaradenſem ſuas vices acturum miſit ad ſynodum Lateranenſem IV. anno 1215. Jam vivere deſierat die 31. Octobris anni 1217. *1159*. E.

VII. Raynerius de Tuſcia, S. R. E. Vicecancellarius, ad ſedem Antiochenam promotus eſt anno 1219. ab Honorio III. Antea autem hujus eccleſiæ regimini præfecerat ad tempus Pontifex *Petrum* quemdam Capuanum, quem illo anno 1219. Cardinalem creavit. Obiit Raynerius anno 1226. *1160*. D.

VIII. Albertus anno 1226. aut ſequenti electus eſt in Patriarcham Antiochenum, qui primum fuit epiſcopus Brixiæ ab anno 1213. uſque ad annum 1227. aut 1228. Adfuit concilio Lugdunenſi I. anno 1245. Deceſſit tandem eo anno, aut ſequenti 1246. *1160*. E.

IX. Elias, Ord. Præd. Alberto ſuffectus eſt in ſede Antiochena, non quidem anno 1240. ut habet Rodericus de Acunna, Bracarenſis archiepiſcopus; ſed anno duntaxat 1245. aut 1246. quo obiit ejus prædeceſſor. Hanc vero ipſe tenuit, ex eodem ſcriptore, uſque ad annum 1250. *1160*. E.

X. Chriſtianus, Ord. Præd. eccleſiæ Antiochenæ curam gerebat anno 1268. quo hanc urbem ſibi ſubjecit Soldanus Babyloniæ die 29. Maii juxta Sanutum: in qua ſtrage Patriarcha ſacris veſtibus indutus coram altari gladio infidelium trucidatus eſt. *1162*. A.

XI. Opizio ſive *Obizo*, è Fliſca Januenſi nobiliſſima familia oriundus, patriarchatum Antiochenum gerebat anno 1274. quo interfuit ſynodo II. Lugdunenſi. Idem fuiſſe videtur ac *Othobonus Patriarcha Antiochenus*, quem Nicolaus III. adminiſtratorem conſtituit eccleſiæ Tranenſis an. 1280. die 1. April. ſiquidem anno 1287. *Obizo Antiochenus* adhuc *Patriarcha* creatus eſt à Nicolao IV. adminiſtrator eccleſiæ Januenſis, cui etiam anno ſequenti die 4. Junii ſcripſit epiſtolam. Obiit anno 1292. *1162*. C.

XII. Iſnardus Tacconus, Papienſis, Ord. Præd. primum archiepiſcopus Thebanus anno 1308. deinde Patriarcha Antiochenus anno 1311. die 5. Novemb. cum adminiſtratione eccleſiæ Papienſis, omni ea dignitate ſpoliatus eſt an. 1319. à Joanne XXII. Papa, qui tamen anno 1325. illum ad ſedem Thebanam denuo evexit, & miſit ſuum legatum in Orientem. Obiit an. 1329. *1163*. A.

XIII. Geraldus Odonis ſive *Ottonis*, Generalis Miniſter Ord. Minor. titulo Patriarchæ Antiocheni ornatus eſt anno 1342. die 27. Novemb. quum vacaſſet titulus iſte ab an. 1319. quo illum amiſerat Iſnardus: adminiſtrationem quoque eccleſiæ Catanenſis accepit. *1164*. A.

Series Patriarcharum Hieroſolymorum ritus Latini.

I. Daibertus ſive *Daimbertus, Dagobertus & Theodebertus*, Arnulpho in *Vicepræſulem* duntaxat aſſumpto poſt captam Hieroſolymam anno 1099. ſubſtitutus eſt Patriarcha exeunte eodem anno, vel in paſchalibus anni ſequentis. Is à Balduino I. plurimum vexatus Romam petiit, dum autem reverteretur obtenta cauſâ obiit Meſſanæ anno 1107. die 14. Maii. *col. 1243*. A.

II. Gibelinus, archiepiſcopus Arelatenſis, Hieroſolymam miſſus à ſummo Pontifice, ut de Ebremaro judicium ferret, qui in locum Daiberti Patriarchæ adhuc viventis electus fuerat, eo depoſito, & ad Cæſarienſem eccleſiam tunc vacantem tranſlato, ipſe in Patriarcham aſſumptus eſt anno 1107. Is adſtiterat anno 1103. ſolemni eccleſiæ S. Salvatoris dedicationi à Petro Aquenſi archiepiſcopo peractæ, in qua erectum altare fuit in honorem S. Maximini & S. Mariæ Magdalenæ, ceu primorum fundatorum duarum eccleſiarum hujus loci. Obiit exeunte anno 1111. *1245*. D.

III. Arnulphus, qui jam *Vicepræſul* eccleſiæ Hieroſolymorum conſtitutus fuerat anno 1099. die 1. Auguſti, hanc ſedem conſcendit poſt Gibelini mortem eodem anno 1111. vel initio ſequentis. Depoſitus eſt anno 1115. reſtitutus autem à Papa, ad quem perrexerat, ad propria remeavit, ibique deceſſit an. 1118. menſe Aprili. *1247*. D.

IV. Gormundus, Gallus, anno 1118. electus, pactis conventis inter Venetos & proceres Hieroſolymorum ſubſcripſit anno 1123. Obiit anno 1128. *1248*. C.

V. Stephanus, Carnotenſis in Gallia, canonicus regularis, electus Patriarcha anno 1128. poſt biennium deceſſit anno 1130. *ibid*. F.

VI. Willelmus ſive *Guillelmus* I. Belga, Prior Dominici Sepulchri, electus anno 1130. Patriarcha Hieroſolymorum, corona regia Fulconem redimivit anno ſequenti die 14. Septembris. Adfuit concilio Antiocheno anno circiter 1136. In regem inunxit Balduinum III. an. 1142. Obiit anno 1145. die 27. Septembris. *1249*. D.

VII. Fulcherus, Tyrenſis primum archiepiſcopus, ad ſedem Hieroſolymorum tranſiit anno 1146. die 25. Jan. Conradum Imperatorem Germaniæ & Ludovicum VII. regem Francorum Hieroſolymis feſtive recepit. Obſidioni interfuit Aſcalonis anno 1152. quæ juris facta eſt Balduini III. anno 1154. Quare *col. 501*. E. pro *anno 1146*. legendum eſt *1152*. Romam petiit anno 1155. Obiit anno patriarchatus XII. die 20. Novemb. Chriſti 1157. *1250*. A.

VIII. Amalricus, Gallus, & eccleſiæ Dominici Sepulchri Prior, electus eſt Patriarcha, contradicentibus licet Cæſarienſi & Bethleemitano præſulibus. Quædam extant litteræ ejus ad Ludovicum VII. regem Franciæ. Amalricum Balduini III. fratrem & ſucceſſorem anno 1162. die 18. Febr. item anno 1173. die 15. Julii Balduinum IV. hujus Amalrici filium, regia corona ornavit. Obiit anno 1180. die 6. Octobris. *ibid*. D.

IX. Eraclius ſive *Eracleus*, Arvernus in Gallia, electus eſt an. 1180. menſe Octob. Sub ejus regimine Chriſtianis erepta fuit à Salahadino anno 1187. civitas ſancta. Obiit dum à Chriſtianis obſideretur Acon, quæ iis ſubdita eſt anno 1191. die 12. Julii, deinceps ſedes facta, tum regum, tum etiam Patriarcharum Hieroſolymorum, uſque ad annum 1291. quo & ipſa in Saracenorum devenit poteſtatem. *1251*. B.

X. Sulpitius, à Theodorico Pauli traditur Eraclii ſucceſſor. *Cyrillus* quoque Prior III. Carmelitarum renuntiatus à Cæleſtino III. Papa anno 1191. perhibetur à Daniele à V. M. *1252*. B.

XI. Michaël, Pariſienſis Decanus, electus in Patriarcham Hieroſolymorum anno 1194. priuſquam iter arriperet Senonenſis factus eſt Archipræſul. *ibid*. C.

XII. Monachus, Florentinus, ex archiepiſcopo Cæſarienſi in Palæſtina, Patriarcha evaſit Hieroſolymorum anno 1194. *ibid*. E.

XIII. Soffredus, Cardinalis S. R. E. in Patriarcham Hieroſolymorum electus eſt anno circiter 1203. quem ad præbendum conſenſum hortatus eſt Innocentius III. ſed ille non acquievit. *Simonis* cujuſdam meminit Albericus, ſed qui alius non fuit à Monacho aut Soffredo. *1253*. C.

XIV. Albertus, Parmenſis, ex epiſcopo Vercellenſi electus Patriarcha Hieroſolymorum anno 1204. Fratribus Montis Carmeli regulam concinnavit. Occiſus eſt à peſſimo Chriſtiano anno 1214. die 14. Septembris. *1254*. A.

XV. Gualterus ſive *Lotharius*, epiſcopus Vercellenſis poſt Albertum, ei quoque ſucceſſit in patriarchatu Hieroſolymorum. *1255*. A.

XVI. Radulphus I. ſive *Rodulphus*, primum epiſcopus Sareptæ, deinde electus Patriarcha Hieroſolymorum, obiit anno 1225. *ibid*. D.

XVII. Giroldus ſive *Geraldus*, ex abbate Cluniacenſi epiſcopus Valentinenſis in Gallia, deinde Patriarcha Hieroſolymorum anno 1225. obiit anno 1239. *1256*. A.

XVIII. Robertus ſive Guido, epiſcopus Nannetenſis, poſtulato à capitulo Hieroſolymorum in Patriarcham Jacobo de Vitriaco tunc S. R. E. Cardinali, quem Gregorius IX. utpote ſibi neceſſarium confirmare noluit, ſubrogatus eſt ab eodem Pontifice. Is in caſtris S. Ludovici regis Francorum erat quando Damiatam cepit anno 1240. deceſſit autem anno 1254. die 8. Junii. Poſt cujus obitum ad eumdem annum meminit *Epicii* cujuſdam *Patriarchæ* continuator Gallus hiſt. Willelmi Tyrii, ſed hunc non ait expreſſe *Patriarcham* fuiſſe *Hieroſolymorum*. *1256*. E.

XIX. Jacobus Pantaleon, Gallus, Trecenſis, primum archidiaconus Leodienſis, deinde Virdunenſis epiſcopus, ab Alexandro IV. renuntiatus eſt Patriarcha Hieroſolymorum anno 1255. ipſique ſucceſſit anno 1261. die 29. Aug. Urbanus IV. dictus. *1257*. D.

XX. Bartholomæus de Bragantia, Vicentinus, Ordinis Prædicatorum, epiſcopus primum Nemoſienſis in Cypro inſula, deinde Vicentinus, oblatum ſibi patriarchatum Hieroſolymorum ab eodem

Digitized by Google

Urbano IV. anno 1261. recuſaſſe videtur. *1258.* A.

XXI. Humbertus de Romanis, Gallus, V. Magiſter generalis Ord. Præd. eodem tempore illam ſimiliter dignitatem ſibi delatam non admiſit. *1259.* C.

XXII. Guillelmus II. epiſcopus Aginnenſis in Gallia, renuntiatus eſt ab eodem Urbano IV. Patriarcha Hieroſolymitanus & adminiſtrator eccleſiæ Acconenſis anno 1263. Obiit anno 1270. *1260.* A.

XXIII. Thomas Agni de Lentino ſive *de Leontino,* oppido Siciliæ, Ord. Præd. primum Bethleemitanus epiſcopus, deinde Cuſentinus archiepiſcopus an. 1267. die 18. Aprilis; poſthac Patriarcha Hieroſolymorum creatus à Gregorio X. anno 1272. menſe Martio, obiit anno 1277. *1261.* B.

XXIV. Aiglerius ſive *Angelus*, archiepiſcopus Neapolitanus, electus fuerat Patriarcha Hieroſolymorum, *1202.* B. ſed à Nicolao III. in ejus locum ſubſtitutus eſt

XXV. Joannes de Vercellis, VI. Magiſter generalis Ord. Præd. anno 1278. qui non præbuit conſenſum. *1261.* C.

XXVI. Elias I. Patriarcha Hieroſolymorum creatus eſt anno 1279. & deceſſit anno 1287. aut ſequenti. *ibid.* D.

XXVII. Nicolaus de Hanapis, Gallus, Ord. Præd. à Nicolao IV. promotus eſt ad patriarchatum Hieroſolymorum, unaque ad epiſcopatum Aconenſem ei conjunctum anno 1288. die 30. Novemb. ſed ſub ejus regimine erepta eſt Acon Chriſtianis anno 1291. ipſe autem ſubmerſa navi periit eodem anno. *1263.* B.

XXVIII. Radulphus II. Gallus, Ord. Prædicatorum, anno 1294. à Cæleſtino V. renuntiatus Patriarcha Hieroſolymorum, depoſitus eſt à Bonifacio VIII. qui tamen ipſum eidem ſedi non multo poſt reſtituit. Obiit anno 1304. menſe Novembri. *ibid.* C.

XXIX. Antonius Beccus, Anglus, epiſcopus Dunelmenſis in Anglia, electus Patriarcha Hieroſolymorum anno 1305. obiit anno 1310. *1264.* C.

XXX. Petrus I. de Plana-Caſſano, Ord. Min. epiſcopus Ruthenenſis in Gallia, legatus ſedis apoſtolicæ per varias Orientis regiones, creatus Patriarcha Hieroſolymorum à Clemente V. Papa anno 1314. die 26. Febr. obiit anno circiter 1322. *ibid.* D.

XXXI. Petrus II. canonicus Nicoſienſis, ad ſedem Hieroſolymorum promotus eſt anno 1322. die 19. Jun. obiit autem anno 1324. *1265.* B.

XXXII. Raymundus Bequin, Toloſanus, Ord. Præd. Petro ſuffectus eſt in ſede titulari Hieroſolymorum anno 1324. eique ſimul Nimoſienſis eccleſiæ in inſula Cypro ad ſuſtentationem adminiſtratio collata. Obiit anno 1328. *ibid.* C.

XXXIII. Petrus III. de Palude, Ord. Præd. renuntiatus eſt Patriarcha Hieroſolymorum, ſimulque adminiſtrator eccleſiæ Nimoſienſis in inſula Cypro, anno 1329. die 2. Martii. Deinde adminiſtrator factus eccleſiæ Conſeranenſis in Gallia, obiit Pariſiis anno 1342. die 31. Januarii. *ibid.* E.

XXXIV. Elias II. de Nabinallis, Ordinis Minoritarum, jam ab anno 1332. archiepiſcopus Nicoſienſis in Cypro inſula, Patriarcha Hieroſolymitanus evaſit anno 1342. die 12. Julii, rurſusque eodem anno menſe Septembri Cardinalis creatus eſt. *1266.* E.

XXXV. Guillelmus III. titulo Patriarchæ Hieroſolymorum potiebatur anno 1351. die 22. Septembris. *1267.* B.

XXXVI. Philippus de Cabaſſole, ortu Cabellicenſis in Gallia, ejuſdemque loci epiſcopus, titulo Patriarchæ Hieroſolymitani ornatus eſt anno 1361. ex eccleſia autem Cabellicenſi ad Maſſilienſem tranſiit anno 1366. Promotus poſtea ad cardinalatus dignitatem anno 1368. obiit Peruſiii anno 1372. *1267.* C.

XXXVII. Guillelmus IV. Militis, Ord. Præd. Patriarcha Hieroſolymitanus renuntiatus anno 1369. obiit anno 1374. *1268.* D.

INDEX

Præſulum ritus Latini in quatuor Patriarchatibus Orientis, ordine alphabetico.

Abbreviationis gratia deſignamus his litteris O. C. *Ordinem Carmelitarum.* O. M. *Ordinem Minorum.* O. P. *Ordinem Prædicatorum.* E. A. *Eremitam Auguſtinianum.* O. Ciſt. *Ordinem Ciſtercienſem.* O. Clun. *Ordinem Cluniacenſem.* O. S. Ben. *Ordinem ſancti Benedicti.*

A

A. Dyrrach. *col. 949.* C.
Thebar. *1082.* A.
Abſalon Bethleem & Aſcalonis in Palæſtina. *1278.* D.
Adalbertus Chryſtopolis. *1049.* B.
Adam Paneadis in Palæſt. *1337.* A.
Adamus de Romery Sidonis in Palæſtina. *1323.* E.
O. M. Gabalæ ſub Patriarcha Antiocheno. *1170.* B.
Abienſis in patriarchatu Antiocheno. *1237.* A.
Adimarus de Rupe, O. P. Bethleem & Aſcalonis in Palæſt. *1284.* E.
Ægidius de Gallutiis, O. P. Candiæ. *909.* C.
Ferrarienſ. O. P. Methon. *1033.* C.
de Portu, O. M. Phocææ. *1080.* C.
Ferrarienſis, O. P. Patr. Alexandr. *1143.* D.
Damiatæ in patriarchatu Alexandrino. *1147.* A.
Tyri. *1319.* B. C.
Agniſius, O. P. Pergami. *959.* A.
Aicardus, E. A. Ciſſamiæ. *929.* A.
Aiglerius *ſive* Angelus, Patriarcha Hieroſolymitanus. *1262.* B.
Aitardus *ſive* Attardus, Nazareth. *1295.* E.
Albanus, Michaël, Corcyræ. *880.* A.
Albertinus, Coroneæ. *1038.* B.
Albertus, Paſchaleus, O. P. Calamonæ. *922.* A.
Albertus, O. M. Nicomed. *1018.* C.
de Uſti, O. P. Melos. *1055.* C.
I. Szczecin, O. P. Caffæ. *1106.* C.
II. à Secinia, O. P. Caffæ. *ibid.* D.
Narbutus, Kioviæ. *1128.* A.
Moſcoviæ. *1131.* A.
Patr. Antiochiæ. *1160.* E.
Parmenſis, Patr. Hieroſ. *1253.* C.
Bethleem & Aſcalon. *1279.* E.
Engel, O. M. Tephlis. *1372.* C.
Aldobrandinus, Nicoſiæ in inſula Cypro. *1215.* B.
Alexander I. de S. Elpidio, E. A. Candiæ. *908.* B.
II. O. P. Candiæ. *909.* B.
Angelus, Sidonien. ſub Patriarcha Conſtant. *986.* B.
Trapezi. *1099.* C.
Caffæ. *1105.* D.
de Caffa, O. M. Cambalu. *1352.* B.
O. P. Tephlis. *1372.* A.
Aloyſius, Agriæ in Creta inſula. *926.* E.
de Apera, Coroneæ. *1042.* A.
Alphonſus de Spina, O. M. Thermop. *850.* C.
Paleottus, Corcyr. *881.* D.
à S. Cypriano, O. P. Libarien. *946.* A.
à S. Cruce, O. M. Chalced. *1020.* B.
Aluarus Pelagius, O. M. Coron. *1038.* B.
Amalricus, Patr. Hieroſolym. *1250.* D.
Amalricus, Sidonis in Palæſtina. *1321.* D.
Ambroſius de Abiate, O. P. Mitylen. *991.* B.
Scipionis, O. M. Camachæ. *1110.* A.
Andreas Nicolai de Luca, O. C. Athen. *843.* A.
I. Megar. *852.* A.
II. Dias, O. P. Megar. *ibid.* C.
de Aurea *ſive* Doria, O. P. Andros. *862.* C.
Carga, O. P. Scyræ. *866.* B.
Vendrominus, O. Equit. S. Joan. Hier. Corcyr. *880.* E.
Malvaſiæ. *896.* D.
Sitiæ in Creta inſ. *917.* D.
E. A. Arcadiæ in Creta inſula. *919.* C.
Agriæ in Creta inſ. *925.* D.
Priſcæ. *953.* B.
O. M. Crojæ. *955.* A.
Sophianus, Santerini. *1010.* C.
Falconis, Methon. *1036.* C.
O. P. Rhodi *ſive* Coloſſenſis. *1051.* D.
Sophianus, Chii. *1065.* A.
Furnarius, O. P. Theb. *1087.* A.
è Cracovia, O. M. Cereti. *1119.* A.
O. P. Kioviæ. *1127.* D.
Petri de Monte-Laterano, O. M. Laodic. *1168.* C.
I. Centanus, Nemoſiæ in Cypro inſula. *1230.* A.

Digitized by Google

Andreas II. Mocenicus, Nemoſ. 1230. B. Ceraunia in Cypro inſula. 1231. A.
I. Lyddæ & Ramulæ in Palæſtina. 1276. A.
II. Lyddæ & Ramulæ. *ibid.* B.
Sebaſtes in Palæſt. 1292. B.
de Peruſio, O. M. Cathaiæ. 1357. C.
Angelus Corarius, Patr. Conſt. 830. D.
Athenarum. 843. B.
Corarius, Negropont. 848. B.
Maria Quirini, O. S. Ben. Corcyr. 882. C.
Maria Carlini, O. P. Corinth. 890. B.
Maltraverſus, O. P. Candiæ in Creta inſula. 907. B.
Barbadico, Ciſſamiæ in Creta inſula. 930. A.
Dyrrachii. 950. D.
I. Mitylen. 991. C.
II. de Barbianis, O. M. Mitylen. 994. A.
Gozaddinus, Paro-Nax. 1006. E.
Calepius, O. P. Santer. 1010. A.
Patrarum Veterum. 1029. A.
I. de Leuti, O. P. Methon. 1033. E.
II. Methon. 1035. D.
de Narnia, O. M. Paphos in Cypro inſula. 1218. C.
Anſelmus, Bethleem & Aſcalonis in Palæſtina. 1278. A.
Antonellus de Joanneto, O. M. Callipolis. 973. B.
Antonius Corarius, Patriarcha Conſtantinopolitanus. 831. C.
I. de Talentis, Athenarum. 841. B.
II. Baliſtarius, O. M. Athenarum. 842. B.
III. de Genebreda, O. P. Athenar. *ibid.* D.
IV. de Omoſſo, O. P. Athenarum. 843. C.
V. Tubeta, O. M. Athen. 844. C.
I. Daval. 855. B.
II. Daval. 856. A.
Matuit. O. M. Scyræ. 868. A.
Cipollin. O. P. Æginæ. 869. B.
de Fario, O. M. Cithon. 872. D.
Cattaneus, Salonien. 875. C.
Cauchus, Corcyr. 881. B.
Corinthi. 888. C.
I. Agriæ in Creta inſula. 925. A.
II. Urſus, Agriæ in Creta inſula. 926. C.
I. Guidius, O. P. Arien. in Creta inſula. 932. D.
II. Mina, O. M. Arien. in Creta inſula. 934. A.
Gard, O. M. Libarien. 946. B.
I. de Duratio, O. M. Dyrrachii. 950. D.
II. Provana, Dyrrachii. 952. D.
de Alexandria, O. M. Hierapolis. 977. A.
Maria Pallavicini, Naupacti. 996. C.
de Rhegio, O. P. Buthroti. 997. D.
I. Juſtiniani, O. P. Paro-Naxiæ. 1006. B.
II. Maturi, Paro-Naxiæ. *ibid.* E.
de Marchis, O. P. Santerini. 1010. B.
I. Methon. 1034. D.
II. de Avila, O. P. Methones. 1036. C.
Antonius de Macerata, E. A. Oleni. 1043. D.
Serra, Melos. 1058. C.
Tiburtinus, O. M. Teni & Myconi. 1059. C.
I. Palavini, Chii. 1062. A.
II. Chii. *ibid.* C.
Trapezi. 1097. B.
de Levanto, O. P. Tanæ. 1111. A.
de S. Cantiano, E. A. Dionyſiopolis. 1121. B.
I. de Fremonia, O. M. Naturen. 1134. C.
II. Nicolai, Naturen. 1136. A.
de Terano, O. M. Scopien. 1140. A.
de Garay, O. M. Tamacen. 1151. C.
Tripolis, ſub Patriarcha Antiocheno. 1178. D.
Nicoſ. in Cypro inſ. 1212. E.
O. M. Paphos in Cypro inſula. 1218. C.
Sauranus, Famaguſtæ in Cypro inſula. 1221. A.
Beccus, Patr. Hieroſ. 1264. C.
Paës, Godinho in Imperio Sinarum. 1356. B.
O. P. Soltaniæ. 1366. C.
Archangelus Feni, O. P. Naſcivan in Armenia. 1413. A.
Arnaldus, *ſive* Amandus, O. P. Baccoviæ. 1118. B.
Bernardi, Patriarcha Alexandrinus. 1145. D.
de Arceto, E. A. Ceraunia in Cypro inſula. 1232. B.
O. M. Ortoſien. 1239. C.
Arnoldus Federicus, O. P. Cæſareæ ſub Nicomed. 1021. A.
de Rotenſen. O. M. Dionyſien. in Palæſt. 1309. B.
Arnulphus, Thermopyl. 847. C.
Serrarum. 1073. A.
Patriarcha Hieroſol. 1243. A. & 1247. D.
Articus Bandechinus, O. P. Venecompon. 1195. B.
Aſquetinus, Bethleem & Aſcalon. 1277. A.
Athanaſius de Claro-Monte, Patriarcha Alexandr. 1143. A.
Attardus, *vide* Aitardus.
Aubertus, Tarſi. 1182. D.
Aveſtrelli, Chii. 1066. B.
Augerius, O. M. Dyrrachii. 950. C.
Auguſtinus à Magdalena, E. A. Argol. 902. C.
de Plumbino, E. A. Andrevillæ. 1046. A.
de Caffa, O. P. Soldaiæ. 1107. A.
O. M. Laodiceæ. 1167. A.
Bagienſis, O. P. Naſcivan. 1409. E.
Auguſtus Zacco, Corcyr. 882. C.
Aymericus, Patriarcha Antioch. 1156. E.
O. M. Paphos. 1217. D.
Azarias Fridonis, O. P. Naſcivan. 1408. C.

B

B. Demetriacenſis. 983. B.
Tripolis, ſub Patriarcha Antiocheno. 1177. D.
Balduinus de Adria, Bizyæ. 975. C.
O. M. Aleppi. 1238. B.
I. Cæſareæ Palæſt. 1285. B.
II. Cæſareæ Palæſt. 1287. B.
Beryti ſub Tyro. 1325. A.
Balſarini *ſive* Bellarini, Corinth. 890. A.
Baltazar de Eredia, O. P. Ceraunia in Cypro inſula. 1232. B.
Baptiſta de Judicibus, O. P. Patrarum Veterum. 1030. E.
Barnabas de Fidelibus, O. P. Aſpaham in Perſide. 1391. A.
Bartholomæus I. de Rimbertinis, O. P. Argos. 900. C.
II. Argos. 901. D.
Averoldi, Calamonæ in Creta inſula. 921. D.
Abraham Sirigo, Arien. in Creta. 934. B.
Cardicen. 979. B.
Demetriacen. 983. B.
de Carbone *ſive* de Papazurris, O. P. Patrar. 1028. E.
I. Dominici de Senis, O. P. Coron. ſub Patris. 1040. B.
II. O. P. Coron. ſub Patris Veter. *ibid.* E.
de Giſulphis, O. M. Tripolis ſub Patr. Conſt. 1070. A.
de Caſſino, O. M. Phocææ. 1079. A.
Joannis, E. A. Trapezi. 1099. D.
Ventura, O. P. Caffæ. 1105. D.
Antaradi. 1173. D.
Mamiſtræ. 1197. B.
de Bragantia, O. P. Paphos. 1217. A.
I. Nemoſ. 1225. A.
II. Gaius, O. M. Nemoſ. 1229. A.
de Bragantia, O. P. Patr. Hieroſol. 1258. A.
Beryti ſub Tyro. 1328. A.
de Dorbato, E. A. Sareptæ. 1339. B.
I. de Caponibus, O. M. Cambalu. 1351. B.
II. Caponis de Pera. Cambalu. 1352. A.
de Abagliatis, O. P. Tauris in Perſide. 1381. D.
Parvus, O. P. Maragæ. 1393. B.
de Tibure, O. P. Dancalæ. 1413. B.
Baſilius, O. M. Tanæ. 1112. A.
Bellarini, *vide* Balſarini.
Belletus, Ciſſamiæ in Creta inſula. 927. B.
Bency, Agriæ in Creta inſula. 928. A.
Benedictus I. de Nigroponte, O. M. Andros. 861. C.
II. Andros. *ibid.* D.
Stepſius, O. P. Scyræ. 865. C.
de Paconeto, O. P. Arien. in Creta inſula. 933. D.
de Othert, O. P. *vide* Bertaldus de Oberk.
Icenus *ſive* Nordovolgicus, E. A. Cardicen. 980. B.
de Arpino, O. M. Neopatriæ. 1016. C.
I. O. P. Chii. 1063. C.
II. Garettus, Chii. 1064. C.
de Zegedino, O. M. Trajanopolis. 1096. C.
Nicolai, O. M. Laodiceæ. 1168. D.
de Adoaria, O. M. Tripolis ſub Patr. Antioch. 1178. D.
Edeſſæ. 1185. B.
I. O. Unitorum *ſive* Præd. Naſcivan. 1405. E.
II. O. V. *ſive* P. Naſcivan. 1406. A.
III. O. V. *ſive* P. Naſcivan. *ibid.* C.
Berardus, Athenar. 839. A.
Nemoſiæ in Cypro inſ. 1225. E.

Digitized by Google

Berengarius Perrinus, O. M. Æginæ. 871. C.
Bernardinus Surianus, Corcyræ. 881. C.
de Grovama, O. M. Liſſien. 956. B.
ſive Bernardus, O. P. Santerini. 1009. E.
Bernardus Flores, O. Crucifer. Agriæ in Creta inſ. 926. C.
Arcuficis, O. P. Callipol. 973. B.
ſive Bernardinus, O. P. Santerini. 1009. E.
Patrarum Veterum. 1025. E.
Patr. Antioch. 1153. A.
Arteſiæ ſub Patriarcha Antiocheno. 1189. D.
Lyddæ & Ramulæ ſub Patriarcha Hieroſ. 1272. B.
Nazareth. 1295. A.
Sidonis. 1321. A.
Cambalu in Imperio Sinarum. 1351. C.
de Gardiola, O. P. Diagorganenſis. 1377. E.
de S. Thereſia, O. C. Bagdadi. 1391. C.
Bertaldus de Oberk, O. P. Panidenſis. 968. A.
Bertoldus Volo, O. P. Senaſcopolenſis. 1415. A.
Bertraminus de Seraphinis, O. M. Agriæ in Creta inſula. 932. C.
Bertramus *ſive* Bertrandus, O. P. Tephlis. 1371. B.
Bertrandus de Inſula, O. M. Æginæ. 871. C.
Paphenſis in Cypro inſ. 1218. C.
de Alaneo, Famaguſtæ in Cypro inſula. 1221. D.
de Pagiis, O. M. Sebaſtes in Palæſtina. 1292. B.
ſive Bertramus, O. P. Tephlis. 1371. B.
Bertucius, S. Thaddæi. 1387. A.
Beſſarion, Patriarcha Conſtant. 836. C.
Blaſius, E. A. Cephaleniæ. 891. A.
de Albania, O. P. Liſſienſis. 955. B.
Berytenſis ſub Tyro. 1328. D.
Bogiſlaus Corvinus Goziewsky, Smolenſcenſis. 1140. D.
Bonacurſius de Gloire, O. P. Tyrenſis. 1320. B.
Bonifacius I. *ſive* Fatius Donoraticus, O. P. Chironenſis in Creta inſula. 915. C.
II. O. P. Chironenſis in Creta inſula. 916. C.
ſive Fatius Doronaticus, O. P. Coronenſis. 1037. E.
O. C. Venecomponen. 1195. C.
I. Soltaniæ. 1366. C. D.
II. Soltaniæ. 1368. A.
Bonjoannes, Patracenſis. 1029. A.

C

Cachana, S. Thaddæi. 1385. A.
Cæſar Bonajutti, Zacynthi. 896. B.
N. O. M. Periſtacii. 975. B.
Cæſareus, Famaguſtæ in Cypro inſula. 1219. C.
Cardinalis, Patriarcha Conſtant. 812. E.
Carolus de Vechis, Athenar. 844. C.
Juſtiniani, Chii. 1061. C.
Petrus Pancergensky, Smolenſcenſis. 1139. C.
Catharinus Barbo, O. M. Agriæ in Creta inſula. 925. C.
Chriſtianus, O. P. Patr. Ant. 1162. A.
Chriſtianus Bellemares, O. M. Seleuciæ. 1182. B.
O. P. Nemoſiæ in Cypro inſula. 1225. D.
Chriſtophorus Marcellus, Corcyr. 880. E.
Chriſtophorus Minii de Tolomæis, O. P. Sebaſt. in Palæſt. 1291. B.
Cicery, Soc. Jeſu, in Imperio Sinarum. 1356. A. B.
Clemens, Kioviæ. 1128. A.
Conradus I. Fader, O. P. Argos. 899. D.
II. Feden, O. P. Argos. 900. B.
Linden de Wecflaria, O. P. Chriſtianopolis. 906. A.
de Pregoantia, O. M. Caffenſis. 1105. C.
O. M. Abienſis ſub Patriarcha Conſtantin. 1114. D.
de Arſnberg, O. C. Venecomponenſis. 1195. D.
I. Nicoſiæ in Cypro inſ. 1210. A.
II. Caracciolus, Nicoſiæ in Cypro inſula. *ibid.* B.
de Wecfloria, O. P. Chryſopolis in Arabia. 1307. B.
Conſtantinus Juſtinianus, O. P. Ceæ. 868. D.
Zazynthi. 894. A.
Mamiſtræ. 1200. C.
Lyddæ & Ramulæ. 1272. A.
Corradus, O. M. Epheſi. 957. B.
ſive Conradus de Wecfloria, O. P. Chryſopolis. 1307. B.
O. P. Cambalienſis in Imperio Sinarum. 1350. D. E.
Coſmas, O. M. Saraënſis. 1108. B.
O. M. Cambalienſis in Imperio Sinarum. 1350. A.
Cynthius de Pinea, Tripolis ſub Patriarcha Antioch. 1177. C.
Cyrillus, O. C. Patr. Hieroſ. 1252. B.

D

Daibertus *ſive* Daimbertus, Dagobertus & Theodebertus, Patriarcha Hieroſol. 1243. A.
Daniël de Leodio, O. P. Callipol. 971. C.
I. O. C. Antaradi. 1173. A.
II. de Caſtagnolo, O. M. Antaradi. 1174. D.
de Terdona, O. M. Tarſi. 1184. B.
O. M. Boſtrorum in Arabia. 1307. A.
Dionyſius, O. M. Ceæ. 868. D.
O. M. Chironenſis in Creta inſula. 918. A.
O. M. Milopotamiæ in Creta inſula. 937. E.
Mariammes. 1193. A.
Græcus, Paphenſis. 1220. B.
Bard. O. P. Ceauniæ in Creta inſula. 1231. D.
Dominicus de Grammatica Chius, Andrenſis. 866. A.
Marengus, Scyræ. *ibid.* C.
O. P. Cephaleniæ. 892. B.
de Dominicis, O. C. Sitienſis in Creta inſula. 918. E.
Bolanus, O. P. Agriæ in Creta inſula. 926. E.
de Dominicis, O. C. Milopotamiæ. 937. C.
Hierapetræ in Creta inſ. 939. B.
Epheſi. 958. B.
Terdonenſis, O. P. Santerini. 1009. C.
de Pera, O. P. Famaguſtæ in Cypro inſula. 1222. E.
Dominicus Pulchrifili, O. P. Dionyſienſis in Arabia. 1309. B.
O. M. Cambalienſis in Imperio Sinar. 1350. D.
Maria Salvini, O. P. Naſcivan. 1414. A.
Donatus de Benevento, E. A. Neopatriæ. 1011. B.
Dorotheus, Mitylenenſis. 992. B.
Durandus Sapelli, O. M. Mariammes. 1194. A.
Nicoſiæ. 1202. A.
Bethleem & Aſcalonis. 1284. E.
de Sernino, O. C. Nazareth. 1300. C.

E

Ebremarus, Patriarcha Hieroſol. 1245. D.
Cæſareæ in Palæſtina. 1285. C.
Eduardus Nunius, O. P. Laodiceæ. 1168. E.
Elias *ſive* Helias, O. P. Patriarcha Antiochenus. 1160. E.
O. C. Redæſti. 976. A.
I. Nicoſiæ in Cypro inſ. 1203. E.
II. de Nabinallis, O. M. Nicoſiæ. 1207. E.
III. Nicoſiæ. 1211. E.
I. Patr. Hieroſolym. 1262. E.
II. de Nabinallis, O. M. Patr. Hieroſol. 1266. E.
Acconis. 1336. B.
Emericus, E. A. Camachæ. 1109. A.
Emmanuël Caranza, Scyræ. 868. B.
Longus, O. M. Beryti ſub Tyro. 1328. C.
à Jeſu Maria, Luſitanus, in Imperio Sinarum. 1356. B.
Epicius, Patr. Hieroſolym. 1257. C.
Eraclius *ſive* Eracleus, Patr. Hier. 1251. B.
Cæſareæ in Palæſtina. 1288. B.
Eraſmus Pechenger, O. M. Salonienſis. 876. B.
I. Villis, O. P. Naturen. 1134. D.
II. Naturenſis. 1135. A.
Erneſius *ſive* Erneſtus, Cæſareæ in Palæſtina. 1287. D.
Everardus *ſive* Gervaſius, Patr. Conſtantinopol. 799. B.
O. M. Sebaſtes in Armenia. 1070. B.
O. C. Ceauniæ in Cypro inſula. 1231. A.
Eugenius, E. A. Smyrnæ. 1078. B.
Euſtachius de Ancona, O. M. Naupacti. 996. B.
Euſtorgius, Nicoſiæ in Cypro inſula. 1203. C.
Tiberiadis in Palæſt. 1304. D.

F

Fabricius, Nicoſiæ in Cypro inſ. 1213. B.
Fantinus Vallareſſus, Candiæ in Creta inſula. 913. A.
Heracleæ. 965. A.
Fatius *ſive* Bonifacius Donoraticus, O. P. Chironenſis in Creta inſula. 915. C.
Coronenſis ſub Patrac. 1037. E.
Fauſtinus de Richettis, O. P. Megaræ. 851. B.
Ferdinandus Vaqueïrus, O. M. Aurelipolis. 962. A.
Florentius, Acconis. 1335. D.
Folkerus, Bybli. 1180. B.
Franchionus Secretus, O. M. Arienſis in Creta inſula. 932. B.
O. M. Milopotamiæ in Creta inſula. 937. D.
Franciſchinus, O. Ciſt. Athenarum. 841. B.

Digitized by Google

Franciſchinus, Selymbriæ. 969. D.
Famaguſtæ. 1224. A.
Franciſcus I. Landus ſive Laudus, Patriarcha Conſtant. 832. C.
II. Condulmerius, Patr. Conſtantinopolit. 834. B.
Franciſcus, O. M. Athenar. 841. B.
Megaræ. 851. C.
Coroneæ ſub Athenis. 860. A.
I. Andrenſis. 861. D.
II. Bertinus, Andrenſis. 863. E.
Marturanus, O. M. Scyræ. 865. B.
I. Andreæ, O. M. Ceæ. 867. D.
II. Ceæ. *ibid.*
III. O. M. Ceæ. 868. C.
de Maſſa, O. M. Corinthi. 888. A.
Argos. 900. B.
I. Michaëlius, Candiæ in Creta inſula. 909. D.
II. Quirinus, Candiæ. 910. E.
III. Candiæ. 912. B.
Pavono, Chironenſis in Creta inſula. 917. B.
de Molendina, O. M. Agienſis in Creta inſula. 926. E.
O. M. Cantiæ in Creta inſula. 929. D.
O. C. Arienſis in Creta inſula. 931. B.
Milopotamiæ in Creta. 937. D.
Hierapetræ in Creta. 950. A.
I. de S. Georgio, O. P. Selymbriæ. 968. C.
II. de Sancto Patre, O. M. Selymbriæ. 969. B.
Miſini. 971. A.
Angurienſis. 977. B.
Nazoreſcæ. 987. B.
Buthroti. 997. B.
Nicopolis. 999. D.
Piſani, Paro-Naxienſis. 1006. C.
Neopatriæ. 1014. C.
Savoloca, Patracenſis. 1027. B.
de Franciſcis, Methon. 1035. B.
I. de Luca, Coronenſis ſub Patracen. 1038. C.
II. Coronenſis. 1040. B.
Melos 1057. B.
de Domoſſole, O. M. Sardium. 1068. A.
de Monte-Granellio, O. M. Smyrnæ. 1078. A.
Tanenſis. 1112. A.
O. P. Voſpri ſive Boſpori. 1111. C.
Augurienſis. 1117. A.
Suarez de Villegas, O. C. Cairi. 1150. C.
Contarenus, Paphenſis in Cypro inſula. 1220. A.
de Perniſiis de Vicheria, O. M. Famaguſtæ. 1223. A.
I. Varo, O. P. in Imperio Sinarum. 1355. D.
II. à Purific. E. A. in Imperio Sinarum. 1356. C.
Sudenſis ſive Sunenſis. 1379. B.
Cinquinus, O. P. Tauriſienſis. 1384. A.
de Tauris, O. P. Naſcivanenſis. 1404. B.
Franco, Hierapolis ſub Patr. Antiocheno. 1193. B.
Francus Peruſinus, O. P. Soltanienſis. 1361. A.
Fredericus Mons, O. M. Epheſi. 958. B.
Fredericus de Reterſbeck, O. M. Scopienſis. 1139. A.
Tyri. 1313. D.
Acconis. 1329. C.
Fulcherus ſive Fulcherius, Patr. Hieroſolymitanus. 1250. A.
Tyri. 1312. A.
Fulco, Nemoſiæ in Cypro inſ. 1223. D.
G
G. vel Theodoricus Fabri. Actonenſis. 1001. C.
Gabriel de Gabriellis, Methon. 1035. D.
Gailhardus de Urſi-Saltu, O. P. Bethleem & Aſcalon. 1282. B.
Galeſius, Cæſareæ Cappadociæ. 877. B.
Nicoſiæ in Cypro inſ. 1211. A.
Garterus de Argentina, O. P. Præconneſi. 945. C.
Garzias de Martinis, O. P. Bybli. 1179. C.
Gaudentius, Cæſareæ in Palæſt. 1287. B.
Gaufridus, Tripolis ſub Patr. Antiocheno. 1176. B.
Anglus, O. P. Hebron. 1269. C.
Georgius, Patriarcha Conſtant. 820. B.
ſive Gregorius de Cadolſino, O. P. Corcyræ. 880. B.
Minotti, Sitienſis in Creta inſula. 920. B.
Panduſius, O. P. Priſcæ. 953. B.
Liſſienſis. 955. C.
de Argentina, O. P. Dimitrienſis. 959. B.
O. M. Sebaſtes in Armenia. 1072. B.
Famaguſtæ in Cypro inſula. 1221. D.
de Regibus, O. M. Senaſcopolenſis. 1416. A.
Geraldus, O. M. Patriarcha Antiochenus. 1164. A.
Gerardus, O. M. Salonienſis. 874. C.
Chriſtianopolis. 905. A.
E. A. Arienſis in Creta inſula. 931. C.
O. M. Hierapolis in patriarchatu Conſtantin. 939. A.
O. P. Rutenorum. 1137. B.
Laodiceæ. 1165. A.
Tripolis ſub patriarchatu Antiocheno. 1175. A.
Coryci ſub patriarchatu Antiocheno. 1197. A.
Nicoſiæ in Cypro inſ. 1206. E.
I. ſive Geraldus, Bethleem & Aſcalonis. 1278. C.
II. ſive Jagardus, O. P. Bethleem & Aſcalonis. 1283. C.
III. de Giſors, Bethleem & Aſcalonis. *ibid.* E.
O. M. Cataïæ. 1357. A. B.
de Monte-Peſſulano, O. P. Diatagerenſis. 1387. D.
Gerlacus, Melos. 1056. C.
Gildehuiſen, O. P. Hierapolis ſub Patr. Conſt. 1123. B.
Gervaſius ſive Everardus, Patriarcha Conſtant. 799. B.
Gibelinus, Patriarcha Hieroſol. 1245. D.
Gifredus, Caffenſis. 1106. A.
Gilibertus, Amyclarum. 1031. B.
Giroldus ſive Giraldus, Patriarcha Hieroſolymit. 1255. E.
Godefridus de Perfectis, Bethleem & Aſcalonis. 1280. E.
Gormundus, Patr. Hieroſol. 1248. C.
Goſwinus, O. C. Hierapolis ſub patriarchatu Conſt. 1124. C.
Gothus, Senaſcopolenſis. 1415. A.
Gotius ſive Goctius & Goïſius, Patr. Conſtantinopol. 813. B.
Gozzadinus, Zacynthi. 894. C.
Milopotamiæ in Creta. 938. E.
Gratiadeus, Megaræ. 851. A.
Gregorius, Patr. Conſtantin. 834. D.
E. A. Cithoniæ. 872. D.
ſive Georgius de Cadolfino, O. P. Corcyræ. 880. B.
Cephaleniæ. 891. C.
Croïæ. 955. A.
Rogerius de Arella, Selymbriæ. 969. D.
Caſella ſive Caſtagnola, O. P. Melos. 1057. D.
de Corſanego de Pera, E. A. Trapezi. 1100. D.
Lopez, O. P. in Imperio Sinarum. 1354. A.
Armenus, O. P. Naſcivanenſis. 1406. B.
Gualcherus ſive Gualterus, Negroponti. 847. A.
Gualo, Dimicenſis. 981. B.
Gualterinus de Sarrezana, O. M. Acconis. 1336. C.
Gualterus ſive Gualcherus, Negroponti. 847. A.
Corinthi. 884. C.
O. P. Gabalæ ſub Patr. Antiocheno. 1170. B.
ſive Lotharius, Patriarcha Hieroſolymorum. 1255. A.
I. Acconis. 1332. E.
II. Acconis. 1335. C. D.
de Polema, O. M. Sudenſis ſive Sunenſis. 1379. B.
Gualtranus ſive Wallerannus, Beryti ſub Tyro. 1327. C. D.
Guarchi, Santerini. 1010. E.
Guarinus, Theſſalonicenſis. 1092. E.
Veriſienſis. 1101. A.
Guerricus, Petræ in Arabia. 1305. A.
Guido Brunellus, O. P. Nicoſiæ in Cypro inſula. 1215. C.
de Ybelino, Famaguſtæ in Cypro inſula. 1220. C.
ſive Robertus, Patr. Hieroſolymorum. 1256. E.
de Soliaco, O. P. qui non fuit Patr. Hieroſol. 1262. B.
Joppes ſub Patr. Hier. 1291. C.
ſive Yvo, O. P. Nazareth. 1299. B.
Guillelmus I. Puſtrella ſive Puſterlius, Patr. Conſtantinop. 820. B.
II. Patr. Conſtantinop. 822. B.
III. Patr. Conſtantinop. 828. B.
Andrenſis. 862. B.
I. de Morbeka, O. P. Corinthi. 886. B.
II. Corinthi. 887. D.
Cephaleniæ. 891. C.
I. Mauracocchius, O. M. Ciſſamiæ in Creta inſula. 927. B.
II. Emergavi, O. M. Ciſſamiæ. 928. C.
de Neapoli, O. C. Dyrrachii. 951. D.
O. M. Sozopolis. 961. C.
Demetriacenſis. 984. A.
O. M. Patracenſis. 1027. C.
de Pontoiſe, O. Clun. Oleni. 1041. C.
ſive Willelmus, Philipporum. 1045. B.
Rhodi ſive Coloſſenſis. 1051. B.
I. Alboni, O. M. Nizeriæ. 1053. C.
II. Nizeriæ. *ibid.* D.

Digitized by Google

Guillelmus III. Capellerii, E. A. Nizeriæ. 1054. C.
deTurin, O. P. Hierapol. 1125. A.
de Chanac, Patr. Alex. 1145. B.
ſive Willelmus, Gabalæ. 1169. A.
O. P. Antaradi. 1172. B.
ſive Willelmus, O. P. Tripolis. 1176. D.
ſive Willelmus, Albariæ. 1192. B.
Gones, E. A. Nicoſiæ in Cypro inſula. 1213. C.
E. A. Paphenſis in Cypro inſula. 1218. E.
O. C. Nemoſ. in Cypro. 1127. B.
I. ſive Willelmus, Tyri. 1311. C.
II. ſive Willelmus, Tyri. 1314. C.
ſive Willelmus, Beryti. 1326. A.
I. ſive Willelmus, Accon. 1229. D.
II. Acconis. 1336. A.
ſive Willelmus Belits, O. P. Soltaniæ. 1367. A.
ſive Willelmus de Wildenholtcz, O. M. Salmaſæ. 1383. C.
I. ſive Willelmus Belga, Patriarcha Hieroſol. 1249. D.
II. Patriarcha Hieroſol. 1260. A.
III. Patriarcha Hieroſol. 1267. B.
IV. Patriarcha Hieroſol. 1268. D.
Lyddæ & Ramulæ. 1274. E.
de Valen ſive de Valone, Bethleem & Aſcal. 1285. A.
I. ſive Willelmus, Nazareth. 1295. B.
II. de S. Joanne, O. Templi Hieroſ. Nazareth. 1299. D.
III. Belvaiſius, O. M. Nazareth. 1300. D.
I. Tiberiadis. 1304. D.
II. Tiberiadis. *ibid.*
Pratenſis, O. M. Cambalienſis. 1350. A. B.
Adæ, O. P. Soltanien. 1364. C.
de Cigiis, O. P. Tauriſienſis. 1379. C.
Gallus, O. P. Ochiæ in Japonia. 1413. C.
Gundiſalvus de Curiola, O. P. Angurienſis. 977. B.
Augurienſis. 1117. A.
Gutterius de Quinones, O. P. Libarienſis. 945. A.

H

H. Corinthi. 883. A.
Bybli. 1177. E.
Haymo, Lacedæmonis. 903. A.
Coroneæ ſub Patracen. 1037. D.
Hector, Neæ *ſive* Nio. 1135. B.
Helias, *vide* Elias.
Henricus, Patriarcha Conſtant. 816. C.
I. Cæſareæ in Cappadocia. 877. A.
II. Kaltyſen, O. P. Cæſareæ. 878. A.
de Villacolor, O. M. Chriſtianopolis. 906. A.
Juvenis, O. C. Redæſti. 975. A.
de Apoldia, O. M. Lavatenſis. 1016. D.
Melos. 1056. B.
Woggherſin, E. A. Sebaſtes in Armen. 1071. B.
I. Ruſii. 1098. A.
II. Ringourt, O. M. Ruſii. *ibid.*
O. M. Tanenſis. 1110. C.
Dacus, O. P. Kioviæ. 1125. B.
de Brommelsheim, O. C. Aſcartan. 1134. B.
Rutenorum. 1138. B.
Cyrenen. ſub patr. Alex. 1151. C.
de Henreberch, O. P. Gabalæ. 1170. C.
Henricus de Rubenach, O. P. Venecomponenſis. 1196. D.
I. Nazareth. 1298. B.
II. Nazareth. *ibid.* E.
I. Tephlis. 1372. B.
II. Wonſt, O. M. Tephlis. *ibid.*
de Praga, O. P. Salmaſæ. 1384. D.
Herbertus, Tiberiadenſis. 1301. A.
Hermannus, Naupacti. 996. B.
Nicopolis. 1000. C.
Buiburonde, O. M. Acton. *ibid.*
Wolſt, O. P. Chriſtop. 1049. B.
de Gherden, O. P. Citri. 1096. B.
Scopienſis. 1139. A.
Hieremias Coutugius, Ceraunenſis in Cypro inſula. 1232. A.
Hieronymus Landus, Candiæ in Creta inſula. 913. E.
Ciſſamiæ, ſuo loco omiſſus. 1224. C.
Callipolis. 974. A.
Gaduanus. Santerini. 1010. D.
I. de Camulio, O. M. Chii. 1062. C.
II. Viginus, O. M. Chii. 1063. D.
III. Juſtiniani, O. P. Chii. 1064. C.
I. O. M. Caffenſis. 1103. B.
II. de Genua, O. P. Caffenſis. 1106. A.
Clavigo, O. P. Neæ *ſive* Nio. 1136. C.
Ragazzonus, Famaguſtæ in Cypro inſula. 1224. C.
O. M. in Tartaria. 1348. C.
Apoſtata, S. Thaddæi. 1387. B.
Hilarius, Corcyræ. 880. B.
Hippolytus Arivabenus, Hierapetræ in Creta inſula. 940. B.
Hughectus de Valentia, O. P. Mitylenes. 992. A.
Hugo Rethut, O. P. Corinthi. 888. E.
de Stenheim, O. P. Nicopolis. 1001. A.
de Robertis de Tripoli, Patriarcha Alexandrinus. 1146. E.
Gabalæ. 1169. B.
Edeſſæ. 1186. C.
I. Nicoſiæ in Cypro inſ. 1204. E.
II. Luſignanus, Nicoſiæ. 1210. E.
I. O. P. Bethleem & Aſcalonis. 1282. D.
II. O. P. Bethleem & Aſcal. 1284. D.
de Tabaria, Tiberiaden. 1301. A.
Humbertus *ſive* Imbertus Delphinus, O. P. Patr. Alexand. 1195. C.
de Romanis, O. P. Patriarcha Hieroſol. 1259. C.
Hyacinthus Maria Conigli, O. P. Zacynthi. 894. D.
Subianus, O. P. Smyrnæ. 1078. D.
Macripodanus, O. P. Scopienſis. 1140. A.

I

J. Neopatriæ. 1013. A.
Lyddæ & Ramulæ. 1273. D.
Cæſareæ in Palæſtina. 1290. B.
Paneadis ſub Patr. Hieroſolymorum. 1338. A.
Jacobus Campanus, Patr. Conſt. 826. E.
de Urbe, E. A. Andren. 861. D.
della Rocha, Ceæ *ſive* Ceos. 870. A.
Cauchus, Corcyræ. 881. A.
Corinthi. 887. E.
I. Petrus de Pigalordis, O. P. Argos. 899. C.
II. Richei, O. P. Argos. 902. B.
O. P. Lacedæmonis. 904. A.
E. A. Maynæ. 904. D.
Jacobus Agienſis *ſive* Agriæ in Creta inſula. 923. D.
Ciſſamiæ in Creta inſ. 929. C.
I. de Ponto, O. M. Milopotamiæ in Creta inſula. 936. E.
II. Suretus, Milopotamiæ in Creta inſula. 938. B.
N. O. M. Badicenſis in Creta inſula. 940. B.
Adrimitanus. 944. B.
Libarienſis. 943. C.
de Bononia, E. A. Panidenſis. 966. B.
de Florentia, O. M. Thebarum Zitonis. 990. A.
de Cupis, Paro-Naxien. 1005. D.
Calataud, O. P. Santer. 1009. D.
Chalcedonis. 1020. B.
Fulginas, O. P. Methonenſis. 1035. C.
I. Navellus, O. P. Melos. 1055. B.
II. Melos. 1057. A.
I. Gudrigetti de Lavazola, O. P. Teni & Myconi. 1059. C.
II. O. M. Teni & Myconi. 1060. B.
Sardium. 1067. A.
Thebarum. 1088. A.
O. P. Caffenſis. 1106. B.
de Ponteturno, O. M. Lucucenſis. 1113. C.
Goreſchi, O. P. Baccov. 1117. C.
O. P. Kioviæ. 1127. B.
de Bruna, Moſcoviæ. 1132. B.
Wenmers, O. C. Cairi. 1149. C.
I. de Weſep, O. P. Bybli ſub Tyro. 1180. A.
II. de La, O. P. Bybli. *ibid.* B.
III. de Weſp, O. P. Bybli. *ibid.* C.
de Cluſio, O. P. Tarſi. 1185. A.
Nicoſiæ in Cypro inſ. 1211. E.
I. Paphenſis in Cypro. 1217. D.
II. Paphenſis. 1219. A.
O. P. Famaguſtæ in Cypro inſula. 1222. D.
I. de Vitriaco, Patriarcha Hieroſolymorum. 1256. E.
II. Pantaleon, Patr. Hieroſ. 1257. D.
de Mileto, O. P. Sebaſtes in Palæſtina. 1290. E.
Beryti ſub Tyro. 1328. D.
de Vitriaco, Acconis. 1333. A.
de Ockembroche, O. P. Sareptæ. 1339. B.
O. P. Cambalienſis. 1350. E.
de Grangia, O. P. in Imperio Sinarum. 1353. B.
Sottoripa, O. M. Cataiæ. 1360. B.
Jagardus, O. P. Bethleem & Aſcal. 1283. C.
Jeraſimus Græcus, Ceraunıæ in Cypro inſula. 1232. D.
Ignatius Coſolendi, in Imperio Sinarum. 1353. C.
Imbertus, Amyclarum. 1031. B.
ſive Humbertus Delphinus, O. P. Patr. Alex. 1195. C.
Inguerandus Sugnart, O. P. Selymbriæ. 970. E.
Jo. Methonenſis. 1031. C.
Joannes I. de Abbatiſvilla, Patr. Conſtantinop. 803. E.
II. Patriarcha Conſtantin. 833. A.
III. de Rupeſciſſa, Patriarcha Conſtantin. *ibid.* B.
IV. Patriarcha Conſtantin. 834. D.
O. M. Athenarum. 842. B.
I. de Hemburg, O. M. Thermopylarum. 849. C.
II. Thermopylarum. 850. B.

Digitized by Google

Joannes III. Thermopylarum. 850. C.
Megaræ. 851. D.
E. A. Davaliæ. 856. B.
de S. Catharina, O. C. Andrenſis. 861. B.
I. Michaël de Curtis Cucuzza, O. C. Scyræ. 867. A.
II. Franciſcus Boſſi, Scyræ. *ibid.* B.
I. Æginæ. 870. C.
II. Æginæ. 872. C.
I. E. A. Salonienſis. 874. B.
II. Salonienſis. *ibid.* C.
III. Stanterbich, Salonienſis. 875. A.
IV. Freyn, O. M. Salonienſis. *ibid.*
V. O. M. Salonienſis. *ibid.* B.
VI. Salonienſis. 876. A.
Reonenſis. *ibid.* D.
Fabri, O. C. Cæſareæ in Cappadocia. 877. B.
I. de Porta, Corcyræ. 879. B.
II. de Aurelia, Corcyræ. *ibid.* D.
III. Petrus Fortiguerrus, Corcyræ. 881. B.
Petrus, Corinthi. 888. D.
I. Petrus. Cephaleniæ. 891. B.
II. Cephaleniæ. 892. C.
I. Zacynthi. 893. B.
II. Antonius Scardameti, O. M. Zacynthi. *ibid.*
III. Franciſcus Commendonus, Zacynthi. *ibid.* C.
IV. Petrus Delphinus, Canon. Reg. Zacynthi. *ibid.* D.
V. Roſſi, Zacynthi. 894. B.
VI. Chryſoſtomus, Zacynthi. 895. C.
Argos. 899. C.
O. P. Lacedæmonis. 904. B.
Coctor, O. M. Chriſtianopolis. 905. A.
Quirinus, Candiæ in Creta inſula. 907. A.
I. Chironenſis in Creta inſ. 916. D.
II. Franciſcus Verdura, Chironenſis. 918. C.
I. de Clavaxio, O. M. Sitienſis in Creta inſula. 917. D.
II. de Senis, O. P. Sitienſis. *ibid.* E.
III. Sitienſis. 920. A.
Ciſſamiæ in Creta inſ. 928. C.
I. de Chorono, O. P. Arienſis in Creta inſula. 933. A.
II. de Vanno, O. M. Arienſis. *ibid.* C.
Quirinus, O. M. Hierapetræ in Creta inſula. 940. A.
I. Heyterbach, O. P. Adrimitanus. 943. B.
II. Welmechier, O. M. Adrimitanus. 944. B.
I. de Quinque-Eccleſiis, E. A. Libarienſis. 943. C.
II. de Derteren, O. M. Libarienſis. 944. C.
III. O. M. Libarienſis. *ibid.*
I. Bonifacii de Panella, Dyrrachii. 951. E.
II. de Duratio, O. P. Dyrrachii. *ibid.*
I. de Conſtantia, O. P. Scopeli. 963. B.
II. de Limengaublie, O. P. Scopeli. 964. C.
Panidenſis. 967. A.
Selymbriæ. 969. B.
Tidelu, O. P. Miſini. 972. A.
I. de Cocedorio, O. P. Callipolis. 974. A.
II. Kiperia, O. P. Callipolis. *ibid.* B.
I. de Portiaco, O. M. Demetriacenſis. 984. A.
Joannes II. de Quemada, O. M. Demetriacenſis. 9 4. B.
I. Sidonienſis ſub patriarchatu Conſtantinopol. 986. A.
II. Bratianus, O. M. Sidonienſis. *ibid.* B.
Fanelli, O. P. Nazoreſcæ. 988. B.
Mitylenes. 991. A.
de Falconeio, O. M. Berratinenſis. 994. C.
Naupacti. 996. A.
Cecchi Offidanus, O. M. Nicopolis. 999. D.
I. O. P. Paro-Naxienſis. 1005. B.
II. Franciſcus Boſſi, Paro-Naxienſis. 1008. C.
I. Santerini. 1007. D.
II. de Nardo, O. P. Santerini. 1008. D.
Neopacenſis. 1012. B.
I. Ruis, E. A. Neopatriæ. 1015. B.
II. O. M. Neopatriæ. 1016. B.
Lavatenſis. 1015. D.
de Villa-Vezzoza, Cæſar. 1021. C.
I. Urſinus, Patracenſis. 1028. D.
II. de Placentinis, Patracen. 1029. C.
III. Baptiſta de Judicibus, O. P. Patracenſis. 1030. E.
I. Coronenſis ſub Patrac. 1039. A.
II. Raokcus, O. M. Coronenſis. *ibid.* C.
O. Ciſt. Oleni. 1043. B.
Tolonus, O. M. Andrevillæ. 1045. A.
I. Zacous, O. M. Chriſtopolis. 1049. B.
II. Chriſtopolis. 1050. B.
Fardinas, O. P. Rhodi. 1051. C.
I. Nizeriæ. 1053. C.
II. O. P. Nizeriæ. 1054. D.
I. de Medicis, O. M. Melos. 1056 C.
II. Boteſach, O. P. Melos. *ibid.*
III. Melos. *ibid.* D.
IV. Petrus Ferettus, Melos. 1057. C.
Teni & Myconi. 1059. B.
Baptitus, Chii. 1061. B.
I. Sebaſtes in Armenia. 1070. B.
II. à S. Facundo, O. M. Sebaſt. *ibid.* C.
Sebaſtopolis. 1072. C.
Beriſſes. 1071. D.
Leyceſter, O. C. Smyrnæ. 1077. D.
I. O. C. Phocææ. 1079. B.
II. Rubeus, Phocææ. *ibid.* C.
de Pontremulo, O. M. Thebarum. 1088. A.
Citri. 1096. B.
Carnutenſis, O. P. Ruſii. 1097. A.
Mundel, O. M. Trapezi. 1099. D.
I. de Rothomago, O. P. Caffenſis. 1103. A. & 1381. A.
II. O. M. Caffenſis. 1105. C.
Camachæ. 1110. A.
Symbolienſis *ſive* Sibulæ. 1109. B.
O. M. Matrigenſis. 1113. A.
O. M. Ajacienſis. 1115. A.
Robillerius, O. P. Avenetenſis. *ibid.* C.
I. Baptiſta Zamoysky, O. P. Baccoviæ. 1117. B.
II. Franciſcus Louzony, Baccoviæ. 1118. B.
III. Damaſcenus Lubiensky, O. P. Baccoviæ. *ibid.*
I. Cereti. 1119. C.
II. Sartorius Rutenus, O. P. Cereti. *ibid.* D.
Joannes III. O. M. Cereti. 1120. C.
IV. Roſa, O. P. Cereti. *ibid.* D.
I. Dionyſiopolis. 1121. B.
II. de Ilten, O. P. Dionyſiopolis. 1122. B.
I. Dimitacenſis. 1123. A.
II. O. M. Dimitacenſis. 1124. A.
I. Hierapolis ſub patriarchatu Conſtantinopol. 1123. B.
II. Hierapolis. 1124. B.
I. O. P. Kioviæ. 1127. E.
II. Tarlot, Kioviæ. 1130. C.
I. E. A. Naturenſis. 1134. D.
II. Naturenſis. 1135. A.
III. Fabri, O. M. Naturenſis. *ibid.*
IV. Joannis, O. M. Natur. 1136. A.
V. Naturenſis. *ibid.*
de Strans, O. M. Pergetenſis. 1137. A.
Hoppe, O. P. Rutenor. 1138. C.
Scopienſis. 1139. A.
I. Patriarcha Alexandr. 1144. B.
II. Patriarcha Alexandr. 1145. E.
I. Spenner, O. M. Cyrenenſis ſub Patr. Alexandr. 1151. C.
II. de Beerſel, O. M. Cyrenenſis. 1152. B.
III. Petrus Fortiguerra, Cyrenenſis. *ibid.* C.
Tripolis ſub patriarchatu Antiocheno. 1178. B.
I. Tarſi. 1184. A.
II. O. M. Tarſi. *ibid.* D.
III. Tarſi. *ibid.*
IV. Tarſi. *ibid.* E.
I. Faber, O. M. Lariſſæ ſub Patr. Antioch. 1191. D.
II. Lariſſæ. 1192. D.
Slethter, O. M. Venecomponenſis. 1196. C.
I. O. M. Nicoſiæ in Cypro inſula. 1206. D.
II. de Polo de Provincialibus, O. P. Nicoſiæ. 1207. B.
III. Nicoſiæ. 1212. E.
Paphenſis in Cypro inſ. 1218. C.
O. M. Famaguſtæ in Cypro inſula. 1221. E.
de Ryſterſcheyt, O. P. Ceranniæ in Cypro inſ. 1231. B.
de Monteſono, O. M. Abienſis ſub Patr. Ant. 1238. A.
Lupi, O. C. Conſtantiæ ſub patriarchatu Ant. 1239. A.
de Vercellis, O. P. Patriarcha Hieroſol. 1262. C.
Celli de Tuderto, O. P. Lyddæ. 1276. B.
I. de Heglesckliff, Anglus, O. P. Bethleem & Aſc. 1284. A.
II. Salvutius, O. M. Bethleem & Aſcalonis. *ibid.* E.
III. de Genence Flander, O. P. Bethleem & Aſcal. 1286. A.
de S. Martino, O. C. Joppes. 1292. E.
I. Salamonius, O. P. Nazareth. 1300. D.
II. de Urbe, Nazareth. *ibid.* E.
I. Le Tellier, O. C. Dionyſienſis in Arabia. 1309. A.
II. Dionyſienſis. 1310. A.
III. Ermannus, O. P. Dionyſienſis. *ibid.* B.
è S. Meſſano *ſive* Maxentio, O. P. Tyri. 1320. A.
Beryti ſub Tyro. 1325. C. D.
I. Acconis. 1329. A.

Joannes II. Acconis. 1332. B.
III. de Prunio, Acconis. 1334. A.
Paneadis *ſive* Cæſareæ Philippi. 1337. C.
I. de Monte Corvino, O. M. Cambalienſis. 1345. A.
II. Pelletz, O. M. Cambalienſis. 1351. C.
I. deCore, O. P. Soltaniæ. 1365. B.
II. O. P. Soltaniæ. 1366. D.
III. O. P. Soltaniæ. 1367. C.
Grenlaw, O. M. Soltaniæ. 1368. A.
IV. O. Unitorum, Soltaniæ. *ibid.* B.
I. è Florentia, O. P. Tephlis. 1369. A.
II. Iminch, E. A. Tephlis. 1372. B.
de Medina, O. M. Sudenſis *ſive* Sunenſis. 1380. B.
de Rothomago, O. P. Tauriſienſis. 1381. E.
Baptiſta de Inſula, O. P. S. Thaddæi. 1387. A.
Thaddæus, O. C. Aſpahamenſis in Perſide. 1389. B.
I. O. P. Naſcivanenſis ſub Imperio Perſarum. 1404. B.
II. O. P. Naſcivanenſis. *ibid.* C.
III. Lycens, O. P. Naſcivanenſis. 1405. A.
IV. Simonis, O. P. Naſcivanenſis. *ibid.* D.
V. Baptiſta, O. Unitorum *ſive* Præd. Naſcivan. *ibid.* E.
VI. Vincentius Caſtelli, O. P. Naſcivanenſis. 1412. E.
Senaſcopolenſis. 1416. A.
Joannikius Græcus, Larnicenſis in Cypro inſula. 1232. D.
Job de Macho, O. P. S. Thaddæi. 1387. B.
Jordanus de Miramonte, O. P. Ceauniæ in Cypro inſ. 1229. E.
Catalani, O. P. Columbenſis. 1371. D.
Joricus *ſive* Joſcius aut Joſephus, Tyri. 1316. A. B.
Acconis. 1331. C.
Joſephus Caccia, O. M. Zacynthi. 896. A.
de Montanaris, O. M. Paro-Naxienſis. 1000. C.
ſive Joricus aut Joſcius. Tyri. 1316. A. B.
Cambalienſis. 1350. D.
Iſidorus, Patriarcha Conſtant. 834. D.
Corcyræ. 880. D.
Nicoſiæ in Cypro inſ. 1212. D.
Iſnardus Tacconus, O. P. Thebar. 1084. B.
Patriarcha Antioch. 1163. A.
Iſraël, O. P. Coronenſis ſub Patracenſi. 1038. D.
Iterius de Nabinallis, O. M. Antaradi. 1174. C.
Famaguſtæ in Cypro. 1221. C.
Nemoſiæ in Cypro. 1228. B.
Judocus Bar, O. P. Hierapolis ſub Patr. Conſtantin. 1123. C.
Julianus *ſive* Julius Stamiranus, O. P. Megaræ. 853. B.
Calamonæ in Creta inſ. 921. C.
Angeli *ſive* de Angelis, O. P. Hierapetræ. 939. B.
Cardicenſis. 980. C.
Hectoris, O. M. Tarſi. 1184. D.
Armenus, O. P. Nicoſiæ in Cypro inſ. 1216. B.
Julius *ſive* Julianus Stamiranus, O. P. Megaræ. 853. B.
Corinthi. 889. B.
Junelli, O. S. Bened. Zacynthi. 895. B.
Ivo *ſive* Yvo Nerocii de Senis, O. P. Nicopolis. 999. E.
ſive Yvo & Guido, O. P. Nazareth. 1299. B.

K

Kenardus de Villaco, O. P. Tephlis. 1371. C.

L

La, Tripolis ſub Patr. Ant. 1175. C.
Apameæ. 1188. C.
Labia, Corcyræ 881. E.
Ladiſlaus, Trajanopolis. 1095. C.
Lambertinus, Nemoſiæ in Cypro inſula. 1227. E.
Lambertus *ſive* Lombardus & Leonardus de Solis, O. M. Andrenſis. 863. A.
Laurentius Alphonſi, E. A. Megaræ. 851. D.
O. P. Methonenſis. 1034. D.
Lazarinus, O. M. Buthroti. 997. C.
Lazarus, Arienſis in Creta inſ. 931. A.
à Chriſto ſuſcitatus, is non fuit epiſcopus in Cypro inſula. 1231. 1232. & 1339. 1340. *Monit.*
Leo de Naxia, O. M. Sitienſis in Creta inſula. 920. B.
Calamonæ in Creta inſ. 921. A.
Leodegarius, Nemoſiæ in Cypro inſula. 1228. C.
Leonardus, Patriarcha Conſtant. 810. C.
I. Candiæ in Creta inſula. 907. C.
II. Delphinus, Candiæ. 912. A.
I. O. P. Mitylenes. 992. B.
II. Mitylenes. 993. C.
Nicopolis. 999. B.
Patraſſus, Methonenſis. 1033. B.
de Baleſtrinis, O. M. Rhodi. 1054. A.
Palavicinus, Chii. 1062. B.
Delphinus, Patriarcha Alexandrinus. 1146. D.
Cambalienſis in Imperio Sinarum. 1351. B.
Leontius, Agathopolis. 963. D.
Letardus *ſive* Lotardus *aut* Leotardus, Nazareth. 1296. A.
Libertus de Bræhun, O. M. Beriſſes. 1072. D.
Lociamus, Cæſareæ in Palæſt. 1290. C.
Lombardus *ſive* Lambertus de Salis, O. M. Andrenſis. 863. A.
Lotharius *ſive* Gualterus, Patriarcha Hieroſolymitanus. 1255. A.
Lucas Stella, Candiæ in Creta inſ. 916. A.
Agienſis *ſive* Agriæ in Creta inſula. 926. A.
Stella, Milopotamiæ in Creta inſula. 938. C.
O. Servitar. Cardicenſis. 980. C.
Nicopolis. 999. A.
Manellus, O. P. Zichnarum. 1073. B.
Luchinus, O. M. Neopatriæ. 1016. C.
Lucianus, Antaradi. 1174. D
Famaguſtæ in Cypro. 1221. E.
Ludovicus Alliottus, Athenarum. 842. E.
Galteri, O. P. Thermop. 850. C.
ſive Aloyſius, Agriæ in Creta inſula. 926. E.
de Martinis, O. P. Arienſis in Creta inſula. 934. C.
Bianchus, O. M. Dyrrachii. 952. D.
O. M. Sidonienſis ſub patriarchatu Conſtant. 986. A.
I. Maurocenus, Methon. 1034. D.
Ludovicus II. Longus, O. P. Methonenſis. 1035. D.
I. Coronenſis ſub Patrac. 1039. C.
II. *ſive* Aloyſius de Apera, Coronenſis. 1042. A.
E. A. Chii. 1062. B.
de Foro, O. P. Phoceæ. 1080. A.
I. de Urbe Veteri, O. M. Theſſalonicæ. 1094. C.
II. Bonetus, Theſſalonicæ. *ibid.* D.
Soldaïæ. 1107. A.
Combonet, O. P. Avenetenſis. 1116. C.
Podocator *ſive* Podocharius, Nicoſiæ. 1214. A.
Diocæſareæ. 1239. B.
Hebronenſis ſub Patr. Hieroſol. 1270. C.
Acconen. ſub Tyro. 1336. C. D.
Placidus du Chemin, Bagdadi. 1392. C.
Lugara Græcus, Ceauniæ in Cypro inſula. 1232. C.
Luinus Brunſtorp, O. P. Dionyſienſis in Arabia. 1310. B.

M

M. Dyrrachii. 949. A.
Mainardus, Beryti ſub Tyro. 1326. B.
Mammimetrus, Hebronenſis ſub patriarchatu Hieroſol. 1270. C.
Manfredus, O. M. Chii. 1061. A.
Marchio *ſive* Franciſcus de Vuſſen, O. M. Callipol. 972. C.
Marcus I. Contarenus, O. C. Corcyræ. 879. E.
II. Antonius Barbarigo, Corcyræ. 881. E.
Agienſis *ſive* Agriæ in Creta inſula. 925. C.
Laureus, O. P. Santer. 1009. D.
Methonenſis. 1035. D.
Cataneo, O. P. Rhodi. 1054. B.
Stella, O. P. Melos. 1057. A.
I. de Palmerio, O. P. Teni & Myconi. 1059. C.
II. Sclavus de Candia, O. M. Teni & Myconi. 1060. C.
Juſtinianus Maſſonus, O. P. Chii. 1064. D.
Viarum, O. M. Trapez. 1100. D.
Antaradi. 1174. B.
Famaguſtæ in Cypro. 1221. B.
de Pera, O. M. Salmaſæ. 1383. D.
O. Unit. *ſive* Præd. Naſcivanenſis in Armen. 1408. E.
Maria Salvini, O. P. Naſcivan. 1414. A.
Martinus, Coronenſis ſub Athen. 859. C.
Vannis de Eſculo, E. A. Ciſſamiæ in Creta inſ. 929. C.
de Torba, E. A. Cardicenſis. 981. A.
Jacobi, O. M. Nicopol. 999. C.
Methonenſis. 1035. C.
de Soleta, O. P. Chriſtopolis. 1047. B.
de Soto-Majori, O. C. Tripolis. 1069. A.
Madronius, O. M. Sebaſtes in Armenia. 1070. C.
I. Laodiceæ. 1168. C.
II. Laodiceæ. *ibid.* D.
Seleuciæ. 1182. B.
de Chiari, O. U. *ſive* P. Naſcivan. in Armen. 1405. B.
Matthæus I. *ſive* Matthias, Patr. Conſtantinopol. 801. E.
II. Bandellus, O. P. Patr. Conſtantinopol. 829. D.

Matthæus

Digitized by Google

Matthæus de Sirinno, O. M. Coronenſis ſub Athen. 860. B.
de Oſenio, O. P. Corinthi. 887. B.
de Retimo *vel* Recimo, E. A. Sitienſis in Creta. 920. A.
Dyrrachii. 950. C.
O. M. Cronenſis. 1002. B.
O. M. Neopatriæ. 1015. A.
Luthus, E. A. Chalcedonis. 1020. D.
de Sirinno, O. M. Coronenſis ſub Patrac. 1040. C.
de Empolio, O. P. Rhodi. 1051. C.
Tanenſis. 1111. A.
Sebaſtes in Palæſtina. 1292. B.
de Caſtro, Chryſopolis in Arabia. 1308. B.
Beryti ſub Tyro. 1328. C.
I. Avenicenſis, O. P. Naſcivanenſis in Armenia. 1405. C.
II. Eraſmus, O. P. Naſcivanenſis. 1408. E.
III. O. P. Naſcivanenſis. 1409. A.
IV. de Avanic, O. P. Naſcivanenſis. 1411. A.
Matthias *ſive* Matthæus, Patriarcha Conſtantinopol. 801. E.
Trapezi. 1099. C.
Emich, O. C. Cyrenſis in patr. Alexandrino. 1151. B.
Ugonius, Famaguſtæ in Cypro inſula. 1223. B.
Melillus de Sabinice, E. A. Andrenſis. 861. D.
Michaël de Terminis *ſive* de Tornicis, O. P. Andrenſis. 862. A.
O. P. Candiæ in Creta inſula. 915. A.
Arcadiæ in Creta. 920. C.
de Candia, O. P. Agienſis in Creta inſula. 926. A.
de Verona, O. P. Milopotamiæ in Creta inſula. 935. A.
de Natera, O. P. Liſſien. 955. C.
Jacobi, O. M. Nicopol. 1000. B.
Caſtault, O. M. Chriſtopolis. 1050. B.
O. M. Trapezi 1100. A.
de Rentelem, O. P. Symbolienſis. 1109. B.
I. Treſtka, O. P. Kioviæ. 1127. D.
II. O. P. Kioviæ. *ibid.* E.
III. de Leopoli, O. P. Kiov. 1128. B.
de Padrolo, O. P. Neæ *ſive* Nio. 1135. B.
Patriarcha Hieroſol. 1252. C.
Mictareus, O. Unit. *ſive* Præd. Naſcivan. in Armenia. 1405. B.
Minor, Dyrrachii. 951. E.
Monachus, Patr. Hieroſol. 1252. E.
Cæſareæ in Palæſt. 1288. C.
Moyſes, O. P. Kioviæ. 1130. A.
Mozzenigo, Candiæ in Creta. 916. B.

N

N. Tarſi. 1183. A.
Nazareth. 1297. E.
Nicephorus Meliſſenus Comnenus, Paro-Naxiæ. 1006. E.
Nicolaus I. Patriarcha Conſtant. 805. E.
II. Patriarcha Conſtant. 811. E.
Athenarum. 841. D.
Negroponti. 847. B.
de Pilſua *ſive* de Piſna, O. P. Megaræ. 851. D.
de Neritano, O. M. Davaliæ. 856. A.
Nicolaus, Andrenſis. 861. C.
Zeno, Corcyræ. 882. B.
Argos. 899. B.
O. M. Ciſſamiæ in Creta inſula. 926. B.
Salma, O. M. Arienſis in Creta inſula. 933. C.
O. M. Milopotamiæ in Creta inſula. 935. D.
Coſmæ, O. M. Dyrrach. 952. B.
Aureliopolis. 961. A.
Selymbriæ. 969. C.
Tzymerna, O. P. Miſini. 971. A.
Wenceſlai, O. P. Nazoreſcæ. 988. A.
Thebarum Zitonis. 989. A.
de Ligny, O. P. Buthroti. 995. D.
I. Canalius, Patracenſis. 1028. B.
II. Patracenſis. *ibid.* C.
Oleni. 1043. B.
Langen, O. P. Melos. 1056. D.
I. Scarpatenſis. 1057. E.
II. de Machilona, O. M. Scarpatenſis. 1058. E.
III. Sorbolus, O. C. Scarpatenſis. *ibid.*
IV. Abrahæ, O. P. Scarpatenſis. 1059. A.
de Tuderto, O. P. Phocææ. 1079. C.
I. Thebarum. 1083. E.
II. Triviſanus, O. M. Thebarum. 1087. A.
de Gummedia, O. M. Trapezi. 1100. B.
O. M. Ajacienſis. 1115. A.
I. O. P. Cereti. 1119. C.
II. Cereti. 1120. B.
I. Staynecher, O. P. Dionyſiopolis. 1121. B.
II. de Marciariis Peruſinis, Dionyſiopolis. 1122. B.
de Troja, O. M. Tanis ſub Patr. Alexandrino. 1150. B.
Melchioris, O. P. Cyrenenſis. 1152. C.
del Nevo, O. M. Tripolis ſub Patr. Antioch. 1178. D.
Paphenſis in Cypro inſ. 1217. A.
I. de Tenda, O. P. Famaguſtæ in Cypro inſula. 1222. C.
II. Famaguſtæ. *ibid.* D.
I. Nemoſiæ in Cypro. 1229. A.
II. Donatus, Nemoſiæ. *ibid.* C.
de Hanapis *ſive* de Hancinis, O. P. Patr. Hieroſol. 1263. A.
ſive Petrus Larcat. Tyri. 1318. E.
I. de Hanapis *ſive* de Hancinis, O. P. Acconis. 1336. B.
II. de Arluno, O. C. Acconis. *ibid.*
de Bezminz, O. M. Sareptæ. 1340. B.
O. M. Cambalienſis. 1348. E.
Soltaniæ. 1367. A.
O. C. Sudenſis *ſive* Sunenſis. 1379. B.
O. Unit. *ſive* Præd. Naſcivanenſis in Armen. 1408. B.
Poſſech, O. P. Senaſcopolenſis. 1415. A.
ſive N. Nazareth. 1297. E.
Nivelo, Theſſalonicenſis. 1089. C.

O

Obizo *ſive* Opizio, Patr. Antioch. 1162. C.
Odo *ſeu* Oddo *vel* Otto de Sala, O. P. Patr. Alexand. 1144. A.
Paphenſis in Cypro inſ. 1217. E.
Tyri. 1311. A.
Sidonis. 1322. A.
Odo, Beryti. 1326. D.
Opizio, *vide* Obizo.
Orewin, Methonenſis. 1036. B.
Othobonus, Patr. Antioch. 1162. E.
Otto, *vide* Odo de Sala.

P

Palmerius Eugubinus, O. P. non fuit Patriarcha Hieroſ. 1262. D.
Pandulphus Malateſta, Patracen. 1030. B.
Pantaleo Juſtinianus, Patr. Conſt. 807. E.
Paulus, Patriarcha Conſtant. 822. C.
Coronenſis ſub Athenis. 859. A.
Pucchiarellus, O. P. Andrenſis. 864. E.
I. Argos. 902. B.
II. Zabarella, E. A. Argos. *ibid.* D.
Barocchius, Agienſis in Creta inſula. 925. E.
Angelus, Dyrrachii. 952. C.
Zabarella, E. A. Paro-Naxiæ. 1005. A.
I. Lapus de Bolenziis, O. P. Chalcedonis. 1019. A.
II. Chalcedonis. *ibid.* B.
III. Chalcedonis. *ibid.* D.
Patracenſis. 1029. E.
Joannis, Methonenſis. 1034. E.
Foſcharus, Coronenſis ſub Patracenſi. 1039. E.
I. de Monelia, O P. Chii. 1063. A.
II. Chii. *ibid.* E.
Franciſci, O. M. Sebaſtop. 1072. C. & 1339. 1340. *Mon.*
I. Smyrnæ. 1076. B.
II. Smyrnæ. 1078. A.
I. Thebarum. 1085. E.
II. Thebarum. 1086 D.
de Urbe, O. M. Theſſalonicæ. 1094. E.
Marcklini, O. M. Trapezi. 1100. C.
O. M. Tripolis ſub Patr. Antiocheno. 1176. E.
Nemoſiæ in Cypro inſ. 1229. D.
I. Maria Citadinus, O. P. Naſcivan. in Armen. 1409. B.
II. Pyromallus, O. P. Naſcivanenſis. 1410. C.
III. Baptiſta Avenicenſis, O. P. Naſcivan. 1412. D.
Peregrinus, O. M. Cataiæ. 1357. B. C.
Petrus I. Patriarcha Conſtant. 809. E.
II. de Boloneſio, Patriarcha Conſtantin. 812. C.
III. Thomaſius, O. C. Patr. Conſtantin. 820. E.
IV. Riarius, O. M. Patriarcha Conſtantin. 836. C.
Thermopylarum. 849. C.
Aureacella, Megaræ. 853. B.
Cornarius, O. M. Coronenſis ſub Athen. 859. A.
Gau, O. P. Scyræ. 865. B.
à Corduba, O. M. Reonenſis. 876. D.
I. O. P. Corcyræ. 880. D.
II. Antonius Foſcarini, Cler. Reg. 882. E.
I. Joannes de Baraballis, Corinthi. 888. C.
II. Raynaldi de Ripa Tranſona, O. P. Corinth. *ibid.* E.
I. Thomaſius, O. C. Candiæ in Creta inſula. 910. C.
II. Candiæ. 911. D.
III. Marcellus, Candiæ. 912. C.
IV. Donatus, Candiæ. *ibid.* E.
V. Landus, Candiæ. 915. C.

Digitized by Google

Petrus de Ceno, O. P. Arcadiæ in Creta inſula. 920. C.
Milopotamiæ in Creta. 936. C.
I. Dyrrachii. 950. B.
II. de Gironſa, O. M. Dyrrachii. *ibid.* C.
III. Scurra, Dyrrachii. 954. A.
Miſini. 971. A.
Fugetius, O. M. Cherſoneſi. 973. C.
I. de Alba-Regali, E. A. Nicopolis. 999. A.
II. Nicopolis. 1000. A.
Martyr Juſtiniani, O. P. Paro-Naxiæ. 1008. B.
de Marchis, O. P. Santerini. 1010. C.
Matthæi de Senis, E. A. Chalcedonis. 1020. C.
I. Thomaſius, O. C. Coronenſis ſub Patrac. 1039. D.
II. Cornarus *ſive* Cornarius, O. M. Coron. 1040. A.
Nicolai, O. P. Oleni. 1043. C.
Geraldus, Sebaſtopolis. 1071. C.
I. Placentinus, O. M. Smyrnæ. 1077. A.
II. de Marchis, O. P. Smyrnæ. 1078. C.
O. Ciſt. Theſſalonicæ. 1091. D.
Avenetenſis. 1115. C.
de Xaque, O. P. Neæ. 1135. C.
O. C. Nelienſis. *ibid.* D.
Parazenski, Smolenſcen. 1139. C.
I. Amelii de Brenaco, E. A. Patr. Alexandr. 1146. A.
II. Alexander, Patr. Alex. *ibid.* C.
I. Patr. Antioch. 1158. A.
II. O. Ciſt. Patr. Antioch. 1159. E.
de S. Hilario, O. P. Laodiceæ. 1166. B.
Antaradi. 1171. B.
I. Tripolis ſub patriarchatu Antiocheno. 1178. C.
II. Tripolis. *ibid.*
Apameæ. 1187. A.
Albariæ. 1191. B.
de Confleto *ſive* Conflitto, O. P. Cyrrhi. 1195. A.
Contarenus, Paphenſis ſub Cyro. 1220. A.
I. O. M. Famaguſtæ. 1221. E.
II. Famaguſtæ in Cypro. 1223. A.
I. Nemoſiæ in Cypro inſ. 1226. E.
II. de Palude, O. P. Nemoſ. 1227. E.
de Monimo, O. P. Aleppi. 1238. B.
O. M. Conſtantiæ ſub patriarchatu Antioch. 1239. A.
I. de Plana-Caſſano, Patriarcha Hieroſol. 1264. E.
II. Patriarcha Hieroſol. 1265. B.
III. de Palude, O. P. *ibid.* E.
I. Bethleem & Aſcalonis. 1280. C.
II. de S. Maxentio, O. P. Bethleem & Aſcalonis. 1283. C.
III. Bethleem & Aſcalonis. 1284. C.
I. Nazareth. 1299. E.
II. O. P. Nazareth. 1300. A.
I. Tyri. 1313. D.
II. de Sergines, Tyri. 1318. C. Ejus mater *Margarita* fuit, *nobilis mulier* civitatis Provini ſive Pruvini in Bria Galliæ provincia: duos ille fratres habuit *milites*, Draconem & celebrem illum Gaufridum de Sergines, Acconis ballivum, quem Jovillæus & Andreas du Cheſne memorant. Ipſe verò anno 1232. abbas erat canonicorum regularium S. Jacobi Provinenſis. Hæc omnia conſtant ex charta ejuſdem abbatiæ, qua Petrus iſte, eo anno, tunc ſolum abbas hujus loci, approbat cum fratribus ſuis donationem quandam matris ipſorum in gratiam Domus-Dei ſive xenodochii infirmorum præfatæ urbis Pruvini. *Hæc omiſſa fuerant ſuo loco.*
III. *ſive* Nicolaus, Tyri. 1318. E.
O. M. in Tartaria. 1348. C.
Martyr Sans, O. P. in Imperio Sinarum. 1356. C.
I. O. Unit. *ſive* Præd. Naſcivanenſis in Armenia. 1405. B.
II. Martyr de Parma, O. P. Naſcivanenſis. 1413. A.
Philibertus Willodi, O. P. Salonienſis. 876. A.
Philippus de Ardizoni, O. M. Davaliæ. 855. B.
Cithoniæ. 871. D.
Paruta, E. A. Candiæ in Creta inſula. 913. D.
de Lanzano, Coronenſis ſub Patracenſi. 1039. B.
O. P. Kioviæ. 1127. C.
I. Nicoſiæ in Cypro inſ. 1209. D.
II. Moccenicus, Nicoſiæ. 1215. C.
Bonus, Famaguſtæ in Cypro inſula. 1223. C.
de Caballole, Patriarcha Hieroſolymit. 1267. D.
Maria de S. Auguſtino, O. C. Aſpaham. 1392. A.
Pidou Theatinus, Bagdadi. 1393. A.
Pietrucini Romundivi, Zacynthi. 896. C.
Pinus, Paphenſis in Cypro inſ. 1218. B.
Placidus, E. A. Andrenſis. 861. A.
Ludovicus du Chemin, O. S. Bened. Bagdadi. 1392. C.
Polycarpus Souſa, S. J. in Imperio Sinarum. 1356. D.
Pontius Gaufredi, O. M. Sidonien. 985. B.
O. M. Seleuciæ. 1181. A.
Tarſi. 1184. C.
Proculus de le Pays, O. P. Coronenſis ſub Athen. 860. A.
Proſper Publicola, Ciſſamiæ in Creta inſula. 930. C.
Puricivallis, Ceæ. 867. C.

Q

Querini, Candiæ in Creta inſula. 916. B.

R

R. Bethleem & Aſcalonis. 1280. A.
Tiberiadis. 1301. B.
Radulphus I. Normannus, Patriarcha Antiochenus. 1155. D.
II. Patriarcha Antioch. 1157. D.
Mamiſtræ. 1198. B.
I. *ſive* Rodulphus, Patriarcha Hieroſolym. 1255. A.
II. O. P. Patr. Hieroſ. 1263. C.
Bethleem & Aſcalonis. 1278. E.
Sebaſtes in Palæſtina. 1290. D.
Tyri. 1313. A.
Sareptæ. 1339. A.
Ranulphus, Nicoſiæ in Cypro. 1206. C.
Raphaël Invitiatus, Zacynthi. 893. E.
I. Arcadiæ in Creta inſ. 919. C.
II. O. M. Arcadiæ. *ibid.*
Sciattinus, Paro-Naxiæ. 1007. C.
Nicoſiæ in Cypro inſ. 1205. E.
Raymundinus, O. M. Agienſis in Creta inſula. 925. B.
Raymundus de S. Lucia, O. M. Arienſis in Creta inſula. 931. B.
Lizoli, O. P. Oleni. 1044. B.
Jeſiersky, O. P. Baccov. 1118. C.
Nicoſiæ in Cypro inſ. 1209. E.
Bequin, O. P. Nemoſiæ in Cypro inſ. 1227. C.
Patriarcha Hieroſol. 1265. C.
Raynaldus, Patracenſis. 1028. C.
Hebronenſis ſub Patr. Hieroſolymorum. 1269. A.
Beryti ſub Tyro. 1326. B.
Raynerius, O. M. Maynæ. 903. D.
Patracenſis. 1026. C.
de Tuſcia, Patriarcha Antiochenus. 1160. D.
ſive Rignerius, Bethleem & Aſcalonis. 1280. E.
Raynerus *ſive* Renertus, Lyddæ & Ramulæ. 1272. B.
ſive Renerus, Sebaſtes in Palæſtina. 1289. D.
Raynoldus *ſive* Reginaldus de Spoleto, O. P. Tanenſis. 1109. C.
Tanis in Ægypto. 1149. B.
Reginaldus Polet, O. M. Æginæ ſub Athen. 872. C.
de Spoleto, *vide* Raynoldus.
Renertus, *vide* Raynerus.
Richardus, O. P. Cherſoneſi. 1111. B.
O. M. Nazareth. 1300. C.
O. M. Armalech. 1359. C.
Robertus de Noë *ſive* de Nola, O. P. Paro-Naxiæ. 1004. D.
O. P. Paphenſis in Cypro inſula. 1217. C.
ſive Guido, Patriarcha Hieroſolymitanus. 1256. E.
Lyddæ & Ramulæ. 1271. A.
I. Nazareth. 1295. B.
II. Nazareth. *ibid.* D.
Beryti ſub Tyro. 1328. C.
Rodericus Regamia, O. M. Dimitrienſis. 960. B.
Demetriacenſis. 984. B.
Alvarus, Acconis. 1336. C. D.
Rodulphus *ſive* Radulphus, Patriarcha Hieroſol. 1255. A.
Tornacen. Acconis. 1334. A. B.
Rogerius, Tarſi. 1181. C.
ſive Rogerus, Lyddæ & Ramulæ. 1271. D.
è Platia, O. M. Baſſorenſis. 1389. A.
Rogerus, O. P. Selymbriæ. 969. D.
ſive Rogerius, Lyddæ & Ramulæ. 1271. D.
ſive Rorgo, Acconis. 1329. B.
Rolandus, Arienſis in Creta inſ. 932. B.
Romanus, Tripolis ſub patriarchatu Antiocheno. 1175. B.
Rorgo *ſive* Rogerus, Acconis. 1329. B.
Roſtangus Candola, O. P. Naupacti. 995. A. & 1324. C. *Monit.*
Sidonis ſub Tyro. 1324. B.
Rufinus, Acconis. 1331. D.

S

S. Nicomediæ. 1017. B.
Salomon Cardon, O. P. Antaradi. 1174. D.
Cardona, O. P. Nemoſiæ in Cypro inſula. 1229. B.
Samuel de Oſſa-Ozga, Kioviæ. 1130. C.
Sebaſtianus Leccavella, O. P. Paro-Naxiæ. 1005. E.
Priolus, Nicoſiæ in Cypro inſula. 1215. A.
Knab, O. P. Naſcivanenſis. 1412. B.

Digitized by Google

Seraphinus Fortibracchia, O. P. Nemoſiæ in Cypro inſ. 1230. C.
Serlo, Apameæ. 1187. D.
Siffridus, O. P. Cyrrhi. 1196. A.
Sigiſmundus, Miaſzkowsky, O. P. Caſſenſis. 1106. D.
Cherſoneſi. 1112. B.
Siguntanes, Argos. 899. E.
Silveſter Calbus de Corono, O. P. Thermopyl. 849. C.
Simon, Patriarcha Conſtant. 805. B.
de Aretio, O. M. Ceæ. 867. C.
de Lande, O. P. Selymbriæ. 970. C.
de Montana, Patracen. 1030. D.
ſive Simeon Jacumæus, O. S. Baſil. Phoceæ. 1086. B.
Cereti. 1120. D.
O. P. Laodiceæ. 1167. B.
Tripolis ſub Patr. Ant. 1178. C.
O. P. de Barcinola, Paphenſis in Cypro inſula. 1219. A.
Tyri. 1317. E.
Soffredus, Patriarcha Hieroſ. 1253. C.
Solkerus *ſive* Folkerus, Bybli ſub Tyro. 1180. B.
Staniſlaus I. Kioviæ. 1128. B.
II. Witwisky, Kioviæ. 1130. B.
Stephanus, Patriarcha Conſt. 820. A.
Mangiaterus, O. P. Athenarum. 840. D.
Canor, O.P. Thermopyl. 850. B.
Corinthi. 888. C.
I. Dyrrachii. 951. C.
II. Guillelmi de Neapoli, O. C. Dyrrachii. *ibid.* D.
de Larolo, O. M. Hierapolis. 978. A.
Patracenſis. 1029. E.
Chaan, O. P. Phoceæ. 1080. C.
O. M. Saraenſis. 1107. B.
I. Ruanus, O. P. Cereti. 1119. B.
II. Martini, O. P. Cereti. *ibid.* C.
III. Zajaches *ſive* Zarazech, O. P. Cereti. 1120. A.
Tarſi. 1182. C.
Nicoſiæ in Cypro inſ. 1210. D.
I. Gobemus *ſive* Gobernus, Nemoſiæ in Cypro. 1228. E.
II. O. P. Nemoſiæ. 1229. C.
III. Nemoſiæ. 1230. D.
IV. Luſinianus, O. P. Nemoſiæ. *ibid.*
Carnotenſis, Patriarcha Hieroſolymorum. 1248. E.
I. Petri de Seghes, O. M. Naſcivanenſis in Armen. 1404. B.
II. O. Unit. *ſive* Præd. Naſcivanenſis. 1408. A.
III. Sciranus, O.P. Naſciv. 1412. D.
Sulpitius, Patriarcha Hieroſ. 1252. B.
Sybertus de Boſpardia, O. C. Malvaſiæ. 895. D.
Syfridus Piſcatoris, O. P. Ceraunæ in Cypro inſula. 1231. C.

T

Tedaldus, Acconis. 1332. C.
Thaddæus, O. P. Caffenſis. 1104. B.
Thealdus, O. M. Sybenſis. 1114. B.
Theodebertus, Patriarcha Hieroſol. *vide* Daibertus.
Theodericus, O.P. Cumanorum. 1121. A.
de Indagine, E. A. Rutenorum. 1138. B.
Theodoricus *vel* G. Fabri, Actonenſis. 1001. C.
I. de Wiſchel, O. P. Naturenſis. 1133. C.
II. Naturenſis. *ibid.* D.
Curshus, O. M. Diocæſareæ. 1240. B.
Theodorus Græcus, Negroponti. 845. A.
Chryſonerge, O. P. Oleni. 1044. A.
Thomas Maurocenus, Patriarcha Conſtantinopolitanus. 796. A.
Æginæ. 870. B.
Seraphinus, O. P. Corinthi. 889. A.
Agienſis in Creta inſula. 925. A.
Hierapetræ in Creta inſ. 939. A.
O. C. Candaviæ. 957. A.
Buelduer, O. M. Agathopolis. 964. D.
O. M. Cæſareæ ſub Nicomed. 1021. B.
Renda, O. P. Andrevillæ. 1045. A.
Butilerus, O. M. Chriſtopolis. 1050. A.
de Nigroponte, O. M. Nizeriæ. 1053. D.
Palavicinus, Chii. 1062. A.
de Dirago, O. M. Sybenſis. 1113. B.
O. M. Arcæ. 1115. B.
Szklubiczaleski, O. P. Baccoviæ. 1118. C.
I. Erneber, O. P. Cereti. 1120. B.
II. de Zagrodino, O. P. Cereti. *ibid.* E.
Tarſi. 1186. A.
Ammanatus, Nemoſiæ in Cypro inſula. 1228. D.
Agni de Lentino, O. P. Patriarcha Hieroſol. 1261. B.
Bethleem & Aſcalonis. 1281. A.
Acconis. 1336. B.
O. M. in Tartaria. 1348. C.
de Abaraner, O. P. *ſive* Unit. Soltaniæ. 1368. D.
Mancoſola, O. P. Semiſcatenſis. 1377. A.
Salmaſæ *ſive* Salmaſtri. 1383. C.
I. O. Unitor. Naſcivanenſis in Armenia. 1403. A.
II. Jatumenſis, O. Unit. Naſcivanenſis. 1412. A.
Timotheus Juſtinianus, O. P. Calomonæ in Creta inſula. 922. D.
Arienſis in Creta inſula. 934. D.
Chii. 1063. E.
I. Perez Siculus, O. C. Aſpahami in Perſide. 1389. B.
II. Perez de Malaca, Hiſpanus, O.C. Aſpahami. *ibid.*
Perco, O. C. Bagdadi in Perſide. 1391. B.
Tripho, Argos. 902. D.

V

Valaſcus, O. M. Famaguſtæ in Cypro inſula. 1219. D.
Ubertinus, N. O. M. Scyræ. 865. C.
de Monte-Callerio, O. M. Tarſi. 1186. A.
Udalricus de Ulma, O. M. Adrimitanus. 944. B.
Venturinus, Argos. 899. B.
Ugo de Robertis de Tripoli, Patriarcha Alexandrinus. 1146. E.
Ugolinus de Malabranca, E. A. Patriarcha Conſtantin. 825. D.
Victor, Sitienſis in Creta inſula. 919. A.
Milopotamiæ in Creta inſula. 937. C.
Vido, O. P. Rhodi. 1049. C.
Abiſius *ſive* Abailius, Tripolis ſub Patr. Antioch. 1178. A.
Vincentius Quirinus, Calamonæ in Creta inſula. 922. D.
de Maſſuriis, Milopotamiæ in Creta inſula. 937. E.
Coronenſis ſub Patrac. 1041. B.
O. M. Hierapolis. 1126. A.
de Mazuolo, O. P. Aleppi. 1234. B.
Vitalis I. de Faventino, E. A. Melos. 1055. D.
II. O. M. Melos. *ibid.*
O. M. Abienſis ſub Patr. Conſt. 1113. D.
Ulricus, Cæſareæ ſub Nicomed. 1021. B.
Anmein, O. M. Hierapolis. 1127. B.
Galgari, O. P. Bybli ſub Tyro. 1180. B.
Volkerus, Bybli. *ibid.* A.
Urſus I. Delphinus, Candiæ in Creta inſula. 909. E.
II. Candiæ. 910. B.
III. Candiæ. 911. A.
W. Nazoreſcæ. 985. D.
Walerannus, *vide* Gualtranus.
Wenceſlaus Spouer, O. P. Lædoricenſis. 987. C.
Nicopolis. 1001. A.
Sareptæ. 1340. B.
Werboldus de Heyſs, O. M. Lariſſæ ſub Patr. Antioch. 1192. D.
Willelmus, Patriarcha Conſtantinopolitan. *vide* Guillelmus Puſtrella.
Philipporum. 1045. B.
Gabalæ. 1169. A.
O. P. Tripolis ſub patriarchatu Antioch. 1176. D.
Albariæ. 1192. B.
Belga, Patriarcha Hieroſolymorum. 1249. D.
Acconis, *vide* Guillelmus I.
Nazareth. 1295. B.
I. Tyri. 1311. C.
II. Tyri. 1314. C.
Beryti ſub Tyro. 1326. A.
Acconis. 1329. D.
Belcts, O. P. Soltaniæ. 1367. B.
de Wildenholtcz, O. M. Salmaſæ. 1383. C.
Wulfrannus de Abbatiſvilla, Bethleem & Aſcalonis. 1283. D.

Y

Yvo Nerocii de Senis, O. P. Nicopolis. 999. E.
ſive Guido, O. P. Nazareth. 1299. B.

Z

Zacharias Armenus S. Thaddæi. 1385. A.
Zanetus Utinenſis, O. M. Thebarum. 1088. A.
Zerbinus Lugus Baſſani, Milopotamiæ in Creta inſula. 938. D.

Digitized by Google

INDEX alphabeticus Eccleſiarum quibus præfuerunt Præſules Latini Orientis, quorum nomina ignorantur.

A

Acconis. *coll.* 1331. E. 1332. A.
Adrimitanæ. 944. B.
Antaradi. 1171. D. 1172. D. 1174. A.
Apamææ. 1189. A.
Argos. 897. A. 898. A.
Arienſis. 931. A.
Arteſiæ. 1191. A.
Athenarum. 839. D. 840. B.

B

Balaneæ. 1189. B.
Beryti. 1327. B. C.
Bybli. 1179. A. B.

C

Cæſareæ in Palæſtina. 1288. D. E.
Callipolis. 971. B.
Candiæ. 907. A. 915. B.
Cantiæ. 929. D. 930. D.
Caſtoriæ. 1087. B.
Cephaleniæ. 889. C.
Chalcedonis. 1020. D.
Chii. 1065. B.
Cithoniæ. 871. D.
Citri. 1095. B.
Corcyræ. 879. C. 880. C. 881. E.
Corinthi. 885. C. D. E.
Coroneæ. 1037. A. B. E. 1041. B. 1042. B.
Croïæ. 956. A.
Cronenſis. 1001. B.
Cyzici. 941. A.

D

Davaliæ. 855. A.
Demetriacenſis. 983. A. 984. B.
Dioſpolis, *vide* Lydda.
Dyrrachii. 951. B. 952. D. E.

F

Famaguſtæ. 1221. B.

G

Gabalæ. 1169. C.

H

Hadrianopolis. 961. B.
Hebronis. 1269. B.

I

Joppenſis. 1291. D.

K

Kioviæ. 1130. A. B.

L

Lacedæmonis. 903. A.
Lariſſæ. 979. A.
Liſſienſis. 956. C.
Lyddæ *ſive* Dioſpolis. 1273. B. 1274. C. 1275. B.

M

Mamiſtræ. 1198. B. 1199. B. 1200. A. B.
Maragenſis. 1402. E.
Megaræ. 854. B.
Melos. 1058. D.
Milopotamiæ. 937. B.
Moſcoviæ. 1132. D.

N

Navarzanenſis. 1387. C.
Nazareth. 1296. E. 1297. D. E. 1298. B. 1299. A.
Nazoreſcæ. 985. C. 986. D. 987. A.
Negropontenſis. 845. C. 846. B. D.
Neopacenſis. 1011. A. B.
Neopatriæ. 1013. C. 1014. A. B.
Nicomediæ. 1017. A.
Nicoſiæ. 1201. A. 1211. D.

O

Olexi. 1042. D. 1043. A.

P

Paneadis. 1338. C.
Panidenſis. 965. B.
Parii. 947. A.
Paro-Naxienſis. 1003. A. B. 1004. A. B. C. 1008. A.
Patracenſis. 1023. B. 1026. B. 1028. A.

R

Reonenſis. 875. D.
Rhodi. 1049. C. 1051. A.

S

Sabæ. 1293. A.
Salonienſis. 873. A.
Scyrenſis. 867. B.
Sebaſtenſis. 1069. B.
Selymbriæ. 967. B. D.
Sidonienſis. 983. C. 985. B. 1322. D. 1323. A. D.
Smyrnenſis. 1075. A.

T

Tarſi. 1183. C. D. 1184. A. C.
S. Thaddæi. 1386. C. D.
Thebarum. 1081. A. 1082. A. 1083. B. D. 1085. C.
Thermopylenſis. 850. A.
Theſſalonicæ. 1094. B.
Tiberiadis. 1301. C. D. 1304. C.
Trapezi. 1100. A.
Tripolis. 1176. C.
Tyri. 1317. D.

V

Valacenſis. 1047. A.
Verifienſis. 1102. A.

Z

Zacynthi. 891. D.
Zaratorienſis. 1087. C.

Finis Indicis.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google